

Prosunt et Delectant.



Johann. Gottlob Carpzovius
S. Theol. D. et Superintend. Lubecens


C.G. Geve pinx. Hamb. J.M. Bernigeroth sc. Lips. 1747.

APPARATVS
HISTORICO CRITICVS
ANTIQVITATVM
SACRI CODICIS
ET
GENTIS HEBRAEAE

VBERRIMIS ANNOTATIONIBVS
IN
THOMAE GOODWINI
MOSEN ET AARONEM
SVBMINISTRAVIT
IOH. GOTTLOB CARPZOV
S. THEOL. D. ET SVPERINTENDENS
LVBECENSIS



FRANCOFVRTHI ET LIPSIAE
IN OFFICINA GLEDITSCHIANA
ANNO MDCCXXXVIII


PUBLIC LIBRARY
OF THE
CITY OF BOSTON



AEQVO ET BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

AVCTOR.

QVOD nec in destinatis primum habui, nec in votis, ut lucubrationes istas Academicas publicæ olim exponerem luci, istud divino beneficio, & amicorum suasu, tandem evenisse gaudeo. Cum enim Lipsiæ, demandatam Hebræas literas publice docendi provinciam, pro virili ornare allaborarem, post quotidianam Sacri Codicis interpretationem, qua prius nihil, nihil antiquius habebam, operæ me pretium facturum censui, si exactiorem Antiquitatum Hebraicarum historiam, rituumque Deo dilectæ gentis cognitionem, auditoribus instillarem, quod absque illius suppetiis, oraculorum divinorum explicationem minus feliciter & solide institui posse intelligerem. Mosaica certe, & cetera historica antiqui Fœderis monimenta, institutis & ritibus priscæ gentis, Numini dicatæ, adeo sunt referta, ut imperitus talium interpres ad singula fere capita hæreat, aut turpiter hallucinetur. Hac itaque in parte ne meam desiderari paterer industriam, circumspiciendum in primis duxi auctorem, viæ ducem, qui facem præferret, & filum velut Ariadnæum porrigeret, ad cujus ductum, quicquid est istius Labyrinthi, feliciter emetirer. Inter recentiora hujus doctrinæ compendia, duo præsertim, illa tempestate, in manibus versabantur eruditorum: alterum ADRIANI RELANDI, Vltrajecti anno 1708. impressum, & locupletius longe, castigatiusque anno 1712. quin & sequenti anno Jenæ, recusum; alterum THOMAE GOODWINI,

Anglice primo consignatum, hinc Belgice conversum, Latino demum habitu indutum, notisque perpetuis instructum a IOH. HENR. REIZIO, cujus tertia editio, HERM. WITSII, Theologi apud Reformatos celeberrimi, præfatione & gemina dissertatione ornata, Trajecti anno 1690. lucem adspexit. Quæ autem hodie industriam ejus rei studiosorum mirifice juvant, solertissimi IKENII, DASSOVII τȣ̃ μακαρίτȣ, RECKENBERGERI, & WAEHNERI opuscula, posthæc demum cum orbe literato communicata, magnoque cum plausu fuerunt excepta. Ex illis vero, ut GOODWINVM præferrem, facile me induxit, non tam exacta rerum antiquarum percensio, qua RELANDVS multis eum parasangis post se relinquit, quam & diffusa lectionis varietas & copia, & frequentissima illius ad illustrationem utriusque Instrumenti accommodatio, qua omnia id genus scripta multum superat & vincit. Quam enim cunque perscrutandis Rabbinorum commentariis operam navamus, eam omnem ne titivilitio emerim, nisi Sacri Codicis juvet ornetque expositionem. Hæc princeps in illo scrutinio cura, hic præcipuus est universi laboris istius scopus, ad quem omnis lectio, collatio, ingeniique ἀγχίνοια est referenda. In istum vero tam sollicite incumbit GOODWINVS, ut arrepta quacunque occasione, sive εὐκαίρως, sive ἀκαίρως, sive propitia, sive invita Minerva, ad Scripturam Sacram transferre gestiat, quæ ex Hebræorum voluminibus congessit. Vtramque ob causam, Auctoris vestigia hinc me pressisse, hinc haud raro me reliquisse animadvertet, qui meas perlegere dignetur observationes. De cetero vero, judiciosissimi WITSII *in Præfat.* * 5. elogio calculum lubens adjicio, epitomen hanc ea consarcinatam esse arte, *ut* in ea *rerum ubertas, & dictionis brevitas de palma certent. Vbertas quidem tanta, ut haud jure queraris, multa esse præterita; & brevitas tam concisa, ut & exiguo tempore multa expediri possint, & amplificationi atque illustrationi non sit prærepta materies.* Notas, præter REIZIVM, in illam dedit amicus quondam noster, dum in Belgio agerem, & communi cum ipso præceptore uterer, GVIL. SVRENHVSIO, humanissimo pariter ac doctissimo viro, Clariss. IOH. HENR. HOTTINGERVS, Nepos, quibus auctum Francofurti ad Mœnum anno 1716. recudi curavit libellum. Hunc itaque, publicis recitationibus, anno 1722. auditoribus meis a capite ad calcem, cum cura exposui, cumque post illa, non absque fructu istud me volvisse saxum, cognoscerem, nonnulla quoque, vel prioribus ex

quo-

quotidiana lectione Hebræorum adjicerem, vel in aliam forte sententiam ingressus, mutarem & delerem, ut sunt, re maturius perpensa, posteriores cogitationes prioribus σοφώτεραι, hanc telam anno 1727. denuo exorsus, ita pertexui, ut, qua datum fuit dexteritate, me officio defunctum crederem. Posthæc in alium, & loci ac muneris, & curarum laborumque, velut orbem delatus, eo res meas rediisse perspexi, istas ut missas facerem amœnitates, edendis autem asceticis nonnullis, quin & polemicis, adversus ætatis nostræ turbones, qui sub fratrum Moravorum schemate ac nomine, fucum imperitis facere satagunt, & nostra quoque turbare pomœria sunt aggressi, manum admoverem. Curandum quippe erat, ne quid respublica sacra detrimenti caperet. Istis itaque dum vaco, vir honestus, & orbem literarum sua juvare opera solitus, per literas me compellat, ut quas dudum coram a me Lipsiæ flagitaverat, suis sumtibus excudendas sibi traderem ad GOODWINVM notationes meas, novæ libelli editioni jungendas. Accedebant crebræ amicorum, eorum maxime, qui ex ore meo quondam istas hauserant, adhortationes, ne situ & squalore schedas meas paterer obliterari, sed sub incudem revocatas, prælo aptarem. Aurem facile præbui monitoribus tam bene cupientibus, utilem forte operam ecclesiæ me navaturum ratus: ut taceam, animum ad istud literarum genus, inde ab ephebis, me habuisse propensum. Sacris literis, & quæ manu velut ad eas ducit, Philologiæ Sacræ adeo sum addictus, istis ut immori dulce existimem. Perlustravi ergo adversaria mea, de iisque in ordinem redigendis, poliendis, locupletandis, serio cogitare cœpi. Verum horis subsecivis ista dum aguntur, lento admodum gradu procedit labor, ut ingruente senectute, de illo publicando, vice plus simplici desperarem. Quæ tamen in me immerentem est clementia divina, vitam & valetudinem prorogavit, idoneum interdum indulsit otium, eosque lucubrationibus istis largita est successus, ut ad umbilicum tandem istud perducere pensum licuerit.

HABES historiam operis, ortum & progressum: nunc, ni grave sit, editionis causas accipe. Nec enim me, vel actum egisse, quando tot egregii hujus argumenti labores in publicum jam prostant, vel inutili quadam sarcina tabernas librarias arbitror gravasse. Ante omnia, quod jam dixi, amor I.
oraculorum divinorum me compulit, ut, si quam forte lucem illorum affundere interpretationi, aut ansam aliis subministrare possem, in illorum altius

penetrandi ſenſus, partibus iſtis ne deeſſem. Quicquid enim ex omni eruditionis antiquariæ penu ad Scripturæ explicationem afferre licuit, ſtudioſe huc, ſed pro inſtituti ratione breviter, collatum videbis, ſed & multa δυσνόητα hic deprehendes loca, quæ Auctore indice, data opera excuſſimus.
II. Eſt præterea, quod in ceteris id genus commentariis jure quodam deſideres. Alii enim, horumque plurimi, nimis conciſe rem tractant, & niſi oralis accedat inſtitutio, nec ſitim lectorum, argumentum exacte cognoſcere cupientium, reſtinguunt, nec ſatis ferunt ſubſidii illis, idem qui aliis exponere, aut verba de eo facere aggrediuntur. Præcipui namque illorum hac fini ſunt conſignati, ut viva docentis voce locupletius ediſſererentur. Alii, & vetuſtiores quidem, CAROLI SIGONII, CORN. BONAVENT. BERTRAMI, IOH. STEPH. MENOCHII, & nitidiſſimum omnino PETRI CVNAEI *de Republica Hebræorum*, opuſculum, totum iſtud latifundium non exhauriunt, ſed unum vel alterum caput ſic ſatis illuſtrant, cetera intacta relinquunt. Quo etiam nævo, BENED. ARIAE MONTANI exaſciati quidem labores, Criticis Sacris ſubjuncti, ſed & IOH. CVNRADI DIETRICHII & PAVLI SHERLOGI, Angli, meditationes laborant: ut taceam, horum nonnullos Hebræorum monimenta & fontes Talmudicos, vel qui ex iſtis rivos ſuos deduxit, MOSEN MAIMONIDEM, conſulere non valentes, ſolo IOSEPHO, aut PHILONE ALEXANDRINO contentos eſſe, quorum tamen alter in texenda hiſtoria gentis ſuæ, alter in eruendis allegoriis, tradendisque monitis moralibus occupatus, neuter priſcos majorum ritus exponere inſtituit, niſi forte obiter, & ὡς ἐν παρόδῳ eos tangat. Alii denique nimis ſunt copioſi, & ad alia feſtinantibus lectoribus remoram injiciunt; præterea majus poſtulant pretium, quam cui apud multos, qui ſacris operantur, res anguſta domi commode ſufficiat. In his reputo MELCH. LEYDEKKERI amplos *de Republica Hebræorum* commentarios, quibus inſigni quidem cum doctrinæ apparatu, capita ſingula digeſſit, & rationum confirmare ſategit momentis. Sed non cuivis datum eſt, hanc adire Corinthum. Ita pariter ſe res habet cum vernaculo IOH. LVNDII *de Sacerdotio & cultu Levitico* opere, magna cum cura congeſto, & doctiſſimis πολυμαθεστάτου IOH. CHRISTOPH. WOLFII, τοῦ νῦν ἐν ἁγίοις, annotationibus locupletato & aucto. Præterquam enim, quod noviſſima ejus editio ſat requirit ſumtuum, quæ ad ſacra non pertinent, civilia & domeſtica, ſicco præteriit pede. Vt nihil nunc dicam de

vaſta

vaſta opuſculorum huc pertinentium collectione, quæ Venetiis ſub titulo *Theſauri Antiquitatum Sacrarum*, impenſis IOH. GABR. HERZII, in lucem exponi cœpta, in ſex tomos jam excrevit, & ulterius progreſſura, bibliothecæ potius antiquariæ, quam commentationis præſtare vicem poſſit. Nos, ut media incederemus via, laborem noſtrum ita moderati ſumus, ut nec nimis anguſtis nos contineremus finibus, ſed quantum ſatis eſt, nec quidem, quicquid dici potuit, verum quæ dicere e re cenſuimus lectorum, de ſingulis capitibus traderemus; nec in nimiam liber excreſceret molem, ſed mediocri ſumtuum impenſa comparari, & in forma portatili a ſtudioſis ex una Academia in alteram, citra moleſtiam transferri, & perlegi citra tædium queat. Velut enim in prælectionibus quondam Academicis, ita nunc edito libro, eorum conſulere commodis ſtuduimus, qui nec ampla inſtructi bibliotheca, complures de quovis capite auctores evolvere in promtu habent, nec in Talmudicorum & Rabbinicorum voluminum lectione exercitati, ad ipſos recurrere poſſunt fontes. Demum, quod in omni hiſtoria uſu venit, III.
ut hodie in dubium vocentur, quæ ſuperioribus ſæculis citra hæſitationem viri docti ſunt amplexi, iſta quoque tempeſtas in Antiquitates Hebraicas incumbit. Hinc in utramque diſceptari videas partem, vel de rei geſtæ veritate, vel de modo traditionum, ut in dubio hærens imperitus lector, non habeat, quo ſe vertat, aut ubi tuto pedem figat. Nos itaque controverſias iſtas antiquarias & rituales, pro ea, qua licuit, dexteritate ac fide diſcuſſimus, & allatis utriusque partis rationibus, noſtram interpoſuimus ſententiam, quam lector benevolus tamdiu amplectatur, donec meliorem ab aliis edoctus, cum noſtra permutaverit. Hinc in vexatis ejusmodi quæſtionibus, v. g. de Sacerdotio primogenitorum, de Oraculo pectoralis S. Pontificis, de Atrio gentium in Templo, de Synedrii M. ætate & natalibus, de duplici cum menſura, tum pondere & ſiclo, ſacro & regio, ſive civili, de initiis monetæ ſignatæ apud Judæos, & innumeris id genus aliis, candide pronunciavimus, quid nobis videretur, non ut peritioribus, auctoritate dictatoria, noſtrum obtruderemus effatum, ſed cum tironibus communicaremus. Hinc non vane auguror fore, ut non omnium laturus ſim calculum, quin potius nonnullorum forte ſtilum in me provocaturus. Quod ſi modeſte, & quæ decet eruditos, cum humanitate fiat, tantum abeſt, ut male me ſit habiturum, ut rectiora docentibus magnas potius perſoluturus ſim grates. Non de

)( )(capi-

capitibus fidei, non de cæleſti veritate, non de ſalute Græciæ, vel animarum potius agitur, ſed problema de re geſta ventilatur, cujus liquida omnino, & omni exceptione majora præſto non ſunt documenta. Aequo igitur jure, quo ab aliis diſceſſionem feci, patiar ipſe lubentiſſime, ut illi viciſ-
IV ſim a mea deflectant mente. Poſtremo, ne & iis deeſſem, qui unum vel aliud antiquitatis momentum, paulo inveſtigare altius, & in ſuos vertere cupiunt uſus, larga manu ſuppeditavi Auctores, qui data opera illud excuſſerunt. Tam itaque Judæorum, quam Chriſtianorum in partes citavimus monimenta, ut non modo, ex quibus ipſi profecimus, ſincere, gratique fateremur, ſed cumprimis, ut lectoribus id deſiderantibus, quoddam quaſi *repertorium Auctorum* ſuppeditaremus, quorum evolutione locupletius de ſingulis inſtruantur. Non me fugit, eſſe, quibus ſordeant BVXTORFIORVM, SELDENI, POCOCKII, LIGHTFOOTI, BOCHARTI, WAGENSEILII, aliorumque e Chriſtianis doctorum allegationes, ſola cupientes Rabbinorum ſtare vel cadere auctoritate. Verum ut taceam, dubiarum quæſtionum aliquas inter Chriſtianos tantum ventilatas fuiſſe, de quibus altum apud Judæos eſt ſilentium, qualis illa, de origine baptiſmi Chriſtiani, & ortu baptiſmi Proſelytorum &c. ſic longe curatius Judæis, noſtrates doctores, qui bene perſpecta habuerunt Rabbinorum commentaria, in iſtas inquiſiverunt. Etſi vero non defugio Judæorum in rebus domeſticis teſtimonia, quæ in prima ipſe collocare conſuevi acie, ubi tuta illis fides conſtat, iis tamen noſtratium ducibus primariis, apud quos aquilæ ſteterunt hactenus, jure meritoque multum defero, quod æquiore omnia ponderarunt lance, aliisque præterea diſciplinis ſubactum ad hæc ingenium attulerunt, quod in recutitis utplurimum deſideramus. Tantum itaque abeſt, ut tantorum me pudeat nominum, eorum potius ut ſuffragia ſtudioſe collegerim, & re probe penſitata, ipſorum veſtigiis inſiſtere, duxerim honeſtum.

QVOD ſupereſt, vellicat adhuc ſcrupulus, quo tantum non omnem Antiquitatum Hebraicarum fidem in diſcrimen adducit vir doctiſſimus, & in hac palæſtra apprime exercitatus, CHRISTIAN. SCHOETTGENIVS, quando *Hor. Hebr. & Talmud. T. II. cap. IX. §. 3 ſq.* ejusmodi ſyſtema in deſideratis ponit, & repudiata omnino MAIMONIDIS auctoritate, poſt Sacras Literas & Targumim, ad ſuperſtites remittit libros Judæorum, ante opus Talmudicum conſcriptos, cumprimis ad librum Sohar. *Hi evolvendi ſunt*, inquit,

&

& horum traditis acquiescendum est. Voluminibus quidem Talmudicis aliquem, sed postremum, relinquit locum, & summo adhibito judicio. *Frustra enim hic antiquitatem quæras*, pergit, *cum vides Talmudistas adhuc disceptare, quid sequendum sit.* Verum pace viri, in lectione Judaicorum monimentorum versatissimi, distincte ad hæc respondebo. MAIMONIDES subinde, suum secutus ingenium, a majorum placitis deflectit, unde motæ ipsi lites fuerunt: maximam tamen partem presse iis inhæret. Nec mirum, interdum dissentire, cum istud Talmudicis & aliis recutitæ gentis non modo Magistris, verum eruditis quoque Christianorum usu venire, toto animadvertimus die. Hinc minime, illud αὐτὸς ἔφα satis habentes, cœco assensu effatis ejusdem acquiescimus, sed in diversum ab iis discedere, ubi dubia videntur, & objectis in contrarium sunt sequiora, religioni non ducimus. Ipse tamen, quia ex magni SCALIGERI sententia ferme unus censetur Judæorum, *qui nugari desierit*, mentemque gentis suæ, & majorum ex asse perspectam habuit, magnum omnino pondus iis addit, quæ cum suis pronunciat. *Targumim* sua gaudent auctoritate, & contra Judæos usu, verum, quod alias docuimus, nec unius ætatis sunt, nec ejusdem omnes momenti. ONCKELOSI, curate utplurimum, & fere ad verbum fontes Hebræos reddit, inde ut parum expectes subsidii, quod Scripturæ sensum collustret, nisi in quantum ἅπαξ λεγόμενα, ex ætatis suæ Synagogæ disciplina, declarat. IONATHANIS translatio plura intersérit, sed quis definiat, num recto semper tramite incedat, aut ἰδίαν ἐπίλυσιν, aut privatam, celebris cujusdam Doctoris, mentem prodat? Hierosolymitanum, Talmude Babylonico posterius, fabulis æque indulget ac Gemara, ut aquam cribro hauriat, qui veritatem, aut mentem veterum eruere ex illo satagit. Liber *Sohar* Kabbalisticus est, nec tam Antiquitates pandit, quam abstrusam veterum, multisque ænigmatibus implicatam Theologiam: præterea, tanta laborat cum sermonis, tum sensuum obscuritate, parum certi ut hinc elicere detur, quin eadem impugnari facilitate possit, qua adstruitur. De ceteris, ante destructum Templum secundum monimentis Judaicis, quæ in hunc diem prostant, adhuc sub judice lis est, quam ferant ætatem, & num tuta iis constet fides. Immo quot suppetunt exploratæ antiquitatis testes, in quibus certo acquiescas? Ex quo enim doctores gentis cœci cœcorum evaserunt duces, veritatem ab iis frustra expectes. *Talmudis* denique duæ sunt partes, & dispar auctoritas.

)( )(2 Mischna

Miſchna quæ audit, vergente ſæculo poſt C. N. ſecundo a R. IEHVDA Sancto compoſita, non compilatoris mentem, ſed veterum gentis ſuæ Doctorum placita, ex ſuperſtitibus Schedis collecta, ſervavit & digeſſit, nec tam, quid poſt ædis ſecundæ ruinam ſenſerint Magiſtri, quam quæ majores ipſorum, ſtante adhuc Templo, tradiderunt, exponit. Gemaræ autem fidem tanti non facimus, aliquot ſæculis poſterioris, & variis obtenebratorum hominum diſputationibus turbatæ & confuſæ. Pluribus iſta demonſtrant BVXTORFIVS, WAGENSEILIVS, WOLFIVS, WAEHNERVS, & quotquot hiſtoriam Talmudis ordine, & data opera percenſuerunt. Miſchnæ ergo non omnis vacillat auctoritas, quanquam & ipſa ſibi per omnia non conſtet. Cumprimis huc facit, quam Vir doctus paulo poſt, *p.* 822. §. 10. de libris Midraſchicis adhibuit, diſtinctio *inter ſæculum compilationis*, & *inter ſæculum ſingularum laciniarum*, nec poſterius ex priore eſt æſtimandum. Quantum vero induſtriæ, judicii ac ingenii, ad bene digerenda horum omnium teſtimonia attulerint Chriſtiani, ipſorum loquuntur commentarii, & allatæ a ſingulis rationes, horum ut labores alto ſupercilio contemnere ac poſthabere, nec grati ſit animi, nec ſatis circumſpecti. Demum etiam diſſimulare non licet, hoc pariter doctrinæ genus, æque ac aliarum gentium antiquitates, & ritus priſcos, ſua adhuc laborare imperfectione, labe, & incertitudine, in qua tollenda, abſtergenda, & avertenda iis omnibus pro virili eſt annitendum, qui ſuam in hoc piſtrino induſtriam fatigant. Inter quos ſi quid adjumenti attulero hac opella, ſi vel ſtudioſorum rei ſacræ, vel verbi divini præconum conatus promovero, ſi denique, ad quod, tanquam ad metam, contendo, Scripturæ interpretationi aliquod ſubminiſtravero ſubſidium, voti damnas, hecatombas Deo O. M. perſolvam, demiſſiſſimis ipſum precibus implorans, ut imbecillitati meæ, ubi impegi, & a veritatis tramite imprudens deflexi, veniam propitius indulgeat, quæ autem appoſite & recte ſunt prolata, ad Nominis ſui gloriam vertat ſempiternam.

ΜΟΝΩι ΣΟΦΩι ΘΕΩι, ΔΙΑ ΙΗΣΟΥ ΧΡΙΣΤΟΥ, Η ΔΟΞΑ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΑΙΩΝΑΣ· ΑΜΗΝ.

* * *

INDEX



INDEX
LIBRORVM ET CAPITVM

LIBER I.
DE PERSONIS.

LIBER II.

DE LOCIS.

LIBER III.

DE DIEBVS ET TEMPORIBVS.

LIBER IV.

DE IDOLOLATRIA.

LIBER V.
DE CONSISTORIIS, SEV CONSESSIBVS.

LIBER VI.
DE RITIBVS MIXTIS.





THOMAE GOODWINI

MOSES ET AARON

LIBRI SEX



MOSES ET AARON.

LIBER I.

DE PERSONIS.

CAPUT I.

DE FORMA REIPUBLICAE IUDAICAE, USQUE AD ADVENTUM CHRISTI, ET QUANDO SCEPTRUM DE EA SUBLATUM SIT.



Forma Regiminis mutationibus inter omnes populos obnoxia fuit; præprimis autem Judaica, quæ diversissimas facies induit: quarum sequentes nobiliores fuere. Primo *Patresfamilias* (1) cum *Primogenitis* omnem regiminis speciem administrabant, & tanquam ædium suarum Reges & Sacerdotes tum *Sacram* tum *Civilem rem* obibant: Ipsi, clavum domestici imperii tenentes, benedicere, maledicere, domo & hæreditate eliminare, immo capite plectere poterant: ut liquet ab exemplis *Noachi* adversus *Chamum*, *Gen. IX*, 25. *Abrahæ* adversus *Hagaram* & *Ismaëlem*, *Gen. XXI*, 14. *Jacobi* adversus *Simeonem* & *Levi*, *Gen. XLIX*, 5. *Judæ* adversus *Thamaram*. *Gen. XXXVIII*, 24. Tempore *Mosis* (2) hoc primogenituræ jus penitus elisum est.

II. Quemadmodum autem *Aaron* ipsiusque posteri jure & titulo sacerdotali gaudebant, ita *Moses*, & ab ejus morte *Josua*,

totum populum ſpecie quadam monarchici ſtatus flexit: ille enim (3) *Rex in Jeſchurun* audiebat. *Deut. XXXIII, 5.*

III. Secuti Joſuam *Judices* (4), ſtatim ab electione, abſoluta & fere independenti poteſtate fruebantur, haud abſimiles Regibus. Longiſſima autem interregna & intervalla, quæ plerumque interceſſere inter denatum ſubſtitutumque Judicem, rem Judæorum graviſſime affligebant, uſque dum periculum in mora armorumque metus ipſis Judicem extorqueret, licet ſtrepitu metuque ſopito ad privatam rurſus vitæ conditionem deſcenſurum. Gideon enim excuſſo Midianitarum jugo, & reſtituto priſtinæ libertati populo, cum ipſi ſumma rerum ſceptrumque deferretur; *non ego,* ait, *neque filius meus, dominabimur vobis. Jud. VIII,* 23. Extraordinarium erat, quod *Samuel Iſraëlem judicavit omnibus diebus vitæ ſuæ.* 1 *Sam. VII, 15.* ZEPPER. *lib.* 3. *leg. Moſ. cap.* 6. Hoc reſpectu horum Judicum dignitas non abluſit ab autoritate *Dictatorum Romanorum.*

IV. Hæc moderaminis facies juxta computationem AVGVSTINI *de Civ. D. lib. 18. cap. 22.* poſt trecentos & viginti novem annos demum, inter Judæos collapſa eſt (5). Ubi res alicujus momenti ſub interregnis eveniebant, deferrebantur ad magnum conſeſſum LXX virorum (6), h. e. *Synedrium,* cujus intuitu Regiminis forma videbatur *Ariſtocratica* eſſe.

V. Judices inſecuti *Reges* (7), rerumque potiti Judæis jura dixerunt a *Saule* uſque ad captivitatem Babylonicam annis circiter quingentis & viginti. ZEPPER. *leg. Moſ. lib.* 3. *cap.* 6.

VI. A captivitate Babylonica uſque ad ἐπιδημίαν, *adventum* Chriſti (qui apparuiſſe putatur anno quingenteſimo trigeſimo ſexto: vid. *Chronol.* FVNCII) Reſpublica Judæorum multiformi mutationi ſubiacuit. Interdum enim parebant *Legatis* & *Præſidibus,* qui non abſoluto jure utebantur, ſed a ſubmiſſis Perſarum Regum decretis, mandatisque dependebant; hos appellabant רָאשֵׁי גָּלוּת αἰχμαλωτάρχας (8), *Principes ſeu capita deportationis.* MAIM. *in Jad. lib. vit. tract. Sanhed. cap.* 4. *§.* 13. (9). Talis erat Zorobabel & ipſius Succeſſores, quos *Chronicon* Judæorum, *Seder olam minus,* dicit fuiſſe *Meſullamum, Hananiam, Berechiam & Heſadiam.* Hi omnes creduntur rem Judaicam adminiſtraſſe ſub Monarchia Perſica, & deſcendiſſe ex ſtirpe Davidis, uti & cæteri ſuccedentes decem Gubernatores poſt Alexandrum Magnum. In quorum decem ultimo ſubſidit gloria domus Davidicæ, ſceptro translato in gentem Maccabæorum, qui ortum debebant tribui Levi.

VII. *Maccabæi* (10) vocitabantur *de Juda Maccabæo,* qui condecoravit vexillum ſuum his literis initialibus, M. C. B. A. I. quas decerpſerat ex מִי - כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהֹוָה, *Quis ſicut tu inter Deos, ſive fortisſimos, Jehovah? Chron.* CARION. *lib.* 2. *p.* 144.

VIII. Hæc Maccabæorum plena & abſoluta poteſtas viguit, uſque dum Herodis Aſcalonitæ (11) regnum ingrueret, ſub quo Salvator noſter σὰρξ ἐγένετο, *incarnatus eſt,* juxta vaticinium Jacobi *Gen. XLIX,* 10 (12.) *No*

(12). *Non recedet Sceptrum a Juda, & Legislator, qui est ex eo, quod est inter pedes ejus, usque dum veniat Silo,* h. e. *Messias: Targum Uziel;* eadem pene verba recitat *Targum Hierosol.*

IX. Ad enucleandum huius vaticinii sensum duo observanda veniunt, I. Tempus, quo Sceptrum Judæ concessum: & II. Tempus, quo rursus ereptum est.

X. Prius autem expendenda est differentia, qua exponunt duo ista vocabula *Juda* & *Sceptrum.* A. Quidam capiunt vocem *Juda* pro *tribu sola* Judæ, ut ORIGEN. *Hom.* 17. *in Gen.* EPIPH. *contra Ebionæos,* & maxima Hebræorum pars. Verum S. Script. contrarium dicit, docendo, alias tribus quoque multos judices suffecisse Reip. & ipsos Maccabæos ex tribu Levi oriundos ad gubernacula sedisse. B. Alii nomen Judæ hic volunt esse, *duas illas tribus,* quæ partibus Rehabeami studuerunt, quæque post defectionem cæterarum tribuum simul nomine Judæorum venere, quod factum non sit prius, quam decem tribus desciverint. CVNAEVS *de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 81. C. Alii sumunt hic Judam pro *toto corpore Israëlis, vel duodecim tribubus,* quas omnes deinde singularis Dei providentia nomine isto Judæorum, de Juda accepto, insigniverit, quod asserunt EVSEB. *demonst. Evang. lib.* 8. *cap.* 1. MONTACVT. *in Analect. p.* 72. CASAVBONVS *contra Baron. p.* 10.

XI. Quod ad vocabulum, *Sceptrum;* A. Quidam id interpretantur pro *Summa rerum & suprema Potestate,* qua primario unus fungebatur. Huic sententiæ manus dant Patrum plerique. B. Alii tuentur, istud vocabulum, Sceptrum, positum esse pro *forma Regiminis & Reipublicæ,* αὐτονομίᾳ propriisque legibus ac ritibus suffultæ; eoque nomine tam depressiorum Magistratuum & Sacerdotum, quam Principum Regumque autoritatem denotari. CASAVB. *adv. Baron. p.* 19. 23. IVST. MART. *in dial. cum Tryph.* CVNAEVS *de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 9. *p.* 82.

XII. Ex his diversis vocum expositionibus gignuntur variæ & diversæ ἑρμηνεῖαι, *interpretationes* prophetiæ Jacobi. Quidam enim putant, *Sceptrum* secundo significatu sumptum, concreditum esse *Judæ,* h. e. duabus tribubus, quæ favebant partibus Rehabeami in defectione populi; & hoc Sceptrum ipsius Judæ manui extortum non esse, usque ad desolationem Hierosolymorum, quoniam ab ipso Herodis tempore ad istam destructionem, Judæorum Leges, Sacerdotium, & Respublica etsi concussa fuerint, non tamen penitus corruerint. CVNAEVS *de Rep. Hebr. lib.* 1. *cap.* 11. *p.* 96.

XIII. Aliorum sententia defendit, *Sceptrum* secundo sensu captum, *Judæ,* h. e. duodecim *tribubus* insinuatum esse tempore Mosis, illudque ipsis ablatum non esse, usque ad dirutionem Hierosolymæ, neque regnum Judæ defecisse in ipso Herode, utpote Judæo ascititio seu Proselyto: aiunt enim *Judæum* esse nomen *religionis,* non *nationis.* SCALIG. & ex eo CASAVB. *adv. Baron. p.* 19. & 39.

XIV. Alii opinantur *Sceptrum* secundo sensu intellectum, *Judæ* porrectum fuisse, h. e. duodecim *tribubus* tempore Mosis,

ſed ab Herode ablatum, ſic tamen, ut eo imperium exercente, Judæ gloria langueſcere modo cœperit, ſolo vero æquatis Hieroſolymis penitus marcuerit. MONTACUT. *in Anal. p.* 74.

XV. Alii ſuſtinent, *ſceptro*, ſi prima ſumatur ſignificatione, *Judam*, *h. e.* duodecim *tribus*, potitas fuiſſe Moſis tempore, ſed iſtud rurſus ipſarum manibus excuſſum, ſæviente Herodis Imperio. AUGUST. *contr. Manich. lib.* 12. *cap.* 47. EUSEB. *demonſt. lib.* 8. *Chron.* CAR. *p.* 143. Priores ſententiæ tuentur Meſſiam anticipaſſe ſuo adventu ſceptri ablationem; poſteriores ſceptri ablationem conſtituunt ſignum & prodromum παρȣσίας Meſſiæ.

XVI. Quod ipſum eſſe puto, quod a prophetia iſta intenditur. Nam hæc opinio, quo latior patet, eo certioribus etiam firmioribusque talis ſtare poſſe videtur. Tum enim defecerat Sceptrum ad Proſelytum ſcil. Herodem, quod antea factum non erat; & tum etiam *ipſe Legislator diſceſſerat e medio pedum ejus*, quando Chriſtus ἐφανερώθη ἐν σαρκί, *apparuit in carne*. GALATIN. *lib.* 4. *cap.* 6. *p.* 203. *ex Talmud. Hieroſ.* (13).

CAPUT II.

DE PUBLICANIS.

Poſtquam delibavimus notatu digniſſimas Hebrææ Reip. mutationes, accingemus nos ad deſcriptionem *Perſonarum*, quæ partes iſtius Reip. conſtituerunt; & primo quidem *Publicanorum*, qui ultimis diebus erant membra heterogenea iſtius Reipublicæ. Judææ itaque in Provinciam Romanam redactæ, adeoque cenſibus tributisque preſſæ, (quod Judæi ipſimet flagitarant a Pompejo ſexaginta annis ante φανέρωσιν, *apparitionem* Jeſu Chriſti, teſte IOSEPHO *lib.* I. *de B J. cap.* 5. *pag.* 720.) (1) certi *Præſides* (2) aſſignati erant a Pop. Rom. quibus adjuncti *Quæſtores* (3), tam in Judæa quam cæteris provinciis, colligendi tributi, quantum iis imperatum fuit, geſſere curam. Illi autem, quorum fuit colligere pecuniam Publicam (4), *Publicani* vocabantur, populis tributariis plerumque ob rigidas exactiones exoſi.

II. Hi ergo Publicani in cunctis provinciis in ſuas *Societates* fuerunt diſtributi, quibus rurſus Magiſtri præerant; quo ſenſu Zachæus dicitur fuiſſe (5) ἀρχιτελώνης, *Princeps Publicanorum Luc. XIX*, 2. Harum Societatum (6) frequens mentio injecta apud CICER. *in Orat. pro Sex. Roſcio*, *Murena*, *Cn. Plancio*, &c. *Quæſtores Provinciales* parebant inſuper ſummo cuidam *Præfecto*, qui Romæ agebat, & cui de tributis rationem dare tenebantur. SIGON. *de jure civium Rom. lib.* 2. *cap.* 4.

III. Publicanos iſtos omnes Provinciæ ſummo odio deteſtabantur (7) ob violentas ac iniquas extorſiones, quibus iſti portitores ſtipendiarios Rom. Imperii coërcebant. Præſertim autem eos gens Judæorum vehementiſſime faſtidivit: etſi enim Galilæi acriter urgerent, Judæi tamen tributa in ſua

sua ditione pendi haud concedere voluerunt. Huius odii luculentus testis est Regula illius Rabbi, quem citat CASAVB. *Exerc.* 3, 37. quæ sic habet: *ne ducite in matrimonium quamdam ex domo Publicani, omnes enim ejus domestici Publicani sunt.* Eos sane sæpe provincias injustis tributis onerasse inde claret, quod *Sabino* ob bene gestum istud munus ad immortalem nominis memoriam imago posita sit, sub hoc titulo: ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ, *bene functo Publicani munere.* SVETON. *in Flav. Vesp. cap.* 1. Propterea mirum non est, *publicanos* & *peccatores* (8) in Evangelio jungi.

IV. Hodie ab omnibus, tanquam invicta veritas receptum est, ista munia non solos Gentiles, sed & ipsos Judæos obiisse (9), etsi TERTVLLIANVS in contrarium abiret, *de pudic. cap.* 9. Verum postmodum HIERONYMVS *ep. ad Damascum* illius opinionem prorsus confecit. Et ratio ipsa dictat, Judæis istud munus non penitus displicuisse. Nam 1. Matthæus ipse fuit τελώνης, Apostolico post munere insignis; nec credi potest, ipsum e Paganismo ad istud munus vocatum. 2. Zachæi nomen purum putum Hebraicum est, nec ullo modo Latium sapit. 3. Nervus argumentorum, quo *Tertullianus* nititur, fumus est; nam fraudi fuit acutissimo *Pœno* Hebraicæ linguæ ignoratio; nusquam enim in fonte occurrit spurius ille textus, cui *Tertullianus* potissimum fidit; *non erit vectigal pendens, ex filiis Israël. Deut. XXIV,* 7.

CAPVT III.

DE PROSELYTIS, SEV IVDAEIS ADVENTITIIS.

Totam Israëlis Rempublicam constituebant duum generum homines, *Hebræi* & *Proselyti* (1), h. e. qui religionem Judaicam amplectebantur. Is, qui vel patre Hebræo, vel matre Hebræa prognatus erat, *Hebræus* fuit; ast, qui utrisque Hebræis parentibus obediebat, *Hebræus* audiebat *ex Hebræis.* Talis erat Paulus *Phil. III,* 5. Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων. Is, qui ortus fuit vel patre proselyto, vel matre proselyta (2), vocabatur בֶּן גֵּר *ben ger, filius proselyti,* vel בֶּן גֵּרָה *bengerah, filius proselytæ,* qui autem editus erat utroque parente proselyto, appellatur בַּגְבַּג *bagbag. Pirk. Aboth cap.* 5.

II. Hebræi quoque specie differebant, quidam Palæstinam incolentes Hebraico utebantur textu, & hos vocabant *Hebræos*, seu Judæos; alii dispersi per Græcorum ditiones versionem Græcam tractabant, unde traxerunt nomen (3) Ἑλληνιστῶν, *Græcissantium.* SCALIG. *Animad. Euseb.* 124. 1. *& in Can. Isag.* 278. Utrosque memorat LVCAS *Act. VI,* 1. *ortum est murmur* τῶν Ἑλληνιστῶν *adversus Hebræos;* ubi nota διαστολὴν differentiam inter Ἕλληνας & Ἑλληνιστὰς, *Græcos* & *Græcissantes. Græci* sive Ἕλληνες Apostolo sunt illi, qui opponuntur *Hebræis* late sumptis, sive capias eos pro dispersis inter Græcos, sive pro Palæstinæ incolis. Ἑλληνισταὶ sive *Græcissantes* & natu & cultu *Hebræi* erant, in oppositione Hebræorum stricte sumptorum,

rum, h. e. eorum, qui Palæſtinam colebant.

III. Totum Iſraëlis corpus (4) in XII tribus erat diſtributum, & certi genealogiarum catalogi (5) unius cujuſque familiam tribumque docebant. Has genealogias flamma delevit Herodes (6), ut ab inſequentibus ævis Iſraëlitarum gente ſatus videretur, ſublatis his publicis genealogiis. Hoc de ipſo teſtatur EVSEBIVS *Eccl. Hiſt. lib.* I. *c.* 8. Mea eſt ſententia, ipſum hoc ob alium quoque finem feciſſe, ne ſcil. diſtinctio familiarum tribuumque appareret, ſed velut confuſum chaos genealogiarum, domum Davidis, cui jure competebat raptum ab ipſo Sceptrum, obnubilaret, adeoque ipſe cum poſteris tanto tutius regium faſtigium occuparet.

IV. *Proſelyti* ſive Judæi adventitii erant (7) pagani, qui abdicato Paganiſmo ſe in gremium Judaicæ Eccleſiæ recipiebant. Proſelyti (8) vocabantur ἀπὸ τοῦ προσεληλυθέναι, ab *adventando*, & ad Judæos ſe conferendo. Quod ad hos Proſelytos, tria hæc ponderabimus: 1. Peculiares proſelytorum ſpecies; 2. Modum eos initiandi. 3. Quo pretio inter Judæos habiti fuerint.

V. I. Species Proſelytorum duæ erant (9), גֵּר בְּרִית a) *ger berith*, *proſelytus fœderis*, qui præputio abſciſſo ſe totum pædagogiæ Moſis ſubdebat. Talem Rabbini nomine גֵּר צֶדֶק *ger tſedek*, *proſelytus juſtitiæ*, honeſtabant. *Rabbi Salomon Deut. XXIII*, 14. b) Erat & גֵּר שַׁעַר *ger ſchagnar*, *proſelytus portæ* (10.) *Deuteron. XIV*, 21. de quo & legimus in decalogo. Ipſi licebat ſedem figere inter Iſraëlitas, ob quam cauſam etiam תּוֹשָׁב *toſchab*, *incola* dicebatur. Hic non circumcidebatur, nec ritus & δόγματα Moſis verebatur, adſtrictus tantum obſervandis ſeptem *Noachidarum* præceptis, quæ Hebræorum Magiſtri hæc eſſe produnt. A. Pœnas & judicia de maleficis. B. Benedictionem nominis Divini, ſub qua comprehendebatur obſervatio Sabbathi. C. Deteſtationem omnis idololatriæ. D. Nuditatis obtectionem. E. Homicidii & F. membri vivi abſtinentiam. SCHINDLER. *in Pent. pag.* 1530. Ex his (11) præceptorum iſtorum cultoribus erat *Naaman Syrus*, *Eunuchus*, *Cornelius*, & illi, qui memorantur *Act. II*, 5. *habitabant Hieroſolymæ Judæi*, ἄνδρες εὐλαβεῖς, *viri pii ex omni gente ſub cœlo.*

VI. II. Ad *Proſelytum fœderis* initiandum (12), differunt ritus initiationis, reſpectu *tum generis tum temporis*. Ad *virum* initiandum, Proſelytum fœderis, tria requirebantur. MOSES KOTS. *fol.* 20. *col.* 2. A. *Circumciſio*. B. *Ablutio*. C. *Sanguis victimæ*. Hebr. בְּמִילָה וּבִטְבִילָה וּבְהוֹצָאַת דָּמִים שֶׁל קָרְבָּן *bemilah*, *ubithbilah*, *ubebozaath damim ſchel korban*. Hæc oblatio conſtabat plerumque duobus turturibus, vel domeſticis columbis. Ad initiationem *Proſelytæ*, ſolam *ablutionem & oblationem* adhibebant. DRVSIVS *de trib. Sect.* 2. *p.* 102. Et quum Judæi nunc altari & victimis careant, dicunt ſufficere, uti vir ſola ablutione & circumciſione, fœmina ſola ablutione initientur. MOSES AEGYPTIVS *in Aſſure biah*, *Pereh.* 13. *fol.* 137. vide SERAR. *Tribær. lib.* 2. *cap.* 2. Addunt tempore Davidis multis millibus proſelytorum Eccleſiam, citra circumciſionem, ſolo

ſolo ablutionis ritu uſurpato, auctam fuiſſe.

VII. Hinc facile poſſumus colligere, ritum iſtum ablutionis (13) diu multumque inter Judæos ad initiationem præſtandam viguiſſe, licet ſacramentalis non fuerit, uſque dum Chriſtus illum ritum in ſacramentum converteret. Immo non hallucinaremur, ſi diceremus, ob id in uſu fuiſſe ritum iſtum abluendi vel immergendi, quoniam exſpectabant tale quippiam in adventu Meſſiæ. Ut patet exinde, quod Johannem convenientes, non tam de ipſius Baptiſmo, quam autoritate litem moveant, dicentes; *quid igitur baptizas, ſi tu non es Chriſtus, neque Elias, neque ille propheta? Joh. I,* 25.

VIII. III. Pretium & honor (14), quo culti ſunt proſelyti a Judæis, amori junctus fuit; non exprobrabant ipſis quidpiam, nec dicebant, *memento præteritorum factorum.* P. FAG. *Exod. XXII,* 21. Nihilominus conſtitutum fuit, ne quis Proſelytorum in conſeſſum Sanhedrin admitteretur, MOSES AEGYPT. *lib. vit. Jad. tract. Sanh. c.* 2. immo in communi (15) vitæ commercio crepabant frequenter hoc proverbium, quod ipſis prudentiam & cautionem inculcabat, *vel ad decimam uſque generationem a proſelytis cave.* CASAVB. *adv. Baron. p.* 27.

CAPVT IV.

DE IPSORVM REGIBVS.

De triplici Regum ſpecie (1) legitur in N. Teſt. *Melchizedek* erat & *Rex* & *Sacerdos.* David & *Rex* & *Propheta.* Cæteri ſolummodo Reges. Melchizedek & Regio & Sacerdotali, David Regio & Prophetico munere clarus erat. Conjunctio, συζυγία ſacri ordinis & faſtigii civilis (2), docebat, Antiſtites Rerumpublicarum oportere eſſe Curatores Religionis. Quo reſpectu Rex *Joas* unctus, cum diademate *Teſtimonium* accepit, ſive *librum legis.* 2. *Reg. XI,* 12. Inter ipſos Gentiles ſæpe idem homo & Sacerdotio & Sceptro gaudebat. Hinc canit VIRG. *Aeneid. lib.* 3.

Rex Anius, Rex idem hominum, Phœbique Sacerdos.

Triſmegiſtus, Τρισμέγιστος, *Ter maximus* dictus eſt, quoniam fuit *Philoſophus Maximus, Sacerdos Maximus,* & *Rex Maximus.* ALEX. NEAPOL. *lib.* 2. *cap.* 6.

II. Non omnes Reges uncti ſunt (3), ſed ii ſoli, in quibus defecit ſtirpis legitima ſucceſsio, & tum primus lineæ illius Regiæ pro omnibus poſteris oleo unctus eſt, niſi lite orta cuidam ſceptrum diſputatum fuerit; tum enim ad firmandam ſtabiliendamque autoritatem, unctio iterabatur. Hæc ratio fuit, cur Salomon æque unctus fuerit ac pater David, ob ſimultatem ſcil. inter ipſum & Adoniam accenſam.

III. Præterea Saul & Jehu uncti fuere בְּפַךְ הַשֶּׁמֶן *lenticula* (4) *ſive vaſe unguentario,* quod portendebat brevitatem ipſorum imperii; David autem & Salomon perfuſi

fuere

fuere בְּקֶרֶן *cornu unguentario*, h. e. abundanti copia, quod præsagium erat regni ipsorum longius duraturi.

IV. Quemadmodum (5) corona, (6) sceptrum, (7) thronus, &c. aliaque Regalia προτερήματα & prærogativæ Reges a vulgo discriminabant, ita & (8) habitus corporis; unde Achab in prælium descendens vestimenta sua mutat 1 *Reg. XXII*, 30. Etsi vero purpura albæque vestes non solis Regibus usurparentur: VALER. MAX. *lib.* 1. *cap.* 6. attamen hi colores in summo pretio, & ab ipsis plerumque gestati erant; purpuram præsertim amabant Imperatores Equitesque Romani; ALEX. AB ALEX. *lib.* 1. *cap.* 20. Albas vero vestes sibi deligebant Nobiles Hebræorum, unde ipsi, & cæteri præclaro stemmate insignes, vocabantur חוֹרִים *Chorim* (9), *Albates*; Illos autem, qui obscuro loco editi erant, חֲשֻׁכִּים *Chaschuchim*; obfuscatos, obscuros dicebant. Hinc natum illud *Jacobi cap. II. vs.* 2. *Si intret in cœtum vestrum vir cum annulo aureo, in veste splendida*, ἐν ἐσθῆτι λαμπρᾷ, *intret vero etiam pauper* ἐν ἐσθῆτι ῥυπαρᾷ, *in veste sordida.*

V. Hæc forsan ratio fuit, cur milites, Judæis Christum seditionis arguentibus coram Pilato, ipsi purpuram injecerint (10) *Matth. XXVII*, 28. *Herodes autem* ὁ τετραρχῶν τῆς Γαλιλαίας ipsum alba veste texerit *Luc. XXIII*, 11. quo facto suum jus & morem non sine amara illusione in Christum transtulerunt, quando Christum Regio cultu amiciverunt.

CAPVT V.

DE PONTIFICIBVS SVMMIS, SACERDOTIBVS, LEVITIS, ET NETHINAEIS.

Templi cura tribus (1) ordinibus ministrorum demandata fuit; *Sacerdotibus*, *Levitis*, & *Nethinæis*; qui comparari possunt *Episcopis*, *Diaconis*, & *Subdiaconis* Ecclesiæ primitivæ. Horum caput erat *summus Pontifex* sive *summus Sacerdos*. In Aaronis posteritate perstitit Sacerdotium; ejus prosapiæ autem primogenito (2) cedebat *Pontificatus*, cum cæteri posteri ἁπλῶς, simpliciter *Sacerdotes*, h. e. *Sacerdotes secundi ordinis*, dicerentur. 2 *Reg. XXIII*, 4. Sic præter Aaronem ipsiusque lumbis natos (quibus Sacerdotium datum erat) omnis reliqua Levi posteritas *Levitæ* vocabantur.

II. Et in *Summis* & in *Secundis Sacerdotibus* duo occurrunt observatu digna; 1. ipsorum *initiatio.* 2. ipsorum *functio.* In his duabus partibus differunt quadantenus, & conveniunt quadantenus.

III. Differunt (3) in initiatione; nam 1. *Summus Sacerdos* ungebatur; materia hujus χρίσματος describitur *Exod. XXX*, 23. Effundebatur in caput Aaronis *Lev. VIII*, 12. descendebat in barbam & vestimenta ejus. *Ps. CXXXIII*, 2. *Secundani Sacerdotes* tantum adspergebantur *oleo* isto *unctionis* admixto sanguine, qui erat super altari. *Levit. VIII*, 30. Hinc *Sacerdos Summus* in fonte

fonte legitur *Sacerdos unctus. Levit. IV*, 5. IONATHAN habet; *Sacerdos magnus*, vel *Summus*. Diserte ABEN ESRA; *Sacerdos magnus ipse est Sacerdos unctus*. LYRANVS adhuc clarius; *Sacerdos unctus est Sacerdos magnus, quia inferiores Sacerdotes non ungebantur*.

IV. Per hoc denotata (4) fuit unctio nostri Salvatoris, *uncti oleo alacritatis supra consortes suos. Ps. XLV*, 8. Vnctus fuit supra consortes suos *extensive* & *intensive*. *Extensive*; nam etsi Aaron fuerit *Sacerdos* unctus, Saul *Rex* unctus, Elisa *Propheta* unctus, Melchizedek & *Rex* & *Sacerdos*, Moses *Sacerdos* (5 *a*) & *Propheta*, David *Rex* & *Propheta*: nemo tamen nisi solus *Christus*, χριστὸς, מָשִׁיחַ, simul & *Rex*, & *Sacerdos*, & *Propheta* fuit. *Intensive*; Ipse est *unctus*, nos *adspersi*; ipse *plenus gratia & veritate*, nos *ex ipsius plenitudine accipimus gratiam pro gratia*, χάριν ἀντὶ χάριτος. *Joh. I*, 14. 16. Et omnes Christiani, præprimis *ministri*, sunt Χριστȣ̃ εὐωδία τῷ Θεῷ, *fragrantia Christi Deo*. 2. *Cor. II*, 15.

V. II. Differunt (5 *b*) quoad *vestes*, quæ erant necessarium adjunctum & requisitum initiationis ipsorum. Summus Sacerdos tempore ordinariæ functionis in Sanctuario VIII vestibus ornatus erat. *Exod. XXVIII.* quæ erant I. *Femoralia* (6) *linea ad tegendam carnem nuditatis*. II. *Toga ocellata* (7), sive tessellata, ex bysso, sive xylino, quæ obtegebat femoralia linea. III. *Baltheus acu pictus* (8) opere Phrygionico, ex bysso, hyacinthino, purpureo, & coccineo dibapho, quo tunica stringebatur. IV. *Tunica tota hyacinthina* (9), ex cujus fimbriis dependebant LXXII aurea tintinnabula, internexis malogranatis hyacinthinis, purpureis & coccineis. Hæc toga opperiebat tunicam ocellatam & baltheum acu pictum. V. *Ephod* אֵפוֹד *amiculum* (10) ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & xylino seu bysso internexo, opere artificiosissimo. In hujus Ephod humeralibus erant duo *sardonyches*, in quorum unoquoque insculpta erant sex nomina tribuum Israël. Hoc amiculo seu אֵפוֹד tegebatur ἀμέσως tunica מְעִיל. Istud amiculum ambibat etiam *cingulum* ejusdem operis, ex auro scil. hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & bysso intertexto. VI. *Pectorale Judicii* (11), operis artificiosissimi, ex auro, hyacinthino, purpureo, coccineo dibapho, & xylino intexto; quod spithamam longitudine & spithamam latitudine extensum, & catenulis annulisque aureis, extremitatibus amiculi connexum erat. Huic inserti fuerunt duodecim pretiosi lapilli quaternis ordinibus, quibus lapillis insculpta erant nomina duodecim tribuum. Insuper in hoc pectorali (12) posita erant *Urim & Thummim*. VII. *Cidaris ex bysso* (13) sedecim cubitorum, ipsius caput circumiit. VIII. *Bractea aurea*, sive *corona Sanctitatis* (14), duos digitos lata, cui insculptum erat: *Sanctum* Domino קֹדֶשׁ לַיהוָה, quæ ipsius cidaris parti anteriori affixa erat vitta hyacinthina.

VI. His octo vestimentis usus est Summus Sacerdos in functione sua, vocanturque Rabbinis בִּגְדֵי זָהָב *vestimenta aurea*, ob pretiositatem ipsorum, respectu vestium illarum, quas induit anno semel, nempe quando intravit *die expiationis* Sanctum

Sanctorum. *Levit. XVI*, 4. 23. Has vero posteriores vestes nominabant בִּגְדֵי לָבָן *vestimenta alba* (15); quæ quatuor numero sunt: 1. *Femoralia linea.* 2. *Tunica linea.* 3. *Baltheus lineus.* 4. *Cidaris linea.*

VII. Tempore secundi templi, quum illud χρίσμα & sacrum oleum defecerat, non, sicut antea, dictus est Sacerdos Summus מְרֻבֵּה מִשְׁחָה *Auctus unctione*, sed tantum ratione vestium servatarum, מְרֻבֵּה בְּגָדִים *Auctus vestibus.* CVNAEVS *de Rep. Hebr. l.* 2. *cap.* 7. *p.* 222.

VIII. Has 4 posteriores vestes Sacerdoti Summo in publico urbis gestare minime licebat (16), nisi necessitatis telum ipsum eo adigeret; uti fecit Simeon justus, qui obviam processit Alexandro Magno in tali cultu. MOSES KOTS. *præcept. affirm.* 173. *fol.* 212. *col.* 3.

IX. Hoc στολισμῷ, *vestitu*, adumbratur (17) *triplex Christi munus.* Corona sive bractea aurea *Regium*; τοῖς Urim & Thummim, ut & aureis nolis, ac malogranatis *Propheticum;* per Urim enim atque Thummim quasi oracula edebat; per tintinnabula denotabatur sonus doctrinæ Christi; per malogranata, εὐωδία *fragrantia* Sanctitatis ejus. *Sacerdotale* munus exhibitum fuit duodecim nominibus tribuum Israelis, amiculo sive τῷ Ephod & pectorali insculptis, qua re præfiguratus fuit Christus, Deo sistens partam Ecclesiam, proque suis ovibus intercedens, quas κατ' ὄνομα novit, *Job. X*, 3.

X. Sacerdotes Secundani tantum 4 sacris vestibus amiciebantur in functione sua; 1. *Femoralibus lineis*, 2. *Tunica linea*, 3. *Baltheo lineo*, & 4. *Tiara linea. Exod. XXVIII*, 40. 42. &c.

XI. III. Differunt etiam quoad *matrimonia* & conjugia (18). Non integrum erat *Sacerdoti Summo* sibi copulare vel *viduam*, vel *dimissam*, vel *corruptam*, sed *virginem intactam*, *Levit. XXI*, 14. Ex vidua non poterat frui *primo amore;* ex dimissa, nec *primo*, nec *sincero;* ex prostibulo, nec *primo*, nec *sincero*, nec *ullo;* quos tamen amores Christus, Summi Sacerdotis ἀντίτυπος, ab Ecclesia sua requirit, exigit, expectat. Reliquis Sacerdotibus lex viduas indulget. *Levit. XXI*, 7.

XII. Conveniunt in sua INITIATIONE *Sacerdotes Summi atque Secundani*, quoad hos ritus. 1. Requirebatur, ut utrique *sine vitio corporis* (19) essent. *Levit. XXI*, 17. 2. Vt *sisterentur utrique Deo* (20) ad portam tentorii conventus. *Exod. XXIX*, 4. 3. Vtrique aqua mundari debebant (21). *Exod. XXIX*, 4. 4. Consecrabantur utrique ad offerenda Sacrificia. *Exod. XXIX*, 1. 5. Vtrorumque *auricula & pollex dexter* pedis ac manus alterius arietis sanguine tingebantur. *Exod. XXIX*, 20.

XIII. Tempore initiationis, Sacerdotis manus certis partibus rerum offerendarum implebantur (22). *Exod. XXIX*, 9. Ad hunc ritum collimat ceremonia, quæ obtinet in Ecclesia Christiana, ubi Episcopus ordinando Ministro Biblia tradit. Vtrumque significare potest, nefas esse quempiam sibimet sumere τὴν τιμὴν *hunc honorem*, *nisi vocatus sit a Deo ut Aaron. Hebr.* V, 4.

Hinc

Hinc initiatio juxta genium Hebrææ linguæ vocatur *Impletio manus.* Huic ordini contrariabantur Sacerdotes Jerobeami, qui pro lubitu *ſuas impleverant manus,* 1. *Reg. XIII,* 33. h. e. ſacerdotium invaſerant.

XIV. In OBITIONE MVNERIS *Sacerdos Summus differt* a reliquis Sacerdotibus: I. Dum quotannis ſemel Sanctum Sanctorum intrabat, *Levit. XVI,* 34. II. Dedecebat Sacerdotem Summum ob mortem cognati aut conſanguinei ſe ad mœrorem abjicere, *Levit. XXI,* 10. 11. vel triſtitiam ſuam (23) teſtari 1. *Denudatione capitis.* 2. *Sciſſione veſtium,* de quibus luctus notis quidpiam dicendum erit Cap. *de Sepultura.* Attamen non abs re erit annotare, quod Talmudicorum ſententia ſit, licuiſſe Summo Sacerdoti diſcindere extremam veſtis ſuæ oram, ſed nefas fuiſſe deſuper a pectore lacerare veſtes, quæ ſententia ſi ſtat, non ſequetur neceſſario, Cajapham contra Scripturam egiſſe lacerando veſtes ſuas. *Matth. XXVI,* 65.

XV. Sacerdotibus Secundanis (24) permiſſum erat lugere hos ſex: Patrem, matrem, filium, filiam, fratrem, ſororemque virginem, *Levit. XXI,* 2. 3.

XVI. Conveniunt vero in functione ſua Sacerdotes Summi cum Secundanis his in rebus: I. Vtrique adolebant in altari ſuffitus & holocauſti, 1. *Chron. VI,* 49. 16. 39. 40. II. Vtrique clangebant tubis (25), quarum duplex uſus erat; vel adhibebantur ad imperandam profectionem caſtrorum, ſive ad ducendum in hoſtes, vel ad convocandum populum eorumque principes, *Num. X.* III. Vtrique mactabant victimas, 2. *Chron. XXIX,* 22. IV. Vtrique erudiebant populum, *Mal. II,* 7. V. Vtrique ſtatuebant de lepra, *Levit. XIII,* 2.

XVII. Ad meliorem ordinem tenendum, erat Sacerdoti Summo ſuus (26) *Suffraganeus* ſive Vicarius, nomine סְגָן vel סְגָן, qui, ſi quid vitii acciderat Summo Pontifici, vicem ejus obibat. ELIAS *Thisb.* Talis ſubſtitutus fuit *Zephania, Jer. LII,* 24. & talis cenſetur fuiſſe Annas (27), Pontificatum obtinente Cajapha. CASAVB. *adv. Baron. pag.* 242. IOS. SCAL. *in Prol. ad Euſeb.* Hoc ſenſu exponunt, quomodo Annas & Cajaphas eodem anno dicantur fuiſſe Ἀρχιερεῖς *Pontifices Summi. Luc. III,* 2. Summus Pontifex ipſiusque Vicarius haud diſcrepant a noſtro *Epiſcopo* ipſiusque *Suffraganeo, Patriarcha* Conſtantinopolitano, ipſiusque *Protoſyncello,* vel a Romanorum *Centurione,* ipſius *Optione,* qui vicem Centurionis urgente neceſſitate gerebat.

XVIII. Et ut æqua functio ordoque inter Sacerdotes Secundanos vigeret, Rex David ipſos omnes in XXIV claſſes & turmas (28), totidemque dierum vices, ſive ἐφημερίας, diſtinxit. Defunctis vita Nadab & Abihu ſuperſtites ſoli fuerunt ex filiis Aaronis *Eleazar* & *Ithamar;* ſicut ergo ſucceſſio Sacerdotum his duabus familiis & ramis propagata fuit, ita David ſuo tempore in utraque familia ratione numeri diſtributiones fecit. Familiam Eleazaris deſcripſit in XVI claſſes, Ithamaris in VIII, ſortibus diſtributione facta. Prodiit ſors prima *Jehojaribo,* ſecunda *Jedajæ,* tertia *Charimo,* &c. 1. *Chron. XXIV.* Quævis

classis singulis septimanis suæ functioni in templo satisfaciebat, suscepto nomine ab iis, qui tum temporis capita familiarum erant, quod nomen deinceps semper gessit. Cujusvis classis sive ordinis caput dicebatur *Summus Sacerdos istius Classis* (29); unde est, quod sacra pagina loquitur de pluribus *ἀρχιερεῦσι*, *Summis Sacerdotibus* una coactis, *Matth. XXVI*, 3. *Marc. XIV*, 1.

XIX. Restat, ut annotemus, quod, quemadmodum hebdomadalis functio sorte fuit definita, ita munus cujusvis Sacerdotis in specie sors describebat; nimirum, cujus jam esset thymiamata adolere, cujus jumenta immolare, cujus lampadas parare &c. Zacharias pater Johannis erat ἐξ ἐφημερίας, *ex vice seu classe Abiæ*, *Luc. I*, 5. h. e. octavo ordine, *καὶ ἔλαχε τοῦ θυμιάσαι*, *sorte adeptus erat munus suffiendi*, vers. 9.

XX. LEVITARUM (30) *munus* fuit, curam habere tabernaculi vasorumque, ea ferre, erigere, componere. Levi erant tres filii, *Gerschon*, *Kahath*, & *Merari*, & juxta hæc tria nomina tres familiæ, Gerschonitarum, Kahathitarum, & Meraritarum. Custodia *Gerschonitarum* versabatur circa operimenta, tegmenta tentorii, & tapetes ocellatos atrii. Custodiæ *Kahathitarum* demandatæ fuerunt res sanctuarii, ut arca, mensa, lychnuchus, altare &c. Custodia *Meraritarum* asservabantur asseres tabernaculi, pessuli, columnæ, stylobatæ, & reliqua instrumenta, *Num. III.*

XXI. Hoc erat officium Levitarum (31) Mosis ævo, & cum in deserto oberrarent; at occupata terra promissionis Rex David ipsorum munus immutavit, concredita quibusdam *γαζοφυλακῇ*, *thesaurorum custodia*. 1. *Chron. XXVI*, 20. quosdam vero constituit *Moderatores*, & *Judices*; quosdam *Janitores*, *Cantantes* quosdam, 1. *Chron. XXIII*, 3. 4. *Musici* inter cantandum amicti erant bysso, h. e. amiculo lineo ornati, 2. *Chron. V*, 12. Hi *cantores* in XXIV classes sive ordines redacti erant, 1. *Chron. XXV.* in totidem classes *Janitores*, 1. *Chron. XXVI.* Ut munia sua hebdomadatim, per sortem indicata, Sacerdotum more obirent. Præterea Mosis tempore Levitæ initiabantur *ætatis anno vigesimo quinto*, Davidis ævo, ætatis *anno vigesimo*, 1. *Chron. XXIII*, 24. *Esr. III*, 8.

XXII. Hic notanda est libertas Ecclesiæ, quæ illi tum temporis in commutandis ceremoniis indulta fuit: munus ipsaque initiatio Levitarum, quæ facta Davidis tempore, discrepat ab institutis Mosis. Sic jacta sors in electione *Matthiæ*, non autem in vocatione vel *Pauli*, vel reliquorum Apostolorum. Sic nunc, quæ olim in primitiva Ecclesia obtinuerunt, obliterata sunt, *ἀσπασμὸς ἐν φιλήματι ἁγίῳ*, *salutatio osculo sancto* in occursionibus usurpata, & *ἀγάπαι*, *convivia amorem testantia* apud Sacram Cœnam.

XXIII. Insuper Levitarum *gradus* non prætermittendi sunt. Scil. I. *Initiatio* ipsorum, ubi nati unum mensem Deo sistebantur, *Num. III*, 15. II. *Consecratio*, ubi suum munus annumque vigesimum quintum ingredientes, consecrabantur *χειροθεσίᾳ*, *manuum impositione*, *Num. VIII*, 24. Ex eo tempore usque ad annum trigesimum,

mum, quinque annis adſueſcebant paulatim obeundo muneri. Qui manus imponebant Levitis, textus ait, fuiſſe *filios Iſraelis*, *Numer. VIII*, 10. CHAZKUNI exponit hunc locum *per primogenitos Iſraelis.* Hi erant *Eccleſia Repræſentativa*, & per alluſionem Eccleſia Chriſti vocatur ἐκκλησία πρωτοτόκων, *Eccleſia primogenitorum.* Tum temporis ſeparabantur Levitæ a Sacerdotibus, hoc eſt, ἀφωρίζοντο, uti legunt LXX. *Num. VIII*, 11. Ἀφοριεῖ Ἀαρὼν, *ſeparabit Aaron*, pro *agitabit*, vel *admovebit*, quod vocabulum adhibetur Miniſtris Jeſu Chriſti, *Act. XIII*, 2. Ἀφορίσατέ μοι, *ſeparate mihi Barnabam & Saulum.* III. *Functio*, ubi tabernaculum huc illuc ferebant ab anno trigeſimo usque ad quinquageſimum, *Num. IV*, 3. IV. Tandem *ſolutio* (32) ipſorum a gravi iſto ferendi tabernaculi onere. Nihilominus tamen tenebantur caſtra metari circa tentorium, cantare, & arcere extraneos a tentorio, ut & erudire juniores Levitas, Epiſcoporum more. FRANC. IUN. *Anal. expoſ. Num. VIII.*

XXIV. Ad hos gradus videtur Apoſtolus alluſiſſe, 1. *Tim. III*, 13. *qui bene miniſtraverint*, *parant ſibi* καλὸν βαθμὸν, *bonum gradum.* Tales gradus in uſu fuerunt inter virgines Veſtales: Triginta annos neceſſe erat eas manere innuptas & caſtas; primis decem annis diſcebant ſuæ profesſionis myſteria, ſequentibus decem ſacra perficiebant, poſtremis decem alias edocebant. DIONYS. HALICARN. *lib.* 2.

XXV. Ab hoc manuum impoſitionis ritu in Levitis manavit ſimilis mos uſitatus Apoſtolis in ordinum conſecratione, *Act. VI*, 6. 1. *Tim. V*, 22. Notate διαςολὴν, *differentiam* (33) χειροθεσίας, *manuum impoſitionis;* χειροτονίας, *manuum elevationis*, in ſignum applauſus vel ſuffragationis, *Act. XIV*, 23. & ἐκτάσεως χειρῶν, *manuum extenſionis.* Priores ritus adhibebantur *ordinationibus* vel *initiationibus* ordinum. Χειροθεσίαν mutuati erant ab Hebræis. Χειροτονία ſignum erat Athenienſium, quibus duo magiſtratus erant: κληρωτοὶ, *ſorte electi*, & χειροτονητοὶ ἄρχαι, *manuum elevatione deſignati magiſtratus.* AESCHIN. *contra Cteſiphont.* Χειρῶν ἔκτασις, *manuum extenſio* vocabatur interdum τῆς χειρὸς νεῦμα, *nutus manus*, ſignum ut multitudo linguis faveret, HERODIAN. *pag.* 45. Ita Paulus ſe excuſavit ἐκτείνας τὴν χεῖρα, *extenſa manu. Act. XXVI*, 1.

XXVI. Alia adhuc fuit ſacrorum Miniſtrorum ſpecies, teſte MOSE KOTS. *fol.* 211. *col.* 4. quos vocabant אַנְשֵׁי מַעֲמָד (34) *viros ſtationis*, ſive *ſtationarios.* Lex volebat offerentem aliquid, ſive illud fuerit oblatio, ſive victima, propria manu offerre Jehovæ, & *adſtare*, quoad oblatio vel victima conſummata fuerit. Verum, quia totus Iſrael *adſtare* non poterat, quum tantam multitudinem loci anguſtia excluderet, propterea, quando immolabatur pro toto populo, certi homines ad id lecti, vicem locumque populi implebant. Diviſi erant, velut Sacerdotes & Levitæ, in XXIV claſſes ſive ordines, ut hebdomadatim miniſterium ſuum in templo exercerent. Iſta vero electio non ſoli tribui Levi alligata fuit, ſed indiſcriminatim ſumptis e populo. Cuivis ordini ſuus præerat *Stationum princeps* רֹאשׁ מַעֲמָד.

XXVII. Officium NETHINAEORUM (35) occupatum fuit circa ligna cædenda, & aquam hauriendam pro domo Dei: non erant Levitæ, nec Iſraelitæ, ſed *Gibeonitæ*, quos Joſua ob ſubdolam captionem, qua Iſraelitarum arma eluſerant, ad hocce munus damnavit, *Joſ. IX*, 23. Poſtmodum dicti ſunt נְתִינִים, *Eſr. II*, 43. a rad. נָתַן *dedit*, quaſi diceres *dedititios*, quod huic *ἀγγαρείᾳ* (36), *functioni*, in templo dati erant. Abjecta fuit ipſorum conditio, ut patet ex *Deut. XXIX*, 11. *a putatore lignorum tuorum usque ad hauſtorem aquarum tuarum.*

CAPUT VI.

DE PROPHETIS.

Legis interpretes diverſis nominibus inſigniti ſunt. Et licet annus & tempus, quo cujusvis nomen ortum eſt, antiquitate tectum ſit, nec ullis monumentis pateat, concipere tamen poſſumus tres diverſos temporis articulos & periodos (1), quibus nomina mutationi ſuccubuerunt, I. Ab *Adamo* usque ad *Moſen*. II. A *Moſe* usque ad *reditum* populi ex Babylone. III. Ab iſto *reditu* usque ad dies *Salvatoris noſtri* & deinceps.

II. In prima temporis periodo, ſicut *Adamus*, & *Propheta* (2) & *Sacerdos ſuæ* familiæ fuit, ita poſtmodum quivis *primogenitus* his duobus muniis præfuit, ſimulque regimen ſuæ domus geſſit. Quod autem ſuas familias *Regum* inſtar moderati ſint, & tanquam *Prophetæ* condocefecerint, non niſi hoſpitem in Sacris Literis latere poteſt. Sed maximum de ipſorum *Sacerdotio* dubium eſt. Adami Sacerdotium exinde concluditur, quod *Gen. IV*, 3. 4. (3) Abel & Cain dicantur tuliſſe munus ſuum, ſcil. ad Adamum, qui ipſorum nomine illud Deo offerret. BERTRAM. *Polit. Jud. cap.* 2. *p.* 17. Sacerdotium primogenitorum inde conjicere licet, quod Levitæ addicebantur altari loco primogenitorum, tanquam ipſorum *λύτρον*, *pretium redemptionis*, *Num. III*, 41.

III. In ſecunda temporis periodo (4), etiamſi *κατήχησις* Legis privata ſolius eſſet patrisfamilias; publica tamen debebatur Sacerdotibus & Prophetis.

IV. In tertia periodo, quando prophetiæ ſiluerunt (5), munus exponendi Sacras Literas vulgatiori uſui ceſſit, & Prophetarum loco, aliorum interpretum inſignis multitudo ſuccrevit (6), quos generali voce notare & omnes *διδασκάλους*, *Doctores* vocare poſſumus, *Joh. III*, 10. Diſtinguere eos licet in I. *Σοφοὺς*, *Sapientes*. II. *Γραμματεῖς*, Scribas, ſive *Legisperitos*. III. *Συζητητὰς*, *Diſquiſitores*, 1. *Cor. I*, 20. Unusquisque horum, aut quicumque *Doctor* alios donis præſtantibus antevertebat, titulo RABBI condecorabatur. I. *Prophetæ*. II. *Sapientes*. III. *Legisperiti*. IV. *Diſquiſitores*. V. *Rabbini*.

V. I.) *Pro-*

V. I.) *Prophetæ* in Sacra Scriptura variis veniunt nominibus (7). I. Dicuntur pro ipsis *Prophetarum libris*. *Habent Mosen & Prophetas*, *Luc. XVI*, 29. II. Pro *toto Scripturarum codice*. *Nulla prophetia Scripturæ est propriæ interpretationis*, 2. *Petr. I*, 20. III. Illi, quibus Deus se familiari manifestatione aperuit, vocabantur *Prophetæ*. Abraham Propheta fuit, *Gen. XX*, 7. Mirjam Prophetissa, *Exod. XV*, 20. IV. Ordinarii Verbi Divini interpretes dicebantur Prophetæ. *Qui accipit Prophetam in nomine Prophetæ*, *Matth. X*, 41. V. Tandem sumuntur pro illis, qui χρηματισθέντες, *divinitus docti*, occulta mysteria, quæ omnem humanam sapientiam explodunt, eruunt. Hinc olim Prophetæ ראים *Videntes*, 1. *Sam. IX*, 9. ipsorumque prophetia חזון *Visio*, vocantur, *Esa. I*, 1. quia Deus modo extraordinario mentem ipsorum cognitione horum mysteriorum illuminavit.

VI. Tres notatu dignæ appellationes (8) dantur prophetiæ in Sacra Scriptura. Vocatur I. *Verbum Domini*. II. *Visio*. III. *Onus*. Primum nomen infert Dominum loquentem, sive sua mysteria denudantem. Secundum Prophetæ attentionem sive contemplationem. Tertium judicia denotat, queis ille populus, adversus quem prophetia lata est, onerandus sit.

VII. Diversis in locis Auditoria & Scholæ (9), proseminandæ Prophetarum doctrinæ, exstructæ fuere; horum discipuli nominabantur *Filii Prophetarum*, 2. *Reg. VI*, 1. ad quem loquendi modum alluditur *Matth. XI*, 19. *Sapientia justificata est a filiis suis*. Hoc intuitu Propheta fert interdum nomen (10) *Patris*. Elisa clamavit, *pater mi*, *pater mi*, 2. *Reg. II*, 12. Eodem sensu Græci nuncupant artis medicæ candidatos ἰατρῶν παῖδας, ERASM. *Ep. Dedic.* HILARIO *præfixa*. Targum locum 2. *Reg. II*, 12. ita exponit, ac si dictum esset, *Rabbi*, sive *magister mi*, *magister mi*. Et sane enixa ambitione Rabbini arripiebant istud nomen *Patris*, unde Christus dixit *Matth. XXIII*, 9. *Non vocabitis quempiam Patrem vestrum in terra*.

VIII. Sacra Scriptura Prophetæ nomini sæpe jungit *nomen Patris ejus* (11), ut *Hos. I*, 1. *Hoseas filius Beëri*. Et talem Hebræi ajunt fuisse & Prophetam & filium Prophetæ. KIMCH. *præf. ad Hos.* Interdum & Sacra Scriptura memorat nomen Prophetæ, *non vero Patris*; & talem tum dicunt fuisse Prophetam, sed non filium Prophetæ. Interdum suffigit nomini Prophetæ *nomen urbis*, in qua prophetavit; & tum talis Propheta ipsis est *Propheta hujus urbis*; ubi autem supprimitur nomen urbis, tum talem Prophetam ex Hierosolymis deducunt.

IX. II.) *Sapientes* (12). Licet hic titulus generalior sit, omnibusque Doctoribus & Pastoribus communis, tamen multis annis ante παρουσίαν, *adventum* nostri Salvatoris *Pharisæi* eum vel sibi ipsis arrogaverant, vel aucupati erant a plebecula ignorante, quæ stupebat ipsorum sapientiam in inculcandis traditionibus πατροπαραδότοις, quas supra Legem extollebant (13). GORIONID. *lib.* 4. *cap.* 20. Inde fecerunt Pharisæis nomen, *Magistros Traditionum* (14). DRUS. *de trib. sect. p.* 86. Ejus farinæ fuit consilium istud, quod dedit *Rabbi Eleezar*

suis

suis discipulis, ut reflecterent filios suos a Sacra Scriptura, ipsosque ponerent παρὰ τοὺς πόδας, ad genua Sapientum (15). BUXTORF. *Recens. oper. Talmud. p.* 195. Inde etiam fluxit ipsorum tritum, οἱ σοφοὶ ἡμῶν δευτερῶσι, *Sapientes nostri traditiones docent* (16); quo utebantur, si quando Doctorum quis erudiebat. HIERON. *ad Algas. quæst.* 10.

X. Æqualem ambitionem notare possumus inter Græcos, qui omnes inhiabant titulo σοφοῦ, *sapientis.* Hinc factum, ut, ubi cujusdam oratio fuerat ad palatum circumfusæ multitudinis, applauderetur ipsi, σοφῶς, *bene, sapienter dictum:* usque dum Pythagoras tædio turgidi illius tituli se mallet appellare φιλόσοφον (17), *sapientiæ studiosum.* Quam humilitatem postmodum imitati Hebræorum Magistri, ut suspicionem ambitionis averruncarent, supersederunt nomine חֲכָמִים *sapientum*, contenti se nuncupare תַּלְמִידֵי חֲכָמִים (18), *discipulos sapientum.*

XI. III.) *Scribæ,* γραμματεῖς סֹפְרִים. Hoc nomen tribuitur duobus hominum generibus (19), vel puris *Laicis*, vel *Ecclesiasticis.*

XII. Laici γραμματεῖς erant (20), quibus instituendi pueri minorennes mandabantur, præprimis ut ipsos literas pingere docerent. Eos ἁπλῶς dicere possumus γραμματεῖς, *Scribas.* Hoc officio fungebatur tribus *Simeon.* Hoc quidem sensu nomen Scribarum non occurrit in Sacris Literis, etsi originem suam inde derivarent, verbisque Divinis probarent, quæ Jacob dixit *Simeoni* & *Levi*, *Gen. XLIX*, 7. *distribuam eos in Jacobo, & dispergam eos in Israele:* Nam, quemadmodum tribus *Levi* nullam propriam hæreditatem & portionem accepit, sed passim habitabat, sparsaque inter reliquas tribus ex altari victitabat: ita tribus *Simeon* nullam propriam Rempublicam constituebat, sed dissipata per cæteras tribus alimoniam vitæque subsidia instituendis liberis parabat. SALOM. IARCHI, *Gen. XLIX.* AMBR. *Tom.* 4. *cap.* 3. Num vero hocce officium scholasticum soli tribui isti destinatum fuerit, alii disquirant. Certus sum, *Simeonitis* sorte datam esse portionem & hæreditatem, *Jos. XIX*, 1. Et prophetia de dispersione ipsorum in hoc impleta esse creditur, quod *Simeoni* hæreditas sua cessit ex hæreditate *Judæ*, vers. 9. Cæterum constat, quod si non omnes *Scribæ*, tamen hi *publici Notarii* (21), quorum opera usurpatur in litibus, contractibus &c. ex quacunque etiam orti fuerint tribu, nuncupati sint γραμματεῖς סֹפְרִים, ad quod alludit *Psalmus XLV*, 2. *Lingua mea est stilus Scribæ velocis.*

XIII. Ex horum numero censeo viros perspicaci mentis acie, electos publico usui. Quosdam, ut a manu consiliisque Regis essent (22), tanquam *Secretarii*, γραμματεῖς βασιλέως, 2. *Reg. XII*, 10. Tales erant *Seja*, 2. *Sam. XX*, 25. & *Saphan*, 2. *Reg. XXII*, 3. Quosdam vero, ut operam suam ferrent publicis dicasteriis & consistoriis. Hi similes sunt nostris Secretariis Grammatophylacii (23), & dicebantur γραμματεῖς λαοῦ, *Scribæ populi*, *Matth. II*, 4. 1. *Macchab. V*, 42.

XIV. Hæc secunda Scribarum species pertinet ad *personas Clericas* (24). Erant

enim

enim interpretes Legis, hinc vocati γραμματεῖς τοῦ νόμου, νομικοὶ, νομοδιδάσκαλοι, *Legisperiti*, *Esr. VII*, 6. *Luc. VII*, 30. *Luc. V*, 17. Munus ipſorum fuit ſcribere, legere, & populo Legem Moſis exponere. Nomen erat non ſectæ, ſed officii. Talis fuit *Eſra*, *Eſr. VII*, 6. ex tribu *Levi*; tales alii ex tribu *Judæ*: nam nulla tribus ab hoc munere excludebatur. DRVS. *de Sect. lib.* 2. *cap.* 12. *ex Chald. Paraphraſt.* Huic nomini tantumdem pretii deputatum fuit ab Hebræis, ac (25) *Magis* a Chaldæis, *Quindecim-Viris* a Romanis (26), qui oracula Sibyllarum interpretabantur, & Canoniſtis a cœtu Romano.

XV. Vox סֹפְרִים, quæ exponitur per *Scribas*, & *Legisperitos*, notat *calculatores*, numeratores, daturque *Maſorethis* (27), qui computando & verſus & voces & literas cujusvis libri in Sacra Scriptura conſenuerunt; quod uti eſt inſigne monumentum ipſorum perſpicacitatis, ita divinæ providentiæ, quæ ita illæſas Literas Sacras cuſtodire voluit. AVGVST. *in Pſ. XL*.

XVI. Quemadmodum Sapientes in ſuis lectionibus δευτερώσεις, *traditiones*, urgebant: ita νομικοὶ, *Legisperiti*, adhærebant verbo ſcripto; unde nominabantur *Textuales*, *Scripturarii*, קָרָאִים (28), DRVS. *de* 3. *Sect. lib.* 2. *cap.* 13. Huc facit, quod & Legisperiti & Phariſæi ſua in innocentem Jeſum accuſationum tela una contorquerent, *Matth. IX.* Γραμματεῖς ipſum onerabant crimine βλασφημίας, verſ. 3. Phariſæi ipſum damnabant, quod ederet cum publicanis & peccatoribus, verſ. 11. Accuſatio γραμματέων erat de transgreſſione Legis, Phariſæorum de contemptu traditionis.

XVII. IV.) *Diſquiſitores.* Hic diſquitor nectit allegorias, & anagogicis ſubtilibusque expoſitionibus textum excutit. Propterea talis enucleator vocabatur דַּרְשָׁן (29), h. e. *diſputator*, *inquiſitor*; ipſius homilia ſive explanatio מִדְרָשׁ *allegoricus commentarius*; ipſorumque Schola בֵּית הַמִּדְרָשׁ. Vid. THISB. *in* דרש. Hi diſquiſitores habebantur expoſitores acutiſſimi & profundiſſimæ perſpicacitatis; unde illud Pſalmiſtæ: *Eunt de turma ad turmam*, *ſive de robore ad robur*, huc rapiunt & applicant ſuo gymnaſio ſic; q. d. *eunt ex templo ad ſcholam* לְבֵית הַמִּדְרָשׁ, ex inferiori ad ſublimiorem ſcholam. *Targum. Pſalm. LXXXIV*, 8.

XVIII. Hinc videmus differentiam inter has tres Doctorum ſpecies apud Paulum. *Sapientes* ſunt Doctores traditionum; *Legisperiti*, νομικοὶ, Doctores textus ſcripti, ſecundum expoſitionem literalem; *Diſquiſitores*, Doctores allegoriarum & ſubtilitatum abſtruſarum; quas fabuloſas & exſangues expoſitiones, quoniam ζητήσεις παρέχουσι, *quæſtiones & diſputationes ſuggerunt*, Apoſtolus damnat, 1. *Tim. I*, 4. unde talis explanator vocatur συζητητὴς, *diſquiſitor*, *diſputator*, 1. *Cor. I*, 20. (30). Hos tres Doctores, quorum citato loco S. Paulus meminit, Hebræi nuncupant חָכָם *ſapientem*, סוֹפֵר *computantem*, *ſeu ſcribam*; דַּרְשָׁן *ſubtilem inquiſitorem*.

CAPVT VII.

DE TITVLO RABBI.

Circa nativitatem Christi nostri Redemptoris numerus titulorum valde crevit (1); inter quos רַב, רִבִּי, רַבִּי, & רַבָּן, *Rabb, Rabbi, Ribbi, & Rabban* (2) usitatissimi, descendunt a rad. רָבַב *multiplicatus fuit;* valentque tantum ac πολυμαθέςατοι, *Magistri varia & multiplici rerum scientia instructi:* quod ad hos titulos, scribunt, רַבִּי *Rabbi* esse præstantius nomen, quam רַב *Rabb*; רַבָּן *Rabban*, quam רַבִּי *Rabbi*; & *nudum nomen*, ut *Haggai, Zacharia, Maleachi,* quam רַבָּן *Rabban*. ARVCH in voce אבי.

II. Eadem tempestate utebantur certa quadam disciplinæ forma in suis scholis. Scholaris (3) vocabatur תַּלְמִיד *discipulus*, ratione doctrinæ; קָטָן *parvus* (4), ratione minorennitatis; בָּחוּר *electus* (5), ratione electionis in numerum discipulorum.

III. Dato profectuum suorum specimine ubi dignus aliquo gradu inventus fuit, per χειροθεσίαν, *manuum impositionem*, factus est *Graduatus* חָבֵר *consors* (6) alicujus רַבִּי. Hanc χειροθεσίαν (7) dicebant סְמִיכָה sive סְמִיכוּת, quam ceremoniam a Mose *Num. XXVII*, 18. hauserant: *Edixit Jehova Mosi, sume tecum Josuam filium Nunis, virum, in quo est Spiritus,* וְסָמַכְתָּ אֶת יָדְךָ עָלָיו *& impone manum tuam ipsi.* Quo tempore ipsi manus imponebat Rabbi, usus est his verbis, אֲנִי סוֹמֵךְ אוֹתְךָ תְּהֵא סָמוּךְ, id est, SCALIGERO interprete, *Ego tibi impono manum, & manus tibi imposita esto. Tribæres. cap.* 5. *p.* 26. Vide etiam CVNAEVM *de Rep. Heb. lib.* 1. *cap.* 12. quod & ita sonare potest: *recipio te in societatem, & sis receptus.* Postmodum ubi aptus est alios docendi, vocatur tunc *Rabbi.*

IV. In *minorennitate* autem, quum ipsius nomen proprium tectum sit, patris nomen mutuatur, diciturque *Filius N.* Cum creatur *Graduatus* per χειροθεσίαν, tum venit proprio suo nomine, scil. *N. Filius N.* Deinde ubi dignus habitus est, qui doceat, ipsi confertur titulus Rabbi hoc modo: *Rabbi N. Filius N.* E. g. MAIMONIDES primo nuncupatus est *Ben Maimon, Filius Maimonis;* Graduatus, vocatus est proprio suo nomine *Moses Ben Maimon;* tandem permissus docere, dictus est רַמְבָּם *Rambam*, per abbreviationem, quæ conflatur ex Literis Capitalibus, *Rabbi Moses Ben Maimon.* Ita *Rabbi Levi Ben Gersom*, in minorennitate solummodo appellatus est *Ben Gersom;* Deinde *Levi Ben Gersom*, tandem רַלְבַּג *Ralbag.*

V. Hæc differentia discipulorum, sociorum, & Rabbinorum patet ex dicto antiqui alicujus Rabbini; *multum didici ex Rabbinis meis sive magistris, plus ex sociis, plurimum ex discipulis meis.* P. FAG. *in scholiis suis ad cap.* 4. *Pirke Aboth.*

VI. Cuivis Rabbi suos adhæsisse discipulos, & ab his, aliisque fautoribus datum esse titulum Rabbi diebus Salvatoris nostri, extra controversiam est. Judas progressus ad Christum dixit, χαῖρε Ῥαββὶ, *Salve Rabbi,*

Rabbi, *Matth. XXVI*, 49. Ita ipsum titulo Rabbi salutarunt Johannis discipuli, *Joh. I*, 39. & quoque *Johannem*, *Joh. III*, 26. Sed dubito tum χειροθεσίαν usurpatam fuisse (8).

VII. Modus disputandi in Synagogis ipsorum ita se habuit; PHILO IVD. *quod omnis probus pag.* 679. *Rabbini primarii* sedebant* cathedris distinctis, & hæ erant πρωτοκαθεδρίαι, *primi consessus*, quos Pharisæi & Legisperiti amabant, *Matth. XXIII*, 6. *Socii & Consortes* ipsorum considebant scamnis sive depressioribus subselliis; *Discipuli* plane ad pedes suorum Præceptorum (9). Paulus (10) educatus erat παρὰ τοὺς πόδας Γαμαλιὴλ, *ad pedes Gamalielis*, *Act. XXII*, 3. & Maria considens παρὰ τοὺς πόδας τοῦ Ἰησοῦ, *audiebat ipsius verbum. Luc. X*, 39.

VIII. Dispositio quoque corporum ipsorum pro gradibus variavit; SCALIG. *Trib. cap.* 5. &c. *c.* 1. *Berachoth. Rabbi* fuit יוֹשֵׁב *sedens*; *Socius* מוּטָּה, quod notat *inclinationem* in lectum vel scamnum illius, qui caput reflectit in sinum alterius, juxta morem accumbendi Antiquis usitatum; eratque quies membrorum minor quam sessio. *Pirke Aboth cap.* 4. *Discipulus* dicebatur מִתְאַבֵּק, *qui in arena se extendebat* (11); quod signum erat humilitatis discipulorum, qui se ita ad pedes suorum magistrorum abjiciebant. Hanc ceremoniam D. PAVLVS putatur voluisse introducere in Ecclesiam Christianam, 1. *Cor. XIV.* AMBROS. *loc. cit.*

IX. Ipsorum discipuli non erant ejusdem capacitatis, propterea inquiebant (12); quod quidam eorum haberent *conditionem spongiæ*, alii *conditionem clepsydræ*, alii *sacci fæcinacei*, alii *cribri*; qui spongiæ similes erant, omnia, quæ audierant, imbibebant sine judicio; qui clepsydræ, altera aure iis destillavit, quod altera hauserant; qui sacco fæcinaceo, illi effuso & emisso vino, quod captaverant, solam fæcem retinent; tandem quos cribro comparaverant, illi sunt, qui excussis furfuribus, acere, & palea, probum frumentum servant.

CAPVT VIII.

DE NAZIRAEIS ET RECHABITIS.

In V. T. memorantur duæ species eorum, qui *voto* obstricti erant רְכָבִים RECHABITAE. (*Vid. infra c.* 12. *§.* 19.) *Jer. XXXV.* (1) & נְזִירִים NAZIRAEI, *Num. VI.* Vix rem certiorem invenio; quam quod Sacra Scriptura de his dicit *loc. cit.* Propterea quod attinet materiam ipsorum votorum, Lectorem ad dictos textus remitto. Hic tantum observabimus differentiam (2) NAZIRAEORVM. Primi erant *Nuncupatores*; *Voventes* (3), dicti a נָזַר *separavit, secrevit, continuit*; quia se continebant & avertebant a tribus, 1. *a Vino*, omnibusque vitis & vini γεννήμασι, *progeniebus.* 2. *A novacula*, quoniam omnibus diebus Naziræatus vel separationis suæ novaculam capiti non im-

mittebant, foventes capillos suos. 3. *A pollutione* super mortuo.

II. Hic Naziræatus rursus duplex fuit (4), vel *Naziræatus dierum* certorum, vel *Naziræatus seculi*, hoc est totius vitæ. Illius sortis fuit Paulus (5), & cum ipso quatuor illi, *Act. XXI*, 23. Hujus sortis fuere Simson, *Jud. XIII.* & Johannes Baptista (6) &c.

III. Numerus dierum Naziræatus non expressus est a Sacra Scriptura, sed Hebræorum Magistri definiunt 30 dies, quod dicatur *Num. VI*, 5. *Jehovæ sanctus erit* יִהְיֶה, quod vocabulum efficiens numerum 30 determinat numerum dierum, quos libera hæc separatio observare debebat. SCHINDL. *in pentagl.*

IV. Secunda Naziræorum species dicebatur a נֵצֶר, unde & *Nazereth* sive *Nazareth*, pagus quidam Galilææ, ubi Christus conceptus & educatus est; & de quo pago Salvator noster denominatus est *Nazarenus*, Ναζωραῖος, *Matth. II*, 23. & qui recipiebant ipsius doctrinam Ναζωραῖοι, *Nazareni* (7).

V. Postmodum exorti Sectarii (8), qui, sicut Samaritani Judaicis ceremoniis infarserunt Gentiles ritus, ita Christum & Mosen, Evangelium & Legem, Baptismum & Circumcisionem copularunt. HIERON. *in Es. VIII.* Idem refert EPIPH. *Lib.* I. *Tom.* 2. *Hær.* 29. De horum prima eruptione legimus *Act. XV*, I. *Quidam descendentes ex Judæa docebant fratres: dicentes, si non circumcidimini juxta ritum Mosis, non potestis salvari.* Hi Hæretici appellabantur *Nazaræi*, sive ex malitia Judæorum, quo Religioni Christianæ istam labem adspergerent; sive ex eo, quod prius erant veri, etsi debiles & infirmi, Nazaræi, h. e. Christiani, abducti τῷ Ἰουδαΐζειν, *Judaizatione* Petri Antiochiæ, impellentis Gentes, ut viverent Ἰουδαϊκῶς, *Gal. II*, 14.

VI. Et propterea Ecclesia Antiochena putatur exuisse hoc nomen *Nazaræorum*, & assumpsisse nomen *Christianorum*, ut istam Sectam, quæ in ipsa ebulliverat, comprimerent. *Act. XI*, 26. FRANC. IVN. *parall. Lib.* I. *Cap.* 8.

VII. SYMMACHVS celeber ille interpres V. T. acerrimus propugnator hujus hæreseos fuit, ita ut suis sociis tempore insequenti nomen *Symmachianorum* dederit. AVGVST. *lib.* 19. *contr. Faust. cap.* 4.

VIII. Judæi, in ipsos novercali odio flagrantes, ut Samaritanos detestabantur, quare quotidie ter in precibus suis matutinis, meridianis, & vespertinis ipsos devovebant, addita hac orationibus suis clausula: *maledic Domine Nazaræis.* EPIPH. *lib.* I. *tom.* 2. *Hær.* 29.

IX. Tandem fuit adhuc *alia Nazaræorum species* (9), qui denominati sunt a נָשַׁר *dissecare*, quod rescinderent & rejicerent quinque libros Mosis velut Apocryphos. EPIPH. *lib.* I. *Tom.* I. *Hær.* 18.

CAPVT

CAPVT IX.

DE ASSIDAEIS.

Multum diſputatum eſt de ASSIDAEIS, utrum ſtuduerint *Phariſæis*, an *Eſſæis*, vel alii parti. Si dignus ſum meam ſententiam in medium proferre, vel, ut habet Hebræorum proverbium, *caput meum ſapientum capitibus addere;* hoc de Aſſidæis ſentio.

II. Ante μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, *transportationem Babylonicam* (1), reperimus vocem חֲסִידִים (quæ vertitur *Aſſidæi*) idem denotaſſe ac צַדִּיקִים *Juſtos*, ſive *bonos:* Vtrique ſine ulla διαςολῇ, *differentia* veniebant, opponebanturque רְשָׁעִים *Improbis.* Tum temporis tota Judæorum maſſa diviſa fuit in duas partes, חֲסִידִים *Bonos*, & רְשָׁעִים *Improbos.* Soluta captivitate diſcernebant חֲסִידִים *bonos*, *benignos*, *a* צַדִּיקִים *juſtis*.

III. *Tſaddikim*, *juſti*, ſe meditationi Scripturæ dabant; *Chaſidim*, *benigni*, autem in eo toti erant, ut Scripturæ aliquid affluerent (2). DAVID KIMCHI *Pſal. CIII*, 17. *Tſaddikim*, *juſti*, omnibus Scripturæ mandatis ſe ſubjiciebant, volentes juxta ea ſe componere; *Chaſidim*, *boni*, ſua vitæ integritate non ſolum Scripturæ ſe ſatisfacere, ſed plus, quam exigeret, præſtare jactabant. *Pirke Aboth c.* 5. In conſervando templo, jugulandis victimis, ſuſtentandis egenis &c. ultra præcepta Legis evolare ſe, non dubitabant. Illi erant חֲסִידִים *benigni*, qui crepabant (3); *quod meum eſt*, *tuum eſt*, *&* *quod tuum eſt*, *tuum proprium eſt.* Illi erant רְשָׁעִים *improbi*, qui eructabant; *quod tuum eſt*, *meum eſt*, *&* *quod meum eſt*, *meum proprium eſt;* & eſt plauſibile, eos, qui media via incedebant (Vid. loc. cit.) dicebantque; *quod meum eſt*, *meum eſt*, *quod tuum eſt*, *tuum proprium eſt*, fuiſſe τοὺς *Tſaddikim*.

IV. Ratione ſanctitatis Judæi tum temporis in tres partes diſtinguebantur. I. רְשָׁעִים, ἀσεβεῖς, *Improbos.* II. צַדִּיקִים, δικαίους, *Juſtos.* III. חֲסִידִים, quod vocabulum plerumque vertitur ὅσιοι, *Sancti*, interdum etiam ἀγαθοὶ, *Boni.* *Aſſidæi*, de quibus agitur 1. *Macc. VII*, 13. vocantur a IOSEPHO *lib.* 12. *cap.* 16. ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους. Hi ſupra omnes elati & dilecti a populo fuere.

V. Apoſtolus demonſtraturus ſummum Jeſu Chriſti amorem, mortui pro nobis, eum, per alluſionem ad hanc populi differentiam, commendat *Rom. V*, 6. 7. (4) *Chriſtus* ὑπὲρ ἀσεβῶν, *pro impiis*, *mortuus eſt.* *Vix enim quis* ὑπὲρ δικαίου, *pro juſto*, *moriatur;* *nam* ὑπὲρ τοῦ ἀγαθοῦ, *pro bono*, *forſitan etiam quis mori ſuſtineat:* quæ commendatio fit a majori, ut ajunt; quidam forte morerentur pro aliquo ex τοῖς חֲסִידִים *bonis*, vix pro aliquo ex τοῖς צַדִּיקִים *juſtis*; nemo autem occumberet pro τοῖς רְשָׁעִים *impiis;* & tamen Chriſtus mortuus eſt pro nobis *impiis* רְשָׁעִים, enormibus peccatoribus, hoſtibus.

VI. Donec hæc opera ſupererogatoria (5) fiebant libere & indifferenter, non tanquam neceſſaria, etſi eveherentur ſupra nu-

dam legis obſervantiam, peſtis ſchiſmatum ex partium illarum ſtudiis ebullire nequivit; ſed quum opera illa ſupererogatoria regulis & canonibus inculcarentur, & quidem velut ſumme neceſſaria, tum ex τοῖς חֲסִידִים *bonis* pullulavit γέννημα, *progenies*, Phariſæorum; & ab iis etiam manavit (uti veriſimile eſſe putant, vid. SCALIG. *Trib. c.* 22.) hæreſis *Eſſæorum;* qui utrique δευτερώσεις πατροπαραδότους, *traditiones non ſcriptas*, invehebant, tanquam neceſſarias & ipſa Scriptura perfectiores ſanctitatis regulas.

VII. Hac tempeſtate צַדִּיקִים *Juſti* ſtudio & æſtu ſe opponendi abrepti, non ſolas traditiones, ſed omnem Scripturam, excepto Pentateucho Moſis, reſpuerunt, unde & vocabantur קָרָאִים *Karaim* (6). Sunt, qui eos ſolas traditiones rejeciſſe exiſtimant, retentis omnibus Sacræ Scripturæ libris. Cui ſententiæ ſi adſtipulamur, nomen ſuum קָרָאִים *Textuales*, *Scripturarios*, habebunt inde, quod a ſola Scripturarum lectione penderent, omni vi traditiones debellantes.

VIII. Et tum etiam eo tempore קָרָאִים iſti alieni plane fuerunt ab hæreſis crimine; lapſu vero temporis, cum ipſis *Sadok* & *Baithus* peſtiferam illam doctrinam inſtillaſſent, quod nulla ἀπόδοσις, retributio bonorum operum, aut pœna malorum, vel mortuorum reſurrectio futura ſit, קָרָאִים illi penitus in Sadducæos degenerarunt, adeoque in inſignes Hæreticos, qui nomen debent auctori ſuo *Sadok*. Tempus, quo cujusvis hæreſis primum ortum & incrementum ſumpſit, peculiaria capita docebunt.

CAPUT X.

DE PHARISAEIS.

Tres ſententiæ ſunt de etymologia nominis *Phariſæi* (1). Quartam etymologiam, cujus fundus & auctor putatur HIERONYMUS *Præf. in Amoſ.* ſcriptura Hebraica refellit; Si enim Phariſæus diceretur a פָּרַץ *disrupit*, *diviſit*, ſcriberentur Phariſæi פְּרוּצִים, non פְּרוּשִׁים.

II. Prima ergo trium earum ſententiarum deducit a פָּרַשׂ *expandere*, *explicare*, ſive propter *extenſionem* & *dilatationem* ſuorum *phylacteriorum*, ſive propter *oſtentationem bonorum operum* omnium oculis expoſitam; Phariſæi enim inſana cupidine & ſiti honorem laudemque hominum venabantur.

III. Secunda ſententia derivat a פָּרַשׁ *exponere*, *explanare*, quoniam eximia apud populum auctoritate & honore vigebant, credebanturque ſubtiliſſimi *Explanatores Legis*, ita ut vocitarentur פְּרוּשִׁים, quia פּוֹרְשִׁים *expoſitores Legis erant.* GORIONID. *cap.* 22.

IV. Tertia ſententia originem ex eadem radice petit, ſed in conjugatione *Pihel*, ubi eſt *dividere*, *ſeparare*. Hoc ſignificatu Græcis dicebantur ἀφωρισμένοι, *ſeparati*, aut, uti nunc loquimur, *Separatiſtæ*. SUIDAS.

V. Sepa-

V. Separatio ipsorum notabilis, ratione rei ad quam, & ratione rei a qua se separabant.

VI. Separabant ergo se I. *Ad meditationem legis*, quo respectu possumus eos vocare ἀφωρισμένους εἰς τὸν νόμον, *separatos ad Legem.* Et hoc intuitu creditur Apostolus se nuncupasse (2) ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον, *separatum ad Evangelium*, *Rom. I*, 1. quum a Pharisaismo ad præconium Evangelii secerneretur. DRVS. *de 3. sect. lib. 2. cap. 2.* II. Separabant seipsos, *vel potius prætexebant separationem, ad exactissimam vitæ sanctimoniam, & ultra vulgarem hominum sortem ascendentem;* hinc ille Pharisæus: *o Deus, ago tibi gratias*, quod non sum ὥσπερ οἱ λοιποὶ τῶν ἀνθρώπων, *sicut reliqui homines, rapaces, injusti, adulteri &c. Luc. XVIII*, 11. SVIDAS.

VII. Res, a qua se separabant, triplex est. Separabant se (3) I. A *commercio reliqui* populi, uti plenius patebit in ipsorum traditionibus, unde plebem ob inscitiam vocitabant עם הארץ *populum terræ. Joh. VII*, 49. dicitur ὄχλος, *turba. Hæc turba, quæ Legem non novit*, ἐπικατάρατος, *execrabilis est.* II. *Ab habitu* & cultu aliorum hominum: utebantur enim peculiaribus vestibus, quibus a vulgo dignosci volebant. R. DAVID SOPHON. 1, 8. Hinc natum tritum illud: *Vestes populi terræ, conculcatio sunt Pharisæorum.* III. *A moribus & consuetudinibus hujus seculi.* THISBITES.

VIII. Hæc hæresis videtur ortum duxisse (4) ab ANTIGONO SOCHAEO; qui quum esset Pharisæus, sequebatur SIMEONEM IVSTVM, viventem circa tempora Alexandri Magni, trecentis annis ante nativitatem Christi. Pharisæi non una e tribu prodibant (5), vel familia, sed indiscriminatim ex quavis. CHRYSOST. *Matth. XV. Paulus* erat *Benjamita*, *Hyrcanus Levita.* IOSEPH. *lib.* 13. *c.* 18.

IX. Cuivis Sectæ sua erant dogmata, aphorismi, constitutiones, & canones, ita & Pharisæis. Meum propositum est, solos eos notare canones & aphorismos, qui hæresin redolent, in hac & aliis Sectis, quique Sectarios ab invicem distinguunt.

X. *Primo* Pharisæi aliquas res *Fato* (6) subjiciebant, aliquas *libero* hominis *arbitrio.* IOSEPH. *lib.* 13. *c.* 8. 9. *Secundo* confitentur esse (7) *Angelos & Spiritus. Act. XXIII*, 8. *Tertio* credunt mortuorum resurrectionem, docentque animas improborum denatorum extemplo migrare ad æternos cruciatus; animas autem piorum statim ab excessu Pythagorica μετεμψυχώσει (8) in aliorum piorum corpora transfundi. IOSEPH. *de bello lib.* 2. *cap.* 12. Hæc ratio putatur, cur tam diversam de Salvatore nostro opinionem foverint: quidam censebant ipsum esse *Johannem Baptistam*, alii *Eliam*, alii *Jeremiam*, *Matth. XVI*, 14. (9) quasi Christi corpori anima vel Johannis, vel Eliæ, vel Jeremiæ vitam afflasset. SERAR. *Tribær. lib.* 2. *cap.* 3. item DRVS. *in Præter. Quarto* mordicus tenebant (10) παραδόσεις, *traditiones* Antiquorum.

XI. Vt melius intelligantur ipsorum dogmata, sciendum est, Judæos dicere, quod Lex duplex sit, scripta, quam appel-

lant

lant תּוֹרָה שֶׁבִּכְתָב *Legem scriptam*; & πατροπαράδοτος, *a patribus tradita*, quam vocant תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה; quam utramque Mosi datam in monte Sinai; legemque oralem fuisse κατήχησιν, *instructionem* & commentarium legis scriptæ dicunt, quam Moses postea ore tenus Josuæ tradiderit, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Viris magnæ Synagogæ, qui deinde sequentibus seculis eamdem propinarint. MOSES KOTSENS. *in præf. lib. præcept.*

XII. Hæc traditio una ex primariis (11) differentiis fuit, de quibus Sadducæi & Pharisæi conflixerunt. GORIONID. c. 29. *Pharisæi inquiebant; observemus legem, quam majores nostri nostris manibus insinuarunt, explanatam ore Sapientum, qui eam per traditiones exposuerunt. Sadducæi autem replicabant: ne fidem demus, nec aurem ullis traditionibus & κατηχήσεσι, sed attendamus ad solam legem Mosis.*

XIII. Traditiones autem, quas præprimis urgebant, hæ fuerunt. I.) Non capiebant (12) cibum χερσὶν ἀνίπτοις, *illotis manibus. Cur transgrediuntur discipuli tui* τὴν παράδοσιν τῶν πρεσβυτέρων, *Seniorum traditionem? non enim abluunt manus suas, quando panem edunt. Matth. XV, 2.* Hæc lotio dicitur facta esse πυγμῇ, *crebro, Marc. VII, 3.* uti quidam hanc vocem transferunt; putantes eam idem significare hic, quod πύκα apud HOMERUM, scil. *crebro, frequenter.* Alii hanc vocem vertunt *accurate, diligenter*, quod docet attentam diligentiam eorum in lavando; cum qua versione Syrus facit, qui habet בטלאית μετὰ σπουδῆς, *diligenter.* Alii putant hoc loquendi modo alludi ad ritum istum lavandi, quo utebantur Judæi, quemque appellabant נְטִילַת יָדַיִם *elevationem manuum.* Græcum vocabulum πυγμὴ creditur exprimere hanc ceremoniam, *quoniam in ista lotione summitates digitorum cum pollice conjungebant, ita ut quævis manus speciem* τῆς πυγμῆς, *pugni referret.* SCALIG. *Trihær. c. 7.* Hæc ceremonia ita habuit. I. Manus abluebant. II. Eas dicto modo complicabant. III. Eas elevabant, ita ut aqua ad cubitum delaberetur. Tandem remissis rursus manibus, aqua humum defluebat. Et ut abundans liquor in brachiis adscendendo & defluendo luderet, elevatis iis puram aquam affundebant, demissis autem bis aquam adspergentes. MUNSTER. *in Deut. VIII.* Hanc lotionis speciem nobis videtur THEOPHYLACTUS depingere, *in Marc. VII, 3.* ubi inquit: *Pharisæos* ἕως τοῦ ἀγκῶνος, *cubitaliter lavare.* Tandem alii exponunt πυγμὴν per *pugnum, manum plicatam*, ita ut lotio fieret, pugno palmam alterius manus defricante. BEZA *in Major. annot. suis Marc. VII, 3.* In summa, notat accuratam & exactam lavandi curam.

XIV. Ceremonialis illa lotio elatarum demissarumque manuum satis denudat superstitionem, quam solam vellicat reprehensio dicta; etsi omnes istiusmodi lotiones superstitione non carerent, quod eas non ponerent inter honestas civilesque mores; sed ad religionem pertinere crederent, βαπτίζεσθαι πρὸ τοῦ ἀρίστου, *se lavare ante prandium*, aut ἐσθίειν τὸν ἄρτον χερσὶν ἀνίπτοις, *sumere cibum illotis manibus*; immo quod earum lotionum tantam assererent necessitatem, ut si homo accepta aqua non simul manus abluere, sitimque restinguere ob paucitatem posset, etsi contabesceret siccitate,

tate, non tamen anhelanti gutturi, sed purgandis manibus eam affundere deberet. DRVS. *præter. Matth. XV. in addend.* & BVXTORF. *Synag. Jud. c. 9. p. 93. ex Talmude.* Et cibum capere ἀνίπτοις χερσὶ tantum crimen, ac ipsam fornicationem judicabant.

XV. Etsi autem hæc traditio lotionum acerrime a Pharisæis inculcaretur, attamen isti ritui omnes Judæi obediebant, ut constat ex locis citatis. Possumus autem tres lotionum species (13) usitatas Judæis observare. 1. *Pharisaicam* & superstitiosam, quæ reprehensa est. 2. *Ordinariam*, quam externa morum honestas admittit. 3. *Significativam*, quæ nota erat innocentiæ, & mandata Senioribus proximæ urbis, in causa ignoti homicidii. *Deut. XXI*, 6. Ita se lavit *Pilatus Matth. XXVII*, 24. & ad eamdem lotionem allusit David *Psalm. XXVI, 6. Lavo in innocentia palmas meas, & circa tuum altare versor, Jehova.*

XVI. II.) *Cum redibant ex foro, manus lavabant. Marc. VII*, 4. Ratio fuit, quia, quum ibidem cum variis hominum generibus commercium habuissent, facile pollui potuerant. Verbum, quo utitur *Marcus*, est βαπτίζειν (14), quod denotat *totius corporis* ῥαντισμὸν, *mundationem.* Videntur etiam Pharisæi, utpote quos major superstitionis zelus quam alios agitabat, sic se lavisse πρὸ τοῦ ἀρίστου, *ante prandium. Pharisæus miratus est, quod Christus non ante prandium* ἐβαπτίσθη *lotus esset. Luc. XI*, 38. Ad hanc superstitionem (15) Petrus inclinasse creditur, dicens: *non solum pedes meos, sed & manus & caput. Joh. XIII*, 9. Is, cum civilem suam modestiam lædi crederet, si lavandos pedes Magistro suo permitteret, ad alterum extremum deinde relabitur; q. d. *non solos pedes, sed totum corpus.* Hæc superstitio genuit Sectam (16) *Hemerobaptistarum*, sic dictorum, quod quotidie ita suas lotiones & baptismos iterarent. EPIPH. *lib. I. Tom. I. cap.* 17.

XVII. III.) *Eluebant sua pocula* (17), *sextarios, æramenta, & lectos. Marc. VII*, 4.

XVIII. IV.) *Illicitum putabant edere* (18) *cum peccatoribus. Matth. IX*, 11. Immo censebant esse pollutionis speciem, tangi ab iisdem. *Luc. VII*, 39. *Hic si esset Propheta, nosset utique, quæ & qualis sit ista fœmina, quæ tangit ipsum; nam peccatrix est.* De istiusmodi hominibus loquitur Propheta; *qui dicunt, accede ad te*, sive recede, *ne appropinques mihi*, sive אַל תִּגַּשׁ בִּי *ne tangas me, nam sanctus tibi sum* (19), *Jesa. LXV*, 5. Frigidus ille sanctitatis fervor & (20) Samaritanis fuit, qui obvianti peregrino ogganniebant μὴ πρόσψαυσον, *ne attingas, ne me vel leviter stringas.* SCALIG. *de emend. temp. lib.* 7. & EPIPHAN. *Tom. I. Lib. I. cap.* 13.

XIX. V.) *Jejunabant bis in septimana* (21), *Luc. XVIII*, 12. nimirum, die *Lunæ* & die *Jovis*. THEOPHYL. *in Luc. XVIII*, 12. EPIPH. *hær.* 16. quia Moses, uti ajunt, montem Sinai ascendit die *Jovis*, descendens die *Lunæ*. DRVS. *in Luc. XVIII*, 12.

XX. VI.) *Dilatabant sua phylacteria, & amplificabant suarum vestium fimbrias. Matth. XXIII*, 5. Hic tria veniunt pensitanda:

tanda: 1. Quid fuerint *phylacteria?* 2. Quid ipsis inscriptum fuerit? 3. Cur ita dicta?

XXI. EPIPHANIUS *lib. I. Tom. I. cap.* 15. exponit hæc (22) phylacteria fuisse πλατέα σήματα πορφύρας, *clavos purpureos vestibus intextos.* Quasi Pharisæorum vestes similes fuissent tunicis istis, queis amiciebantur Romani Senatores, nempe *laticlaviis* (vel *latis clavis*), ita dictis, quoniam erant segmentis & latis bracteis vel clavis interpuncta. Sed quum hæc phylacteria tantum fuerint adjuncta ornamenti, quorum duo erant, alterum fronti, alterum sinistræ affixum; tum claret, per phylacteria non posse intelligi totas vestes, vel aliqua segmenta & clavos vestibus insutos. In genere putantur fuisse *schedulæ, tabellæ vel membranæ, quarum,* ut notavi, duæ fuerunt: *Phylacteria sive tabellæ vel bracteæ,* fronti annexæ, & ab una ad alteram aurem pertingentes, ligulaque ab occipite adstrictæ; & *phylacteria* alligata brachio sinistro supra cubitum, ea parte, quæ spectat cor, *ut eidem eo propiora essent.* MOSES KOTS. *præc. affirm.* 22.

XXII. Vtraque hæc phylacteria & Pharisæis & Sadducæis in usu fuerunt. MAIMON. *in Tephillim c.* 4. §. 8. Sed cum distinctione. Pharisæi ad majorem ostentationem sua phylacteria manuaria brachio supra cubitum affigunt. Sadducæi palmæ. Immo omnes Judæi (23) talia phylacteria gestarunt, non excepto nostro Salvatore (24). SCALIG. *Tribær. p.* 258. Mandatum enim generale (25) fuit *Exod. XIII,* 9. *Erit tibi in signum super manu tua, & in memoriale inter oculos tuos.* Sic ipse ritus gestandi phylacteria non fuit a Salvatore nostro improbatus, sed ea dilatandi (26), quo viderentur sanctiores reliquis.

XXIII. His schedulis vel membranis inscribebant Decalogum solum, juxta sententiam CHRYSOSTOMI & HIERONYMI *in Matth. XXIII.* Sed firmior ratio persuadet, eos in iis exarasse has quatuor pericopas. 1. Prima pars inchoabat ita: *Consecra mihi omne primogenitum, Exod. XIII,* 2. ad finem vers. 10. 2. Secunda erat: *Et erit, quum introduxerit te Jehovah in terram Cananitarum. Exod. XIII,* 11. ad finem vers. 16. 3. Tertia ita: *Audi Israel, Jehovah Deus noster, Jehovah unus. Deut. VI,* 4. usque ad finem vers. 9. 4. Quarta sic incipiebat: *Erit itaque, si serio auscultaveritis præceptis meis,* &c. *Deut. XI,* 13. ad finem vers. 21.

XXIV. Has 4 partes convolutis membranulis inscriptas capiti annexuerunt & sinistræ. Eas sententias, quas fronti præfixere, in quatuor diversis membranulis exararunt. MOS. KOTSENS. *fol.* 104. *col.* 3. Vbi vero uni membranulæ vel pelliculæ eas quatuor sententias dabant, tum fiebat istud quamvis partem distinguente lineola. Posuerunt postea eas quatuor sententias in pellicula, in qua erant quatuor ædiculæ, loculamenta, vel cellulæ; non autem in quatuor pelliculis: quævis cellula distincta erat ab aliis. Illæ vero partes, queis manum ornabant, inscribebantur uni membranæ, distinguentibus eas quatuor regulis. Sin eas quatuor peculiaribus membranulis inscriberent, descendenti ordine fiebat, ponebantque in una pellicula, unam cellulam habente.

XXV. Tempore perſecutionis, cum publice phylacteria ſua geſtare non auderent (27), manus ſuas rubro (28) filo cinxerunt, ut refricarent memoriam ſanguinis fœderalis. MVNST. *de præc. affirm.*

XXVI. Quod ad nomen (29), Moſes phylacteria vocavit טֹטָפוֹת; quod vocabulum tot ferme etymologias, quot expoſitores habet. Veriſimillimum mihi videtur, ea ſic dicta fuiſſe per *ἀντίφρασιν*, *locutionem a contrario*, a טָפַף *incedere*, *movere;* quia erant immota. Ob id vertunt LXX *ἀσάλευτα*, *ornamenta immobilia.* Rabbini ea vocant תְּפִלִּים, q. d. *precum monimenta.* Alii amant ea dicere, *Pittacia*, & *Pittaciola*, a voce *πιττάκιον*, quæ notat veſtis partem, vel modicum pannum. HIERON. *in Matth. XXIII.*

XXVII. In Evangelio vocantur (30) *φυλακτήρια*, a *φυλάττω*, *cuſtodio*, *conſervo.* 1. Quia eorum uſu Lex ſervabatur, aſſiduaque recordatione ruminabatur. 2. Quia Phariſæis ſuperſtitio anilis (31) perſuaſerat, quod iis velut pendentibus ex collo amuletis & *περιάμμασι*, vel antidotis, contra omne periculum muniti eſſent. Vocabulum *φυλακτήριον* notat amuletum, &, teſte HIERONYMO, Phariſæi talem fidem his ornamentis fecerunt. Quo loco comparat Phariſæos certis ſuperſtitioſis mulierculis, quæ eadem inani fide inductæ circumferebant tum temporis *parvula Evangelia, & crucis ligna*, hoc eſt, excerptas ex Evangelio ſententias, & crucis reliquias.

XXVIII. Eadem ſuperſtitio apud multos ultimis ſeculis invaluit, qui collo appendebant initium Evangelii Johannis. SCALIG. *Tribær. cap. 7.* Et circa annum Chriſti 692 condemnati ſunt quidam necromantici incantatores, earumdem deluſionum diabolicarum rei, unde a *φυλακτηρίῳ* (32), *Phylacteriani*, vocati ſunt. *Concil. quin. ſext. can. 61.*

XXIX. Tantum de *phylacteriis.* Eodem verſu ſcil. *Matth. XXIII. v. 5.* reprehenduntur *dilatatæ & diductæ fimbriæ*, ſeu oræ veſtium. Vox, quæ in Evangelio legitur, *κράσπεδα*, *fimbriæ*, vocatur *Num. XV*, 38. צִיצִת *peniculatus filorum textus*, & גְּדִלִים *fila contorta*, *inſtitæ*, *Deut. XXII*, 12. Vid. D. KIMCH. *Radic.* Locis citatis fimbriarum peniculamenta mandantur, ab ipſo noſtro Servatore non neglecta (33); *ἥψατο τῦ κρασπέδυ τῦ ἱματίυ αὐτῦ*, *tetigit fimbriam veſtis ipſius*, *Luc. VIII*, 44. Vltimum Hebraicum vocabulum notat *inſtitam* vel *fimbriam latam;* unde magis pateſcit ſuperſtitio Phariſæorum, qui, quum Lex latas inſtitas permiſiſſet, decoro & mandato latiores veſtibus aſſuebant. Hanc literalem expoſitionem optime convenire puto cum textu, etiamſi *amplificare*, *dilatare*, *μεγαλύνειν*, Latinis & Græcis ſæpe ſonet *gloriari*, *jactare;* qui ſenſus apprime tumidum Phariſæum delineat. *Τὸ μεγαλύνεσθαι* apud EVRIP. *in Bacchis*, eſt *magnifice jactare*, *efferre.* *Magnificare* etiam apud VARRON. & PLIN. eadem ſignificatione uſurpatur. BEZA *in Matth. XXIII.*

XXX. Ratio præcepti de conficiendis peniculamentis fuit, ut videntes ea recordarentur mandatorum Jehovæ, *Num. XV*, 38. Ad majorem autem hujus debiti obſervationem ſuis inſtitis ſive fimbriis interſerebant

rigidas acutasque spinas (34), ut inter ambulandum vel sedendum iisdem ad recordationem legis stimularentur. HIERON. *in Matth. XXIII.*

XXXI. Septem vero Pharisæorum genera (35) fuere. *Talmud tract. Sota cap.* 3. I. *Pharisæus Sichemita*, qui pellem Pharisaicam vel induit vel exuit lucri gratia, instar Sichemitarum se circumcidentium. II. *Pharisæus truncatus*, ita dictus, ac si pedibus destitutus fuisset, quum eos vix humo vellet levare, ut suæ profundæ meditationis admirationem relinqueret. III. *Pharisæus impingens*, qui oculos suos clausit, ad evitandum adspectum mulierum, ita ut crebro caput muris impingeret & cruentaret. IV. *Pharisæus, quid debeam facere? & faciam illud:* ita dictus, quia istud sæpe crepabat. Ejusdem commatis videtur fuisse ille in Evangelio, qui Christum conveniens, *Bone Doctor*, ait, *quid faciam?* &c. tandemque subjungit: *hæc omnia observavi ab infantia mea. Luc. XVIII*, 18. 21. V. *Pharisæus mortarius*, qui pileum gestabat instar profundi mortarii, in quo conterunt aromata, ne posset oculos attollere, nec in ullam partem flectere, sed tantum vel antrorsum conjicere, vel humi defigere. VI. *Pharisæus ex amore*, qui morem gerebat Legi virtutis amore. VII. *Pharisæus ex timore*, qui obsequebatur Legi formidine pœnæ. Qui se accommodavit illis ex timore, sola præcepta negativa, qui vero ex amore, præprimis positiva reverenter coluit.

CAPVT XI.

DE SADDVCAEIS.

Quod attinet (1) etymologiam hujus nominis, duæ sententiæ sunt, quæ verisimiles videntur. Quidam enim deducunt eam a צדק *Justitia*, quasi fuissent *justitiarii*, qui se coram tribunali Dei ausint justificare, EPIPH. *lib. I. cap.* 14. Alii derivant, & quidem solidiori fundo, a SADOC, primo hujus Sectæ auctore; uti Arianos ab Ario, Pelagianos a Pelagio, Donatistas a Donato &c. ἀπὸ αἱρεσιάρχȣ Σαδὼκ ὀνομάζεται. THEOPHYL.

II. Hic SADOC vixit sub *Antigono Socheo* (2), qui secutus est *Simonem Justum*, fuitque discipulus *Antigoni*, lactatus doctrina *Pharisæorum*, etsi deinde desciſceret ab eo, Sectamque *Sadducæorum* pareret, quum magnam cum hæresi DOSITHEI affinitatem (3) communitatemque haberet. Propterea *Sadducæi* dicebantur esse γέννημα, *fœtus Dositheanorum*; EPIPH. *hær.* 14. item TERTVLLIAN. *de præscript. cap.* 45. licet *Dositheus* post Christum esset in vivis. ORIGEN. *contra Celsum.*

III. Etsi autem insignis cognatio inter duas has hæreses intercederet, diffidebant tamen in re magni momenti. *Dositheus* scil. credidit resurrectionem mortuorum, Sadducæi negarunt eam. Et sic per consequens Dositheani affirmabant omnes articulos, qui necessario ex illa

illa resurrectionis fide fluunt. EPIPHAN. *hær.* 13.

IV. *Causa* hujus Sectæ hæc fuit (4): Cum *Antigonus* doceret, nos Deo non debere obedire tanquam servos suis dominis, spe mercedis; *Sadoc* & *Baithus* (5) discipuli ejus, intelligentes, ipsum negare omnem futuram ἀνταπόδοσιν, *retributionem*, præmiumve bona opera sequens, inde effinxerunt suam hæresin, negaruntque *resurrectionem mortuorum, seculum futurum, Angelos, Spiritus. Aboth. cap.* I.

V. Eorum *dogmata*, canones vel constitutiones fuerunt I. *Respuerunt Prophetas cæterosque Scripturæ libros* (6), *excepto eo, tradidit arcano quodcunque volumine Moses.* Ob quam rem Salvator noster confossurus errorem eorum de resurrectione mortuorum, argumenti sui telum non ex *Prophetis*, sed *Exodo* depromit *cap. III*, 6. *Ego sum Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi. Matth. XXII*, 32. Vid. IOSEPH. *Antiqu. lib.* 13. *cap* 18.

VI. 2. *Rejecerunt omnes traditiones* (7). ELIAS *in* צרק. Propterea nuncupabantur מינים *Minæi*, h. e. *Hæretici*, respectu generalis oppositionis Pharisæorum & ipsorum. A. Quia Pharisæi soli *Catholici* reputabantur. B. Quia Pharisæorum doctrina veritati propior erat. Sicque respectu oppositionis particularis; cum aliqui conculcarent traditiones, aliqui inculcarent. Hinc etiam Sadducæis impositum est nomen קָרָאִים *Textuales* (8), *Scripturarii.* DRVS. *de* 3. *Sect. lib.* 3. *cap.* 3. *pag.* 130.

VII. 3. *Bonis operibus denegabant omne præmium* (9) *in futuro seculo, malisque supplicium.* Ob id Paulus, cognito unam partem in Synedrio esse Sadducæorum, alteram vero Pharisæorum, clamavit: *de spe & resurrectione mortuorum in judicium vocor. Act. XXIII*, 6.

VIII. 4. *Dicunt* μὴ εἶναι ἀνάστασιν νεκρῶν, *non esse resurrectionem mortuorum* (10). *Act. XXIII*, 8. *Matth. XXII*, 23. *Luc. XX*, 27.

IX. 5. *Asserebant animas hominum in morte annihilari* (11). IOSEPH. *de bello Jud. l.* 2. *c.* 12.

X. 6. *Negabant existentiam Angelorum & Spirituum* (12). *Act. XXIII*, 8.

XI. 7. *Tollebant penitus omne fatum & providentiam* (13), dominium totum libero hominis arbitrio deferentes. IOSEPH. *l.* 13. *c.* 9.

XII. *Samaritani* & *Sadducæi* (14) valde affines sibi erant; discrepabant tamen. Nam I. *Samaritani* sacra perficiebant in templo montis *Garizim* (15); *Sadducæi* in *Hierosolymitano.* EPIPH. *tom. I. lib.* I. *hær.* 14. 2. *Samaritani non utebantur familiariter Judæis. Joh. IV*, 9. Immo mutuum odium adeo Samaritanorum Judæorumque (16) animos inflammaverat, ut Judæis non liceret edere aut bibere cum Samaritanis. *Quomodo tu Judæus quum sis, potum a me poscis, quæ tamen sum fœmina Samaritana? Joh. IV*, 9.

XIII. Et cum omnibus gentibus facultas esset concessa, & libertas, accedendi ad Judaismum & proselytismum, solos tamen Samaritanos ea libertate ferale Judæorum odium indignos censebat. Id liquet ex solenni ista anathematizatione (17), quæ dicitur: *Excommunicatio in secreto nominis tetragrammati.* DRVS. *de trib. sect. lib.* 3. *cap.* II. Forma ejus, uti illa in Samaritanos (prout ajunt) a Nehemia & Esra fulminata est, ita se habuit: *Congregant totum populum in templo Domini, adducentes* 300 *Sacerdotes*, 300 *tubas*, *&* 300 *codices legis*, *totidemque cantores*; *resonantibus tubis cantantes Levitæ devovent Samaritanos, omnis generis execrationibus, in secreto nominis tetragrammati Jehovah, & in decem præceptis, & cum execratione sublimioris domus judicii, & quoque cum execratione inferioris domus judicii, ne quis comedat panem Samaritani*, (hinc inquiebant, eum, qui vesceretur pane Samaritani, similem esse illi, qui vescitur suilla), *nec permittatur Samaritanus fieri proselytus in Israele, adeoque portionem habere in resurrectione mortuorum.* R. GERSOM interdixit reclusionem epistolarum sub pœna hujus anathematis. BVXTORF. *Epist. Hebr. p.* 59.

XIV. Hoc statuminat ea, quæ præmissa sunt, scil. nullum vitæ usum commerciumve inter Samaritanos & Judæos fuisse. Sadducæi autem fruebantur familiari consuetudine aliorum Judæorum, ac Pharisæorum quoque, in idem Synedrium cum ipsis asciti. *Act. XXIII*, 6.

XV. Conveniunt autem Samaritani & Sadducæi in hisce: 1. *In rejectione omnium aliarum constitutionum.* 2. *In rejectione omnium aliarum Scripturarum præter libros Mosis* (18). 3. *Inficiatione resurrectionis, & consequentium exinde, ut futuræ pœnæ, & præmii secundum hominis opera.* Samaritani vero contra Sadducæos existentiam Angelorum tuebantur. Ad majorem fidem hujus consensus & dissensus inter eos, lege EPIPHANIVM (19) *Hær.* 9. *&* 12.

XVI. Quod attinet *Samaritanos*, tres mutationis gradus (20) in ipsorum religione observatu digni sunt. 1. Coloni, quos Salmanassar in Samariam deduxerat, Israele in Assyriacam captivitatem misso, colebant Deos suæ gentis. 2. *Reg. XVII.* 2. Videntibus se interfici a leonibus, quum non vererentur Jehovam, submisit Rex Assyriæ unum ex Sacerdotibus captivis, ut illos imbueret vero Dei cultu: quem cultum etsi reciperent, nolebant tamen valedicere patriæ idololatriæ, sed mista & confusa utraque religione, & Deo vivo, & mutis suis idolis procumbebant. 3. *Manasse* frater Jaddi Pontificis Hierosolymitani, ducta in matrimonium filia *Saneballathi Horonitæ*, mandato Nehemiæ de dimittendis mulieribus peregrinis eo angustiæ redactus, ut vel uxorem vel spem Sacerdotii abjicere deberet, ope Saneballathi potestatem nactus est ab Alexandro Magno exstruendi templum in Garizim, monte Samariæ altissimo; ad quod deinde plurimi apostatarum Judæorum confugientes Pontificatum Manassæ arrogarunt. Tum erupit Secta Samaritanorum, quos inter & Judæos postea novercale odium arsit. Tum apertum est asylum, & præsidium factum omnibus prioribus erroribus. IOSEPH. *Antiqu. lib.* 2. *c.* 8.

De

De hoc monte sermocinatur Samaritana illa mulier *Joh. IV*, 20. *patres nostri in hoc monte* προσεκύνησαν, *adorarunt* &c. Vbi dogmata Pharisæorum cum doctrina Sadducæorum contulerimus, clarescet διαςολὴ, *oppositio* insignis inter ipsos, qui tamen uniti Christum aggrediuntur. *Marc. XII.*

XVII. Quamvis autem hæc Secta inter Judæos crassissima fuerit; suos tamen habuit amicos & buccinatores inter ipsos Pontifices. *Johannes Hyrcanus* Sadducæus fuit (21), GORIONIDES *cap.* 29. Ipsiusque filii *Aristobulus Alexander*, ut & *Ananus* junior, hujus Sectæ erroribus fuere incrustati, sic ut ipsam Mosis cathedram pestifera errorum hæresiumque contagio corrumperet. EVSEB. *hist. lib.* 2. *cap.* 23. (22) *ex* IOSEPH. *Antiqu. l.* 10. *c.* 18.

CAPVT XII.

DE ESSENIS.

Diversæ sunt etymologiæ nominum ESSAEORVM *seu* ESSENORVM. Eam sententiam plurimum facio, quæ derivat eos a Syriaca voce ܐܣܐ אסא *Asa* (1), θεραπεύειν, *sanare*, *mederi*. Hinc viri toties vocantur θεραπευταὶ, & fœminæ θεραπευτρίδες. IOSEPH. *de bello lib.* 2. *cap.* 12. *p.* 786. Licet enim primario operam darent Sacris Literis, se tamen totos *Medicinæ* studio applicuerunt.

II. Horum Essenorum duæ fuerunt species, θεωρητικοὶ, qui *speculationibus* animum pascebant, & πρακτικοὶ (2), qui huic *arti*, in qua eximii erant, quotidie sedulo manus operamque suam tradebant. De his posterioribus agit PHILO *lib. quod omnis vir probus &c.* De prioribus, *libro seq. de vita contemplativa.*

III. *Dogmata*, constitutionesque ipsorum ut plurimum congruunt cum doctrina *Pythagoræ* (3). Quamobrem animus est, primo proferre dogmata *Pythagoræ*, & deinde rem *Essæorum* persequi. In his ergo conveniunt:

IV. 1. *Pythagorici docebant communionem bonorum* (4), AVL. GELL. *lib.* 1, 9. item LAERT. *in Pythag.* Κοινὰ τὰ φιλῶν εἶναι. Commune marsupium habebant etiam *Esseni* (5), æqualiter divites, pauperesque. IOSEPH. *l.* 18. *c.* 2. Ex hoc communi thesauro, suo quisque defectui consulebat, injussu aliorum quoque necessitatibus succurrens. Solos cognatos absque Inspectorum consensu juvare nefas est. Inter se neque vendunt, neque emunt (6), sed alter alterius defectum complet. Permissum est, alterum ab altero, quo destituitur, petere citra commutationem. Mutuum sibi servitium præstant, quum dominium & servitium, vigente bonorum communione, consistere nequeant; servique plerumque fortunas dominorum suorum arrodant ac minuant, juxta dictum hoc R. GAMALIELIS; מַרְבֶּה עֲבָדִים מַרְבֶּה גָזֵל *multiplicans servos multiplicat raptores. Pirke Aboth*

Aboth c. 1. Peregre euntes nihil nisi arma, quibus vim propellant, assumunt. Quocunque enim vel oppido vel pago sunt, societati Essenorum se adjungunt, atque ibidem tanquam membra sustentantur. Præterea, si IOSEPHVM attente legimus, observabimus, Essenos cujusvis urbis coivisse in communem societatem sive collegium, quod, ubicunque fuit, duas ministrorum species habuit: Primo *thesaurarios* (7), qui communis gazophylacii, victus, potus, aliarumque rerum ac necessitatum curam gerebant. Secundo *alios*, quibus hospites peregrini e grege suo commendati erant.

V. 2. *Pythagorici vitia & instrumenta luxuriæ* (8) *evitabant.* IVSTIN. *lib.* 20. *c.* 4. Sic & *Esseni.* IOSEPH. *de bello lib.* 2. *cap.* 12. Huc referendum est, quod oleum adeo fugiebant (9), ut, si quis incautus eo adspersus fuerat, extemplo detergerent.

VI. 3. *Pythagorici amabant vestes albas* (10). SVID. *item* AELIAN. *de var. hist. lib.* 12. *c.* 32. Ita & *Esseni* amicti incedebant indumentis candidis, non ultra decorum & modestiam pretiosis. IOSEPH. *de B. lib.* 2. *c.* 12. Vbi vestem sumpserunt, non mutarunt eam (11), nisi longus usus eam attrivisset.

VII. 4. *Pythagorici jurejurando interdicunt* (12). LAERT. *in vit. Pyth.* Sic *Esseni.* PHILO IVDAEVS. Eum insignem nugatorem & mendaciorum propolam esse censebant, qui jurejurando fidem sibi parare deberet.

VIII. 5. *Pythagorici eximie venerabantur suos Seniores* (13). SVIDAS & LAERT. Sic *Esseni.* IOSEPH. *de B. J. lib.* 2. *cap.* 12. Totum corpus sive sodalitium Essenorum dispescuerant εἰς μοίρας τέσσαρας, *in quatuor ordines* (14) secundum ætatem. Jam si quis ex ordine primo attigerat alium ex ordine ultimo, se contaminatum pollutumque reputabat, ac si Paganum attrectasset.

IX. 6. *Pythagorici aquam potabant* (15). SVIDAS. Ita *Esseni* meram aquam bibentes, a vino omni alieni erant. PHILO *de vit. contempl.*

X. 7. *Pythagorici utebantur* θυσίαις ἀψύχοις, *sacrificiis inanimatis* (16). LAERT. *in vit. Pythag.* Sic *Esseni.* Dona templo submiserunt, nullum sacrificium offerentes: quoniam pluris fecerunt sacram suam aquam quam sacrificia. Ob quam rem reliqui Judæi ipsos a limine templi arcuerunt. IOSEPH. *Antiq. l.* 18. *c.* 2.

XI. 8. *Pythagorici statuminabant fatum in omnibus rebus* (17). SVIDAS. Sic *Esseni.* IOSEPH. *Antiq. lib.* 13. *cap.* 9. Tres hæreses in hoc aphorismo differunt. Ex mente *Pharisæorum*, fatum quædam, quædam arbitrii libertas gubernat. *Esseni* cuncta subdunt fatali necessitati, nihil arbitrio libero. *Sadducæi*, rejecto fato, arbitrii libertatem omnium humanarum rerum moderatricem statuunt.

XII. 9. *Pythagoricis non concessum fuit verba facere in schola quinque primis annis* (18); quod quinquennale silentium, a Pythagora suis auditoribus indictum, vocabant ἐχεμυθίαν ab inhibendo sermone. Sic

initiati

initiati fuerunt per quinquennale ſilentium, nec prius in conſpectum & præſentiam Pythagoræ admiſſi. LAERT. *in Pyth.* Huc referimus ſilentium *Eſſenorum*, quo muſſabant accumbentes, cum decem ſimul ſedentibus nemo loqueretur invitis novem. DRUS. *de* 3. *ſect. lib.* 4. Non fuit ipſorum mos loquentem interſtrepere; ſed vel capitis manusque nutu, vel digiti erectione, vel capitis motione, aliisque iſtiusmodi mutis ſignis aut faſtidium ſuum, aut dubitationem, aut approbationem &c. indicare.

XIII. Referri quoque poteſt ad quinquennale Pythagoreorum ſilentium Eſſenorum *initiatio* (19); nam non ſtatim quis ad ſocietatem eorum admiſſus eſt plena libertate, ſed quatuor annis probandus fuit. Primo anno accipiunt *dolabellam*, qua commodum locum exonerandæ alvo egerunt; περίζωμα, *ſubligaculum*, quo lavantes utuntur; *&* *veſtem* niveo candore nitentem, qua hæc Secta præprimis capitur. IOSEPH. *de B. lib.* 2. *cap.* 12. Hoc temporis fluxu familiaribus conſuetudinibus, extra tamen commune triclinium, utebantur. Secundo anno datur ipſis ſacrarum rerum communio, earumque inſtructio. Sequentibus duobus annis plena poteſtate admiſſos, obſervantiamque Eſſenorum legibus & conſtitutionibus jurejurando ſancte pollicitos, in ſocietatem ſive collegium recipiunt.

XIV. Quando quidam jusjurandum violat (20), congregantur centum eorum, perjurum exturbantes, brevi hanc ejectionem ſubſequente morte. Nulli enim, ſuſcepto ſemel hoc ordine, eleemoſynam, vel ullum cibum ab alio mendicare licebat. Quapropter talis corpus ſuum inſipidis noxiisque herbis paſcens corrumpebat illud, mortemque accelerabat. Interdum iſtiusmodi hominem morti proximum volebant recipere, plerumque autem contabeſcere ſinebant.

XV. 10. *Eſſeni adoravere verſus Solis ortum* (21). PHILO, item IOSEPHUS.

XVI. 11. *Eſſeni ſeipſos ſacramento devinxerunt ad ſervandum nomina Angelorum* (22). IOSEPH. *de B. J. lib.* 2. *cap.* 12. qui loquendi modus indigitat ſpeciem adorationis.

XVII. 12. *Supra omnes accurati & ſolliciti erant in obſervando Sabbatho* (23). IOSEPH. *ibidem.* Hoc die cibos parare, ignem ſufflare, vaſa è locis transferre, vel naturam levare timebant. Obſervabant etiam, teſte PHILONE *de vit. contempl.* ἑβδομάδων ἑβδομάδας, quavis ſeptima ſeptimana ſolennem Pentecoſten, quotannis ſeptem Pentecoſtas.

XVIII. 13. *Abſtinuerunt quoque connubiis* (24); non quod conjugium in ſe turpe ipſis videretur, aut quod meditarentur finem imponere propagationi, ſed quod extimeſcerent mulierum intemperantiam, perſuaſique eſſent, nullam fœminam conſtanti amore in maritum ſuum ferri. Hic cœlibatus non de omnibus Eſſenis in genere intelligendus: in hoc enim puncto ipſi inter ſe ſtudiis partium diffident. Quidam itaque prioris ſententiæ ſunt, quidam nuptias contrahunt propagationis amore. Nihilominus tamen tanta ipſi moderatione conveniunt, ut per triennium explorent

valetudinem fœminarum, & si constanti purgatione partui idoneæ apparuerint, ita eas in matrimonium adsciscunt. Nemo autem cum prægnante concumbit, ut ostendant, quod nuptias non voluptatis, sed liberorum causa inierint. Ultimus autem hujus Sectæ ordo propagatione liberorum hæresin suam proseminat; primus ordo eam ab interitu tuetur adoptione liberorum alienorum, quos tanquam cognatos juxta suæ disciplinæ regulas moderantur; uti testatur IOSEPHVS. Addit PLINIVS *lib.* 5. *hist.* *cap.*17. (25) multos alios Judæos, in senium vergentes, ultro se ipsis applicuisse, qui moti fuerint ad hoc, vel mutabili rerum turbidaque facie, vel memoria prioris curriculi vitæ, utpote cui totas habenas laxavissent; quasi hoc medio se ipsos pœnitentia quadam vellent castigare.

XIX. Quando & a quo hæc Secta exclusa sit, difficile est (26) dicere; quidam eos ætate *Rechabitis* æquales faciunt (27). SERAR. *Tribær. lib.* 3. *c.* 9. statuuntque *Rechabitas* tantum additis quibusdam peculiaribus regulis & constitutionibus distinctos fuisse a *Kenitis*, *Jud.* 1, 16. Atque ita per consequens *Essenorum* origo & ætas adscendet ad migrationem Israelitarum ex Aegypto. *Jethro* enim, socer Mosis, ut patet ex Textu, *Kenita* fuit. Sed neutrum horum verisimile est. Nam, 1 *Kenitæ* non dicuntur in S. Script. fuisse ordo peculiaris sive Secta, sed tantum distincta familia, genus, natio. *Num. XXIV*, 21. 2 *Rechabitæ* non exstruxerunt ædes, sed habitarunt sub tentoriis; neque terram agricultura exercentes, neque serentes, neque vineas colentes, neque possidentes. *Jer. XXXV*, 7. *Esseni* autem non sub tentoriis, sed ædibus mansitarunt, seduloque humum coluerunt. IOSEPH. *Antiq. l.* 18. *c.*2.

XX. Aliquis ex Hebræorum Magistris (28) ait, quod *Esseni* fuerint *Naziræi*. SCALIG. *Tribær. c.* 23. Sed hoc refellit Lex Naziræorum, jubens, ut, ubi dies Naziræatus ipsorum completi fuerint, comparerent ad portam tentorii templi. *Num. VI*, 13. Sed aditus templi Essenis, ut dictum est, non patebat.

XXI. Quamobrem incertum est, quando & quo auctore hæc hæresis eruperit. Primus, quem invenio insignitum nomine *Esseno*, fuit Judas, qui vixit tempore Aristobuli (29), Johannis Hircani filii, annis circiter centum ante incarnationem Salvatoris nostri. IOSEPH. *lib.* 13. *c.* 15. Vtut sit, hæc Secta vetustissima fuit, nam tres Sectæ *Sadducæorum*, *Pharisæorum*, ac *Essenorum* jam tempore Jonadabi, qui fuit frater Judæ Maccabæi, adeoque quinquaginta annis ante Aristobulum, viguerunt. IOSEPH. *lib.* 13. *cap.* 9.

XXII. Exploratum est, hanc Sectam prorepsisse ad dies Salvatoris nostri, & ulterius: nam PHILO & IOSEPHVS de ipsis loquuntur, ut eo tempore adhuc superstitibus. Quæ ergo ratio est, quod in N. T. eorum nulla injiciatur mentio (30)? Resp. 1. Numerus illorum PHILONIS & IOSEPHI ætate videtur exiguus fuisse, circiter quatuor millia; PHILO *lib. quod omnis probus &c.* *p.* 678. Et quum per multas urbes sparsi essent, Sectam suam distractam minuebant; tempore autem nostri Redemptoris Hierosolymis forsan vel nulli fuere, vel perpauci. 2. Si historias consulimus, invenientur illi nobis

nobis pacifici, moderati, nullique molesti, nec adeo lites conferentes, ut *Pharisæi* & *Sadducæi*, qui, invicem opinionum studiis distracti, Christum tamen unanimi consensu adoriuntur. 3. Cur illi non æque taceantur in N. T. præsertim cum nullos motus obloquendo, vel aliis in rebus excitarint, ac *Rechabitæ* in Vet. Test.? quorum semel tantum fit mentio, & quidem tum, cum jam ipsorum ordo stetisset per 300 annos, scil. ante testimonium Jeremiæ de ipsis; nam inter Jehu, qui tempore Jonadabi vixit, & Zedekiam Chronologi totidem annos numerant.

XXIII. Tandem, etsi nomen Essenorum in Scriptura non occurrat, in Epistolis tamen Pauli multa reprehensa legas (31), quæ Esseni in suis Scholis docebant. CHEMNIT. *Ex. Conc. Trid. part.* 4. *p.* 120. Ejus naturæ fuit istud consilium, quod Timotheo datur: *Ne amplius potato aquam, sed utere paululo vini.* 1 *Tim. V. v.* 23. Rursus, 1 *Tim. IV*, 3. *Probibere connubia & cibos, est doctrina* δαιμονίων, *diabolorum.* Præsertim *Col. II.* multa loca videtur Apostolus ipsorum dogmatibus opposuisse: *ne quis vos judicet in cibo & potione; vers.* 18. *nullus* ὑμᾶς καταβραβευέτω, *vobis dominetur, volens, in humilitate, & cultu Angelorum:* τί δογματίζεσθε, *quid dogmatibus gravamini? v.* 20. Apostolus utitur voce δόγματα, quæ Essenorum aphorismos & constitutiones notat. Sequenti *versu* 21 tangit quasdam res peculiares: *ne attingas, neque contrectes.* Jam autem diximus, quod Senioribus religio fuerit contrectare Juniores; & in sua diæta gustum ad panem, sal, aquam, & hyssopum adstrinxerant; quam victus rationem observarunt, ut PHILO ait, διὰ πόθον σοφίας, *ex amore sapientiæ;* Apostolus vero concludit, *vers.* 23. quod talia habeant λόγον σοφίας, *prætextum sapientiæ.* Et ubi PHILO *Essenorum* religionem vocat θεραπείαν, h. e. *cultum divinum*, Apostolus *eodem vers.* vocat ἐθελοθρησκείαν, *cultum voluntarium.* Vbi autem ille doctrinam ipsorum nominat φιλοσοφίαν πάτρων, *philosophiam a patribus haustam*, traditionibusque acceptam, hic ab ea deterret *vers.* 8.

XXIV. Antea notavimus duas *Essenorum* species; quorum quidam sunt *Practici*, quidam *Theoretici* (32). Vtrique in constitutionibus suis atque regulis & canonibus conveniunt, discrepant vero in quibusdam circumstantiis. 1. *Practici* incoluerunt urbes, quas vitantes *Theoretici*, villarum ac pagorum solitudines quæsiverunt. 2. *Practici* vitam suam terunt opificiis, ovium, apum, agrorumque cura, &c. suntque τεχνῖται, *artifices*. *Theoretici* consenescunt meditando, precandoque, unde κατ' ἐξοχὴν ipsi a PHILONE vocantur ἱκέται, *supplicantes.* 3. *Practicis* quotidie prandium & cœna indulgebatur, *Theoreticis* sola cœna. *Practicorum* quisque ex singulari scutella jus sorbet ac pane vescitur. *Theoretici* famem pellunt solo pane & sale. Si cujus palatum vero delicatius fuit quam alius, concessum ipsi est comedere hyssopum. Utrorumque vero sitim restinxit aqua communis.

XXV. Quidam arbitrantur hos *Theoreticos* fuisse Monachos Christianos (33). Sed contrarium dictitant hæ rationes. 1. Toto illo PHILONIS libro de his *Theoreticis* nulla mentio vel Christi, vel Christianorum, vel Evangelistarum, vel Apostolorum fit.

 2. *Theo-*

2. *Theoreticorum* Secta eodem libro non nova & haud pridem inchoata dicitur, quemadmodum Christiani tum temporis primo orti erant, ut patet ex verbis PHILONIS, A) quando eorum doctrinam appellat πάτρων φιλοσοφίαν, *a patribus acceptam Philosophiam;* B) quando inquit: *habent priscorum commentarios, qui hujus Sectæ auctores &c.* 3. Inscriptio libri non tantum est περὶ βίȣ θεωρητικȣ̃, *de vita contemplativa*, sed & περὶ ἱκετῶν, *de supplicantibus.* Quum autem PHILO totam Judæorum gentem vocitet τὸ ἱκετικὸν γένος, *nationem supplicabundam;* in aprico est, *Essenos* illos non e Christianæ, sed Judaicæ gentis sinu prodiisse.

CAPVT XIII.

DE GAVLONITIS ET HERODIANIS.

Aliæ præterea *factiones* sciderunt rem Judæorum, quæ improprie *Sectæ* (1) vocantur. Harum præprimis duæ fuerunt: I. GAVLONITAE. 2. HERODIANI.

II. *Gaulonitis* nomen dedit aliquis *Judas*, qui subinde nominatur *Judas Gaulonites* (2). IOSEPH. *Antiq. l.* 18. *c.* 1. subinde etiam *Judas Galilæus*, de quo loquitur Gamaliel *Act. V*, 37. *Postea surrexit Judas Galilæus in diebus descriptionis.* IOSEPH. *ibid. cap.* 2.

III. Hæc descriptio ea fuit, quæ facta est per *Cyrenium*, alias *Quirinum:* quod nomen uno modo in Græco habuit, ast diversimode apud Interpretes lectum. Hic Cyrenius, ab Augusto in Syriam Roma missus, in Judæam venit, quam Coponius Præses moderabatur; ubi istam descriptionem iniit, quam quidam incaute cum ea, cujus Lucas meminit *c. II*, 1. confundunt. Vtraque hæc descriptio imperata sub Augusto, differunt tamen (3). Nam 1. ea descriptio *Act. V.* solam Syriam & Judæam censuit; Hæc *Luc. II.* πᾶσαν τὴν οἰκȣμένην, *totum orbem habitabilem.* 2. Ea descriptio fuit facta, Archelao Herodis filio Viennam in exilium relegato, cum novennale Imperium gessisset; Hæc publicata sub Herode Magno. Quam sententiam stabiliunt verba Lucæ, qui hanc descriptionem vocat πρώτην, *primam* vel *priorem*, resp. *secundæ* illius.

IV. Causa hujus factionis ita se habuit (4): Cyrenio hunc censum colligente, opesque Archelai arripiente, surrexit hic Judas, recusataque descriptione, populo dixit, descriptionem istam esse apertum signum servitutis, & quod neminem deberent dicere Dominum, nisi eum, qui esset Dominorum Dominus, cœli Deus atque terræ. Vide IOSEPH. *loc. cit.* Qui ergo ipsi studuerunt, nuncupati sunt *Gaulonitæ*, & etiam *Galilæi* (5).

V. Eorum sanguis fuit, quem sacrificiis ipsorum miscuit Pilatus *Luc. XIII*, 1. (6) qui alias nationi Galilæorum non præerat, aut imperitare poterat. Ratio hujus commixtionis esse putatur, quod Galilæi vetarent,

rent victimas cædi pro salute Romani Imperii, aut Cæsaris; qua re ad iram impulsus Pilatus ipsos victimas parantes victimas fecit. OECVMEN. *Art.* 5, 37. THEOPHYL. *in Luc. XIII*, 1. IOSEPH. *lib.* 7. *de B. J. c.* 28. *p.* 985. Hujus factionis consortes fuere illi latrones, σικάριοι, quorum meminit Lucas *Act. XXI*, 38.

VI. Quod ad *Herodianos*. Illi, qui hos *Herodianos* Hæreticis accensent (7), hæresin eorum in duobus consistere dicunt. 1. Quod *Herodem Magnum* haberent pro Messia promisso (8), quia ipsius ut ἀλλοφύλε imperio cesserat Sceptrum Judæ; quale tempus adventum Messiæ indicare debebat. 2. Ipsius natalem diem superstitiosis sacris & festivitatibus quotannis restaurarent (9). De cujus natalitio die PERSIVS Poeta *Sat.* 5. ita canit: Quum

Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas; rubrumque amplexa catinum
Cauda natat Thynni; tumet alba fidelia vino.

Num hic sermo sit de *Herode Magno*, dubito; quoniam ne ullum ex Antiquis novi, qui meminerit natalis diei *Herodis Magni*. Alius fuit *Herodes*, scil. *Antipas*, τετράρχης Galilææ, cujus legimus natalem celebratum *Marc. VI*, 21.

VII. Prius, quod *Herodiani* Herodem pro Messia habuerint, licet id multorum Auctorum gravitate nitatur, scilicet EPIPH. *hær.* 10. THEOPHYL. *in Matth. XXII*, 16. &c. alii tamen non sine ratione eludunt. HIERON. *in Matth. XXII*, 17. Si enim *Herodiani* fuissent Judæi, quod plurimi eunt affirmatum, quomodo sibi potuissent persuadere, Herodem ἀλλόφυλον, *alienigenam* esse Messiam; quum constaret ex Prophetis, Messiam futurum esse *Judæum*, ex tribu *Juda*, & familia *Davidis?*

VIII. Aliis placet, *Herodianos* fuisse certos gnathones in aula Herodis (10), in gratiam sui Regis multa religionis puncta deserentes. BEZA *in Matth. XXII*, 17.

IX. Vt prætereamus multas alias opinionum nugas, ambabus ulnis amplector sententiam HIERON. *in Matth. XXII*, 17. statuentis, *Herodianos* eos fuisse, qui *dimicabant pro censu Cæsari dependendo* (11). Herodis enim fuit, Cæsaris descriptionem urgere, cui coronam debebat; non tam ratione gratitudinis, quam prudentiæ politicæ, ne is, qui ipsi coronam indulserat, quique eam ipsi rursus auferre poterat, regio ipsum solio excuteret. Quo respectu, cum Herodes quæreret Christum neci dare, & *Herodiani* cum Pharisæis fallaci verborum nexu intricare eum vellent, consiliumque contra eum inirent, dixit Salvator noster *Marc. VIII*, 15. βλέπετε ὑπὸ τῆς ζύμης, *cavete a fermento Pharisæorum & Herodis* (12), h. e. funesta doctrinæ lue, vulpinaque fraude.



MOSES ET AARON.

LIBER II.

DE

LOCIS.

CAPVT I.

DE TEMPLO.

Israelitis ex Aegypto egressis, jubetur Moses exstruere *Tabernaculum* (1), quod sit locus cultui publico sacer. Iis in terra promissionis confirmatis, Salomo, jussu Dei *Templum* molitur.

II. Hæc duo nobis depingunt discrimen *Synagogæ Judaicæ*, & *Ecclesiæ Christianæ*. *Tabernaculum* fuit mobile, unius brevisque temporis; *Templum* fixum, firmum, ac durabile. *Vetus Tabernaculum* antiquabile, uni populo brevique tempori adstrictum fuit. *Novum* perpetuum & ad mundi fines extensum. Præcipue delineant statum Ecclesiæ militantis & triumphantis (2). Vtrumque respicit David *Psalm. XV*, 1. *Jehovah, quis hospitabitur in tabernaculo tuo? quis habitabit in monte sanctitatis tuæ?*

III. In eadem valle eminent tres (3) montes, *Tzion*, *Moria*, & *Mons Calvariæ.* Mons *Tzion* (4) portabat urbem munimentumque Davidis; *Moriam* premebat Templum (5); monti *Calvariæ* (6) palus, ex quo pependit noster Servator, infixus fuit. Hi tamen tres montes communi nomine *Tzion* (7) dicti sunt. GENEBRARD. *in Chronol. l.* 1. *anno mundi* 3146. Hinc est, quod S. Scriptura de templo loquatur quasi exstructo in monte *Tzione*, cum ipsum *Moriæ* esset impositum.

IV. In *Templo* hæc tria sunt notatu digna (8). 1. *Sanctum Sanctorum* (9), conveniens choro sive anteriori parti nostrarum ædium basilicarum. 2. *Sanctum*, coincidens cum corpore ædium. 3. *Atrium*, referens nostra cœmeteria ambientia templum.

V. In

V. In *Sancto Sanctorum* erant χρυσοῦν θυμιατήριον, *aureum Thuribulum* (10), καὶ κιβωτὸς τῆς διαθήκης, *& Arca testamenti* (11). *Heb. IX*, 4. In ea *arca* erant tria (12): 1. *Vrna aurea* habens Mannam. 2. *Virga Aaronis* ἡ βλαστήσασα, *quæ fronduerat.* 3. Αἱ πλάκες διαθήκης, *Tabulæ Testamenti.* Sunt qui illud, ἐν ᾗ, *in qua* *Heb. IX*, 4. non referunt ad τὴν κιβωτὸν, *arcam*, sed τὴν σκηνὴν, *tabernaculum* vers. 1, 2, 3. & dicunt, in *tabernaculo* secundo, quod appellatum ἅγια ἁγίων, *Sanctum Sanctorum*, fuisse *urnam Mannæ*, *& virgam Aaronis*, *tabulasque Fœderis*; videl. *urnam & virgam* ante *Arcam*, *tabulam* autem in *Arca*. Ita MOSES KOTS. 210, 1. Sed tempore Mosis tria illa simul in *Arca* fuere; Salomonis autem ævo solas tabulas Testamenti *Arca* continuit. 1 *Reg. VIII*, 9.

VI. *Operculum* hujus *Arcæ* (13) vocatur ἱλαστήριον, *propitiatorium*, quod Legem operiret celaretque, ne coram Deo hominem accusaret. Typus erat Christi, qui quoque dicitur ἱλαστήριον, *propitiatorium* nostrum *Rom. III*, 25. & ἱλασμὸς, *propitiatio*. 1 *Joh. II*, 2.

VII. Ex utraque *operculi* extremitate stabat *Cherubinus* (14) passis alis, Deo oracula pandente e medio duorum istorum *Cherubinorum*. *Exod. XXV*, 22. Hinc Deus dicitur *sedere inter Cherubinos*. *Psal. XCIX*, 1. Forma *Cherubinorum* talis fuit, ut unius facies ad alterum obversa, utriusque vero ora & oculi in operculo defixi essent. Designare commode possunt *Judæos* & *Christianos*, qui se obverso vultu tuentur, idem tamen ἱλαστήριον Christum & Salvatorem anhelantes.

VIII. In *Sancto* collocatum erat *Altare thymiamatis* medium (15), & *mensa cum duodecim panibus propositionis* (16) ad unum; & *lychnuchus* ad alterum latus (17).

IX. *Altare suffitus* erat typus precum nostrarum *Psal. CXLI*, 2. Et quod Pontifex semel quotannis illud adspersit sanguine sacrificii pro peccato, *Exod. XXX*, 10. docemur, preces nostras Deo acceptas non esse, nisi sint sanctificatæ sanguine Christi.

X. *Duodecim panes* denotabant *duodecim tribus*, & *lychnuchus*, *verbum Dei*. In his omnibus cernere possumus necessitatem *precum* & *prædicationum*, si Deo volumus esse εὐάρεστοι, *grati*. *Lychnuchus prædicationis*, *thymiamata*, *precationis* monumenta & typi fuere.

XI. In tabernaculo Mosis saltem *una* fuit mensa (18), *unus*que lychnuchus; in templo Salomonis *decem* mensæ, *totidem*que lychnuchi; uti & in tabernaculi atrio *unum* tantum labrum æneum, in templi atrio *decem* erant, & aliud vas magnum, ex quibus se Sacerdotes laverunt. Tabernaculum solummodo duas tubas argenteas habuit, templum centum Sacerdotes, tubis clangentes.

XII. Illud duo saltem cinxere atria; 1. *Atrium Sacerdotum* (19), in quo posita erant *æneum altare* sacrificiis sacrum (20); & *labrum* (21), ex quo Sacerdotes & sese & sacrificia mundarent. *Labrum* & *Altare* *eodem* locata *atrio* significant idem, quod aqua & sanguis stillans ex hausto Christi latere, videl. necessariam conjunctionem sanctificationis & justificationis in omnibus

sal-

salvandis. *Labrum* & *aqua*, *sanctificationem*; *Altare* ac *sanguis*, *justificationem* notat. 2. *Atrium populi* (22). *Atrium* Sacerdotum & *atrium* populi distinxit murus trium cubitorum. IOSEPH. *lib.* 8. *cap.* 13.

XIII. *Atrium* populi sæpe vocatur *atrium exterius*, subinde *templum*, interdum *domus anterior*, sive *atrium Salomonis*, quod circumseptum erat multis porticibus, quæ populum orto imbre tutum reddebant. Retinuit nomen *Salomonis*, vel ob beatam ipsius memoriam recolendam, vel ob similitudinem porticuum istarum cum porticibus & vestibulo, quo Salomon templum circumvallavit. 1. *Reg. VI*, 3. *Jesus ambulabat in Sanctuario*, ἐν τῇ ϛοᾷ, *in porticu Salomonis*. *Joh. X*, 23. *Omnis populus concurrit ad eos*, ἐπὶ τῇ ϛοᾷ, *in porticu Salomonis*, *Act. III*, 11. h. e. exteriore vestibulo.

XIV. In medio *atrii* populi erexit Salomo *suggestum æneum* pro Rege (23). 2 *Chron. VI*, 13.

XV. Templum hoc populi *atrio* fuit circumcinctum; quod tempore Salomonis una & indivisa area fuit, postmodum autem depressiori vallo disjuncta, ita ut viri in interiore illius parte, fœminæ in exteriore starent (24). Hoc sepimentum & discrimen putatur esse factum tempore Josaphati, quem legimus stetisse *in domo Jehovæ ante atrium novum*, h. e. *atrium* fœminarum. 2 *Chron. XX*, 5.

XVI. Inter *atrium* fœminarum & virorum *scala* fuit *quindecim graduum* (25), in quibus gradibus Levitæ, quindecim illos Psalmos, qui immediate excipiunt Psalmum CXIX, singulos Psalmos in singulis gradibus modulabantur; unde & isti *Psalmi* dicuntur *Graduales*. R. DAVID KIMCHI *Psal. CXX.*

XVII. In fœminarum *atrio* posita fuit *capsa eleemosynaria* (26), ut patet ex *Luc. XXI*, 1. ubi vidua tenui sorte in eam immisit *duos minutos asses*. Ea *capsa* Hebr. vocatur קָרְבָּן *cista oblationum*. Sed hæc vox simpliciter notat *oblationem*, *donum*; quo sensu dicitur *Luc. XXI*, 4. *omnes hi ex sua redundantia miserunt:* εἰς τὰ δῶρα τοῦ Θεοῦ, *in donum Dei*, h. e. in τὸ *Korban*, sive in *cistam*. In Græco vocatur γαζοφυλάκιον, *gazophylacium*, *argyrotheca*. Ab hoc γαζοφυλακίῳ videtur differre ea argyrotheca, quam fabricavit *Jojada* 2 Reg. *XII*, 9. nam extraordinaria tantum fuit, renovando templo destinata, & juxta altare *atrii* Sacerdotum locata; in quam Sacerdotes, non autem offerentes, dona conjecerunt. Subinde totum *atrium* nuncupatur *gazophylacium* (27). *Hæc verba locutus est Jesus*, ἐν τῷ γαζοφυλακίῳ, *in gazophylacio*. *Joh. VIII*, 20.

XVIII. Notandum est, quod Hebraica vox צְדָקָה *eleemosyna* significet *justitiam* (28), adeoque doceat, eleemosynas nostras erogandas ex opibus juste acquisitis. Quo intuitu Judæi suam arcam eleemosynariam vocant קוּפָּה שֶׁל צְדָקָה *capsam justitiæ*, inque ea exarant hanc abbreviaturam מביא ex *Prov. XXI*, 14. מַתָּן בַּסֵּתֶר יִכְפֶּה אַף *donum in occulto subigit iram.* BUXTORF. *in abbrev.* מביא.

XIX. In Templo *Herodis* quatuor *areæ*, h. e. *atria*, fuere, unum pro *ſacerdotibus*, unum pro *viris*, unum pro *fœminis*, & unum pro legaliter *impuris* ac *peregrinis* (29). IOSEPH. *lib.* 2. *contr. Apion.* 1066.

XX. Hoc extremum *atrium impurorum & hoſpitum, intergerinus murus* lapideus trium cubitorum diſcrevit ab atrio fœminarum. Illum murum condecorabant pilæ paribus intervallis diſpoſitæ, hanc Inſcriptionem ferentes: ΜΗ ΔΕΙ ΑΛΛΟΦΥΛΟΝ ΕΝΤΟΣ ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΡΙΕΝΑΙ, *Non debet alienigena locum ſanctum tranſire.* IOSEPH. *de B. Jud. lib.* 6. *cap.* 6.

XXI. Templum Hieroſolymitanum ter exſtructum eſt (30), 1. a *Salomone*, 2. a *Zerubabele*, 3. ab *Herode*. Prius ædificium abſolutum eſt annis ſeptem. 1 *Reg. VI*, 38. Secundum annis quadraginta ſex, cœptum *ſecundo* anno Regis *Cyri Eſr. III*, 8, perfectum *nono* anno Darii *Hyſtaſpis.* IOSEPH. *Antiqu. lib.* 11. *cap.* 4. Sic fluunt anni: Cyrus imperium tenuit triginta annos; Cambyſes octo; abſolvitur templum nono anno Darii Hyſtaſpis; jam ſi demas unum annum Cyri imperio, habes annos quadraginta ſex. Herodis templum conſummatum eſt *octo* annis. IOSEPH. *Antiqu. lib.* 15. *cap. ult.*

XXII. Serram inter ſe reciprocant eruditi, multumque digladiantur, de quo templo ſermo ſit Judæorum *Joh. II*, 20. Τεσσαράκοντα καὶ ἓξ ἔτεσιν ᾠκοδομήθη ὁ ναὸς ὗτος, *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt hoc templum* (31). Multi exponunt de ſecundo templo, dicentes, quod Herodes id ſolummodo recuderit, non vero novum ſtruxerit. Hi autem in ſupputatione annorum in diverſum abeunt; Scripturaque aperte ait, domum iſtam fuiſſe expeditam ſexto anno Regis Darii. *Eſr. VI*, 15. IOSEPHUS quoque loquitur, *de novo Herodis templo, prius diruentis.* Probabilius ergo videtur, Judæos fari de *templo Herodis*, quod, licet *octo annis* erectum, hoc tamen tempore, quo Judæi hæc inquiebant, præciſe ſteterat quadraginta ſex annos. Tot enim anni intercurrunt *decimum octavum* annum imperii *Herodis* (quo templum ædificari cœptum eſt) & *annum baptiſmi Chriſti*, circa cujus tempus hoc eſſe dictum putatur. Toto hoc annorum tractu, templo quotidie plus dignitatis decoriſque ac perfectionis acceſſit, adhibita ſubtiliori lima; ſic ut hoc reſpectu tanto temporis fluxu templum ſtructum dici poſſit. Vide HOSPIN. *de Orig. Templ. cap.* 3. & *Supputat.* FUNCII *An.* 3, 47.

XXIII. Senes dicuntur obortis lacrimis contemplati eſſe *Templum ſecundum*, quod multo inferius eſſet templo *Salomonis*, dignitate & ornatu: *Eſr. III*, 12. Superatum autem eſt a templo priore (32) 1. *Aedificio*, quod multo imperfectius jam & inelaboratius erat. 2. *Vaſis*, quæ jam erant cuprea, antea aurea. HOSPIN. *ex Talmud. de Origin. Templ. c.* 3. 3. *Quinque rebus*, quæ fuerunt ſub templo primo, defeceruntque ſecundo (33). KIMCHI *in Hag. I*, 8. item R. SALOMON *ib.* Nimirum A) *Arca* Dei. B) *Vrim & Thummim*; Deus per hæc non reſpondit, ut antea. C) *Ignis* οὐρανοπετὴς, *delapſus cœlo*, qui in priori templo holocauſta abſorpſit. D)

Gloria Dei habitans inter Cherubinos, quam vocarunt שְׁכִינָה *inhabitationem Majeſtatis Divinæ.* Hoc reſpicit Apoſt. *Col. II,* 9. Ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς Θεότητος σωματικῶς, *In ipſo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter,* h. e. non in nubibus, ceremoniis, umbris, veluti inter Cherubinos, ſed *vere* & οὐσιωδῶς, *eſſentialiter.* E) *Spiritus Sanctus,* ſcil. illis inſpirans dona prophetiæ; nam inter Malachiam & Johannem Baptiſtam nullus ſurrexit Propheta, ſed fuerunt informati per בַּת קוֹל (34) *filiam vocis,* quæ eſt echo cœlitus allata. Et hæc eſt ratio, cur diſcipuli Johannis dixerint, *non audivimus,* εἰ πνεῦμα ἅγιόν ἐστι, *eſſe Spiritum Sanctum.*

XXIV. Hic quæri poſſet, qui verificetur prophetia *Haggai cap. II,* 9. (35) כָּבוֹד *Gloria domus hujus poſterioris major erit quam illius prioris.* Reſp. Templum Herodis, quod loco illius exſtructum eſt, majori fuit cultu, & ſuperbiori ædificii ſplendore, quam Salomonis templum, fuit & glorioſiore dignitate, dum Chriſtus in eo docuit.

XXV. Poſtea milites *Titi* ſubditis facibus magnificum illud *Herodis* templum igni depaſcendum dedere, qui nulla humana induſtria compeſci potuit. GENEBRARD. *Chron. lib.* 2. *Anno Ch.* 69. Eadem tempeſtate templum *Delphicum* Gentibus frequentiſſimum, terræ motu & æthereorum lapidum imbre concuſſum corruit, nec unquam cum Hieroſolymitano reſtaurari potuit (36). Qui utriusque miraculi concurſus docuit, adeſſe finem *ceremoniarum Judaicarum,* & *Gentium idololatriæ,* eorumque caſu ſtabiliendum Filii Dei regnum.

CAPVT II.

DE SYNAGOGIS, SCHOLIS, ET ΠΡΟΣΕΥΧΑΙΣ.

Vocabulum, *Synagoga* (1), Græcum eſt, venitque a συνάγω, *colligo,* ſic ut quibusvis rebus colligendis adhibeatur; ut συναγωγὴ γάλακτος, *copia lactis,* συναγωγὴ πολέμου, *collectio eorum, quæ ſunt ad bellum neceſſaria. Deus ſtat* בַּעֲדַת־אֵל ἐν συναγωγῇ, *in cœtu Dei Pſ. LXXXII,* 1. Veruntamen *Synagogæ* plerumque ſumuntur pro ædibus divino cultui ſacris, in quibus fas fuit precari, concionari, diſputare, non autem ſacrificare. Hebræis dicitur συναγωγὴ בֵּית הַכְּנֶסֶת *domus congregationis. Templum Hieroſolymitanum* velut caput & baſilica fuit; *Synagogæ* tanquam Parochiæ, ad illud pertinentes.

II. Tempus, quo cœperint *Synagogæ* (2), definire, arduæ operæ eſt. Veriſimile tamen eſſe puto, eas exſurrexiſſe Iſraelitis in terra promiſſionis conſtabilitis, ſuſcitatoque templo. Quod quum longius remotum eſſet ab iis, quos latum locorum intervallum disjunxit, in cauſa fuiſſe autumo, Judæos in certas *Synagogas,* templi vice, coiiſſe. Aevo Davidis eas jam ſtetiſſe, patet ex *Pſ. LXXIV,* 8. *Cremarunt omnes Syna-*

Synagogas Dei כָּל־מוֹעֲדֵי־אֵל *in terra*. Et *Moses ab ætatibus antiquis habuit, qui ipsum prædicent* κατὰ πόλιν *oppidatim, legiturque* ἐν ταῖς συναγωγαῖς *per singula Sabbata. Act. XV*, 21.

III. Hierosolyma continebat 480 *Synagogas* (3) præter Templum, cum pro Judæis tum pro peregrinis. SIGONIVS *de Rep. Hebr. l.* 2. *c.* 8.

IV. *Synagoga* aliqua peregrinorum dicitur συναγωγὴ Λιβερτίνων. *Act. VI*, 9. (4). Vnde hæc *Synagoga* ita denominata sit, seu de *Libertinis* Romanorum manumissis, qui contradistincti fuere *Ingenuis*, h. e. in libertate natis, (nam multi horum *Libertinorum*, Proselyti facti, suas *Synagogas* habuerunt. PHILO *in legat. ad Cajum.*) seu de *Lubar*, quod notat *editum locum*. Vide TREMELL. *Act.VI*, 9. (sicut enim Templum, ita ipsorum *Synagogæ* & *Scholæ* collibus & eminentibus locis fuerunt impositæ: ob id dicitur *Prov. VIII*, 1, 2. *in vertice locorum sublimium Sapientia clamat*): hoc judicio Lectoris committo.

V. Extra Hierosolymam, in aliis urbibus & tractibus terræ (5), multæ frequentesque fuere *Synagogæ*; in *Galilæa. Matth. IV*, 21. *Damasci. Act. IX*, 2. *Salamine. Act. XIII*, 5. *Antiochiæ. Act. XIII*, 14. Immo traditio ipsorum habet, *quod, ubi saltem decem viri Israelitæ commorentur, opus sit Synagoga* (6). MAIMON. *in Tephilla cap.* II. *sect.* I.

VI. Illorum *Synagogæ* varias Inscriptiones ostendebant. BVXTORF. *de Abbrev. p.* 73. 81. 174. Portæ inscriptum erat illud *Ps. CXVIII*, 20. זֶה־הַשַּׁעַר לַיהוָה צַדִּיקִים יָבֹאוּ בוֹ. *Hæc est porta Jehovæ, quam justi ingrediuntur.* In pariete legebantur hæ & ejusmodi sententiæ: *Memento tui Creatoris, & in humilitate intrato domum Domini Dei tui.* Et, *Oratio sine devotione est instar corporis absque anima.* Item, *Silentium conducibile est tempore precum.*

VII. Quemadmodum atrium populi ante templum divisit murus in duas partes, quarum alteram mulieres, alteram mares frequentabant; ita in *Synagogis* mulieres separatæ a viris sunt (7) clathris & transennis sive fenestris reticulatis. TALMVD. *in Tract. Succah. cap.ult.* BVXTORF. *Synag. cap.* 9. *p.* 221.

VIII. In talibus *Synagogis* Νομικοὶ, *Legisperiti* & *Rabbini* docebant, non autem soli, siquidem & *Christus* in iis docens consedit (8) &c. Is, qui facultatem concessit in iis concionandi, appellabatur Ἀρχισυνάγωγος *Synagogæ Princeps* (9). *Marc. V*, 22. Fuit etiam in iis *minister*, qui præbuit librum concionaturo, recepitque lecto textu. Et *Christus* πτύξας τὸ βιβλίον ἀποδοὺς τῷ ὑπηρέτῃ, *complicatum librum reddidit diribitori. Luc. IV*, 20. Hic *apparitor* seu *minister* creditur esse is, quem vocant שְׁלִיחַ צִבּוּר *ædituum Synagogæ* (10).

IX. Differunt *Scholæ* a *Synagogis* (11). Paulus διαλεγόμενος, *disserens ad tres menses in Synagoga, quum quidam verbo non assentirentur*, κακολογοῦντες τὴν ὁδὸν, *maledictis insectantes viam istam, abscessit ab ipsis, separavitque discipulos, quotidie sermonem serens in Schola cujusdam Tyranni. Act. XIX*, 8, 9. *Schola* subinde vocatur sim-

simpliciter בית *domus*, ut claret ex his verbis: *Octodecim res, de quibus contentio fuit inter domum Sammai & domum Hillelis* (12), *ne Elias quidem abolere posset.* DRUS. *de 3. Sect. lib. 2. cap.* 10. hoc est, inter ipsorum duas *Scholas*. Subinde etiam *Schola* vocatur בית המדרש *domus subtilitatis & acuminis*. Hic quæstiones motas intimius rimabantur, quam in *Synagoga* vel Templo, proptereaque eum locum discutiendis rebus aptiorem præstantioremque ipso templo habebant. Huc facit illud dictum: *se posse Synagogam convertere in Scholam, non autem Scholam in Synagogam, quum sanctitate Synagogam Schola vincat.* MAIMON. *Tephilla cap.* II. *sect.* 14. Et illud *Psalm. LXXXIV*, 4. *eunt de virtute ad virtutem*, exponunt; ac si esset gradus promotionis ex *Templo* ad *Scholam*. PARAPHR. CHALD. in hunc locum. In *templo* sermo videtur velut fusus ad *populum*, in *schola* ad *Clerum*.

X. Ac sicuti quævis urbs & plaga suas *Synagogas*, ita & *Scholas* colliculis incumbentes (13) habuit. Mentio fit *collis Moræ Jud. VII*, 1. h. e. *collis Doctoris*.

XI. Quando Magistri suos discipulos erudierunt, dicti sunt *dare* (14). *Da sapienti, & sapiens fiet adhuc insuper. Prov. IX*, 9. Vbi discipuli quid discendo hauriebant, dicebantur illud *accipere*. *Audi, fili mi, & accipe dicta mea. Prov. IV*, 10. Vnde natum est illud Apostoli 1 *Tim. I*, 15. πιςὸς ὁ λόγος, καὶ πάσης ἀποδοχῆς ἄξιος, *fidelis est sermo, & omni acceptione*, h. e. discendi cupidine, *dignus*. Quales loquendi modi ipsis Latinis familiares sunt. *Da, si grave non est*, h. e. dic, HORAT. *lib.* 2. *Sat.* 8. *Sed tamen, iste Deus qui sit, da Tytire nobis*, VIRG. *Bucol. Eclog.* 1. *vers.* 19. *Accipe nunc Danaum insidias.* IDEM *Aeneid. lib.* 2. *vers.* 65.

XII. An ipsorum *Oratoria*, seu προσευχαὶ, (loca precibus sacra) differant ab ipsorum *Scholis* (15) vel *Synagogis*, nondum compertum mihi est. Nihil probat, quod illorum quædam extra urbium muros fuerint: nam ibidem & *Scholas* & *Synagogas* moliri licebat. EPIPHANIUS *Tom.* 2. *l.* 3. *c.* 80. disserit de his *Oratoriis*, sed ne unico verbo prodit, permissa in iis fuisse opera politica. Si hoc asseri posset, differentia etiam facile assignari posset. Quidam *Oratoria* cum *Synagogis*, BEZA *art.* 16, 13. alii cum *Scholis* miscent, PHILO IUD. *de vita Mosis p.* 530. De ejusmodi *Oratorio* seu προσευχῇ sermo est *Act. XVI*, 13. ubi Paulus *consideus* locutus est mulierculis coactis; qui gestus adumbrant potius *prædicantem* quam *orantem*.

XIII. Verum quidem est, frequentissimus mos fuit & gestus, *stando, genua flectendo, sedendoque* precari (17). *Abraham adhuc substitit coram Jehova, Genes. XVIII*, 22. h. e. oravit. *Publicanus procul stans* in cœlum preces misit. *Luc. XVIII*, 13. Hinc profectum est proverbium ipsorum: *Sine stationibus non subsisteret mundus*, R. IUDA *in lib. Musar.* Vid. DRUS. *præter. Matth. VI*, 5. *Stephanus positis genibus* precatus est. *Act. VII*, 60. *David consedit coram Jehova & dixit &c.* 2 *Sam. VII*, 18. Quando autem sedendo oratio ad populum, non ad Deum, habetur, notat *prædicationem*, non *precationem* (18).

XIV.

XIV. Verisimile est, egenos, ut ad portam templi, ita ad fores harum προσευχῶν *ædicularum*, confluxisse (16), stipis capiendæ gratia; unde quibusdam προσευχὴ idem est, ac xenodochium vel sacellum. IVVENALIS *Sat.* 3. inquit: *Ede ubi consistas, in qua te quæro proseucha?*

XV. Talmudici flagellant segnitiem populi in precando, dicuntque, triplex *Amen* ab eo, sed male, usurpari (19). CANIN. *de locis* N. T. *c.* 5. *p.* 38. *Amen debile*, quod vocant יְתוֹמָה *pupillum*, quando absque fervore orabant. *Amen concitatum* seu *præpes*, quod dicunt חֲטוּפָה *surreptitium*, quando τῷ *Amen* precis finem præoccupabant. Denique *Amen socors*, quod appellant קְטוּעָה *sectile*, quasi in duas partes sectum, per oscitantiam; sic scil. *Amen*, quod in orationis clausula hiscenti rictu effutiebant.

CAPVT III.

DE PORTIS HIEROSOLYMAE.

Portæ in circuitu Hierosolymæ novem (1) fuerunt: SCHINDLER. *Pentagl.* *Porta probatica Neh. III*, 1. Hæc fuit propinqua templo, & intromisit oves mactandas, atque lotas in κολυμβήθρᾳ, *natatoria Bethesda* (2), quæ proxima *portæ* fuit. *Porta piscium. Neh. III*, 3. Ante hanc *portam* Judas putatur sibi fauces elisisse. Quorumdam opinio statuit, duas has *portas*, ut & *portam equorum Neh. III*, 28. ita dictas fuisse, quod essent instar trium fororum, προβατοπωλεῖς, ubi *oves*, ἰχθυοπωλεῖς, ubi *pisces*, & ἱπποπωλεῖς, ubi *equi*, venales fuerint. STVCKIVS *Conviv. lib.* 2. *c.* 11. *Porta vetus* ita vocata creditur, quod fuerit ex reliquiis Jebusitarum, nec disjecta ab Assyriis; vicina illa fuit monti *Calvariæ*, extra quam Christus ἐσταύρωται *in crucem actus est*. Quantum ad ceteras *portas*, de iis nihil memorabile occurrit.

II. Quod attinet *portas templi* (3), duæ sunt notabiles, quas Salomo excitavit. *R.* IVDA *in l. Musar.* DRVS. *præter. Joh. IX*, 22. Altera illarum patebat *novis conjugibus*, altera *pœnitentibus* & *excommunicatis*. *Pœnitentes* discernebantur ab *excommunicatis* operiendo labia suarum vestium parte. Nemo subiit istam *portam* denudatis labiis, nisi *excommunicatus*. Israelitæ autem, qui Sabbatis considebant inter has portas, applausere *novis sponsis* ita: *Ille, cujus nomen habitat in hac domo, hilaret vos liberis.* *Pœnitentibus* dixerunt: *Ille, qui habitat hanc domum, lætitia & solatio vos perfundat.* *Excommunicatis* hæc dederunt: *Ille, qui habitat hanc domum, commoveat corda vestra ad audiendum verba sociorum vestrorum.*

III. Inter Judæos *portæ munitissimæ* fuerunt (4), sic ut iis captis vel propugnatis tota urbs capta vel propugnata videretur. Simul etiam eædem *fora judiciaria* erant (5), in quibus Judices consulere & causas dirimere solebant. Vnde natus est

 ille

ille loquendi mos, πύλαι ᾅδȣ ȣ̓ κατισχύσȣσιν ἀυτῆς, *Portæ inferni non prævalebunt ei*, scil. Ecclesiæ. Et *hæreditabit semen tuum portam inimicorum suorum. Gen. XXII*, 17.

CAPVT IV.

DE LVCIS ET CELSIS.

Antiqui Pagani non tantum nulla templa struxerunt (1), sed & struere nefas putarunt. HOSPIN. *de Templ. p.* 1. Ratio creditur esse, quod nullum templum spatiosum satis & amplum *Soli*, summo suo Deo, existimarent. Inde prognatum illud dictum: *mundus universus est templum Solis.* ALEX. AB ALEX. *l.* 2. *c.* 22. Dilutum insuper ipsis videbatur, infinitam, quam concipiebant, Divinitatem parietibus coercere. Propterea que, cum successu temporis usus templorum increbresceret, tamen suum Deum *Terminum* aliosque *Colossos* coluere in templis superne detectis, quæ ob id vocarunt ὑπαίθρια, *subdialia.*

II. Hanc ego conjiciam esse rationem, cur colles & montes, ut suæ idololatriæ faventes, elegerint. Hi montes sacri sunt *Celsa* ista (2), quæ Sacra Scriptura toties vetat.

III. Postmodum, parturientibus Diis, ipsorum sacri montes multiplicati sunt, sic ut ab iis Dii Deæque sua nomina mutuarentur; velut *Mercurius Cyllenius*, *Venus Erycina*, *Jupiter Capitolinus.* Denique ut suis sacris montibus aliquam dignam speciem inducerent, eos arboribus inumbrarunt. Vnde manavit mos initiandi *Montes* & *Lucos* (3), qui diu Diis nomina dedere. Tandem cœperunt quædam speciosæ & viscosæ arbores sacrari (4). VIRG. *Eclog.* 7.

Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho;
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo.

Gallorum Magi *Druidæ* nihil sacratius habuerunt quercubus; ut inde appellati quoque sint interpretatione Græca, siquidem δρῦς est *quercus.* PLIN. *Nat. Hist. lib.* 16. *cap.* 44. Hetrusci venerati sunt palmam. Inter Celtas quercus procera Jovis idolum retulit. MAXIM. TYRIVS *differt.* 38. *fol.* 225. *edit. Steph.*

IV. Apud Israelitas pullulavit hæc idololatria sub Judicibus *Othniele* & *Ehud. Jud. III*, 7. quæ tandem adeo proserpsit invaluitque, ut Israelitis essent Sacerdotes peculiares, nominati *Prophetæ Luci*, 1 *Reg. XVIII*, 19. immo & *Idola Luci*, h. e. peculiares Dii, queis suos *lucos* dedicarant. 2 *Reg. XXI*, 7. 2 *Chron. XV*, 16. Quemadmodum Christiani erectis initiatisque templis, alicujus *Sancti*, *ut S. Petri, S. Pauli, S. Andreæ, &c.* nomen imponunt: ita illi suos *lucos* certis Idolis consecrarant, de quibus testantur profani Scriptores; unde *Diana Nemorensis*, *Diana Arduenna*, *Albu-*

Albunea Dea, a *nemoribus lucis*que ſua nomina ferunt, in quibus cultæ ſunt.

V. Idolum quoque ſubinde ſumit nomen *Luci* (5). *Joſias exportavit Lucum e domo Jehovæ.* 2 *Reg. XXIII*, 6. Veriſimile eſt, *Lucum* in hoc Idolo fuiſſe adumbratum & delineatum, ſicut argenteæ deſcriptiones Templi Dianæ, quas fecerat Demetrius, vocantur *templa argentea. Act. XIX*, 24.

CAPVT V.

DE ASYLIS.

Hæc *Aſyla* (1), a Deo ordinata, differunt ab *Aſylis Herculis* & *Romuli* aliarumque gentium (2); quoniam Deus illi ſoli indulſit portum, qui voluntaria ſe non polluerat cæde, ſed quoad propoſitum innocens erat. Reliqua vero communia ſacella ſeu ſacra loca erant, & tam reis quam innocentibus patebant.

II. Si quis proximum ſuum per errorem, aut incaute, aut fortuito ſuſtulerat e medio (3), homicidæ iſti primitus erat conceſſum confugere ad *Altare* (4), quod liquet ex verbis *Exod. XXI*, 14. *quum quis proterve egerit cum proximo ſuo, ad occidendum eum aſtu, eum ab altari meo rapies.* Et licet nobis opinari, hunc confugii morem receptum fuiſſe, ex facto Joabi. 1 *Reg. II*, 28.

III. Ne autem altare nimis procul abeſſet ab eo loco, in quo cædes facta eſt, veriſimile eſt Deum propterea dediſſe certa *Aſyla*, quæ proinde etiam creduntur æquo ſpatio ab invicem in terra Canaan diſpoſita fuiſſe. Horum *Aſylorum* ſex erant (5). *Betzer* in terra *Rubenitarum*, *Ramoth* in *Gileade Gaditarum*, atque *Golan* in *Baſchane Manaſſitarum*. Has tres urbes ſelegit *Moſes* cis Jordanem. *Deut. IV*, 41, 43. Tres urbes ceteræ a *Joſua* lectæ, in terra Canaan, erant *Kedes* in *Galilæa* in monte *Naphthali*, *Sichem* in monte *Ephraimi*, & *Kiriath Arba*, quæ eſt *Hebron*, in monte *Judæ. Joſ. XX. verſ.* 7. Ejusmodi alias tres urbes Iſraelitis Deus promittit ſub conditione obedientiæ, quum dilataverit terminos ipſorum. *Deut. XIX*, 8, 9. Sed inobedientia & contumacia eorum videtur hujus promiſſi impletionem ſufflaminaſſe, Sacra Scriptura eam ſilente.

IV. Quod ad has urbes, Hebræi produnt memoriæ, ad locum *Deut. XIX*, 3. *parabis tibi viam* (6), quod Synedrium, ſeu magiſtratus Iſraeliticus, debuerit vias parare ad *Aſyla* ducentes, eas planare, dilatare, & ab omnibus ſcandalis & impedimentis expurgare. Non eminentia, non foſſa, non lama viam intercludere, ſed pons ſterni, & liberum iter confugienti præſtari debuit. Latitudo viarum non minus triginta duorum cubitorum erat: & in compitis ſcribebant *Aſylum*, *Aſylum*, ut percuſſor ſciret, qua ſibi fugiendum eſſet. R. SAL. IARCHI, *Deut. XIX*, 3. MAIMON. *in Rotſeach.*

Rotſeach. c. 8. *ſect.* 5. Quotannis decima quinta menſis Adar ſeu Februarii emittebantur a Magiſtratu, qui vias reparabant.

V. Conſtitutum quoque erat, ut duo aut tres ſapientes (7) *vindici*, *percuſſorem* inſequenti (8), perſuaderent, ne involaret in illum, priusquam res audita & inquiſita eſſet.

VI. *Modus inquiſitionis* ita ſe habuit (9): *Conſiſtorium*, aut *judicium*, quod in eo tractu fuit, ubi cædes patrata, retractum ex Aſylo percuſſorem, coramque tribunali poſitum, exquiſite examinarunt; quem, ubi voluntariæ cædis convictus fuit, neci, ubi autem involuntarium homicidium commiſiſſe deprehenſus eſt, extra vitæ diſcrimen Aſylo reddiderunt.

VII. Ibi non ſolum mœnia, ſed totus urbis tractus & limites, qui certis ſpatiis deſcripti erant, ei tutum receptum dedere, usque ad obitum Pontificis præſentis: quo die ſonti ad ſuum focum & ad ſuam urbem, ex qua profugit, redire licuit. *Joſ. XX*, 6. PAVL. FAGIVS *Num. XXXV*, 6. Hac ratione *percuſſor* abſolutione quidem & vita gaviſus eſt, nihilominus tamen ſede ſua pulſus, exilii ſpeciem ſubiit, ut ipſe criſtam, *vindex* bilem remitteret. *Areopagitæ* conſimili ratione *percuſſorem* ἀπογενιαυτισμῷ *annali exilio* multarunt. MASIVS *in Joſ. XX.*

VIII. Cur tempus hujus exilii morte præſentis Pontificis terminatum ſit (10), in diverſum ſcinduntur interpretes. Plauſibile tamen eſt, *percuſſorem* in iſta urbe, velut exilio, tempus triviſſe usque ad obitum Pontificis, quod piaculum directe contra ipſum ederetur, ut qui eſſet ἀρχηγὸς, *antiſtes* & *princeps* ſanctitatis, & quaſi primarius terræ Deus. MASIVS *ibidem.*



MOSES



MOSES ET AARON.

LIBER III.

DE DIEBVS ET TEMPORIBVS.

CAPVT I.

DE DIEBVS, HORIS, SEPTIMANIS, ANNIS.

Priusquam de Judæorum *feſtis* agamus, opus erit præfatione aliqua de diſtributione *dierum*, *horarum*, *ſeptimanarum* (1) &c.

II. Ipſorum *dies* duplex fuit: *Naturalis,* conſtans *die* & *nocte*, ſive XXIV horis; & *Artificialis* (2), quem Sol oriens orditur, occidens finit. Hinc natum illud, *Joh. XI*, 9. Οὐχὶ δώδεκά εἰσιν ὧραι τῆς ἡμέρας; *nonne ſunt duodecim horæ diei* (3)?

III. *Naturalis dies* rurſus duplex erat: *Civilis* & ἐργάσιμος *profeſtus*, qui datus eſt *operibus civilibus,* quique ab ortu Solis cœpit, & ad ſequentem Solis ortum deſiit. *Matth. XXVIII,* 1. ſive *Sacer,* ἄπρακτος *feſtus* (4), conſecratus *ſanctis exercitiis.* Hic cum occumbente Sole natus, & cum occumbente Sole terminatus eſt.

IV. *Nox* ipſorum in quatuor partes ſeu majores *horas* diſtributa erat, quæ dicebantur *nocturnæ vigiliæ* (5), & quarum quævis tres minores *horas* habebat. Primam partem ſeu *vigiliam* appellabant ראש אַשְׁמֻרוֹת *caput vigiliarum, Thren. II,* 19. Secundam אַשְׁמֹרֶת תִּיכוֹנָה *vigiliam mediam Jud. VII,* 19. vocabant; non ideo, quod eſſet media inter tres *noctis vigilias*, uti DRUSIUS *Jud. VII*, 9. nobis perſuadere vult, ſed quod ea flueret usque ad *altam* ſeu *mediam noctem.*

ctem. *Tertia vigilia, nocte media* initium, & *hora tertia matutina* finem sumpsit. *Si venerit* ἐν τῇ δευτέρᾳ καὶ ἐν τῇ τρίτῃ φυλακῇ *secunda aut tertia vigilia Luc. XII*, 38. *Postrema* dicta *Exod. XIV*, 24. אַשְׁמֹרֶת הַבֹּקֶר *vigilia matutina*, oriebatur *hora tertia*, desinens *sexta matutina*. *Quarta noctis vigilia abiit Jesus ad ipsos, ambulans super mari. Matth. XIV*, 25. Hæ *vigiliæ* & aliis nominibus veniunt, quæ respondent iis *noctis* partibus, quas quævis *vigiliarum* describit. *Prima* vocatur ὀψὲ *sero. Secunda* μεσονύκτιον *media nox. Tertia* ἀλεκτοροφωνία *gallicinium. Quarta* πρωῒ *mane. Nescitis quando herus venturus sit*, ὀψὲ *vesperi* (*sero*), ἢ μεσονυκτίου aut *media nocte*, ἢ ἀλεκτοροφωνίας *aut gallicinio*, ἢ πρωῒ, *aut diluculo. Marc. XIII*, 35.

V. *Dies* itidem divisus erat in quatuor partes (6), uti patet ex parabola de operariis in vineam μεμισθωμένοις *pretio conductis Matth. XX. Primus quadrans* cœpit *hora sexta matutina*, desiit *hora nona. Secundus quadrans* perrexit ad *horam duodecimam. Tertius quadrans* ad *horam tertiam pomeridianam. Quartus quadrans sexta vespertina* clausus est. *Quadrans primus* dicitur *tertia hora, vers.* 3. *Secundus quadrans hora sexta, vers.* 5. *Tertius hora nona, vers.* 5. *Quartus hora undecima, vers.* 6. Vbi nota, quod tres priores *quadrantes* suum nomen ducant ab illa *diurna hora*, quæ *quadrantem* quemvis clausit. Nam *horas* computare solebant, initio a minoribus *horis*, scil. *sexta matutina*, facto. Sic ut nostris *horis* 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12, 1, 2, 3, 4, 5, 6 responderent ipsorum *horæ* 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10, 11, 12. Verum *ultima hora* i. e. a Salvatore nostro vocatur *undecima*, cum ratione ceterarum *horarum* & vulgi vocari debuerit *hora duodecima*; quo docemur, quod Deus, etsi mera gratia operarios *undecim diei horis* in vineam suam conducat, vix tamen quemquam duodecima vocet; quum ea sit potius *hora* servos solvendi, quam novos admittendi.

VI. Quidam Interpretum, inter quos TOLETUS *in Joh.* XIX. *annotat.* 8. deprehendentes versu 1. hujus parabolæ τὸ πρωῒ *mane*, computant quatuor *diei quadrantes* ita: *hora prima, hora tertia, hora sexta, hora nona*; quasi *primus ternarius* a *prima* usque ad *tertiam* iverit, & dictus fuerit *hora prima*; *secundus* a *tertia* usque ad *sextam*, & dictus *hora tertia*; *tertius* a *sexta* usque ad *nonam*, & dictus *sexta*; *quartus* a *nona* usque ad *ultimam*, quæ erat *duodecima*, & dictus sit *nona*. Sic TOLETUS refellit receptam licet a multis recensionem, (ut ipse ait) quoniam de *undecima*, cujus meminit parabola, altum apud hos silentium. Jure quidem vapulant a te, TOLETE, qui excludunt *undecimam*: constanter tamen asserenda est contra te quadripartita *diei* divisio. Illorum Interpretum error in hoc potissimum consistit: 1. quod *horam primam* faciunt, non inveniunt; & *horam undecimam* inveniunt, excludunt tamen, cum nihil a mente Evangelistarum magis alienum sit, quam τὴν πρωΐαν (*tempus matutinum*) verti *horam primam diei*, quæ vox in illorum scriptis sonat *quartam noctis vigiliam*. 2. quod *ultimum quadrantem diei* constituant *horam nonam*: quid enim tum *undecima hora*, cujus mentionem facit eadem parabola?

VII.

VII. Hac quadripartita *diei* divisione in *quadrantes* seu *horas majores* conciliantur Evangelistæ circa passiones Salvatoris nostri (7). Ἐσταύρωσαν αὐτὸν, *cruciarunt eum hora tertia, Marc. XV*, 25.: *Johannes XIX*, 14. prodit ipsum coram Pilato exploratum, cum esset ὥρα ὡσεὶ ἕκτη, *hora quasi tertia*. Priori loco per *crucifixionem* non intellige *suffixionem* ad lignum, quæ non fuit ante *horam sextam. Luc. XXIII*, 44. nec ejus ἔκπνευσιν *exspirationem*, quæ non facta ante *horam nonam. Marc. XV*, 34. sed examen Pilati, quo tempore populus ingeminavit σταύρωσον, σταύρωσον, *crucifige, crucifige:* Sic *tertia* & *sexta horæ* facillime consonabunt; nam, his *duabus horis* immediate se comitantibus, id, quod *hora tertia* factum est, *horæ sextæ* convenienter adscribi potest.

VIII. Tandem videmus, *horas* inter Judæos fuisse duum generum: alias *minores*, quarum *duodecim* fecere *diem*; alias *majores*, quarum *quatuor diem* descripsere; uti superius probatum ivimus. *Minores* dicuntur ὧραι τῆς ἡμέρας *horæ diei. Nonne duodecim diei horæ sunt? Joh. XI*, 9. *Majores* sæpenumero vocantur *horæ templi*, sive *horæ precationis* (8). *Petrus & Johannes adscendebant una in templum*, ἐπὶ τὴν ὥραν τῆς προσευχῆς τὴν ἐννάτην *sub horam precationis*, nempe *nonam. Act. III*, 1. Verum *tres* tantum sunt *precationis horæ, tertia, sexta, & nona.* DRVSIVS *in præterit. Act. III*, 1. ait: *non fuisse ultra tres horas precationis in die apud Judæos*, *clare testatur* DAVID KIMCHI. *Tertiamque* consecratam ab Abrahamo; *sextam* ab Isaaco; *nonam* a Jacobo. *Hora tertia* descendit Spiritus Sanctus super Apostolos *Act. II*, 15. *Circa horam sextam adscendit Petrus* ἐπὶ τὸ δῶμα προσεύξασθαι *in solarium ad precandum. Act. X*, 9. *Hora nona adscendebant Petrus & Johannes in templum. Act. III*, 1.

IX. Ab his *horis majoribus*, *diurnis* & *nocturnis*, derivatæ sunt *horæ Canonicæ* (9) quas observat cœtus Romanus. Quævis *Canonicarum* continet *tres minores horas*, sic ut totum *diei noctisque* tempus *octo Canonicæ horæ* definiant. *Hora sexta vesperi prima* inchoat, quæ propterea *vespertina hora*, seu simpliciter *vespertinum*, dicitur. *Hora nona nocturna* incipit *secunda*, vocaturque *completorium. Nocte media* oritur *tertia*, quam appellant *nocturnum. Hora tertia matutina* suam *quartam* seu *matutinum* habent. *Horæ Canonicæ diurnæ* dicuntur, *hora prima*, *tertia*, *sexta*, *nona*. Ipsorum *hora prima* a *sexta matutina* usque ad *nonam* procedit; *Tertia* a *nona* ad *duodecimam*; *Sexta* a *duodecima* ad *tertiam*; *Nona* a *tertia* ad *sextam vespertinam*. Vide BELLARM. *de bonis oper. in particul. lib.* 1. *c.* 10.

X. *Horologia Solaria* (10), σκιαθηρικὰ, usitata antiquis Judæis, differunt a nostris; nam illa species scalarum & graduum erant. Tempus *diurnum* non lineis fuit, sed gradibus distinctum. Vmbra Solis quavis *semi-hora* prorepsit ad novum gradum. In *Solario* Achazi (11) Sol retrocessit מַעֲלוֹת *gradibus*, *non lineis. Jesa. XXXVIII*, 8.

XI. *Duplices* quoque ipsorum *septimanæ* fuerunt, altera *ordinaria*, terminata *septem diebus*, altera *extraordinaria* & *prophetica*, constans *septem annis. Dan. IX*, 24.

 Prior

Prior dicitur *hebdomas diaria*, posterior *hebdomas annalis* (12).

XII. Hebræi priores suos metiebantur *menses*, cursui Solis respondentes, unde & *Menses Solares* (13) dicuntur, quovis *mense* triginta *dies* absumente. Aquæ invaluerunt, cataractis cœli se aperientibus, *decimo septimo die mensis secundi* usque ad *decimum septimum diem mensis septimi: Gen. VII*, 11. *VIII*, 4. h. e. quinque totis *mensibus*. Si numeramus *dies*, erunt centum quinquaginta *Gen. VII*, 24. Ex quo patet, quod quisque *mensium* constiterit triginta completis *diebus*. Post egressum ex Aegypto, Israelitæ cursu Lunæ suos dimetiebantur *menses*, dictos *Menses Lunares*. Quivis eorum absolvebatur aut triginta *diebus*, dicebaturque *mensis plenus;* aut *diebus* viginti novem, & vocabatur *mensis cavus*. Sol cursu suo superat Lunam undecim *diebus*, propterea cuivis *anno secundo* vel *tertio unus mensis* interkalabatur. *Vid. Kalend. Hebraic.* MVNSTERI *pag.* 62. Jam, quod *mensis duodecimus* in ἐφημερίδι seu *Kalendario* Hebraico dicitur *Adar*, hinc, si *mensis interkalaris* fiebat, *ultimus mensis* vocatus est וַאֲדָר *Veadar*, *secundus Adar*.

XIII. Ante captivitatem Babylonicam suos *menses* recensebant sine ullo alio quam solius numeri nomine, scil. *primus*, *secundus*, *tertius mensis &c.* Post reditum ex Babylone (14) eos his nominibus investiverunt: A) נִיסָן *Nisan*, dicitur quoque אָבִיב *Abib*, quæ vox *spicam* notat; nam hoc *mense* hordeum *spicas* emittebat, & ex parte nostro *Martio* & *Aprili* respondet. B) *Jiar*, alias זִו *Sif*, quod significat *nitorem*, quoniam eo mense arbores floribus *niterent* gemmisque luxuriarent. Hic coincidit cum nostro *Aprili* & *Majo*. C) סִיוָן *Sivan* partim convenit nostro *Majo*, partim *Junio*. D) תַּמּוּז *Thamuz* respondet ex parte nostro *Junio* & *Julio*. E) אָב *Ab* respondet ex parte *Julio* nostro & *Augusto*. F) אֱלוּל partim nostro *Augusto*, partim *Septembri*. G) תִּשְׁרִי, alias אֵיתָנִים, partim *Septembri*, partim nostro *Octobri*. H) מַרְחֶשְׁוָן alias *Bul*, partim *Octobri*, partim *Novembri*. I) כִּסְלֵו partim *Novembri*, partim *Decembri*. K) טֵבֵת partim respondet *Decembri*, partim *Januario*. L) שְׁבָט partim *Januario* nostro, & *Februario*. M) אֲדָר *Adar*, *Veadar* nostro *Februario* & *Martio*.

XIV. Ante migrationem ex Aegypto, suum *annum* auspicabantur (15) *mense Thisri*, & sic in rebus civilibus, negotiis, & mercatura, *annis* Sabbathicis, Jubilæis &c. hoc calculo usi sunt. Ἐν μηνὶ δευτέρῳ, Δίῳ μετὰ ὑπὸ Μακεδόνων λεγομένῳ, μαρσονάνῃ δὲ ὑπὸ Ἑβραίων. οὕτω γὰρ Αἰγύπτιοι τὸν ἐνιαυτὸν ἦσαν διατεταχότες. Μουσῆς δὲ τὸν Νισὰν, ὃς ἐστι ξάνθικος, μῆνα πρῶτον ἐπὶ ταῖς ἑορταῖς ὥρισε; *Mense secundo*, *Dio postea a Macedonibus dicto*, *Marsonane* (mendose μαρσονάνῃ ponitur pro μαρχασυὰν, qui *mensis* erat olim *secundus* apud Hebræos, sicut & *Dius* apud Macedonas) *autem ab Hebræis. Sic enim Aegyptii annum erant metati. Moses autem* τὸν *Nisan*, *qui est Macedonibus Xanthicus*, *primum mensem festis præstituit.* IOSEPH. *Antiq. lib.* I. *c.* 4. Sic post migrationem ex Aegypto suos ordiebantur *annos mense Nisan*, & hoc calculo in solennioribus festis utebantur.

CAPVT

CAPUT II.

DE FESTIS ET CONVIVIIS.

Antequam descendamus ad Judæorum *festa* specialia, contemplabimur ipsorum morem modumque celebrandi *festa* in genere.

II. Quemadmodum ipsorum *convivia ordinaria* nec multa, ita nec splendida fuerunt. Vocabantur אֲרוּחָה (1) ab אָרַח *iter facere,* quod vocabulum proprie significat *viaticum*, seu *commeatum*, *quo viatores in itinere utuntur.* Sic ea vox usurpatur *Jer. XL*, 5. *Præfectus satellitum dedit ipsi* אֲרֻחָה *viaticum*, *& munus*, *& dimisit eum.* Sic *Prov. XV*, 17. *Melius est* אֲרֻחַת יָרָק *viaticum* vel *cibarium oleris*, *ubi est amor. &c.*

III. *Extraordinarium* & *liberalius convivium* ipsorum in solennitatibus plerumque dicebatur מִשְׁתֶּה *convivium*, *compotatio* (2), ab illorum *liberaliori* & *largiori potatione* in istiusmodi *conviviis:* veluti Græci amant συμπόσιον dicere, ab altera *conviviorum* parte, bibendo scilicet.

IV. Alia præterea *conviviorum festorum* species erat, nempe, quando *convivabantur* exporrecta fronte, sacrificiorum suorum reliquias absumentes. Hæc vocarunt חַג *festum* (3), *solennem festivitatem*, a rad. חָגַג *festum celebravit*, *tripudiavit.* Ab hoc *convivandi* more post sacrificia peracta, primævæ Ecclesiæ Christiani suas *Agapas* (4), quæ comitabantur Cœnam Dominicam, duxerunt institueruntque. CHRYSOST. *in* I *Corinth. XI. Hoc autem præcipio.*

V. In utroque hoc solenniori *convivio* aliquas ceremonias, tanquam præparationem ad *convivium*, *præmittebant*, alias in *benedictione seu gratiarum actione*, alias in ipso *accubitu* adhibebant.

VI. *Ceremoniæ præparatoriæ* præprimis *tres* erant: A. *Salutatio.* B. *Convivarum pedum lotio.* C. *Olei effusio* in ipsos.

VII. *Salutatio* aut *verbis* fiebat (5), aut humili quadam *corporis flexione. Verbis* sic: *Dominus vobiscum*, vel *benedicat vobis Dominus. Ruth. II*, 4. Ex hoc *benedictio* in Sacra Scriptura sæpe sumitur pro *salutatione.* TERTULL. *lib.* 4. *contra Marcion. Si quem inveneris*, ait Elisa ad Gehasi, לֹא תְבָרְכֶנּוּ, *non benedices* seu *salutabis eum* 2 *Reg. IV*, 29. Sic & transfert versio nostra, *salute him not.* Subinde inquiebant: שָׁלוֹם לָכֶם, *pax vobis*, *pax tibi*, *pax super te*, *pax super vos;* לֵךְ לְשָׁלוֹם *abi in pace &c. Intrantes domum*, *salutate eam. Et quando digna fuerit hæc domus*, ἐλθέτω ἡ εἰρήνη ὑμῶν ἐπ᾽ ἀυτήν, *veniat pax vestra super eam; si autem non fuerit digna*, *pax vestra ad vos revertatur. Matth. X*, 12, 13. *Flexione* sive *gestibus corporis* ita: *salutabant*, interdum *incurvatione totius corporis*, interdum τῷ καταφιλεῖν τὰς πόδας *deosculatione pedum* (6), *Luc. VII*, 38. Plerumque *osculo ordina-*

rio (7). XENOPH. *de instit. Cyr. l.* 1. *p.* 17. item *lib.* 5. *p.* 113. *Tunc obviam processit Moses socero suo, & incurvans se osculatus est eum. Exod. XVIII,* 8. *Oscula quoque libavit Joseph omnibus suis fratribus, flens super iis, Gen. XLV,* 15. Hoc vocat *Paulus* φίλημα ἅγιον *osculum sanctum* (8) 1 *Cor. XVI,* 20. *Petrus* φίλημα ἀγάπης *osculum amoris* 1 *Pet. V,* 14. TERTULLIANUS appellat *osculum pacis* TERTULL. *de orat. cap.* 14. Hæc fuerunt *oscula*, quæ non *Cato* quispiam carpere, quæque *Virgo Vestalis* capere tuto possit.

VIII. Hujus generis *tria* fuerunt Judæis. DRUSIUS *ad difficil. loca Exod. XII.* A. נְשִׁיקוֹת פְּרוּקִים *oscula propinquorum, seu salutationis*, quæ explicata sunt præcedenti aliquo exemplo. B. נְשִׁקוֹת פְּרִישׁוּת *oscula separationis. Non permisisti mihi, ut oscula filiis meis & filiabus meis figerem. Gen. XXXI,* 28. C. נְשִׁקוֹת גְּדוּלָּה *oscula magnitudinis*, sive *humiliationis*. Vox Hebr. significat *oscula dignitatis*, quæ erant signa *humiliationis* & *reverentiæ* erga Regiam Majestatem & supremam potestatem. Tum *Samuel, sumpta olei lenticula, perfudit caput ipsius, osculatusque est eum.* 1 *Sam. X,* 1. Huc referunt illud Psalmi II. vers. 2. *osculamini filium, ne irascatur.* Quamvis autem his *salutationibus* in publico occursu erga se invicem fungebantur, attamen iisdem quoque, si quem privatim excipiebant, utebantur; quod liquet ex multis ante citatis locis.

IX. *Secunda ceremonia præparatoria* erat *lotio pedum* ante discubitum (9), non solum Judæis, sed & Gentibus ipsis, usitata. *Locus hic tuus est, huc accumbe. Ferte aquam pedibus. Præben' tu puere?* PLAUT. *Pers. Act. V. scen.* 2. *Introduxit vir ille homines illos in domum Josephi, deditque aquam, & laverunt pedes suos. Gen. XLIII,* 24. Hoc servitium plerumque administrabatur per servos, & per vilissimos domus (10), uti constat ex facto Christi Salvatoris nostri, qui ὑπόδειγμα ταπεινότητος *exemplum humilitatis* relicturus, *lavit pedes discipulorum. Joh. XIII,* 15. Et Abigail Davidi ipsam in connubium accepturo dicebat: *Ecce ancilla tua pro famula erit, ad lavandum pedes servorum domini mei.* 1 *Sam. XXV,* 41.

X. Ad hunc finem certa vasa ipsis erant præsto, huic usui destinata. Illud vas τὸν νιπτῆρα vertimus *pelvim* (11), *Joh. XIII,* 5. *Infundit aquam in pelvim;* cum ea vox νιπτὴρ plerumque significet *labrum*, adhibeaturque ibidem pro eo, quod Græci vocant ποδόνιπτρον *pelluvium*. Quispiam hic quærere posset, undenam hæc aqua hausta fuerit? Non video disconvenientiam, si dicimus, in ipsorum καταλύμασι seu ἀνωγέοις *cœnaculis* sive *tricliniis* disposita plerumque fuisse vasa magna, ex quibus in minora, quantum necesse erat, infundebant.

XI. Cujusmodi non inepte putantur fuisse illæ *hydriæ*, quæ memorantur *Joh. II,* 6. (12). STUCKIUS *lib. conviv.* Erant ibi ὑδρίαι λίθιναι ἓξ *lapideæ hydriæ sex, positæ ad purificationem Judæorum.* Per τὸν καθαρισμὸν *purificationem* intellige hanc curiosam *lotionem*, de qua agimus. Jam si contemplamur consuetam manuum *ablutionem*, quam, etsi in se damnanda non esset, superstitio tamen Legisperitorum & Pharisæorum corrumpebat; & rursus *lotionem*

pedum

pedum ante & post convivium, (Salvator enim noster suorum discipulorum pedes lavit a cœna), quam Hebræi dicunt solummodo in ipso festo *Paschatis* usurpatam fuisse, tum non mirum erit, si & multa & capacia vasa præsto stabant.

XII. Insuper notandum est, quod, quemadmodum administratio simplex, ita & vasa vulgaria & vilis pretii fuerint. Quæ observatio lumen dat illis verbis *Psalm. LX*, 10. מוֹאָב סִיר רַחְצִי *Moab est olla lotionis meæ* (13), seu pollubrum meum. Hoc est, Moabitæ ita mihi substernentur, velut pollubrum pedibus meis.

XIII. *Tertia ceremonia præparatoria* erat *effusio olei* (14). *Mulier in illa urbe allato alabastro unguenti, & stans apud pedes ejus retro, flens cœpit humectare pedes ipsius lacrymis, & abstersit capitis sui capillis, & deosculabatur pedes ipsius*, καὶ ἤλειφε τῷ μύρῳ *& unguento ungebat*. *Luc. VII*, 37, 38. Effundebatur quoque *in caput*, quapropter eodem in loco Christus Pharisæo, qui ipsum invitaverat, objicit, *vers.* 46. *Oleo caput meum non unxisti.* Et *Ps. XXIII*, 5. *Delibutum reddis caput meum oleo.*

XIV. *His ceremoniis præparatoriis* absolutis transeunt ad *gratiarum actionem* (15). Paterfamilias cum domesticis considens tenet cyathum vino spumantem dextra, simulque suam *benedictionem* orditur hac formula: בָּרוּךְ אַתָּה יי אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם בּוֹרֵא פְּרִי הַגֶּפֶן *benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis.* Hoc dicto, delibat vinum, scyphusque ab eo in corona accumbentium circumit. Hanc *benedictionem* vocant בִּרְכַּת הַיַּיִן *benedictionem vini.* Hoc modo videtur Christus suam orsus cœnam esse: *Accepto poculo, gratiisque dictis; sumite, ait, hoc, & dispensate inter vos; Dico enim vobis, quod non sim bibiturus* ἀπὸ τοῦ γεννήματος τῆς ἀμπέλου *ex fructu vitis, usque quo venerit regnum Dei. Luc. XXII*, 17, 18.

XV. *A benedictione calicis*, paterfamilias sumit panem, ut illum scindat, non abscindat; nam illum tantum incidit, quo facilius frangat, non penitus dissecat. Sic incisum ambabus manibus tenet, consecratque his verbis: בָּרוּךְ אַתָּה יי אֱלֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם הַמּוֹצִיא לֶחֶם מִן הָאָרֶץ *benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui profers panem ex terra.* Hanc panis *consecrationem* vocant בִּרְכַּת הַלֶּחֶם *benedictionem panis.* DRUS. *in N. T. part. alt. p.* 78. Post consecrationem frangit panem; (a qua actione paterfamilias, aut is, qui illius loco *benedictionem* facit, dicitur הַבּוֹצֵעַ *concisor* (16), *fractor*) quo fracto, cuivis accumbenti de eo frustum impertitur. Tumque cæteris patinis repletis manus laxant. Hanc panis atque calicis *benedictionem* solummodo observant in solennioribus festis, alias enim solum panem, non calicem, consecrant.

XVI. Tempore convivii cibos suos condiunt bonis comparationibus & similibus (17), quæ aut materiem institutionis præbent, aut ingenium exercent. Idem familiare etiam fuit Christianis *agapas* celebrantibus; de quibus TERTULL. *Apol. c.* 39. *non tam cœnam cœnant, quam disciplinam.*

Prioris

Prioris generis fuit illa *parabola*, quam Servator noster in medium protulit inter convivium. *Luc. XIV*, 7. Posterioris, *ænigma Simsonis*, quod suis sodalibus enodandum proposuit. *Jud. XIV*, 3.

XVII. Sub fine convivii repetebant *gratiarum actionem.* Eam recitavit aut paterfamilias, aut hospes majore gravitate emicans, prensoque ambabus manibus scypho vini pleno, ita orsus est: *Laudemus eum, qui nos suis bonis alit, & cujus benignitate vivimus.* Tum resonant omnes discumbentes: *Benedictus sit, cujus cibis fruiti sumus, & cujus liberalitate subsistimus.* Hanc *gratiarum actionem* vocant בִּרְכַּת הַמָּזוֹן *benedictionem alimoniæ.* Et hic censetur fuisse calix, ex quo post cœnam Salvator noster suis discipulis mysterium sive sacramentum sanguinis propinavit. *Vide* P. FAG. *in prec. Hebr.* Postea, sic orsus *gratiarum actionem*, pergit: *Benedictus sit, & benedictum sit nomen ejus &c.* prolixam appendens orationem (18), qua *gratias* dicit 1. pro præsenti alimento. 2. pro eductione ex Aegypti ergastulo. 3. pro fœdere Circumcisionis. 4. pro Lege per manum Mosis data. Deinde supplicat Deo, ut propitius sit 1. populo suo Israeli. 2. suæ urbi Hierosolymæ. 3. Tzioni, Tabernaculo suæ gloriæ. 4. Regno domus Davidis uncti sui. 5. ut mittat Prophetam Eliam. 6. Tandem ut ipsos dignos esse velit diebus Messiæ καὶ αἰῶνι μέλλοντι *& seculo futuro.*

XVIII. Hac finita oratione omnes convivæ suppressa voce ita dicunt: *Timete Dominum Sancti ejus, quoniam non est penuria timentibus eum: leunculi inopiam & famem patiuntur, sed quærentes Jehovam non destituuntur ullo bono. Ps. XXXIV*, 10, 11. Postmodum is, qui *gratias* dicebat, & *calici benedicere* eadem formula, qua usus est cum accumberent primo, & sic orditur: *Benedictus sis tu Domine, Deus noster, Rex mundi, qui creas fructum vitis;* ex quo delibat paulum vini, calicemque in orbem mittit. Sic *benedictio calicis* & inchoat & claudit convivium.

XIX. Hunc calicem vocabant כּוֹס הַלֵּל τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, sive ὑμνήσεως, *poculum benedictionis.* Vtriusque hujus poculi ante & post cœnam meminit *Lucas cap. XXII*, 17-20. Hic notatu dignum, quod verba *benedictionis* comitentur tantum ultimum calicem, quibus tanquam pars altera S. Sacramenti N.T. consecratur (19). Τȣ͂το τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μȣ, *hocce poculum* (est) *Novum Testamentum in sanguine meo.*

XX. Post hæc omnia, cantant *Hymnos* & *Psalmos* (20), quemadmodum & factum a nostro Salvatore. *Marc. XIV*, 26. SCALIG. *de emend. Temp. l.* 9. *pag.* 273. Sic ipse: etsi nullas admisceret frivolas superstitiones, quæ aut ea tempestate usitatæ, aut a recentioribus Judæis adjectæ fuere, (velut, quod quatuor cyathi sint evacuandi. MOSES KOTS. *fol.* 118. *col.* 1. vel quod panis frangendus sit decem una digitis, respectu decem præceptorum. SEBAST. MVNSTER. *Matth. XXVI.* &c.). Videmus tamen ipsius ceremonias, & in principio & in fine cœnæ, Judæorum consuetudinibus accordare. Si quis desiderat prolixiorem Rabbinicarum harum *benedictionum* telam, is adeat P. FAGII *Commentarios in Deut. VIII*,

VIII, 10. item *Prec. Hebr. per eumdem editas*, unde multa eorum, quæ hic posui, petita sunt.

XXI. Jam si quis objiciat, quod videar S. Sacramentum corporis & sanguinis Domini nostri convertere in Judaicam ceremoniam: Resp. Nequaquam: nam, sicut longo tempore ante Judæis in usu fuit species consecrationis aqua factæ, sine qua nullus Proselytus (21) in Ecclesiæ Judaicæ gremium receptus est, non tamen ipsis Sacramentum fuit, sed ritus, ut Turcis & Saracenis circumcisio est: Sic *panis fractio* non Sacramentalis, fiebat Sacramentalis, cum Christus diceret de eo: *hoc est corpus meum. hoc poculum est N. T. in sanguine meo, &c.* Τὸ ποτήριον τῆς εὐλογίας, ὃ εὐλογοῦμεν, οὐχὶ κοινωνία τοῦ αἵματος τοῦ Χριστοῦ ἐστι; *poculum benedictionis, quod benedicimus, nonne est communio sanguinis Christi?* 1 *Cor. X*, 16.

XXII. Postremum, quod notatu dignum in ipsorum conviviis, est illorum *positura* sive *situs* (22). Diebus Salvatoris nostri, verisimile est, *posituram* Judæorum respondisse *positura* Romanorum. Voces enim, quibus usi sunt Evangelistæ, sonant *accubitum*, non *sessionem*. Ἀναπίπτειν *Luc. XXII.* ἀνακεῖσθαι *Matth. XXVIII.* κατακεῖσθαι *Luc. XIV.* ἀνακλιθῆναι *Matth. XIV.* Mensam in medio locatam lecti circuibant, vel duo, vel tres, vel etiam plures ratione convivarum, super quibus singulis cubuerunt vel tres vel interdum quatuor, raro aut nunquam plures. Quando quis recumbebat lecto, superior pars corporis suffulta sinistro cubito, inferior pars extensa lecto, quiescebat. Vbi vero multi lectos occupabant, supremus, capite lecti repostus, pedes suos ad tergum secundi demisit: eadem *positura* discubuerunt & tertius & quartus, singulis caput sinu alterius recondentibus.

XXIII. Sic reclinavit *Johannes in sinum Jesu* (23). *Job. XIII*, 23. Hoc est 1. signum *singularis amoris* erga illum, quem sinu suo recipit paterfamilias. *Johannes erat dilectus discipulus.* 2. signum est *æqualitatis* accumbentium, altero in alterius quiescente sinu. *Multi ab Oriente & Occidente venient, καὶ ἀνακλιθήσονται & discumbent cum Abrahamo, & Isaaco, & Jacobo in regno cœlorum. Matth. VIII*, 11. Vbi recumbent? *in sinu Abrahæ* (24). *Luc. XVI*, 22. hoc est: omnes accumbent eidem mensæ, consortes ejusdem gloriæ. Ita Christus fuit *in sinu Patris sui* (25) *Joh. I*, 18. h. e. juxta linguam Apostoli: *non rapinam duxit, esse æqualem Deo. Phil. II*, 6.

XXIV. Mensæ perfecte circulares (26) fuerunt, unde ipse accubitus vocatur מְסִבָּה *discubitus circularis*, a Rad. סָבַב *circumivit*, *ambivit*; modusque convivas ad accubitum invitandi sic sonabat: סוֹבּוּ *circumsidite. Non circumsidemus* לֹא נָסֹב, *donec venerit huc.* 1 *Sam. XVI*, 11. Rursus: *Filii tui ut plantæ olearum* סָבִיב *circum mensam tuam.* Hic ritus & ipsius Ezechielis ævo valebat: *Consedisti in lecto honorato, ante quem mensa parata est. Ezech. XXIII*, 41. Et num hic usus obtinuerit apud vetustos Hebræos, aliorum inquisitioni remitto. PHILO IVD. *p.* 388. *In vestibus pignore captis accumbunt apud omne altare. Amos. II*, 8. hoc est: loco lectorum adhibuerunt vestes pignore sumptas, cum vescerentur

apud altaria *εἰδωλοθύτοις.* Vetuſtiſſimus mos erat ſuper lanatis pellibus diſcumbere. OVIDIUS:

Qui poterat pelles addere, dives erat.

XXV. Immo mos *detrahendi calceos* (27), cum accumberent, aſſerit hujus conſuetudinis accumbendi vetuſtatem ſummam. Illa *calceorum detractio* videtur in Aegypto jam uſu veniſſe, & propterea Iſraelitæ in comeſtione Paſchatis mandato divino tenebantur ad majorem promtitudinem calceis eſſe ligati. Ratio, cur eos trito more exuerent, fuit, ne ſuos lectulos, quibus incumbebant, collutularent. Quoniam autem jus Paſchatis requirit, illud abſumendum eſſe a calceatis, quod potius *ſtationem* quam *reclinationem* ſuper lecto injungit, quæri poteſt, num Chriſtus *accumbendo* menſæ primam inſtitutionem diſſolverit? TREMELLIUS *in Matth. XXVI, 20. cui manum ego meam porrigo*, ſic occurrit: Sciendum eſt, ait, quod *Exod. XII.* dicatur, quomodo parati ex Aegypto migrare Paſcha eo temporis articulo comedere debeant. Nam temporis illius arcta neceſſitas voluit comeſtionem concitatam. Poſtea autem in Lege, ubi reiteratur mandatum de ritu Paſchatis quotannis obſervando, hæc verba addita non ſunt; propterea omnes Hebræorum Magiſtri, & antiqui & recentiores, uno ore docent, mandatum de *poſtibus ſanguine tingendis, de calceandis pedibus, de ſuccingendis lumbis, de manibus baculo firmandis, deque agno celeriuſcule comedendo*, ſe non extendere ad generationes poſteriores, ſed ſolam eam reſpexiſſe *noctem*, qua Aegypto ceſſerunt. Receptus ab antiquis ritus fuit, quo comedentes *Paſcha* conſidebant, aut lecto inclinabant, uti Chriſtus ipſiusque diſcipuli, in ſignum receptæ libertatis. *Talmud. Tract. de Paſch.* Vide TREMELL. *loc. cit.*

XXVI. Illorum, qui excipiebant in conviviis, duo erant: 1. *Paterfamilias.* 2. *Dominus convivii* (28). Vid. CASAUB. *Exercit. p.* 278. Sic autem differebant: *Paterfamilias*, ſive Herus, vocabatur בַּעַל הַבַּיִת, *οἰκοδεσπότης*, *Dominus familiæ. Dominus convivii* vocabatur בַּעַל מִשְׁתֶּה, *ἀρχιτρίκλινος*, *Præfectus triclinii*, nobis dictus *The Ruler*, ſive *The Governour of the feaſt*, *ein Schaffner*, *Hoff-oder Speiſſmeiſter.* Ἀρχιτρίκλινος fuit *ſummus miniſter*, miniſtrans *patrifamilias* in conviviis. Alii adjiciunt tertios, quos volunt fuiſſe *Præfectos morum*; Græcis dicuntur *οἰνόπται.* GAUDENTIUS BRIXIANUS. Vid. CASAUB. *ibid.* Ipſorum munus fuiſſe creditur, attendere moribus convivarum, ne quis modeſtiam modumque excederet nimio mero, unde appellati ſunt *ὀφθαλμοὶ*, *oculi convivii.* Ejusmodi *Miniſtri* convivia moderabantur in aula Ahasveri. *Eſth. I*, 8. & apud Athenienſes. ATHENAEUS *l.* 10. Verum num tales Judæis adſcribi poſſint, jure in medio relinquitur.

XXVII. Antiqui Judæi hoſpitales erant (29), & in exceptos hoſpites liberales. Hoſpitalitatem ipſorum Sacra Scriptura commendat; ſed quæ certe hodie apud ipſos hoſpes eſt & exulat, uti liquet ex illo trito (30), quod concernit exceptionem amici: quod is ſit primo die אוֹרֵחַ *viator*, hoſpes; ſecundo טוֹרַח *fatigator*, onus; tertio בּוֹרֵחַ *circumcurſitator*, profugus. BUXTORF. *Synag. Jud. c.* 32. *p.* 422.

XXVIII.

XXVIII. Liberalitas in eo conſpicitur, quod memores pauperum in ſuis conviviis iis portiones ſubmitterent. *Neh. VIII,* 11. *Mittite portiones cuicunque nihil eſt paratum.* Hoc poſtea invaluit & moris fuit veteribus Gentilibus, qui non tantum in ſolennioribus feſtis & conviviis præſentes exceperunt hoſpites, ſed & iisdem conceſſerunt convivia, ex quibus quid auferre poterant, quæque vocabant inde ἀποφόρητα. Solebant itidem μερίδας, *portiones* mittere abſentibus amicis. THEOPHRASTVS *C.* περὶ μεμψιμοιρίας. Idem teſtatur PLVT. *in Ageſilao.* διέπεμπε μερίδας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμένων, *mittebat portiones amicis ex ſacrificatis.*

XXIX. Hæc obſervatio lucem affundit *Canoni* illi *Laodicenſis Concilii* (31), quo interdictum eſt μέρη ἄιρειν, *portiones ferre* Chriſtianis in *agapis;* cujus interdicti rationes mihi tres ex præcipuis fuiſſe putantur: 1. ne Chriſtiani ſymbolizarent Gentilibus. 2. ne quis, ſuam portionem ſibi ſubmittendam ſperans, *agapas* negligeret. 3. ne præſentes, præſertim pauperrimi, ut ſæpiſſime contingit, defectum paterentur, ſi tales portiones, omne quod optimum opimumque eſt, abſorberent.

XXX. Tandem coronidis loco hic notabimus, quod, quemadmodum Judæi cœnam ſub veſpera & tum quidem lautiſſime pararunt (32), ſic prandium hora ſexta, h. e. juxta noſtram computationem, circa meridiem. *Macta* σιτιςά, *altilia, & para, mecum enim comedent homines iſti meridie. Gen. XLIII,* 16. *Petrus adſcendit* ἐπὶ τὸ δῶμα, *in ſolarium, ut precaretur circa horam ſextam, factum eſt, ut eſuriret, voluitque edere; parantibus autem illis,* ἐπέπεσεν ἐπ᾽ ἀυτὸν ἔκςασις, *incidit in eum mentis exceſſus. Act. X,* 9. 10.

XXXI. Inſuper prætereunda non eſt differentia poculorum iſtorum trium (33), quæ memorat S. Scriptura: 1. ποτήριον τῆς ἐυλογίας, *poculum benedictionis.* 1 *Cor. X,* 19. Reſpondet illis cyathis, qui adhibiti ſunt in ſolennioribus ipſorum feſtis & conviviis, nomenque fert ex illa benedictione, quam affundere ſolebant. 2. כּוֹס תַּנְחוּמִים ποτήριον ἐις παράκλησιν, *poculum conſolationis. Jerem. XVI,* 7. Illud ita vocatur, quod tempore luctus amicis tradebatur, ut ipſius dulci flumine mœroris luctusque amaror ex pectore lugentium elueretur. 3. כּוֹס יְשׁוּעוֹת ποτήριον σωτηρίας, *poculum ſalutis. Pſalm. CXVI,* 13. Hoc plerumque comitabatur ſacrificia שְׁלָמִים *pacifica* ſive *euchariſtica,* quæ devota erant pro beneficiis acceptis; hinc LXX. *pacificum* plerumque σωτήριον *ſacrificium ſalvationis* vertunt.

CAPVT III.

DE SABBATHO.

Vox שַׁבָּת, a quo noſtrum *Sabbath* (1), ſonat *quietem,* tribuiturque quibusvis feſtis ſolennioribus. *Sabbatha mea profanarunt, Ezech. XX,* 21. h. e. feſta mea. Subinde

inde ſumitur pro *tota ſeptimana.* Νηςεύω δὶς τȣ̃ σαββάτȣ *Luc. XVIII,* 12. Sæpiſſime pro *die ſeptimo*, quem Deus ſuo cultui conſecravit. Hic dies ſanctus erat vel ſanctitate ſimplice, quatenus erat dies ſeptimus, vel duplice ſanctitate, quam aliud feſtum incidens in *Sabbathum* ei addidit, & tum vocabatur *Sabbathum magnum*, *Job. XIX*, 31. (2). Nam in id *Sabbathum*, de quo loquitur Johannes, iſto anno incidit feſtum *Paſchatis.*

II. Dies ſeptimanæ dicebantur Hebræis חולים *profani*, Græcis ἐργάσιμοι, ἀνέορτοι, ἐνεργοὶ, *profeſti*, in quibus *opera manuaria* fiunt. Quando autem eos dies *profanos* uno quaſi nomine inſigniebant, vocabant ipſos τὸ μεταξὺ σαββάτων, vel τὸ μεταξὺ σάββατον, *tempus inter duo Sabbatha*, vel *interjectum inter Sabbathum* (3). Hoc fuit tempus, quo Gentes cupiverunt audire Paulum *Act. XIII*, 42. SCALIGER *de Emend. Temp. l.* 6. *p.* 261. item BEZA *in hunc locum.*

III. Ratione variantis horum dierum ſanctitatis, non inepte *Sabbathum* confertur *Reginæ* (4), ſive potius *primariis* uxoribus, alia feſta *concubinis*, dies ἐνεργοὶ *ancillis.*

IV. *Sabbathum* incipit hora ſexta veſpertina pridie (5). SCALIG. *de Emend. Temp. l.* 6. *p.* 269. Græci id nuncupant παρεισοδὸν σαββάτȣ, Hebræi ביאת השבת *introitum Sabbathi.* Præparatio *Sabbathi* (6) erat hora tertia pomeridiana, quam Hebræi vocant ערב השבת *veſperam Sabbathi*, IOSEPH. *Antiq. l.* 16. *c.* 10.

V. Patres antiqui iſtam præparationem appellant *Cœnam Puram* (7). Modus loquendi tractus eſt a Gentilibus, qui religione ſua tenebantur in ſacrificiis, quæ ſacrabant Diis Deabusque ſuis, ſollicita ſe ſanctimonia præparare. Quo præparationis tempore fruebantur quadam cœna, quæ tum delectu ciborum, quos Gentiles aliis ſanctiores cenſuerant, tum ſacris ritibus & ceremoniis in ea uſurpatorum, inſignis fuit: ſic ut ipſi ſe, durante hac præparatione, dicerent *eſſe in caſto*, & ſuam præparationem, *cœnam puram.* In ritibus ergo Paganorum *cœna pura* appellatur cœna illis apponi ſolita, qui in *caſto* erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν, *purificare*, *præpurificare.* CASAUB. *Exerc.* 16. *pag.* 662. Jam videmus rationem, cur Patres *Sabbathorum* veſperam vocarint *cœnam puram.*

VI. Evangeliſtis ea dicitur παρασκευὴ, *apparatus. Marc. XV*, 42. Differentiæ gratia poſſumus prius diei tempus vocare προπαρασκευὴν, *priorem præparationem*; nam totus dies præparatorius fuit, uti elucebit ex illis peculiaribus rebus eo die vetitis. 1. Eo die nefas fuit longius peregre ire quam tres פרסות; una פרסה tantum terræ ſpatium deſcribit, quantum, ſi decies multiplicetur, ordinario unius diei itinere confici poteſt. 2. Eo die nefas fuit Judicibus conſidere (8), & vitæ aut mortis ſententiam inire, uti docetur *Capite de transpoſitione Feſtorum.* 3. Cunctis opificibus illicitum fuit operari (9), exceptis ſolis *Sutoribus*, *Sartoribus*, & *Legisperitis.* CASAUB. *Exerc.* 16. *p.* 477. *ex Michlol.* KIMCHI. Prioribus duobus, quod reſarciant indumenta, poſterioribus, quod ſtudio ſuo aliquid imbibant, ut id ſequenti die explicandæ

randæ legis causa reddant; his dimidium præparationis tempus ad operandum concessum est.

VII. Nemo præterea tam nobilis & dives sibi videtur, quamvis ei plurimi servi suppetant, qui præparationem *Sabbathi* suis manibus promovere (10) dubitet; sic ut aliquando Magistri ipsi olus minute concidere, domum verrere, ligna findere, ignem suscitate, &c. non erubuerint. BUXTORF. *Synag. c.* 10. *ex Talmude.*

VIII. Antiquis temporibus hanc *præparationem* significabant tinnitu tubæ vel cornu (11). Sed hodierni Judæi eam notificant per æditUum (12), aut alium inferiorem Synagogæ ministrum, quem vocant שְׁלִיחַ צִבּוּר *Accensum Synagogæ.*

IX. Quantum ad sanctificationem *Sabbathi*, corruptis temporibus, multa Judæi de suo addiderunt præceptis Dei. BUXTORF. *Synag. ibidem.* Aliis in rebus non timuerunt sibi licentiam sumere, quam Deus ipsis non dabat. Ibi *superstitiosi* (13), hic *sacrilegi* sunt.

X. I) Licentiam sibi rapuerunt. Bis mille cubiti disterminabant arcam & castra, quum proficisceretur *Jos. III*, 4. &, ut verisimile est, eadem mensura, cum quiescerent, observata fuit. Hoc terræ spatium quidam exponunt *milliare unum*, alii *duo*; alii illud minori, alii majori cubito metiuntur, quem dicunt *decempedam*. In hoc autem omnes conveniunt, quod hi bis mille cubiti confecerint *iter Sabbathicum* (14): licet nemo, ni fallar, observarit rationem, cur ita dictum sit. quam ego hanc esse censeo:

XI. Die *Sabbathi* omnes confluere oportebat ad locum publici cultus, qui divisus erat bis mille cubitis a proxime circumjacentibus oppidis & pagis. Inde sequuntur quatuor positiones: 1. Bis mille cubitos comparative posse vocari *iter Sabbathicum*. 2. Quod illis, qui procul divisi fuerunt ab arca, plures quam bis mille cubiti emetiendi fuerint. 3. Quod fas nunc sit conferre se die *Sabbathi* ad loca publico cultui sacra, etsi longius distantia. 4. Quod illicitum fuerit Judæis exinde libertatem sibi spondere eundi quo luberet, etsi prætenderent bis mille cubitorum *Sabbathicum iter* esse.

XII. II) Addebant præceptis Dei. 1. Deus ait: *memento septimi diei, ut sanctifices illum:* quibus verbis Deus diem aliquem consecravit, ut esset *Sabbathum*, illi autem addiderunt *Sabbathulum* (15), ita vocarunt additamentum, quod annexuerunt *Sabbatho*. HOSPINIANUS *de Orig. Fest. c.* 3. Hoc temporis additamentum duplex fuit: Quidam *Sabbathum* prius ordiebantur quam alii: quod evenit Judæis Tiberiade commorantibus, ubi ipsos, quum in valle habitarent, Sol non tam cito adspexit, quam alios. Quidam etiam *Sabbathum* plus produxerunt quam alii: quod factum ab iis, qui habitabant *Zephoram* urbem, in montis supercilio eminentem, sic ut diutius Solis luce frueretur, quam alia loca. Hi utrique addebant de profano ad sacrum, scil. de diebus profestis ἀμέσως præcedentibus aut consequentibus. Nemo minuebat *Sabbathum;* propterea *optabat* R. IOSE *participare cum iis, qui Sabbathum inciperent cum Tiberiensibus, & finirent cum Zephorensibus:* BUXT. *Comment. Masoret. c.* 4. *ex Musar.*

XIII. 2. Deus inquit: *Quies, Sabbathum sanctum Jehovæ cras est, quod coctur i estis, coquite, & quod elixaturi, elixate.* *Exod. XVI, 23.* Hoc mandatum pertinuit proprie ad tempus *Mannæ.* IVNIVS & TREMELL. *in Exod. XVI.* Ratio, cur eam parare eo die ante crastinum deberent, ibidem redditur, quia non inventuri essent die *Sabbathi* in agro. Judæi hoc præceptum extenderunt ad omnia æva, & propterea nullis parandis cibis eodem die (16) operam dabant. Hæc fortassis ratio est, cur Gentiles ipsos putarint die *Sabbathi* jejunare (17). SVETON. *in August. c. 76. De Jejun. Sabb. vide* MARTIALIS *l. 4. epigr. 4.* Non diffitebor, quod hæc opinio falsa orta esse possit ex illo loquendi modo, *νηστεύω δὶς σαββάτȣ, jejuno bis Sabbatho.*

XIV. 3. Deus ait: *Non accendetis ignem in omnibus sedibus tuis die Sabbathi. Exod. XXXV, 3.* Hoc præceptum solum ignem pro operibus *Tabernaculi* (18) tetigit, nam prius in hoc capite fit mentio *Sabbathi*, ad significandum, quod opera *Tabernaculi* cedere debeant *Sabbatho.* VATABLVS *in hunc locum.* Item TREM. & IVNIVS. Judæi ex hoc concludunt, hoc die illicitum esse ullum ullibi ignem sufflare.

XV. 4. Deus ait: *Non facies opus die Sabbathi.* Hoc sine ulla exceptione acceperunt Judæi. Propterea illicitum putarunt, *pomum igne torrere, olus deligere, arborem conscendere, pulicem elidere, vel venari* (19). HOSPIN. *de Orig. Fest. c. de Sabbatho.*

XVI. Hinc quoque illicitum censuerunt, die *Sabbathi* vim vi repellere (20), quare facti sunt bis hostium præda. Primo ab Antiocho devicti sunt, ex quo Matthias decrevit, licitum esse die *Sabbathi* se opponere hostibus. IOSEPH. *lib.* 12. *c.* 8. Illud autem decretum stricte sumpserunt, quasi tantum liceret tum se defendere, si oppugnarentur, non autem ullo opere, eo die, evertere arietes, cuniculos, si eos agerent hostes, &c. IOSEPH. *lib.* 14. *c.* 8. Secundo facti sunt Pompejo præda.

XVII. Proinde ad verum hujus præcepti sensum, sciendum est, quod tres operum servilium species licitæ fuerint. 1. *Opera charitatis.* Deus, qui ipsis concedit bovem & asinum die *Sabbathi* ducere aquatum *Luc. XIII, 15.* ad plus reficiendam ipsorum vitam, multo magis libertatem indulget homini, pro se ipso & familia sua cibos parandi, ut eo magis idoneus sit ad sacra opera. Christus sanavit die *Sabbathi* (21): quare & tum & nunc temporis licet, visitare ægrotos, remediisque uti. 2. *Opera ceremonialia circa cultum divinum*, ut sunt, non tantum *mactare victimas, circumcidere infantes*, sed & *personare buccinis & cornibus* ad conciendum populum, *Num. X, 2.* Licuit quoque populo exire ædibus suis ad publicum cultum. Aequali modo tuto Christiani pulsant campanas, ad convocandum populum *ἐν ἡμέρᾳ κυριακῇ, die Dominica;* tuto iter ingrediuntur, ut se associent publico cœtui, vel verbum proponant. *Hæc opera etsi natura sua sint corporalia, sanctum tamen templum naturam ipsorum mutavit, sanctificavitque. *Matth. XXIII, 17.* Aut, sicut Judæi ajunt, de occupatione Jerichuntis, quam die *Sabbathi* captam produnt ipsorum Magistri: מִי צִוָּה עַל הַשַּׁבָּת צִוָּה לְחַלֵּל שַׁבָּת *qui jubet san-*

sanctificari Sabbathum, jubet etiam profanari Sabbathum. KIMCHI *in Hos. VI.* Denique 3 *Opera absolutæ necessitatis* (22); ut *defensio sui adversus hostem,* & alia ejusdem naturæ, de quibus hoc proverbium Judæorum exstat: סַכָּנַת הַנֶּפֶשׁ דּוֹחָה הַשַּׁבָּת *periculum vitæ pellit Sabbathum.* Christiani, paulo mutato proverbio tritissimo, dicunt: *Necessitas non habet ferias.*

CAPVT IV.

DE PASCHATE ET FESTO AZYMORVM.

Quidam Patrum vocem Πάσχα *Pascha* derivarunt a Græco πάσχω, *patior*, quod *Passionis* Christi memoria circa id tempus celebretur. TERTVLL. *adv. Jud. c.* 10. item AMBROS. *lib. de myst. Pasch. cap.* 1. quam opinionem recte infringit AVGVSTINVS *in titul. Psal. LXVIII.* Nam vox ea origine Hebraica est (1), significans *transire, transilire.* Dei ipsius expositio hæc est. *Victima Paschatis est Jehovæ,* אֲשֶׁר פָּסַח *qui transiit domos filiorum Israelis, Exod. XII,* 27.

II. Vox hæc פֶּסַח *Pascha* trifariam sumitur in Sacris Literis (2). *Primo* pro annuo illo Festo, quod celebrabatur decimo quarto mensis *Nisan,* alias *Abib.* Ex Theologis quidem non pauci omnia, quæ ad decimam quartam noctem pertinent, decimæ quintæ attribuunt; quem errorem hauserunt ex turbidis Rabbinorum lacunis, qui hodie eumdem errorem errant, teste SCALIG. *de Emend. Temp. l.* 6. *p.* 270. Potes id vocare *Pascha Agni,* quum eo die circa vesperam Israelitæ debuerint ratione familiarum suarum agnum assare, & in privatis ædibus comedere. *Secundo* pro illa solennitate temporis, quæ erat decimo quinto mensis *Nisan,* poteritque vocari *Pascha Ovium & Boum. Deut. XVI,* 2. Alias potest quoque dici *Festum Paschatis,* quemadmodum decimus quartus mensis *Nisan* simpliciter *Pascha. Mense primo, decimo quarto ejus mensis est Pascha Jehovæ; Et decimo quinto ejus mensis festum. Num. XXVIII,* 16. 17. Ad hoc festum Josia tantum ovium, agnorum, hœdorum, boumque copiam populo dedit. *Tertio,* sumitur pro *toto festo,* quod incipit decimo quarto mensis *Nisan,* finiturque vigesimo primo ejusdem mensis. Prope erat ἡ ἑορτὴ τῶν ἀζύμων, ἡ λεγομένη Πάσχα, FESTVM AZYMORVM, *quod vocatur Pascha, Luc. XXII,* 1. Sic ut hoc significatu quoque includatur *Festum Azymorum,* licet proprie loquendo *Festum azymorum* distinctum a *Festo Paschatis* fuerit.

III. 1. *Pascha* celebrandum erat circa vesperam decimi quarti diei mensis primi (3); hoc fuit secundum ipsorum *Sacramentum* (4), in quo licet cum agno panes azymi comederentur, festum tamen ipsum *Azymorum* demum postridie, scil. decimo quinto mensis ejusdem, cœpit, agitatumque est per septem dies, quorum tantum primo & septimo convocatio sancta & quies ab omni-

omnibus operibus servilibus fuit. *Levit. XXIII*, 5-8.

IV. Et 2. *Pascha*, ætate primam ejus institutionem sequenti, nec mactari, nec comedi debebat alio in loco, quam eo solo, quem suo nomini elegit Jehova, h. e. Hierosolymæ. Sed *festum Azymorum* censuerunt Hebræi celebrari posse quibusvis in locis suarum habitationum (5), si nequirent esse Hierosolymæ; propterea dicunt: לֹא תָּלָה אֲכִילַת זוּ בְּקָרְבַּן הַפֶּסַח אֶלָּא זוּ מִצְוָה בְּעַצְמוּת *Non pendet comestio illius ex Paschatis oblatione, sed est peculiare præceptum suapte natura.* MAIMON. *de fermento & azymo Cap. 6. sect. 1.*

V. *Ritus & ceremoniæ* usurpatæ (6) a Judæis in comestione *Paschalis* agni correspondent cum *ceremoniis* generalibus, quibus solennioribus in Festis utebantur. Benedicunt calicem, & benedicunt panem, distribuuntque convivis ac lavant pedes accumbentium, uti diximus *Cap. de Conviviis.*

VI. Res singulares, quibus differt ab aliis festis, produntur in quæstionibus, quæ a filiorum quodam, catechizationis modo, proponuntur tempore *Paschatis* comedendi: sive potius in responsionibus ejus, qui benedictionem super mensa dicit, quas regerit roganti puero. Quæstio erat: quid *notat hic cultus?* Modus responsionis ita habuit: *quomodo differt hæc nox a cunctis aliis?* SCALIG. *de emend. Temp. l. 5. p. 270.* *Nam aliis noctibus semel lavamus, hac nocte bis:* (sic Christus finita cœna lavit suorum discipulorum pedes): *aliis noctibus aut vescimur fermentato aut azymo pane, hac solo azymo: aliis noctibus vescimur varia herbarum specie, hac solis amaris: aliis noctibus vescimur & bibimus vel sedentes, vel accumbentes, hac tantum accumbentes & in longum extensi.* Tum pergit explicare, quod *Pascha* sit propterea, quia Deus *præterierit domos patrum suorum in Aegypto.* Deinde sustollit herbas amaras manu, aitque: *his amaris herbis vescimur, quia Aegyptii patribus nostris in Aegypto* vitam reddiderunt amaram. Tertio, manu allevat panem azymum, additque: *hic panis azymus, quo vescimur, notat, quod massa patrum nostrorum angustia temporis non potuerit fermentari, cum Dominus ipsis appareret, & ab hostibus liberaret.* Hanc catechizandi rationem ajunt præceptam *Exod. XII*, 26. vocantque eam הַגָּדָה שֶׁל פֶּסַח *annuntiationem* seu *enarrationem Paschatis.* Hinc suum loquendi modum mutuatur Apostolus: *Quoties editis hunc panem, & bibitis hoc poculum,* τὸν θάνατον τοῦ Κυρίου καταγγέλλετε. *1 Cor. XI, 26.*

VII. Quantum ad hunc *agnum*, tale de eo præceptum habebant: *Decimo die mensis Abib quisque sibi accipiet agnum, pro domo paterna, integrum, masculum, anniculum; eritque apud vos in custodia, usque ad diem decimum quartum ejus mensis Exod. XII, 3.*

VIII. *Paschalis* pecus, vel *agnus*, vel *hœdus* (7), pro quavis domo esto. Totum Israelitarum corpus divisum erat in duodecim tribus, tribus in familias, familiæ in domos. Si quæ domus non sufficiebat absumendo agno, tum proximus vicinus se adjunxit, ut comederet. Tota communitas vocabatur φρατρία (8). Ejusdem sensus sunt apud *Marcum cap. VI*, 40. 41. συμπό-

συμπόσια, & *πρασιαί*. Hæ voces omnes notant *communitatem ſodalitatemque convivarum, quot eidem menſæ accumbere poſſunt.* Vltimum vocabulum proprie ſignificat *toros & areolas hortorum;* & ſic videtur in Evangelio tota multitudo conſidens in gramine viridi comparari horto, & ſingulæ ſodalitates totidem areolis horti. Numerus accumbentium in *communitate Paſchali* infra decem non deſcendit, nec ſupra viginti adſcendit. IOSEPH. *de Bell. Jud. lib.* 7. *cap.* 17.

IX. Commendatur in Lege *maſculus* (9), ad ſignificandum vividum robur & vires Salvatoris noſtri, cujus typus fuit.

X. *Anniculus*, Hebr. בֶּן שָׁנָה *filius anni* (10). Sunt qui diſtinguunt inter *filium anni*, & *filium anni ſui: Filium anni* interpretantur, qui *annum unum* agit, nec minor, nec major eſt; *Filium* vero *anni ſui*, qui eſt in *anno primo*, licet eum nondum abſolverit. Sed ABEN ESRA negat absque *Kabbala* poſſe ſciri, quis ſit *filius anni ſui*, nam fieri poteſt, inquit, ut ſit ו addititium, ſive paragogicum, quale frequens eſt. *Anniculus:* illud exponunt ſic (11), quod agnus, qui octo & plures dies habet, idoneus ad *Paſcha* fuerit, non tamen ſi pauciores, quia dicatur *Lev. XXII*, 27. *Bos, aut agnus, aut capra, quum nata fuerit, fueritque dies ſeptem ſub matre ſua, deinde a die octavo & ultra accepta erit in oblationem igne abſumendam Jehovæ.* Rationem hujus præcepti Hebræorum quidam eſſe putarunt, quod nihil in mundo abſolute perfectum ſit, usque dum Sabbathum tranſierit. *Vid.* MVNSTER. *ad Levit. XXII.* Inſuper, ſi hora una ille agnus ſuperarat annum, reprobatus fuit, quia dicitur: *maſculus, anniculus.*

XI. תָּמִים *Perfectus, integer* (12) debebat eſſe, tam ad commonendos Iſraelitas de propria integritate & ſinceritate, quam ad denotandam abſolutam illius perfectionem, qui revera fuit *ὁ ἀμνὸς τοῦ Θεοῦ, agnus Dei.*

XII. *Aſſervatusque fuit usque ad decimum quartum ejusdem menſis* (13). Rabbini hujus cuſtodiæ quatuor rationes dant. HOSPIN. *de Orig. Feſt. cap.* 5. Quod 1. alias potuiſſent negligere agnum *Paſchalem*, ob præcipitem emigrationem & molem negotiorum tempore diſceſſus. 2. Vt intra quatuor iſtorum dierum ſpatium eo melius explorare poſſent & cognoſcere perfectionem agni. 3. Vt, cum per tantum tempus ſuis oculis luſtrarent agnum, eo meliorem occaſionem & incitamentum haberent, tum deſcendendi in conſiderationem miſericordiæ Dei eripientis eos ergaſtulo Aegypti, tum catechizandi inſtituendique ſuos filios ea in parte; ob quam rationem receptus mos Judæis fuit, ut agnum per hos quatuor dies lectorum fulcris alligarent. 4. Vt hoc præparationis tempore ſe poſſent expedire & parare ad mactandum eum.

XIII. Tempus, quo agnus mactari debuit, erat *veſpera, Exod. XII*, 6. ſive, ut in Textu originali legitur, בֵּין הָעַרְבַּיִם *inter duas veſperas* (14). Theologi hic movent quæſtionem, quænam pars diei per hanc locutionem intelligatur? Quidam diſtinguunt duas veſperas ita: quod fuerit *veſpera Solis*, ſcil. cum moles ſolaris occidit, & *veſpera luminis*, cum etiam radii ſolares & ſplendor terram deſeruere. Tem-

 pus,

pus, sive τὸ μεταξὺ, *interim*, inter has duas vesperas, censetur esse hora una, & tertia pars horæ, quo interstitio ajunt jugulatum *Pascha*. ABEN ESRA *Exod. XII.* Alii dant laxius temporis intervallum, sicque distinguunt: quod sit *vespera declinationis* & *vespera occasus*; putantque *Pascha* mactatum esse tempore eo, quod intercurrit meridiem & noctem. R. DAVID *in Radic.* Hoc etiam colligi potest ex *Pircke Aboth cap. 5.*

XIV. Hæc postrema responsio videtur magis consentanea veritati. 1. Quia per eam locutionem debemus intelligere tempus longiusculum, quo non tantum *Pascha* mactandum, sed etiam sacrificium juge offerendum fuit. *Num. XXVIII*, 4. Hoc ergo potuit offerri prima pomeridiani temporis parte. Modum oblationis hoc tempore describit *Talmud. tract. de Paschate cap. in initio*, qui juxta nostrarum horarum numerum ita habet: *Sacrificium juge vespertinum plerumque mactabatur inter secundam & tertiam, offerebatur autem inter tertiam & quartam; vespera Paschatis mactabatur inter primam & secundam, offerebaturque semi-tertia. Quod si vespera Paschatis incideret in vesperam Sabbathi, juge sacrificium vespertinum mactabatur inter duodecimam & primam, & offerebatur media ad secundam, & postea Pascha.* 2. Hoc convenit cum immolatione veri *Paschalis* agni. Nam sicut tempus crucifixionis cœpit hora tertia diei cum sacrificio jugi matutino *Marc. XV*, 25. ita id finitum est hora nona, vers. 34. cum soleret offerri sacrificium juge vespertinum, & in vesperis *Paschatis*, ipsum *Pascha*.

XV. Præterea agnus debebat comedi *cum herbis amaris* (15). Ratio hujus præcepti est, ut eo admonerentur agere Deo gratias pro liberatione ex servitute Aegyptiaca, quæ ipsorum vitam amaram reddidit. *Exod. I*, 14.

XVI. Has *amaras herbas* intingebant in *pulmentum* crassiusculum sinapi instar, quod vocabant חֲרוֹסֶת (16), dicuntque hoc *pulmentum* esse signum *luti*, in quo laborarunt patres in Aegypto. MOSES KOTSENS. *fol.* 118. Hoc pulmentum putant quidam esse, in quod Christus ἔμβαψε τὸ ψωμίον, *intinxit offulam*, quam Judæ dedit. SCALIG. *de Emend. Temp. l. 6. p.* 272. De hoc crassiusculo jure ita scribunt Hebræi. MAIMON. *de Serm. cap. sect.* 7. *Solebant panem azymum intingere in pulmento* Charoseth, *&* *tum vesci; deinde immittebant herbas amaras in* Charoseth, *vescebanturque iis.* Conficiebatur e foliis palmarum vel ficubus aridis & passis uvis, quæ contundebant, affusoque aceto, instar luti commiscebant, mensæque apponebant *Paschali* nocte. MAIMON. *in* חמץ ומצה *c.* 7. *sect.* 11.

XVII. Septem dies sequentes decimum quartum *Nisan*, proprie loquendo, peculiare festum constituebant, uti superius dictum; nempe *Festum azymorum* (17), quod hoc tempore non debebat panis fermentatus in ipsorum ædibus reperiri. Hujus moris vestigia quædam sunt observata in Romanorum Flamine Diali. A. GELL. *Noct. Attic. l.* 10. *c.* 15.

XVIII. Gradus præparationis ad festum (18) quatuor erant. BUXTORF. *Synag. c.* 12.

1. *Ex-*

1. *Expurgatio fermenti*, quando omnem suam supellectilem & vasa, quibus fermentum adhærere possit, emundant; & hoc agunt duobus vel tribus diebus ante *Pascha*. 2. *Inquisitio fermenti*, quando fermentatum panem inquirunt per omnes domus angulos & murium scrobeculas: hæc inquisitio fit accensa cerea, & teste BVXTORFIO nocte ante *Pascha*. SCALIGER id refert aliis verbis, nempe quod hæc inquisitio instituta fuerit *ineunte quarta decima usque ad quartam horam post ortum Solis*. *De Emend. Temp. in Proleg.* Initium autem decimæ quartæ diei erat nox antecedens. nam Judæi sacros dies a vespera ad vesperam computabant. 3. *Exterminatio* seu *conflagratio fermenti*, quæ facta a quarta ad sextam horam, circa meridiem; quo tempore sequebatur ultimus gradus, quem SCALIGER prætermisit, nempe 4. *Execratio fermenti*, quæ ita sonat: *Omne fermentum, quod penes me est, quod neque vidi, neque removi, dispergatur, & pro terræ pulvere reputetur.* BVXTORF. *Synag. cap.* 12.

XIX. Si quis iis septem diebus vescatur pane fermentato, pœna est, *animæ excisio ex Israele* (19). *Exod. XII*, 15. quæ pœna ab Interpretibus triplicem nanciscitur sensum. Vid. P. FAG. *in Exod. XII.* Quidam per eam intelligunt, quod talis ejiciendus sit *ex hæreditate cælesti;* alii quod Deus talem excisurus *e vita sit morte subitanea;* alii, quod talis *absque liberis sit decessurus*, nulla sui pignora relinquens. Huc facit ipsorum proverbium: *Vir sine filiis est sine vita.* P. FAG. *l. c.* Harum trium expositionum prima hoc loco verisimillima est, licet alia Scripturæ loca secundam quoque admittant, ut dicetur *Cap. de Circumcisione.* Interim judicet æquus lector, annon hæc verba importent, præter occultum Dei in talis transgressoris animam judicium, institutionem Ecclesiæ, quo pacto ea ejusmodi peccatores excommunicatione coercere queat; quod pœnæ genus Sacra Scriptura alias vocat ἀποσυνάγωγον ποιεῖσθαι, *ejici ex Synagoga. Joh. XVI*, 2. quæ locutio convenit huic, *exscindi ex Israele.*

XX. Hic tria (20) quæri possunt: 1. quis mactarit *Pascha?* 2. ubi mactatum? 3. ubi comestum sit? 1. Mactatum est a *Sacerdotibus* (21) 2 *Chron. XXXV*, 6. 2. Mactabatur primis temporibus *in Atrio Templi* (22), loco, quem Deus elegerat. *Deut. XVI*, 6. 3. Dominus agni accepit a Sacerdote, & comedit in privata domo (23). Christus cum suis discipulis *Pascha* celebravit in cœnaculo Hierosolymæ. Vid. MAIMON. *in Korban. Pesach. c.* 1. *sect.* 6.

XXI. Ulterius quæri posset, an *Pascha* celebratum fuerit duabus cœnis (24), altera alteram immediate insequenti? Quidam hoc affirmant, hisque rationibus: 1. Quia Christus accubuerit, *Pascha* autem comestum sit stando. Hoc omnium infirmissimum argumentum est. nam Christus æque accubuit, cum vesceretur *Paschate*, ac cum institueret Sacramentum; & Judæi in genere, post primam institutionem *Paschatis*, malunt id accumbendo comedere, quam stando, ad significandum suam quietem & libertatem, ut patet ex *Cap. de Conviviis.* 2. Quia *Pascha* solitum fuerit assari, cum in ultimo *Paschate*, quod celebravit noster Jesus, fuerit jus, cui intingebatur panis, & cum quo edebatur *Paschalis*

 agnus,

agnus, non tamen nefas fuerit, ordinariam cœnam ejusdem comestioni adjungere, quæ jus admittere potuit: sed, uti superius demonstratum est, materia, cui intincta est illa offula, putatur esse *pulmentum* חֲרוֹסֶת. 3. Vrgent *Joh. XIII*, 2. jam peractam fuisse cœnam primam, cum Christus surgens suorum discipulorum pedes lavaret, postmodum autem Judæ datam esse offulam, qua re ostendi accubitum secundum. Sic *Lucas* quoque refert, Christum suis discipulis dixisse, *μετὰ τὸ δειπνῆσαι, post cœnam*, & consecrationem Sacramenti, quod unus ipsorum ipsum proditurus esset.

XXII. Hoc est validissimum argumentum illorum, non tamen sufficientis roboris, quia Sacræ Scripturæ frequens & familiaris est *πρόληψις*, qua illud prius recensetur, quod ratione historiæ posterius est. Sic *Joh. XI.* refertur Maria, quod unxerit Jesum, etsi illius unctio demum sequatur proximo capite. Eamdem quoque de proditore historiam *Matthæus* & *Marcus* anteponunt consecrationi Sacramenti. De hoc Judæis proverbium est (25): אֵין מוּקְדָּם וּמְאוּחָר בַּתּוֹרָה *non est prius aut posterius in Scriptura.* SALOM. IARCHI *in Gen. VI*, 3. His datis responsionibus, videmus, quam dilutum sit statuere, homines decem (sæpe enim tot, non plures fuere), cœnam secundam esse ituros, ubi jam absumpserant *agnum anni sui*, h. e. anniculum.

XXIII. Constat etiam ex historia Barrabæ, fuisse receptum morem, dimittendi captivum quemdam tempore *Paschatis* (26). Quantum ad hujus dimissionis rationes, triplex exstat opinio. Quidam putant, hunc morem sacrum fuisse memoriæ *Jonathanis*, filii *Saulis*, quem populus liberavit patris manibus. Alii censent, quemdam dimissum, ut festum eo majori lætitia & plausu agitaretur. Alii verisimilius esse dicunt, id factum, ad vocandum in memoriam servitutem Aegyptiacam.

XXIV. Rursus hic notandum, quod Judæi, loquentes de *Paschate*, loquantur subinde juxta computationem civilem, qua metiebantur dies ab ortu Solis ad ortum Solis; subinde juxta computationem sacram, quæ ibat ab occasu Solis ad occasum Solis. Hoc inservit conciliando loco *Num. XXVIII*, 16. ubi decimus quartus primi mensis videtur poni pro primo die azymorum.

XXV. IOSEPHVS *Antiq. lib.* 2. *cap.* 5. prodit, quod huic festo octo dies attribuerint. Sic discipuli dicuntur ad Christum accessisse *primo die azymorum* (27), dicentes: *πῦ θέλεις ἑτοιμάσωμέν σοι φαγεῖν τὸ Πάσχα; ubi vis paremus tibi ad edendum Pascha? Matth. XXVI*, 17. quasi *ἡ πρώτη ἀζύμων, prima azymorum* fuerit ante *Pascha*. Hæc excusantur computatione dierum civilium, etsi ratione computationis dierum sacrarum Festum azymorum demum cœperit decimo quinto, duraritque tantum dies septem, *Paschate* Festum azymorum præcedente.

XXVI. Tandem sciendum est, quod concessum fuerit *secundum Pascha* (28) iis, qui vesci *primo* non potuere, vel propter impuritatem ex contactu cadaveris contractam, vel ob distantiam suarum habitationum ab eo loco, quo jugulari debuit. Id observari debuit mense secundo, die decimo quarto

quarto juxta omnes prioris *Paſchatis* cerimonias. *Num. IX.* Quantum ad conceſſionem *Paſchatis* poſterioris pro iis, qui in itinere remoto fuerunt, Hebræi in iis verbis, *in itinere remoto*, ſingulares & notatu dignas meditationes exerunt. Forſan Dominus eo ſignificavit, nos *Gentiles, qui immundi & mortui eramus in peccatis*, καὶ ὄντες μακρὰν *& remoti, futuros eſſe propinquos ſanguine Jeſu Chriſti, ipſumque participaturos*, qui eſſet *Paſcha* ſecundum. *Eph. II*, 1. 13. De hac legali conſtitutione dicunt Hebræi: quid eſt *iter remotum iſtud?* Qui die decimo quarto menſis primi, oriente Sole, quindecim aut plura milliaria ab Hieroſolymorum mœnibus abeſt. Ecce! hæc eſt via longinqua. Sin minus abeſt, non eſt via longinqua, nam facile Hieroſolymam appellere poteſt tempore pomeridiano, licet pedes eat. MAIMON. *in Korban. Peſach. cap.* 5. *ſect.* 8. 9.

XXVII. *Analogia* inter *Paſchalem agnum* & *Chriſtum* (29) ſic habet:

CHRISTVS EST NOSTRVM PASCHA.

1 ad Corinth. V.

Paſchalis Agnus fuit	Chriſtus fuit
1. *Agnus e grege.*	1. *Filius hominis. Joh. I.*
2. *Absque vitio.*	2. *Absque peccato.*
3. *Offerendus & aſſandus.*	3. *Cruciandus & occidendus.*
4. *Circa veſperam.*	4. *In conſummatione ſæculorum. Heb. IX*, 26.
5. *Cujus non frangebantur oſſa.*	5. *Non fregerunt ejus crura. Joh. XIX*, 33.
6. *Cujus ſanguine reſperſi portarum poſtes.*	6. *Cujus ſanguis mundat noſtras conſcientias.*
7. *Vt Angelus percuſſor ipſos tranſiret.*	7. *Ne peccatum & mors nos proſterneret.*
8. *Qui in domibus privatis edebatur.*	8. *Qui vera propriaque fide applicatur.*
9. *Totus.*	9. *Per omnes fidei articulos.*
10. *Sine fermento.*	10. *Sine hypocriſi.* 1 *Cor. V*, 8.
11. *Cum herbis amaris.*	11. *Cum patientia ſub cruce.*
12. *Cum feſtinatione, & more viatorum.*	12. *Cum ſerio & ſiticuloſo deſiderio æternæ vitæ.*
13. *A ſolis circumciſis.*	13. *A ſolis fidelibus.* 1 *Cor. XI.*

CAPUT V.

DE FESTO PENTECOSTES.

Hoc Festum vocatur (1) ΠΕΝΤΗΚΟΣΤΗ, vocabulo *diem quinquagesimum* significante, quia celebrabatur *quinquagesimo* a *postero Paschatis*, h. e. *decimo sexto die mensis Nisan*.

II. Hic primo notandum est, quod *Decimus quartus* dies mensis *Nisan* fuerit τὸ Πάσχα. *Decimus quintus* ἑορτὴ τοῦ πάσχα *festum Paschatis*, sive πρώτη τοῦ πάσχα, *prima dies Paschatis*, quam Seniores appellabant πρώτην τῶν σαββάτων, *primam Sabbathorum*. *Decimus sextus* erat δευτέρα τοῦ πάσχα, *secunda dies Paschatis* (2), seu מָחֳרַת הַשַּׁבָּת *posterus dies a cessatione*, nempe *Paschate*. *Levit. XXIII*, 11. Nam, quia hoc festum septem constabat diebus, primusque & septimus vocabantur *Sabbatha*, hæc locutio idem notat, ac si dictum esset *posteriore Paschatis die*.

III. *Hi quinquaginta dies* certi limites erant Judaicæ messis, quam includebant duo solennes dies, ineunte eam δευτέρᾳ τοῦ πάσχα, *secunda die Paschatis*, claudente πεντηκοστῇ, *quinquagesima post*. Δευτέρᾳ τοῦ πάσχα, *secunda Paschatis offerebant manipulum primitiarum messis suæ Levit. XXIII*, 10. SCALIG. *de Emend. Temp. lib.* 6. *Festo Pentecostes* offerebant לֶחֶם תְּנוּפָה שְׁתַּיִם *panes agitationis duos*. *Levit. XXIII*, 17.

IV. Ille manipulus oblatio fuit pro tota messe, fecitque ut omnes sequentes fruges per totam terram sanctificarentur; καὶ τότε λοιπὸν δημοσίᾳ ἔξεστι πᾶσι καὶ ἰδίᾳ θερίζειν, *& ex eo deinceps publice licet omnibus & privatim metere*. IOSEPH. *Antiq. lib.* 3. *c.* 10. Non enim prius licuit falcem frugibus immittere, quam post factam oblationem. Panes autem duo, & oblatio eucharistica fuerunt, & signum collectæ messis (3).

V. Secundo sciendum est, quod hos quinquaginta dies numerarint, supputando *septimanas* a δευτέρᾳ τοῦ πάσχα, *secunda Paschatis*, unde dictum est *Festum septimanarum*. Modus supputandi septimanas erat pro numero *Sabbathorum*, δευτέραν, *secundam Paschatis* sequentium. Hinc *primum* sequens *Sabbathum* vocabant δευτερόπρωτον σάββατον (4), *secundum* δευτεροδεύτερον, *tertium* δευτερότριτον, &c. Sic ut singula *Sabbatha* & septimanæ, durante *Pentecostes* tempore, veluti *primum*, *secundum*, *& tertium &c.* sua nomina duxerint a δευτέρᾳ, *secunda Paschatis die*. SCALIG. *de Emend. Temp. lib.* 6. *p.* 260.

VI. Hæc observatio lumen affundit loco illi *Luc. VI*, 1. (4) ubi fit mentio σαββάτου δευτεροπρώτου, *Sabbathi secundo-primi*, per quod intelligitur proximum *Sabbathum* a decima sexta mensis *Nisan*, quæ erat δευτέρα τοῦ πάσχα.

VII. Sic his quinquaginta diebus tempus messis describentibus, operæ pretium erit observasse differentiam inter ipsorum messem

messem & nostram (5), quæ præcipue in eo consistit, quod anticipent tempus nostrum; nam & *Cananæi* & *Aegyptii* arva cum falce visunt paulo ante *Kalendas Apriles*, peraguntque messem Majo. PLIN. *lib.* 18. *cap.* 18. Illud ipsum confirmat LEO AFER, testis αὐτόπτης, *Descript. Afr. lib.* 8. *c.* 4.

CAPUT VI.

DE FESTO TABERNACULORUM

ΣΚΗΝΟΠΗΓΙΑι.

Vocabulum Græcum (1), quod adhibetur ad exprimendum hoc festum, notat proprie *structionem tabernaculorum*. IANSEN. *Concord. cap.* 73. item TOLET. *in Joh. VII.* Hebraice dicitur חַג הַסֻּכּוֹת *Festum Tabernaculorum.* Utriusque etymi ratio est, quod per totum hoc festum, quod septem plenos dies habebat, nempe a *decimo quinto* mensis *Tisri* usque ad *vigesimum primum* populus mansitaret sub *tabernaculis* & *tentoriis* in formam fornicum & porticuum exstructis. Primus tamen horum septem dierum & septimus singulari modo celebrari debebant, quum esset iisdem *convocatio sancta.*

II. Quantum ad hæc *tabernacula* (2), de iis sic scribunt Judæi: Oportebat ea fieri sub dio, non intra portas, aut sub tegmine alicujus arboris; nec tegi velis, nec condensari frondibus, sed relinqui Solis radiis stellarumque scintillationibus & pluviis rimulæ debebant, per quas illaberentur. Sub his septem dies agitabant velut in suis ædibus; propatereaque illa & supellectile & lectis instruebant, nimboso tamen æthere cibum somnumque capere in ædibus concessum erat, usquedum tempestas illa discussa esset. Vid. MUNSTER. *in Levit. XXIII.* Infirmis quoque, qui vapores terræ ferre nequibant, remanere domi licebat. Tempore *Nehemiæ* conficiebant sua *tabernacula* super tectis domorum, (ædes enim ipsorum non culminatæ, sed planæ erant, *Deut. XXII,* 8.) aut in atriis suis, aut plateis. *Neh. VIII,* 17.

III. PLUTARCHUS referens hoc festum *Sympos.* 4. *Probl.* 5. ait: quod hæc *tabernacula* præprimis constructa fuerint ex hedera. Sed S. Literæ tradunt quatuor frondium species, queis *tabernacula* sua munierunt. *Lev. XXIII,* 40. quæ putantur esse sequentes: 1. *Thyrsi olearum.* 2. *Thyrsi palmarum.* 3. *Termites myrtorum.* 4. *Rami salicum.*

IV. Rabbini produnt, quod quisque quovis mane hunc suum ramorum fasciculum tulerit (3), aut quod alias jejunarit. P. FAGIUS *in Levit. XXIII.* Hunc fasciculum appellabant *Hosanna.* ELIAS THISBIT. Hinc populus intranti Salvatori nostro Hierosolymam putabat ramos ab arboribus, sternebatque

batque super via, ingeminans Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. *Matth. XXI, 9.*

V. PLUTARCHUS, illudens Judæis (4), comparat hoc festum *sacris Bacchi*, *Bacchanalibus*, in quibus convivæ circumcursitabant, hastas sacras hedera vestitas, quas θύρσους vocabant, manibus tenentes; quapropter Festum *Tabernaculorum* appellavit θυρσοφορίαν, *gestationem thyrsorum.* Hoc festum non dissimile festo, quod *Athenienses* vocant Ἐιρεσιώνην.

VI. Primo post hoc festum die septies altare circumiverunt, manibus palmarum termites surrigentes, in memoriam captæ *Hierichuntis*; ex hac causa, vel quod palmarum rami præcipui essent in fasciculis, hoc festum vocatum est *Dies Palmarum* (5). HOSPIN. *de Orig. Fest. cap.* 7. item MUNSTER. *in Kalend. p.* 150.

VII. Quantum ad *rationes* hujus festi (6): Quidam putant id institutum fuisse ob memoriam protectionis, quam Deus Israelitis, desertum transeuntibus, nube dedit, sub cujus umbra, tanquam sub tuto papilione, iter faciebant. ONKELOS in suo *Targum* seu paraphrasi Chaldaica videtur huic sententiæ annuere. Nam ubi Hebræi legunt: *ut cognoscant generationes vestræ, me fecisse ut habitarent filii Israelis in tabernaculis. Levit. XXIII*, 43. Chaldæus Paraphrastes vertit: *ut generationes vestræ sciant, quod fecerim habitare filios Israelis* בְּמִטְלַת עֲנָנִין *sub umbra nubium.* Alii putant illud festum institutum tanquam solennem gratiarum actionem pro vindemia, quæ eo tempore colligebatur; hinc intelligunt eos *Psalmos* Davidis, qui inscribuntur עַל הַגִּתּוֹת *pro torcularibus*, compositos esse in hoc festum. THEOPH. *in Joh. VII.* Alii verisimilius loquuntur, dicentes rationem ejus esse, patrum ipsorum habitationem in *tentoriis* & *papilionibus.* Textus claret *Levit. XXIII*, 43.

VIII. *Sacrificia*, quæ his septem diebus offerebantur, præscripta sunt *Num. XXIX*, 13. 14. (7) ubi legimus singulis diebus eadem sacrificia fuisse facta; hac tamen differentia, quod prima die offerrent *terdenos* juvencos subrumos, secunda die *duodenos*, die tertia *undenos*, & sic deinceps quovis die, descendente numero. Rationem cujusque diminutionis hanc esse ajunt Judæi; Totus numerus juvencorum, qui in hoc festo erant offerendi, erat *septuaginta*, juxta numerum *septuaginta nationum* (8); pro quibus, ut dicunt, hæc sacrificia facta sunt; quo prænunciari diminutionem istarum gentium, usquedum cuncta sceptro *Messiæ*, qui est desiderium gentium, ingenicularent. HOSPIN. *de Orig. hujus Festi.*

IX. Dies vigesimus secundus mensis *Tisri* peculiare quidem Festum fuit (9), ut patet ex *Neh. VIII*, 19. Verum, quia is immediate sequebatur festum *tabernaculorum*, reputatus est pro ultimo festi illius die.

X. Non soli autem rami, sed etiam omnes dies totius hujus festi vocati sunt הוֹשַׁעְנוֹת *Hosannot*, a solenni acclamatione populi, cum fasciculos ramorum huc illuc ferrent. Octavus dies dicebatur הוֹשַׁעְנָה רַבָּה *Hosanna Rabba*, *magna*, seu magnus festi dies *Joh. VII*, 37. *Talmud. tract. de festo Tabern. c.* הַלֵּל. Vid. TREMELL. *Joh. VII.*

XI. Hoc

XI. Hoc die Judæi legunt ultimam sectionem Pentateuchi, incipiuntque primam (10), ne videantur plus hilares ob sectiones finitas, quam proclives eas exoriendi. BVXTORF. *in Abbreviat. p.* 253.

XII. Hoc quoque die juxta constitutionem Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ*, & aliorum propheticorum virorum, magna cum solennitate & lætitia aquæ abundantiam ex torrente Siloah (11) in Templum tulere, quæ ubi Sacerdotibus tradita, cum vino in altare effundebatur, canente toto populo illud *Jesa. XII*, 3. *Haurietis aquas in lætitia ex fontibus salutis.* Salvator noster censetur hoc respexisse in illo dicto, quo usus est eodem die *Joh. VII*, 38. *Qui credit in me,* ποταμοὶ ὕδατος ζῶντος ῥεύσουσιν ἐκ τῆς κοιλίας αὐτοῦ, *fluvii aquæ vivæ fluent ex ventre illius.* TREMELL. *Joh. VII*, 37. *ex Talmude.*

XIII. Notatu quoque dignum est, quod, cum Deus præcepit hoc festum agitari decimo quinto mensis *Tisri*, Jerobeam (12), ut dedoceret populum verum Dei cultum, ordinarit die decimo quinto mensis octavi festum, quod respondere existimatur festo *Tabernaculorum.* HOSPIN. *de Orig. hujus festi. pag.* 24.

CAPVT VII.

DE FESTO BVCCINARVM ET NOVILVNIORVM.

Vt intelligamus tempus, quo celebrandum fuit hoc festum, notandum est, quod mensis *Tisri* fuerit *mensis septimus* juxta computationem *sacram*. Hoc festum igitur agitatum est *mensis septimi primo die. Levit. XXIII*, 24. Verum juxta computationem *civilem* erat *mense primo*, sic ut hoc festum possit vocari *dies novi anni* (1).

II. Quisque mensium suum habebat festum (2). 1. Quo comparebant coram Prophetis, audituri verbum, quemadmodum aliis Sabbathis. *Quare tu is ad ipsum hodie, cum non sit Novilunium, neque Sabbathum?* 2 *Reg. IV*, 23. 2. Quo nefas fuit emere vel vendere. *Quando transibit Novilunium, ut vendamus annonam? Amos. VIII*, 5. 3. Quo offerebantur peculiaria sacrificia quotidiana.

III. Festum tamen *Buccinarum* differt ab iis *Noviluniis*. I. Respectu sacrificiorum (3). In *Novilunio* ordinario offerebant, præter oblationes quotidianas, *juvencos subrumos binos*, *arietem unum*, *agnos anniculos septenos integros*, una cum ipsorum מִנְחָה *munere frumentaceo*, & נְסֵךְ *libamine*, & *hirco peccati. Num. XXVIII*, 11. 15. Sed νεομηνίᾳ *Novilunio*, quod ordiebatur novum annum, offerebant omnes dictas oblationes, &, præter eas, *juvencum subrumum unum*, *arietem unum*, *& hircum e capris, in peccatum. Num. XXIX*, 1-5.

IV. II. Aliis *Noviluniis* non clangebant *buccinis*. Hac autem νουμηνίᾳ *Novilunio* inflabant *buccinas* (4) *ab aurora ad occasum Solis*. SCHINDL. *in voce* שׁפר. Vnde discimus, quale *Novilunium sit*, de quo loquitur David *Psalm. LXXXI*, 4. *Clangite in Novilunio buccina, in interlunio, die festi nostri.*

V. Ratio generalis hujus *buccinationis* & clangoris ingentis videtur mihi fuisse, ut diem novi anni eo observabiliorem redderent, quoniam omnes negotiationes & contractus ipsorum & ipsi anni *Sabbathici* & *Jubilæi* ab inde computabantur.

VI. Verum cur observabilis redditus sit ille dies *buccinis* sive *cornibus*, tres opiniones existunt (5). I. Hebræi putant, illud fieri in memoriam liberationis Isaaci, buccinatumque fuisse cornibus, quia aries ipsius loco jugulatus sit. P. FAGIVS *Levit. XXIII.* II. BASILIVS *in Psalm. LXXXI.* autumat, quod populo in memoriam revocaretur ille dies, quo acceperant Legem in monte Sinai *cum sono tubæ*. III. Aliorum sententia est, eo ipsos relegisse memoriam resurrectionis, quæ fiet cum σαλπίσματι, *sono tubæ*. *Mittet Angelos suos* μετὰ σάλπιγγος φωνῆς μεγάλης, *cum voce magna tubæ. Matth. XXIV*, 31.

VII. Tria observatu digna sunt (6) in *Noviluniis*. SCALIG. *de Emend. Temp. p.* 26. & 105. I. Σύνοδος, *conjunctio Lunæ cum Sole*. II. Ἐξαυγασμὸς, *incrementum splendoris Lunæ*. III. Σχῆμα μηνοειδὲς, *forma falcata*, seu initium, *Lunæ*. In primo statu Luna obscura plane est; In secundo seipsam proripit ad recipiendos Solis radios; In tertio apparet corniculata.

VIII. Hinc, cum in tribus istis mutationis gradibus sit mutua participatio veteris & novæ Lunæ, Judæi observant *duos dies: Vltimum cujusvis mensis*, & *Primum sequentis*. HOSPIN. *de Orig. Fest. c.* 4. *pag.* 15. Eadem ratio tenet etiam in illis mensibus, qui constant 29 diebus. Propterea quia dies trigesimus erat ultimus mensium longissimorum, HORATIVS *lib.* 1. *sat.* 6. hos ultimos dies vocat *Tricesima Sabbatha*. Primos dies vocabant νεομηνίας, *novilunia*.

IX. Ob certam rationem utuntur Judæi *mutatione* quadam seu *transpositione* dierum, quæ transpositio, etsi usurparetur quoque aliis mensibus, summa tamen cum cura in transponendo ipsorum novo anno fiebat, sive die primo mensis *Tisri*. Et is, qui has *mutationes* sedulo conferet, omnes *transpositiones* ab hac prima pendere inveniet.

X. *Transpositio* dierum triplex fuit. SCALIG. *de Emend. Temp. l.* 2. *p.* 58. 1. *Menstrua*. 2. *Politica*. 3. *Mixta*.

XI. Ratio *transpositionis menstruæ* erat, ne celebrarent festum *novilunii*, usque dum vetus penitus præteriisset. Vt hoc melius elucescat, observate tres regulas. I. Hebræi metiebantur suos dies sacros a vespera in vesperam, initio sumto ab hora sexta, sic ut ab ea hora sexta usque ad meridiem sequentem numerarentur 18 horæ. II. Ante *novilunium* συζυγία seu *conjunctio* est inter Lunam & Solem, qua durante Luna vocatur *silens*, respectu obscuritatis ejus, totoque

que eo tempore eſt participatio veteris Lunæ. III. Soluta hac conjunctione, nempe ſub illarum octodecim horarum antemeridianarum aliqua, *Neomenia* habita eſt eodem die. Verum ſi duraret unam minutam poſt duodecimam meridie, feſtum transpoſitum eſt in ſequentem diem; quia alias ſuum ſacrum diem inchoaſſent tempore veteris Lunæ. MVNST. *Kalend. Hebr. p.* 46. Et hanc *transpoſitionem* ſignant hac abbreviatura ח״י, h. e. 18, propter horam decimam octavam, quæ illi cauſam dabat.

XII. Ratio *transpoſitionis politicæ* erat, ne duo Sabbatha ſive Feſta immediate ſe contingerent; quia iis nefas fuit, ut dicunt, parare cibos, & juſta mortuis, & quoque incommodum, duobus diebus abſtinere parandis cibis & obruendis humo mortuis. MVNST. *Kalend. Heb. p.* 136.

XIII. Sed hic admittendæ duæ exceptiones, quando conjunctio immediata duorum feſtorum evitari nequivit. I. Si Paſcha ſive decimus quintus menſis *Niſan* incideret in Sabbathum, tum Pentecoſte neceſſario incidebat in diem *Solis*. II. Si Paſcha incideret in diem *Solis*, tum immediate anteceſſit Sabbathum hebdomadale. Primus auctor hujus *transpoſitionis politicæ* erat vir conſpicuæ dignitatis *Eleazar*, 350 annis ante adventum Jeſu Chriſti. HOSPIN. *de Orig. Feſt. pag.* 6.

XIV. Peculiares *transpoſitionis politicæ* ſpecies ſunt numero quinque: 1. אדו *Adu*, 2. בדו *Badu*, 3. גהז *Gahaz*, 4. זבד *Zabbad*, 5. אגו *Agu*. Ad intelligendas has abbreviaturas ſciendum eſt, quod in his effictis vocibus literæ poſitæ ſint pro numero, & applicentur ſeptem diebus hoc modo: א 1. *Dies Solis*. ב. 2. *Dies Lunæ*. ג. 3. *Dies Martis*. ד. 4. *Dies Mercurii*. ה. 5. *Dies Jovis*. ו. 6. *Dies Veneris*. ז. 7. *Dies Saturni*, ſeu Sabbathi Judæorum.

XV. Regulæ tangentes *transpoſitionem politicam* hæ ſunt. 1. Ne vel *dies novi anni*, qui erat *primus* menſis *Tiſri*, vel *feſtum Tabernaculorum*, quod erat *decimus quintus* ejusdem menſis, celebretur in אדו, h. e. *Die Solis*, vel *Mercurii*, vel *Veneris*. Non die *Solis*, vel *Veneris*, quoniam alias Sabbathum hebdomadale immediate vel anteceſſiſſet, vel ſecutum eſſet: non die *Mercurii*, quia tum Feſtum Expiationis, quod celebratur decimo ejus menſis veniret die *Veneris*, adeoque immediate ſequenti Sabbatho jungeretur. Hoc exemplum ſolummodo tangit *primum diem* menſis *Tiſri*, nempe *Feſtum Buccinarum*, valet tamen etiam per conſequens die *decimo quinto*, quo eſt Feſtum *Tabernaculorum*, quia neceſſario decimus quintus eſt idem hebdomadæ dies, qualis primus fuit. Propterea, ſi primus non fuit אדו *Adu*, nec decimus quintus fuit. Regula ſecunda erat, ne *Paſcha* celebraretur in בדו, h. e. *die Lunæ*, *Mercurii*, *&* *Veneris*. Regula tertia erat, ne *Pentecoſte* haberetur in גהז *Gahaz*, h. e. die *Martis*, *Jovis*, *&* *Saturni*. Regula quarta fuit, ne *Feſtum Purim* ſive *ſortium* agitaretur in זבד *Zabbad*, h. e. die *Lunæ*, *Mercurii*, *&* *Saturni*. Regula quinta erat, ne *Feſtum Expiationum* haberetur in אגו *Agu*, h. e. die *Solis*, *Martis*, *&* *Veneris*.

XVI. *Transpoſitio mixta* eſt, quando partim *menſtrua*, partim *politica* coincidunt in mutatione dierum. *Transpoſitio*,

 per

per hanc *mixtionem* seu *concursum* facta, duum generum est. 1. *Simplex.* 2. *Duplex.* *Transpositio simplex* est, quando festum transpositum est in diem sequentem. e. g. Si Luna mutatur die *Solis* post meridiem, tum festum transponendum est ob duas rationes. *Prima* ratio est *menstrua*, quia punctum mutationis est post horam יח 18. *Secunda* est *politica*, quia regula אדו *Adu* interdicit festum haberi die *Solis*. Nihilominus, quia dies proximus, nempe *Lunæ* dies, celebrabatur, voco *transpositionem simplicem*.

XVII. Hujus naturæ est *transpositio* illa, quam vocant בטו תקפט *Batu Takphat.* Quæ vox ficta est ad juvandam memoriam; quævis enim litera numerus est, & sic resolvi potest. ב erit 2, טו 15, תקפט 589. Sensus est, quod sequenti anno ἐμβολιμαίῳ, cui totus mensis interkalabatur, si punctum mutationis incidit in diem secundum hebdomadæ, h. e. diem *Lunæ*, non ante horam decimam quintam & minuta 589, Festum *Numeniæ* transponi debuerit in diem *Martis*. Quid & *transpositio politica* & *menstrua* operentur in hac mutatione. Leg. SCALIG. *de Emend. Temp. l.* 2. *p.* 87.

XVIII. *Transpositio duplex* est, quando festum transpositum est, non in diem proxime sequentem, sed in alium, quemadmodum, si primus dies *Tisri* incidit in diem *Saturni*, & Lunæ conjunctio nondum facta est ante meridiem, tum *menstrua transpositio* hoc festum rejicit in diem *Solis*, propter horas יח 18. *Politica* vero *transpositio* id revolvit in diem *Lunæ*, uti patet ex regula אדו *Adu*, quæ interdixit Sabbathum.

XIX. Hujus farinæ est גטרד *Gatrad*, quæ vox est ficta, quavis litera designante numerum, sicque resolvi potest. ג erit 3, ט 9, רד 204. Sensus est: in anno communi, cui mensis interkalatus non est, si punctum mutationis incidit in diem *Martis*, non ante horam nonam & 204 minuta horæ, *Neomenia* transposita est in diem *Jovis*.

XX. Tandem nota, quod 1080 minuta conficiant unam horam. MUNSTER. *Kalend. pag.* 45.

XXI. *Festum Tabernaculorum* habebatur mense *Tisri*, & propterea non poterat haberi *postridie Sabbathi*, ut patet ex regula אדו *Adu*. *Pascha* celebratur mense *Nisan*, & propterea id poterat celebrari *postridie Sabbathi*, ut patet ex regula בדו *Badu*. Si quis rationem petit, cur *Pascha postridie Sabbathi* potuerit haberi, non autem *Festum Tabernaculorum?* hanc puto esse rationem: *Posteriores* omnes *transpositiones* pendent ex *prima transpositione Neomeniæ* τῦ *Tisri*, quæ non ita poterat transponi, ut evitarentur omnes festorum duorum concursus. Atque ita, cum *Pascha* haberent *postridie* Sabbathi, licet non omnes, declinabant tamen plurimos duorum Sabbathorum concursus.

XXII. Hæc computatio *transpositionis* festorum partim aperit morem Judæorum in figendis Festis, partim illustrat illud, de quo Theologi graviter confligunt, scil. utrum Salvator noster anticiparit *Pascha* (7)?

XXIII. Ecclesia Græca tenet, Christum die decimo tertio mensis celebrasse singulare

lare *Pascha* cum suis discipulis, cum panis azymus nondum adhiberetur. EPIPH. *lib.* 2. *Tom.* 1. *cap.* 51. *pag.* 147. propterea que utuntur pane fermentato, & inculcant necessitatem ejus in Sacra Cœna, quem usum quidem fermentati panis in Cœna Dominica Ecclesia Romana olim non damnavit. CASAVB. *exercit.* 16. *p.* 465.

XXIV. Verum illam sententiam Græcorum rejicimus. 1. quia non convenit cum Historia Evangelica. 2. quia hæc sententia statuit Christum legis transgressorem, non impletorem.

XXV. Alii dicunt, quod, quum eo anno *Pascha* inciderit in diem *Veneris*, id festum trajectum sit in diem *Saturni*, per regulam בדו *Badu.* MVNST. *in Matth. XXVI.* Prætextus ipsorum est, quod Christus comederit *Pascha* decimo quarto, h. e. die *Veneris*, juxta præceptum Dei, Judæi autem *Pascha* sumserint die *Saturni* juxta δευτέρωσιν πατρῳπαράδοτον.

XXVI. Tandem alii sustinent, quod Christus & Judæi eodem die & hora, scilicet die *Veneris*, sive decimo quarto mensis *Nisan*, *Pascha* comederint; initium autem diei *Veneris* pro Judæorum ritu sumendum est a diei *Jovis* vespera, & quidem hora sexta. SCALIG. *de Emend. Temp. l.* 6. *p.* 266. Die *Veneris* summo mane judicio datus est, & crucifixus, & post meridiem circa tertiam, cum inciperet παρασκευῇ τοῦ σαββάτου, humatus. *Ibi propter præparationem Judæorum posuerunt Jesum. Joh. XIX*, 42.

XXVII. Vt conciliemus Evangelistas hac in parte, repetendæ sunt eæ singulares res, quæ fusius demonstratæ sunt *Cap. de Paschate.* I. *Dies decimus quartus* mensis, quo consumebatur *Pascha*, vocatur *primus dies azymorum. Prope erat Festum azymorum, quod dicitur Pascha Luc. XXII.* II. Dies decimus quartus festus non fuit vel sacer, sed decimus quintus. *Mense primo, decimo quarto die illius mensis, Pascha Jehovæ est. Et decimo quinto die ejus mensis, festum Num. XXVIII,* 16. 17. *Quidam putabant, quia Judas habebat* γλωσσόκομον *thecam, quod Jesus ei dicit: Eme, quibus opus habemus ad festum Joh. XIII,* 29. III. Oves & boves, qui hoc die immolabantur, vocantur *Pascha. Deut. XVI,* 2. Et hoc respectu *Johannes* intelligendus est *cap. XVIII,* 28. *Et illi non intrabant* εἰς τὸ πραιτώριον *in curiam, ne inquinarentur, sed ut comederent Pascha.* Sic ut hæc *Paschatis* comestio non intelligi debeat de *agno Paschali.*

XXVIII. Verum quærere hic quis posset, quomodo inquinari potuissent introeuntes Prætorium (8)? Resp. Vesperis sacrorum dierum, quas vocabant *dies præparationis*, illicitum fuit Judicibus decidere criminalia in Curiis, אין דיני נפשות לא בערב שבת ולא בערב יום טוב *Nulla exercentur judicia capitalia vel vespera Sabbathi, vel etiam vespera diei festi.* MOSES BEN MAIMON. *lib. ult. Jud. C. Sanh. Sect.* 11. Hinc Jesum deducunt ad Pilatum, Præsidem Romanum. Abstinentque Curia, quapropter etiam dicunt *Joh. XVIII,* 31. *Non licet nobis occidere quempiam;* h. e. tali & ejusmodi die. AVGVSTIN. 14 *tract. in Joh.* Ita hunc locum exponunt quoque CYRILL. *lib.* 12. *in Joh. VI.* CHRYSOST. *Homil.* 12. BEDA *in Joh. XVIII.*

XXIX. Nam etiamsi *Synedrium* ipsorum, seu Senatus magnus, ea tempestate oppressus esset, nihilominus omnis potestas in rebus capitalibus ipsis abrogata non erat (9), uti docent verba sequentia vers. 32. *Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans quali morte moriturus esset.* Qui textus ostendit, quod illud τὸ ὐκ ἐξεῖναι, *illicitum*, per singularem Dei providentiam evenerit, ut possit a Pilato judicari & crucifigi. Nam, si Judæi fuissent Judices, non affecissent reos tali mortis genere. Rursus, *Stephanus* ab ipsis damnatus est ad lapides *Act. VII*, 58. Et questi sunt coram *Felice*, quod, cum voluissent *Paulum* secundum suam legem judicare, *Lysias* Chiliarcha ipsum ex manibus suis vi magna extorsisset, *Act. XXIV*, 6. 7. Quæ testantur, quod non omnis potestas circa capitalia ipsis ademta fuerit. Sed de his plura *Cap. de Pœnis Capital.*

CAPUT VIII.

DE FESTO EXPIATIONUM.

Decimo die mensis *Tisri*, qui respondet nostro *Septembri*, præceptum est celebrari *Festum Expiationum Levit. XVI*, 23. 27. 29. ita dictum (1), quod Pontifex eo die confessionem faceret coram Deo suorum peccatorum & Israelitarum, & peragendo certos ritus & cerimonias expiaret ea, eorumque remissionem impetraret a Deo.

II. Cerimoniæ, quæ eo tempore usurpabantur, concernunt vel *populum & sacerdotem*, vel *Sacerdotem tantum*. Illæ, quæ concernunt *populum* (2) & *Sacerdotem*, consistebant *in afflictione animarum* ipsorum, quæ fiebat *jejunio*; unde ipsum Festum vocatur *Dies Jejunii*. IOSEPH. *de B. J.* p. 43. Quod illuminat textum *Act. XXVII*, 9. *Navigatio erat periculosa ob id, quod jam præteriisset* ἡ νηστεία, *jejunium*, h. e. *Festum Expiationis* jam elapsum erat, imminente bruma.

III. Cerimoniæ, quæ concernebant *Sacerdotem* tantum (3), duæ erant. 1. Tunc intrabat Pontifex *Sanctum Sanctorum*, qui introitus proprius fuit huic festo. 2. Is, sacrificaturus pro se & pro sua familia *juvencum subrumum peccati & arietem in holocaustum*, induebatur vestes Sacerdotales; lotusque accipiebat a cœtu Israelis *duos hircos caprarum in peccatum & arietem unum in holocaustum.*

IV. Duos illos hircos stitit (4) coram facie Jehovæ, ad portam tentorii conventus, sortem jaciens, uter sacrificari, uter vero dimitti debeat vivus. Hic posterior vocatur *hircus emissarius* (5) עֲזָאזֵל *Gnazazel*, ex עז *capra* & אזל *abiit*. R. D. KIMCHI *in radic.* quia altero jugulato ipse in desertum emittebatur.

V. Græci Interpretes vocant hunc hircum Ἀποπομπαῖον, *malorum depulsorem*; quo

quo nomine Gentiles suos Deos Tutelares insignierunt. Opinanturque, quod *hircus emissarius*, peccata populi in desertum efferens, simul efferat mala pœnæ, quæ consequuntur mala culpæ. Et ad confirmandum hac in parte populum, jussit Deus Pontificem confiteri peccata nomine totius populi, & omnia peccata totius cœtus rejicere in caput *hirci emissarii*.

VI. Forma confessionis juxta Magistros Hebræorum ita habuit: *O Domine, populus tuus, domus Israel, peccavit, rebellis fuit, & deliquit coram facie tua: Nunc te rogo, o Domine, condona peccata, rebelliones, & delicta, quibus populus & domus Israel peccavit, rebellis fuit, & perverse egit coram facie tua, sicut scriptum est in Lege servi tui Mosis: Eo die expiaturus vos est, ut vos mundet, & vos mundabimini ab omnibus vestris peccatis coram Jehova. Lev. XVI*, 30. Vid. P. FAG. *Lev. XVI.*

VII. Hodierni autem Judæi, quum non possit destructo Templo Hierosolymitano sacrificium rite offerri, si sunt viri, capiunt *gallum gallinaceum* (6) album; si sunt fœminæ, *gallinam*. Hunc *gallum* ter circumagunt circa caput Sacerdotis, dicentes: *Gallus gallinaceus hic commutatio erit pro me.* BVXTORF. *Synag. cap. XX.* Postea mactant *gallum*, confitentes se morte dignos esse, jactisque supra tecti culmen intestinis, sperant corvos & cornices ea surrepturos, & simul ipsorum peccata ablaturos in deserta. Ne autem videantur sine ratione insanire, promunt rationem hanc ex archivo rationis, cur hoc tempore *gallum* eligant. Vox גֶּבֶר in Sacra lingua notat *virum*, in Talmude *gallum*. Jam, dicunt illi, Dei justitia requirit, ut quemadmodum גֶּבֶר peccavit, ita גֶּבֶר satisfacere debeat.

VIII. Verisimile est, Græcos ex hoc *Festo Expiationum* sumsisse *expiationem annuam* civitatum suarum, quæ hoc modo fiebat: Homines quidam damnati producebantur redimiti sertis secundum morem sacrificiorum. Hos ex præcipiti loco deturbant in mare, Neptuno consecrantes, hisque verbis utuntur: Περίψημα ἡμῶν γενȣ̃. *Sis pro nobis peripsema* (7). SVIDAS in voce περίψημα.

IX. Eamdem expiationis speciem adhibebant Gentes tempore pestilentiæ, vel mali inficientis; cujus repellendi gratia suis Diis sacrificabant quosdam, quos vocabant καθάρματα. Καθάρματα ἐλέγοντο, ὅτι ἐπὶ καθάρσει λιμȣ̃ τινος, ἢ τινὸς ἑτέρας νόσȣ θυόμενοι Θεοῖς, *Katharmata dicebantur, quia in expiationem famis alicujus, aut alicujus alius morbi sacrificabantur Diis.* Vetus Scholiast. in ARISTOPH. *Plut. p.* 48. Hæc duo vocabula adhibet Apostolus 1 *Cor. IV*, 13. & vertuntur *sordes & excrementa: Facti sumus* περικαθάρματα τȣ̃ κόσμȣ, *excrementa, purgamenta mundi,* καὶ πάντων περίψημα *& omnium sordes, ramenta.* Verba significant proprie *sordes* sive *cœnum*, quæ purgantur verrunturque ex pedibus hominum aut ex areis. Sed juxta opinionem BVDAEI *Annotat. reliq. in Pandect. de pœnis p.* 334. Apostolus respexit istam expiationem, qua utebantur Gentiles (8). q. d. Ita despecti sumus, & sic exosi populo, sic onerati contumeliis & maledictionibus multitudinis, quemadmodum τὰ καθάρ-

θάρματα, homines illi, qui publicæ expiationis gratia sacrificantur.

X. Jam quia Pontifex in hoc Festo primis gessit figuram & typum Christi, e re erit annotasse convenientias inter typum & antitypum (9), umbram & veritatem.

AARON.	CHRISTVS.
1. *Pontifex intravit Sanctum Sanctorum Lev. XVI, 3.*	1. *Christus noster Pontifex intravit* εἰς ἅγια *in Sanctuarium, scil. in cœlum. Hebr. IX,* 12. 24.
2. *Semel quotannis intravit Exod. XXX,* 10.	2. *Is semel intravit. ibidem.*
3. *Hic* δι' αἵματος τράγων καὶ μόσχων *per sanguinem hircorum & vitulorum Heb. IX,* 12.	3. *Is per sanguinem proprium. ibidem.*
4. *Hic* μόνος *solus Heb. IX,* 7.	4. *Is calcavit torcular* לְבַדּוֹ *solus ipse. Jesai. LXIII,* 3.
5. *Hic vestitus erat Sacerdotalibus vestibus Levit. XVI,* 4.	5. *Is prædefinitus & obsignatus ad hoc munus a Patre* ἀπ' ἀρχῆς *ab æterno.*
6. *Hic accepit duos hircos Lev. XVI.*	6. *Is duas assumsit naturas.* Ἀπάθεια *impassionabilitas Deitatis figurabatur hirco emissario.* Παθήματα *passiones autem Humanitatis, hirco, qui mactabatur.* THEODORET. *quæst.* 12. *in Levit.*
7. *Hircus portavit populi iniquitates.*	7. *Christus pro nobis factus est peccatum 2 Cor. V,* 21.

CAPVT IX.

DE ANNO SABBATHICO, SEV QVIETE SEPTENNALI.

Quemadmodum quovis *septiduo Sabbathum* fuit, ita quovis *septennio Annus Sabbathicus* (1). *Lev. XXV,* 24. Et quemadmodum *Sabbathum* signum erat, quod Domini essent, propterea que cessarent ab operibus suis, ut agerent opus Domini: ita *annus Sabbathicus* signum erat (2), quod & ipsi, & ipsorum terra Domini essent.

II. Observatio hujus festi consistebat præcipue in duobus. I. In ἀγεωργησίᾳ, *agriculturæ cessatione* (3), unde vocatur שַׁבַּת הָאָרֶץ *Sabbathum terræ Lev. XXV, 6.* II. In *remissione debitorum* (4) facta a creditoribus, unde vocatur שְׁמִטָּה לַיהוָה *Remissio Jehovæ Deut. XV,* 1. 2.

III.

III. Quum hoc anno ipsis agricultura interdicta fuerit, quæri hic posset, qua re vesci potuerint eo durante (5)? Resp. *Amandabo benedictionem meam vobis in anno illo sexto, & proferet proventum in tres annos. Lev. XXV*, 21.

IV. Quoniam quovis anno septimo debita remitti debeant Dei jussu, quæri quoque potest, annon res eorum, qui dabant mutua, hac ratione accisæ fuerint? aut annon ipsorum corda obdurarentur, ne mutuum erogarent (6)? Resp. Hoc pacto ipsorum res non attenuabantur, nam certa est Maxima & Regula: *Non amittitur, quo Deus colitur.* Quare Hebræi ipsi hoc interpretantur esse potius *mandatum probationis*, quale Deus dedit Abrahamo, non ut obtruncaretur Isaacus, sed ut Abrahami amor & fides tentaretur, quam *mandatum obedientiæ;* hoc respectu ait ABEN ESRA, interpretans hæc verba; *Penitus non erit egens in te. Deut. XV*, 4. *Hoc est*, ait, *quasi Dominus dixisset: Scitote illud, quod vobis præcepi de non urgendo & admonendo fratre, non frustra esse. Si totus Israel, vel plurima illius pars obsecundabit voci Jehovæ; tum non erit mendicus inter vos, cui necesse sit dari mutuum, immo vos omnes poteritis mutuare gentibus multis.* ABEN ESRA *Deut. XV*, 4.

V. Rationes instituti hujus Festi (7) censentur esse. I. Vt doceretur populus per fidem pendere a providentia Dei. Nam licet ipse dominus agri potuerit colligere ex proventu spontaneo ad sustentandum se & familiam suam *Lev. XXV*, 6. non tamen ei permissum erat conserere agrum, ditiorem messem faciendi causa; nec eidem licuit agrum suum metere, nec in horrea cogere ad fruendum propriis reditibus, sed omnia omnibus promiscua & communia erant, & quivis manum suam in agrum quemcunque immittere poterat. II. Vt meminissent felicis illius conditionis, qua gavisus fuerat Adamus in statu innocentiæ suæ, cum terra sponte, sine γεωργία, fructus ederet. III. Vt figura & signum esset æterni *Sabbathi*, quod exspectamus in cœlis.

VI. Hic quidam putant fundatam esse sententiam R. ELIAE (8), scil. *mundum staturum sex mille annos, & anno millesimo septimo futurum magnum annum Sabbathicum.* HOSPIN. *de Orig. hujus Festi.* Sex mille anni respondent sex profestis diebus, millesimus septimus *Sabbatho*, juxta illud 2 *Pet. III*, 8. χίλια ἔτη παρὰ Κυρίῳ ὡς ἡμέρα μία. Verba ELIAE istius hæc sunt: *Sex mille annis stabit mundus, & rursus corruet*, ב״ אַלְפֵי תוֹהוּ ב׳ אַלְפֵי תוֹרָה ב׳ אַלְפֵי יְמוֹת הַמָּשִׁיחַ *Duo millia inanitatis, duo millia Legis, duo millia dierum Messiæ* erunt. *Talmud. in Sanhed. Cap. Helec.*

VII. Licet summam hujus prophetiæ rejiciamus, ut nimis curiosam, nihilominus tamen, cum Judæus loquatur, hoc inservire potest & evinci contra ipsum, 1. Messiam jam venisse. 2. ipsius adventu Legem Mosis silere.

CAPVT X.

DE ANNO IVBILAEO.

Hoc est ultimum festum, quod Deus Judæis præcipit. Celebratum fuit quovis *anno quinquagesimo*, institutumque *Levit. XXV*, 8. *Numerabis tibi septimanas annorum, septem annos septem vicibus*, &c.

II. Vox *Jubilæi* descendit ab Hebraica יובל, notante *arietem*, ut & *cornu arietinum: Septem Sacerdotes gestabunt septem buccinas arietinas coram arca. Jos. VI*, 4. ubi vox יובלים occurrit, & a Paraphraste Chaldaico vertitur *cornua arietina.* MARBACHIVS *in Levit. XXV.* putat, quod hic annus *Jobel* vocetur a יובל *Jubal*, primo inventore instrumentorum musicalium, de quo legimus *Gen. IV*, 21. *Jubal fuit pater omnium tractantium citharam & organon.*

III. Alii Auctores aliam hujus etymi rationem dant. Sed verisimillimum est, quod hic annus vocatus sit *Annus Jobel* a יובלים *cornibus arietinis*, quorum clangor tum temporis totam regionem personabat. *Lev. XXV*, 9.

IV. Quinque præcipua hujus Festi adjuncta sunt. 1. Generalis manumissio servorum. 2. Revolutio agrorum domorumque ad primos possessores, qui ea antea vendiderant. 3. Hoc modo custodita est distinctio tribuum, redeuntibus nempe agris ad primos dominos, in suis tribubus; servisque ad suas familias. 4. Sunt, qui autumant, quod, quemadmodum Græci sua tempora computabant *Olympiadibus*, Romani *Lustris*, Christiani *Indictionibus*, ita Judæi *annis Jubilæis* sua tempora numerarint. HOSPIN. *de Orig. Fest. c.* 9. 5. Figurabat mystice spiritualem *Jubilæum*, quo gaudent Christiani sub Christo, cujus sanguinis beneficio non solum redditus nobis est reditus in regnum cœlorum, quod antea peccatis nostris amiseramus; (quemadmodum Israelitæ redierunt ad possessiones suas, quas antea vendiderant) verum etiam clangor Euangelii, qui adumbratur clangore tubarum, perrupit orbem terrarum. Et sic *Jehova clanxit buccina*, uti loquitur *Zacharias Cap. IX*, 14.

V. Hæc autem manumissio servorum, & remissio possessionum, facta non est ante decimum diem mensis *Tisri*, quo tempore illa quasi publicata est *tubis* seu *cornibus arietinis.* Novem prioribus diebus hujus mensis feriabantur servi, genioque indulgebant, serta plectentes, in signum propinquæ libertatis.

CAPVT

CAPVT XI.

DE FESTO PVRIM ET FESTO ENCAENIORVM.

Pur פּוּר est vocabulum Persicum (1), notans *sortem*, unde hoc Festum nomen habet, vocaturque *Purim*, h. e. *sortes*, κληρωτήρια.

II. Cœpit hoc Festum die decimo quarto mensis *Adar*, duravitque ad finem decimi quinti. *Esth. IX*, 21. Institutum fuit a *Mardochai*, in memoriam liberationis Judæorum e manibus *Hamanis*, coram quo singulis diebus, singulis mensibus, *sors* jacta est, ad exstirpationem illorum. Hoc biduo legunt historiam de *Esthere* in Synagoga, & quoties nuncupatur *Hamanis* nomen, pugnis & malleis sæviunt in tabulas & subsellia, ac si infelicis *Hamanis* tempora tunderent. HOSPIN. *de Fest. fol.* 33. *ex* ANTONIO MARGARITA *in lib. de cerem. Judæor.*

III. *Festum Initiationis* (2) vocatur in N. T. ἐγκαίνια, quod est ἑορτὴ, καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τί, *festum, in quo aliquid renovatum*, SVIDAS. Quia illæ res solummodo initiatæ reputabantur, quæ fuerunt separatæ a communi usu, & usui sacro dedicatæ.

IV. Legimus de multis rebus initiatis in V. T. *Tabernaculum*, *Templum*, *Sacerdotes*, *Altaria*, *Vasa*, & *Vestimenta* initiata erant; sed non erat solennitas annua, quæ ipsorum initiationis memoriæ fuerit constituta; propterea ἐγκαίνια *initiatio*, de qua hic sermo, quum sit solennitas annua, est Festum *initiationis altaris* (3), institutum a *Juda Macchabæo*, ut singulis annis per octo dies a vigesimo quinto die mensis כִּסְלֵו *Kisleu*, qui respondet nostro *Decembri*, celebraretur. 1 *Macc. IV*, 59.

V. De hoc *Festo dedicationis* loquitur *Johannes* (4), qui & præsentiam nostri Salvatoris refert, & tempus designat, quod fuerit *Decembris* mensis. Ἐγένετο τὰ ἐγκαίνια, *facta sunt Encænia Hierosolymæ, & hyems erat. Joh. X*, 22.

VI. Ratio hujus Festi fuit reminiscentia ingentis gratiæ, quam Deus dedit suo populo, redimens ipsos ex tyrannide *Antiochi*, & idololatria, ad quam iste ipsos adegerat, dum idolum *Jovis* in Templo posuerat, abolito vero Dei cultu.

VII. Hæc duo Festa sunt institutionis humanæ, quibus adhuc alia possunt addi. Verum parum aut plane nihil additum est huic, quod refertur de iis in Sacra Scriptura.





MOSES ET AARON.

LIBER IV.

DE IDOLOLATRIA.

CAPUT I.

DE INITIO IDOLOLATRIAE.

Infinitas Divinæ majeſtatis tantum ſuperat & excedit comprehenſionem creaturarum, ut, niſi conſulatur Divini oraculum verbi, etiamſi perceptio Deitatis indita ſit ipſius Athei cordi, is tamen loco juſti de Deo conceptus creaturam pro creatore adoraturus ſit. Et licet is Deorum ſuorum numerum multitudine ſtellarum cœli menſus fuerit & copiis reptilium humi, hæſitabit tamen, num adoret colatque verum Deum, immo numne verus Deus penitus ἄγνωςος *ignotus* ſit. Et hac ratione nautæ in navi Jonæ *invocabant quisque Deum ſuum. Jon. I, 5.* Et forſan, quum ſe omnes verum Deum præterire & non adorare timerent, excitant Jonam, ut ſuo reddat quoque vota Deo.

II. Hæc incertitudo circa *Idololatriam* juſſit Gentes ſtipare preces ſuas hac generali formula *Dii Deæque omnes &c.* (1) VIRG. *Georg. I. v.* 21. Arabes, ſuorum *notorum Deorum* inſufficientiam advertentes, conſecrant ſua altaria *Ignoto Deo.* GYRALD. *Syntagm.* 17. Paulus Athenis invenit altare ejusdem Inſcriptionis *Act. XVII*, 23. (2). Hinc vicinæ quædam terræ ſic jurabant: Νὴ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωςον, *Per Ignotum Athenis.* LUCIANUS *in Philopatride.*

III. Ab

III. Ab hac dubitatione & incertitudine Athenienſium, *quis & quid Deus eſſet?* alia nata eſt incertitudo inter ipſos tantundem damnoſa, quam prior, dividens individuam Deitatis unitatem inter, neſcio quos, ſocios & compares, dum alia altaria habent, quæ docent multitudinem & pluralitatem Deorum hac Inſcriptione: Θεῶν Ἀγνώςων, *Altare Deorum Ignotorum.* Immo plena & tota Inſcriptio iſtius altaris, quod vidit Paulus, cenſetur hæc fuiſſe: Θεοῖς Ἀσίας, καὶ Εὐρώπης, καὶ Λιβύης, Θεῷ ἀγνώςῳ καὶ ξένῳ, *Diis Aſiæ & Europæ & Libyæ, Deo ignoto & peregrino.* THEOPHYL. *in Act. XVII,* 23. item HIERON. *Tit. I,* 12. (3). Quæ obſervatio oſtendit, ipſorum praxin conveniſſe cum aliorum Gentilium formula precatoria: *Dii Deæque omnes.*

IV. Hanc diffidentiam credo eſſe præcipuam rationem, cur coluerint Θεὸν ἄγνωςον *Deum ignotum;* non tamen negabo, altaria potuiſſe tales Inſcriptiones geſtare, ut tegeretur nomen *Deum Tutelarium* (4), quorum cuſtodiæ ſe dederant; quia Gentes pleræque putant, quod, ſi nomen Deorum iſtorum, quibus urbem conſecraverunt, evulgetur, hoſtes eum Deum carminibus aut incantationibus evocare & urbe elicere poſſint. ALEX. AB ALEX. *l. 6. c.* 4. TIRAQVELL. *in iſtum locum.* Vt autem iſtiusmodi incantationis & evocationis vim eluderent *Tyrii, Lacedæmones,* & aliæ nationes ſuos Deos devinxerunt, catenisque detinuerunt, ne emigrare poſſent. MACROB. *Saturn. l.* 3. *c.* 9. (5).

V. Rurſus fieri id potuit ex eo, quod Gentes imitarentur Judæos, qui circa tempus nativitatis noſtri Salvatoris illicitum cenſuerunt, eſſentiale Dei nomen יְהֹוָה *Jehova* eloqui (6), cujus loco legerunt אֲדֹנָי *Adonai.* Occaſio hujus occultationis nominis *Jehova,* ut puto, fuit, ne Gentes hoc ſacroſanctum nomen profanarent, quæ jam didicerant ab iſto nomine ſua idola denominare *Jove,* Ἰάω, *Jaoth,* Ἰαώια &c. MACROB. *Saturn. l.* 1. *c.* 18.

VI. Ex eo tempore hoc nomen tanta ſuperſtitione involutum eſt, ut Judæi, quo illud nomen occultent, Textum corrumpant; *Exod. III,* 15. *Hoc eſt nomen meum* לְעֹלָם *in ſæculum,* legunt illi לְעַלֵּם *ad abſcondendum.* P. GALAT. *l.* 2. *c.* 10. Quamvis non diffitear, quod hoc nomen quadantenus ἀνεκφώνητον ſit, nempe, quemadmodum PLINIVS ait *Proœm. l.* 5. *Hiſt. Nat. nomina populorum oppidorumque Africæ vel maxime ſunt ineffabilia,* h. e. ita conſtituta, ut aliæ linguæ ea nequeant reddere & exprimere absque περιφράσει.

VII. Sicuti præmiſſa nomina, idolis data, nihil aliud erant, quam tot profanationes Divini nominis *Jehova;* ita origo & fons tot inſequentium generum *Idololatriæ* exſtitit ex abuſu & detorſione Sacræ Scripturæ.

VIII. Acceperant Gentes per traditionem *Solem* & *Lunam* & *Stellas* (7) ſpeciem quandam dominii atque regiminis habere in dies, noctes, tempora; hinc factum, ut eadem in Deos verterint, Divinumque iis cultum dederint. Deinde invaleſcente corruptione, ipſorum Ἀποθέωσις *Relatio inter Deos* ſe demiſit usque ad creaturas ſublunares; partim tanquam ſymbola & expreſſa ſigna magnorum iſtorum & præſtan-

ſtantium luminarium. Ob hanc rationem adorant Chaldæi *ignem.* אור & *Vr Chaldæorum, Geneſ. XI.* (8) notat *ignem* & *lumen*, putaturque fuiſſe Deus Chaldæorum, etſi l. c. nomen *Vr* tribuatur inſigni urbi, ejuſdem cum Idolo nominis. Immo *Deus Nachoris* (9) אֱלֹהֵי נָחוֹר non creditur alius fuiſſe, quam אור. Partim etiam, quod creaturæ ſublunares canonizabantur ſeu pro diis habebantur, tanquam res, queis gratiarum actio deberetur, ſi quid beneficii hominibus contuliſſent. Qua ratione, *Mare, Venti, Aether, Terra, Fructusque Terræ* (10), Deorum nominibus cultibusque inveſtita ſunt. Tandem *Homines bene meriti* (11), immo *Crocodili, Serpentes, Glires, Feles, Canes* (12), *Cepæ*, & *Allium* (13) divino honore non carebant.

CAPVT II.

DE MOLOCHO, ADRAM MELECHO, ANAM MELECHO, BAALE, TABERNACVLO MOLECHI, CHIVN, ET REMPHAN.

De idolo *Moloch* legimus in diverſis Scripturæ locis. 1 *Reg. XI*, 5. 7. 2 *Reg. XXIII*, 10. *Levit. XVIII*, 21. Subinde vocatur *Moloch*, ſubinde *Molech*, ſubinde *Milcom.* Non tantum putatur fuiſſe *Deus Ammonitarum*, ſed & *Moabitarum.* LORIN. *in Act. VII. ex* OECVMEN. Nomen ſuum ducit a מָלַךְ *regnavit* (1). LXX. Interpretibus *Molech* vertitur Ἄρχων, Βασιλεὺς, *Princeps, Rex.* Ejusmodi *Regia idola* erant *Adram-Melech*, & *Anam-Melech*, Dii *Sepharvaïm* (2), in quorum honorem populus ſuos filios per ignem traducebat.

II. Putem ego, *Molecum* & *Baalem* eſſe unum idemque idolum (3), quum utriusque nomen *dignitatem* & *imperium* indigitet, voce בַּעַל *Dominum*, voce מֶלֶךְ *Regem* denotante. Eodem quoque ſacrificiorum ritu culti ſunt *Molech* & *Baal. Aedificarunt celſa Baalis, ad comburendum filios ſuos igne, holocauſta Baali. Jer. XIX*, 5. *Exſtruxerunt celſa Baalis, quæ ſunt in valle Ben-Hinnon, ad traducendum filios ſuos & filias ſuas Molecho. Jer. XXXII*, 35. In quo Textu locus ſacrificationis utriusque idoli docetur idem eſſe, & *Molech* ponitur in fine verſus, ad exprimendum & exponendum *Baalem* in principio.

III. Sunt, qui putant iſta idola fuiſſe diverſa, quia planeta *Jupiter* colebatur nomine *Baalis*, & planeta *Saturnus* veriſimiliter nomine *Molechi.* AVGVST. *ſuper Judic. q.*16. Vide ſis EVSEB. *de Præparat. l.* 1. *c.* 7. Quando conſulimus hiſtorias attente, invenimus tantam Planetarum confuſionem (4), ut *Sol*, quemadmodum ſæpe *Baal*, ſæpe *Molech* appellatur, ſic etiam ſubinde vocetur *Jupiter*, ſubinde *Saturnus.* PLATO

apud

apud MACROB. *Saturn. l.* I. *c.* 23. ubi mendose citatur *e Timæo* PLATONIS, quod est in *Phædro.* SERVIUS *in Aeneid. l.* qui ait: *Assyrios Saturnum (quem & Solem dicunt) Junonemque coluisse constat.*

IV. Quod attinet *Baalem*, res in aprico est. Hinc Phœnices *Jovem* nominant *Beel Samen* (4 *b*); quod nomen derivatur ab Hebræis, & notat id, quod *Jupiter Olympicus*, *Dominum cœli* scilicet; nam בַּעַל significat *Dominum*, & שָׁמַיִם *cœlum.* Et quid aliud *Dominus cœli* in Theologia Gentili est quam *Sol?* qui æque vocari potest *Rex cœli*, ac *Luna*, *Regina.* Accedit, quod SANCHONIATHO, referente hoc de ipso EUSEBIO *l. c.* pro uno eodemque sumit *Solem*, *Jovem*, & *Beel-Samen.*

V. Quod attinet *Saturnum*, apparens est, ipsius nomine cultum esse *Solem.* Deprehendo tamen, quosdam Interpretum *Molechum* exponere per *Mercurium*; nam מֹלֶךְ dici volunt quasi מַלְאָךְ *Angelum*, *nuntium.* Proinde interpretantur *Molech Mercurium*, *Deorum nuntium.* Alios video, qui per *Martem* exponant. R. LEVI, *Levit. XVIII*, 21. Sed hi & numero & ratione inferiores sunt. Veritati ergo propius putatur, quod fuerit *Saturnus*, quia, quemadmodum *Molecho*, ita *Saturno* Gentiles suos sacrificabant filios filiasque. MACROB. *Saturn. l.* I. *c.* 7. Deinde statua *Molechi* (5) parum differebat a statua *Saturni.* Erat illa *ænea*, *stupendæ magnitudinis*, *cujus manus humum devergentes*, *& excavatæ erant*, *quas facile claudere iisque plaudere poterat*, *sic ut juventus*, *quæ cogebatur ad illud terriculamentum*, *tanquam tenaci ignis claustro prehenderetur.* EUSEB. *de Præp. lib.* 4. *c.* 7. Ferme eamdem delineationem *Molechi* habes apud *Jalkut Jerem. VII. fol.* 97. *col.* I. ubi ita legere est: *Etiamsi fuerint omnes aliæ idololatricæ ædes Hierosolymæ, Molechi tamen ædes fuit extra Hierosolymam in loco separato. Quomodo Molech erat factus? Erat statua ænea, habens septem sacella, ante quæ posita fuit, & faciem vituli, & manus expansas, instar viri palmas aperientis, ad aliquid ab alio accipiendum; ignem in eam subjiciebant, excavata enim erat. In ista sacella pro ratione sacrificiorum ingrediebantur. Quomodo? Avem offerens, primum subibat sacellum; ovem offerens, secundum; arietem, tertium; vitulum, quartum; juvencum, quintum; bovem, sextum; denique filium suum oblaturus, septimum.* Hoc ergo modo conveniunt *Molech* & *Saturnus.* 1. in ritu sacrificandi. 2. forma statuarum. Illa autem *septem sacella* exstructa *Molecho* (6) conferre licet *septem portis*, quibus Persæ *Solem* coluere. ORIG. *contr.* CELSUM *l.* 6. *fol.* 74. *col.* 4. item GYRALD. *in Deor. Syntag.* 7. *p.* 223. Et veluti *septem portæ*, ita *septem sacella*, mystice significare possunt *septem Planetas*, quorum *Sol* erat מֶלֶךְ, h. e. *Rex.*

VI. Cum offerrent filios suos idolo isti, pulsabantur tympana, ne ejulatus puerorum parentum aures afficeret. Unde locus ille vocabatur תֹּפֶת (7), תֹּף, quod notat *tympanum*, & ob lamentationem liberorum, גֵּיהִנֹּם, Γέεννα, *Gehenna*, a גֵּיא, quod notat *vallem*, & נָהָה, quod notat *lamentari* (8).

VII. Hic quæri posset, an hic loquendi modus, *ignis gehennæ*, *Matth. V*, 22. (9) ortum ducat ab isto igne, quem transiverunt

runt filii *Molocho* consecrati? Resp. quod hoc loquendi modo neutiquam respectus sit iste ignis, licet per miserandum filiorum ululatum & planctum horrenda inferni tormenta aliquo modo exprimi possint; attamen durabilitas & æternitas infernalium cruciatuum videtur mihi depicta per alium ignem, qui continuo alebatur ad comburenda cadavera & sordes, ex Hierosolymis egestas. Nam *Gehenna* habebatur locus contemptissimus extra urbem, ubi comburebant per אֵשׁ תָּמִיד *ignem continuum* ossa, cadavera, sordes, & intestina. R. D. KIMCHI, *Ps. XXVII*, 13.

VIII. Kabbalistæ agentes de *Gehenna* hoc metaphorico sensu, scil. ut ea usurpetur pro cruciatibus inferni, distinguunt eam in *Gehennam superiorem & inferiorem* (10): per illam intelligunt tormenta corporalia, quibus uruntur corpora peccatorum in hoc sæculo; per hanc, pœnas animarum in sæculo futuro. CAPNIO *de Kabbala p.* 644.

IX. Dicunt præterea, *septem Gehennæ mansiones* (11) esse, seu gradus. 1. *Infernum.* 2. *Perditionem.* 3. *Profundum.* 4. *Taciturnitatem.* 5. *Umbram mortis.* 6. *Terram inferiorem.* 7. *Terram sitientem.* P. GALAT. *l.* 12. *c.* 6. Qui prodigus temporis est, *l. c.* septem illas *mansiones* intueri, pluraque legere potest.

X. Multum disquirunt Interpretes, utrum pueri in hac oblatione *combusti sint igne*, an vero tantummodo *Molecho consecrati & initiati* (12), transeuntes per medium ab utroque latere dispositum ignem in signum consecrationis suæ? Verisimile est utrumque usitatum fuisse. 1. quia Sacra Scriptura de utroque loquitur. 2. Hebræi docent quoque modum utriusque.

XI. Quod combusti sint, docet expresse *Jalkut*, cui annuunt alii. ABEN ESRA *Levit. XVIII*, 21. ait: *Molech est nomen idoli, & Sapientes benedictæ memoriæ dicunt, Molechum esse nomen universale, & notare quemcunque sibi præposuerint, ut inter ipsos regnet, in hoc omnes conveniunt, quod sit* βδέλυγμα *abominatio peccatorum Ammonis, & hic modus loquendi, scil. Traducere tantundem valet ac Comburere.* Alii. R. SALOMON *Levit. XVIII*, 21. ait: *Nomen hujus idoli erat Molech, & hic erat ipsius cultus, nempe ut pater filium suum Sacerdotibus traderet, qui duas ingentes flammas suscitabant, filios inter istos ignes traducentes.*

XII. Hoc non obstante, non putandum est, nulla alia sacrificia fuisse pro *Molecho* præter consecrationem filiorum, nam cui usui fuissent cetera sex sacella? Existimo, hanc filiorum sacrificationem ipsis non fuisse injunctam necessitate alicujus superstitiosæ legis seu constitutionis, sed eam habitam fuisse pro opere meritorio, factamque ἐθελοθρησκεία mera. Hoc annoto, quia alias clara differentia erat inter *Baalem* & *Molechum.* Nam Baalitæ imaginario suo Deo offerebant bovem, in disputatione illa inter ipsos & Eliam. 1 *Reg. XVIII*, 26. Boves, vituli, & agni erant ipsorum ordinaria sacrificia, filiorum sacrificatio fuit extraordinaria. Nihilominus tamen ipsorum ordinaria sacrificia cruenta erant quadantenus sanguine humano, Sacerdotibus propriam carnem confodientibus.

XIII.

XIII. Vnde autem hic laniandi mos ortus sit, non invenio, nisi quod legamus, ejusmodi quid usitatum fuisse Sacerdotibus Gentilibus in sacrificiis pro *Bellona*. TERTVLLIANVS *Apol. c.* 9. hoc tangit, LACTANTIVS autem *lib.* 1. *de Falſ. Rel. c.* 21. agens de *Bellona* ejusque sacrificulis, clarius loquitur, dicens: *Ipsi Sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exerentes, currunt, & efferuntur, & insaniunt.* Quis hos *Bellonitas* non censeat esse veros *Baalitas*, de quibus 1 *Reg. XVIII*, 26. 28: *Insilierunt versus altare, quod fecerant. Et incidebant sese cultris & spiculis suo more, usquedum se perfunderent sanguine.*

XIV. Quod opinio Deo placendi per sacrificium filiorum suorum (13) nata sit ex historia Abrahæ sacrificantis Isaacum, verisimile videtur, & docetur a R. SALOM. IARCH. *Jerem.* XVI, 31. qui Deum ibidem introducit de *Molecho* ita loquentem: *Non præcepi, ut filios suos holocaustum offerant, nec id dixi unquam Prophetarum cuiquam. Cumque Abrahamo loquerer de sacrificando filio, non adscendit in cor meum, ipsum debere sacrificare eum, sed ut manifestaretur ipsius justitia.*

XV. Sic PORPHYRIVS agens de *Saturno*, qui videtur verus fuisse *Molech*, ait, quod Phœnices illum vocent *Israel*, quodque ille apud *Anobreth* habuerit unicum filium, lingua Phœnicea *Jeud* dictum, (extra dubium ab Hebraico vocabulo יָחִיד, quod significat *unigenitum*, & Isaaco applicatur *Gen. XXII*, 2.) quem sacrificarint super altari ad hanc rem structa. EVSEB. *Præp. Evang. l.* 1. *c.* 7. *p.* 17. Quis hic non palpet historiam de *Abrahamo* & *Sara*? sub nominibus *Israel*, & *Anobreth*? & sacrificationem *Isaaci* sub nomine *Jeud*? & originem filium jugulandi fuisse κακοζηλίαν facti Abrahami?

XVI. Sed quid? an Sol non alio modo idololatrico colebatur? Immo, invenimus alium, quo cultus est, modum, nisi fallar, *Amosi V*, 26. (14) *Portastis tabernaculum Melechi vestri, & Ciun imaginum vestrarum, stellam Dei vestri, quem fecistis vobis.* Hanc versionem præfero aliis. 1. quia vox Hebraica סִכּוּת significat *tabernaculum*, וּנְשָׂאתֶם אֵת סִכּוּת מַלְכְּכֶם / 2. vertitur a LXX. *tabernaculum Molechi.* 3. Ita rursus refertur a Stephano *Act. VII*, 43. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τȣ̃ Μολὸχ, καὶ τὸ ἄϛρον τȣ̃ Θεȣ̃ ὑμῶν Ῥεμφὰν, τȣ̀ς τύπȣς, ȣ̀ς ἐποιήσατε ἑαυτοῖς προσκυνεῖν. *Immo bajulastis tabernaculum Molochi, & sidus Dei vestri Remphanis, loculamenta, quæ fecistis vobis, ut adoraretis.*

XVII. Tria hic inquirenda, ut intelligatur locus iste παράλληλος. 1. quid sit *bajulatio* illius tabernaculi? 2. quid idoli indigitetur nominibus *Chiun* & *Remphan*? 3. quid per *stellam* hujus Dei denotetur?

XVIII. *Bajulatio* tabernaculi illius notat cultum (15), quem detulere idolo isti, portando illud huc & illuc in tabernaculis & aulæis, solenni processionis ritu. Hæc solennitas Romanis vocatur *Pompa*, & tentorium, sive theca, qua portabatur idolum, *Thensa*, juxta id: *Thensa Deorum vehiculum.*

XIX. Hæc idololatriæ ſpecies videtur ortum traxiſſe inter Gentes a *κακοζηλία* Tabernaculi Moſaici (16), quod nihil aliud fuit quam *portatile Templum*, nam ἐδὲν ναῦ μεταφερομένυ διέφερε, *nihil a Templo tralatitio diſtulit.* IOSEPH. *Antiq.* & de loco in locum, ubi neceſſe fuerit, transferri potuit. Siquidem negari non poteſt, multas ſuperſtitiones Gentilium hauſtas fuiſſe a vero Dei cultu, quem ipſe Deus ſuo populo præſcripſerat. Quemadmodum Deus habuit ſuum *Tabernaculum, Sacerdotes, Altaria, Victimas*, ita & Diabolus. Quemadmodum Deus habuit *æternum* ſuper altari *ignem, Levit. VI*, 13. ita & Diabolus ſuum, quem perpetuo fovebant *Virgines Veſtales.* Quemadmodum Deus ſuum habuit ἱλαστήριον, *propitiatorium:* ſic Diabolus ſuos habuit *ſacros tripodas*, quibus oracula ſua ſe colentibus retulit.

XX. Hæc ſolennis proceſſio apud Romanos facta eſt in honorem *Solis.*

Solis honore novi grati ſpectacula circi
Antiqui dixere patres.

CORIPP. AFRIC. *l.* 1. *num.* 17. vid. DEMPST. Apud Iſraelitas ea ducta eſt proceſſio in honorem *Molochi*, quem jam diximus eſſe *Solem.*

XXI. Vt pompam & dignitatem adderent huic ſolennitati, Romani & Iſraelitæ ſpecioſæ magnitudinis equos & currus (17) huc illuc ducebant. Apud Romanos equi dedicati erant *Soli*, & circus ipſorum, ſeu ſpacium, in quo decurrebant, ſubinde vocatur τὸ ἱππικὸν & ἱπποδρόμιον. ALEX. AB ALEX. *l.* 3. *cap.* 12. Quod autem plerumque currus in hoc pompoſo ſpectaculo adhiberentur, conſtat. *Hic illius arma, Hic currus fuit.* VIRGIL. *Aeneid.* 1. Quod attinet Iſraelitas, annon idem fecere? 2 *Reg. XXIII*, 11. (18). *Et Joſia removit equos, quos dicaverant Reges Jehudæ Soli, & currus Solis combuſſit igne.*

XXII. Hæc idololatria adorandi *Solem* videtur ducta a Perſis, qui equos *Soli* quoque conſecrabant. Et Rex Perſarum, pompam ſuam magnificam oſtentaturus, raræ magnitudinis equum huc illuc duci juſſit, qui vocabatur *equus Solis.* COEL. RHODIGIN. *Antiq. l.* 8.

XXIII. Secunda quæſtio eſt, quale Idolum intelligatur per *Chiun & Remphan?* Ne obruam lectorem varietate interpretationum, multo minus ſuperba temeritate eorum, qui Textum emendare ſuſtinent, per *Chiun* intelligendus eſt (19) *Hercules*, qui lingua Aegyptiaca vocatur *Chon;* per *Remphan* intelligimus eumdem, nam רְפָאִים in lingua Sancta ſignificat *Gigantes.* Per *Herculem* intelligere poſſumus *Planetam Solis.*

XXIV. Sunt Etymologici, qui nomen *Hercules* derivant a vocibus Ἥρας & κλέος, quæ ſignificant *aeris gloriam:* quae autem alia eſt aeris gloria, niſi *Solis* illuminatio? MACROB. *Saturn. l.* 2. *c.* 2. Alii proinde etiam deducunt ab *Hebraico* הֵאִיר כֹּל *illuminavit omnia*, cum quo convenit expoſitio Græca; denotaturque univerſalis lux, quam *Sol*, velut fons aquam, fundit. Adde, quod PORPHYRIVS *Herculis facta*, quæ toties decantantur poetis, non aliter exponat, quam ea eſſe *ſigna duodecim Zodiaci*,

quem

quem *Sol* quotannis emetitur. EVSEB. *de Præpar. l.* 3. *cap.* 4. *p.* 71.

XXV. Sed quispiam quærere poſſet, an quoque nomen *Herculis* Judæis notum fuerit unquam? Veriſimile eſt, quod fuerit, quia *Hercules* fuit *Tyriorum* Deus, a quibus multum idololatriæ venenum ſuxerunt Judæi, quum illis eſſent vicini. Immo apparet, tempore Maccabæorum hoc nomen vulgo innotuiſſe; nam *Jaſon* Pontifex miſit ter centum drachmas argenti ad ſacrificium *Herculis.* 2 *Macc. IV*, 19.

XXVI. Tertio quæritur, quid fuerit *ſtella illius Remphan?* Veriſimile putatur fuiſſe *ſtellam exaratam in ſincipite Molechi*, OECVM. *Actor. VII*, 43. nam frequens fuit Gentilibus ſua idola pingere vel ſculpere cum ejusmodi ſymbolicis additamentis. Simulacro *Julii Cæſaris* in vertice addita eſt ſtella. SVETON. *in Jul. Cæſ.* ſub fin. PLIN. *Hiſt. Nat. l.* 2. *c.* 25. HORAT. *l.* 1. *od.* 12.

XXVII. *Sol* quoque adorabatur a domo Juda *ſub nomine Tammuz* (20), nam *Tammuz*, teſte HIERONYMO *Comm.* 3. *in Ezech.* erat *Adonis*; & *Adonis* vulgariter exponitur eſſe *Sol*, ab Hebraico אָדוֹן *Adon*, *Dominus*, qui cum τῷ בַּעַל *Baal*, & מֹלֶךְ *Molech*, *Princeps & Dominus* planetarum eſt. PIER. *Hierogl. l.* 9. *per.* 68. Menſis noſter *Junius* vocatur Hebræis *Tammuz*, & ingreſſus Solis in ſignum Cancri in Judaica Aſtronomia dicitur תְּקוּפַת תַּמּוּז *circumvolutio Thammuz.*

XXVIII. Quod attinet *Adonidem*, qui ab antiquis auctoribus ſubinde vocatur *Oſiris*, duo notatu digna ſunt: Ἀφανισμὸς, *interitus Adonidis*, & Εὕρεσις, *reditus illius.* Quemadmodum ingens planctus excepit ipſius ἀφανισμὸν, præprimis inter mulierculas, ita ipſius εὕρεσις cum magna lætitia fuit. PLVT. *in Alcib.*

Nunquamque ſatis quæſitus Oſiris.

Semper enim perdunt, ſemper & inveniunt. LVCAN.

Per interitum *Adonidis* intelligendus eſt *receſſus Solis*, per reditum, *acceſſus.* Jam autem bis quotannis videtur recedere. 1. quando eſt in Tropico Cancri, in remotiſſimo verſus Boream gradu. 2. quando eſt in Tropico Capricorni, in remotiſſimo verſus Auſtrum gradu, quod reſpondet binis receſſionibus *Solis*, quæ vocari poſſunt ἀφανισμοὶ Solis; & binis revolutionibus immediate ſequentibus, quæ quoque vocari poſſunt εὑρέσεις Solis. Hinc obſervare licet, quod etſi Aegyptii ſua *Adonia* feriarentur menſe *Novembri*, Sole in remotiſſimo Auſtri gradu conſtituto, domus tamen Judæ ſuum feſtum celebrarit menſe *Junio*, Sole remotiſſimo ad Boream, quia utriusque feſti eadem ratio fuit, in ſubſtantia convenientis. De hoc cenſetur locutus eſſe Propheta *Ezech. VIII*, 14. *Ecce ibi ſedebant mulieres plangentes Thammuz.*

XXIX. Solennitates iſtæ præprimis obſervabantur a *Byblienſibus & Alexandrinis.* Ritus ita habuit: *Byblienſibus* celebrantibus mortem ſeu ἀφανισμὸν *Adonidis*, *Alexandrini* mittebant epiſtolam ciſtula cuſtoditam viminea, qua docebant, *Adonidem* repertum eſſe, quem mortuum lugerent. PROCOP. *in Jeſa. XVIII.* item CYRILL. *l.* 2. *Tom.* 2. *in Jeſa. I.* Hæc ciſtula, peractis

 con-

consuetis ceremoniis, maris undis permissa, *αὐτομάτως* & secundo fluxu delata est *Byblum;* qua recepta, planctus mulierum in lætitiam exiit.

XXX. Aliis placet, quod hic planctus noctu fuerit impensus simulacro alicui, finitoque eo, cereaque allata, (quæ ceremonia mystice significare potest *εὕρεσιν* & *apparitionem* Solis) Sacerdos locutus sit pressa voce secum: *Θαῤῥεῖτε τῷ θεῷ, ἐστὶ γὰρ ἡμῖν ἐκ πόνων σωτηρία. Confidite Deo, nam ex dolore nobis obvenit salus.* IULIUS MATERNUS FIRMICUS *Lib. de errore profan. relig.*

XXXI. Sunt alii ex Judæis, qui asserunt suum *Thammuz* fuisse simulacrum, cujus oculos implessent plumbo, quod cum subdito igne colliquatum esset, idolo lacrimas expressisse. הָיוּ עוֹשִׂים צֶלֶם וַיִּהְיוּ מְלָאִים עֵינָיו עוֹפֶרֶת וַיִּהְיוּ עוֹשִׂים אֵשׁ מִתַּחַת *Fecerunt simulacrum, & impleverunt oculos ejus plumbo, & fecerunt ignem desubter.* R. DAVID KIMCHI *in Radic.*

XXXII. Quidam putant Jesaiam respexisse inclusam istam vimineæ capsulæ epistolam *Jesa. XVIII,* 2. cum loquitur de Legatis missis trans mare in lembis junceis. PROCOP. *in Jesa. XVIII.* sed potius literalem sensum probo (21), nam propter Syrtes & Brevia, item periculosa saxa Nili, frequens erat usus lemborum fabricatorum ex majoribus juncis, qui Aegyptiis vocantur *papyrus*, & naves ex ea, *naves papyraceæ.* PLIN. *Hist. lib. 6. c. 22.*

CAPUT III.

DE BAAL PEORE, BAAL TSEPHONE, BAAL ZEBUB, BAAL BERITH, BEL, ET DRACONE.

Quem Hebræi *Baalem*, illum Babylonii *Belum* dicunt: & licet planeta *Sol* solus primo sub hoc nomine videatur cultus esse, postmodum tamen hoc nomen commune factum est aliis idolis (1), juxta illud *εἰσὶ πολλοὶ Θεοὶ καὶ Κύριοι, Sunt multi Dii* seu בְּעָלִים *Domini* 1 *Cor. VIII,* 5. (2).

II. Quemadmodum *Jupiter*, idem cum *Baale* idolum (3), varia nomina obtinet, & varios cultus sæpe ob diversitatem locorum, ut vocatur *Jupiter Olympius*, a monte *Olympo; Capitolinus*, a monte *Capitolio; Latialis*, ab ea parte Italiæ, quæ appellatur *Latium:* sæpe ob varietatem beneficiorum, quæ creditur contulisse homuncionibus, ut *Jupiter Pluvius*, quia *pluviam* dat; *Jupiter Lucetius*, quia *lucem* indulget; *Jupiter Altitonans*, quia *tonat:* Ita *Baal* variis suis titulis insignis est, & variis ritibus colitur, vocaturque interdum ratione locorum, ut *Baal-Peor Num. XXV,* 3. aliquando ratione acceptorum beneficiorum, ut *Baal-Tsephon Exod. XIV,* 2. & *Baal-Zebub* 2 *Reg. I,* 2. aliquando ob aliam rationem, ut *Baal-Berith Jud. VIII,* 33.

III

III. *Baal-Peor* creditur fuiſſe *Priapus* (4), *obſcenum* illud idolum, celebre apud auctores profanos, HIERON. *ad Hoſ. IX.* idem prodit ISIDOR. *Orig. l.* 8. Vocatur *Peor* בַּעַל־פְּעוֹר a monte *Peor Num. XXIII*, 28. Ita & ipſius templum, in quo colebatur, quodque erectum erat ſuper eodem monte, dicitur בֵּית־פְּעוֹר *Beth-Peor, domus Peor. Deut. III*, 29. colebatur a *Moabitis & Midianitis.* Idolum כְּמוֹשׁ *Chemoſch Jerem. XLVIII*, 7. (5) cenſetur idem eſſe. HIERON. *in Jeſ. l.* 5. *cap. V.* Et credo ego, quod *Baal-Peori* per χλευασμὸν, *ſanctam irriſionem* tribuatur, q. d. ipſorum *Deus cœcus*, juxta illud *Pſal. CXV*, 5. *Sunt ipſis oculi, at non vident.* Nam prior litera כ eſt nota ſimilitudinis, ſignificans *quaſi*, & מוּשׁ *palpavit* inſtar cœci. PHILO IVD. *l.* 2. *Allegor. p.* 79.

IV. *Baal-Tzephon* (6) ab Hebræis exiſtimatur fuiſſe idolum, fictum a præſtigiatoribus Aegyptiis, poſitumque in deſerto, ut obſervaret Iſraelitas, & inhiberet egreſſum eorum ex Aegypto, unde appellatum eſt צְפוֹן a צָפָה *obſervare, ſpeculari* inſtar vigilis; poſſumus ipſum nominare *Baalem Speculatorem.* P. FAGIVS *Exod. XIV.* veluti apud Romanos *Jupiter*, quod fugientes ſtiterit, vocatur *Jupiter Stator.* Ζεὺς Στήσιος. ROSIN. *l.* 2. *Antiq. Rom. c.* 5.

V. *Baal-Zebub* בַּעַל־זְבוּב ſonat *Dominum muſcarum* (7), ſive *Principem muſcarum*, qui dominatur agmini reliquo; quo reſpectu *Princeps Dæmoniorum* in Evangelio vocatur Βεελζεβοὺβ, זְבוּב *muſcam* ſignificante. *Ζητήσουσι μυῖαν Θεὸν Ἀκκαρῶν, *quærent muſcam Deum Ekronitarum.* GREGOR. NAZIANZ. *Orat.* 2. *contra Julian. p.* 102.

VI. Hoc idolum adorabatur a *Cyreniis.* PLIN. *l.* 19. *c.* 28. ſed præcipue ab *Ekronitis*, quia, dum ipſi ſacra faciunt, muſcæ concidunt inanimes, quæ alias hoc tempore terram exagitant. Verum conſtat hanc rationem non ſolam fuiſſe, quum etiam ſe ad ipſum, tanquam oraculum, contulerint. 2 *Reg. I*, 2. Poſſumus ipſum vocare *Jovem Muſcarium*, vel *Herculem Muſcarium*, nam incolæ urbis *Elis* ſacrificant Jovi Ἀπομυίῳ *muſcarum Abactori*, & Romani Herculi ſub eodem nomine. CLEM. ALEX. *in Protrept.*

VII. Quædam Græca exemplaria Nov. Teſt. legunt Βεελζεβοὺλ (8), quæ diverſitas exiſtimatur facta eſſe ad majorem χλευασμὸν, *exſibilationem* idoli; q. d. *Jupiter Stercorius*, nam זֶבֶל ſignificat *ſtercus*, & *Beel* ſeu *Baal* dominum.

VIII. *Baal-Berith* erat Deus *Sichemitarum* (9), de cujus templo legimus *Jud. IX*, 4. בְּרִית notat *fœdus*, ſic ut *Baal-Berith* poſſit verti *Jupiter Fœderatus*, h. e. cui *ſe fœdere obſtrinxerant.* Ἔθηκαν ἑαυτοῖς τῷ Βαὰλ διαθήκην τοῦ εἶναι αὐτοῖς αὐτὸν εἰς Θεόν. *Poſuerant ſibi cum Baale fœdus, ut ipſe eſſet ſibi Deus.* LXX Interpr. *Jud. VIII*, 33.

IX. Quod attinet *Belum* & *Draconem* (10), parum exſtat de ipſis, niſi id, quod de ipſorum hiſtoria *libri Apocryphi* produnt.

CAPVT IV.

DE DAGONE.

Hebræorum Magiſtri docent, quod hoc idolum ab umbilico in piſcem deſierit (1), ſed a fronte ad umbilicum retulerit hominem. R. DAV. 1 *Sam. V.* Hoc concludunt ex 1 *Sam. V*, 4. שְׁתֵּי כַּפּוֹת יָדָיו *duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ad limen.* Præterea dicunt, quod דָּגוֹן dicatur ab Hebr. דָּג *piſcis*, ſecundum quam deſcriptionem ipſum vocare licet *Philiſtæorum Neptunum*, vel *Tritona*, nam *Triton* non abſimilem habuiſſe figuram fingitur. *Frons hominem præfert, in piſcem deſinit alvus.* PIERII *Hieroglyph. l.* 1. *pag.* 28.

II. Alii דָּגוֹן deducunt a דָּגָן *frumentum*, dicuntque ipſum primum aratri frumentique uſum (2) inveniſſe, quare ipſum interpretantur *Jovem Aratrium.* PHILO BYBLIVS *apud* EVSEB. *de Præp. l.* 1. *cap.* 7. Hoc reſpectu poſſumus ipſum nominare *Saturnum Philiſtæorum*, quoniam credula antiquitas *Saturnum* finxit primum agriculturæ repertorem, propterea que eum pinxit manu falcem tenente, quod commodiſſimum agriculturæ inſtrumentum eſt. PIER. *Hieroglyph. lib.* 32. *pag.* 228. & *lib.* 56. Vtraque hæc ſententia ſuos agnoſcit auctores, & hactenus neutra juſte refelli potuit.

III. Præterea non deſunt inter ipſos Judæos, qui dicant, hoc idolum *Dagonis* effictum fuiſſe in formam humanam. R. LEVI 1 *Sam. V.* Nihilominus opinio SCALIGERI veriſimilis videtur, quod illi, quibus *Dagon* exponitur *Jupiter Aratrius*, ſive ἀγρότης, *ruricola*, errare poſſint (3) & legere שָׂדַי, quæ vox ſignificat *agrum*, pro שַׁדַּי, quod eſt nomen Dei *Omnipotentis.*

CAPVT V.

DE VITVLO FVSO.

Hiſtoria *Fuſi Vituli* late recenſetur *Exod, XXXII.* (1) ubi legimus populum per abſentiam Moſis ab Aarone petiiſſe ſibi fieri Deos, quique tum ipſis dederit *vitulum fuſum.*

II. Ratio, cur Deum potius ἐν ὁμοιώματι, *in ſimilitudine Vituli* adorarint (2), quam alius creaturæ, in genere ab Interpretibus hæc redditur, quod iſtum errorem imbibiſſent ab Aegyptiis, qui vivum bovem coluere, quem *Apim* vocent aut *Serapim*, quemque per ſimulacrum expreſſerint, capiti faſciculo impoſito. PLIN. *Nat. Hiſt. l.* 8. *c.* 46. HERODOT. *l.* 2. SOLIN. *c.* 35. aut juxta aliorum diſtinctionem 45. ALEX. *Genial. Dier. l.* 6. *cap.* 2.

III.

III. Hic bos certis maculis & genitalium notarum figuris expressus a cunctis aliis diversus fuit. Corpore erat niger, candida fronte, in tergo alba nota insignis, & nodus sub lingua ejus, quem cantharum appellant. Vt has notas in vitulo insignes redderet Aaron, videtur usus fuisse חֶרֶט *stylo sculptorio* (3). Aegyptii ad eum accedunt responsa petituri & oracula. Responsa privatis dat, e manu consulentium seu fœnum seu gramen capiendo; quod cum captat, portendit felicem eventum, sin, sinistrum quid. PLIN. *Hist. Nat. l.* 8. *cap.* 46. item ALEX. *Genial. Dier. l. 6. c.* 2. *Sic mutaverunt gloriam suam in figuram* שׁוֹר אֹכֵל עֵשֶׂב *bovis comedentis herbam. Ps. CVI,* 20.

IV. Vox Hebraica, *l. c.* versa *Bos*, est שׁוֹר; quod propterea annoto, quia lucem affundit uni nomini, quo insignitur hocce idolum; aliquando enim vocatur *Apis* ab Hebr. אַף *facies:* aliquando *Serapis* quasi *Scher-apis*, quod nihil aliud notat, quam *caput bovis* (4), quod est verum nomen, quo hanc idololatriam expresserunt Patres. CYPRIAN. *de bono Patient. p.* 318. Vid. etiam AVGVST. & TERTVLL. *adv. Jud. c.*1.

V. Vulgo constat, hanc idololatriam ab Aegyptiis manasse ad Israelitas, sed unde eam Aegyptii hauserint, a paucis demonstratum est. Non ineptiunt, qui putant, primam institutionem factam esse in honorem memoriamque *Josephi* (5), qui sua prudentia Aegyptum vicinasque terras in septennali fame juvit. Præter testimonia præstantium auctorum, ut SVID. *in* Σάραπις. RVFFIN. *in l.* 2. *Hist. Eccl. c.* 23. PIER. *Hierogl. l.* 3. *p.* 25. sunt insuper firma argumenta, quæ nobis id persuadere possunt. 1. Et anni affluentia & anni fame insignes denotati sunt per boum apparitiones. 2. Non potest aptius emblema esse (nisi modo postea in idolum commutatum esset) ad alendam memoriam alicujus *Josephi*, cujus sola dexteritas frumentum & annonam in extrema fame suffecit, quam bos, verum vivumque seduli patrisfamilias ὑπόδειγμα. Hac in re convenit SVIDAS cum aliis, quod hic bos pictus sit *modium capite gestans*, licet alii insuper clare exponant rationem hujus effigiei, scil. ad denotandam quantitatem & abundantiam frumenti a *Josepho* tempore famis dimensam.

VI. Quantum ad peccata Israelitarum in hac μοσχοποιΐα, *vituli fictione* (6), seu bovis, hodierni Judæi omnem culpam rejiciunt in Aegyptios proselytos, qui cum Israelitis egressi sunt, dicuntque, hos Aegyptios, *Aarone* res pretiosas in ignem conjiciente, suis præstigiis & magicis artibus *vitulum* produxisse, quo fine ipsius *Aaronis* verba urgent. *Conjeci aurum in ignem,* וַיֵּצֵא הָעֵגֶל הַזֶּה *& prodiit vitulus iste. Exod. XXXII*, 24. quasi is non factus esset illius arte aut voluntate, sed quasi sponte ita evenisset. Verum hæc ipsius responsio ostendit potius, quam vana sit hominis mens, ad colorandum peccatum; & quemadmodum instrumentum sculptorium peccatum *Aaronis* impressit, ita illud confessio saniorum acriorumque Judæorum adversus se promulgat, quando ajunt: אֵין לְךָ יִשְׂרָאֵל פּוּרְעָנוּת שֶׁאֵין בָּהּ אֻנְקְיָא מֵעֲוֹן הָעֵגֶל *Nulla ultio obvenit tibi Israel, in qua non sit uncia perversitatis vituli illius* (7). MOSES GERVND. Vid. MVNSTER. *Exod. XXXII.*

VII.

VII. Claudam hoc caput conformitate, quæ intercedit inter *Apin* & *Vitulum fusum*, quæque in tribus consistit: 1. Quemadmodum quædam peculiares notæ in bove Aegyptiaco erant: ita plausibile est, *Aaronem* ejusmodi notas & insignia stylo suo sculptorio expressisse. 2. Quemadmodum Aegyptii suo bovi solenne festum celebrabant multo jubilo & lætitia; SVIDAS *in voce* Ἆπις: Ita Israelitæ proclamarunt festum suo τετράποδι, *quadrupedi; populusque consedit ad edendum & bibendum; & deinde surrexerunt ad ludendum.* vers. 5, 6. (8). 3. Quemadmodum tandem bos Aegyptiacus unda submersus est: ita *Moses* vitulum fusum combussit, commoluitque in pulverem (9), & dispersit per torrentem (10). *Exod. XXXII,* 20. *Deut. IX,* 21.

VIII. Postea *Jeroboam* ejusdem iniquitatis auctor fuit, licet aliam ob rationem; volvebat enim animo suo, quod, si populus adscenderet Hierosolymam Sacra facturus in domo Jehovæ, fieri posset, ut descisceret, & rediret ad pristinum dominum Regem Jehudæ. Quapropter fecit *duos vitulos aureos* (11), posuitque alterum *Bethele*, alterum *Dane*, dicens: רַב־לָכֶם מֵעֲלוֹת יְרוּשָׁלַיִם *nimium est vobis adscendere Hierosolymam.* 1 *Reg. XII,* 26-28.

CAPVT VI.

DE ASTHAROTH, AMMONIA IVNONE, REGINA CAELI, ET DIANA EPHESINA.

Quemadmodum *Sol* sub variis nominibus adoratus est, ita & *Luna.* עַשְׁתֹּרֶת (1) *Asthoreth* erat idolum, præprimis *Sidoniorum.* 1 *Reg. XI,* 5. 2 *Reg. XXIII,* 13. Habuit suum templum dictum בֵּית עַשְׁתָּרוֹת *domus Astharoth*, in quo suspenderunt arma Saulis Philistæi. 1 *Sam. XXXI,* 10. Horum anathematum oblationem primo didicerunt ab Israelitis. *Num. VII.* 1 *Sam. XXI.*

II. *Lunam* sub hoc nomine (2) adoratam fuisse probatione non indiget. Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίαν ἔμμεναι, *Astarten autem ego opinor Lunam esse.* LVCIAN. *de Dea Syria;* nisi quod quidam asserant *Astartem* esse *Junonem.* AVGVST. *super Jud. quæst. XVI.* Sed & *Junonem* sæpe pro *Luna* habitam fuisse, vix negari potest.

III. *Luna & Juno* sæpe vocantur eodem nomine, *Vrania.* Nam *Astarte Vrania* idem omnino valet apud Phœnicas, quod *Juno Lucina* apud Latinos. Deducitur *Vrania* ab Hebr. אוּר *Lux*, נ in fine adjecto, aut per se solum, aut cum י, quod passim fit a Syris, quasi אוּרָן vel אוּרָנִי *Lucidus* aut *Lucinus*, in Feminino vero אוּרָנִיָּה *Lucida* aut *Lucina;* hincque Græci suum οὐρανὸν, *cælum lucidum* mutuati sunt. Ac quemadmodum *Luna* respectu sui luminis vocatur *Vrania*, ita respectu minorum siderum cæli

cæli vocatur *Astharoth*, Ἀςροάρχα, παρὰ τὴν τῶν ἀςρῶν ἀρχὴν, *ab imperio, quod in astra exercet.* Vid. HEROD. *lib.* 5. *Regina planetarum*, vel, quemadmodum HORATIVS *Epod. carm. sæculari* ait de *Luna*, *Siderum Regina*, vel, uti VIRGILIVS loquitur de *Junone Aeneid.* I. *verf.* 50. *Ast ego, quæ Divum incedo Regina:* Verisimile videtur, quod hæc sit מְלֶכֶת הַשָּׁמַיִם *Regina cæli* (3), de qua fatur Propheta *Jer. VII*, 18. *XLIV*, 17.

IV. Deinde cui vetustæ gentes videri possunt exhibuisse solennem cultum istum, quo functi sunt singulis Kalendis, si non *Lunæ?* & tamen iste cultus tribuitur *Junoni*, unde ea dicitur *Juno Kalendaris.* MACROB. *Sat. l.* I. *cap.* 15.

V. Tandem, quemadmodum *Jupiter Ammon* nullus alius fuit quam *Sol*, qui colebatur sub forma *arietis.* IDEM *Sat. l.* I. *c.* 21. Sic, quantum video, *Luna* dici potuit *Juno Ammonia.* COEL. RHODIG. *l.* 18. *c.* 38. & coli sub forma *ovis* (4). Scio, quod Hebræorum Magistri describant simulacrum *Astharoth* fuisse *ovem.* R. D. KIMCHI I *Sam. XXXI*, 10. item *Jud. II*, 13. Et vox עַשְׁתָּרוֹת *Astharoth* in lingua originali significat *gregem ovium.* Præterea *Luna* æque potest vocari *Ammonia*, quam *Sol Ammon*, utroque nomen suum ab Hebr. חַמָּה *calor* ducente; unde & illa idola, de quibus legimus *Lev. XXVI*, 30. *Jes. XVII*, 8. *XXVII*, 9. vocantur חַמָּנִים, quia erant idola posita in tectis ædium (5 *a*), & quoque in *Sole* apricabantur. R. SELOM. *in Lev. XXVI*, 30. Insuper quemadmodum *Jupiter Ammon* effingebatur *cornibus*,

- - Stat corniger illis Jupiter,
LVCAN. *l.* 9. *verf.* 514.

ita etiam *Luna*.

Siderum Regina bicornis audi
Luna puellas.
HORAT. *Epod. carm. sæculari.*

VI. Cur autem ita *Sol & Luna* effigiati sint, variæ rationes adduci possunt, quas inter tres præcipuæ sunt. Prima tantum *Soli* propria est, duæ posteriores *Soli* & *Lunæ* communes. 1. *Sol* effigiatur *cornibus arietinis*, quia Astrologis *aries in Zodiaco* anni initium est. PIER. *Hierogl. l.* 10. 2. Quia sicuti robur animalium cornigerorum in cornibus latet, sic vis & influxus *Solis* & *Lunæ* corporibus sublunaribus infunduntur radiis ipsorum. 3. Quia *Solis Lunæque* radii cornutum quasi ejaculantur splendorem.

VII. Cum Moses descenderet e monte Sinai, Aaron & omnes filii Israel viderunt כִּי קָרַן עוֹר פָּנָיו *quod radiaret cutis vultus ipsius. Exod. XXXIV*, 29, 30. *Latini* legunt, *Facies ejus erat cornuta* (5 *b*). Hinc *Moses* pingitur *cornutus;* nam Hebraicum קֶרֶן (unde κέρας & *cornu* creverunt) significat *in modum cornuum splendorem radiosque emittere.* Errori autem isti viam stravit ambiguitas vocis קֶרֶן, quæ & *splendorem* & *cornu* notat; sic ut ipsorum Rabbinorum quidam *splendorem* Mosis exposuerint per קַרְנֵי הַהוֹד *cornua magnificentiæ.* R. SELOM.

VIII. *Luna* adorabatur quoque sub nomine *Dianæ*, quæ, licet per totam Asiam coleretur, majori tamen in honore & pretio

 apud

apud *Ephesios* fuit. Hinc illa vox, Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων, *Magna est Diana Ephesiorum*, *Act. XIX*, 28. (6). MACROB. *Saturn. l.* 1. *cap.* 15. Illius magnificentiæ testis exstat partim templum Ephesi exstructum, quod PLIN. *l.* 36. *cap.* 14. ait factum ducentis viginti annis a tota Asia, quos annos tamen bonus vir ad quadringentos extendit *lib.* 16. *cap.* 40. partim ex quæstu magno, qui præbebatur fabris, τῷ ποιεῖν ναοὺς ἀργυροῦς, *faciendo delubra argentea.*

IX. Multum digladiantur Interpretes, quid fuerint *hæc delubra argentea* (7)? Sunt qui putant, fuisse *ædiculas*, *cistulas*, quæ ob exiguitatem ferri potuerint, forma sua templum *Dianæ* exprimentes, & intra se simulacrum *Dianæ* continentes; quo sensu ναΐδια aliquando usurpantur pro ejusmodi *capsulis*, quibus *custodiebantur idola.* Alii existimant, aliquam monetam dictam fuisse *Dianæ* templum, ab illius templi simulacro, huic monetæ aut insculpto aut impresso. Veluti in Anglia quædam monetæ argenteæ vocantur *Georgius*, quædam *Angelus*, quædam *Carduus*, ab impressa figura.

X. Similis mos monetas appellandi ab impresso aut insculpto signo usitatus quoque fuit antiquis; hac ratione Atheniensium nummos quosdam, *boves;* eorumdem alios quosdam, κόρας *puellas;* alios Corinthiorum, πῶλους *pullos;* alios Peloponnesiorum, χελώνας *testudines;* alios Romanorum, *naves* vocabant. Immo usitatus fuit nummus, cui impressum erat templum *Dianæ* his additis capitalibus literis: DIAN. EPHE. TH. BEZA meminit *in suis ad Acta annotationibus*, se duos eorum vidisse.

XI. Legimus quoque de alio adhuc idololatrico cultu, *Lunæ* præstito; quod *viri* se obtulerint in habitu muliebri, & *mulieres* in habitu virili, quia credebant *Lunam* & *marem* & *feminam* esse, unde illa apud auctores tam *Lunus* dicitur quam *Luna.* Et *Venus*, quam PHILOCORUS ait *Lunam* esse, æque dicitur *Deus Venus*, ac *Dea Venus.* MACROB. *Saturn. l.* 3. *cap.* 8. Non absimilem idololatriam in cultu *Veneris* prodidit IULIUS FIRMICUS *de errore prof. Relig. cap.* 4. Quidam censuerunt Deum respexisse hoc idololatriæ genus *Deut. XXII*, 5. ubi viris interdicitur gestare vestimenta muliebria (8), & contra. MAIMON. *in More Nebochim part.* 3. *cap.* 38. Verum in genere & cum majori fundamento creditur ibidem vetari promiscuus vestium usus, quo distinctio generis tollitur.

CAPUT VII.

DE ALIIS DIIS, QUI REFERUNTUR IN SACRA SCRIPTURA.

Existimo, quod *Sol & Luna*, magna cæli luminaria, præcipua fuerint idola, quæ coluere Gentes. Nihilominus cœca ipsorum devotio cæteros planetas quoque divinitate

nitate donavit; immo minorum luminarium grex, qui in Sacra Scriptura vocatur *militia cæli*, & *exercitus*, cujusque singularis natura, proprietates, & influxus non adeo seorsim noscuntur, ipsorum ἀποθεώσει auctus est.

II. Simili ratione mentio fit in Sacra Scriptura *exercitus idolorum*, de quibus parum aut nihil plus ad rem ab auctoribus proditum est, quam de ipsorum nominibus. Hujus naturæ fuerunt חַדְרֵי מַשְׂכִּית *cubicula* illa *imaginis*, in quibus omnes formæ reptilium expressæ erant in pariete. *Ezech. VIII*, 10. 12. (1) quæque vocare licet *Pantheon* ipsorum.

III. In illis coloniis, quas trajecit Rex Assyriæ in Samariam, quævis natio suæ gentis Deum coluit. *Babylonii* fecerant סֻכּוֹת בְּנוֹת *Succoth-Benoth*; Homines *Cuthi* fecerunt נֵרְגַל *Nergalem*; Homines *Chamathæ* fecerunt אֲשִׁימָא *Aschimam*; *Havæi* fecerunt נִבְחַז *Nibchazum* & תַּרְתָּק *Tharthacum*; *Sepharvæi* combusserunt filios suos igne לְאַדְרַמֶּלֶךְ *Adrammelecho*, וַעֲנַמֶּלֶךְ & *Anammelecho*, *Diis Sepharvæorum*. 2 *Reg. XVII*, 30, 31. (2).

IV. Hebræorum Doctores dicunt, quod *Succoth-Benoth* fuerit effigies *gallinæ cum suis pullis*. R. SELOMO IARCHI 2 *Reg. XVII*. R. DAVID KIMCHI non dissentit. *Nergalem* exponunt *gallum sylvestrem*; *Aschimam*, *capram*; *Nibchazum*, *canem*; *Tharthacum*, *asinum*; *Adram-Melechum*, *mulum*; *Anam-Melechum*, *equum*.

V. Vix credibile esse talia bruta animalia pro Diis culta esse, nisi hoc usitatum fuisse Gentilibus abunde testarentur Auctores profani. LVCIAN. *l.* 16. *de Dea Syra* testatur, *gallum* a Syris adoratum esse pro Deo. HERODOT. *in Euterp.* refert, *capellam* Mendesiis cultam fuisse. Alii produnt *canem* ab aliis divino honore affectum. CICERO *de legib. l.* 1. vide TIRAQVEL. *in* ALEX. AB ALEX. *l.* 6. item DIODOR. SICVL. *l.* 18. Immo in Deorum numerum retulerunt *Boves*, *Leones*, *Aquilas*, *Lupos*, *Crocodilos*, *Catos*, *Glires*, &c. ALEX. NEAPOL. *l.* 6. *c.* 26. Et ipsi horti genuere Deos *Porrum & Allium.*

Porrum & Cæpe nefas violare & frangere morsu.
O sanctas gentes, quibus hæc nascuntur in hortis
Numina! IVVEN. *Sat.* 15. *l.* 5.

VI. His adjungi potest, 1. נִסְרֹךְ (3) *Deus Assyriorum*, qui videtur suum templum habuisse in urbe *Ninive* 2 *Reg. XIX*, 37. & *Jes. XXXVII*, 38. Et 2. רִמּוֹן, quæ vox significat *malogranatum* (4). Quod attinet hoc idolum, multum disputatur, num *Naaman* peccarit, dicens: *In hac re remittat Jehova servo tuo, quando ibit dominus meus in domum Rimmonis, ut incurvet se ibi, & is nitetur manu mea, egoque me incurvo in domo Rimmonis*, 2 *Reg. V*, 18. Resp. Lege verba hæc in Præterito, *quando ivit dominus in domum Rimmonis*, & sic patebit, ipsum flagitare remissionem præteritorum peccatorum, non futurorum. Eadem vox, בְּבוֹא *intrando*, ponitur pro tempore præterito in titulis *Psalm. LII.* & *LIV.* Denique 3. נְבוֹ *Nebo*, alias *Nabo*, idolum Assyriorum. *Jer. XLVIII*, 1. (5). Nomen

men ducit a נָבִיא *Propheta.* Non videtur differre ab illo *Nebone* Ζεὺς Βȣλαῖος, sive Ζεὺς Μητιέτης, *Jupiter consilii præses*, frequens in HOMERO. DIODORVS SICVLVS *l.* 5, 27. utrumque pro uno eodemque sumit. Nos possumus *Nebonem* transferre, *Ammonem Assyriorum*, seu *Jovem Vaticinum*.

CAPVT VIII.

DE PECVLIARI ORACVLORVM ET ΧΡΗΜΑΤΙΣΜΩΝ (1) RATIONE.

Quemadmodum *idololatria* originem duxit ex στρεβλώσει & abusu Sacræ Scripturæ, ita *præstigiæ*, quæ affines sunt *idololatriæ*, videntur primum ortæ ex imitatione *Divini Oraculi*. *Deus locutus est* πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως, *Hebr. I*, 1. (2) בַּחֲלֹמוֹת בָּאוּרִים בַּנְּבִיאִים *per Somnos, per Urim, per Prophetas*, 1 *Sam. XXVIII*, 6, 7. Jehova per nullum horum Sauli respondente, quæsivit ille *Pythonissam*.

II. His modis addi potest Dei oraculum *e medio Cherubinorum* (3), ac responsum *per Visionem*, *Angelos* (4), *Vocem*. Sed præcipui revelandi modi a Magistris Hebræorum notati quatuor sunt, quos vocant *quatuor Prophetiæ*, seu *Divinæ revelationis gradus* (5). P. FAGIVS *in Exod. XXVIII.* Propterea, ubi quid dixerimus de his, propositum nobis est, explicare peculiaria genera *divinationum illicitarum*, quarum meminit Sacra Scriptura.

III. *Primus* gradus fuit נְבוּאָה *Prophetia* (6); scilicet quando Deus suam mentem voluntatemque exposuit per *visiones* & *revelationes*.

IV. *Secundus*, רוּחַ הַקֹּדֶשׁ *Inspiratio Spiritus Sancti* (7), qua quis citra visiones & revelationes potuit prophetare.

V. Quidam, ut ostendant differentiam inter hos duos gradus, ajunt, quod *donum prophetiæ* hominem in ἔκστασιν abripuerit (8), omnibus abstractis sensibus; sed quod *inspiratio* illa *Spiritus Sancti* facta sit sine illa sensuum migratione, uti patet in *Hiobo*, *Davide*, *Daniele*. D. KIMCHI *præfat. in Psal.*

VI. Vtrique hi gradus, ut & *Vrim & Thummim*, cessarunt sub templo secundo (9), dicentibus Sapientibus eorum; post mortem ultimorum Prophetarum *Haggai*, *Zachariæ*, & *Malachiæ* Spiritum Sanctum migrasse ab Israele. *Talm. in Sanhed. c.* 1. licet habuerint usum בַּת קוֹל *filiæ vocis* seu *Echo* de cælo.

VII. Quo dicto non putandum est, Spiritum Sanctum plane cessasse operari in creaturis, vel ipsum non ita, ut antea, effecisse sanctificationem in hominibus, sed quod *singularis illa virtus prophetandi per inspiratio-*

rationem Spiritus Sancti tunc desierit, & quod hoc sensu Spiritus Sanctus dicatur cessisse ab Israele.

VIII. Ad hanc communem fere omnium sententiam referendum illud *Act. XIX,* 2. (10). *Immo neque, sitne Spiritus Sanctus, audivimus?* Quod non dubitent de *distinctione Personarum*, claret exinde, si verum est, quod annotarunt quidam, scil. Judæos antiquos ante adventum Christi ita fuisse imbutos in hoc puncto, ut mysterium *Trinitatis* in nomine יְהֹוָה observarint (11). P. FAG. *in Exod. XXVIII.* Nam illud nomen constat quatuor literis, unde & vocatur *τετραγράμματον, quadriliterum,* tres tamen peculiares literæ tantum sunt in eo: י notat *Patrem, principium & fontem rerum:* ו est conjunctio copulativa, notatque *personam tertiam*, quæ exit a *Patre* & *Filio:* ה notat *Filium.*

IX. Rabbinis proverbium est, *Deum omnia creare in litera* ה (12). Possunt eo respicere, quod omnia creaverit verbo suo יְהִי *fiat*, וַיְהִי *& factum est:* sed possunt etiam respicere *secundam Personam* in *Trinitate.* Præterea annotant, quod quum ה geminetur in hoc nomine, significentur *duæ Christi naturæ.*

X. *Tertius* gradus fuit *Vrim* & *Thummim* (13). אורים *Vrim* significat *Lucem*, תֻּמִּים *Thummim, Integritatem.* Fuisse ea duo ornamenta in *pectorali* Pontificis, in genere conceditur; sed quale illud fuerit ornamentum, & quo modo respondit, difficile est ostensu.

XI. Sunt qui putant, ea fuisse quatuor illos ordines in *pectorali*, quorum *splendor* & *lux* victoriam notarit, & ex *regula contrariorum* concludunt, *obscuritatem* lapillorum retento splendore sinistrum quid portendisse. IOSEPH. *Antiqu. l.* 3. *c.* 9. Aliorum sententia vult nomen יְהֹוָה positum fuisse in conduplicatione *pectoralis*, quod duplicatum erat. *Exod. XXVIII,* 16. R. SELOM. ut refert D. KIMCHI *in Radic.*

XII. Alii modum consultationis, per *Vrim & Thummim* ita explicant. Primo, dicunt, quod soli *Regi* aut אַב בֵּית הַדִּין *Patri Consistorii* licuerit consulere oraculum, aut rem Pontifici proponere, qui solus potestatem habebat eam solvendi. *Talmud. in Joma c.* 6. Vid. P. FAG. *in Exod. XXVIII.* Secundo quod res proposita non levis, sed ponderosa & gravis esse debuerit. Tertio, quod *Vrim & Thummim* constiterit ex nominibus omnium tribuum & familiarum, ut & Patriarcharum Abrahæ, Isaaci, & Jacobi, sic ut nulla Alphabethi litera defuerit.

XIII. Atque ita, si quæstio esset proposita, quod tum illæ literæ, quæ respondebant, fuerint בולטות *prominentes*, superiores reliquis. Exemplum sumunt ex 2 *Sam. II,* 1. ubi David Jehovam consuluit: *adscensurus sum in aliquam civitatum Judæ?* respondente Deo, עֲלֵה *adscende.* Hic dicunt, quod litera ע ex nomine שִׁמְעוֹן *Simeon*, litera ל ex nomine לֵוִי *Levi*, litera ה ex nomine יְהוּדָה *Juda* prominuerit. Aliis placet, quod literæ, exprimentes oraculum, fuerint מצטרפות, h. e. quod in integras syllabas coaluerint, & in integras voces, & sic responsum dederint. Aliæ insuper numerari possent sententiæ, verum is optime sentit, qui rotunde fatetur, se nescire quid

 fuerit

fuerit *Vrim & Thummim.* R. DAVID KIMCHI *in Radic.*

XIV. *Quartus* gradus fuit בַּת־קוֹל *Filia Vocis* (14) seu *Echo*, h. e. vox e cælo lapsa, voluntatem Dei exponens; quæ fuit sub Templo secundo, cum cessarent tres gradus priores. Illa testata est de nostro Salvatore: *Ecce vox de cælis, dicens, Hic est filius meus dilectus,* ἐν ᾧ εὐδόκησα, *in quo acquiesco, Matth. III,* 17. Illa *Vocis Filia* quasi prologus & imago fuit *veræ* illius *vocis Patris,* Λόγε αἰωνίε, qui manifestavit hominibus voluntatem patris sui.

XV. Hæc sunt media extraordinaria, queis Deus se olim suo populo revelavit; ordinarie autem se revelat per verbum scriptum. Nihilominus Hebræi dicunt; Legem statim, ex quo Mosi ea tradita est, fuisse duplicem; alteram *scriptam*, quam vocant תּוֹרָה שֶׁנִּכְתָּב *Legem scriptam*; alteram *acceptam* per traditionem, quam vocant תּוֹרָה שֶׁבְּעַל פֶּה *Legem oralem* (15), item קַבָּלָה a קִבֵּל *accipere*, *discere*. Addunt, utramque a Deo traditam fuisse Mosi in monte *Sinai*, & quod Moses *Legem nonscriptam* tradiderit Josuæ, Josua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Synagogæ magnæ viris, eaque sic iverit ad posteriora æva, usquedum tandem congesta esset in librum, qui contineret præprimis præcepta & constitutiones Israelitarum terram sanctam incolentium; illumque vocant TALMVD HIEROSOLYMITANVM (16). Compilatum id est anno Domini 230. & quum pauca tantum complectatur præcepta, non adeo frequentis usus est.

XVI. Circa annum Christi quingentesimum alia & completior ipsorum dogmatum facta est conferruminatio, ad institutionem Judæorum in Babylonia & in aliis peregrinis solis habitantium, vocaturque TALMVD BABYLONICVM (17), quod in frequenti usu auctoribus est, & complectitur Corpus Legum *civilium* & *canonicarum*.

XVII. Hanc *legem oralem* tam authenticam putant quam *scriptam*, & quod Moses eam acceperit a Deo, cum Lex ipsi daretur; ajunt enim, ni hæc obstitisset Legis interpretatio, Decalogus potuisset tradi בְּשָׁעָה קַלָּה *in hora veloci.* MOSES KOTSENSIS *in Præfat.*

XVIII. Hic sciendum est, vocem קַבָּלָה (18), quando Kabbalistis applicatur, ad differentiam ponendam inter ipsos & Talmudistas, arctiori sumi sensu, & notare *subtilitates* & *abdita mysteria*, quæ ex diversa vocum transpositione & abstrusa arithmeticæ specie eliciuntur. Hæc non plene conscripta est. Aliqua habemus exempla. *Gen. XXIII,* 2. *Abraham venit* לִבְכֹּתָהּ *ut defleret Saram*, atqui quum in hac voce inveniatur כ זְעֵירָא litera *caph minor* reliquis, propterea notant, Abrahamum tantum paucillum deflesse Saram, quia fuerit vetula. BAAL TVRIM. Rursus quum litera א sexies reperiatur in primo Geneseos versu, hinc conclusit R. ELIAS, mundum tantum substiturum sex mille annis, quoniam τὸ א in lingua Hebr. sumitur pro mille.

XIX. Ex transpositione literarum ita concludunt. חֵרֶם denotat *anathema*, seu *excommunicationem*, per μετάθεσιν literarum formatur רַחֵם *miseratio*, vel etiam רֹמַח. Quæ literarum positio juxta Hebræum

bræum calculum efficiunt numerum 248. Quem numerum ipsorum Anatomia dicit respondere membris humani corporis. Hinc eliciunt, quod, si homo excommunicatus se vere convertat, tum ipsius חֵרֶם *excommunicatio* vertatur in רַחַם *commiserationem*, maledictio in benedictionem; si vero non convertatur, quod tum ipsius חֵרֶם descendat in רמח, seu maledictio pervadat in omnia illius membra ad totius hominis perditionem. Denique אִישׁ significat *marem*, אִשָּׁה *feminam*. Hinc notant, quod in nomine אִישׁ sit י, quæ litera non sit in nomine אִשָּׁה, & in nomine *feminæ* litera ה, quæ non sit in *maris* nomine; quæ literæ efficiant יָה *Jah*, unum ex Divinis nominibus; & quod hoc nomine ablato remaneat אֵשׁ *ignis*, in utriusque nomine; quodque eo doceatur, *Deum*, quousque maritus & uxor conveniant, esse cum iis, at, si discrepent, *ignem*. Hinc videmus quam frigide hariolentur in vanis his mysteriis Kabbalistæ.

CAPUT IX.

DE TERAPHIMIS.

Quod attinet תְּרָפִים *Theraphim*, duo inquirenda sunt. 1. quid fuerint? 2. cui usui?

II. Vox תְּרָף in genere notat (1) *perfectam hominis imaginem: Michal accepit* אֶת־הַתְּרָפִים *& posuit super lecto*, 1 *Sam. XIX*, 13. (2). In specie autem notat εἴδωλον, *idolum* confictum ad hominum privatum usum in ædibus propriis, sic ut appareant fuisse idololatrarum *Penates*, sive *Lares*. *Cur furatus es* אֶת־אֱלֹהָי *Deos meos*, הַתְּרָפִים. *Gen. XXXI*, 30, 34. *Micha* habuit בֵּית אֱלֹהִים *ædem Deorum*, & fecit *Ephod & Theraphim*, *Jud. XVII*, 5. Ab hoc τῶν *Theraphim* cultu descendit Græcorum θεραπεύειν (3) *colere*, *servire*. Οὐδ' ἀθανάτους θεραπεύειν ἤθελον, *nec Diis servire volebant*. HESIODI Ἔργα καὶ ἡμέραι, *vers.* 134.

III. Quo modo hæc idola fabricata sint, docent Rabbini (4), ubi dicunt: *Obtruncarunt hominem, caputque abscissum condierunt sale & aromatibus, & laminam auream inscriptam nomine* πνεύματος ἀκαθάρτου, *spiritus impuri subter capite posuerunt in muro, succensisque coram eo cereis adorarunt*. R. ELIESER. Vid. ELIAM THISBIT.

IV. Cum ejusmodi *Theraphim*, dicunt, *Laban* locutus est. Verum sine controversia creduntur *perfecta hominis imago* fuisse *Theraphim*, quos *Michal* in lecto posuit.

V. Usus horum idolorum fuit, ipsa tanquam oraculum consulere de iis rebus, quæ pro præsenti ignorabantur, aut futuræ erant. Ex qua causa ab Astronomis (5) conficiebantur sub constellationibus certis, ut essent idonea influentiis cælorum, a quibus

bus vocalia reddebantur. הַתְּרָפִים דִּבְּרוּ אָוֶן *Theraphimi loquuntur vanitatem, Zach. X,* 2. ABEN ESRA *Gen. XXXI.* Et inter alias rationes, cur *Rachel* subduxerit patris sui idola, hæc putatur esse una, ne *Laban* consulens ea recognosceret, quam viam fugiens *Jacobus* ingressus esset.

CAPUT X.

DE PECULIARIBUS GENERIBUS INTERDICTAE DIVINATIONIS.

Invenimus *Deut. XVIII,* 10. *Divinatores,* quos Lex proscribit, septem esse numero, non quod non plures, sed quod hi frequentiores sint. 1. *Divinator.* 2. *Ominum captator.* 3. φαρμακὸς, *Veneficus.* 4. *Incantator.* 5. Ἐγγαστρίμυθος, *Pythonicus.* 6. *Hariolus, Sciolus.* 7. Νεκρομάντης, *Consulens mortuos.* His addi possunt 8. *Consulens lignum suum Hos. IV,* 12. & 9. *Haruspex,* qui exta ruspatur, *Ezech. XXI,* 26.

II. Primus est מְעוֹנֵן (1) *Divinator temporumque captator,* qui dicit: *Hoc die faustum, vel hoc die infaustum est, hac hora, hac septimana, hoc mense bonum est, & hoc vel illo die, vel mense malum, pro his vel illis, hoc vel illud agere.* SALOMO IARCHI *Levit. XIX,* 26.

III. Hinc illi, qui hoc vocabulum deducunt a עַיִן *oculus,* quasi per id intelligatur *præstigiator,* qui offusa caligine teneat & ludat oculos spectatorum, penitus aberrant. R. DAV. KIMCHI *in Radic.* Commodius loquuntur, qui derivant illud a עוֹנָה *tempus.* Sed cum iis consentio, qui deducunt a עָנָן *nubes,* ut מְעוֹנֵן dicatur *Planetarius, Astrologus.* ABEN ESRA *Lev. XIX,* 26.

IV. Hinc differt a *secundo,* qui etiam fuit *temporum observator.* *Primus* suam conjecturam cepit *ex colore vel motu nubium: Secundus ex suamet superstitiosa observatione eventuum* faustorum vel infaustorum, qui contigere hoc vel illo die, hoc vel illo tempore. Primus videtur concludere a *priori,* a *nubibus vel planetis,* operantibus bonos vel malos eventus: Secundus *a posteriori, ab eventu ipso,* hoc vel illo tempore contingente.

V. Hic *Planetarius* observans nubes videtur stetisse *vultum obvertens Orienti, tergum Occidenti, dextram Austro, sinistram Septentrioni.* Nisi dicamus Hebræorum loquendi modum ductum ab hac *Planetarii* astra legentis statione, non invenio rationem, cur ipsi *Orientem* (2) vocarint קֶדֶם, h. e. *partem anteriorem mundi, Occidentem* אָחוֹר, h. e. *plagam mundi posteriorem; Austrum* יָמִין, h. e. *dextram; Septentrionem* שְׂמֹאל, h. e. *sinistram.* Quod ratio hujus denominationis ea sit, quia Adam versus

ſus Orientem verſo ore creatus ſit, tam vanum eſt, quam probatu difficile.

VI. Secundus II. eſt מְנַחֵשׁ *Augur, Vates* (3). Vox Hebræa talem denotat, qui ex propria experientia obſervationes trahit, ad futura bona vel mala vaticinanda, veluti *Augures* concludunt ex hujus vel illius eventus, hujus vel illius volatus, crocitus &c. obſervatione. Rabbini hoc modo loquuntur: *Ille eſt Menacheſch, Fatidicus, qui dicit, quia mica panis ex ore ipſius cecidit, vel baculus ex manu, vel filius ipſum revocat, vel cornix ipſum inclamat, vel capra præterit, vel ſerpens eſt a dextra ipſius, vel vulpes a ſiniſtra, propterea hoc vel illud hoc die non agite.* R. D. KIMCHI *in Radic.* Hoc vocabulum adhibetur *Gen. XXX,* 27. & נִחַשְׁתִּי *obſervavi, Jehovam benedixiſſe mihi propter te,* ait *Laban.* Rurſus *Gen. XLIV,* 5. *Nonne ille calix eſt, ex quo bibit dominus meus? & ex quo ipſe* נַחֵשׁ יְנַחֵשׁ *obſervando obſervabit?* hoc eſt *experietur, quales ſitis?*

VII. Gentes admodum ſuperſtitioſæ fuerunt in ejusmodi obſervationibus. Quidam dierum fuerunt *atri,* alii *albi,* quidam *infauſti,* alii *fauſti.* Quibusdam diebus funeſtum duxerunt, miſcere prælium; quibusdam menſibus infauſtum, uxorem ducere.

Menſe malum Majo nubere vulgus ait.
OVIDIVS *Faſt.*

Et quemadmodum ſuperſtitioſæ fuerunt *in obſervandis ſignis ſiniſtris,* ſic etiam *in uſurpandis mediis,* quibus malum, quod portendebatur, declinarent.

VIII. *Media* vel ſunt *verba* vel *facta. Facta,* ut ſi qua *avis funeſta,* vel aliud ejusmodi, occurreret, lapidibus illud petebant. Hujus ſortis eſt ſculptura ſuſpecti Magi, quæ a rudiori plebecula cenſetur eſſe remedium adverſus veneficium. *Verbis* putant ſe eludere futurum malum, quod iſtiusmodi omnia annuntiarunt, ſi dicant, εἰς κεφαλὴν σοὶ, *In caput tuum recidat hoc omen.* Plura hujusmodi ἐνόδια σύμβολα, *obvia omina* vide apud THEOPHRASTVM *Charact.* περὶ δεισιδαιμ.

IX. Tertius III. eſt מְכַשֵּׁף *Præſtigiator* (4), *Geſticulator.* Vox Hebræa denotat talem, qui præſtringit oculos & ſenſus hominum, mutata rerum ſpecie, illas aliter, quam in ſe ſunt, repræſentans. Eadem vox applicatur *Præſtigiatoribus* Aegyptiacis, qui reſtiterunt Moſi. *Exod. VII,* 11. *Pharao vocavit etiam* τοὺς מְכַשְּׁפִים *Præſtigiatores,* & חַרְטֻמִּים *Magi Aegyptii fecerunt etiam* בְּלַהֲטֵיהֶם *incantationibus ſuis ſic.* Hæc ultima pars explicat, quales *Præſtigiatores* illi fuerint. Quod *Magi* vocantur, notat ipſorum ſtudium, ſcil. ipſos fuiſſe *Sapientes* & *Philoſophos;* vox autem בְּלַהֲטֵיהֶם indicat *modum eluſionis* ipſorum, ſignificatque talem artem, qua oculi fallantur; nam לְהָטִים, quod vertitur *incantationes,* denotat *flammam ſplendentem ignis, qua corripiuntur oculi.*

X. Verſio Græca non incommode eos vocat φαρμακοὺς, *Vnguentarios, Seplaſiarios,* vel, ſi mavis, μυρεψοὺς, *qui faciem virorum mulierumque fuco pingunt, aliamque ſpeciem inducunt.* Φαρμακὸς δὲ ἐστὶ μυρεψὸς, SVIDAS. Hinc Apoſtolus ejusmodi Pſeudo-Prophetas, *qui ſub* μορφώσει εὐσεβείας, *deformatione pietatis captivas ducunt mulierculas incertas,* comparat *Magis* Aegyptiis

gyptiis Mosi resistentibus, qui fuerunt Ἰαννῆς καὶ Ἰαμβρῆς, 2 *Tim. III*, 8. (5). Hi duo præcipui fuerunt. In TALMVDE *Tract. Menachoth cap.* 9. vocantur *Johanne & Mamre*, a NVMENIO PYTHAGOREO, *Jannes & Mambres.* ORIG. *contr.* CELS. *l.* 4. a PLINIO *Jamnes & Jotape. Hist. Nat. l.* 30. *c.* 1.

XI. Quartus IV. est חֹבֵר *Incantator* (6). Vox Hebræa significat *congregationem, consociationem*, sive ob *fœdus & societatem*, quæ inter tales homines & Diabolum intercedit, sive, ut BODINVS *Dæmon. Magic. l.* 1. *c.* 6. putat, ob id, *quod ejusmodi incantatores multiplices congregationes celebrant*, ubi saltant, & hilares sunt. ONKELOS talem *incantatorem* vertit רַטְּשִׁן *mussitatorem*, significans modum hujus incantationis factum *murmurando, mussitando.*

XII. Descriptio *Incantatoris* ita habetur apud MAIM. *Tract. Idol. c.* 11. *sect.* 10. 11. *Is est Incantator, qui* φωνὰς ἀδήλους *voces peregrinas & singularis sensus loquitur, putatque in sua stultitia, has voces esse proficuas, adeo ut, si quis hoc vel illo modo alloquatur serpentem aut scorpium, iidem homini nocere nequeant; aut, si quis hoc vel illo modo affetur hominem, ei noceri non possit. Is, qui occlusa bucca super vulnere submurmurat, aut versum ex Bibliis recitat, vel qui legit quid super infante, ne terreatur, vel qui imponit librum Legis, aut phylacteria infanti, ut somnum carpat, tales non tantum sunt in genere incantatores, sed in specie ex eorum numero, quos prorsus damnat Sacra Scriptura, quia verba Scripturæ convertunt in medicinam corporis, quum ea sit medicina animæ.* Prouti scriptum est *Proverb. III*, 22. Eruntque, præcepta Dei, *vita animæ tuæ.* Hujus commatis est illud, de quo ait BODINVS *Dæmon. Magic. l.* 2. *c.* 1. *Quod infans recitando certum e Psalmis versiculum impediat mulierem, ne possit suum butyrum coagulare, quod autem restituat butyrum retro legendo illum versiculum.*

XIII. Quintus V. est שֹׁאֵל אוֹב *Consulens Obh seu Pythonem* (7). Proprie notat אוֹב *utrem*, & in diversis Scripturæ locis *Incantatoribus* tribuitur, quia malo Spiritu obsessi vocem lenem & obtusam emittunt, tanquam ex *utre.* Græci eos vocant Ἐγγαστριμύθους, *Ventriloquos, quorum vox videtur e ventre mutire.* CHRYSOST. 1 *Cor. XII. adv. Marcion. l.* 4. *c.* 25. Talem *Pythonem* habuit illa serva *Act. XVI*, 16. juxta sententiam AVGVSTINI *de doctr. Christ. l.* 2. *c.* 23. Cui plurimi Interpretum adstipulantur, qui putant *Pythonem*, quo illa παιδίσκη occupata erat, eumdem Spiritum fuisse, quem Hebræi אוֹב vocant. Similiter *Saga Hendori*, quam rogavit Saul, ut evocaret Samuelem, dicitur in Hebraico habuisse τὸν אוֹב, & a Latinis Interpretibus constanter vertitur *Pythonissa.*

XIV. Sextus VI. יִדְּעֹנִי *Magus* (8), qui Græcis subinde transfertur Γνώστης, *Hariolus, Sciolus.* In utraque lingua nomen mutuatur a *cognitione* sive *scientia*, cujus compos esse vel a se ipso vel a plebe existimatur. *Rabbini* dicunt ipsum in Hebraico denominari a quadam bestia, cui nomen יַדּוּעַ, *cuique forma viri, quoniam illi Magi, quando perficiunt suas divinationes, os hujus animantis suis dentibus interserunt.* P. FAG. *Lev. XIX.* Verum ATHENAEVS bestiam hanc vocat καταβλεπάδα. Vid. BODIN. *Mag. Dæmon. l.* 1. *c.* 6. *pag.* 89.

XV.

XV. Hoc forsan Diabolicum sacramentum & ceremonia est, qua fœdus inter *Diabolum* & *Magum* hunc stabilitur. Profanæ historiæ produnt memoriæ similes divinationes, nimirum quod *Magi* consueverint vesci partibus principalioribus talium bestiarum, queis putabant vim vaticinandi inhærere, credentes modo aliquo μετεμψυχώσεως animam istarum bestiarum hoc pacto in sua corpora una cum facultate prophetandi transfundi. PERER. *de Mag. p.* 57.

XVI. Septimus VII. est דּוֹרֵשׁ אֶל־הַמֵּתִים (9). Græci simpliciter transferunt ἐπερωτῶν τὺς νεκρὺς, *consulens mortuos*, νεκρομάντης, *Divinus*, *evocans Spiritus damnatos*. Ejusmodi *Divini* consulunt Diabolum sub forma mortui. Memorabile exemplum est illud 1 *Sam. XXVIII*, 6, 8. ubi Rex *Saul* copias educens adversus Philistæos, Deo ipsi nec per *Vrim*, nec per *Somnia*, nec per *Prophetas* respondente, accedit *Sagam Hendori*, petitque, *Samuelem* e mortuis excieat, quo doceatur eventum belli.

XVII. Hoc jam spectrum non fuisse *Samuelem* (10), facile evincunt doctorum rationes & testimonia. 1. Non enim verisimile est Deum, cui noluit respondere medio ordinario, voluisse dignari responso extraordinario. 2. Nullus *Diabolus*, nec ullus *Magus* potest turbare quietem corporum seu animarum eorum, qui moriuntur in Domino, *quiescunt enim a laboribus suis Apoc. XIV*, 13. Denique 3. si *Samuel* fuisset, citra dubium invectus esset in *Saulem*, quod consuleret *Incantatores Diabolicos*.

XVIII. Octavus VIII. est שֹׁאֵל מַקְלוֹ *Consulens baculum suum Hos. IV*, 12. (11). HIERONYMVS ait, modum hujus divinationis ita fuisse. *Si dubium fuit, quænam urbs e duabus aut tribus sit oppugnanda prius, ut hoc solvant, mittuntur sagittæ in pharetram, & commiscentur inscriptæ, sive signatæ nominibus singulorum, ut videatur cujus sagitta exeat, & quæ prius civitas debeat oppugnari.* Alii docent modum hujus consultationis sic habuisse: *Consulens bacillum suum, spithamis emetiens seu longitudine digitorum, dicebat inter mensurandum: Ibo, non ibo: faciam hoc, non faciam; & ratione ultimæ spithamæ, decrevit.* Hæc *divinatio* apud Gentes vocatur ῥαβδομαντεία vel βελομαντεία, *vaticinatio per sagittas aut virgas* (12). Vid. DRVS. *in Deut. p.* 592.

XIX. Nonus IX. est רֹאֶה בַּכָּבֵד *Haruspex, Ezech. XXI*, 16. Nebucadnezar, infesto agmine in Judæos & Ammonitas moturus, hæsit in via, utros prius aggrederetur; propterea que 1. *Sagittis* & *bacillis*, de quibus jamjam diximus, 2. *Extis bestiarum* rei certitudinem experiri (13) instituit. Hæc *divinatio* in genere recepta apud Gentes fuit, &, quoniam *hepar* præcipuum, & quod maxime attendebatur, membrum erat, dicebatur *extispicium*, ἡπατοσκοπία, *inspectio jecoris*.

XX. Tria in hac *divinationis* specie observanda sunt. 1. *Color* extorum, an omnia probo essent colore. 2. *Locus*, num nulla loco mota essent. 3. *Numerus*, num ulla deficerent; inter illa, quæ deficiebant, *jecur* & *cor* deficiens præprimis sinistrum quid portendebat. Eodem die, quo confossus est Julius Cæsar, produnt Historiæ, in duobus pinguibus bubus, qui mactabantur, defecisse *cor*.



MOSES ET AARON.

LIBER V.

DE CONSISTORIIS SEU CONSESSIBUS.

CAPUT I.

DE IPSORUM CURIIS FORENSIBUS, PRAESERTIM DE CONSISTORIO ECCLESIASTICO.

Diversæ in Israele *Curiæ* fuerunt diversis consistentes viris, quarum quædam *res Ecclesiasticas*, & quædam *res Civiles* & *publicas* dirigebant (1). IUNIUS *Anal. expos. Deut. XVII.* De his, ipsarumque censuris peculiaribus & pœnis restat quid dicendum.

II. Hæc diversa *consistoria*, *consessus* & *curiæ*, primo distincta reperiuntur *Deut. XVII*, 12. *Qui non auscultat Sacerdoti, aut Judici.* Ubi Israel docetur, ob quas res & ad quos possent a minoribus *judiciis* & *curiis* appellare; nempe ad *Sacerdotes* in rebus *Ecclesiasticis* aut *cerimonialibus*, & ad *Judices* in rebus *criminalibus* aut *civilibus*.

III. Hæc duo *dicasteria* clarius distinguuntur 2 *Chron. XIX*, ubi Josaphat multos abusus in Ecclesia & Republica tollens, primo per omnes civitates munitas Jehudæ *Judices civiles* constituit ad judicandum res criminales. vers. 5. Et Hierosolymæ ordinavit *Consessum Ecclesiasticum* e Levitis, Sacer-

cerdotibus, & primoribus patrum Iſraelis verſ. 8. *In negotiis Jehovæ ſeu Eccleſiaſticis* Amaria Pontifex primarius erat. In *rebus* autem *Regiis* ſeu *civilibus* erat Zebadia נָגִיד *Præſul.* verſ. 11. Sic etiam Propheta Jeremias neci addicebatur a *conſeſſu Sacerdotum. Jer. XXVI,* 8. Sed in *judicio Principum*, ſeu *Judicum civilium*, qui ſedebant ſub portis, abſolutus eſt. verſ. 6.

IV. Et etiamſi tyrannis Antiochi & ſubſequentes motus tanta confuſione turbarint regimina Judæorum, ut vix diſcrimen ullum in N. T. reperiri poſſit, attamen veſtigia quædam & imperfecta ſigna utriusque hujus *judicii* apparent *Matth. XXI,* 23. *XXVI,* 3. Ἀρχιερεῖς, *Sacerdotes primarii* & Πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, *Seniores populi* adducuntur, tanquam diverſi ordinis & conſeſſus, quorum quisque videtur proprio nomine diſtingui.

V. Conſeſſus Politicus vocatur Συνέδριον, *Collegium Conſiliariorum*, Eccleſiaſticus συναγωγή, *congregatio. Tradent vos εἰς συνέδρια, & cædent vos flagris ἐν ταῖς συναγωγαῖς. Matth. X,* 17. Hinc magnum Prophetarum ſanctorumque virorum *Collegium*, quod Eſra collegit ad reformandam Eccleſiam poſt adſcenſionem ex Babele, vocatur *Synagoga Magna. Officium Collegii Eccleſiaſtici* fuit *diſcernere inter ſacrum & profanum, mundum & immundum. Lev. X,* 10. Et *decidere appellationes* in rebus momentoſis. hinc illud, *Dic Eccleſiæ;* quum penes eam eſſet *jus excommunicationis*, de qua ſequenti Capite.

VI. Hic tantum nota, quod, quemadmodum in *Synedrio* & *Collegio Politico*, quod conſtabat LXX. viris, penes quos *ſummum judicium* erat, fuerunt duo capita, alterum vocabant נָשִׂיא *Principem* ſeu *Judicem ſupremum* (2); & alterum vocabant אַב בֵּית דִּין *Patrem dicaſterii* (3); quod, inquam, etiam in *Synagoga* ſeu *Concilio Eccleſiaſtico* fuerint duo capita ſeu primarii, *Pontifex*, ipſiusque סֶגֶן *Vicarius* ſeu *Pontifex ſecundus* (4). 2 *Reg. XXIII,* 4. *Pontificem* neceſſario membrum fuiſſe *Synedrii*, falſum eſt (5), quia ad id *Collegium* nunquam electus eſt, niſi fuerit vir raræ & ſingularis ſapientiæ. MOS. KOTS. *in Sanhed.*

VII. Nota quoque, quod utrumque *Collegium* coiverit, quoties res decidendæ, *cerimoniales* partim, & partim *politicæ* erant, ſicque partim ad *Eccleſiam*, partim ad *Rempublicam* ſpectabant. Quod quum non obſervetur, Interpretes non faciunt diſcrimen inter illa *judicia*. Hæc utriusque *Conſiſtorii* ſeu *Collegii* coitio & conjunctio hinc inde in Evangelio occurrit, ubi dicuntur Ἀρχιερεῖς καὶ Πρεσβύτεροι congregati fuiſſe.

CAPVT II.

DE IPSORVM EXCOMMVNICATIONE.

Tres erant *excommunicationis* gradus (1).

II. I. Ἀποσυναγωγὴ, *ejectio ex Synagoga. Joh. IX,* 22. a Judæis dicitur נִדּוּי *Niddui* (2), quæ vox significat *separationem* & *elongationem.* Deducitur a verbo Pihel נִדָּה *separavit,* hinc etiam *proscriptus, profligatus,* aut *separatus* quispiam dicitur מְנוּדֶּה. *Niddui quoque dicitur significare elongationem ab omni negotiatione, vel communione viri aut feminæ, intervallo quatuor ulnarum; separationem quoque a comestione, aut computatione cum alio, a complexu conjugali, a tonsura, lotione, & similibus,* pro sententia Judicis, & ratione criminis. BVXTORF. *ex Rabb. epist. Heb. pag.* 55. Ea separatio triginta dierum erat (3), poterat tamen abbreviari facta pœnitentia.

III. Illi, qui ita *excommunicatus* erat, licebat *cultui Divino adesse, alios docere, & ab aliis doceri, conducere servos, & conduci,* sub istius tamen *separationis* conditione (4). Vbi is nullam agebat pœnitentiam, pro sententia Judicis pœna ipsius ingravescebat, dum aut duplicabatur, aut tempus ter augebatur, aut pœna non nisi cum vita finiebatur. Illius filii non circumcidebantur; &, ubi absque pœnitentia decesserat, jussu Judicis loculo aut feretro injectus est lapis, ad ostendendum, ipsum fuisse dignum, qui lapidibus obrueretur. Non luctu solennique planctu deflevere talem, nec eum comitantes ad sepulcrum, nec eum terræ mandantes communi sepultura.

IV. II. Secundus *excommunicationis* gradus est, παραδοῦναί τινα τῷ Σατανᾷ, *tradere aliquem Satanæ.* 1 *Cor. V,* 5. qui vocatur Judæis חֵרֶם (5).

V. Ad magis intelligendum hoc vocabulum, scire nos oportet, quod hoc sensu non usurpatum sit in V. T. Ibi reperimus illud applicatum *personis* aut *rebus;* Si *personis,* notat *devotionem Deo præstandam morte earum. Lev. XXVII,* 29. Si *rebus,* notat *devotionem Deo præstandam separatione* earum a communi usu. Hinc *Achan* pœna affectus, quod subduxerat *devotum. Jos. VII,* 11, 25.

VI. *Personæ* ita *devotæ* Græcis dicebantur ἀναθέματα & *devotæ res,* ἀναθήματα. BVDAEVS ἀναθέματα dici tradit *homines sacros,* quorum capita inferis *dicata* sunt & *devota;* ἀναθήματα vero *donaria Diis consecrata* (6); tempore tamen Pauli & τὸ חֵרֶם & τὸ ἀνάθεμα denotarunt tantum *secundum excommunicationis gradum,* distinctum a primo (7). 1. Quum ea *excommunicatio* non fieret a singulari judicio, sed ea denuntiaretur audiente tota Ecclesia. 2. Addebantur e Lege Mosis *devotiones* & *execrationes.* Quando ea denuntiabatur (8), cereæ accensæ sunt, finitisque *execrationibus* extinctæ, ut significarent, hujusmodi

jusmodi *devotam* personam emunctam esse luce cœli. Hæc *excommunicationis* species usurpabatur adversus illum *incestuosum*, 1 *Cor. V*, 5. & adversus *Hymenæum atque Alexandrum* 1 *Tim. I*, 20. (9).

VII. III. Tertius *excommunicationis* gradus (10) vocatur in N.T. vocabulo Syriaco *Μαρὰν-ἀθὰ*, *Maran-atha*. 1 *Cor. XVI*, 22. h. e. *Dominus venit*. *Maran* notat *Dominum*, & *Atha venit*. Cujus auctorem dicunt *Enochum*. *Jud. vers.* 14. Judæi id appellant שַׁמַּתָּא *Schammatha*.

VIII. Hujus vocis duplicem adducunt interpretationem. Quidam ajunt, tantundem significare ac *Maranatha Dominus venit*, τῷ שֵׁם notante *Dominum*, & τῷ אָתָה *venit*. Alii dicunt, quod sonet, *ibi* est *mors*, שָׁם significante *ibi*, & τῷ מִיתָה *mortem*. ELIAS THISB. *in Rad.* שמתא. Hinc posset verti *destinatio ad necem*. Et hæc ratio creditur esse illius loquendi modi 1 *Joh. V*, 16. *Est peccatum ad mortem*, h. e. quod dignum est *devotione ad mortem*. BERTRAM. *de Politia Jud. c.* 2. *p.* 21.

IX. R. GERSOM interdixit resignationem literarum sub pœna ternæ illius *excommunicationis* (11). BVXTORF. *Ep. Heb. p.* 59. In dorso epistolæ subjici solebat hæc abbreviatura, אסור בְּחֵרֶם, h. e. *prohibitum est per anathema*, τοῦ R. GERSOM, *luminis captivitatis*, scil. resignare has literas. Et hæc vocabatur *excommunicatio in secreto nominis tetragrammati*. Vide illius formam *Cap. de Sadducæis*.

X. Hujus censuræ quatuor gradus erant in Ecclesia Græca (12). Vid. IVSTELLI *notas in Cod. Canon. Eccl. univers. ad Canon.* 25. BELLARM. *de Pœnit. l.* 1. *c.* 22. & CASAVB. *Exercit. p.* 552. observant quintum gradum (13), quem ille *μέσωσιν*, alter *μέθεξιν*, *communicationem* appellat. Verum communiter quatuor sunt:

XI. 1. *Σύστασις*, *assistentia* (14). Illi hoc gradu puniebantur, quibus sola *mensa Domini* interdicta erat, licebatque intrare templum, audire verbum, cum Ecclesia preces fundere, cum reliquis Christianis adstare, & intueri, quomodo aliis Sacramentum daretur, etsi ipsi illius non fierent participes, unde & vocabantur *Stantes*.

XII. 2. *Ὑπόπτωσις*, *submissio* (15). Quod ad hanc pœnam, quidquid de ea lego, hoc est: qui hac pœna affectus est, admissus est in templum, ipsius tamen locus erat *post suggestum*, vid. IVSTELL. *loc. cit.* & exire debebat cum Catechumenis, h. e. talibus Gentilibus, qui Christianam fidem amplexi, non tamen plene admissi ad Ecclesiam, quoniam nondum erant sacro fonte tincti; & sic, quia cum aliis Christianis indiscriminatim precari non poterant, certus locus post chorum templi, modo cœnobiorum, ipsis assignatus erat, vocabaturque *Catechumenium*. HOSPIN. *de Templ. p.* 88.

XIII. Hoc censeo esse locum pro hoc secundo *excommunicationis* gradu; sic ut credam, vim hujus pœnæ in tribus consistere. 1. Prohibebantur a mensa Domini. 2. Non permissum ipsis erat adstare administrationi Cœnæ Dominicæ, quod licebat primo gradui. Hocque clare liquet ex eo, quod Catechumeni plerumque dimittebantur, cum administratio fieret; ipsis enim præprimis dice-

dicebatur: *Ite, missa est.* 3. Etiamsi liceret ipsis ὑποπεσεῖν, genibus inniti, precarique, unde & nominabantur *Succumbentes*, attamen non permittebantur hoc facere in Ecclesiæ concione, sed tantum in eo post chorum & suggestum loco, Catechumenis destinato; & hac in parte secundus gradus a primo differt.

XIV. 3. Gradus erat ἀκρόασις, *auditio* (16). Is, qui hoc gradu punitus est, non nisi ad cœmeterium admittebatur, ubi Scripturam audire licebat, non autem accedere ad preces, aut ad mensam Domini; unde denominabantur *Audientes*.

XV. 4. Quartus & ultimus gradus, seu species, erat πρόσκλαυσις, *præfletio* (17). In quos hoc gradu animadversum est, penitus præcludebantur templo, lacrymis obortis flagitantes ab intrantibus, ut orarent pro se Dominum. unde dicti sunt *Plorantes*.

XVI. Quoniam in communi putatur *Cain* primo *excommunicationis* gradu fuisse punitus (18), quem dicunt *Niddui*, & quod postremus gradus, nimirum *Schammatha* ab *Enocho* institutus sit, adeoque quum inde utriusque antiquitas pateat, non audeo dicere, tres *excommunicationis* gradus sumtos esse a tribus impuritatis speciebus (19), quæ populum præcluserunt tribus castris, etsi proportio inter illorum gradus obtineat. De quibus P. FAGIVS *in Num. V*, 2.

XVII. *Niddui* potest comparari *exclusioni extra castra Dei*, quæ obvenit contrectatione cadaveris pollutis. *Cherem* potest conferri *præclusioni extra castra Dei* & *castra Levitarum*, quibus electi, qui immundi erant *profluviis*. *Schammatha* conferri potest *præclusioni extra tria castra*, *castra Dei*, *castra Levitarum*, *& castra Israelis*; hac animadversi illi, quos lepra immundos reddidit. Credibile est Græcas & Latinas Ecclesias a Judæis suos *excommunicationis* gradus mutuatas esse.

CAPVT III.

DE COLLEGIO SEV CONSESSV CIVILI, QVAS PERSONAS ID REQVISIVERIT.

Homines multis in rebus possunt incurrere in Legem Dei, etsi non in pœnam hominum (1). *Non ulcisceris, & servabis rancorem. Levit. XIX*, 18. Quod Judæi ita exponunt: *Vlcisci* est *negare quidquam petenti, qui antea beneficium negavit alteri. Rancorem servare alicui, qui antea detrectavit benefacere, beneficium præstare cum exprobratione.*

II. Istud hoc illustrant exemplo: Si *Ruben* dicat *Simeoni*, commoda mihi securim tuam, & is respondeat, nolo. Deinde si *Simeon* indigeat securi, & dicat *Rubeni*, commoda mihi tuam securim, & tum regerat ei *Ruben*, ne expectes a me eam, quam mihi negasti. Hoc est נְקִימָה *ultio*. Rursus, si *Ruben* dicat *Simeoni*, commoda mihi tuam

tuam securim, & is referat, nolo; ac deinde, ubi *Simeon* mutuari velit securim a *Rubene*, qui reprimat: en accipe; non agam tecum, quemadmodum tu mecum. Hoc est נְטִירָה *rancoris servatio.* Vterque hic impingit in legem Dei, etsi non in plagam hominum.

III. In cunctis *Judiciis Civilibus* quinque personæ sunt. 1) *Judices.* 2) *Officiales* seu Πράκτορες. 3) *Advocati.* 4) *Scribæ.* 5) *Testes.*

IV. In *Supremo Judicio*, seu *Sanhedrin*, erat quis caput omnium *Judicum* reliquorum, Hebr. נָשִׂיא, Græce Ἄρχων, *Princeps* (2).

V. *Testium* ad minimum duo erant *Deut. XIX,* 15. (3). Si fuerunt falsi, *talione* repercussi sunt, h. e. eadem pœna, quam machinatus erat in fratrem, *Deut. XIX,* 19. *Scribarum*, seu *Notariorum*, duo erant (4): alter stabat ad dextram, ut scriberet sententiam liberationis, & quod dicebatur in defensionem partis; alter stabat a sinistra, ut exciperet sententiam condemnationis & partium accusationes. MOS. KOTS. *in Sanhed.* Putat DRVSIVS *præter. Matth. XXV,* Christum, loquentem de *ultimo judicio*, huc respexisse: *Statuet oves* ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ, *hœdos autem* ἐξ εὐωνύμων. *Matth. XXV,* 33.

VI. *Officiales* semper erant præsentes, ut exequerentur sententias *Judicum;* quapropter virgas & lora hinc illuc ferebant, quemadmodum Consulibus Romanis virgarum fasces cum securibus præferebantur, ad promptiorem justitiæ executionem. MOS. KOTS. *in Sanh.* Hebræis vocantur שׁוֹטְרִים (5) τοῖς LXX subinde Γραμματεῖς, Belgis *Gerechts-Dienaren*, LVTHERVS *Stock-Meister*, *Lucæ* Πράκτορες, *cap. XII,* 58. *Quum vadis cum adversario tuo* ἐπ' Ἄρχοντα, *ad supremum magistratus caput, in via da operam, ut libereris ab eo, ne forte pertrahat te ad Judicem,* & *Judex* שֹׁפֵט *tradat te* τῷ Πράκτορι τῷ שׁוֹטֵר *Officiali* seu *Moderatori*, & *Officialis conjiciat te in custodiam.*

VII. *Advocatus* dicebatur בַּעַל רִיב (6) *Dominus litis.* Stabat a dextra partis in jus vocatæ (7), ubi aut pro ea aut contra eam verba faciebat. *Stabit Dominus ad dextram egeni, ad salvandum a damnantibus animam ejus, Ps. CIX,* 31. h. e. Dominus tuebitur causam ejus. *Et Satanas stetit ad dextram Josuæ. Zach. III,* 1. h. e. ad ipsum accusandum, aut causam ipsius disjiciendam. Quando *Johannes* ait 1 *Joh. II,* 1. *Si quis peccaverit, habemus Paracletum,* tum alludit ad hunc בַּעַל רִיב, seu *Advocatum.*

VIII. *Judices* inquirebant decernebantque, & inquisitione facta, sententia de causis per *Judicem* hoc modo ferebatur (8): *Tu N. innocens es. Tu N. obligaris. Tu Simeon justus es, Tu Ruben reus.* Qua sententia lata, reus ad locum executionis tractus est. *Quum judicabitur, exeat condemnatus. Ps. CIX,* 7. Hebr. יֵצֵא רָשָׁע *exeat improbus.*

IX. Modus personarum sententiam ferentium in plurimis terris discrepat. Judæi absolvebant homines & condemnabant simplici sententiæ prolatione. Romani sententiam suam ferebant tabellis (9), quas in urnam immittebant, aut cistulam, huic rei

paratam. Si quem abſolvebant, tabellæ iſti inſcripſere literam A, quæ eſt prima litera in voce *Abſolvo.* Si quem condemnabant, miſerunt in urnam literam C in tabella exaratam, quæ eſt prima litera vocis *Condemno.* Si autem res gravior eſſet, quam ut ſententia ferri poſſet, tum injecerunt alias tabellas notatas literis N. L. ſignificantibus *Non Liquet.* ROSIN. *Antiqu. Rom. l.* 9. *c.* 24. Itidem Græci utebantur (10) tribus in judiciis literis: Θ nota erat ac ſymbolum *damnationis*, unde PERSIVS *Sat.* 4. *verſ.* 13.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.

T ſymbolum erat *abſolutionis.* A *ampliationis* ſeu *dilationis.*

X. Alii annotant condemnationis ſententiam latam dando *lapillum atrum*, & *abſolutionis* dando *lapillum candidum.* OVID. *Metamorph. lib.* 15.

Mos erat antiquis, niveis, atrisque lapillis,
Hos damnare reos, illos abſolvere culpa.

Huc videtur alluſum eſſe *Apoc. II,* 17. (11) *qui vicerit, dabo ei* ψῆφον λευκὴν, *calculum album*, h. e. abſolvam ipſum & ſententiam pro ipſo feram die judicii.

XI. Nota hos tres loquendi modos: ἀναστῆναι εἰς κρίσιν, *ſurgere ad judicium*, ἀναστῆναι ἐν κρίσει, *ſurgere in judicio*, & καταδεδικασμένος ἐξελθεῖν, *exire condemnatum.* Primus modus loquendi tribuitur *Judici* judicium habenti. *Quum ſurgit Deus ad judicium. Pſ. LXXVI,* 10. h. e. ad exercendum judicium. Secundus tribuitur ei, *qui in judicio cauſa vincit.* *Viri Ninivitæ* ἀναστήσονται ἐν τῇ κρίσει, *ſurgent in judicio cum hac ætate*, *Matth. XII,* 41. (12) h. e. juſtiores declarabuntur hac generatione. Tertius tribuitur *condemnato. Pſ. CIX,* 7. *Exeat condemnatus*, ſeu improbus. *Non ſtabunt improbi in judicio Pſ. I,* 5. (13). Similis loquendi mos uſitatus fuit Romanis: *ſtare in Senatu*, *cauſa cadere.* Puto tamen hunc Romanum loquendi morem ſumtum eſſe ab ipſorum Gymnaſiis, ubi poſitura corporis, qua quis parabat ſe defendere & digladiari cum adverſario, vocabatur *Status*, aut *Gradus.* ut *cedere de Statu, Gradum vel Statum ſervare.* Et ſic a *Gymnaſiis* ad *Judicia* hæ dictiones traductæ ſunt.

CAPVT IV.

DE NVMERO CVRIARVM CIVILIVM.

Judiciorum civilium duo erant: סַנְהֶדְרִין גְּדוֹלָה Συνέδριον ſeu *Collegium magnum*, aut *Senatus ſupremus*; & סַנְהֶדְרִין קְטַנָּה *Judicium*, ſeu *Collegium minus* (1). Sic in genere apud Rabbinos ipſa diſtincta reperio. Et quamvis *Collegium* poſterius inſuper fuerit partitum, ut liquebit inferius, attamen antiquis ætatibus ſolummodo duo priora erant.

II. Iſtam

II. Istam divisionem videtur noster Salvator Christus secutus, appellans *Judicium minus* Κρίσιν, *judicium*; & *majus*, Συνέδριον seu *Consessum majorem*. *Quicunque irascitur fratri suo temere*, ἔνοχος ἔσαι τῇ Κρίσει, *obnoxius erit Judicio. Quicunque vero dixerit fratri suo Raca, obnoxius erit Synedrio seu Collegio supremo; quisquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit Gehennæ incendio. Matth. V.*

III. In quibus verbis, quemadmodum est peccati gradualis adscensio: 1. est *ira*, passio animi. 2. *Raca*, quod non grandis alicujus est sermo convicii, sed magis e contemtu natum, & neglectu dicentis. CHRYSOST. *in Hom.* 16. in *Matthæum* 3. *Fatue* convitiosum nomen: Sic sunt adscendentes pœnæ gradus 1. Κρίσις & *Judicium minus.* 2. *Senatus supremus*, & *Judicium majus.* 3. *Ignis Gehennæ.*

IV. *Gehenna* fuit vallis (2) horrenda duobus ignibus. 1. In ea idololatræ sua pignora *Molocho* comburebant viva. 2. In ea perpetuus ignis lucebat ad comburenda cadavera & sordes Hierosolymarum. DAV. KIMCHI, *Psal. XXVII*, 13. Hæc vallis typus fuit ignis infernalis, partim ob horrendum primi ignis modum, & partim ob contemtum loci, respectu secundi ignis. Possumus illum textum ita explicare; *ira* obnoxia est pœnæ minoris judicii, *Raca* majoris, & τὸ *fatue* obnoxium est pœnæ omnium judiciorum, immo ipsius ignis Gehennæ.

V. Magnus Senatus ille, κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur *Sanhedrin*, quod vocabulum derivatur a Græco Συνέδριον, *Consessus judicii*; vocatur etiam בֵּית דִּין *Dicasterium*, *Curia*, & distinguitur ab aliis judiciis 1) ratione *numeri Judicum* (3), quorum in eo LXXI erant juxta Dei mandatum & primam Mosis institutionem. MOS. KOTS. *fol.* 186. *Col.* 11. *Num. XI*, 16. *Congrega mihi LXX viros e Senioribus Israelis, quos nosti esse Seniores populi*, וְשֹׁטְרָיו *ipsiusque moderatores, & assumes eos ad tentorium conventus, & sistent se ibi tecum.* Ex ultimis hujus textus verbis deprehenduntur LXX præter Mosen; eoque mortuo, semper in ipsius locum elegerunt *Judicem supremum*, quem vocabant *Nasi*, *Principem*, seu *Caput Judicum*, non accensentes ipsum τοῖς LXX.

VI. Hi septuaginta creduntur electi esse, seni ex quavis tribu; excepta tribu Levi, quæ quatuor modo dederit. IVN. *Analyt. Expos. Num. XI.* Alii putant, modum electionis ipsorum sic se habuisse: seni ex quavis tribu sua nomina inscripserant schedulis seu pittaciis. Septuaginta harum schedularum inscriptæ erant voce זָקֵן *Senior* & duæ reliquæ voce חֵלֶק *pars.* His pittaciis seu schedulis in urnam conjectis, si quis extraxit pittacium tale, notatum nomine *Senior*, is relatus inter *Judices* est. Qui reliqua pittacia seu schedulas sortiebantur, quibus inscriptum erat חֵלֶק, rejiciebantur. *Num. XI*, 26. Gravissimus ætate horum LXX vocabatur אַב בֵּית דִּין *Pater dicasterii.*

VII. Totus *Judicum* Senatus sedebat in semicirculo, Principe *Nasi* in medio constituto superiori loco, ceteris circumsidentibus, hac forma, ut אַב בֵּית דִּין *Pater dicasterii* esset proximus a dextris τῷ *Nasi.* MOS. KOTS. *fol.* 186. *col.* 2.

 VIII.

VIII. *Collegium minus* divisum erat (4) in duas species: Altera species constabat *Senatoribus* XXIII, & ejusmodi duo erant *Collegia* Hierosolymæ, unum *ad portam atrii templi*, & alterum *ad montem templi*. In cunctis quoque civitatibus Israelis, quas incolebant centum & viginti patres familias, hujusmodi *Collegium* virorum XXIII. jus dicebat. Altera species *minoris Collegii* seu *Judicii* consistebat *Triumviratu;* idque erigebatur in minoribus oppidis, quæ non habitabantur 120 familiis.

IX. 2) Secunda differentia inter *Collegium Majus* & *Minus* est respectu *loci*. *Septuaginta Viri* tantummodo considebant *Hierosolymæ intra atrium templi* in senaculo, quod vocant לִשְׁכַּת הַגָּזִית *Conclave cæsuræ* (5), propter *cæsos lapides*, quibus structum erat. MOS. KOTS. *ibid.* Græcis tale Conclave dicitur λιθόστρωτον, *pavimentum*. *Pilatus sedit pro tribunali in loco, qui dicitur* λιθόστρωτον. *Joh. XIX*, 13. (6). Cetera *Collegia* seu *Judicia* omnia considebant *sub portis urbium* (7). Hinc quia portæ sunt propugnacula urbium, Judicesque sub iis judicium exercebant, dicitur, quod *portæ inferni non sint prævalituræ Ecclesiæ*, h. e. nec vis, nec astutia Satanæ. *Matth. XVI*, 18.

X. Tandem 3) differunt ratione *potestatis auctoritatisque* (8). *Collegium virorum* LXX accipiebat *appellationes* a *Judiciis minoribus* (9), sed ab eo ad *majus Judicium* provocari non poterat. *Deut. XVII*, 8. Rursus *Collegium Triumvirorum* non dijudicabat *criminalia*, seu דִּינֵי נְפָשׁוֹת *Judicia capitalia*, sed tantummodo דִּינֵי מָמוֹנוֹת *Judicia* seu *pœnas mulctatitias & pecuniarias*, causasque minores, ut *flagellationem*, &c. *Collegium* autem seu *Senatus* XXIII Virorum constituebant de *capitalibus*, restricta tamen potestate: non enim *tota tribus*, *Sacerdos Summus*, *& pseudoprophetæ*, aut aliæ ejusmodi momentosæ res, apud illos postulari judicarive poterant. Hæc tantum ad *Senatum* τῶν LXX pertinebant. Huc illud spectat: *Jerusalem*, *Jerusalem*, *quæ occidis Prophetas*. *Luc. XIII*, 34. CVNAEVS *de Rep. Hebr. cap. XII. l.* 1.

XI. Medium, quo tentabant *pseudoprophetam* (10), hoc erat: notabant *judicia*, quæ ille minabatur, & bonum, quod prædicebat; si illa non irruerent, non arguebatur *pseudoprophetiæ*, quum Deus esset longanimus & misericors, uti patet in exemplo *Hiskiæ*, & populus se forte converteret, quemadmodum *Ninivitæ;* verum si hoc, quod prædixit, non eveniret, arguebatur *pseudoprophetiæ*. Fundamentum suæ tentationis aut probationis petunt e verbis *Jeremiæ cap. XXVIII*, 9. *Propheta, qui prophetabit pacem, eveniente verbo hujus Prophetæ, cognoscetur ille Propheta esse, quem misit Jehova revera.*

XII. *Senatus iste virorum* LXX non tantum jus dixit sub *Regibus* & *Judicibus*, P. GALAT. *l.* 4. *c.* 5, sed auctoritas ipsorum viguit quoque in interregnis (11), cum nullus *Rex* aut *Judex* Israelem regeret, propagataque est, usque dum eam Herodes tolleret (12), ut suam tyrannidem stabiliret. IOSEPH. *Antiqu. l.* 14. *c.* 17.

XIII. Hic objici posset, tempore Samuelis aut hæcce dicta *judiciorum Collegia* non fuisse, aut ipsorum privilegium & auctoritatem

tem valde fuisse concisam, *cum de anno in annum Samuel obiret Bethelem, Gilgalem, & Mizpam, & judicaret Israelem in omnibus istis locis.* 1 *Sam. VII*, 16. Ad quod responderi debere autumo; quod, quemadmodum *Imperatores Romani* potestatem habebant circumequitandi, judiciaque exercendi, quod fiebat sine ulla Senatus privilegiorum læsione: sic *Regibus* & *Judicibus* Israelis par licentia fuerit, illæsa suarum *Curiarum* auctoritate. Hæc species *Judiciorum* per *Collegia* seu *Senatus* vocabatur a Romanis Βȣλὴ κυρία, *Senatus legitimus* seu *status,* altera Βȣλὴ σύγκλητος, *Senatus indictus.*

CAPVT V.

DE QVALITATIBVS, QVAE REQVIREBANTVR A IVDICIBVS, ET MODO ELECTIONIS.

Lex Dei has requirit in *Judicibus* qualitates. 1. *sapientiam.* 2. *prudentiam.* 3. *justitiam* (1). *Deut. I*, 13. Alias insuper *Exod. XVIII*, 21. nimirum 4. *fortitudinem.* 5. *timorem Dei.* 6. *amorem veritatis* (2). 7. *odium avaritiæ.* Quibus addere possumus 8. ἀπροσωποληψίαν. *Deut. I*, 17. Has duas postremas qualitates præ primis Gentes in suis *Judicibus* requisiverunt. hinc *Thebani* pingunt *Justitiam* absque manibus & oculis, ut doceant, iniquum esse *Judici, accipere dona, aut personam.* PLVTARCH. *de Iside.*

II. Judæi plures addunt (3). 1. *Vt sint sine ullo corporis vitio.* 2. *Vt calleant septuaginta linguas, ne opus sit per Interpretem audire.* 3. *Ne sint vetuli, & marceant senecta,* quæ qualitas itidem apud Romanos requisita fuit a *Judicibus*, unde illud proverbialiter dictum: *Sexagenarius de ponte.* Vid. ERASM. *Adag.* 4. *Ne sint Eunuchi,* quum tales ament esse immites. 5. *Vt sint patres liberorum,* quibus putant plus misericordiæ inesse. 6. *Ne sint magiæ rudes,* quum sine ea nesciant judicare Magos. MOS. KOTS. *in Sanh.*

III. Vt essent semper idonei viri, qui surrogari mortuis *Judicibus* possent, erant præterea tria subsellia inferiorum (4), quos vocabant תלמידי חכמים *discipulos Sapientum.* MOS. KOTS. *ibid.* Ex his eligebant, si quis deficeret, & duo ex his comitabantur condemnatum capitis, ad executionis locum.

IV. Ritus *initiandi Judices* duplex fuit. *Initiatio* 1. facta est ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, *impositione manuum* (5), juxta exemplum Mosis, manus imponentis Josuæ. Hæc *impositio manuum* non putatur fuisse licita nisi præsentibus *quinque* aut *tribus Judicibus* (6). PETR. GALAT. *l.* 4. *c.* 5. 2. Postea ea fiebat recitatione certi versiculi: הרי אתה סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות

Ecce tu aſſociatus, & eſt tibi facultas judicandi etiam pœnas multatitias. MAIMON. *in Sanh. c.* 4. Hinc illud GALATINI ex Talmude: *Inſtitutio Judicum aut manu fiebat, aut nomine tantum* (7).

V. Hic nota quod סָמוּךְ, quod verti *Aſſociatus*, non ſemper notet hominem ad publicum munus *manuum impoſitione initiatum;* nam hic tribuitur tali, qui non conſecratus eſt *impoſitione manuum.*

VI. Ratio autem cur סְמִיכוּת & סְמִיכָה ab omnibus Interpretibus in genere tam Judæis quam Chriſtianis exponantur *impoſitiones manuum* (8), hæc eſt; quia hæc aſſumptionis ſpecies vetuſtis temporibus duobus tantum hominum generibus adhibebatur in electionibus ipſorum, nimirum *Rabbinis* & *Judicibus*, nunquam autem ſine cerimonia *impoſitionis manuum;* hinc factum eſt, ut duæ iſtæ voces expoſitæ ſint *Impoſitiones manuum*, etiamſi proprie nihil aliud ſignificent, quam *ſociationem, vicinitatem, & conjunctionem alicujus ad collegium ſeu ſocietatem, cujus ille, qui ſociationem facit admittitque, membrum eſt.*

CAPVT VI.

DE COMMVNIBVS CERIMONIIS IN OMNIBVS CAPITALIBVS IVDICIIS.

In pœnis capitalibus ſunt quædam cerimoniæ, quæ omnibus *communes* ſunt.

II. I.) *Judices* debebant in quibusvis cauſis deliberationibus uti (1), præprimis tamen in capitalibus. Quatuor ſunt res, ait IONATHAN in ſuo *Targum Num. IX*, 8. quæ ad Moſen deferebantur (nullius mentionem facit ſpecialiter, ſed quales eædem fuerint res, ſtatim diſcemus aliunde). Harum duæ *ponderoſæ* non erant, in iis feſtinabat: reliquæ majoris momenti erant, utpote concernentes vitam & mortem, in quibus moram traxit: וּבְאִילֵּין וּבְאִילֵּין אֲמַר מֹשֶׁה לָא שְׁמַעְתִּי *Ceterum tam de his quam de illis dicebat Moſes, non audivi.* ſcil. a Domino. Vt doceret, in omnibus ſententiis ferendis ineundam eſſe conſultationem tanquam cum Deo. Hæ quatuor res occurrunt in TARGVM HIEROSOL. *Num. IX*, 8. *Minus ponderoſæ* ſunt: 1. *Cauſa immunditiei*, qua prohibebatur populus a Paſchate. *Num. IX*, 9. 2. *Cauſa filiarum Zelaphechadi. Num. XXXVI*, 10. Res duæ *majoris ponderis & momenti* erant. 1. *Cauſa blaſphemi. Lev. XXIV*, 14. 2. *Cauſa illius viri*, qui ligna legit Sabbatho. *Num. XV*, 35.

III. In omnibus his judiciis exſtat, *Dominus dicebat ad Moſen.* In cauſa prima, quæ minus momentoſa cenſetur, quod non agatur de vita & morte in ea, Moſes ſolenni modo populum conſiſtere jubet: *Ego audiam,*

audiam, quid mihi dicturus sit Dominus, inquiens. Nihilominus tamen *temeraria* quoque *procrastinatio* Judicem injustitiæ condemnat. Non ullum aliud crimen imputatur illi Judici injusto, cui vidua vix sententiam extorsit, quam *procrastinatio* & *dilatio*. *Luc. XVIII*, 4.

IV. II.) *Pars accusata* sistebatur *in loco eminentiori*, e quo & cerni & audiri a toto populo posset: *Collocate Nabothum* בְּרֹאשׁ הָעָם *in capite populi*. 1. *Reg. XXI*, 9. (2).

V. III.) *Judices* & *Testes*, lata sententia, condemnatorum capiti manus suas imponebant, dicentes: *Sanguis tuus super caput tuum* (3). DRUS. *præter. Matth. XXVII.* Huc respexit populus vociferans: *Sanguis ejus super nos & filios nostros. Matth. XXVII*, 25.

VI. IV.) *Locus executionis* erat *extra portas*. Damnati eo ducti sunt *a duobus executoribus*, quos Rabbini vocant חַזָּנֵי הַכְּנֶסֶת *Spectatores congregationis*. MOS. KOTS. *in Sanh.* item TALMUD. *lib. Maccoth. c.* 3. *in Mischna*. Quod nomen est periphrasis illius, quem Marcus *cap. VI*, 27. nominat Σπεκουλάτωρα (4); quæ vox, etsi eam adhibeant *Græci* & *Chaldaici* Interpretes, dicentes ספקולטוריא (Vid. UZIEL. & TARGUM HIEROSOL. *Gen. XXXIX.*) mere tamen Latina est, a *speculando* descendens, quia in judiciis *executores* tantum agunt *spectatores*, ad exspectandum mandatum *Judicum*.

VII. V.) Cum reus ad supplicium trahitur, præcedit הַקּוֹרֵא seu הַכָּרוֹז *Præco publicus*, clamans (5): *Hic vadit ad supplicium, quo subit hanc mortem, quia commisit hoc flagitium, hoc tempore, hoc loco, & N. N. sunt hujus rei testes; propterea si quis quid scit, quod huic prodesse possit, veniat & in medium proferat*. MOS. KOTS. *loc. cit.* Quo fine constitutus quispiam fuit in foribus *Consistorii*, manu tenens sudarium, aut vestem lineam, ut eam, si quis illius defensionem suscepturus esset, vibraret; quo viso, alius, non procul insidens equo, effuso cursu revocabat damnatum. Immo ubi reus habebat, quod in sui defensionem diceret, quater aut quinquies licebat reverti, nisi vana loqueretur; quare ut accuratius illius verba in via ponderarentur, duos ei adjunxerant ex *discipulis Sapientum*.

VIII. VI.) Admonebatur, ut daret *confessionem*, ne exsors foret futuri sæculi (6). Sic hortatus est *Josua Achanem. Jos. VII*, 19. *Fili mi, tribue nunc gloriam Jehovæ Deo Israelis, & da ei confessionem.* Cui respondit *Achan vers.* 20. *Sane peccavi Jehovæ Deo Israelis, & hoc & illud patravi.*

IX. VII.) Hora executionis dabant reo קוֹרֶט לְבוֹנָה בְּכוֹס שֶׁל יַיִן *granum thuris in calice vini*. MAIMON. *in Sanh. c.* 13. item MOS. KOTS. *in Sanh.* ut turbarent cerebrum rei, mentemque abalienarent, quominus cruciatum sentiret (7). *Marcus* hunc *calicem* vocat οἶνον ἐσμυρνισμένον, *vinum myrrhatum. Marc. XV*, 23. (8). Hoc factum est ex more Judæorum; sed milites illusuri admiscuerunt ὄξος μετὰ χολῆς, *acetum & fel. Matth. XXVII*, 34. Quemadmodum quoque addiderunt ad illusionem majorem secundum *calicem, cum spongiam* aceto

aceto impletam circumponerent calamo. Matth. XXVII, 48. *Marcus* primo *calice* morem Judæorum refert, qui speciem habet misericordiæ, fundaturque in illo *Prov. XXXI, 6. Date siceram pereunti. Matthæus* meminit saltem pravæ ipsorum commixtionis contrariæ sueto mori. Ita Evangelistæ se invicem explicant. Primus *calix* sic ordinarie ante executionem præbebatur, ut subinde *calix* in Sacra Scriptura sumatur pro ipsa morte. *Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Matth. XXVI, 39.*

X. VIII.) Tandem *arbor,* ex qua quis suspensus est, *lapis*, & *gladius*, quibus quis percussus, *linteum*, quo quis strangulatus, humo condebantur (9); ne eadem sinistram interfecti memoriam refoderent, neve dici posset, *hæc est illa arbor, hic est ille gladius, hic est ille lapis, hoc est illud linteum, quo hic confectus est.* CASAUB. *Exercit. p. 654. ex* MAIMON.

CAPUT VII.

DE POENIS ET SUPPLICIIS CAPITALIBUS.

Antiquis Judæis *quatuor* solummodo *mortis genera* in usu erant (1). PARAPHR. CHALD. *Ruth. I, 17.* MIKKOTSI *fol. 188. Col. 3.* Ut: I. סְקִילָה *Lapidatio.* II. שְׂרֵיפָה *Combustio.* III. הֲרִיגָה *Decollatio.* IV. חֶנֶק *Suffocatio.*

II. Ex his *suppliciis* gravissima fuit *lapidatio, combustio* gravior *decollatione, decollatio* gravior *suffocatione*, *suffocatio* vero omnium minima.

III. Canonem habuerunt, quod, ubi Sacra Scriptura loquatur de malefico, *morte plectetur*, nec exprimat mortis genus, intelligenda sit *strangulatio* כָּל מִיתָה אֲמוּרָה בַּתּוֹרָה סְתָם אֵין אֶלָּא חֶנֶק *omnis mors, quæ dicitur in Scriptura absolute, nonnisi strangulatio est*, R. SALOM. *Exod. XXI, 16.* e. g. Lex dicit de *adultero Levit. XX, 10. morte plectetur*; quia autem genus mortis non exprimitur, *strangulatio* intelligitur.

IV. Ratio hujus regulæ est, quia *strangulatio* erat *supplicium* minimum ex illis quatuor, & ubi Lex mortem non exprimit, ibi ajunt, *ampliandi favores;* h. e. facienda interpretatio æqua.

V. Regula illa generalis non est, siquidem antiquis temporibus adulterium *lapidatione* expiabatur. *Judicabo te judiciis adulterarum*, dicit Dominus. *Ezech. XVI, 38.* & illud judicium vers. 40. exprimitur: *obruent te lapidibus.* Pariter Pharisæi dicebant Christo: *Moses præcepit nobis in Lege, ut tales lapidentur. Joh. VIII, 5.*

VI. Priusquam specialiter agamus de his quatuor *suppliciis*, quæritur: *Num Judæis tempore eo, quo crucifigebant Salvatorem nostrum, fuerit permissum jus vitæ & necis* (2)? Judæi dicebant Pilato *Joh. XVIII, 31. nobis non licet occidere quemquam.* Et recentiores Judæi fatentur, sibi omnia *judicia*

dicia capitalia 40 annis ante destructionem Templi ademta fuisse. MOS. KOTS. *in Sanh.*

VII. Resp. Primo, sermo Judæorum ad Pilatum, quod ipsis non liceret occidere quemquam, non intelligi potest ita, ac si dixisset: Non habemus jus vitæ & necis in quemquam. Nam, posito, ipsis in genere fuisse ademta *judicia capitalia*, attamen in hoc singulari casu concessa ipsis erat pro præsenti potestas a Pilato: *Accipite eum vos, & secundum legem vestram judicate. Johan. XVIII*, 31. Nihilominus tamen etiam dici nequit, quod sua lege ipsum non potuerint damnare, si fuisset transgressor legis; aut quod ex sua lege non habuerint, quod objicerent. dicunt enim: *Nos habemus legem, & secundum legem nostram debet mori.*

VIII. Non ergo deerat ipsis potestas, sed temporis sanctitas jubebat ipsos dicere: *non licet nobis*. Ducebant enim illicitum esse, diebus τῆς παρασκευῆς considere, & judicare causas capitales, quemadmodum demonstratum est *Cap. de Transposit. Festor.* At die *Veneris*, quo noster Salvator in crucem actus est, erat *parasceve Sabbathi*.

IX. Secundo, in quæstione, num *judicia capitalia* ipsis fuerint ademta a Romanis, distinguenda sunt crimina. Quædam *maleficia* arietabant legem Romanam, ut *furtum, cædes, rapina*, &c. Hæc judicandi facultas ipsis erepta erat. Alia autem *maleficia* erant contra legem Mosis, ut *blasphematio* &c. quæ judicare ipsis licebat. Paulo a Judæis ad Gallionem ducto, respondit Gallio *Actor. XIII*, 14, 15. Ἐι μὲν ἀδίκημά τι ἢ ῥαδιούργημα πονηρὸν ἦν, ὦ Ἰουδαῖοι, κατὰ λόγον ἠνεσχόμην ὑμῶν· εἰ δὲ ζήτημά ἐστι περὶ λόγου, καὶ ὀνομάτων, καὶ νόμου τοῦ καθ' ὑμᾶς, ὄψεσθε αὐτοί. *Si qua injuria aut facinus malum esset, o Judæi, quantum ferret ratio, vos tolerarem; quum autem sit quæstio de sermone, ac nominibus, & lege vestrate, ipsi videritis.*

X. In tractatione horum quatuor *suppliciorum*, notandi sunt *Malefici*, quos Judæi alicui adjudicant *supplicio*, & deinde *Modus Suppliciorum*. Homines *lapidandi* erant numero octodecim. MOSES KOTS. *fol.* 188. *col.* 4. 1. *Qui concumbit cum matre.* 2. *Aut cum patris uxore.* 3. *Qui rem habet cum nuru.* 4. *Aut cum puella desponsa.* 5. *Aut cum mare.* 6. *Aut cum jumento.* 7. *Mulier, quæ jumentum admittit.* 8. *Blasphemus.* 9. *Idololatra.* 10. *Qui dederit ex semine suo Molecho.* 11. *Pythomantis.* 12. *Hariolus.* 13. *Qui palam ad apostasiam impellit.* 14. *Qui clam ad apostasiam incitat.* 15. *Magus.* 16. *Profanator Sabbathi.* 17. *Qui maledicit patri, itemque matri suæ.* 18. *Filius contumax & rebellis.*

XI. *Modus lapidationis* ita habuit (3). Maleficus ducebatur ad locum extra portam, qui altus erat geminam hominis longitudinem, ex quo revinctis manibus ab altero testium detrusus est, ut in lumbos caderet. Hoc casu si mortuus non esset, testes levarunt lapidem, parem robori duorum virorum, quem testium alter in pectus immisit. Si nec hoc ictu confectus esset, a toto Israele lapidibus obruebatur. *Manus testium primo in illum sit, ad ipsum interficiendum, & manus totius populi deinceps. Deut. XVII*, 7.

XII. Hinc sententia R. AKIBAE in genere recepta est, quod ejusmodi idololatra (item alii neci addicti) custoditus fuerit ad festum aliquod commune, quo Hierosolymæ tota Israelis multitudo confluereret. P. FAGIUS, *Deut. XVII*, 7. Homo hoc *supplicio* affectus & interfectus, ad augendam ignominiam ex arbore suspensus est (4) usque ad occasum Solis, quo tempore & is & arbor humati sunt.

XIII. Malefici *combustioni* destinati decem erant (5). MOS. KOTS. *loc.cit.* 1. *Filia Sacerdotis scortata.* 2. *Qui init filiam suam.* 3. *Aut filiam filiæ.* 4. *Aut filiam filii.* 5. *Aut filiam uxoris suæ.* 6. *Aut filiam filii ejus.* 7. *Aut filiam filiæ ejus seu neptem.* 8. *Aut socrum suum.* 9. *Ejusve matrem.* 10. *Vt & matrem soceri.*

XIV. *Modus combustionis* fuit duplex (6). Quosdam *comburebant* ligno & fasciculis. Hoc vocabatur *combustio corporis.* R. LEVI. *Lev. X.* Alios *comburebant* liquato plumbo ori illorum infuso, quod in viscera descendens ipsos enecabat, corpore integro manente; quare dicebatur *combustio animæ.* Posterior modus usitatissimus fuit, & a multis ipsorum scriptoribus solus memoratur.

XV. Malefici *decollandi* duum generum erant. MOS. KOTS. *in Sanh.* 1. *Homicidæ.* 2. *Incolæ urbis ad idololatriam prolapsæ.* Hujus *decollationis modus* (7) hodie est in usu.

XVI. Malefici *strangulandi* sex erant. 1. *Qui patrem matremve pulsaverat.* 2. *Qui animam ex Israele furatus fuerat.* 3. *Presbyter edicto Senatus seu Consistorii obnitens.* 4. *Mendax vates, & qui vaticinatur in nomine idoli.* 5. *Qui cum alterius uxore concumbit.* 6. *Qui cum filia Sacerdotis rem habet.*

XVII. *Modus strangulationis* ita fuit (8). Damnatus fimo immergitur usque ad genua, linteumque collo ejus circumdatum, a duobus executoribus hinc inde in diversa tamdiu trahitur, usque dum exanimatur.

CAPUT VIII.

DE POENIS NON CAPITALIBUS.

Minores seu *non capitales pœnæ* Judæis usitatæ præprimis quatuor fuerunt. 1. *Captivatio.* 2. *Restitutio.* 3. *Talio.* 4. *Flagellatio.*

II. 1. *Captivatio.* Sub ea comprehenduntur *carcer, ejusque catastæ, vincula, compedes, manicæ* &c. (1). Quæ *pœnarum* genera, quum parum aut nihil differant ab iis, quæ apud nos hodie in usu sunt, explicatione non indigent.

III. Δεσμοφύλακες, *carcerum custodes,* cum quis custodia ipsorum elaberetur, eadem,

dem, qua afficiendi fuerant elapsi, tenebantur pœna (2). Hoc colligitur ex 1 *Reg. XX*, 39. *Custodi virum istum, si desiderando desiderabitur, anima tua loco animæ ipsius erit.* Quod attinet *liberam custodiam* (3), quam DRVSIVS *Præt.* 2 *Tim. I*, 18. probat Romanis in usu fuisse, dubito valde, num illa apud Judæos valuerit.

IV. Quod ejusmodi *captivi* Romæ interdiu exiverint ad opera sua, non adeo duris compedibus onusti, & sic vespera ad ergastulum redierint, alibi a me annotatum est. *Et eadem catena & custodiam & militem copulat.* Vbi nota, quod *custodia captivum, miles custodem* significet, & quod DRVSIVS exprimat sensum SENECAE, non verba, quando dicit: *Eadem catena tam reum quam militem tenet* (4). SENEC. *Epist.* 5. non *in libr. de Tranqu. c.* 10. quemadmodum citatur a DRVSIO.

V. Porro nota, quod *captivi* dextra alligata fuerit *custodis* sinistræ, quia dextra fortior est, & jure libera esse debet potius *custodi*, quam *custodiæ*. Hinc illud: *Tu forte leviorem in sinistra putas catenam.* SENEC. *de Tranqu. cap.* 10. *Custos* enim se ipsum eadem catena sponte ligat, non pœnæ ratione, sed ut eo tutior custodia *captivi* sit.

VI. 2. *Restitutio* (5). Ea mandata est, ubi opes erant *injuste acquisitæ, aut per nefas retentæ. Exod. XXII.* Fuitque triplex. 1. *Secundum idem*, quando eadem res reddebatur, quæ per nefas erat acquisita. 2. *Secundum æquale*, quando tantumdem reddebatur, opibus illis, quæ per nefas erant acquisitæ, venditis, aut amissis. 3. *Secundum possibile*, cum reddebatur, pro facultatibus viri, qui nequibat omnia restituere. THOM. AQVIN. *secund. sec. quæst.* 62.

VII. *Restitutio secundum idem* præprimis præcepta fuit. Hinc, si furtum, sive id bos, sive ovis fuisset, vivum apud aliquem repertum esset, *duplo* tantum rependebat. *Exod. XXII*, 4. Si autem idem vel mactatum vel venundatum esset, tum *quinque juvenci pro uno bove* reddebantur, & *quatuor oves pro parva pecude una.* vers. 1.

VIII. Judæi hac in parte tam accurati erant, & ἀκριβῶς agebant, ut, si quis trabe vel alio ligno per nefas acquisito suam domum struxerat, domum demoliri, eamdemque trabem & lignum domino proprio restituere non dubitarint. DAV. KIMCHI. Huic fere convenit *Habacuc, cap. II*, 11. (6). *Lapis e pariete clamabit, & trabs e ligno respondebit illis.* Inter Judæos ille, qui non sufficiebat reddendo, erat vendendus. *Exod. XXII*, 3. Et AVGVSTINVS *Epist.* 54. de Christianis ait: *Non remittetur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

IX. 3. *Talio.* Erat ea *æqualis retributio* (7). *Dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu, pedem pro pede. Deut. XIX*, 21. *Talio* autem duplex est. *Talio identitatis*, seu *Pythagorica*, quæ erat secundum literam legis, cum *maleficus* mulctabatur *oculo*, quia alii *oculum* eruerat. Deinde *Talio similitudinis* seu *analogica*, ut, si pretium *oculi*, aut alia mulcta æqua, pro *oculo* eruto, aut pro alio membro læso reddebatur. Hebræis placet *Talio similitudinis* (8), non *Talio identitatis*, exponentes *oculum pro oculo*, id est, *pre-*

tium oculi. TARGVM IONATH. *Deut. XIX,* 21. item R. SELOM. *ibid.*

X. Quia *talio identitatis* in aliquibus casibus impossibilis est; ut, si cœcus erueret alii oculos, aut edentulus excuteret alii dentes: propterea in casibus corporalis læsionis Magistri Hebræorum statuunt, *partem ream* teneri *satisfactione quintuplici.* Vid. MVNSTER. *Exod. XXI.* 1. *Pro damno amissi membri.* 2. *Pro damno neglecti laboris.* 3. *Pro dolore & molestia,* quæ evenerunt ex vulnere. 4. *Pro sumtibus & expensis in sanatione.* 5. *Pro ignominiæ & deformationis nota.* MVNSTERVS hæc quinque ita transfert: vid. *Exod. XXI. Damnum, læsio, dolor, medicina, confusio.* Romanorum quoque legibus Jus *Talionis* exstabat, relicta tamen malefico libertate, utrum mallet rependere mulctam æqualem, an itidem membrum sibi per *talionem* rumpi. Vid. A. GELL. *lib.* 20. *cap.* 1.

XI. 4. *Flagellatio.* Eadem duplex fuit; aut fiebat *virgis,* aut *flagellis* (9). posterior priore gravior est, uti patet ex illo dicterio: *Porcia Lex virgas ab omnium civium corpore amovit, hic misericors flagella retulit.* CICER. *pro Rabirio.* Vtraque Romanis usitata fuit, posterior sola Hebræis. Hæc *flagellatio* mandata est *Deut. XXV,* 2. 3. Vbi determinatur ictuum numerus, quem transcendere Judici non licuit. *Quadragenis plagis flagellandum eum curabit, non addet.*

XII. Judæi multis in rebus studebant sanctiores esse, quam Lex ipsis videbatur exigere. e. g. Deus præcepit *Sabbathum;* illi addiderunt *Sabbathulum,* h. e. orsi sunt suum *Sabbathum* una hora prius, & claudebant una hora tardius, quam Lex jubebat. Deus ipsis vetuit vesci idolothytis, idolorumque libamina bibere; illi vetuerunt omnem prorsus compotationem cum gentibus, quoniam incertum sit, utrum idolis consecratum fuerit, an non. THISBITES *in* נסך. Deus ipsos jubet tempore Paschatis *fermentum ædibus expurgare;* sed illi toto festo illius nomen ore proferre metuebant. THISBIT. *in* דבר. Deus ipsis prohibet *suillam;* verum illi horrent porci nomen appellare, vocantque suem דָּבָר אַחֵר *rem aliam.* ELIAS THISB. *ibid.* Simili modo Deus jubet insignes *maleficos,* verberibus dignos, 40 plagis cædi; at illi in extrema *flagellatione* tantum 39 impegerunt (10). *A Judæis quinquies quadragenas plagas accepi, una minus.* 2 *Cor. XI,* 24.

XIII. Propterea *flagellum* habebat tria lora, ita ut singulis ictibus trifariam cæderetur. Vnde in severissima *flagellatione* tantum 13 ictus inflicti sunt, h. e. *quadraginta minus una plaga.* Vtrum autem unum ex his loris fuerit bubulum, & ambo reliqua ex pelle asinina confecta: (TALMVD. *lib. Maccoth. c.* 3. *in Mischn*) aut an vitulina singula tria fuerint: non facit ad rem. quævis sententia suos habet statuminatores. BAAL TVRIM. Vid. DRVS. 2 *Cor. XI,* 24.

XIV. *Modus flagellationis* ita habuit. Sontis ambæ manus adstringebantur ad palum, unum & dimidium cubitum altum, super quo corpus inclinabat. *Prosternet eum Judex. Deut. XXV,* 2. *Palus,* super quo sons inclinabatur, vocatur עמוד *columna.* Vestis ipsius ad lumbos detrahe-

batur

batur vi, sive ea rumperetur, sive diffueretur. TALMVD. *ibid.* Στρατηγοὶ, περιῤῥήξαντες τὰ ἱμάτια Παύλου καὶ Σίλα, ἐκέλευον ῥαβδίζειν, *Duces, dissutis Pauli & Silæ vestibus, jusserunt ipsos cædi. Act. XVI*, 22.

XV. Vt lictor infligeret æquum numerum plagarum ratione delicti, *flagellatio fiebat in oculis Judicis. Judex eum curabit cædendum coram facie sua. Deut. XXV*, 2. Judex, qui inter tres illos præstabat, sonantibus flagris, legebat aut recitabat illud *Deut. XXVIII*, 58. *Si non observaveris, ut facias omnia verba legis hujus, mirabiles faciet Dominus plagas tuas* &c. TALMVD. *ibid.* Alter Judicum numerabat plagas; Tertius jubebat lictorem ferire. Primus Judicum finiebat, dicens: *Et ipse misericors expiabit iniquitatem. Ps. LXXVIII*, 38.

XVI. Subinde, ut exacerbarent plagas insignium nebulonum, certos plumbi bolos, aut rigidas spinas lororum extremitatibus annectebant. Hanc *flagellationem* Græci vocarunt μάστιγας ἀστραγαλωτάς, *flagra taxillata.* EVSTATHIVS. item ATHENAEVS *lib.* 4. In Scriptura dicuntur עַקְרַבִּים *scorpiones* (11). *Pater meus vos castigavit scuticis, ego vero vos castigabo scorpionibus.* 1 *Reg. XII*, 11. THOLOSAN. *Synt. Jur. Univers. lib.* 31.

CAPVT IX.

DE SVPPLICIIS AB ALIIS NATIONIBVS ADSCITIS.

Suppliciorum ab aliis gentibus adscitorum *sex* præprimis fuerunt. 1. *Crux.* 2. *Serræ dissectio.* 3. *Damnatio ad bestias.* 4. Τροχὸς, *Rota.* 5. Καταποντισμὸς, *Submersio in mari.* 6. Τυμπανισμὸς, *Fustuarium. Primum* & *ultimum supplicium* propria Romanis erant (1). *Secundum* quoque Romanis usitatum fuit, num autem ab iis adscitum sit, dubitatur. *Quartum* & *sextum* Græcorum erant. *Quintum,* quoad substantiam, Romanis, Græcis, & Hebræis in usu fuit, differt tamen apud singulos, *modo submergendi.* Necesse est de singulis aliquid delibasse.

II. I.) *Crux.* Hæc vox sæpius tribuitur *arbori*, seu *palo simplici* (2), *quo homo exanimatus est.* Magis tamen proprie tribuitur *ligno duplici præparato*, & *in crucis formam connexo.* Prior *crux* vocatur *crux simplex*, posterior *crux compacta.* Posterior rursus est triplex (3): 1. *decussata.* 2. *commissa.* 3. *immissa.*

III. *Crux decussata* (4) componebatur ex duobus lignis æqualibus, in medio sui transverse invicem junctis, forma τοῦ X Romani. Et hinc vocatur *decussata. Decussare enim est per medium secare, veluti si duæ regulæ concurrant ad speciem literæ X, quæ figura crucis est.* HIERON. *in Jer. XXXI.* Hæc *crucis* species vulgo dicitur *crux Andreana*, quia is tali cruce suspensus esse proditur.

IV.

IV. *Crux commiſſa* (5) eſt, ubi lignum rectum commiſſum eſt mediæ antennæ ſeu ligno transverſo, quod paulo brevius erat ligno recto, forma Romani T, vocaturque *crux Antoniana*, quia ſæpius cum ejusmodi cruce pingitur.

V. *Crux immiſſa* erat ex ligno transverſo breviori, quod tranſibat rectum palum, non plane in medio, ut *crux decuſſata*, nec plane in vertice, uti *crux commiſſa*, ſed paulo demiſſius, hac forma ✝. Hæc putatur fuiſſe *crux Chriſti, ex qua pependit benedictus Salvator noſter* (6). LIPSIUS *de cruce lib.* I. *c.* 10.

VI. Circumſtantiæ, quibus in crucifixione Romani utebantur, hæ erant. Primo, *cædebant* ſontem (7), & ſubinde ipſum columnæ alligabant, cum cæderent. IOSEPH. *Excid. lib.* 7. *c.* 32. PHILO *contra Flaccum.* item LIVIUS *lib.* I. ARTEMIDORUS clarus eſt hac in re: προσδεθεὶς κίονι πολλὰς ἔλλαβε πληγάς, *alligatus columnæ multas accepit plagas.* PLAUTUS *in Bacch.* videtur huc reſpexiſſe. *Abducite hunc intro, atque adſtringite ad columnam fortiter.* Patres antiqui produnt noſtrum Salvatorem ita alligatum columnæ cæſum fuiſſe. PRUDENT. HIERON. BEDA. Vid. LIPSIUM *de cruce lib.* 2. *c.* 4. Scriptura utrumque tacet, nempe locum & modum *flagellationis;* in genere tantum dicitur, quod ſit cæſus: τὸν Ἰησοῦν φραγελλώσας, *poſtquam flagellaſſet Jeſum, tradidit ipſum ut crucifigeretur. Matth. XXVII,* 26. Secundo, injiciebant humeris illius *crucem* portandam (8). *Malefici cum ad ſupplicium educuntur, quisque ſuam effert crucem.* PLUTARCH. *de ſera Num. vind. Sic Jeſus ſuam tulit. Joh. XIX,* 17. Huc reſpicitur *Matth. X,* 38. *Qui non ſuſcipit crucem ſuam & ſequitur me, non eſt me dignus.* Tertio, ut pateret æquitas judicii & condemnationis, cauſa ejus tabulæ inſcripta & ante ſontem prælata eſt, aut alias per Præconem vulgata. EUSEB. *Hiſt. Eccl. l.* 5. *c.* 1. SUETON. *in Domit. c.* 10. Hæc inſcripta cauſa plerumque a Romanis vocatur *Titulus*, aut *Elogium* (9). TERTULL. *Apol. c.* 2. SUETON. *in Calig. c.* 27. Sic *Pilatus* ſcripſit τίτλον ſeu τὴν ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας literis Græcis, Romanis, & Hebræis; Οὗτός ἐστιν ὁ βασιλεὺς τῶν Ἰουδαίων. Quarto, crucifigendos veſtibus nudarunt; Sic *Chriſtus paſſus eſt nudus* (10). ARTEMIDOR. *l.* 2. *c.* 58.

VII. II.) *Serræ diſſectio* (11). A capite ad calcem hominem medium diſſecuerunt. Hoc ſupplicii genere utebantur Romani. SUETON. *in Calig. c.* 27. & Hebræi. Hac pœna Menaſſes Prophetam Eſaiam affeciſſe creditur; eoque reſpexiſſe Paulus *Hebr. XI,* 37. ἐπρίσθησαν, *diſſecti ſunt.*

VIII. III.) *Damnatio ad beſtias* (12). Ii, qui damnati erant ad beſtias, vocabantur *Beſtiarii* (13). Utrum *Paulus* juxta literam *cum beſtiis depugnarit Epheſi* 1 *Cor. XV,* 32. (14) depugnatur a doctis. Quibusdam per *beſtias, Demetrium*, aliosque, qui ipſi Epheſi obſtiterant, intelligentibus, ut THEOPHYLACT. & ANSELMO. Aliis veriſimilius *beſtias literaliter* accipientibus, ut CHRYSOST. AMBROS. aliisque. Hocce ſupplicium plerumque Chriſtianos in primitiva Eccleſia exercuit (15). Hinc illa Gen-

Gentilium in Christianos, quibus omnis mali publici causam imputabant, leonina vox: *Christianos ad Leones.* TERTVLL. *Apol. c.* 40. Accedit, quod literalis expositio validius argumentum præbeat pro resurrectione mortuorum, quæ est scopus textus, quam si verba interpretemur de pugna impropria adversus Evangelii annunciati hostes.

IX. IV.) Τροχὸς, *Rota. Rex sapiens reducit super improbos* אֹופָן *rotam. Proverb. XX,* 26. (16). Puto, quod verba hæc non importent plus, quam hoc: quod, *quemadmodum rota circumagitur, ita a prudenti Rege malitia improborum revolvatur in caput ipsorum.* Quod hic intelligenda sit contritio improborum sub rota currus, quemadmodum ruricola quædam frumenta trochlea commolit; somnium Interpretum est: quum nulla monumenta prodant ejusmodi pœnam Judæis fuisse usitatam. Apud Græcos hoc supplicii genus (17) in usu fuit, vocatumque est τροχὸς, non, quod trochlea transierit maleficos, sed quod illos radio rotæ alligatos tantopere cæciderint, quoad confessionem extorquerent. Ἐπὶ τῶ τροχῶ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος, *Rota nimirum trahebatur is, qui flagellabatur.* ARISTOPH. *in Iren.* De eadem pœna loquuntur DEMOSTHEN. 3. *in Aphob.* & SVIDAS.

X. V.) Καταποντισμὸς, *Submersio in ponto* (18), multos apud populos usitata fuit, diverso tamen modo. Romani parricidam culeo insutum cum *cane*, *gallo gallinaceo*, *vipera*, *&* *simia* in mare abjecerunt. SENEC. *lib.* 5. *Controv.* 4. IVVEN. *Sat.* 8. *vers.* 212. MODEST. *Digest. l.* 48. *ad legem Pomp. de parricid.* Vid. COEL. RHOD. *lib.* 11. *cap.* 12. Græci maleficum ad pontum damnatum *plumbo* involverunt. ATHENAEVS *l.* 14. Hebræi lapidem molarem collo damnati appendebant. Hoc respectu illi intelligendi, qui statuunt alias, hoc supplicii genus, καταποντισμὸν scilicet, Judæorum fuisse proprium. HIERON. *Matth. XVIII,* 6.


XI. VI.) Τυμπανισμὸς (19). Generali voce *Distentionis* exponitur. *Hebr. XI,* 35. 2 *Macc. VI,* 19. Verumtamen ea vox notat *peculiarem distentionis torturæque speciem,* nimirum *fustibus examinari & corripi.* Deducitur a vocabulo τύμπανον, quod plerumque significat instrumentum bellicum sonans. Hinc quidam hanc pœnam compararunt Romanorum *equuleo,* quasi tortus homo distenderetur veluti tympani pellis. MAGIVS *lib. de equuleo.* Vid. DRVS. *præt. lib.* 8. Sed τύμπανον, non tantum ipsum instrumentum cavum, verum etiam bacillos denotat, quibus id pulsatur. Et hinc hæcce pœna dicitur Τυμπανισμὸς, quando quis stipitibus ita pulsatus est, ut spiritus illius velut tympani malleis expelleretur. SCHOLIAST. ARISTOPH. τύμπανα, scribit esse ξύλα, οἷς τύπτονται ἐν τοῖς δικαστηρίοις οἱ τιμωρούμενοι, *ligna, quibus feriuntur in dicasteriis illi, qui supplicio afficiuntur.* in *Pluto pag.* 50. Res clara est in *Eleazaro: Is sponte prodiit* ἐπὶ

τὸ

τὸ τύμπανον, *ad genus hujus supplicii*, 2 *Macc. VI*, 19. & *vers.* 30. nulla distentionis mentio, sed solis fustibus ei anima expulsa esse dicitur. IVNIVS *Jer. XXIX*, 26. aliam adfert supplicii speciem, quam Hebræi vocarint צינוק (20); quam vocem ait esse compositam. Sine dubio eam componit ex צי, *navis*, *rates*, & ינק *sugere;* dicit enim ea voce significari certum supplicium, quod appellent *Naviculam sugentis.* Describit id supplicium PLVTARCHVS *in Artaxerxe* sequenti modo: *Fuisse*, ait, *carceris quoddam genus*, *quo duæ scaphæ*, *pari commensu sibi respondentes*, *ita compingerentur*, *ut hominis corpus illis inditum quasi in vagina esset*, *cui præbitum fuerit mel temperatum lacte*, *ac invito etiam in os infusum*, *unde viveret* &c. Et ab hac suctione mellis & lactis, pœna hæc dicta est *Navicula sugentis.* Hebræi vero dicunt, quod *Tsinok* fuerit כְּלִי מְסַגֵּר לְיָדַיִם *Instrumentum constringens manus.* D. KIMCHI *Jer. XXIX*, 26. Lectori libertatem relinquo eligendi, quam velit, interpretationem.



MOSES



MOSES ET AARON.

LIBER VI.

DE RITIBVS MIXTIS.

CAPVT I.

DE CIRCVMCISIONE.

Duo *Sacramenta* (1) ipsis fuerunt. 1. *Pascha*, de quo peculiari capite egimus. 2. *Circumcisio*, de qua nunc.

II. *Circumcisio* erat *abscissio præputii*, *signum* atque *sigillum* fœderis (2), quod Deus cum populo Judaico pepigit. *Signum* vocatur a Deo in prima institutione *Gen. XVII.* Et *sigillum* ab Apostolo *Rom. IV*, 11. Immo vocatur & *signum* & *sigillum* a Doctore Hebræo, qui vetustate sua ipsum Talmud anteit. *Zohar. Gen. XVII.*

III. *Circumcisio* multis gentibus, etsi non tanquam *Sacramentum*, usurpabatur (3), ut Colchis, Aegyptiis, Aethiopibus, Trogloditis. ALEX. AB ALEX. *l.* 2. *c.* 25. DIOD. SICVL. *l.* 2. *cap.* 1. item *lib.* 4. *cap.* 3.

IV. Legimus in Scriptura de tribus aliis *circumcisionis* speciebus in sensu figurato, quibus hic ritus sacramentalis respicitur, sic ut quatuor *circumcisiones* memorentur. 1. *carnis*. 2. *cordis*. 3. *labiorum*. 4. *aurium* (4).

V. Observabimus *circumcisionem* in propria sua appellatione, attendentes, 1. *Tempus*, quando peracta sit. 2. *Modum*, quomodo. 3. *Pœnam* neglectus.

VI. *Tempus* erat *dies octavus* (5), qui ita accurate observatus est, ut, licet cum

Sabbatho coincideret (6), nihilominus eo infans *circumcideretur*. Hinc illud: *Circumcisio pellit Sabbathum.* Huic respondet illud Salvatoris nostri: *Et in Sabbatho circumciditis hominem. Joh. VII*, 22.

VII. Judæi superstitiose somniant, perfectionem creaturæ pendere ex sanctificatione Sabbathi ad minimum unius, dicentes, Deum propterea præcepisse diem octavum, ut prius Sabbathum quemvis transiret, quam hoc Sacramento insigniretur. Sed nos probabilius statuimus, rationes, cur Deus noluerit anticipari diem octavum (7), has fuisse: 1) Ad docendum, Deum in opere salutis nec fuisse nec esse simpliciter adstrictum Sacramentis, alias non fuisset minor crudelitas in prohibendo anticipationem diei octavi, quam bonitas in concedendo octavum. 2) Quia, tempore pædagogiæ Mosaicæ, legalis impuritatis species fuit, qua creaturæ censebantur esse in suo sanguine septem a partu dies. *Levit. XII*, 2, 3. & 22, 27. Deus etiam noluit differri longius *circumcisionem* octo diebus, ad consolationem parentum, qua perfundebantur, quando infantes suos matura idoneaque initiatione fœderatos cernebant.

VIII. *Modus circumcidendi* (8) ita se habere legitur: Quidam præsentium tenent scutellam arena plenam (9), in quam præputium abscissum projiciunt. P. FAGIUS *Deut. X.* Rursus, ponunt ibi loci sellam otiosam pro *Elia* (10). CHRIST. CAST. *in Mal. III.* quod fit partim in honorem illius; unde, quoties incidunt in difficiliorem Scripturæ locum, dicunt: *Veniet Elias & omnia enodabit* (11). MERCERUS *in abbreviat.* הִיקר. Sed præprimis fit, quod putent *Eliam* spiritu præsentem esse, cujus corporalem adventum quotidie exspectent. Hæ cerimoniæ pure Judaicæ sunt, a recentioribus Rabbinis confictæ, & Salvatoris nostri tempore penitus ignotæ. Et, ut patet ex verbis Samaritanæ, illud dictum hodie Eliæ, applicatum, olim Christo tribuebatur, *Joh. IV*, 25. ὅταν ἔλθῃ Χριστὸς, ἀναγγελεῖ ἡμῖν πάντα.

IX. Tertio, is, qui *testis* seu *susceptor* aut *compater* est (12), ulnis tenet puerulum, dum *circumciditur*. Hunc *susceptorem* vocant *Baal-berith & Sandak*, h. e. *Dominum fœderis.* נוֹהֲגִין לִקְרוֹא שֶׁמַּחֲזִיק בֶּן חֲבֵרוֹ לְמוֹלוֹ סַנְדָק וּבַעַל בְּרִית *Solebant vocare eum, qui tenet filium socii sui, ut circumcidatur iste, Sandak & Baal-berith.* ELIAS THISBIT. in סַנְדָק. *Vria* Sacerdos, & *Zacharias* filius *Jeberechiæ* creduntur fuisse *susceptores* in *circumcisione Maher-Schalal-Chashbazi. Jes. VIII*, 2. IUN. & TREM. *Jes. VIII*, 2. Hinc manavit mos *susceptores* instituendi in baptismate (13).

X. Quarto, parentes dant infantibus suis sua nomina (14). Tempore Zachariæ videtur; quod nomen puerulo a majoribus adsciscere voluerint. *Et dixerunt ad illam; Nemo est in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine. Luc. I*, 61.

XI. Aliis populis sui quoque fuere stati dies post nativitatem, quibus nomina infantibus imponebant. Romani suis puerulis nono die, puellis octavo, dederunt nomina. PLUTARCH. *prob.* 10. MACROB. *Saturn. l.* 1. *c.* 16. Athenienses insigniverunt ipsos nominibus decimo. COEL. RHODIG. *l.* 21. *c.* 12. Alii septimo. ARIST. *Hist. Animal.*

mal. l. 7. c. 12. Hos dies vocat TERTULLIANUS *de Idol. c.* 16, *Nominalia.*

XII. Græci, præter diem decimum, quo nomen infanti impertiti ſunt, quintum etiam obſervarunt, quo obſtetrices accepto infante properarunt ad ignem, in hunc finem ſuſcitatum, ut hac cerimonia & ſe & infantem luſtrarent. SCHOLIAST. ARISTOPHAN. *p.* 886. item SUIDAS *in* ἀμφιδρόμια. Hoc die proximi dona ſubmiſerunt, ſeu *munera natalitia;* a quo ritu profectum putatur, quod inter Chriſtianos *ſuſceptores* infanti tincto munuſcula præbeant. STUK. *de Conviv. l.* 1. *c.* 16. Sed redeamus ad cerimonias Judæorum (15).

XIII. *Circumciſo* infante, in hæc erumpit pater: בָּרוּךְ אַתָּה יְהוָה אֱלוֹהֵינוּ מֶלֶךְ הָעוֹלָם אֲשֶׁר קִדְּשָׁנוּ בְּמִצְוֹתֶיךָ וְצִוִּיתָנוּ לְהַכְנִיסוֹ בִּבְרִית שֶׁל אַבְרָהָם אָבִינוּ *Benedictus ſis tu Domine Deus noſter, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti, ut colligatur hic infans in fœdus Abrahami patris noſtri.* MOS. KOTS. *in Tract. circumciſ. fol.* 115. Quem univerſa circumſtantium Judæorum caterva ita excipit: כְּשֵׁם שֶׁהִכְנַסְתּוֹ לִבְּרִית כֵּן תַּכְנִיסֵהוּ לְתוֹרָה וְלְחוּפָּה וּלְמַעֲשִׂים טוֹבִים *Sicut eum feciſti ingredi in fœdus, ita facias eum ingredi in legem, thalamum, & opera bona.* MOS. KOTS. *ibid.*

XIV. *Pœna* neglectus hæc eſt: *Ea anima exſcindetur ex populo ſuo* (16). *Gen. XVII,* 14. Exiſtimo hanc pœnam tali irrogandam, qui *circumciſionem* aut *contemſerit* aut *proterve neglexerit.* Hoc ſenſu quæritur, 1. quid ſignificetur hoc loquendi modo *anima illa exſcindetur e populo ſuo?* 2. quis ita puniendus fuerit? *puerulus, an parentes, & qui parentum loco ſunt?*

XV. Reſp. Quantum attinet primam quæſtionem, putem, quod, præter occultum Dei adverſus hos delinquentes judicium, Eccleſia erudiatur, quo pacto in ſua diſciplina adverſus hujusmodi improbos procedere poſſit. Si quis per *animæ exciſionem* intelligat *excommunicationem* aut *ejectionem ex Synagoga,* non movebo litem; licet plus ipſorum ſententiæ accedam, qui per eam intelligunt *mortem corporalem* θεήλατον tali homini immiſſam: quo ſenſu illud capitur *Exod. XXXI,* 14. *Quicumque Sabbatho fecerit ullum opus, anima illa exſcindetur ex medio populi ſui.*

XVI. Obſervatu dignum eſt, quod, cum Moſis filius *incircumciſus* eſſet, *Deus Moſen quæſiverit interficere, Exod. IV,* 24. Hoc quemadmodum oſtendit pœnam hanc fuiſſe *mortem corporalem;* ita evincit, quod non infans, usque dum attigiſſet annos diſcretionis, ſed parentes, pœnæ obnoxii fuerint (17). Sententia Rabbinorum circa hoc punctum hæc proditur: *Si pater ipſum non circumcidat, incumbit Judicibus eum circumcidere, & ſi ipſos Judices res lateat, & ipſum non circumcidant, ubi adultus factus eſt, tenetur ſe ipſum circumcidere; ſingulis diebus, qui ipſum tranſeunt adultum, & quibus ſe ipſum non circumcidit, ecce transgreditur præceptum.* MOS. KOTSEN. *Tract. circumciſ. fol.* 114. *Col.* 4.

XVII. Hic quæri poſſet, quomodo poſſibile fuerit, ut quis ſemel inſignitus *circumciſionis* charactere & nota, iſtam notam obli-

obliterare & rurſus evadere præputiatus potuerit? h. e. præputium reducere? quemadmodum multi Judæorum metu Antiochi *ſibi fecerunt præputia.* 1 *Macc. I*, 16. Alii ex pudore, poſtquam Chriſto fideique Chriſtianæ manus dederant, *ſibi præputium arceſſebant.* 1 *Cor. VII*, 18. (18).

XVIII. Reſpondetur, quod hoc factum ſit *attrahendo præputium* inſtrumento aliquo Chirurgi. EPIPHAN. *lib. de menſ. & pond. p.* 415. item CELSVS *l.* 7. *c.* 25. Huc reſpicit PAVLVS *l. c.* *μὴ ἐπισπάσθω, ne attrahat* præputium. Hæc fraus *Eſavo* ut primo auctori adſcribitur.

CAPVT II.

DE ΑΠΑΡΧΗ, PRIMITIIS FRVCTVVM FRVGVMQVE, ET PRIMOGENITIS.

Vſus & finis primigeniarum frugum erat *conſecratio ſequentium* (1).

II. I.) Hoc fine ipſis præceptum erat, offerre *primos arborum fructus. Lev. XIX*, 23, 24. (2). Vbi hic ordo obſervatus eſt. Primis tribus annis, ex quibus plantata arbor fuit, *cenſebantur fructus ejus præputiati & impuri*, non licebat iis *veſci*, eos *venundare, aut aliquem uſum ex iis percipere.* Quarto anno *Jehovæ ſancti* fuere, h. e. aut *dati Sacerdoti. Num. XVIII*, 12, 13. hinc ABEN ESRA in hunc loc. ait: וְהַכֹּהֵן יֹאכְלֶנּוּ *& Sacerdos eum fructum comedet;* aut etiam proprii domini veſcebantur iis *coram Jehova Hieroſolymæ*, quemadmodum *decimis ſecundis;* & hæc ultima ſententia communis Hebræorum eſt. TALMVD. BAB. *in Magnasher Sheni. c.* 1. Poſt annum quartum ceſſerunt rurſus uſui dominorum. Poſſumus eas *primitias* ſimpliciter vocare *πρωτογεννήματα.*

III. II.) Ipſis præceptum erat, quotannis pendere *primigenias cujusvis anni proventuum fruges.* Et has vocare poſſumus *ἀπαρχάς.* quarum variæ fuerunt ſpecies (3). 1. *Manipulus primitiarum meſſis. Levit. XXIII*, 10. 2. *Primitiæ duorum panum agitationis. Lev. XXIII*, 17. Hæ duæ ſpecies claudebant meſſem. *Manipulus* offerebatur in initio meſſis, decimo quinto τῷ *Niſan; Duo panes* in fine, *feſto Pentecoſtes.* Et *manipulus* & *panes* communi nomine *Lev. XXIII.* vocantur תְּנוּפוֹת, h. e. *oblationes agitatæ.* 3. *Primitiæ maſſæ. Num. XV*, 20. Nimirum *vigeſima quarta pars* de ea dabatur Sacerdoti. חַד מִן עֶשְׂרִין וְאַרְבְּעָה *una pars ex viginti quatuor.* VZIEL. *Num. XV*, 20. Quæ oblationis ſpecies obſervabatur a reverſis jamjam ex Babylonia *Neh. X*, 38. Huc alludit *Paulus Rom. XI*, 6. *Si primitiæ ſanctæ, etiam maſſa ſancta eſt.* 4. *Primitiæ frugum ex area*, quæ pendendæ erant Sacerdoti; *Num. XV*, 20. Hæ duæ ultimæ ſpecies appellantur תְּרוּמוֹת *oblationes elevationis.* Hæc *oblatio areæ eſt.* Illa *oblatio maſſæ. Num. XV*, 20, 21. Sub nomine *primitiarum frugum* auctores plerumque de ultima ſpecie agunt, prætermiſſis reliquis.

IV.

IV. Priusquam progrediamur ad explicationem postremæ speciei, nota differentiam duarum istarum vocum *Thenuphoth* & *Therumoth* (4). Vtraque notat *oblationes agitatas*, hoc tamen discrimine: *Therumoth oblationes* erant *agitatæ sursum & deorsum*, h. e. *oblationes elevationis*; ad docendum, Deum esse Dominum & cæli & terræ. P. FAGIVS *in Pentat.* *Oblationes* autem *Thenuphoth* agitabantur *huc illuc*, a dextra ad sinistram, ab oriente in occidentem, ab aquilone ad austrum; qua agitatione Deum fatebantur esse Dominum totius mundi.

V. Vt sciamus, quid fuerint *primitiæ frugum areæ*, Rabbini, aliique qui eos sequuntur, ipsas distinguunt in duas species. *Prior* harum erant *primitiæ septem rerum.* 1. *tritici.* 2. *hordei.* 3. *uvarum.* 4. *ficuum.* 5. *malogranatorum.* 6. *olivarum.* 7. *dactylorum.* Quarum rerum fertilissima ubertate Palæstina nobilis erat, laudaturque *Deut. VIII*, 8. (5). Harum *primitias Talmudici* vocant בִּכּוּרִים R. SELOM. *Deut. XXVI*, 2. item MOS. KOTS. *fol.* 201. *col.* 4. Et quando agunt de *primitiis frugum*, eas, & non alias, hoc nomine *Biccurim* intelligunt. Hæ, ajunt, sunt *frugum primitiæ*, quas populus toties in Lege jubetur ferre ad Sanctuarium festo Pentecostes, messis fine, uti patet & ex hac oblatione, & ex oblatione duorum panum *Levit. XXIII*, 17. *Posterior* harum erant *primitiæ frumenti, musti, olei, velleris*que *ovium. Deut. XVIII*, 4. (6). *Num. XVIII*, 12. immo omnium aliarum rerum, quas gignit terra ad alendum hominem. Ita ipsorum Doctores intelligendi sunt, ubi dicunt: *quidquid eduliorum ex terra incrementum capit, obnoxium est primitiis, therumæ, & decimis.* R. SELOM. *Deut. XXVI*, 2. item MOS. KOTS. *fol.* 201. *col.* 4. MOSES AEGYPT. *in Jad. part.* 3. *Tract. de Therumoth.*

VI. Hoc nominant תְּרוּמָה *oblationem elevationis.* Græci vertunt ἀφορισμὸν, *separationem*, quia erat *consecratio & separatio portionis Domini.* Quo respectu credo, quod *Paulus* se vocarit ἀφωρισμένον εἰς εὐαγγέλιον. *Rom. I*, 1. Ἀφοριεῖ Ἀαρὼν, *Aaron separabit Levitas.* Sic vertunt Græci; sed fons ita sonat; הֵנִיף אַהֲרֹן אֶת הַלְוִיִּם תְּנוּפָה *agitabit Aaron Levitas agitationem. Numer. VIII*, 11. Rursus: ἀφορίσατε, *separate mihi Barnabam & Saulum. Act. XIII*, 2. (7). DRVSIVS aliam dat rationem, uti dictum est *Capite de Pharisæis.* Sed pergamus. Hebræi hanc secundam *primitiarum* speciem non vocant simpliciter *Therumah*, sed subinde תְּרוּמָה גְּדוֹלָה *oblationem elevationis magnam* (8), respectu illarum *decimarum*, quas Levitæ Sacerdotibus solvebant; hæ enim vocabantur תְּרוּמַת מַעֲשֵׂר *oblatio decimarum. Num. XVIII*, 26. Quæ etsi erat una pars ex decem, respectu ejus, quod solvebatur Levitis, attamen erat tantum una pars ex centum, respectu proventuum, quos coloni Levitis *decimabant*; & sic longe minor erat *oblatione elevationis magna*, uti statim clarebit.

VII. Has *primitias*, ajunt Hebræi, non tenebantur domini Hierosolymæ pendere. Lex non definit, quantum, seu in *Biccurim*, seu in *Therumah*, solvendum fuerit; verum per traditiones tenebant, quod ad minimum *sexagesima pars* tam septem illarum rerum, quas vocant *Biccurim, primitias,*

 tias,

tias, quam harum, quas dicebant *Therumah*, seu *Therumah Gedolah*, fuerit dependenda. Sic distinguunt *Talmudici τὰ Biccurim* a *Therumah Gedolah*. Sed pro mea sententia possunt *Biccurim* comprehendi sub *Therumah Gedolah* (9); & sane, hæc utraque nihil aliud sunt, quam תְּרוּמַת גֹּרֶן *oblatio areæ*, cujus antea meminimus ex *Num. XV*, 20.

VIII. Meæ sententiæ rationes hæ sunt. 1. Scriptura non indulget aliquam *primitiarum* partem retinere domi; si hoc probari posset, distinctio valeret. 2. Scriptura *primitias* non adstringit his septem rebus, quas solas vocant *Biccurim*. 3. Duæ istæ *primitiarum* species invicem commiscentur; nam dicunt, quod in τοῖς *Biccurim* pendant 1. *triticum*, 2. *hordeum*; & quod in *Therumah* solvant *frumentum*; quasi *frumento* non comprehenderentur *triticum* & *hordeum*. Respondebit quis, quod τὰ *Biccurim* solverint *aristis*, messe nondum collecta; & suam *oblationem Therumah*, *tritico & hordeo* jam *triturato* ac *ventilato*.

IX. Rationes huic responsioni has oppono. 1. Hoc pacto *sexagesimam sui frumenti partem* bis solvissent. 2. Frumentum in aristis & manipulo oblatum parva erat quantitas, nec offerebatur *festo Pentecostes*, quod messem claudit, sed *festo Paschatis*, quod messem orditur. *Lev. XXX*, 10. cum tamen τὰ *Biccurim* semper offerrentur *festo Pentecostes*. Satis sit hoc ad sententiam meam stabiliendam.

X. Progredior ad ostendendam rationem, cur imperata sit in hac *oblatione areæ* ad minimum *sexagesima pars*; fundatur ea verbis Prophetæ *Ezech. XLV*, 13. *Hæc est oblatio, quam offeretis, sextam Ephæ de Chomer.* h. e. *sexagesimam totius partem*, quoniam *Chomer* continet decem *Ephas*. Hinc hanc *oblationum* istarum distinctionem desumunt. Quidam, ajunt, dabant *quadragesimam* suorum proventuum *partem*; quæ, quia erat maxima, quæ pendebatur in hac *oblationis* specie, merebatur nominari ab ipsis, תְּרוּמַת עַיִן יָפָה *oblatio oculi boni*. Alii (quamvis ad alterorum liberalitatem non adscenderent, nihilo minus ne existimarentur sordidi) solvebant *partem quinquagesimam*, quæ merebatur dici תְּרוּמָה בֵּינוֹנִית *oblatio mediana*. Alii, quos sordidos tenacesque censebant, non plus quam *sexagesimam partem* dabant, qua minus non licebat dare. Hoc vocitabant תְּרוּמַת עַיִן רָעָה *oblationem oculi mali*. Sic ut pensio harum *oblationum* fuerit determinata ab Antiquis inter *sexagesimam* & *quadragesimam partem*. Pharisæi autem, ut sua sanctitate elucere ante alios viderentur, sui ordinis regulis vovebant dare *quinquagesimam* & *trigesimam*, adeo ut inexplebile dolium is haberetur inter ipsos, qui *quinquagesimam* dependebat, isque *illiberalis*, qui non *trigesimam* (10). EPIPH. *contr. Pharis. p.* 11.

XI. *Modus dependendi* has *primitias* (11), *Biccurim* dictas, late proditur *Deut. XXVI*. Sed tempore Prophetarum videntur fuisse receptæ aliæ cerimoniæ, de quibus Hebræorum Magistri hæc referunt. *Quando primitias suas offerebant, tum omnes civitates unius ejusdemque plagæ congregabantur in capite plagæ, ne singulæ solæque adscenderent; dictum enim est, in multitudine populi*

populi est majestas Regis Prov. XIV, 28. *Et veniunt & pernoctant singulis noctibus in plateis metropolis, & non ingrediuntur ædes, metu pollutionis. Hora matutina ait gubernator: surgite, adscendamus ad Tzionem, urbem Domini Dei nostri. Ipsos antecedit taurus, cujus cornua auro obducta sunt, redimitusque caput serto olivæ, ad significandum primitias septem rerum ac fructuum. Cantabatur quoque fistula, usque dum prope essent Hierosolymam, alias per totam viam ipsis cantionem hanc modulantibus: Lætatus sum propter dicentes mihi, domum Jehovæ accedamus* &c. *Psalm. CXXII.* MAIMON. *in Biccurim c.* 4. *Sect.* 16. Ad hujus aliusque modi congregationes solennes alludit Propheta, dicens: *Canticum erit vobis ut* canticum *noctis*, qua *sanctificatur festum, & lætitia cordis, ut* lætitia *ambulantis cum tibia, ut accedat montem Domini, rupem Israelis. Jesa. XXX*, 29.

XII. *Primogenitos* seu *primitias hominum & bestiarum* sibi adscribit Jehova. *Exod. XIII.* (12). Fundamentum hujus legis fuit, *quod Deus interfecerit omnes primogenitos in Aegypto, a primogenito hominum ad primogenitum bestiarum, parcens interea Israelitis.* In hujus beneficii æternam memoriam jussit sibi consecrari *omnes mares primogenitos. Primogeniti* illi hominum & bestiarum redimebantur *quinque siclis argenteis Sanctuarii*, datis Sacerdoti pro singulis ipsorum. *Num. XVIII*, 15. 16. Huc respexit *Petrus*, dicens: *Redempti sumus non corruptibilibus rebus, auro & argento* 1 *Pet. I*, 18. *Primogenita bestiarum* mactabantur, sparso super altari ipsorum sanguine, accensoque ipsorum adipe in holocaustum, carne autem cedente Sacerdotibus.

XIII. Nota, quomodo Deus velit coli *primogenitis hominum & bestiarum, primitiis fructuum arborum & frugum terræ, in manipulis, in area, in massa, in pane.* Scilicet omnia nos *docent* (13) *consecrandas Domino annorum ætatisque nostræ primitias.*

CAPVT III.

DE DECIMIS.

Hic inquirendum est, 1. quænam res in genere fuerint *decimandæ?* 2. quot *decimarum* species? 3. tempus, quo quævis species *decimabatur?*

II. I.) Annui reditus proventusque ipsorum, aut *pecora*, aut *arborum fructus*, aut *terræ fruges* fuere. De his omnibus *decimas* solverunt (1), ad *mentham, anethum, & cuminum* usque. *Hæc oportebat ipsos non omittere. Matth. XXIII*, 23. Vid. SIXTIN. AMAM. *de Decimis.*

III. II.) Species *decimarum* (2), quas ex arborum terræque fructibus dependebat colonus, duæ erant, & solvebantur hoc modo:

modo: Messe facta, omnibusque congestis, agricola sepoſuit suam magnam *Therumam*, seu *primitias areæ*, de quibus *Cap. priore.* Postea ex reliquis *decimas* dedit *Levitis*, hasque vocabant מַעֲשֵׂר רִאשׁוֹן *decimam primam*, *Tob. I*, 7. Hæc solvebatur in sua specie, &, ut mihi videtur, non ferebatur a colono Hierosolymam, sed dabatur Levitis, qui incolebant urbes sui districtus. *Neh. X*, 3, 37. Alii putant, quod *decimæ primæ* necessario, aut a colono ipso, aut ab ejus vicario, Hierosolymas deportandæ fuerint. SIXT. AMAM. *de Dec.*

IV. Ex his *primis decimis* desumebant *decimam* pro Sacerdotibus *partem* Levitæ, quam vocarunt מַעֲשֵׂר מִן הַמַּעֲשֵׂר *Decimam ex decima Neh. X*, 38. & *Decimam sanctitatum 2 Chron. XXXI*, 6. Hanc tulere Levitæ ad domum Dei. *Neh. l. c.* Hac *decima* Sacerdotibus data, Levitis ipsorumque domesticis licebat vesci reliquiis *primæ decimæ* in omnibus locis, extraque ipsam Hierosolymam. *Num. XVIII*, 31.

V. Cum *prima decima* soluta esset, colonus ex eo, quod relictum ipsi est, dependit *decimam secundam*. Hanc poterat colonus, aut in specie, aut ratione commutationis, in valore pendere. Verum quando eam pecunia solvebat, addebat tum partem quintam, ita, ut, quod in specie erat *decem ad centum*, in pecuniæ commutatione esset *duodecim ad centum*. Hoc colonus tulit Hierosolymam, exque eo paravit *ἀγάπην*, *seu convivium amoris*, invitatis ad id Sacerdotibus atque Levitis. Verum tamen non quovis *triennio* id adduxit Hierosolymam, sed consumsit domi in suis portis cum *Levitis, pupillis, viduabus, & pauperibus. Deut. XIV*, 28.

VI. *Annum tertium* computabant ab *anno Sabbathico*, quo terra quiescebat, sic ut *prima* & *secunda decima* penderetur a colono, *primo*, *secundo*, *quarto*, *& quinto anno post Sabbathicum*, *tertio autem & sexto* anno, solummodo *prima decima* data est Levitis, & *secunda* domi consumta. MOS. KOTS. *Tract. de decima secunda fol.* 199. Hinc, respectu speciei, vocatur hæc מַעֲשֵׂר שֵׁנִי *decima secunda. Tob. I*, 7. Respectu vero illius, quod quovis triennio pauperibus data est, vocatur מַעֲשַׂר עָנִי, *πτωχοδεκάτη*, *decima pauperum*, & מַעֲשֵׂר שְׁלִישִׁי *decima tertia. Tob. I*, 8. Iis annis, quibus ea Hierosolymam adducta est, comedi debebat *in atrio templi. Deut. XIV*, 16. Per *decimam tertiam* intelligenda *decima pauperum* anno tertio (3), qui vocatur *annus decimarum. Deut. XXVI*, 12.

VII. *Decimabant* quoque sua *pecora* (4). *Ex bubus & parva pecude, & ex omnibus iis, quæ transeunt sub virgam, decimum quodque erat sanctum Jehovæ. Lev. XXVII*, 32. Quidam Interpretum per hunc loquendi modum, *transire sub virgam*, intelligunt, quod omnia *pecora* fuerint *decimanda*, quæ pascuntur sub custodia pastoris; quasi eo respiciatur *pedum* seu *virga custodum*, qua custodiunt pecora sua. Hebræi probabilius intelligunt per eum loquendi modum, *modum decimandi pecora* (5), qui ita habuit: *Is, cui fuerunt oves, aut boves, sic decimas suas separavit. Cogit omnes oves & boves in angulum, in quo ponit angustam portam, quam duæ simul non possunt transire. Extra portam stant canes* (6); *ut*

oves,

oves, audientes ipsorum latratus, ordine prodeant, altera alteram sequente. Tum quidam incipit numerare virga; una, duæ, tres &c. *Et decimam rubro signo notare, seu ea sit mascula, seu fœmella, perfecta, seu vitio laborans; dicitque, hæc est pro decima.* SALOMON IARCHI *Lev. XXVII*, 32. & MAIMON. *de Primog. cap.* 7. *sect.* 1, 5.

VIII. Judæi, etsi in peregrino morentur solo, patria sede Leviticoque sacerdotio exuti, qui videri volunt religiosiores, vice *decimarum*, dispertiuntur egenis *decimam* rededituum suorum *partem*, certo persuasi, quod Deus ipsorum sorti eo ampliorem benedictionem sit affusurus. Tritissimum enim proverbium hoc apud ipsos fertur: תַּעֲשֵׂר בִּשְׁבִיל שֶׁתִּתְעַשֵּׁר *decimato propterea, ut ditescas.*

IX. III.) *Tempus* anni, a quo *decimas* pendendas computabant, varium fuit. *Ab Elul ad Elul*, h. e. ab *Augusto* ad *Augustum*, supputabant, ut pecus rite *decimarent*. A *Tisri ad Tisri* vero, h. e. a *Septembri* ad *Septembrem*, propter frumentum, legumina & herbas. A *Schebat ad Schebat*, h. e. *Januario* ad *Januarium*, propter arborum fructus. TALMUD. *Tract. de novo anno, ab initio.* BUXT. *Synag. Jud. c.* 12. item MOS. KOTS. *in præcept. affirm.* 136.

X. In hac Synopsi (quam SIXTINUS AMAMA mutuatus est a SCALIGERO) ob oculos ponitur *modus decimandi* inter Israelitas usitatus:

Prædium coloni tulit

6000 *modios uno anno.*
100 *modii ad minimum* a colono pendendi erant Sacerdotibus pro *primitiis areæ.*
5900 *modii* relinquebantur colono, ex quibus duas solvebat *decimas.*
590 *modii* erant *prima decima* pro Levitis.
59 *modios* dabant Levitæ Sacerdotibus, qui vocabantur *decimarum decimæ.*
5310 *modii* reliqui erant colono, ex quibus dependebat *decimam secundam.*
531 *modii* erant *secunda decima.*
4779 *modii*, omnibus solutis, proprie remanebant colono.
1121 *modii* erant summa utriusque *decimæ* conjunctæ; quod plus est quam *sexta pars* totius, nempe 19 a 100.

XI. Præterea sciendum est, quod corruptis temporibus cœperint *decimæ* in genere negligi, ipsius etiam Hiskiæ ætate, adeo ut *Inspectores* instituerentur, qui *decimationem* fidelem curarent. 2 *Chron. XXXI*, 13. Hoc non obstante, circiter centum & triginta annis ante incarnationem Salvatoris nostri, partim incuria *Curatorum* seu *Inspectorum*, partim avaritia populi, ita corruptio invaluit, ut populus omnes in genere *decimas* negligeret (9); immo nemo aut pauci solverent vel *pri-*

mam, vel *secundam*, vel *pauperum decimam;* sed *Therumah gedolah*, *oblationem magnam* tantum fideliter penderent. Ob hanc caussam, dicit MOSES KOTS. *fol.* 199. *col.* 3. *Diebus Johannis Sacerdotis, qui Simeonem justum secutus est* (credo quod putet *Johannem Hyrcanum*) *decrevit Senatus magnus seu Sanhedrin, ut ordinarentur Curatores decimarum.*

XII. Hoc tempore multæ res in dubium vocatæ sunt, utrum etiam *decimandæ* essent, an non. Quare decidit Synedrium, quod in rebus dubiis, (quas vocabant דְּמַאי) (10) quamvis neque *primam*, neque *pauperum decimam* solverent, solvere tamen deberent *decimam secundam*, & *oblationem parvam*, nempe אַחַר מִמֵּאָה *unam partem de centum.* MOS. KOTSEN. *ibid. Mentha, anethum, & cuminum* videntur fuisse e *numero dubiorum*, in quibus, etsi decretum Synedrii imperaret tantum *unam partem de centum*, Pharisæi tamen justam *decimam* persolvere satagebant. *Matth. XXIII*, 23. Hinc gloriantur, *se decimas dare omnium, quæ possideant. Luc. XVIII*, 12. (11). Qua in re superant ceteros Judæos, qui utuntur privilegio a Synedrio concesso.

CAPUT IV.

DE MATRIMONIO.

In hoc capite de *matrimonio* notanda veniunt: 1. *Distinctio conjugum* seu *mulierum*. 2. *Modus despondendi.* 3. *Ritus nuptiarum.* 4. *Forma divortii.*

II. I.) Patriarchæ in V. T. habebant *duas uxorum species* (1); utraque ipsarum legitima censebatur, uxoresque erant, & propterea quoque utriusque liberi legitimi æstimabantur. Hebræi plerumque alteras vocabant נָשִׁים *uxores præcipuas*, ductas solennibus nuptiarum ritibus. Quidam deducunt hanc vocem a נָשָׁה *oblitus fuit*, quasi *obliviosæ* dictæ (2), quod plerumque minus memoria valeant, quam mares. Verum, non hallucinari videntur, qui dicunt, quod feminæ ita denominentur de *oblivione*, quia *paternæ familiæ oblivione premuntur & quasi obliterantur in filiabus nuptis.* Hinc natum illud tritissimum Hebræorum: מִשְׁפַּחַת אֵם אֵינָהּ קְרֵאָה מִשְׁפָּחָה *familia matris non vocatur familia.* ABEN ESRA *Num. I*, 2. Et e contrario *mas e memoria* dicitur זָכָר, quia conservatur patris memoria in filio, juxta illud dictum Absalonis: *Non est mihi filius* בַּעֲבוּר הַזְכִּיר שְׁמִי *propter memoriam nominis mei.* 2 *Sam. XVIII*, 18. Eamdem prolis masculæ rationem habitam apud Græcos testatur EVRIPIDES: Στύλοι γὰρ οἴκων παῖδες ἄρσενες, *fulcra domus sunt mascula proles.*

III. Posteriorem speciem *feminarum* vocabant פִּילַגְשִׁים *uxores secundarias* (3); quam vocem quidam compositam esse ajunt ex פָּלַג *dividere*, & אִשָּׁה *uxor*, quasi *uxor divisa*

divisa & *dimidia;* vertimus *concubinas* plerumque, & quidem non incommode, nam ipsa Hebraica vox notat subinde *obscenum prostibulum,* aut *commune scortum.*

IV. Differentia inter has *concubinas* & *uxores primarias* (4) multiplex erat.

V. 1) Ratione *disparitatis* in regimine familiæ. *Vxor primaria* erat tanquam *hera; Concubina* tanquam *serva,* quæ solo *thori jure* fruebatur æque ac *uxor primaria,* alias in cunctis inferior. Et hoc patet ex historia Saræ & Hagaris.

VI. 2) Ratione *desponsationis. Vxor primaria* ducebatur a marito certis donis & solennibus sponsalibus, ut pignoribus contractus conjugalis. Sic dispensator domus Abrahami (qui verisimiliter putatur fuisse *Eliezer*, cujus fit mentio *Gen. XV,* 2.) nomini *Isaaci dedit Rebeccæ instrumenta argentea & aurea ac vestes Gen. XXIV,* 53. Hic ritus etiam obtinuit apud Græcos, qui hæc dona vocarunt ἕδνα, *dona jugalia.*

Τάων ἥν κ' ἐθέλῃσι φίλην ἀνάεδνον ἀγέσθω
Πρὸς οἶκον Πηλῆος.

Harum quam velit dilectam sine dote abducat ad domum Pelei. HOMER. *Iliad. IX. vers.* 140. Præterea *uxor primaria* accepit a marito *scriptum* seu *instrumentum dotale,* cum *concubinæ* neque *donum* neque *scriptum* daretur (5). D. KIMCHI. 2 *Sam.* vers. 16.

VII. 3) Ratione *liberorum.* Soli liberi *uxoris primariæ* erant heredes paternorum bonorum, liberi autem *concubinæ* dono emittebantur (6). *Abraham dedit Isaaco quidquid habebat, filiis autem concubinarum, quas habuit Abraham, dedit dona. Gen. XXV,* 6. Hic in transitu notetur, quod primogeniti, jure primogenituræ, acceperint *duas paternæ hereditatis portiones* (7). *Pater dabit ei portionem duplam ex omnibus, quæ inveniuntur ei, nam est initium vigoris ipsius. Deut. XXI,* 17. Hunc morem respexit *Elisa*, petens, *ut duplo super se esset Eliæ spiritus* 2 *Reg. II,* 9. h. e. ut super se essent duæ portiones spiritus ejus, respectu reliquorum prophetarum, seu potius *filiorum prophetarum,* inter quos locum primogeniti fratris obtinebat, adeoque primogenituræ jus petebat. Sic ut putandum non sit, quasi superciliose ambiverit majorem spiritus mensuram, quam super Elia quiesceret, sed quod petierit excellere reliquos prophetarum, quibus deinde *pater* factus est. Hebraicus mos loquendi in utroque loco idem est: פִּי שְׁנַיִם *partem duorum.*

VIII. II.) *In modo despondendi* notanda sunt 1) *Intervallum temporis* (8), intercurrens *sponsalia* & *nuptias;* quod quibusdam visum est *annus plenus,* ad minimum *decem menses:* & hoc colligunt ex historia *Rebeccæ,* cujus frater & mater respondent servo Abrahami, filiam non statim commigraturam esse, sed ad minimum *decem dies* post sponsalia mansuram. *Gen. XXIV,* 55. Quem textum exponunt *decem menses,* ac per hos intelligunt שְׁנַת יָמִים *annum dierum* (9). *Gen. XLI,* 1. ONKELOS & R. SALOM. Sed non admittimus hanc expositionem. Nam, etsi nostra versio habeat, *at least ten dayes, ad minimum dierum decadem,* convenienter τοῖς LXX & fonti, non tamen sequitur, quod

hoc tempus capiatur pro complemento definiti ſpacii, intercurrentis ſponſalia, & nuptias; ſed potius prodit tenerum matris amorem, nolentis tam maturum diſceſſum. Hoc non obſtante, plauſibile eſt, quod interceſſerit intervallum temporis, inter *ſponſalia* & *nuptias* ipſas, licet id definitum non ſit, aut determinatum certo *dierum, hebdomadarum, menſium*que numero.

IX. 2) Secundum, quod obſervandum eſt hic, eſt *ritus contrahendi* matrimonium (10), qui in Iſraele triplex fuit, fiebatque contractus 1. *Argento.* 2. *Scripto* ſeu inſtrumento. 3. *Copulatione.* & hæc omnia *præſentibus teſtibus.* בְּכֶסֶף אוֹ בִּשְׁטָר אוֹ בִּבִיאָה וְכוּלָּן בְּעֵדִים *Nummo, aut Literis contractus, aut Ingreſſu, & hæc omnia coram teſtibus.* MOS. KOTS. *fol.* 124. *Nummo:* fuerit etiam λεπτὸν, aut pretium æquivalens. Eo tempore maritus his verbis & ſimilibus uſus eſt: הֲרֵי אַתְּ מְקוּדֶּשֶׁת לִי *Ecce tu es deſponſata mihi.* MAIMON. *in Iſchoth c.* 3. *Sect.* 1. deditque nummum ſponſæ in oculis teſtium. *Scripto:* ſcripſit autem hacce ſequentique formula: *Eſto mihi deſponſata;* quod inſtrumentum ipſi præbuit coram teſtibus, ſubſcripto illorum nomine, alias deſponſatio irrita fuiſſet. *Copulatione:* quando hæc verba orditus eſt: *Ecce, tu eris mihi deſponſata copulatione.* Et ſic cum ipſa unitus eſt coram duobus teſtibus; qua copulatione facta erat ipſius *conjux.* Vbi cum ea ſe commiſcuerat modo illicito, & cum nondum deſponſata, aut facta ſponſatione clancularia ſine teſtibus, non fuit hæc deſponſatio rata habita. Vtcunque ſit, interdictum ipſi fuit ſecundo concubitu ante peractas rite nuptias. Et licet deſponſatio fieri poſſet ſingulis his ſpeciebus, plerumque tamen fiebat *nummo.* Sique vellent, licebat fieri *inſtrumento literarum;* aſt deſponſatio, facienda *commixtione,* interdicta erat Iſraelis ſtatutis, & qui contra iverat, cædebatur virgis, etiamſi deſponſatio in ſuo vigore ſtaret. Hi ſolennes ritus ſponſales peragebantur a marito & nova nupta ſub tentorio ſeu *papilione* hunc in finem erecto, quem ſua lingua dicunt חוּפָּה *tabernaculum* (11) ELIAS THISB. Huc alludit Pſalmiſta. *Pſal. XIX,* 5, 6. *In iis Soli poſuit tentorium. Et ipſe eſt ut ſponſus, prodiens ex thalamo ſuo; alacris eſt ut heros, ad decurrendum iter.*

X. III.) *Ritus nuptiales* (12) peragebantur in concione ad minimum *decem hominum,* benedictionibus & gratiarum actionibus ad Deum, unde ipſa domus vocatur בֵּית הִלּוּלָא & epithalamia הִלּוּלִים *hymni.* Sponſi amici intimi, qui comitabantur ipſum, cantantes hocce epithalamium, appellabantur υἱοὶ τοῦ νυμφῶνος, *filii thalami. Matth. IX,* 15. (13). Tales mihi videntur fuiſſe triginta illi ſocii, quos aſſumſit Simſon. *Jud. XIV,* 11.

XI. Formula hujusmodi benedictionis (14) late deſcribitur a GENEBRARDO, cujus ſumma hæc eſt. Præcipuus horum ſociorum, ſumto calici benedicit, inquiens: *Benedictus tu Domine Deus noſter, Rex mundi, qui creas fructum vitis.* Deinde pergit: *Benedictus ſit Dominus Deus noſter, Rex mundi, qui creavit hominem ſecundum imaginem ſuam, ſecundum imaginem ſimilitudinis ſuæ, & paravit eo ſibi ædificationem æternam; Benedictus ſis tu Domine, qui eum creaſti.* Poſtea ſequitur: *Benedictus tu Domine, Deus noſter, qui creaſti*

creasti gaudium & lætitiam, sponsum & sponsam, charitatem & amorem fraternum, hilaritatem & jucunditatem, pacem & societatem. Precor te, o Domine, cito audiatur in civitatibus Judæ & vicis Hierosolymæ vox gaudii & lætitiæ, vox sponsi & sponsæ: vox exultationis in thalamo dulcior est omni festo, & liberi suaviores, quam suavitas omnis cantionis. Hoc finito, propinat conjugibus novis.

XII. Hic ritus celebrandi Deum hoc tempore non fuit supervacaneus & frustraneus; siquidem fructus ventris expectabatur a Deo, tanquam singularis benedictio. quod agnoscunt Judæi, quando dicunt: *Quatuor Claves* sunt in manu ejus (15), qui totius mundi Dominus cluit, quæ nec *Angelis* nec *Seraphimis* concreditæ sunt; nempe, מַפְתֵּחַ מִטְרָא מַפְתֵּחַ בַּרְנָסָה מַפְתֵּחַ קְבוּרָה מַפְתֵּחַ עֲקָרְתָּא *Clavis pluviæ, Clavis cibationis, Clavis sepulcrorum, & Clavis sterilitatis.* TARGUM HIEROSOL. *Gen. XXX*, 31.

XIII. Quod attinet *Clavem pluviæ*, sic loquitur Scriptura: *Aperiet tibi Dominus thesaurum suum bonum, cælos, ad mittendum pluviam in terram tuam. Deut. XXVIII*, 12. Quod attinet *Clavem cibationis*, sic legitur: *Aperis manus tuas, & satias omne vivens benevolentia. Ps. CXLV*, 16. Quod attinet *Clavem sepulturæ*, ita habetur: *Ecce ego aperiens sepulcra tua, Ezech. XXXVII*, 12. Quod attinet *Clavem sterilitatis: Deus recordatus est Rachelis & aperuit matricem ejus. Gen. XXX*, 32. quibus docetur, quod has quatuor res Deus sibi suæque potestati reservarit, scil. *pluviam, alimenta, resuscitationem nostrorum corporum, & propagationem generis.*

XIV. *Tempus nuptiarum* (16) plerumque videtur fuisse *septem dierum.* Vid. THISBIT. *in* חתן. Simson nuptiarum suarum festum celebravit *septem dies. Jud. XIV*, 13. Et de his septem nuptiarum diebus intelligunt Theologi illud *Labanis* ad Jacobum de Lea: *Comple septimanam hujus, tum dabimus tibi quoque istam. Genes. XXIX*, 27. AUGUST. *Quæst. Gen. super Genes. c.* 88. Quo dicto putatur petiisse, ne Jacob repudiaret Leam, sed confirmaret præsens connubium, *complendo ordinarium nuptialium dierum numerum.* Ab hoc ritu, ut & ab illo Josephi, *septem diebus* lugentis patrem, *Gen. L*, 10. ortum est illud inter Judæos proverbium: *Septem ad convivium, septem ad luctum.*

XV. *Summus nuptiarum moderator* vocatur בַּעַל מִשְׁתֶּה, quod nomen apte exprimitur per illud, Ἀρχιτρίκλινος, *Joh. II*, 9. (17). Hodierni Judæi in Italia, invitantes quempiam ad nuptias, hæc ajunt: N. N. *invitat te, ut testeris conjugium filiæ suæ præsentia tua in nuptiis*, &c. Cui regerit invitatus: מַזָּל טוֹב STUK. *de Conviv. l.* 2. *c.* 3. Quod quidam exponunt esse communem gratulationem *Fortuna bona* (18)! Verum, potius putem, quod novis conjugibus adoptata eo sit *singularis benedictio in generatione prolis;* hinc annulo pronubo idem hoc inscriptum erat; מַזָּל טוֹב. MUNST. *Gen. XXX.* Hebræi etiam *Planetam Jovis* vocant מַזָּל, cujus influxum magnæ virtutis in generationem esse reputant. Sed *Mazal* notat alium *Planetam* aut sydus cæli, juxta illud Hebræorum

 tri-

tritum: *Non est tibi ulla herba inferius, cui non sit Mazal, sydus, in firmamento; & τὸ Mazal ferit ipsam, & dicit ei: Cresce.* Sic, quia etiam טוב notat *bonum*, phrasis ista sonabit: *fiat fausta hora*, aut *sub bono Planeta!*

XVI. *Tempore nuptiarum* tradit quoque maritus uxori *instrumentum literarum* (19), scribente id Notario, solvente Sponso. Hujus jure sponsus suæ sponsæ dat 200 *denarios*, h. e. 50 *siclos*, si sit virgo; si autem sit vidua, 100 *denarios*, h. e. 25 *siclos*. Hæcque summa vocata est *radix*, seu *præcipua dotis pars*. Dos minor esse non poterat, sed major, pro lubitu sponsi, fuerit etiam talentum auri. Mentio fit contractus inter *Tobiam* & *Saram*, formati non per *Notarium*, sed *Raguelem*, sponsæ patrem. Vbi notandum, quod ante exarationem hujus instrumenti literarii fuerit *traditio mulieris traditæ marito*. Verba adhibita sunt: *Ecce secundum legem Mosis accipe illam.* Tob. VII, 15.

XVII. Copia hujus *instrumenti dotalis* (20) sumta est a BERTRAMO ex *Talmude Babyl.* Vid. BVXTORF. *Grammat. Chald. pag.* 383. Summaque hæc est: *Sexto septimanæ die, quarto mensis Sivan, anno 5254 a cond. M. juxta computum, quo utimur hic Massiliæ, urbe sita ad mare, Schoar sponsus R. Moses, filius R. Jehudæ, dicit sponsæ Claronæ filiæ ex R. Davide R. Mosis, civis Lisabonensis filio. Sis mihi in uxorem secundum legem Mosis & Israelis, & ego secundum Dei verbum te colam, honorabo, alam, regam; secundum morem virorum in Israele, qui suas conjuges colunt, honorant, sustentant, fideliterque regunt. Do quoque tibi dotem virginitatis tuæ,* 200 *denarios argenteos, qui tibi debentur juxta legem, ut & alimentum, vestimenta, & sufficientes necessitates, nec non cognitionem juxta consuetudinem universæ terræ.* Sic Clarona virgo acquiescit hoc, fitque conjux R. Mosis sponsi, Fil. R. Jehudæ.

XVIII. Finitis *nuptiis*, uxor a marito tria poscere poterat (21). 1. *alimenta*, 2. *vestimenta*, 3. *concubitum*, seu jus thalami; quod notant ex *Exod. XXI*, 10. *Si aliam accipiet sibi, vestitum ejus, alimentum ejus, officium debiti conjugalis, non subtrahet.* Quo respicit Apostolus, id officium vocans εὔνοιαν ὀφειλομένην, *debitam benevolentiam.* 1 *Cor. VII*, 3. (22).

XIX. Vxor, cum primum ostenderetur marito, texit caput *tegmine*, in signum *subjectionis* (23). *Rebecca accepit peplum, & operuit se. Gen. XXIV*, 65. Proptereaque (nempe in signum *subjectionis*) debet mulier ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξουσίαν ἔχειν. 1 *Cor. II*, 10. (24). Vbi per ἐξουσίαν *potestatem* Apostolus intelligit *velamen*. Si quis quærat, cur *velamen* intelligat per *potestatem*, præsertim cum sit nota subjectionis? Resp. Apostolus, quum fuerit *Hebræus ex Hebræis*, potuit respexisse Hebraicum vocabulum רְדִיד quod notat *velamen*, descenditque a verbo רָדַד *subdidit, subjecit, potestate usus est* (25); & sic vox Græca ἐξουσία, eodem sensu, quo Hebræa, sumi potest. Et sane, quid est illa sub viro *subjectio*, nisi *potestas & protectio* uxoris, si conferamus pristinum virginitatis ipsius statum? Et proinde, marito zelotypia accenso adversus illam, tum inter alia tristia signa jubeba-

bebatur quoque ſtare, ad probationem ſuam, *nudato capite*, *Num.* 5, 18. בְּלֹא רְדִיד *ſine Redid*, ἄνευ ἐξουσίας. Sic ego interpretor verba MAIMON. *in Sota. c.* 3. *ſect.* 5. Quo ſignificabatur, quod ſi ſe purgare a crimine non poſſet; ἀπὸ τοῦ νῦν & in poſterum exuenda eſſet omni poteſtate, qua antea ſub marito gaviſa eſt.

XX. IV.) Peractis nuptiis perfectoque conjugio, ſubinde admiſſus eſt *libellus repudii* (26), quem Hebræi vocant סֵפֶר כְּרִיתוּת, Græci βιβλίον ἀποστασίου, *libellum abſciſſionis*, quia uxor hoc pacto *abſcinditur* a familia mariti.

XXI. Decem res cenſebantur requiſitæ fuiſſe tanquam fundamenta & rationes *repudii* (27). MAIM. *de Divort. c.* 1. *ſect.* 1. nim. 1. *Vt non niſi ſponte maritus ipſam repudiaret.* 2. *Vt dimitteretur libello, non ulla alia re.* 3. *Vt ſumma libelli eſſet de repudiatione & expulſione ejus ex poſſeſſione.* 4. *Vt cauſa repudii eſſet inter ipſum & ipſam.* 5. *Vt ſcriberetur cum illius nomine.* 6. *Vt non deeſſent poſt ejus ſcriptionem actiones, præter inſinuationem.* 7. *Vt traderet ei.* 8. *Et quidem coram teſtibus.* 9. *Atque ſecundum legem repudii.* 10. *Vt maritus, aut alius in hoc munus deputatus, traderet uxori* (28).

XXII. Formula *libelli* illius (29) hæc fuit: *Die hebdomadis N. menſis N. anni N. a C. M. computo, quo utimur hac in urbe N. ſita ad fluvium N. in provincia N. ego N. filius Rabbi N. de provincia N. ſed nunc habitans in loco N. prope ad fluvium N. volui cum ſummo animi conſenſu, & abſque ulla coactione, ac repudiavi, dimiſi, atque expuli te, te, inquam, N. uxorem meam de provincia N. filiam Rabbi N. habitantis in provincia N. & nunc in loco N. ſito prope fluvium N. quæ antehac uxor mea fuiſti. At nunc te repudio, dimitto, & te expello, ut libera & tui juris ſis, abeasque & nubere poſſis alii alicui viro, cuicunque placuerit. Et nullum virum repudies propter me, ab hodierno die usque in perpetuum. Libera ergo & legitima es cuivis homini: Atqui hic eſto tibi a me libellus repudii, epiſtola divortii, & literæ expulſionis, ſecundum legem Moſis ac Iſraelis.*

N. filius N. teſtis
N. filius N. teſtis.

Hæc forma reperitur apud MOS. KOTS. *fol.* 133. Aliud exemplar ibidem habetur, item in MOSE AEGYPTIO, *part.* 2. *fol.* 59, unde deſumta eſt hæc teſtium ſubſcriptio, quam appoſuimus.

XXIII. Hic *libellus* ſcriptus eſt a Notario (30). SELOM. IARCHI. *Hoſ. I,* 10. Præterea uxor *repudiata* & *vidua non poterant ſecundum conjugium ingredi, priusquam abiiſſent* 90 *dies poſt diem repudiationis aut mortis mariti & conjugii ultimi, eo fine, ut pateret, utrum prægnans eſſet, annon, & ut liqueret, utrum ſit ſemen primi an ſecundi mariti.* MAIMON. *de Divort. cap.* 11. *ſect.* 18.

XXIV. Recepta apud Romanos conſuetudo fuit (31) circa nativitatem Salvatoris noſtri, ut ipſæ etiam feminæ maritos ſuos *repudiarent*, & aliis pro lubitu nuberent. De hac re loquuntur gentiles Scriptores.

- - *Sic*

- - *Sic fiunt octo mariti*

Quinque per autumnos. - -

IVVENAL. *Sat. VI. verf.* 230.

Et nubet decimo jam Thelesina viro.

MARTIAL. *l. 6. Non Consulum, sed maritorum numero annos suos computant* &c. SENEC. 3. *de Benef.* 16. Literæ ab uxore traditæ vocabantur γράμματα ἀπολείψεως, *literæ derelictionis*, non *abscissionis*, aut *dimissionis*. PLVTARCH. *in Alcibiad.* Eadem praxis & apud Hebræos valebat (32). Hinc est illud *Marc. X*, 12. *Si mulier virum suum reliquerit*, ἀπολύσῃ, *& nupserit alii*, &c.

XXV. Licet autem eo tempore secunda cum aliis *connubia* post *divortia* hæc humanis legibus non prohiberentur, attamen Dei lex tam *repudium* istud seu *divortium* quam *connubium* istud damnat; & istæ personæ, ingredientes secundum thalamum post talia *divortia*, habentur a Deo *digami*. Ob hanc rationem jubetur præprimis Minister esse μιᾶς γυναικὸς ἀνὴρ, *unius mulieris vir*, 1 *Tim. III*, 2. & mulier ἑνὸς ἀνδρὸς γυνὴ, *unius viri mulier*. 1 *Tim. V*, 9. In quibus locis *nuptiæ secundæ* (si vir aut mulier e vivis abiit) non plus prohibentur, quam Poeta illis interdicit, in simili loquendi modo:

Vnico gaudens mulier marito.

HORAT. *Carm.* 3, 14.

XXVI. Tandem nota, quod sponsa suo marito quoque attulerit dotem jam minorem, jam majorem; quam vocabant *Rabbini* נְדוּנְיָא (33). ELIAS THISB. item SELOM. IARCHI *Gen. XXXI*, 15. *Ita Raguel dedit ipsi Saram uxorem ipsius cum dimidio facultatum, mancipiis, jumentis, & pecunia. Tob. X*, 10.

CAPVT V.

DE SEPVLTVRA.

Multæ cerimoniæ observabantur ante denati hominis *humationem*. I.) *Proximus sanguine clausit oculos mortui* (1). *Joseph imponet manum suam oculis tuis. Gen. XLVI*, 4. Hic ritus & ipsis Romanis atque Græcis peregrinus non fuit. OVIDIVS:

Ille meos oculos comprimat, ille tuos.

Οὐ μὲν σοί γε πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ
Ὄσσε καθαιρήσουσι θανόντι.

Non equidem tibi vel pater aut pia mater, sed quicunque prement oculos morienti. HOMER. *Iliad.* 2.

II. II.) *Lavabant cadaver* (2). *Tabitham mortuam postquam lavissent, posuerunt* ἐν ὑπερῴῳ, *in cœnaculo. Act. IX*, 37. *Baptizatio* seu *lotio* circa tale tempus triplex fuit. 1. Βαπτισμὸς ἀπὸ νεκρῶν, *Ablutio pollutionis accersitæ ex contactu mortui* (3), *Sir. XXXIV*, 29. Ita homo nescius impro-

improvisoque casu pollutus, *lotione* aliqua mundatus est. 2. Βαπτισμὸς τῶν νεκρῶν, *ipsius cadaveris ablutio.* Sic lota est Tabitha. Vox autem βαπτισμȣ͂, non extraordinarie applicatur *communi lotioni*, uti *Marc. VII*, 4. legimus de *lotionibus poculorum*, *sextariorum*, *æramentorum*, *lectorumque.* In S. Textu est vox βαπτισμός. Prior istarum *lotionum* erat Judæorum propria; posterior & Judæis fuit familiaris & Christianis. TERTVLL. *Apol. c.* 47. item EVSEB. *Hist. lib.* 7. *c.* 17. & etiam Gentilibus:

Corpusque lavant frigentis & ungunt.

VIRGIL. *Aeneid.* 6. vers. 219. Denique 3. Βαπτισμὸς ὑπὲρ νεκρῶν, *lotio pro mortuis.* 1 *Cor. XV*, 29. (4). Vsitata solum Christianis haud bene institutis.

III. Quæritur hic, qualis *baptismus* fuerit? Hunc locum, attamen cum subjectione judicii, intelligo cum AMBROSIO *in h. l. de lotione sacramentali*, applicata quibusdam hominibus *vivis*, nomine & causa amici, sine recepto *baptismo* denati, ex superstitiosa opinione, quasi *baptismus* in vivo peractus, nomine mortui, juvare posset eum, qui sine *baptismo* lucem reliquit; ita ut Apostolus, hos superstitiosos Corinthios proprio gladio confecturus, resurrectionem mortuorum confirmet ex ipsorum errore, probans, quod ipsorum anilis ritus tingendi aqua vivos, mortuorum loco, frustraneus vanusque esset, nisi exspectaretur mortuorum ἀνάστασις. Hinc Apostolus cum emphasi distinguit personas, *vers. seq.* dicens: *quid & nos periclitamur omni hora?* Evincit resurrectionem vi duplicis argumenti: *prius* ducitur a superstitioso ipsorum ritu & *baptismo pro mortuis*; *posterius* de omnium horarum periculo, quod nos, h. e. ipse Apostolus & alii Christiani, subimus. Ita, sicuti Pater iste notat, Apostolus non suffragatur ipsorum errori, sed convincit ipsos de resurrectione, ex ipsorum, licet vitiosa, praxi. Quod autem *vicarium tale baptisma*, uti id TERTVLLIANVS vocat *de Resurr. carnis*, in usu fuerit apud *Marcionitas*, immo & apud *Cerinthianos*, res liquet, EPIPH. *ad Cerinth. Hæres.* 28.

IV. Modus ejus sic describitur: *Quando aliquis Catechumenus moritur, tum vivus quidam subter denati lecto recumbit, accedentibus aliis, qui mortuum rogant, num baptizari velit? qui quum non respondere possit, pro ipso responsum dat subter lecto jacens, aitque, se velle baptizari; & sic baptizant ipsum vice mortui, scenam quasi in theatro agentes.* CHRYSOST. 1 *Cor. XV.*

V. Tertius ritus Judæis circa mortuos usitatus erat *pollinctura* corporis (5), quam, uti probabile est, hauserunt ab *Aegyptiis.* Reperimus enim, quod Josephus primus sit, qui hunc obiverit ritum. *Gen. L*, 2. Aegyptius *pollincturæ* modus ita habuit: *Auferunt viscera ex cadavere, purgant ac lavant vino dactylidum, & rursus aromatibus. Postmodum replent intestina pura contusa myrrha & casia aliisque aromatibus*, (præter thus) *& ostendunt. Deinde condiunt corpus*, 70 *dies nitro abscondentes, non diutius: post* 70 *dies lavant corpus, & bysso gummi illitæ involvunt, quod gummi Aegyptii usurpant pro glutine; Græci vocant* ταρίχευσιν. HEROD. *Euterpe.*

VI. Vſus illius erat, ut conſervarentur corpora, ne tam cito putreſcerent. Quando autem non diu tardabant ſepulturam, aliam adhibebant *pollincturam*, nempe externum aromatum & ſuffimentorum illitum, retinente inteſtina ventre. Hoc vocant Græci ἐνταφιάζειν. Vſurpatur tamen τὸ ἐνταφιάζειν, in Scripturis lata ſignificatione, ad denotandam utramque *condituram*. Immo ἔθαψαν, *ſepeliverunt* occurrit *Gen. L*, 26. pro eo, quod in Hebr. exſtat, וַיַּחַנְטוּ *& aromatibus condiverunt.* Verbum ἐνταφιάζειν, adhibetur Salvatori noſtro *Joh. XIX*, 3. Subinde *cremabant cadaver*, oſſa urna condentes. *Amoſ. VI*, 10. (6). Vt plurimum autem totum *ſepeliebant* corpus.

VII. Vetuſti Judæi, ſi non acceperant a majoribus ſepulcretum (7), tum ſibi ipſis comparabant, quo ipſi olim ipſorumque familia reconderentur. Facies ejus loci hæc fuit (8): Caverna fornicata erat ex rupe, *ſex cubitorum longa* דְאַמּוֹת עַל שֵׁשׁ TALMVD. *Seder. Nez.* in *Bavabathra c.* 6. & quatuor lata; in qua octo aliæ minores cellulæ ſeu cavernulæ (aut juxta alios tredecim) diſtinctæ erant pro recipiendis cadaveribus. Quoties quempiam *humabant*, ſolebant ori ſepulcri ingens ſaxum apponere (9). *Cavernam* ſeu *fornicem* ipſum denominabant de *humationis* actu קֶבֶר *ſepulcrum*, aut de ipſius forma מְעָרָה *ſpeluncam.* Cellulas iſtas, quibus reponebatur cadaver, vocabant כּוּכִים *tumulos*, & ſaxum גּוֹלֵל *lapidem volutationis.* Hæc multum lucis afferunt Evangeliſtæ: *Joſeph, cum accepiſſet corpus Chriſti, involvit illud ſindone pura, poſuitque illud* ἐν τῷ αὐτοῦ μνημείῳ καινῷ, *in monumento ſuo novo, quod cælaverat ex petra, & advolvit ſaxum ingens oſtio ſepulcri. Matth. XXVII*, 59, 60.

VIII. Hæc ſepulcra ſeu fornices quum ditiores pingerent, ornarent, & polirent circa os ſeu introitum eorum, hinc fluxit ille mos loquendi: *Sepulcra dealbata* (10). Quoties occaſio erat recolendi memoriam alicujus amici mortui, aut de eo loquendi, uſi ſunt eo: זֵכֶר צַדִּיק לִבְרָכָה *memoria juſti ſit in benedictione. Prov. X*, 7. (11). Propterea Rabbini, quoties citant aliquem venerandum auctorem, conſueverunt ſemper addere honeſtam hanc commemorationem: *N. Benedictæ memoriæ.* ז״ל. Ordinaria ipſorum *epitaphia* (12) hæc erant: נִשְׁמָתוֹ תְּהְיֶה צְרוּרָה בְּגַן עֵדֶן אאא סֶלָה *Anima ejus ſit colligata in hortum Eden ſeu in faſciculum vivorum. Amen Amen Amen Selah.* SCHINDL. *in voce* צרר.

IX. Recentiores Judæi ſomnia fovent de *loco ſepulturæ* (13), perſuadentes ſibi, quod, ubi Iſraelita animam efflat in terra peregrina extra terram promiſſionis, is exſors futurus ſit reſurrectionis, niſi ipſi Deus *viam ſubterraneam* expedire dignetur (14), per quam ipſius corpus continua volutatione & rotatione feratur in terram Canaan.

X. Fundamentum hujus opinionis deſumitur ex mandato Jacobi ad filium ſuum Joſephum, ne ipſum conderet terra Aegyptiaca, ſed Cananæa; cujus mandati tres afferunt rationes. 1. Quia Joſephus per Spiritum Propheticum prænoverit, quod pulvis illius terræ poſtmodum commutandus ſit in pediculos. 2. Quia illi, qui decederent extra terram ſanctam, non reſurrecturi ſint, niſi prius ipſorum corpora volutа-

lutatione difficili & acerba per cavam istam viam eo deferantur. 3. Ne Aegyptii ipsum adorarent idololatrice. SALOM. IARCHI. *Gen. XLVII*, 20. (15).

XI. Celebrarunt itidem *convivium funebre* (16), quod dicitur *panis hominum. Ezech. XXIV*, 19. & *calix consolationis. Jer. XIV*, 7. Quoniam adhibebatur ad *solandum* eos, quorum cor mœstum esset. Simile est Romanorum *silicernio*. Ex duobus his posterioribus locis observare possumus, quod in sepeliendis amicis sequentes usurparent ceremonias; quasdam ad *testandum*, & quasdam ad *ampliandum* suum mœrorem.

XII. I.) *Seipsos secabant* (17), hoc est vulnerabant, aut instrumento membrum aliquod corporis amputabant. Hanc feritatem didicerant a Gentibus, quæ non tantum ora laniabant, sed & quasdam corporis partes acu sauciabant, vel alias incidebant, atramentumque superponebant, quod in cultum Dæmonum suorum fiebat. Præcipitur ergo, ne ullo pacto, sicut Gentes, ferirent carnes suas, *Deut. XIV*, 1. quemadmodum sacerdotes Cybeles & Deæ Syrorum, ut refert LVCIANVS. P. FAGIVS *Deut. XIV*, 1.

Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.

VIRGIL. *l.* 4. *Aeneid.* 673.

XIII. Et II.) *sibi ipsis calvitiem faciebant* (18) variis modis, aut *tondendo* capillos, aut *evellendo* manibus, aut *exstirpando* medicamentis. Aliæ nationes solebant radere caput, & capillitium offerre mortui causa. OVID. *Met.* 3. *vers. a fin.* 227.

- - - - Planxere sorores
Najades, & sectos fratri imposuere capillos.

Subinde solas *tondebant* genas, interdum supercilium; quæ gentiles consuetudines proscribuntur. *Deut. XIV*, 1.

XIV. III.) *Ibant nudo capite* (19), ut possent id pulvere & cinere conspergere, testantes *se indignos esse, quos terra portet.*

XV. IV.) *Ibant nudo pede* (20), ad majoris humilitatis speciem.

XVI. V.) *Obvelabant labia* (21); quod erat singularis mœstitiæ pudorisque nota. *Et pudefient videntes, & compungentur fatidici, & operient mentum omnes, quia non est responsio Dei. Mich. III*, 7. Quæritur, quomodo obvelarint sua *labia?* Resp. putantur fecisse *extremitatibus palliorum aut vestium injectis.* D. KIMCHI & ABEN ESRA. P. FAG. *Lev. XIV*, 45.

XVII. VI.) *Dissuebant vestes suas* (22).

- - - Scissaque Polyxena palla.

IVVENAL. *Sat.* 10. vers. 262.

XVIII. Tandem VII.) *Lumbos cingebant cilicio. Gen. XXXVII*, 34. (23). Hæ fuerunt generales luctus notæ & signa, usurpata in omnibus majoribus lugendi occasionibus.

XIX. Præterea duo insuper sunt signa, sepulturæ propria, ad ampliandum luctum. 1. *Musici* (24), qui sono querulo & flebili affectus populi ad ploratum movebant.

 Horum

Horum duæ ſpecies erant. Alii modulabantur *tibiis*; alii inſonabant *tubis*. *Majoris ætatis* fortunæque *funera ad tubam proferre ſolebant, minoris vero ætatis & conditionis ad tibias*. SERVIVS. *Aeneid*.

Cum ſignum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros ſuetum producere manes
Lege Phrygum mœſta.

STATIVS *Theb*. *l*. 6. verſ. 121. Hoc reſpectu dicitur, quod Jeſus, ſuſcitans filiolam Jairi, expulerit τὰς αὐλητὰς, *tibicines Matth. IX*, 23. Et 2. *Feminæ* eodem fine *conductæ* (25) ad modulandum lugubre carmen, & exterioribus luctus ſignis catervam commovendum fortius. *Vocate lamentatrices, ut veniant, & ad ſapientes feminas mittite, ut veniant Jer. IX*, 16. Has vocabant Romani *Præficas*, quaſi in hoc ipſum præfectas.

CAPVT VI.

DE IVRE IVRANDO.

Modus *jurandi* ſæpe fiebat elevatione manuum verſus cælum (1). Dixit Abraham ad Regem Sodomæ; *extuli manum meam ad Jehovam*, h. e. *juravi*, me non capturum eſſe vel filum, vel corrigiam calcei tui. *Gen. XIV*, 22, 23. Quo reſpicit Pſalmiſta: *extulit manum ſuam*. *Pſalm. CVI*, 26.

II. Interdum *jurans ponebat manum ſuam ſubter femore alterius* (2), cui *jurabat*. Legimus ita *Abrahamum* adminiſtraſſe hunc *jurandi* modum. *Gen. XXIV*, 2. & *Jacobum*. *Gen. XLVII*, 29. Quam cerimoniam quidam exponunt eſſe *ſubjectionis ſignum*. ABEN ESRA *Gen. XXIV*, 2. Alii dictitant fuiſſe *myſterium circumciſionis*, cujus notam ferebant circiter eum corporis locum. SALOM. IARCHI *ibid*. Aliis videtur probabilius, fuiſſe *myſticum ſignum Chriſti promiſſi ſeminis*, quod naſciturum eſſet ex lumbis Abrahæ aut femore, quemadmodum ſimilis loquendi modus uſurpatur *Gen. XLVI*, 26. *animæ egreſſæ ex femore Jacobi*. AVGVST. *Quæſt. ſuper Gen. LXII*.

III. Interdum etiam *jurabant ſtando coram altari*. 1 *Reg. VIII*, 31. (3). Qui etiam mos Athenienſium fuit. ALEX. AB ALEX. *l*. 5. *c*. 10. item Carthaginienſium. LIVIVS *Dec*. 3. *l*. 1. VALER. M. *l*. 9. *c*. 3. ac Romanorum.

Quantum quiſque ſua nummorum ſervat in arca,
Tantum habet & fidei: jures licet, & Samothracum,
Et noſtrorum aras, contemnere fulmina pauper
Creditur atque Deos.

IVVENAL. *Sat*. 3, *verſ*. 143.

IV. *Ob-*

IV. *Objectum legitimi juramenti* fuit atque est solus *Jehova*, unde *jurans* dicitur *confiteri Deum* (4). Conf. *Jesa. XLV*, 23. cum *Rom. XIV*, 11. Antiquus autem mos imponendi *juramentum* hic fuit: *Tribue gloriam Deo. Jos. VII*, 19. *Joh. IX*, 24. Deus itaque glorificatur *juramento*, quia eo fit solennis confessio divinæ *omnipræsentiæ*, quod ubicunque præsens sit; item *omniscientiæ*, quod sint πάντα τετραχηλισμένα τοῖς ὀφθαλμοῖς ἀυτȣ̃, abditaque quæque pernoscat; *veritatis*, quod sit *cultor veritatis* & *ultor falsitatis*; *justitiæ*, quod sit ἐκȣ́σιος, promtus; *omnipotentiæ*, quod satis virium ipsi sint ad puniendum eos, qui Deo *perjurio* illudunt. Et quemadmodum *objectum legitimi juramenti* erat solus Deus (5), ita docet, quod non cito & incaute suscipiendum sit, sed tantum, si sit necessitatis vi impositum; nam & vox Hebr. נִשְׁבַּע passiva est (6), potius significans τὸ *jurari* quam *jurare*.

V. Corruptis temporibus solebant *jurare* per *creaturas* (7). *Allium, porrum, cepasque inter Deos jurejurando habuit Aegyptus.* PLIN. *lib.* 19. *c.* 6. IVVEN. *Sat.* 15. vers. 9, 10. Judæi autem præprimis *jurabant* (8) *per Hierosolymam, per templum, per templi aurum, per altare, & donum super altari.*

VI. Hoc *donum* Hebraice vocatur קָרְבָּן *Corban*, eratque tempore Salvatoris nostri ex iis *juramentis* unum, quæ Scribæ & Pharisæi censebant esse plurimum obligantia: Ἐν ὅις μετά τινων ἄλλων καὶ τὸν καλȣ́μενον ὅρκον Κορβᾶν καταριθμεĩ, *inter quæ sacramenta cum quibusdam aliis etiam jusjurandum, quod Corban appellatur, enumerat.* IOSEPH. *contr. App. l.* 1. *p.* 147. Si quis *juraverat per altare*, nihil erat, quod si autem *per donum super eo*, tenebatur (9). *Matth. XXIII*, 18.

VII. Et licet lex Dei præcipiat & sustentationem & honorem parentibus impertiendum, nihilominus, ubi se obstrinxerant *jurejurando Corban* (10), scil. parentes non a se adjutum iri, putabant se lege solutos esse. De quo TALMVD. HIEROS. *Tract. de votis c.* 10. dicit: *Quivis tenetur suum patrem & matrem honorare, nisi contrarium voverit.* Et satis manifestum est, quod Judæi sæpe *solennibus promissis* & *juramentis* seipsos devinxerint, se huic vel illi nihil commodi præstituros. Ὅρκῳ πιςȣ̃νται τῷ δεῖνι μὴ παρέξειν ὠφέλειάν τινα. *Jurejurando se obstringunt, se huic vel illi non præstituros utilitatem aliquam.* PHILO IVD. *de Specialib. Legib. p.* 595.

VIII. Sciendum porro est, quod plerumque *juramentum* comitata sit *execratio* (11), aut *devotio* conditionalis, quæ sic interdum similiterque exprimitur: *Nisi ita vel ita fecero, faciat mihi Deus ita, & ita addat.* 1 *Sam. XIV*, 44. 1 *Reg. XX*, 10. (12). Interdum illa subintelligitur, ut *Gen. XIV*, 23. *Extuli manum meam ad Jehovam, si vel filum vel corrigiam calcei capiam; tum Dominus mihi ita faciat, & ita addat.* Hoc aut ejusmodi quid tacite subintelligitur, facitque ut prius sonet negative, quasi Abraham hoc modo dixisset: *juravi, me non capturum quidquam.* Similis ratio illius *Psal. XCV*, 11. *Juravi in ira mea, si intrabunt in quietem meam. Hebr. III*, 18.

IX. Hæc juvant explicationem difficilis illius loci *Matth. XV, 5.* ubi legitur: Δῶρον, ὃ ἐὰν ἐξ ἐμοῦ ὠφεληθῇς, *oblatio sit, quidquid ex me utilitatis ceperis.* Quod si autem hæc verba concipiamus juxta formam *jurisjurandi Corban*, sic scil. *si per Corban quidquam tibi profuero*, hac *execratione* subaudita, tum *faciat mihi Deus ita, & ita addat*, sensus talis emerget: *Per Corban nihil tibi prodero.* Interpretor ὃ ἐὰν, *si quidquam*, quemadmodum ὃς ἐὰν, *si quisquam. Matth. X*, 14. & *Matth. XXIII*, 18. Cæterum si quis urgeat, quod in fonte sit Κορβᾶν, non *per Korban*, vel ἐν Κορβᾶν; sciendum, quod similis ellipsis in *jurandi* formulis non sit inusitata; hinc בְּמָעוֹן הַזֶּה valet הַמָּעוֹן הַזֶּה *per domicilium hoc.* Vid. DRVS. *de* 3. *Sect. l.* 2. *c.* 17.

X. Hæc interpretatio tam bene collimat cum scopo loci istius, quam cum modo *jurandi*, & clare docet, qua ratione Pharisæi suis statutis & traditionibus præcepta Dei eluserint. Deo enim mandante, *honora patrem ac matrem*, Scribæ & Pharisæi dicunt: si quis parentibus opem poscentibus responderit, *per Corban nihil tibi prodero; non tenetur.*

CAPVT VII.

DE MODO SCRIBENDI, MASORETHIS, IPSORVMQVE OPERE.

Scriptura nulla in natione subito perfectionem obtinuit, sed per gradus limatior facta est.

II. Opiniones veterum de auctoribus ac inventoribus *literarum* (1) diversæ sunt. Quidam dicunt, *Cadmum* primum in Græciam intulisse *literarum* usum. PLIN. *l.* 7. *c.* 56. DIOD. SIC. *l.* 6. *c.* 15. Alii *Palamedem.* SERV. *l.* 2. *Aeneid.* Alii produnt, *Rhadamanthum* intulisse eas in Assyriam, *Memnonem* in Aegyptum, *Herculem* in Phrygiam, *Carmentam* in Italiam. ALEX. AB ALEX. *Genial. l.* 2. *c.* 30. Ita quoque quidam dicunt, quod *Phœnices* primi fuerint, qui noverint usurparintque *literas.*

Phœnices primi, famæ si creditur, ausi
Mansuram rudibus vocem signare figuris.

LVCAN. *lib.* 3. *vers. circit.* 220. Alii dicunt, primos auctores *Aethiopes.* DIOD. SIC. *l.* 4. Alii *Assyrios.* PLIN. *loc. cit.* Sed firmiore fundamento *statuitur Moses* (2), *quod primus docuerit Judæos literarum usum;* & quod *Phœnices* eas didicerint a *Judæis*, & a *Phœnicibus Græci.* EVSEB. *Præp. Evang. l.* 8.

III. Materia itidem, cui *inscribebatur* (3), rudibus ætatibus diversa fuit. Quidam *inscribebant interioribus* arborum *corticibus*, unde & dictus est *Liber*, qui proprie denotat talem *corticem.* Alii literas *officulo,*

officulo, pennæ vice, exarabant in *lateribus*. DIOG. LAERT. *in vita Cleanthis*. Alii scribebant *in tabulis*; quæ postrema scriptura Judæis familiaris fuit. Decalogus inscriptus erat *duabus tabulis lapideis*. Rursus: *scribe illud in tabula*; *Jes. XXX*, 8. LXX ajunt: ἐπὶ πυξίυ, *in tabella buxea*, ac si tabulæ scriptoriæ ea tempestate fuerint e buxo confectæ. Tum temporis non utebantur pennis, sed instrumento quodam ferreo (4), quod dicebant *Stylum*; cujus altera extremitas acuta erat cuspide, ad facilius incidendum literas; altera autem erat latior, ut rursum obliterarent, quod exarassent. Vnde & natum est illud proverbium: *Invertere stylum*; h. e. mutare quod dixeris aut scripseris. ERASM. *Adag. Mutatæ sententiæ. Scribe stylo hominis. Jes. VIII*, 1.

IV. Antequam etiam libros compingere scirent, quemadmodum hodie, inscribebant *voluminibus* papyri aut membranarum (5), quæ interdum latitudine in decem ulnas, longitudine in viginti excurrebant. *Zach. V*, 2. Tale *volumen* vocabant מְגִלָּה *volumen*, Anglice *a volume*, *a* גָּלַל *volvit*. *In volumine libri de me scriptum est. Ps. XL*, 8. Et Christus librum claudens, dedit ministro. *Luc. IV*, 20. Originalis vox est πτύξας, *complicans*, *convolvens*, *&* *vers.* 17. ἀναπτύξας, *explicans*, *evolvens*.

V. Hæc *volumina* non erant conscripta continuo vocabulorum fluxu, sed scriptura distincta in iis erat multis spatiis & columnis, quasi totidem areolis (6). Hæ *areæ* scriptis consitæ erant vice foliorum in libris; sic intelligenda sunt illa *Jer. XXXVI*, 23. *Cum legisset Jehudi tres paginas vel quatuor*, *scidit id cultello Scribæ* &c. Hæ *paginæ* nihil aliud erant, nisi spatia repleta in *volumine*. Hodierni Judæi Legem hujusmodi *voluminibus* & *spatiis* scriptam in suis Synagogis recondunt. BVXTORF. *Instit. Epist. p.* 4.

VI. Multum depugnatur, utrum Judæi ab initio scripserint cum Vocalibus & Accentibus, aut an iidem a Masorethis additi sint? Quod ut intelligatur, opus erit inquirere, 1) qui fuerint *Masorethæ*? 2) quod ipsorum opus? et tum decidemus, quid plausibilius hac in re videri possit.

VII. *Primo*, quod attinet *Masorethas* (7), sciendum est, quod מָסַר significet *tradidit*, & מָסוֹרָה *traditionem*, ex manu ad manum ad posteros sine scripto transmissam, quemadmodum *Pythagorici Druidæ*que facere consueti erant. Sed hic per synecdochen significat *scholia &* *notas criticas*, positas in Bibliorum margine. Auctores harum *notarum criticarum* vocabantur *Masorethæ*.

VIII. De iis autem, quales fuerint, duæ sunt opiniones. Quidam putant, fuisse ipsos Judæos doctos, Tiberiade habitantes, proptereaque dictos *Sapientes Tiberiadis*. ABEN ESRA. Vid. BVXT. *Comment. Masor. c.* 3. Hi Sapientes putantur notas istas marginales addidisse Bibliis Hebr. brevi tempore post excusum Talmud Babylonicum, scil. circa annum Domini nostri 506. ELIAS LEVITA *in Præf.* 3. *l. Masoreth. Hammasoreth*. Verum hæc opinio concidit duabus rationibus. 1) quia historiæ non produnt, quod ullum collegium aut schola tam longo temporis tractu Tiberiade per-

perſtiterit, ſed potius quod doctrinæ gradus ibidem ceſſarint anno 400 poſt nativitatem Salvatoris noſtri. BVXT. *in comment. Maſ. c.* 7. Et 2) quia in utroque Talmude Maſoræ ipſiusque rerum mentio fit. BVXT. *in comment. Maſ. c.* 8. Alii ergo veriſimilius dicunt, *Maſorethas* illos fuiſſe *concilium Eccleſiaſticum* ſeu collegium conſtitutum ab *Eſra, Haggai, Zacharia, & Malachia*, aliiſque pluribus ad reformandam Eccleſiam congregatis, poſt reverſionem e Babylone. R. ASARIAS. R. GEDALIA. BVXT. *in comment. Maſ. c.* 11. Vocabantur illi *Collegæ, Viri Synagogæ magnæ.*

IX. Iſtud *Concilium* ad minimum 40 annos perſtitit; nam *Simeon Juſtus*, qui in veſtibus ſacerdotalibus occurrit, leniturus Alexandrum magnum infeſto animo adverſus Hieroſolymam moventem, ultimus illius *Concilii* fuit. PIRKE *Aboth. c.* 1. Et hoc fuit plus 300 annis ante nativitatem Chriſti. *Eſra* erat *Præſes Concilii*, tantæque apud Judæos auctoritatis, ut ipſum compararint Moſi, dicentes: *Dignus erat Eſra, quod data fuiſſet Lex per manus ejus Iſraeli, ſi non præceſſiſſet eum Moſes.* TALMVD. *Sanh. c.* 2. *f.* 21.

X. *Secundo*, advertendum eſt *munus*, ſeu *opus*, quod illi *Viri Synagogæ magnæ*, ſeu *Maſorethæ*, præſtiterint. *Opera* ipſorum *munus*que (8) ad hæc ſingularia reduci poſſunt:

XI. Congregata Synagoga magna, cujus caput fuit *Eſra*, inſpiratione Spiritus Sancti clarus, *Collegæ* determinabant, qui libri eſſent *canonici*, qui *ſpurii* & *apocryphi.* BVXT. *in comment. Maſ. c.* 11. Caſtigabant libros canonicos ab omni errore (9), qui tempore captivitatis in ipſos irrepſerat. TERTVLL. *l. de habit. muliebr.* CHRYSOST. *Homil.* 8. *ad Hebr.* IRENAEVS *adverſ. hæreſ. lib.* 3. *c.* 25. AVGVST. *de mirab. Sacræ Script. l.* 2. *circa finem.* Dividebant V. T. in libros 22 pro numero literarum Hebraicarum. GENEBRARD. *lib.* 2. *Chron.* idque in *ſectiones magnas*, & *verſus* (10); nam etiamſi lex non ita citra ordinem, ſine ullo ſpatio & ſigno diſtinctionis, inter vocem & vocem, ſcripta eſſet, ut videretur eſſe unus continuus verſus, aut, quemadmodum *Kabbaliſtæ* dicunt, תֵּיבָה אַחַת *dictio una*, usque ad tempora *Maſorethàrum*, attamen non ita diſtincta eadem erat in ſectiones & verſus, ut nunc habemus. Addiderunt ſuas cenſuras & notas criticas, quantum requirere videbatur irregularitas multarum vocum, reſpectu vocalium & accentuum. Numerabant verſus, voces, literas cujusque libri, ut præcaveretur omnis corruptionis poſſibilitas, ævis inſequentibus; nam abhinc dicebant, deficiet donum prophetiæ. Tandem annotabant *variantes ſcriptiones & variantes lectiones.*

XII. Quod ut intelligatur, ſciendum eſt, quod in textu Hebr. multæ voces ſcribantur pluribus, multæque paucioribus, quam proferantur, literis; & quod multæ voces ſcribantur, quæ non legantur. Sunt autem octo voces, quæ ſcriptæ ſunt in textu, ſed non leguntur, quas adducit *Maſora. Ruth.* 3, 12. &c. Diverſitas in margine exprimitur, unde diverſitas in textu vocatur כְּתִיב *Scriptio*: diverſitas in margine, קְרִי *Lectio*, quia vox in margine notata legitur. Hæc differentia putatur a quibusdam eſſe correctio Bibliorum, juxta peculiares deſcriptiones

nes post liberationem ex Babylone. Contra hos disputat ELIAS LEV. *in Præf.* 3. *l. Mas. Hammas.*

XIII. Quod autem eæ diversitates sint auctoritatis divinæ, continentes multa mysteria Mosi patefacta, & insequentibus Prophetis, (licet plurima illorum nostrum ævum lateant) quodque non sint correctiones, sed quod studio & summam ob rationem ab ipsis Prophetis sanctisque Scripturæ scriptoribus fuerint constructæ, hoc ὀφθαλμοφανῶς patet ex variantibus lectionibus, quas deprehendimus in illis libris, quos conscripsere *Haggai, Zacharia, Maleachi, Daniel, Esra.* Qui quum essent suorum librorum auctores, non habebant opus correctione eo tempore, cum essent præsentes; & tamen in iisdem variantes lectiones occurrunt.

XIV. *Tertio*, propositio hæc sequitur: quia *Masorethæ* suæ censuræ virgula multas voces, propter irregularitatem vocalium & accentuum in istis, notant, propterea vocales non agnoscunt auctores *Masorethas* (11), sed redolent eamdem cum suis vocibus vetustatem. Et revera alias fuissent corpus sine anima.

CAPVT VIII.

DE METATIONIBVS TENTORIORVM ET CASTRIS ISRAELITARVM.

Templum Israelitarum in desertis vagantium fuit *Tabernaculum,* & domicilia, *tentoria,* adeo ut *castra* ipsorum dici potuerint *urbs mobilis.*

II. *Castra* distinguebantur in tres partes (1). In centro seu in medio erat *Tabernaculum cum atriis,* quod vocabant *castra Majestatis Divinæ.* Circum ea proxime habitationes figebant Sacerdotes & Levitæ, quibus cura tabernaculi commissa, & propterea proxima habitatio commodissima erat. Hæc vocabant *castra Levi.* In extrema parte circum Levitas sua metabantur *tentoria* duodecim tribus, vocabantque *castra Israelis.*

III. *Prima castra* erant instar templi cathedralis cum cœmeterio. *Secunda* instar loci privilegiati prope templum, in quo erecta sunt pro clericorum habitationibus collegia. *Tertia* velut corpus urbis, ubi cives seu laici habitant.

IV. Totorum *castrorum forma* verisimiliter putatur fuisse *quadrata.* Quidam dicunt eadem exivisse in 12 milliarium longitudinem, & duodecim milliarium latitudinem. VZIEL *Num. II,* 3. A parte orientali tendebant hæ tres tribus, *Juda, Isaschar, & Zebulon:* A parte australi, *Ruben, Simeon, & Gad:* A parte occidentali, *Ephraim, Manasse, & Benjamin:* A parte boreali,

Dan, *Ascher*, *&* *Naphthali*. Et hæ tribus constituerunt extrema, seu *Israelis castra*.

V. Inter singulas tribus, in singulis his quatuor partibus, patebant spatia magna instar platearum, in quibus, quemadmodum in foris, emebatur vendebaturque (2), ac ubi institores Cereales apportabant, reducebantque. Ὀυδενί τε ἄλλῳ ἢ πόλει μεταvισαμένῃ καὶ καθιδρυμένῃ ἐῴκει, *nulli alii rei, quam urbi bene ordinatæ & dispositæ similia sunt*, scil. castra, IOSEPH. *l.* 3. *Antiqu. c.* 11. *p.* 57.

VI. Tradunt Hebræi, filios Israelis castra metatos fuisse in circuitu tabernaculi, ut unum milliare interfuerit, h. e. spatium mille passuum, quod est iter Sabbathi. P. FAGIVS *Num. II*, 3. quod colligitur ex *Jos. III*, 4. ubi præcipitur spatium cubitorum 2000 inter populum & arcam. Postea tendebant castra Levitæ. A parte orientali, *Moses & Aaron & Sacerdotes;* a parte australi, *Cohathitæ;* a parte occidentali, *Gersonitæ;* a parte boreali, *Meraritæ*.

VII. In meditullio erant *castra Divinæ Majestatis*. Huc allusit *David*: *Ps. XLVI*, 6. *Deus est in medio ejus; non movetur*. Stabilita republica, partes Hierosolymæ æquali modo distinctæ fuere. A portis Hierosolymæ ad montem templi erant *castra Israelis;* a porta montis templi ad portam atrii (quæ alias vocatur *porta Nicanoris*) erant *castra τῦ Levi:* a porta atrii & longius erant *castra Majestatis Divinæ*. MAIMON. *in Bethhabchirah. cap.* 7. *sect.* 11.

VIII. Adhæc sciendum est, quod duodecim tribubus fuerint quatuor principalia, *vexilla;* singula *vexilla* trinis tribubus: quam ob causam Ecclesia dicitur *terribilis ut acies vexillis instructæ. Cant. VI*, 4. Vocabulum Hebr. דֶּגֶל *vexillum Num. II*, 2. vertunt LXX τάγμα, *ordinem*, *turmam*. Ἄνθρωπος ἐχόμενος κατὰ τάγμα ἀυτῦ, *quisque juxta ordinem suum*. *Chaldæi* vocant תְּקָס (quam vocem mutuantur a Græcis, quibus τάξις idem est) *ordinem;* ut גְּבַר עַל תִּקְסֵיהּ *quisque juxta ordinatas suas acies*. Hinc suum loquendi modum sumsit Paulus 1 *Cor. XV*, 23. Ἕκαςος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι.

IX. Singula *vexilla* putantur fuisse tribus coloribus tincta, secundum colores gemmarum in pectorali (3); & gestasse Patriarcharum nomina. IONATH. VZ. *Num. II*, 3. Verum hæc proportio vacillat; *nam tribus Levi*, quæ hic reliquis tribubus non annumeratur, suam tamen gemmam habebat in pectorali. *Joseph* autem, cujus gemma in pectorali fuit *beryllus*, hic constituit duas tribus, *Ephraim & Manassen*, attamen ei non possunt colores ex pectorali tribui.

X. Singulis *vexillis* sua erat *inscriptio*. In primo exaratum erat illud *Num. X*, 35. *Surge Jehova, & dispergantur inimici tui, fugiantque osores tui a vultu tuo.* Præterea putatur ab Hebræis, quod singulis *vexillis* impressum fuerit peculiare *signum*. Dicunt, in *vexillo* Ruben fuisse imaginem hominis; in *vexillo* Judæ, imaginem leonis; in *vexillo* Ephraim, imaginem bovis; in *vexillo* Dan, imaginem aquilæ. P. FAGIVS *Num.* 2. ABEN ESRA *ibid.* Quæ quatuor ani-

animalia memorantur ab *Ezech. c. I,* 10. ad definiendam Angelorum naturam; nam Angeli ex hoc versu definiri possunt, quod sint Spiritus intelligentes, ut homo; potentes, ut leo; ministratorii, ut bos; & celeres, ut aquila. TREMELL. *in Ezech. I.* Hanc Cherubinorum descriptionem habes *Apoc. IV,* 6.

XI. Per quæ quatuor animalia, juxta sententiam multorum Patrum, figurantur *Evangelistæ quatuor.* HIERON. *ad init. sui Comment. in Matth.* item GREGOR. *Homil. l.* 4. *Ezech.* Ab HIERON. dissentit AVGVST. (4) *in Matth.* & *Marc.* nam in leone Matthæum, Marcum in homine putat adumbratum. AVGVST. *de Consens. Evang. l.* I. *c.* 6. Ita creditur, quod *Homo Matthæum* adumbrarit, quia Evangelium exorditur *generatione* Christi secundum humanitatem; *Leo Marcum*, quia suum Evangelium inchoat voce leonis rugientis in deserto, *Vox clamantis in deserto; Bos Lucam,* quia inchoat cum sacerdote Zacharia; & *Aquila Johannem*, quoniam altius adscendit, initium de Deitate Christi capiens.

XII. Sic vidimus, quomodo metati sint sua *castra*, sequitur ipsorum *motio* & *progressus.* Vbi annotanda 1) ipsorum *motio* in itinere per desertum. 2) ipsorum *eductio* in bellum. I. Quod attinet *motionem* in itinere, aut progressi sunt, aut constiterunt, ratione nubis, quæ ipsos comitabatur (5); scil. si illa se aut moveret aut sisteret. cujus modus describitur *Num. X.*

XIII. Summatim observemus, quod, quando Deus nubem tolleret, Mose precato, & signo ad movendum a Sacerdotibus edito, tum moverit primum *vexillum Juda* cum *Isaschar* & *Zabulon*, subsequentibus *Gersonitis* & *Merarithis*, qui asseres & pelles tabernaculi curribus ferebant. Tubis alterum signum dantibus, movebant *Ruben, Simeon,* & *Gad*, sequentes tabernaculum. Post hos ibant *Kobathitæ* medii inter duodecim tribus, ferentes humeris suis *arcam, lychnuchum, mensam, altare*, aliasque res sacras. Tertio tubæ signo excitum est *vexillum Ephraimi, Manassis,* & *Benjaminis*, sequentium Sanctuarium. Huc respexit David, orans *Ps. LXXX,* 3. *Coram Ephraimo,* & *Benjamine,* & *Manasse excita præpotentiam tuam,* & *veni ad salutem nobis.* Quarto signo tuba dato, prodibant cum *vexillo* suo *Dan, Ascher,* & *Naphthali*, quibus erat demandata cura claudorum, debilium, & ægrorum, ne quis relinqueretur, sed omnes colligerentur, unde & illud *vexillum* vocatur *acies colligens. Jos. VI,* 9. quo respexit David *Ps. XXVII,* 10. *Pater meus* & *mater mea dereliquerunt me; at Jehova suscipiet me.*

XIV. 2) Quod attinet *eductionem* in bellum. I. Sacerdotes tubis edebant *sonum fractum* (6), *Num. X,* 9. quem vocant תְּרוּעָה *clangorem, vociferationem.* Hebræi duplicem *clangorem* esse statuunt (7), alterumque vocari תְּקִיעָה *clangorem*, alterum תְּרוּעָה *sonum fractum;* quorum ille æquabilis est vox, hic citus concisusque fragor; ille ad convocandos cœtus, hic ad accendendos militum animos facit. 2. Delectus ex toto numero sacerdos est, qui animos populi flexanima oratione ad pugnam incitaret. *Deut. XX,* 2. Hunc appellabant מְשׁוּחַ מִלְחָמָה *belli causa unctum* (8). 3. Ad prælium ibant *quini* in

uno ordine. *Exod.* XIII, 18. vox חֲמֻשִׁים hoc importat.

XV. Tandem observandum est, quomodo se gerere debuerint in *obsessione* urbis alicujus. Quod ut bene capiatur, duas has nota propositiones: I. Pacem debebant offerre (9) omnibus inquilinis & Cananæis *Deut.* XX, 10. Hoc clare patet *Jos.* XI, 19, 20. *Nulla fuit urbs, quæ pacem iniit cum filiis Israelis, nisi Hevitæ Gibeonis incolæ; omnes ceperunt bello. A Jehova enim fuit, ut obdurarentur corda ipsorum.* Moab autem & Ammon hic excepti sunt. Pacem ipsorum & bonum ipsorum Israeli interdictum est quærere. *Deut.* XXIII, 6. II. Non licebat Israeli fœdus ferire cum septem populis. *Deut.* VII, 2. *Exod.* XXIII, 32. XXXIV, 15. Licebat autem cum peregrinis. *Jos.* IX, 7. *Forsan in medio mei habitas, & quomodo percuterem tecum fœdus? Non, quomodo pacem componerem tecum?*

XVI. Si quis quærat, quid discriminis sit inter τὸ *pacem componere*, & *fœdus pangere*? Resp. duplex discrimen est. I. *Compositio pacis* erat *nuda stipulatio* & *promissio mutua*, ad tollendam omnem simultatem dissidiumque mutuum, ut utriusque partis vita tuta esset. *Percussio* autem *fœderis* erat *mutua solennis*que *devinctio*, de invicem præstanda illa promissione mutua, fiebatque externis cerimoniis, scil. dissecando bestiam, & inter partes transeundo (10). *Jer.* XXXIV, 18. q. d. *ita fiat ei, & ita corpus ejus dissecetur, qui ruperit hoc fœdus.* Hæc est causa, cur Hebræi, *fœdus facere*, dicant כָּרוֹת הַבְּרִית *dividere* aut *dissecare fœdus*, quemadmodum apud Latinos dicitur *percutere fœdus*, quæ locutio fluxit ab antiquo fœderis faciendi more. Sacerdos enim vel Fecialis feriebat porcum silice, dicens: *qui prior defecit dolo malo, hunc tu illo die Jupiter sic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam.* LIV. *Dec.* I. *lib.* I. *c.* 24. Deinde 2. Israelitæ non *componebant pacem*, nisi hac conditione; *ut populus iste fieret tributarius*, *Deut.* XX, 11. *Percussio* autem *fœderis* stabat æqualibus terminis, sine ulla vel tributi vel servitutis conditione, uti patet ex fœdere, quod pepigit cum Gibeonitis Josua, ubi nullius omnino conditionis mentio. *Jos.* IX.

XVII. Hæc distinctio videtur mihi sequenda. utpote I. quæ facit ad multorum Scripturæ locorum conciliationem; ut quando Deus ait: *offer omnibus pacem, & cum nemine pange fœdus.* 2. ostendit, quod fraus Gibeonitarum communi opinione major sit (11), nam non simpliciter quæsiverunt *pacem*, sed etiam *fœdus*; *Secate nobiscum fœdus. Jos.* IX, 6. Et 3. solvit communem objectionem *pro juramentis inconsideratis*, quod illa, licet illicita, obligent. Objectio ita habet: *Fœdus, quod Josua inconsiderate pepigit cum Gibeonitis, illicitum fuit, & tamen Josua illud servavit, ruptumque a Saule, Gibeonitas percutiente, ultus est Deus.* 2 *Sam.* XXI, 1. *Ergo &c.* Dico, quod solvat hanc objectionem, quia, sedulo contemplando factum Josuæ, reperiemus, quod juramenta inconsiderata, eo usque, & tantum eo usque, sint obligatoria, quoad convenit inter ipsa verbumque Dei. Verbum Dei requirebat, Gibeonitas debere esse tutos a vitæ periculo, quoniam pacem accipiebant, huc usque ergo fœdus illud in suo vigore mansit.

Rursus

Rursus Dei verbum requirebat, Cananitas accepta pace oportere esse tributarios, hic fœdus illud nullum vigorem habuit, propterea que fecit ipsos Josua *lignorum putatores & aquam haurientes;* quod fuit tributi species, juxta locutionem Scripturæ; *tributum corporis*, non *æris;* quo sensu Aegyptii Præfecti, qui cuivis suam statam operam demetiebantur, in Hebr. vocantur שָׂרֵי מִסִּים *Præfecti tributorum. Exod. I*, 11.

CAPVT IX.

DE MENSVRA.

Mensuræ, Hebræis usitatæ (1), ut & omnibus aliis nationibus, duarum fuerunt specierum (2). 1. quædam *Mensuræ applicationis*, veluti *spithama*, *ulna* &c. 2. quædam *Mensuræ capacitatis*, veluti *pintæ*, *sextarii*, *& modii* &c.

II. I.) *Mensuræ applicationis*, in Scriptura occurrentes, sunt sequentes, quibus fraus omnis abesse debuit. Fundamentum harum *mensurarum* erat latitudo tot & tot granorum hordeaceorum (3) mediocri magnitudine, juxta se positorum.

III. אֶצְבַּע *Digitus*, seu latitudo pollicis (4), complectebatur sex grana hordei ventre juncta. ARIAS MONTANVS *Thubal-Cain.* Verum licet *digitus* per rotundam supputationem pro *pollice* sumatur, *quatuor tamen digiti*, si accurate velimus loqui, *constituunt tres pollices.* FRANC. IVN. *in Ezech. XL*, 5. Hujus fit mentio *Jer. LII*, 21.

IV. *Palmus* (5); qui duplex fuit, *palmus minor*, & *palmus major*. *Minor* est *mensura* quatuor digitorum conjunctorum, seu trium pollicum. Græci vocant illam *mensuram* παλαιστίδα, Hebræi טופח. *Major* vocatur זֶרֶת (6), Græcis σπιθαμή, Latinis *spithama* & *dodrans;* & est *mensura* expansorum digitorum, a pollice summo ad digitum minimum.

V. פעם *Pes* (7) continet pollices duodecim, seu quatuor palmos minores, aut sedecim digitos. P. MARTYR. 1 *Reg. VI.*

VI. אַמָּה *Cubitus*, *Vlna* (8). Quatuor *cubitorum* species occurrunt apud Auctores. 1. *Cubitus communis*, seu distensio a flexura brachii ad extremitatem digiti medii. Continet Pedem & dimidium, seu sesquipedem (9). 2. *Cubitus sacer* (10), erat virga plena, complectens duos *cubitos communes*, uti patet ex coll. 1 *Reg. VII*, 15. cum 2 *Chron. III*, 15. Priori loco dicuntur columnæ altæ *octodecim cubitos:* posteriori, *cubitos triginta quinque;* quibus si addatur altitudo basis, quæ erat *pes*, vel *ulna communis*, duplicatur numerus; sic ut textus prior loquatur de *cubitis communibus*, posterior de *sacris*. 3. *Cubitus Regis*, qui trium digitorum longitudine superabat *cubitum communem*, qui communis proinde vocatur *cubitus viri Deut. III*, 11. quemque ONKELOS inconvenienter vertit

cubitum Regis. Vid. HERODOT. *l. 2. in descript. Bab.* 4. *Cubitus Geometricus*, mensura æquans sex *cubitos communes;* juxta hos cubitos creditur *arca Noachi* structa. ORIG. *Hom. 2. in Genes.* item AUGUST. *de C. D. lib. 15. c. 27.*

VII. Quidam *Cubitum Sacrum* & *Communem* ita distinguunt: *Communis cubitus*, ajunt, complectitur *quindecim pollices*, seu *quinos palmos minores; Sacer, octodecim pollices* seu *sex palmos minores.* Veruntamen probavimus *sacrum cubitum* complexum esse *duos communes.* Et verisimile est, quod, qui statuunt, eos *cubitos* tantum differre *tribus pollicibus* seu *uno palmo*, errorem suum trahant ex eo, *quia Cubitum Regis habent pro Sacro.*

VIII. חֶבֶל *Funiculus, Funis* (11). Ejus justa longitudo ignoratur; usus fuit metiri fundos; hinc & ipsius hereditatis nomen capit. *Funes mihi ceciderunt in amœnis. Psal. XVI, 6.* h. e. hereditas mea.

IX. קָנֶה *Arundo, Calamus* (12). Usus hujus fuit ædificia metiri; longitudo æquabat *sex cubitos, & palmum unum, Ezech. XL, 5. Cubiti* hoc loco exponuntur per *cubitos Regis.* Minor in hac mensura fraus subesse poterat, quam in Funiculo, quia extendi plus, plusve contrahi nequibat. Inde *canon S. Scripturæ* mystice adumbratur *calamo. Ezech. XL. Apoc. XXI, 15.*

X. His insuper aliæ addi possunt *mensuræ*, quibus *mensurarunt* suas *vias & gressus.* Minima hujus generis fuit צַעַד *passus* (13).

XI. Στάδιον, *stadium* (14); cujus sæpius in N. T. nunquam in V. T. mentio fit. Continet 125 *passus* seu octavam nostrorum milliarium partem. ISIDORUS. Sunt qui putant στάδιον denominari ἀπὸ τῆς στάσεως, *a stando*, quod Hercules tantum terræ spatium cursu interrupto *emensus sit, antequam steterit.*

XII. *Milliarium* est *spatium mille passuum* (15) plurium tamen apud Hebræos; apud quos vox כִּבְרָה (16) sæpiuscule *milliarium* transfertur, proprie tamen notat *prandium*, aut *alimentum*, a בָּרָה, ut כ sit servile; applicatumque *viis* & *spatiis*, significat tantum loci intervallum, quantum homo commode conficere potest die dimidio a pastu ad pastum. Vox ea legitur *Genes. XXXV*, 16. כִּבְרַת הָאָרֶץ *ut pastus terræ*, iter diei dimidiæ. Græci eo loco peregrinum substituunt vocabulum χαβραθὰ, extra dubium confictum ex Hebr. כִּבְרָה.

XIII. II.) *Mensuræ capacitatis* erant duum generum; quædam *mensuræ aridorum*, ut *frumentorum*, *seminum* &c. & quædam, *liquidorum* (17), ut *vini*, *olei* &c. Ut in utriusque *mensuris* justa proportio observaretur, omnes *mensuras* suas descripsere certo testarum gallinacearum mediocris magnitudinis numero (18).

XIV. Quando hic *mensuras* cum nostris confero, & loquor de *modiis*, *semodiis* &c. intelligo id juxta mensuras *Wintoniæ* (19). Talis *modius* continet *sedecim sextarios;* & quando loquor de *congiis*, *semi-congiis*, *quartariis* &c. intelligo id juxta nostras *men-*

menſuras cerevifiarias; qua re eyito fractionem numeri.

XV. קַב *Cabus* continebat tantum (20), quantum 24 *ova*, convenit cum *quartario* noſtro. ARIAS MONTANVS *Thubal-Cain. Menſura minima* in Sacra Scriptura eſt *quarta pars Cabi*, ſeu 6 *ova*, 2 *Reg. VI*, 25. Fames in Samaria tam magna fuit, *ut quarta pars Cabi excrementorum columbarum venierit quinque argenteis*. Rabbinis hoc proverbium de *Cabo* eſt: עֲשָׂרָה קַבִּין שִׂיחָה יָרְדוּ לָעוֹלָם תִּשְׁעָה נָטְלוּ נָשִׁים *Decem Cabi locutionis deſcenderunt in mundum, & novem iſtorum abſtulerunt mulieres* (21). BVXTORF. *Lex. in* הָיָה.

XVI. עֹמֶר *Omer* continet (22) *unum Cabum*, *& dimidium Cabum*, *& quintam partem Cabi*, h. e. *tres Pintas*, *& dimidiam*, *& quintam partem Semi-pintæ*. Erat decima pars *Ephæ*. *Exod. XVI*, 36. ALSTED. *Præcogn. Theol. l.* 2. *p.* 588.

XVII. סְאָה *Seah*, Σάτον, *Satum* (23). Latini Interpretes plerumque vertunt *Modium*. Continet *ſex Cabos*, h. e. congium & dimidium. Vid. BVXT. *Lex. in* קָבַב ex opere R. ALPHES *Tract. de Paſch. c.* 5. *fol.* 176. In genere hanc vocem interpretamur *menſuram*. *Cras hoc tempore veniet a meaſure menſura* (סְאָה) *ſimilæ*, *ſiclo*. 2 *Reg. VII*, 1.

XVIII. אֵיפָה *Epha* continet tria *Sata* (24). ARIAS MONT. *Thubal-Cain*.

XIX. לֶתֶךְ *Lethech* continet *quindecim menſuras* (25) ſeu *Sata*, h. e. *duos Modios*, *ſex Congios*, *& ſemi-Congium*. Hujus eſt mentio *Hoſ. III*, 2. Ibi a noſtratibus vertitur *an halfhomer*, ſemi-Chomer. Vid. EPIPHAN. *de Menſ. & Ponderib*.

XX. חֹמֶר *Chomer* (26); dicitur a חֲמוֹר *aſinus*, quoniam hæc menſura tantum frumenti capiebat, quantum aſinus ferre ſufficit. Continuit *decem Ephas*. *Ezech. XLV*, 11. h. e. 45 congios ſeu 5 modios & 5 congios.

XXI. כֹּר *Corus* eadem *menſura* fuit cum *Chomer* (27). *Ezech. XLV*, 14. Non autem tantum fuit *menſura liquidorum*. *Luc. XVI*, 7.

XXII. Hæ *menſuræ*, de quibus hucusque diſſeruimus, adhibentur ab Hebræis in *rebus aridis metiendis* (28). Fuerunt tres aliæ *liquidorum menſuræ*, ut:

XXIII. לוֹג. Continet *ſex ova* (29). Vid. BVXT. *loc. cit.* eadem *menſura* fuit cum quarta *Cabi* parte, ſeu *ſemi-Pinta*.

XXIV. הִין conficit 72 *ova* (30). BVXT. *ibid.* & juxta noſtram *menſuram* 3 *quartarios*.

XXV. בַּת Βάτος, *Bathus*, ejuſdem erat quantitatis cum *Epha* (31), ſcil. *decima pars Chomeris*. *Ezech. XLV*, 14. Latini Interpretes plerumque vertunt *Cadus*. HIERONYMVS *Ezech. XLV*. transfert *Vadus*; *Decima pars Cori*, inquit, *in ſpeciebus liquidis vocatur Bathus ſive Vadus*. Putaveram eſſe ſphalma typographicum, & poſitum eſſe *Vadus* pro *Cadus*; ſed invenio, Græcos adhibuiſſe vocabula Βάτος & Βάδος, pro qua poſteriori voce Pater iſte legit *Vadus*.

dus. Subinde in genere transfertur in nostra lingua *a measure, mensura. Luc. XVI,* 16. continetque 4 *congios & dimidium.*

XXVI. Omnes hæ *mensuræ* Hebræorum propriæ fuere. Sed præter eas, tres aliæ occurrunt in Nov. T. ductæ ab aliis gentibus. ut:

XXVII. Ξεστὸς, *Sextarius* (32). quam vocem vertimus *a Pot Marc. VII,* 4. ejusdem cum *Log* quantitatis fuit, si intelligimus *Sextarium Romanum;* paulo autem major est, si intelligimus *Sextarium Atticum.* Vndecim *Attici Sextarii* æquabant *Romanos* duodecim. Verisimilius ergo intelligimus *Romanam mensuram*, sic ut continuerit *sex ova*, seu *semi-Pintam.* Vid. ALSTED. *præcogn. Theol. p.* 561.

XXVIII. Χοῖνιξ, *Chœnix*, mensura (33). *Apoc. VI,* 6. Proprie denotat tantam frumenti *mensuram*, quantam servo de die pasci licuit. Hinc natum illud PYTHAGORAE χοίνικι μὴ ἐπικαθίσαι, *super Chœnice non sedeas;* h. e. *non unius diei dimenso acquiescendum, sed & in crastinum prospiciendum.* Continebat 4 *Sextarios*, h. e. *unum quartarium.* BVDAEVS *de Assib. l.* 5.

XXIX. Μετρητὴς, *Metreta Joh. II, 6.* (34). Transfertur *a Firkin.* Erat *mensura Attica*, ejusdemque quantitatis cum *Cado;* & *Cadus*, ut antea annotatum est, coincidit cum Hebraico *Batho*, sic ut quoque continuerit 4 *congios* & dimidium. BVDAEVS *ibid.*

CAPVT X.

DE MONETA IPSORVM CVPREA, ARGENTEA, ET AVREA.

Vt justos *nummos* & *pondera* haberent, utraque librarunt granis.

NVMMI CVPREI.

II. Λεπτὸν, *Minutum* seu *Quadrans ultimus Luc. XXI,* 2. *Marc. XII,* 42. (1). Recentiores Judæi vocant פְּרוּטָה *nummulum minutum*, *Syr.* שְׁמוּנָא *octavam assarii partem.* Pendet dimidium granum hordei. פְּרוּטָה זוֹ מִשְׁקַל חֲצִי שְׂעוֹרָה *Minutum istud est pondus dimidiæ partis hordei.* MOS. KOTS. *fol.* 124. *col.* 4. Conficit tres partes quadrantis nostri.

III. Κοδράντης, *Quadrans* (2), erat *nummulus Romanus*, pendens granum hordei, vel duo *Minuta: Vidua illa pauper immisit in gazophylacium duo Minuta, quod est Quadrans. Marc. XII,* 42. Consequenter valet nostrum quadrantem seu *c.* 12.

IV. Ἀσσάριον, *Assarius* vel *Assarium* (3), erat *nummus Romanus*, pendens quatuor hordei grana. Rabbini vocant אִיסוּר, & dicunt, quod constituerit 8 *Minuta.* DRVS. *in Præt. Luc. XII,* 59. De eo legimus *Matth. X,* 29. *Nonne duo passerculi Assario*

Assario veneunt. Nostri legunt *for a farthing*. Si præcise loquamur, de nostro valet *qa-q*. seu Semiss.

NVMMI ARGENTEI.

V. גֵּרָה *Gerah*, erat vigesima pars *Sicli* (4) *sacri*. *Siclus est viginti Gerah. Exod. XXX*, 13. Minimus est *nummus argenteus* Hebræorum, & convenit cum nostro *Obolo*. *1. d. ob.*

VI. אֲגוֹרָה *Agorah* (5). Vertimus in genere *a piece of silver, particulam argenti*. 1 *Sam. II*, 36. Verum ex Chaldaica Paraphrasi liquet, quod ejusdem cum *Gerah* valoris fuerit, ibidem enim utrumque transfertur מָעָא, & a Græcis ὄβολος. Valor ergo est 1. *d. ob*.

VII. קְשִׂיטָה *Keschitah* (6), notat *agnum* Hebræis, certumque *nummum*, cujus alteri lateri *agnus* impressus fuit. In genere vertimus *a piece of money*, *partem monetæ*. Jacob emit portionem agri *centum nummis*, *for* 100 *pieces of money. Gen. XXXIII*, 19. Hebr. *centum agnis*. Verisimile tamen est, Jacobum redemisse istum agrum *nummis*, nam Stephanus ait *Act. VII*, 16. emisse ipsum *pretio argenti*. Juxta sententiam Rabbinorum, ejusdem valoris cum *Obolo* fuit. R. SELOM. *Genes. XXXIII*, 19. item R. DAVID *in lib. Rad.* item LEVI BEN GER. *Gen. XXXIII*, 19. & constituit vigesimam *Sicli* partem. DRVS. *ad diff. loc. Gen. p.* 119. Valor ergo fuit 1. *d. ob.*

VIII. כֶּסֶף Ἀργύριον, *Argenteus* (7). Quemadmodum Romani suas *summas* numerabant *sestertiis*, sic, ut sæpe *nummus* absolute positus sit ad significandum idem, quod *sestertius*; ita Hebræi suas *summas* supputabant *siclis*, Græci *drachmis*. Hinc *Argenteus* in Sacra Scriptura absolute positus, cum locus agit de *nummis* Hebræorum, stat pro *Siclo*; valetque τετράδραχμον, seu *staterem Atticum* 2. *s. 6. d.* si fuerit *siclus sacer*; si vero *communis*, δίδραχμον *Atticum* 1. *s.* 3. *d.* Cum autem locus agit de *nummis* Græcis, ut *Act. XIX*, 19. tum notatur *drachma Attica*, quæ valet *obolos* 7. *Luc. XV*, 8. BREERWOOD. *de Num.*

IX. Δίδραχμον, *Didrachmum*. *Matth. XVII*, 24. (8). *The tribute-money* vertimus. *Syri* legunt תרין זוזין *duo zuzin*; Hebræorum autem *zuz* convenit Romanorum *denario*; ex quo patet, quod confecerit 7 *obolos* nostros.

X. Στατήρ, *Stater* (9). In genere interpretamur eum *a piece of money*, valet vero præcise *duo didrachma*. Nam *nummus* census a quovis dependendus erat *didrachmum Matth. XVII*, 24. Hicque *stater* solutus est pro duobus, nempe Christo & Petro. Ejus ergo valor æquavit 14 *obolos*. 2. *s.* 6. *d.*

XI. Δηνάριον, *Denarius* (10). Hoc erat *numisma census*, *Matth. XXII*, 19. Duæ species *denariorum* ipsis usitatæ erant. TREMELL. *Matth. XXII*, 19. *Denarius communis*, qui valet 7 *d. ob.* septem *obolos*. Et *denarius sacer*, qui constituit δίδραχμον, *Atticum* seu 1. *s.* 3. *d.* Et posteriori sensu Matthæus l. c. intelligendus est, nam *numisma census didrachmum* fuisse, ex *Matth. XVII*, 24. notavimus. Hoc *didrachmum*, seu *dimidia sicli pars*, antiquis temporibus quotannis ab Israelitis trigesimum annum assecutis Templo datum est, *Exod. XXX*,

32. ABEN ESRA. *Neh. X*, 32. Cæsar, hunc templi *censum* suo *gazophylacio* inferens, abstulit τὰ τοῦ Θεοῦ. Hinc Christus in quæstione sibi proposita; *Licet censum dare Cæsari, an non?* respondet; *Reddite, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.* Hic *census* postea, vi decreti a Vespasiano facti, Capitolio Romano depensus est. IOSEPH. *de B. J. l.* 7. *c.* 27.

XII. זוז *Zuz* erat *quarta pars argentei Sicli* (11), & sic æquivalet nostrorum *obolorum* septem 7 *d. ob.* זוז רֶבַע שֶׁקֶל כֶּסֶף *Zuz est quarta pars sicli argentei.* ELIAS THISBIT.

XIII. שֶׁקֶל *Siclus* (12) duplex erat. I. *Siclus Regius*, communis usus in negotiis civilibus, emtionibus, & venditionibus, & ejusdem valoris cum *didrachmo*. II. *Siclus Sanctuarii*, pretio æquans τετράδραχμον, seu 2. *s.* 6. *d.* In *Siclo Sanctuarii* duo typi excusi erant, quorum alter ubivis inter Judæos valebat. *Triginta argentei*, quos Judas accepit, creduntur fuisse *triginta sicli sacri*. Vnus typus in altero latere fuit *Vrna mannæ*, aut, juxta aliorum sententiam, *thuribulum Aaronis*, cum hac inscriptione שֶׁקֶל יִשְׂרָאֵל *Siclus Israelis*. In altero latere erat impressa *Virga frondens Aaronis*, cum hac inscriptione יְרוּשָׁלַיִם הַקְּדוֹשָׁה *Hierosolyma Sancta*. Post adventum Salvatoris nostri, conversi ad Christianam fidem Judæi mutarunt suum *siclum*, in priori latere exarata effigie Christi, adjectisque ad frondem vel os literis יש, & imposita capiti litera ו; quæ tres literæ componunt nomen Jesu. ALSTED. *Præcogn.* Altero autem hujus *sicli* latere nullum erat signum, sed totus orbiculus repletus erat hac inscriptione מָשִׁיחַ מֶלֶךְ בָּא בְּשָׁלוֹם וְאוֹר מֵאָדָם עָשׂוּי חַיִּים *Messias rex venit cum pace, & lux de homine facta est vita.* In aliis *monetis* eodem sensu hæc inscripta leguntur: אֱלֹהִים עָשׂוּי אָדָם ὁ Θεὸς ἐγένετο ἄνθρωπος. *Siclus Regius*; tempore Davidis & Salomonis, altero latere lignum tulit, turrim positam inter ירו & שָׁלֵם, infra quam legebatur עִיר הַקֹּדֶשׁ *Hierosolyma urbs sanctitatis.* Alterum latus totum inscriptum erat his verbis: דָּוִד הַמֶּלֶךְ וּבְנוֹ שְׁלֹמֹה הַמֶּלֶךְ *David Rex & filius Salomo Rex.* *Siclus* præterea in minores *nummos* divisus fuit, qui suam denominationem habuerunt a partibus ejus. Sic mentio fit *dimidii sicli Exod. XXX*, 13. & *tertiæ partis Sicli Neh. X*, 32. & *quartæ* 1 *Sam. IX*, 9.

NVMMI AVREI.

XIV. זָהָב (13), quod transferimus *a piece of gold* 2 *Reg. V*, 5. alii *siclum auri* esse putant ex 1 *Chron. XXI*, 25. Hujus generis sunt 1700 *nummi aurei*, quorum mentio *Jud. VIII*, 26. quo loco *Græci* vertunt Σίκλοι χίλιοι &c. Pondus hujus *nummi* æquavit duas *drachmas Atticas*, valor 15. s. BREERWOOD *de Num.*

XV. אֲדַרְכֹּן, de quo *Esr. VIII*, 27. (14) vocatur alias דַּרְכְּמוֹן *Esr. II*, 69. Vtrumque hoc nomen videtur denotare eumdem *nummum*, si non, pondus tamen idem utriusque fuit. Græci utrumque interpretantur per δραχμὴν, secundum quos nos quoque utrumque transferimus *a dram of gold*; quod intelligendum de *drachma Hebræorum*, quæ æquivalet duabus *drachmis Atticis*. A Græca voce δραχμὴ videtur natum *Darkemon*. Non hariolatur, qui putat,

tat, *Adarkon* dici, quasi *Daricon*, quod fuit *nummus aureus Persis* usitatus, & a Rege *Dario*, cujus effigies alteri lateri impressa erat, ita dicta. א autem apud Chaldæos sæpius præfigitur vocabulo, sicut ה apud Hebræos. Valoris ejusdem fuit cum זָהָב seu *siclo aureo*. BREERWOOD. *de Num.*

SVMMAE ipsorum *duæ* fuerunt.

XVI. מָנֶה Μνᾶ, *Mina*, *libra* seu *pondo* (15). *Mina aurea* pendet 100 *siclos*. Hoc liquet ex collatione textuum. 1 *Reg. X*, 17: *Tres minas* מָנִים *imposuit unicuique scuto*. Et 2 *Chron. IX*, 16. legitur *imposuisse* 300 *siclos auri unicuique scuto*. In Hebr. quidem *siclus* non expresse legitur, sed necessario subauditur, uti patet ex eo, quod diximus de *Zahabh*. Nam receptus est canon, quod *aurum* positum in Scriptura cum *numero* notet totidem *Siclos aureos*, & sic *argentum* pariter, &c. Pondus ergo quum sit 100 *siclorum*, valor erit 75 *Lib. Mina* autem ipsorum *argentea* pendet 60 *siclos*. *Ez. XLV*, 12. sic ut valor sit 7. *Lib.* 10. *f.* SCHINDLERVS *in* מנה lapsus est, dicens; quod pretium *minæ* mutatum sit tempore Ezechielis, quum valuerit tum temporis 60 *siclos*; nam differentia illa non est inter *minam sacram* & *profanam*, uti is putat; sed inter *minam auri*, quæ semper valuit 100 *siclos*, & inter *minam argenti*, quæ pendet 60 *siclos*, juxta citatum *Ezech.* locum.

XVII. Secunda *Summa* fuit כִּכָּר *Talentum* (16). Quod, cum est *talentum argenti*, continet pondus 3000 *siclorum*. Nam collati isti duo versiculi *Ex. XXXVIII*, 25, 26. ostendunt, quod dum a sexies & centies mille capitibus, singulis *dimidium siclum* pendentibus, 100 *talentorum summa* tollitur, *talentum Hebræorum* valuerit 375 *lib.* Sed *talentum auri*, comparatum *argento*, duodecies superabat, sic ut apud nos conficiat 4500 *Lib.* Hic, cum agimus de ipsorum *nummis*, tria observanda sunt:

XVIII. I.) Quod quemadmodum Romani antiquitus usurparunt *Aes grave* seu *rude*, quod in massa in suis expensis pendebant, & deinde *Aes signatum*; ita Hebræi, etsi tandem receperint usum *signatorum nummorum* (17), prius tamen suum *æs rude* dependebant. *Appendebat Abraham Ephroni argentum Gen. XXIII*, 16. Hinc *siclus* suum nomen traxit, nam שָׁקַל est *ponderare*, *librare*.

XIX. II.) Uti *signatus siclus* duplex fuit, alter in usum Sanctuarii, alter in usum Reipublicæ, *siclusque Sanctuarii* æquavit duos *siclos communes* (18); ita pondus *sicli* eodem modo distinguendum est. *Siclus Sacer* pendet *semi-unciam ponderis Trojani*; *Communis*, *quartam unciæ partem*. E. g. *Mucro ferreus hastæ Goliathi pendebat* 600 *siclos sacros*. 1 *Sam. XVII*, 7. h. e. 25. *pondo*. *Coma Absolomonis* pendebat 200 *siclos ponderis regii* 2 *Sam. XIV*, 26. h. e. 4 *pondo* & 2 *uncias*. Immo etiam *summæ* juxta *Sanctuarium* sumtæ dimidiam pretii partem amittunt, quando in publico usu juxta *regium pondus* componuntur.

XX. III.) Minimi *nummi* in genere dicebantur κέρματα, aut in Num. Sing. κέρμα *Joh. II*, 15. (19). Vox ea proprie denotat *parvam metalli particulam*, qualis ab angulis abradi potest. *Primo mensis Adar factum est præconium per Israelem*, *ut po-*

pulus pararet dimidium ſuum ſiclum, qui quotannis dependebatur ad cultum templi, ſecundum Dei præceptum *Exod. XXX*, 13. MOS. KOTS. *Sicl. fol.* 122. *col.* 2. Die decimo quinto menſis *Adar* menſas portarunt in Templum, h. e. in atrium, ubi populus ſtetit, quibus impoſuerunt ea *κέρματα* ſeu *minutos nummos*, ut eos juvarent, quibus opus eſſet *dimidiis ſiclis* ad oblationem, aut ad ſolvendos boves, oves, columbasque, quæ ibidem quoque in atrio venalia exponebantur. MOS. KOTS. *ibid.*

XXI. Hæc autem *minuta*, pecunia alia mutata ſunt, aut ſaltem rebus aliis vice pecuniæ, non ſine fœnore. Hinc illi, qui aſſidebant his menſis, vocantur *κερματισαὶ*, reſpectu *minutorum*, quæ commutabant. Reſpectu vero hujus *commutationis* dicuntur *κολλυβισαί*. nam *κόλλυβος*, inquit POLLVX, eſt *ἀργυρίȣ ἀλλαγή*, *pecuniæ permutatio*. Vid. DRVS. *Annot. in N. T. part. alt.* Et quod *κόλλυβος* Græce, hoc Latine *Cambium* ſignificat; unde illæ literæ *collybiſticæ*, quas Latini vocant *literas cambii*, & Græci *σύμβολα κολλυβισικὰ*, *teſſeras collybiſticas*. Tandem reſpectu menſarum, quibus aſſidebant, vocabantur Talmudicis שולחנים *menſarii*, a שולחן *menſa*; ob eamdem rationem Græcis ſæpe dicuntur *τραπεζίται* (20), & apud Latinos *menſarii*. Hi erant *numularii* iſti, quos Salvator noſter Templo pepulit.

F I N I S.

תְּהִלָּה לְאֵל חַי



ANNOTATIONES

AD

THOMAE GOODWINI

MOSEN ET AARONEM



ANNOTATIONES


AD

LIBRVM I.

DE PERSONIS.

CAPVT I.

DE FORMA REIPVBLICAE IVDAICAE VSQVE AD ADVENTVM CHRISTI cet.



Ad §. I. pag. 1.

Patresfamilias cum primogenitis] Probe distinguendum est jus patrumfamilias a jure primogenituræ, nec æque quadrant in utrumque, exempla ab Auctore allata. *Patresfamilias* α) sacerdotio fungebantur intra patriarchatus, sive familiæ suæ ditionem; unde Noachi Gen. VIII, 20. Abrahami c. XV, 9. 10. & Jacobi c. XXXVI, 2. sq. maxime vero Jobi, pro expianda familia, memorantur sacrificia. Job. I, 5. Cujus rei vestigium, etiam post institutum sacerdotium Aaronicum, in mactatione agni paschalis remansit, quem quivis paterfamilias mactare jubetur Exod. XII, 3. β) In herciscunda familia pro arbitrio suo hæredes dicebant, exemplo Abrahami Gen. XXV, 5. 6. γ) Benedictionem impertiebant Propheticam & realem, ita ut eventus voto & prædictioni ex asse responderet, quod Isaaci, Gen. XXVII. & Jacobi exempla cap. XLVIII. XLIX. comprobant. δ) τὸ κύριον obtinebant in tota, qua late patebat, familia, leges condebant, pro tribunali sedebant, jus dicentes inter suos, & animadvertentes in reos, quod cumprimis exempla illustrant ab Auctore producta, jus belli & pacis exercebant, pangebant fœdera, & quæ principes pro salute reipublicæ suscipiunt, id olim patresfamilias, ætate cumprimis Patriarchali, ad incolumitatem familiæ curabant & agebant. Quo spectat HEIDEGGERI *Hist. Patriarch. P. I. Exercitatio II.* quæ est *de politia Patriarcharum p. 45. sq.* Quanquam enim regio vel monarchico non uterentur imperio, quod contra ADRIANVM HOVTVYNVM, JCtum Batavum, peculiari libro id asserentem, recte ac solide negavit BVDDEVS *Hist. V. T. Per. I. Sect. III.* §. 20. *p.* 398. *sq.* coll. *Sect. I.* §. 26. *p.* 134; summa tamen & longe amplior ipsorum erat auctoritas & in suos potestas, quam patrumfamilias est eorum, qui magistratui superiori parent.

A Jus

Jus autem *primogenituræ*, משפט הבכרה Deut. XXI, 17. proxima erat a patribusfamilias dignitas, eximiis ornata αὐχήμασι & privilegiis, quæ adeo extollunt Judæi, ut Deum ipsum, & Messiam, primogenitis accensere non dubitent, apud SCHOETTGENIUM *Hor. Hebr. ad Hebr. I, 7. p.* 922. De quo jure ut resarciamus, quæ ad alia festinans, pede sicco præteriit Auctor, 1. *subjectum* notabimus, 2. *formalem rationem*, 3. *typicam* ad Christum & fideles *relationem*, 4. *translationis adjunctum*, & 5. *abrogationem*.

I. Jus hoc nascendi sorte obtingebat ei, qui respectu patris ראשית אונו *principium roboris ejus*, Gen. XLIX, 3. Deut. XXI, 17. respectu matris פטר רחם *apertio matricis*, Exod. XIII, 2. sive ἄρσεν διανοῖγον μήτραν, *masculus aperiens vulvam* Luc. II, 23. erat, cui oppositos reliquos fratres appellare solent Hebræi בני פשוטים *filios vulgares*, vel secundarios. Patris tamen, qui familiam ducit, potior hic ratio habetur, cujus prima, ex legitima conjuge, soboles mascula, hoc jure gaudebat, insuper habitis filiis ejus prioribus, si quos ex pellice, vel secundario saltem connubio, suscepisset. Hinc Ismael, quamvis ætate Isaacum anteiret, primogenitus tamen Abrahami non censebatur Gen. XXI, 10. sqq. Atque hic disparitas elucet inter jus primogenitorum, & inter eorundem Domino factam consecrationem, solenni lege Exod. XIII, 1. 2. 11. seq. sancitam. In posteriori enim, matris habebatur ratio, quia diserte, & repetitis vicibus ad בכור פטר רחם *primogenitum aperientem matricem* restringitur. Licet itaque pater ex priore conjuge suscepisset primogenitum, cui soli τὰ πρεσβεῖα debebantur, primus tamen ex secundo matrimonio filius, qui matris adaperuerat matricem, denuo ratione consecrationis primogenitus, & ex lege redimendus erat. Hinc Ruben ratione jurium & prærogativarum erat primogenitus patris, at Joseph primogenitus matris, qui redimi debuisset, si tunc temporis lata jam lex fuisset, quia primus natus ex Rachele. Conf. RIVETI *Comm. in c. l. Exod. T. II. Opp. p. 917. a.*

II. Privilegia & prærogativæ primogenitorum, quæ הבכירה seu τὰ πρεσβεῖα dicuntur, erant α) eminentia dignitatis, quæ יתר שאת ויתר עז *excellentia dignitatis & prærogativa potestatis* Gen. XLIX, 3. appellatur. Ex primogenito enim continuata fuit familia, quæ in ipsius nomine censebatur, unde ipse שורש *radix* familiæ dictus. Hinc ad verba Jesaiæ c. XIV, 30. *& occidam* שרשך *radicem tuam*, Targum ita vertit, בנך *filium tuum* scil. primogenitum. Et quando Malachias c. III, 21. habet: *non relinquet eis* שורש וענף *radicem & ramum*, Targum legit, בר וברבר *filium & nepotem*. Unde nonnemo lucem fœnerari nititur verbis Christi Apoc. XXII, 16. ἐγώ εἰμι ἡ ῥίζα καὶ τὸ γένος τοῦ Δαβίδ. Ista porro dignitas in ædibus adhuc paternis, vivo patrefamilias, nullum quidem in fratres imperium, attamen lautiorem primogeniti fortunam, dignationem majorem, & honorem præ ceteris fratribus in universa familia, quin & ab ipsis fratribus exhibendum, involvebat, cujus aliquam videre licet adumbrationem in convivio Josephi Gen. XLIII, 33. Extra vero patrios lares, aut ubi pater jam e vivis excesserat, hæc dignitas ad dominium in fratres assurgebat: unde, cum a Domino prædiceretur, fore, ut τὰ πρωτοτόκια Esavi in Jacobum transferantur, diserte additur: *major serviet minori*, Gen. XXV, 33. rursusque personato Esavo suo, tanquam primogenito, pater Isaac benedicebat: *esto dominus fratribus tuis, incurventque se tibi filii matris tuæ*, c. XXVII, 29. β) In herciscunda familia involvebat hoc jus פי שנים *portionem duorum*, de omni a patre relicta substantia, sive illam jam possideret, sive per hæreditatem adire deberet, juxta Deut. XXI, 17. Quod ABEN ESRA ita declarat: *si tres fuerint fratres, quatuor constituantur hæreditatis partes, & primus capiet duas: si fratres sint bini, uti tres putantur.* Hinc, cum Josephus in locum Rubenis primogeniti succederet, duplam in filiis duobus, Manasse & Ephraim, portionem adivit, & ex una in duas excrevit tribus, 1. Chron. V, 1. 2. Quando itaque Elisæus, ab emigrante in cœlum ex terris magistro

magistro Elia, פי שנים duplicem portionem Spiritus ejus sibi exposcebat, haberi cupiebat instar primogeniti, qui per alterum tantum donorum Spiritus, non magistrum suum, (nec enim duplo plus, quam pater possederat, capere poterat primogenitus), sed reliquos saltem condiscipulos, sodalesque Prophetas, superare volebat, 2. Reg. II, 9. Prolixe hanc prærogativam edisseruit SELDENVS *de success. in bona defunctorum cap. V. VI. VII. p.* 22. *sqq.* γ) Cum patriarchæ moribundi, suisque liberis ultimam impertientes benedictionem, non bene modo illis precarentur, verum etiam Prophetico Spiritu, & ex divina suggestione prænunciarent eventura, & reapse liberis conferrent, quæ apprecabantur bona, *benedictionis* quoque eminentia & *prærogativa* primogenito debebatur, qua caruisse tam indigne ferebat, & altum exclamabat Esavus, cum primam patris Isaaci benedictionem occupasset Jacobus Gen. XXVII. & male habebat Josephum, hoc beneficium a Manasse primogenito ablatum, ad Ephraimum natu minorem transferri c. XLVIII, 14. δ) An vero *jus sacerdotii* ad solos spectaverit primogenitos, anceps est & dubia inter eruditos disceptatio. Affirmant Judæi in Mischna, *Tr.* זבחים *cap. XIV.* in *Bereschith Rabba fol.* 71. *col.* 1. in Targum ONKELOSI pariter, ac Hierosolymitano *ad Gen. XLIX,* 3. & Rabbini passim. E Christianis vero SELDENVS *lib. I. de success. in Pontif. cap.* 1. statim a principio, & *de succ. in bona defunct. cap.* 5. SAM. BOCHARTVS *Hierozoici P. I. p.* 575. HVGO GROTIVS *annot. ad Luc. II,* 32. CARTWRIGHTVS *Mellific. Hebr. lib. I. cap.* 1. HEIDEGGERVS *in vit. Patriarch. P. I. Exerc. I.* §. 19. *p.* 24. E nostris QVENSTEDIVS *Antiqq. Bibl. cap. I. n. II. p.* 13. *sqq.* BVDDEVS *Hist. Vet. Test. Per. I. Sect. III. ad* §. 18. *p.* 390. & doctorum veterum tantum non omnes, qui in hoc argumentum inciderunt. Negant contra, IOH. FRISCHMVTHVS in dissert. *de primogenitura*, A. 1649. Jenæ publicata, §. 9. ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. I. cap. II.* §. 3. *p.* 91. *sq.* VITRINGA cumprimis *Observat. sacr. Lib. II. cap. II. p.* 255 *sqq.* SPENCERVS *lib. I. de legibus Hebr. ritual. cap. VI. Sect. II. p.* 205. *sqq.* & recentissime cum LAKEMACHER *Observat. P. VI. Obs.* 2. tum HOTTINGERVS, in suis ad h. l. Auctoris nostri *annotation. p.* 40. A quorum partibus nobis quoque stare liceat: א. ob promiscuam sacrificandi facultatem, ante institutum Aaronicum sacerdotium, piis omnibus promiscue indultam. Sic Habel, sic Moses, sic Abraham, sic alii, sacrificando sacerdotium obierunt, licet primo nati non essent loco. Et quamvis vel maxime, & ordinarie ad patremfamilias spectaret sacrificiorum oblatio, quod supra docuimus, exclusos tamen ab hac dignatione alios quoscunque filios non fuisse, ex allatis exemplis constat. Patris autem vices soli primogenito subire licuisse, gratis supponitur ab HEIDEGGERO, nec potest evinci. Negamus ב. ob pertinax Scripturæ silentium in omnibus iis locis, in quibus משפט הבכרה exponitur, in quibus nullum sacerdotii indicium apparet, quod 1. Chron. V, 1. 2. omitti sane non debuisset, si illud a Rubene primogenito ablatum, & in Levi translatum fuisset. ג. Nec habent affirmativæ sententiæ patroni solidum satis causæ suæ præsidium. Provocant (*a*) ad consecrationem primogenitorum in Aegypto Exod. XIII, 1. *Resp.* Hoc argumentum si valeret, id tantum evinceret, non tam ad jus primogenituræ ab initio generis humani hanc sacerdotii dignitatem pertinuisse, quam accessisse modo eis ab illo tempore, quo Deus illos sibi sanctificaverat. Deinde quoque, consecrata Deo quidem fuisse primogenita in Israelitis omnia, tam de hominibus, quam de animantibus, NB. in peculium, non vero in sacerdotium, quod haud ita multo post illam eductionem ex Aegypto, ad Aaronem & familiam ejus unice referebatur. Quin etiam operose demonstrat VITRINGA *c. l. p.* 260. consecratos Deo fuisse primogenitos ex hominibus, non ut sacerdotes, sed ut sacrificia, Deo devota, & ministeriis divinis addicta. Tales autem נתינין seu Deo datos & consecratos homines, nunquam sacerdotum speciem habuisse, sed mini-

miniſtrorum ſacerdotalium, cum ſacerdotes ipſi velut amici Dei eſſent & familiares, non vero ſacrorum miniſtri. Quod liquido patet ex ſurrogatione Levitarum in locum primogenitorum, qui non ſacerdotio fungebantur, ſed miniſterio ſacerdotum in ſacris peragendis Num. III, 45. VIII, 19. Ergo ampliore dignitate non gaudebant primogeniti, quam ſurrogati ipſis Levitæ. Urgent (*b*) Exod. XIX, 22. *& dixit Jehova ad Moſen: deſcende, conteſtare populum, ne perrumpant ad Jehovam, & cadant ex illis multi. Atque etiam ſacerdotes, appropinquantes Jehovæ, ſanctificentur, ne Jehova in eos perrumpat.* Rurſusque Exod. XXIV, 5. *& miſit juvenes filiorum Iſraelis, & obtulerunt holocauſta, & ſacrificarunt ſacrificia,* cum ſcilicet Deus pactum illud pangeret cum Iſraele. Sed utroque loco ne leviſſimum quidem indicium primogenitorum occurrit, quin potius priore, ſeniores & principes populi, poſteriore nobiliſſimi Iſraelitarum adoleſcentes intelliguntur, ex toto cœtu ad ſacra iſta delecti. Quod denique (*c*) BVDDEVS *p.* 391. affert, jus ſacrorum circa actus externos, eorumque directionem, partem eſſe principatus illius, qui patrumfamilias fuerit; his autem demortuis primogenitos ſucceſſiſſe, ut & principatum familiæ & jus ſacerdotii adipiſcerentur: id ſolum evincit, majores natu in jus iſtud aſſurrexiſſe, non ut primogenitos, ſed ut capita familiæ. Sed præter jus, ſacra, qua actus externos, dirigendi, interna quoque ſacerdotii functio, ad quam ſacrificiorum ſpectat oblatio, primogenitis ab affirmante ſententia tribuitur, quam BVDDEVS demonſtrare non valuit. Addit ſuperioribus privilegiis primogenitorum, HEIDEGGERVS *cit. l.* §. 22. *p.* 27. aliud, & ε) *Sanctitatem communicativam* comminiſcitur. Adeo nimirum Deo ſacrum fuiſſe primogenitum, ut ſanctificaret reliquam etiam fratrum catervam, quod ex PAVLI verbis evincere laborat, Rom. XI, 16. *εἰ ἀπαρχὴ ἁγία, καὶ τὸ φύραμα.* Quod tamen vereor, ut vel valide ſatis adſtrui, vel exemplis poſſit accommodari. Apoſtoli enim effatum, non tam a primogenitis inter homines, quam a primitiis frugum depromtum eſt, nec ſuppetit in Scriptura exemplum, quo primogeniti ſanctitas in reliquos fratres doceatur diffuſa. Quod autem populus omnis eſſet עם סגלה, *λαὸς περιούσιος*, & עם קרוש *populus Deo ſacer* & devotus, id ex peculiari totius gentis adoptione pendebat, Exod. XIX, 5. 6. coll. cum 1. Petr. II, 9. 10, minime gentium autem ex communicata fratribus ſanctitate Rubenis. Quam denique HEIDEGGERVS in hunc finem allegat ſanctitatem Chriſti, ſanctificantis fratres, Hebr. II, 11, illa pariter non ex primogenitura ejus, ſed ex *ἐνσαρκώσεως* myſterio, a Paulo ibidem derivatur. Quia enim Chriſtus carnis & ſanguinis particeps factus eſt, pariter ac infantes, & frater noſter evaſit, particeps quippe ejusdem nobiſcum & naturæ humanæ, & ſtirpis, hinc eſt, ut ab ipſo in nos ſanctitas promanet, ſiquidem fide ipſum nobis appropriemus, tanquam carnem de carne noſtra, & os de oſſibus noſtris, Eph. V, 30.

III. Etſi vero juris hujus ratio ſubeſſe potuit civilis, ad conſervationem & ſplendorem familiarum ſpectans, potiſſimum tamen typicam obtinebat relationem. Primario ad Chriſtum Rom. VIII, 29. Col. I, 15. 18. qui & dignitate fratres ſuos longe antecellit, Hebr. I. *ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων*, Col. I, 18. & dominium obtinet in Dei familiam, caput ejusdem conſtitutus, Act. II, 36. Eph. I, 22. ſq. & duplam præ fratribus ſortitus eſt donorum menſuram Pſal. XLV, 8. Joh. III, 34. *κληρονόμος πάντων* Hebr. I, 3. & ſingulari benedictione a patre ita mactatus & auctus, ipſe ut omnis benedictionis fons ſit & ſcaturigo Eph. I, 3. Gen. XII, 3. XXII, 18. coll. Gal. III, 16. Secundario & conſequenter fideles reſpiciebat, qui *πανήγυρις καὶ ἐκκλησία πρωτοτόκων* audiunt, *ἐν οὐρανοῖς ἀπογεγραμμένων* Hebr. XII, 22. atque hinc dignitate præ reliquis fratribus eminent Pſ. XVI, 3. Jeſ. XLIII, 4. hinc Domini & reges ſunt omnium 1. Cor. III, 21. 22. 1. Petr. II, 9. hinc hæredes Dei & cohæredes Chriſti Rom. VIII, 17. Tit. III, 7. & ad hoc conſtituti, ut benedictionem hæreditate conſequantur, 1. Petr. III, 9. Quæ ſingula copioſe declarat IOH. BIERMAN-

BIERMANNVS, *in Mose & Christo Lib. I. cap. VIII.* edit. Belg. *p.* 177. *sqq.*

IV. Istæ vero prærogativæ ne ab eo, cui Deus nascendi sorte illas addixerat, a patre pro lubitu auferrentur, & devolverentur in alium, lege Dominus caverat Deut. XXI, 15. sqq. Locum tamen habebat translatio illa interdum, vel in pœnam, interveniente culpa graviore, quomodo ab Esavo propter profanum animum & contemptum in Jacobum, Gen. XXV, 32. sqq. Hebr. XII, 16. 17. nec non a Rubene in Judam & Josephum, ob commissum incestum transferebatur 1. Chron. V, 1. 2. vel ex singulari Numinis directione, qua Ephraim prælatus est Manassi Gen. XLVIII, 14. sqq. Atque huc revocari etiam possunt exempla minorum natu, primogenitis fratribus prælatorum, Mosis nimirum majori fratri Aaroni Exod. IV, 15. 16. Davidis, primogenito Eliabo 1. Sam. XVI, 7. 11. 13. antepositi, & aliorum. Quo referenda est CLERICI conjectura, *Comment. ad Gen. XLVIII*, 19. Mosen diligenter annotare, varios primogenitos jure suo excidisse, forte ideo, quia Moabitæ, Ammonitæ, Ismaelitæ & Idumæi, qui ex primogenitis orti erant, jus sibi aliquod propterea in Israelitas, ubi potentiores fuerunt, vindicare voluerint, ideoque Mosen in Israelitarum potissimum gratiam & usum scribentem, non sine causa minoribus postpositos majores natu, sæpius observasse.

Ceterum de primogenitis in genere egit b. THEOD. DASSOVIVS *Hist. Hebr. MSC. Part. I. cap. XIII.* ubi *Sect. I.* §. 13. primogeniti humani redemtionem, §. 14. primogeniti humani in templo præsentationem, & §. 15. primogeniti humani hæreditatem describit: *Sect. II.* §. 8. in Luc. II, 22. sqq. ubi Maria Jesulum primogenitum suum obtulisse dicitur, inquirit. Quæ vero sit in foro moderno, maxime in successione principum, primogenituræ dignitas & auctoritas, peculiari commentario docuit GEORG. MELCHIOR DE LVDOLF, *de introductione juris primogenituræ*, tertium edito cum amplissima appendice, Jenæ, in fol. 1733.

Ad §. I. pag. 1.

(2) *Tempore Mosis hoc primogenituræ jus penitus elisum est*] Abrogatum vero hoc jus credit Auctor, & cum illo REIZIVS *in notis ad h. l.* eo tempore, quo post μοσχολατρείαν, aliasque impuritates, ab altari removerentur primogeniti promiscue ex populo, & in eorum locum surrogarentur Levitæ Num. VIII, 16. sqq. Verum & istud falsa nititur hypothesi, quasi sacerdotium ad jura primogenitorum spectaverit, & jus istud adhuc post νομοθεσίαν in monte Sinai, obtinuisse, ex Deut. XXI, 15. sqq. liquido patet. Potius itaque, cum filii Israel terram Canaan occupassent, & in formam reipublicæ redigerentur, sensim paulatimque evanuisse credimus, cum & posthæc altum de eo silentium fit, & Samuelem Deus prohiberet, e filiis Isai primogenitum anteferre, quem ipse repudiaverit, electo in regem fratrum minimo 1. Sam. XVI, 7. Tempus itaque abrogationis, modumque aut solennem ritum definire non audemus.

Ad §. II. pag. 2.

(3) *Ille enim Rex in Jeschurun audiebat*] Duo hic in quæstionem veniunt momenta: I. *An Moses rex fuerit Israelis?* Pro varia vocis acceptione, affirmant alii, alii negant. In illis MELCH. LEYDEKKERVS est, cui *lib. IV. de republ. Hebr. cap. I.* §. 10. Moses *Dux populi & Rex in deserto* audit, quod paulo post *p.* 192. *b.* ita exponit: *nec tamen fuit dominator pro libitu, sed ex Dei voluntate imperator; non Deus populi, sed* θεράπων, *Minister Dei, immo Christi, cujus Israel domus erat Hebr. III, 5. Itaque fuit primarius Judex, præsesque comitiorum in deserto. Vide, ut regnandi artes, quas Moses habuerit, exponant* PHILO IVDAEVS *Libb. de vita Mosis, &* CLEMENS ALEXANDRINVS *Stromat. lib. I. p.* 346. *Nempe imperavit, leges ferendo; moderando suos affectus; ordinando rempublicam suam; castra ponendo & ducendo; victorias obtinendo.* Vnde intelligis, admodum improprie regium ἀξίωμα Mosi assignari. Pariter HVG. GROTIVS *ad Deut. XXXIII*, 5. & IOH. SELDENVS

de Synedriis Jud. lib. II. cap. I. & II. contendunt, Mosen non quidem nomine & pompa, sed jure regio populum gubernasse. Ad quorum sententiam Auctor noster accedit. Sed rectius negat IOH. CLERICVS *ad Deut. XXXIII,* 5. ubi bene monet: *regis est, leges condere, præmiisque ac pœnis eas sancire, quod fecit Deus; internuncii vero, seu ministri regii, eas acceptas ad populum ferre, quo ministerio functus est Moses. Quin & ipse Moses se negat regem fuisse, cap. XVII,* 14. *ubi satis innuit, Hebræos non credidisse, se parere regi, cum ei parerent, aut aliis Prophetis. Regis est tributa subditis imponere, in suum emolumentum, iisque imperare, non nomine Dei, sed suo; quod nequaquam fecit Moses. Vide Num. XVI,* 14. 15. Negantibus itaque nos quoque accedimus α) propter Theocratiam, ea tempestate perfectissime rerum potientem, ita ut ex Dei solum nutu ac ore penderet populus Exod. XIX, 3. sqq. Moses vero os Dei ad populum esset, teste universa historia: β) propter disertam PAVLI assertionem, qua Μωσῆς μὲν πιςὸς perhibetur ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ θεῦ, ὡς θεράπων Hebr. III, 5. unde Deus ipse non ampliori, quam ministri appellatione ipsum dignatur Jos. I, 2: γ) propter protestationem Mosis, qui regium honorem ipse recusans, ad Deum referebat, Num. XI, 11. sq. Quo itaque loco Judices erant in populo, eo Moses. Hos autem reges fuisse, Deus negat, sibi soli hanc dignitatem asserens, postquam regem sibi dari populus postulasset 1. Sam. VIII, 7. Fuit ergo Moses tantum divini regiminis administer & executor, nihil propria auctoritate definiens, agens, pronuncians, sed ab ore Dei pendens, omnesque leges, pœnas, ritus, actiones hauriens, & executioni mandans. Sicubi autem rex dicitur Moses, non ex proprietate literæ, sed ex verisimilitudine id æstimandum est, ut commode ABARBENEL *præfat. in lib. Judic. f.* 40. *col.* 1. *post med.* ex Magistrorum scito exponit, quod ita habet: במקום שאין מלך גדול הדור הרי הוא כמלך: *ubi non est rex, maximus illius generationis est instar regis.* Quo LVTHERI spectat cit. loc. versio: *er verwaltet das Amt eines Königes:* quam glossa marginalis explicat uberius. Quæritur

II. *Quis ille Rex in Jeschurun? Deut. XXXIII,* 5. Circa vexatissimum locum in partes abeunt interpretes, quorum expilare scrinia, aut singulas sub censum vocare sententias, nostri non est instituti. Vocabuli ישורון originem & notionem diligenter evolvit M. MICHAELIS CASSAI, in dissertatione *in genuinos τȣ̃ ישרון natales*, Vitembergæ publici juris facta A. 1716, in qua, excussis ceteris Philologorum sententiis, in illa tandem acquiescit, quæ nomen istud a שרה, quod est *solvit, liberavit, dimisit*, ad formam ידותון derivat, & *libertum* exponit, sive *libertinum*, ut Israelem designet, ex servitute Aegyptiaca, divino beneficio liberatum & vindicatum. Hunc enim vocis sensum locis omnibus, in quibus legitur, aptissime quadrare, ut Deut. XXXII, 15. reddatur: *sed cum pinguis factus est libertus, recalcitravit:* c. XXXIII, 5. *fuitque Rex apud libertum:* v. 26. *non est sicut Deus, o liberte:* Es. XLIV, 2. *ne timeas, serve mi Jacob, & liberte, quem elegi.* Jam liberti hujus Regem, Auctor noster, dudumque ante ipsum LVTHERVS, & plurimi cum ipso, *Mosen* statuunt, quia commate præcedente diserte nominatur, cujus ministerio ac manu lex Israeli lata, & qui cum principes populi, tum ipsum populum, quantum potuit, in officio & concordia continuit: *quæ sententia facilis & expedita* censetur CALOVIO *in Bibl. illustr. ad h. l.* Malunt alii, cum CLERICO *h. l.* de Deo exponere, qui solus Rex in Israele. RVPERTVS autem hunc regem interpretatur Christum, qui sessurus erat a dextris Domini rectissimi in æternum. Denique IOH. COCCEIVS *ad ultima verba Mosis,* §. 1565. ad Christum pariter retulit: *Jehovah (veniens ex Sinai, & pede suo perambulans Israelem) factus est Rex in Jeschurun, h. e. Israele, visionis Dei compote:* communemque interpretationem de Mose, ceu Judaicam traduxit & textui adversam: comma autem 4 ita reddit: *legem (quam) præcepit nobis Moses, hæreditatem panegyris Jacobi.* Quod quam sit coactum, nemo non videt.

det. Ita tamen FRANCISC. BVRMANNVS *Comment. in Pentateuch. h. l. edit. Belg. p.* 931. *sq.* & Coccejani omnes, in quibus REIZIVS est *in notis ad Auctorem.* Rectius hac parte HOTTINGERVS *in not. ad Auct. p.* 41, qui laxiorem vocis מלך significationem urget, & MAIMONIDIS testimonio in Mosen quadrare asserit. Istud certe series & ordo textus liquido evincit. Benedictionis enim suæ prooemium Moses a *νομοθεσίας* beneficio petens, hinc auctorem ejus principem, vers. 2. 3, hinc ministrum ac *μεσίτην* (Gal. III, 19. 20.) celebrat, quem respectu τȣ̃ Jeschurun regem dicit eo sensu, quem sub finem præcedentis exposuimus quæstionis.

Ad §. III. pag. 2.

(4) *Judices*] De Judicibus, quantum sufficit, diximus in *Introduct. ad libb. Histor. V. T. cap. X.* § 2. *p.* 169. *sqq.* eorumque discussimus I.) Dignitatem & officium; quod non tam *Synedrii magni principes* fuerint, ut SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap.* 16. § 2. & 3. censet, quam extraordinarii vindices, & velut Hebræorum dictatores, gentem oppressam, divino instinctu ac robore, e potestate hostium liberantes. Principatum itaque tenebant, & *judicia* moderabantur, Jud. IV. V. 1. Sam. VII, 15. sqq. *comitia,* quibus præsidebant, exemplo Samuelis, 1. Sam. VII, 5. 6. ac *bella,* quæ vel exercitu instructi gerebant, ut Gideon, Jephta, vel soli, absque exercitu, ut Samgar & Simson. A Dei ergo nutu ac ore pendebant, sed liberiori agendi facultate ipsis, quam Mosi & Josuæ, concessa, unde factum, ut auctoritate sua interdum abuterentur, quod in Gideone patet, quando ex monilibus Midianitarum Ephod parabat, & idololatriæ populi ansam subministrabat Jud. VIII, 24. sqq. II.) Formam regiminis; qua non quidem *Regibus haud absimiles* fuerint, quod vult Auctor noster, sed in Dei solum vicem præsidebant, ipsius nomine ac auctoritate rerum potiti, divinisque ipsi legibus & imperio adstricti. Quod ex 1. Sam. VIII, 5. liquido constat, ubi regiminis judicialis pertæsus populus, cum regali permutationem sibi expetebat. Jehova τὸ κύϱιον sibi servaverat, & rex erat gentis suæ, asserente Gideone Jud. VIII, 23. quam per Judices, tanquam proreges & vicarios, in officio continebat. Vt adeo forma regiminis nec Monarchica obtineret, nec Aristocratica, nec Democratica, sed Theocratica: siquidem qui præerat, cujus jussa capesseret, superiorem agnoscebat. De hac Theocratia ex instituto egit GVILIELM. WARBVRTON in commentario Anglico, quo *divinitatem missionis Mosis* evincere satagit (Londini in 8. A. 1738.) *lib. V.* eamque cum in eo sitam definit, quod Jehova & Deus, & Rex Israelis esset, tum ad Christi usque visibilem in carne adventum perdurasse, argumentis demonstrare allaborat: (Conf. *Biblioth. Britann. Tom. XXI. P. I. p.* 5. *sqq.*) sed caute, & cum judicio legendus. III.) Subjectum; quod hæc dignitas ad fœminas quoque devolveretur, exemplo Deboræ Jud. IV. V. quibus ad regium tamen solium accessum denegat SCHICKARDVS in *Jure Regio Theor. III. p.* 47. *sq.* IV.) Amplitudinem imperii; quod raro perquam judices toti præfuerint Israeli, sed uni duntaxat vel alteri tribui, quod Baraki exemplo, quem tribus Zabulon & Naphtali tantum Jud. IV, 10. Gideonis, quem præter dictas, Manasse & Asser c. VI, 35. & Jephtæ probatur, quem Gilead & Manasse c. XI, 29. coll. cum c. XII, 1. 2. in castra sunt secutæ. V.) Durationem officii. Quod enim Auctor cum paucis aliis censet, temporariam fuisse hanc dignitatem, & Gideonis exemplo evincere nititur, qui bello peracto, ad privatum vita genus descenderit Jud. VIII, 23. 29. id secus nobis videtur. Nam & post belli tempora judicasse populum leguntur, ut Jephta c. XII, 7. & omnes reliqui vitæ ipsorum anni, judicatuum dicuntur anni, v. g. *Simson judicabat Israelem viginti annis* c. X, 20. & complures ipsorum, ut Thola & Jair c. X. Abesan, Ahjalon & Abdon c. XII. Eli ac Samuel, exercitum duxisse, aut in expeditionem profecti nullibi memorantur, quos tamen juri dicundo, & litibus popularibus componendis operam dedisse, extra dubitationis positum

ſitum eſt aleam. Gideon vero, pro lubitu magiſtratu decedens, non pro more, ſed ex arbitrio egit. VI.) Numerum; qui, excluſis Moſe & Joſua, ad XVIII in univerſum aſſurgit, quorum vitas & res geſtas ſingulatim tradit MELCH. LEIDEKKERVS *de republ. Hebræor. lib. VII. cap. II.* §. 5. *p.* 421. *ſqq.* Ceterum quinque momenta convenientiæ, totidemque diſcrepantiæ, Judices inter & Reges, ſollicite obſervat ABARBENEL in *præfat. ad lib. Judicum Comment. in proph. prior. f.* 39. *col.* 3. *ſqq.* edit. Lipſ. quæ tamen, cum paulo ſint copioſiora, limamque poſcant, huc transferre ſuperſedemus.

Ad §. IV. pag. 2.

(5) *Poſt 329 annos demum, inter Judæos collapſa eſt*] Implicata perquam chronologiæ libri Judicum eſt ratio, quæ proprie quidem huc non ſpectat, a nobis autem prolixe, &, ut puto, ſolide delineata *in Introd. cit. cap.* §. 7. 8. *p.* 179. *ſqq.* ubi, quem REIZIVS ad Auctorem noſtrum, ex Act. XIII, 20. ſcrupulum movet *p.* 185. *ſq.* ſolicite diſcuſſimus. Aliam annos Judicum putandi viam ingreſſus eſt Vir Celeberr. GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, peculiari de Judicum temporibus exercitatione, quæ *adoleſcentia reipublicæ Iſraelitarum* inſcripta, recuſa eſt Norimbergæ in 8. anno 1720.

Ad §. IV. pag. 2.

(6) *Ad magnum conſeſſum LXX virorum, h. e. Synedrium*] Quæ de Synedrio hic inſeruntur, infra *ad lib. V. cap. I.* locum ſuum rectius tuebuntur, unde hic intacta illa præterimus.

Ad §. V. pag. 2.

(7) *Reges*] De Regibus ex inſtituto dicemus capite IV. Hic pauca ſolum prælibare liceat: α) Auſpicia regii vel monarchici regiminis humana fuiſſe, 1. Sam. VIII. expoſita, Deumque permittendo magis & annuendo, quam jubendo & inſtituendo illud ratihabuiſſe, unde quoque *in ira ſua regem illis ſe dediſſe* perhibet Ol. XIII, 11. Quo tamen confer, quæ WILH. SCHICKARDVS *in Jure Regio Hebræorum* ſtatim ab initio *cap. I. theor. I.* & ad eum b. patruus meus, CARPZOVIVS diſputat *in notis.* β) Regnum integrum tres ſolum tenuiſſe, Saulem, qui fundamenta regni jecit; Davidem, qui magna quidem cum difficultate, & per varios caſus & viciſſitudines, regiam poteſtatem amplificavit; & Salomonem, qui ad ſummum illam evexit faſtigium, ita ut parem ante ſe, & poſt ſe, haberet nullum. γ) Poſthæc vero, ſceptra capeſſente Rehabeamo, feralem illam in regnum Judæ & Iſraelis ſciſſionem erupiſſe 1. Reg. XII. quorum illud Hieroſolymis, hoc Samariæ, ſedem ſuam fixit. Reges Judæ, poſt diviſionem ab Rehabeamo fuere XIX, quorum ultimus Zedekias a Nebucadnezare deportatus fuit Babylonem A. O. 3416, ut univerſum regnum Judæ diviſum ab A. O. 3029. ad captum Zedekiam, annis duraverit 387. Iſraelis ſeu X tribuum regnum pariter rexerunt XIX, a Jeroboamo I. & A. O. 3029. ad Hoſeam, a Salmanaſſare Aſſyrio devictum, & A. 3283. in captivitatem abreptum, ita ut regnum Iſraelis diviſum annis duraverit 254. Diſtinctam tamen Judæ & Iſraelis mentionem, in regno adhuc integro, obſervare licet, 2. Sam. V, 5. coll. cum 1. Reg. II, 11. δ) Reparatum Iſraelis regnum nunquam fuiſſe, bene autem regnum Judæ, mutata tamen regiminis forma, ita ut vel præſides & principes captivitatis, vel Pontifices atque Synedrium magnum res Judæorum moderarentur, vel denique ad regiam poteſtatem adſpirarent Pontifices nonnulli, regiumque titulum & honorem admitterent, poſtquam Cyrus, ſoluta captivitate Babylonica, A. O. 3468. Judæis, redeundi in patriam, extruendi templi, & Urbem reſtaurandi, facultatem dediſſet; ut *ad* §. *ſequ.* plenius exponemus. Quæ omnia, ni ſemper oculis obverſentur & animo, in explicatione libb. Regum, Chronicorum, Eſdræ & Nehemiæ, quin & Prophetarum, inoffenſo pede nunquam progrediemur.

Ad §. VI. pag. 2.

(8) ראשי גליות *αἰχμαλωτάρχας*] Vereor, ut recte calculos poſuerit Auctor, Aechmalotarchas

chas reducibus ex Babylone in patriam Judæis præficiens. Habuerunt omnino, post reditum, suos in Palæstina præsides, de quibus mox dicemus; illos autem ראשי גליות appellatos, nullibi me legisse memini. Aliis enim & temporibus, & provinciis, id nominis competit. Bene IOH. MEYERVS *annot. in Seder Olam cap. XX. p.* 1076. postquam inter Synedrium magnum, inter domum judicii LXXI virorum, & inter ראשי הגולה caute distinguendum docuerat, de ultimis his addit, *qui post excidium templi secundi vixerunt.* Bene, præeuntibus Magistris. Sane in Gemara *Sanhedrin cap. I. §.* 1. *fol.* 5. *a.* evicturi, ampliorem fuisse auctoritatem æchmalotarchæ Babylonii, quam principis in terra sancta, ita definiunt, quod Gen. XLIX, 10. traditur: *non recedet sceptrum a Juda,* אלו ראשי גוליות שבבבל שרודין את ישראל בשבט *hi sunt æchmalotarchæ Babylonici, qui dominantur Israeli sceptro:* quod mox additur: *& legislator e medio pedum ejus,* אלו בני בניו של הלל שמלמדין תורה ברבים *hi sunt posteri Hillelis, qui docent legem publice:* ad quæ verba consule COCCEIVM. Rursus *cap. IV.* § 8. ראש גולה שבבבל *Aechmalotarcha Babylonius*, & נשיא שבארץ ישראל *princeps Synedrii in terra Israelis*, mutuo sibi opponuntur, in effato Jehudæ & Chiskiæ, filiorum R. Chajæ, quando in convivio coram R. Jehuda Sancto accumbentes, & incalescentes mero, in hanc eruperunt sententiam: *non veniet filius David, priusquam defecerint duæ prosapiæ in Israele; nempe, stirps capitum dispersionis Babylonicæ, & principum in terra Israelis, quia dicitur* (Jes. VIII, 14.) *erit in sanctificationem, & in lapidem allisionis, & rupem offensionis duabus familiis Israelis.* Post feralem quippe gentis cladem, captamque a Romanis & dirutam Vrbem, summi rerum Judaicarum in Babylonia moderatores & præsides, hoc nomine gaudebant. Velut in Palæstina Synedrii præsidem, & plerumque etiam Academiæ supremum Rectorem, נשיא *principem,* quin & apud Græcos ac Romanos Scriptores, *Patriarcham* appellabant; ita vicissim Judæorum in Babylonia principem ראש הגלות *αἰχμαλωτάρχην principem exulum* salutabant, cui utrique, illi ex plerisque orbis Romani provinciis, huic ex regionibus Orientalioribus, tributum quoddam annuum, seu pensionem coronati aurei singulæ Synagogæ pendebant, ut ex *Cod. Theodos. de Jud. & Cœlic. Leg. XIV. XVII. XIX.* erudite docuit IAC. RHENFERDIVS *Opp. Philol. p.* 405. *diss. II. de X. otiosis Synag.* §. 10. 11. Commode, in eandem sententiam, CLAVD. SALMASIVS *in defensione Regia cap. II.* scribit: *Duces captivitatis, qui Babylone agebant, αἰχμαλωτάρχαι Græce dicti: hi ad Davidem genus suum per matrem referebant. De his habetur, in Gemara Talmudica cap. I. de Synedrio, traditio, qua fertur, verba, non recessurum sceptrum a Juda, ad eos pertinere; nam eos esse Aechmalotarchas Babylonicos, qui sceptrum Israelis tenebant.* (Locum mox dedimus integrum). *Sed cur hi judicabantur, cum id proprium esset regii juris, non judicari? Non erant veri reges, sed vice tantum regia regnabant. Suberant enim regibus Persidis, a quibus potestatem suam accipiebant.* Et Babylonios quidem istos Aechmalotarchas MAIMONIDES quoque innuit *hilc. Sanhedrin cap. IV.* §. 13. quem frustra & invitum in partes suas pertrahere satagit Auctor. Diserte enim ille ראשי גליות שבבבל *principes captivitatis in Babylonia* describit, *quibus, regum ad instar, Judæis imperare & jus dicere fas sit.* Fuse de iis disserit BASNAGIVS *Hist. Jud. Lib. VI. cap. XIII. Tom. IV. p.* 1203. *sqq.* & *cap. XVII. §.* 5. *p.* 1324. & principes hos, ultima Hierosolymæ vastatione longe facit posteriores. Quocum confer VITRINGAM *lib. II. de Synag. Vet. cap. V. p.* 522. *sq.* Quo autem ritu inaugurari soliti fuerint, in שבט יהודה *p.* 57. *col.* 2. *sqq.* & in libri versione Latina traditur a GENTIO *in Hist. Jud. p.* 300. *sqq.* in compendio autem exhibetur a SCHICKARDO *in Jure Reg. cap. I. Theor.* 4. *p.* 80. *sq.* quocum confer, quæ de eadem inauguratione, e libro *Juchasin* excerpsit CONSTANT. L'EMPEREVR *not. ad R. Benjamin. itinerar. p.* 192. *sqq.* Num denique huc referre liceat *ἄρχοντας, principes gentis*, anceps hæreo. Ita sane

 Syne-

Synedrii M. Assessores, ἄρχοντες τῦ ἔθνυς, 1. Macc. XIV, 27. rursusque Act. IV, 8. ἄρχοντες τῦ λαῦ celebrantur, æque ac ἄρχοντες Ἱεροσολυμιτῶν, IOSEPHO *lib. XX. Antiqq. cap. I,* 2. salutantur. Vir doctus, PETRVS WESSELINGIVS, pecul. *de Judæorum Archontibus diatriba*, Trajecti ad Rhenum A. 1738. edita, *cap. VII. p.* 54. *sqq.* ita instituit, ut credat, *Judæos in provinciis & oppidis, ultra citraque patriæ suæ terminos, sæpe suos sibi magistratus habuisse, qui litium & controversiarum judices sederent, & pro virili sua popularium commodis prospicerent, atque ea propter ἄρχοντες essent, & haberentur.* Quam in sententiam ad PHILONEM provocat, qui *in Flaccum p.* 976. & 982. eorum memoriam servaverit. Rem ipsam non nego, quæ idoneis alias quoque testibus probatur. Ἀρχόντων tamen appellationem, generalem censeo honoris titulum, primatibus gentis in patria & extra patriam, quocunque dignitatis & officii gradu gauderent, communem; quod ex cit. Act. IV, 8. haud obscure colligitur.

Ad §. VI. p. 2.

(9) *Talis erat Zorobabel*] Nullibi Zorobabel cum successoribus ראשׁ הגלות αἰχμαλωτάρχης, sed פחה vel פחת appellatur, Hagg. I, 1. II, 3. quod *præfectum populi*, ἐθνάρχην, & talem quidem præsidem notat, qui regis vel superioris Magistratus auctoritate provinciæ administrandæ præpositus est. Confer 2. Reg. XVIII, 24. Esdr. II, 6. VIII, 4. Neh. V, 14. 18. Mal. I, 8. IOSEPHO Zorobabel, *Antiqq. Jud. Lib. XI. cap. I.* in literis Cyri, ἄρχων τῶν Ἰυδαίων, & *cap. III.* τῶν αἰχμαλώτων Ἰυδαίων ἡγεμὼν, salutatur. Tales itaque פחות ἡγεμόνας, & delegata regum Persiæ potestate instructos præsides, non quatuor solum vel quinque, cum *Seder Olam Suta*, ex edit. IOH. MEYERI *p.* 109. sed longe plures numerant Judæi, sigillatim 1) Zorobabelem, 2) Resam, 3) Meschullamum, 4) Johannam, 5) Judam Hyrcanum, 6) Josephum, 7) Mattathiam, 8) Hagai Eli, 9) Nasloch Nahumum, 10) Amos Syrachum, 11) Mattathiam Siloachum, 12) Josephum Arsen, 13) Hyrcanum, qui ultimus principum fertur ex tribu Juda, & familia Davidis. Hunc excepit 14) Judas Maccabæus, ex sacerdotali familia, qui principalem dignitatem primus in tribum Levi intulit. Quibus quid prohibet, quo minus Nehemiam, suo loco ac tempore connumeremus, qui cum imperio in restaurata republica patria se versatum Neh. V, 14. 15. totoque fere libro passim tradit. Quod enim Judæi negantur, eundem cum Zorobabele fuisse, in *Introd. ad Libb. Hist. V. T. cap. XIX.* § 2. *p.* 337. *sq.* de industria confutavimus, ejusque genus ac ortum, dignitatem ac munia, ætatem quoque ac tempus docuimus.

Ad §. VII. p. 2.

(10) *Maccabæi*] Ad Maccabæorum quod attinet *a*) Nomen, alii Symbolicum esse volunt, cum Auctore nostro, FRANC. IVNIO *in* 1. *Maccab. I,* 1. aliisque, ac si ex ראשי תיבות s. initialibus literis dicti Exod. XV, 11. מי־כמוך באלים יהוה *quis sicut tu, inter Deos*, vel fortissimos *Jehova?* vexillo Judæ militari inscriptis, coaluerit מכבי *Maccabi.* Sed repudiat hoc commentum NICOL. FVLLERVS *Miscellan. lib. II. cap.* 13. & post eum REITZIVS *in not. ad Auctor.* partim, quod vexilla tunc temporis literis signata fuisse non constat, partim quod illa scripturæ compendia tantam non ferunt ætatem. Hinc duplicem affert FVLLERVS derivationem aliam, ut vel idem sit, ac מכה בי *per me est plaga* hostibus infligenda; vel ad formam מעשי 1. Chron. IX, 12. deductum a כבה *extinxit*, ut מכבי *extinctorem* notet, bellorum pariter ac hostium. Quocum ex nostris consentit HILLERVS, *in Onom. p.* 871. ex Chaldæo מְכַבִּי derivans, & *extinctorem* exponens: quæ & DRVSII sententia fuerat. IOH. LEVSDEN. *in Onomastico sacro h. v. p.* 170. *Machabæus*, inquit, *percutiens*, *Græce vero pugnator.* Rursus HOTTINGERVS *Thes. Phil. Lib. II. cap. II. sect. I. p.* 522. cum CONSTANT. L' EMPEREVR ex Arabismo deducit,

deducit, ubi verb. כבכ vel כבא *proſtravit, in terram dejecit*, præfixo מ, ex ſe gignit מכבי *proſternentem*, hoſtes videlicet Dei & Judæorum. In ejusmodi conjecturis ſuo quisque abundet ſenſu. Hoc certum, proprie ac primo non gentis, ſed unius Judæ, Mattathiæ filii, hoc nomen fuiſſe, *καλουμένου τοῦ Μακκαβαίου*, 1. Macc. II, 4. a virtute ei, ſive a patre, ſive ab Iſraelitis aut hoſtibus, tributum, quod honori ſibi ducentes fratres & poſteri Judæ, gentilitium fecerunt & adoptarunt. Iidem vero, qui noſtris vulgo Maccabæi audiunt, a Judæis paſſim חַשְׁמוֹנָאִים ſive חַשְׁמַנִּים *Aſſamonæi* dicuntur, in cujus nominis natales & ſignificationem, poſt FVLLERVM, erudite & copioſe inquirit laudatus HOTTINGERVS *p.* 523. & vel *præfectos venerandos*, vel, *ad quorum adſpectum erubeſcimus*, notare tradit. IOSEPHVS ab abavo Mattathiæ id nominis arceſſere videtur, quando *Antiqq. lib. XII. cap. VI.* ita auſpicatur: *κατὰ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν ἦν τις οἰκῶν ἐν Μωδιεὶμ, κώμῃ τῆς Ἰουδαίας, ὄνομα Ματταθίας, υἱὸς Ἰωάννου, τοῦ Συμεῶνος, τοῦ Ἀσαμωναίου, ἱερεὺς ἐξ ἐφημερίας Ἰωαρίβου, Ἱερυσολυμίτης. Per idem vero tempus habitabat in Modim, vico Judææ, quidam nomine Mattathias, filius Joannis, filii Symeonis, filii Aſamonæi, ſacerdos ex vice Joaribi, Hieroſolymita.* Quo autem pacto ab abavo Mattathiæ, cujus memoriam nullum præclarum nobilitavit factum, toti genti nomen hæſerit, nondum intelligo, etſi poſt MÜNSTERVM, hanc ſententiam tenet IOH. FRIDER. BREITHAVPTVS, *in not. ad Joſippum Gorionid. lib. III. cap.* 7. *p.* 194. Minus inepte HVGO GROTIVS *ad Pſ. LXVIII*, 32. ex voce חשמנים, quæ c. l. *optimates*, vel juxta KIMCHIVM אנשים גדולים ונגידים *viros præclaros & duces* notat, Chaſmonæorum titulum derivat. FRID. SPANHEM. *Hiſt. Eccl. V. T. Epoch. IX. cap. III.* §. 2. vocem hanc non tam Hebræam, quam peregrinam vel gentilitiam, huic poſtmodum familiæ, ob dignitatem & principatum tributam, exiſtimat. Nos in medio relinquimus, in nominis origine hiſtoriæ veritatem nihil periclitari cenſentes. Si cui tamen volupe ſit, in vim ac natales appellationis curatius inquirere, eum ad eruditam viri doctiſſimi CONR. IKENII *obſervationem de Juda Maccabæo* remitto, quæ *T. I. Symbolar. literar. Bremenſ. P. I. p.* 170. *ſqq.* legitur, multisque egregiis annotationibus eſt referta.

β) Ortum & genus, quod e tribu Levi trahebant, & quidem a ſacerdote Simeone, ex ordine Joaribi, cujus mentio fit 1. Chron. XXIV, 7. teſtibus IOSEPHO in citatis verbis, & auctore libri 1. Maccab. II, 1. Primus ex his Mattathias, zelo Domini accenſus, jugum Antiochi Epiphanis excutere, cultumque divinum ab idololatrica gentis ſuæ profanatione vendicare cœpit, quem præcipua pars populi ſecuta, principem conſtituit. Huic in acceptis refert IOSEPHVS ſcitum, ut Sabbatis etiam, urgente neceſſitate, fortiter pugnarent Judæi: quæ conſuetudo ab illo tempore in gente manſit. Vno autem in principatu exacto anno, cum morbo correptus decumberet, vitæque ſibi inſtare finem ominaretur, filios ſuos quinque, Johannem, Simonem, Judam Maccabæum, Eleazarum, & Jonatham, ad ſe accerſitos, pia gravique oratione, ad tuendum religionis decus, aſſerendam gentis libertatem, mutuamque alendam concordiam, exhortatus eſt, interque hæc cumprimis præcepit, ut Simonem, prudentia præcellentem, patris loco haberent, ejusque morem gererent conſiliis, Judam vero Maccabæum, virtute ac robore præſtantem, in bello gerendo militiæ ducem ſequerentur. Hinc factum, ut poſt patris obitum, Judas rerum in ſe ſuſciperet adminiſtrationem, omniumque conſenſu principatum teneret.

γ) Res geſtas a Juda cumprimis, ejusque auſpiciis arceſſendas. Hic etenim anno IX Antiochi Epiphanis, rerum potitus, gemina ejus caſtra, alia ſub duce Samariæ Apollonio, alia ſub Serone, duce Syriæ, profligabat; cumque novum adverſus Judam exercitum Antiochi duceret Lyſias, Judas convocatis Mizpam Judæis, victoriam jejuniis ac ſupplicationibus a Numine exorabat, 1. Macc. III. Hinc exigua manu ampliſſimas ſub Gorgia & Lyſia copias hoſtiles vicit, indeque Hieroſolymas tendens, arcem capit,

templum purificat, altare a gentilibus exstructum evertit, novumque condit, & sacra prisca restituit, octo dierum encæniis templum initians, & ut quotannis octo dierum encænia solenni ritu celebrentur, lege sancit c. IV. & IOSEPH. c. l. cap. VII. Cumque illa tempestate diem obiisset Antiochus, successor ejus Demetrius Soter, rex Syriæ, Pontificem instituit post Menelai mortem, Alcimum, hominem impium, juratumque ecclesiæ hostem, 1. Macc. VII, 9. 2. Macc. XIV, 13. qui, cum in eo esset, ut interius templi atrium, muro dejecto, redderet commune, subitanea morte sublatus est, 1. Macc. IX, 54. sqq. IOSEPH. cap. IX. Post Alcimi fata, sunt qui existimant, septem annis vacasse sedem; IOSEPHVS autem cap. X. §. 6. populum perhibet Judæ Maccabæo Pontificatum detulisse, qui, donec alius commode surrogari posset, triennio eodem sit functus, quanquam ob bella, illorumque temporum turbas, solenni ritu suscipere & obire nec vellet, nec posset, nunquam Pontifex dictus, principis populi dignatione contentus. Postquam itaque Judas rebus Judæorum quadriennio præfuerat, foedus pangit cum Romanis, IVSTINO quoque memoratum *lib. XXXVI. cap.* 3. cujus formulam integram, ut tabulis æneis incisa, Capitolio fuerit illata, IOSEPHVS sub finem *cap. X.* exhibet. Anno demum sexto principatus, Judas impari & infelici congressus prælio cum Bacchide, Demetrii Soteris duce, ab ipso vincitur & fugatur 1. Macc. IX, 18. ipseque ab hostibus cinctus, & in acie cadens, victoriam illis reliquit, IOSEPH. *cap. XI.* §. 2. Ceterum istud cum Romanis ictum foedus, primam eis ansam subministravit, opprimendi Judæos, a quo foedere ad Vrbis per Titum vastationem, anni fluxerunt CCXXX.

δ) Successionem. A Judæ Maccabæi morte, frater ejus Jonathas principatu non modo potitus, verum etiam anno VIII a rege Alexandro Epiphane, Pontificatus dignitate ornatus & auctus fuit, festo tabernaculorum, solenni pompa hoc munere publice functus 1. Macc. X, 20. sq. IOSEPH. *lib. XII. cap. I.* & *V.* Cujus & principis, & pontificis, auctoritate & consiliis, αὐτονομία & libertas populo Judaico plenarie restituta, & in tuto collocata est. Vtramque porro Demetrius Nicanor, Soteris filius, non confirmabat modo, verum indultis quoque Jonathæ & Judæis tribus dicasteriis, amplificabat, populum a tributis omnibus liberabat c. XI, 28. sqq. præsidiumque Syrorum, qui arcem Hierosolymitanam tenebant, data occasione, ejecturum se pollicebatur v. 40. Quin etiam, ut contra vicinorum insultus rempublicam muniret Jonathas, foedus cum Romanis atque Spartanis renovabat, c. XII, 6. pristino nitori quassatam, utcumque restituens rempublicam, cujus tamen forma Democratiam potius, sive Aristocratiam, quam regnum referebat.

Demum vero Jonathæ, a Tryphone occiso, (cujus mortem & sepulturam IOSEPHVS *l. XIII. cap. VI.* §. 4.-5. exponit) frater succedebat, ex Mattathiæ filiis superstes *Simon*, qui primo pontificatus sui anno populum e servitute Macedonum liberavit, ut nulla ipsis posthæc penderent tributa, Hierosolymorum arcem, hostium receptaculum, diruit, populoque ut arcis quoque montem dejicerent, persuasit, multisque præclare gestis, a genero suo, PTOLEMÆO, in convivio, ex insidiis interemptus, periit, IOSEPH. *c. VII.* §. 4. Successit patri in pontificatu filius *Hyrcanus*, qui Samariam expugnavit & funditus delevit, & tria maxima consecutus a Deo beneficia fertur IOSEPHO *cap. X.* principatum gentis, pontificatum inter Sacerdotes, donumque vaticinandi. Illo autem, post unum & triginta imperii annos, rebus mortalium exempto, filius *Aristobulus* suffectus est, qui gloria majorum non contentus, τὴν ἀρχὴν εἰς βασιλείαν μεταθῆναι δόξας, *principatum in regnum permutare consultum ratus*, regium sibi ipsi diadema imposuit, ut IOSEPHVS habet *cap. XI.* §. 1. primus a captivitate Babylonica rex Judæorum, annis post reditum gentis in patriam CCCCLXXXI mense tertio, vel ut alii computant, annis CCCCLXXXVI, ante natum Christum annis CIV. Verum postquam suspicione ac metu permotus, & matrem in vinculis fame,

fame, & fratrem Antigonum gladio peremiſſet, deſperabundus animam efflavit, cum uno ſaltem anno ſceptrum tenuiſſet: *φιλέλλην*, *Græcorum amator* dictus. Hunc in regno excepit frater natu minimus, *Alexander Jannæus*, quo imperante immanis a Ptolemæo Lathuro illata Judæis eſt clades: ipſe 6000 Judæorum, ob motam in ipſum ſeditionem, trucidari, quin & 800 principes populi, a ſe devictos, in conſpectu ſuo crucifigi curabat, ex ebrietate demum morbum ſibi, mortemque conſciſcens. Poſt eum, vi teſtamenti, ſceptra capeſſebat vidua ejus *Alexandra*, quæ Phariſæorum beneficio & conſiliis, quietum tenuit imperium novem annis, & cum multa præclare geſſiſſet, cum gloria e vita exceſſit, IOSEPH. *lib. XIII. cap. XVI.* Inter hæc vero, inter duos ejusdem filios, *Hyrcanum* & *Ariſtobulum*, grave exarſit bellum. Hyrcanus enim, ex teſtamento patris, quoad in vivis mater eſſet, Pontificatu fungebatur, poſt matris vero exceſſum, regnum etiam affectabat: ſed bello a fratre impetitus, regno pariter ac templo ejiciebatur. Iſta fratrum contentio ad Pompejum magnum, qui tunc temporis in Armenia contra Tigranem pugnabat, tanquam ad judicem delata, ipſum cum exercitu Hieroſolymas accivit, qui Vrbe expugnata, Hyrcano regnum & ſacerdotium reſtituebat, Ariſtobulum autem cum filiis & filiabus in triumpho Romam ducebat captivum. Hac fratrum diſcordia, tota Judæa ſub jugum venit Romanorum, XXX ante natum Chriſtum annis, Cicerone apud Romanos Conſule. Finito bello civili inter Pompejum & Cæſarem, Antigonus Ariſtobuli filius, libertate recuperata, Parthos in Judæam accivit, qui Hieroſolymas, totamque miſere vaſtantes Judæam, Hyrcano ſeni aures præſcindebant, ne gerendo aptus eſſet Pontificatui, eumque in Parthiam captivum ducebant: poſt quem *Antigonus* triennio imperium tenuit, donec Hieroſolyma, poſt acrem ſeptem menſium oppugnationem, occupata captus, atque a Romanis virgis cæſus Antiochiæ, capite truncaretur, *ὃ μηδεὶς ἄλλος βασιλεὺς ὑπὸ τῶν Ῥωμαίων ἐπεπόνθει*, *quod nullus alius Rex a Romanis paſſus eſt*, ex DIONIS CASSII *obſervatione lib. XLIX.* Poſt hunc *Herodes*, filius Antipatris, Rex in Judæa factus, Hyrcanum e Parthia domum revocabat, quem tamen ipſe poſt Antonii mortem occidebat: ut ita, cruento ac funeſto exitu, gens Maccabæorum interiret, CXXXIX annis poſt, quam Mattathias ejus ſtator adverſus Antiochum Epiphanem arma cepiſſet. Atque iſta quidem, in compendium miſſa, hic obſervaſſe juvabit, ut facies reipublicæ, & viciſſitudines regiminis Judæorum, a reditu in patriam, usque ad Chriſti adventum, inde intelligantur. Quæ omnia explicate & copioſe tradita, qui legere cupit, adeat FRID. SPANHEMIVM *Hiſt. Eccleſ. V. T. Epocha IX. T. I. Opp. f.* 446. *ſqq.* CHRISTI. SCHOTANVM *Biblioth. Hiſtor. Sacræ V. T. in Sulpit. Sever. T. II. Pemptad. III. lib. V. p.* 1266. *ſqq.* HVMPHREDVM PRIDEAVX *in Hiſt. Jud. P. II. lib. III.* edit. Gall. *T. III. p.* 298. *ſqq.* FRANCISC. BVRMANNVM *in Hiſt. Eccleſ. V. T.* ſubjuncta *Commentario ejus in libb. Hiſtor. V. T.* edit. Belg. *Tom. III. p.* 448. *ſqq.* & e noſtris LVNDIVM *Jüdiſcher Heiligthüm. Lib. III. cap. XXIV.* atque IOH. FRANCISC. BVDDEVM *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. Per. II. Sect. VII. Tom. II. p.* 1127. Qui vero ſingula rerum geſtarum momenta, ad annos ſuos, temporumque articulos revocata, cognoſcere avet, conſulat VSSERIVM ARMACHANVM *Annalium Tom. II. p.* 32. *ſqq.* De librorum denique Maccabaicorum, qui inter Apocryphos ſunt Vet. Teſt. auctore, lingua originali, auctoritate & fatis, hiſtoricam & criticam recenſionem ac obſervationes dabunt, IOSEPHVS DE VOISIN *obſervat. ad Raymundi Martini pugionis fid. proœm. fol. marg.* 104. IO. ALBERT. FABRICIVS *Bibliotheca Græca lib. III. cap. XXIX. §. 9. p.* 748. *ſqq.* Vener. WOLFIVS *Biblioth. Hebr. P. II. Sect. III. §. 7. p.* 202. *ſqq.* polemicam vero contra Pontificios demonſtrationem, magnus GERHARDVS *Conf. Cath. Lib. II. Spec. P. I. Art. I. Cap. I. Sect. I. theſ. VIII. f.* 63. *ſqq.* & ex Anglis, doctiſſimus IOH. RAYNOLDVS *Cenſ. libb. Apocryph. V. T. prælect. XCIX. ſqq.*

Ad §. VIII. pag. 2.

(11) *Herodis Ascalonitæ regnum*] Facturum me operæ pretium confido, si brevem Herodiadum delineationem hic dedero, qua iis omnibus novi fœderis locis lux affundatur, in quibus Herodis fit mentio. Herodem legimus, quo imperante Christus & Johannes nati Luc. I. Matth. II. Herodem tetrarcham, qui Johannem gladio percussit Matth. XIV. Luc. III. Herodem ἐπίτροπον Luc. VIII, 3. Herodem, sub quo Salvator mundi passus & mortuus Luc. XXIII. Herodem interfectorem Jacobi Act. XII, 1. Qui ut caute & recte discernantur, genealogiam Herodum ob oculos habere necesse est, quam & ABRAH. SCVLTETVS condidit *Exercitat. Evangel. lib. I. cap. II.* & largius adhuc CHRISTI. NOLDIVS sub init. *historiæ Idumææ*, quæ *Tom. II. Opp. Josephi*, edit. Haverkampianæ, subjuncta legitur *p.* 337. & copiosissime omnium ADRIAN. RELANDVS *Palæstinæ Lib. I. cap. XXX. p.* 173. *sqq.* demum etiam cui turbare omnia, ac in ancipiti ponere volupe est, IOANN. HARDVIN, Jesuita, *de nummis Herodiadum p.* 90. quem tamen ex merito castigavit CHRISTO. CELLARIVS, cujus dissertatio *cit. loco Josephi p.* 324. legitur. Cumprimis conferri huc meretur Vener. DEYLINGIVS *P. II. Observ. Sacr. XXVI.* quæ est *de familia & Genealogia Herodiadum p.* 247. *sqq.* qui curate & studiose illam recensuit, & HARDVINVM cum aliis, perperam statuentibus, solide propulsavit. Nos paucis ita complectimur:

Antipas, Idumæus, ab Alexandro Judæorum rege, & Alexandra regina, Idumææ præfectus: gentis Herodiadum stator.

|

Antipas, qui postea Antipater s. Antipatros dici maluit, primus Judææ tutor a Julio Cæsare constitutus.

|

(*a*) Herodes Magnus, Rex Judææ, infanticidii Bethlehemitici auctor Matth. II. cujus ex numerosa sobole, RELANDO curate memorata, huc spectant

Aristobulus, jussu patris strangulatus.	(*b*) Archelaus, ethnarcha, sub quo Christus ex Aegypto rediit. Matth. II.	(*c*) Philippus, tetrarcha Ituraæ & Trachonitidis. Luc. III, 1.	(*d*) Herodes Antipas, tetrarcha Galilææ Luc. III, 1. raptor Herodiadis Matth. XIV, 4. interfector baptistæ, & illusor Christi patientis Luc XXIII, 11.

(from Aristobulus:)

Herodes, Rex Chalcidis, qui regnum ab Imp. Claudio, ex intercessione fratris Agrippæ, obtinuit. IOSEPH.	(*e*) Herodes Agrippa, Senior, qui universum regnum avi obtinuit, Jacobum interfecit, & Petrum in vincula conjecit Act. XII. In cujus prætorio Cæsareæ custoditus Paulus, Act. XXIII, 35.	Herodias, nupta Herodi Philippo, Herodis M. filio, deinde per consensum fratris ejus Antipæ uxor Matth. XIV.

(from Herodes Agrippa Senior:)

(*g*) Berenice Act. XXV, 13. Marco nupta, post Herodi, Regi Chalcidis, patruo suo, deinde Polemoni regi Ciliciæ, a quo discedens regem Agrippam sectari cœpit, non sine manifesta incesti suspicione.	(*f*) Agrippa Junior, coram quo & Berenice sorore, causam peroravit Paulus Act. XXV, 13. XXVI, 2. sqq. qui excidio Vrbis & reipublicæ Judaicæ supervixit, & tertio Trajani anno, teste PHOTIO, mortuus est, post quem tetrarchiarum in Palæstina nulla amplius mentio fit.	(*h*) Drusilla, quæ Azizo, Regi Emisenorum nupta, hinc Felicis Procuratoris Judææ uxor, Actor. XXIV, 24.

(*a*) He-

(*a*) Herodis M. in dubio est patria & ortus. Ascalonitam dicit Auctor noster, veteres secutus, quorum sententiam EPIPHAN. *lib. I. adversf. Hæref. XX. c. Herodianos*, ita declarat: Antipatrum ab Idumæis captum, & in Idumæa degentem, Herodem filium suscepisse, διόπερ τινὲς αὐτὸν λέγουσιν Ἰδουμαῖον, ἄλλοι δὲ Ἀσκαλωνίτην ἴσασι, *quam ob causam ab aliis Idumæus, ab aliis Ascalonita fuisse proditus est.* Quæ quidem minus commode cohærere videbuntur. Idumæa enim Judææ ab Austro subdita, Arabiam petræam attingit: Ascalon autem ad mare sita est urbs, in termino occidentali. Sed laxi tum fines erant Idumææ, ad mediterraneum usque mare protensi: quod ex PLINII *lib. V. cap. XII.* coll. cum init. *cap. XIII.* & PTOLEMAEI *lib. V. cap. XVI.* & STRABONIS *lib. XVI. p.* 523. probare satagunt Viri docti. Ad Herodem quod attinet, Patres quidem in eo sibi non constant, aliis alienigenam, aliis Judæum, perhibentibus. CYRILLVS ALEXANDRINVS γλαφυρῶν *in Genes. Lib. V. p.* 223. edit. Paris. 1638. Ἡρώδης ὁ Ἀντιπάτρου παῖς Παλαιστῖνος ὤν, *Herodes*, inquit, *Antipatri filius genere Palæstinus erat:* rursus *lib. X. de adorat. in Spiritu & verit. f.* 345. Herodem fert ὄντα ἐξ αἵματος Ἰσραὴλ, *ex sanguine Israelis genus duxisse.* Contra vero ea IVSTINVS MARTYR *in Dialogo cum Tryphone*, edit. Londin. Sam. Jebb, 1719. *p.* 152. illum Herodem, sub quo passus est Christus, Ascaloniten a Judæis dici perhibet: sed locus ille haud dubie in mendo cubat, quod uberius CASAVBONVS docet *Exerc. I. ad Apparat. Baronii §.* 2. & IOS. SCALIGER *animadversion. in Eusebii Chronic. n.* 1983. Erudite IVSTINVM vindicat h. l. & exponit RICH. MONTACVTIVS *Analect. Exerc. II. Sect. XI. p.* 92. *sq.* Sed Herodem pariter EVSEBIVS *lib. I. Hist. Eccl. cap. VI.* πρῶτον τὸ γένος ἀλλόφυλον, *primum genere alienigenam Judaicæ gentis regnum obtinuisse* perhibet, eoque Mosis vaticinium refert: *non deficiet princeps de Juda.* Vir Summus, FRID. SPANHEMIVS pater, *Dub. Evang. Part. II. Dub. XVI. p.* 227. in genus Herodis M. ex instituto inquirens, propositis utriusque sententiæ cum patronis, tum momentis, ita demum §. 8. *p.* 234. subducit calculum: falsum, & Herodem fuisse plane gentilem ac ἀλλόφυλον τὸ γένος, & γνησίως fuisse Judæum, inde a majoribus suis: verum autem, Idumæum a prima origine fuisse, sed cujus majores erant Ἰουδαιώμενοι, *Judaismo adscripti*, quæ sigillatim solide evincit. Cum nimirum Johannes Hyrcanus, integro fere seculo ante Herodis regnum, Idumæos bello difficili victos, ad ejusdem doctrinæ & cultuum professionem, imperata eis circumcisione, adegisset, Idumæi ecclesiæ Judaicæ inserti, & Judæi facti sunt, ὥστε εἶναι τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *ut ab illo tempore Judæi essent*, teste IOSEPHO *lib. XIII. Antiqu. c. XVII.* Confer, quæ in eandem sententiam copiose ac erudite disserit laudatus MONTACVTIVS *c. l. Sect. IX. p.* 75. *sqq.* Quæ ratio est, propter quam Herodem alienigenam, vel Idumæum fuisse, negarint viri doctissimi, IOSEPH. SCALIGER, CASAVBONVS, SCVLTETVS, SPANHEMIVS: religione nimirum ac instituto, licet ex Judaico sanguine oriundus non esset, sed ab Antipa Idumæo duceret ortum. Auctores, quæstionem hanc: utrum Judæus fuerit Herodes M. an proselytus Ascalonita? excutientes & disputantes, vide a CARPZOVIO allegatos *ad Schickardi Jus Reg. cap. I. Theor.* 3. *p.* 51. *sq.* quibus HEINSIVM adde *epist. c. Balsacum p.* 147. ubi pariter nec proselytum, nec Judæum fuisse, censet. Regni ejus historiam prolixe persequitur laudatus SPANHEMIVS P. *Part. II. Dub. Evang. II. p.* 60. *sqq.* SPANHEM. fil. *Hist. Eccl. V. T. Epocha IX. Cap. IX. T. I. Opp. p.* 466. DIONYSIVS PETAVIVS *animadvers. ad Epiphanii hæres. LI. Alogorum T. II. Opp. p.* 121. *sq.* filum IOSEPHI omnes secuti. Primo Herodes, & Phasaëlus frater ejus, Romanorum auspiciis ab Antonio, Tetrarchæ Judææ constituti, apud IOSEPH. *lib. XIV. Antiqu. c. XIII.* Phasaëlo deinde a Parthis capto, & spontaneo capitis ad saxum illisu, extincto, Herodes Judæa cedere coactus, & Romam profectus, Antonii & Octavii Augusti favore, medius inter utrumque, Judæorum Rex a Senatu procla-

proclamatur. Posthæc in Judæam redux, post triennale fere bellum, ANTIGONVM, ex Hassamonæorum gente ultimum, opprimit, Parthos e Syria pellit, Hierosolymam XXVII annis, postquam occupata fuerat, a Pompejo eodem die expugnat, atque sic demum Judææ regno placidus potitur. Cum autem Antonius ab Octaviano Cæsare superatus esset ad Actium, & Herodes, Antonii partibus addictus, imperio se excidisse crederet, præter spem in fastigio regio confirmatur a Cæsare, & post illa quoque fratri suo Pheroræ tetrarchiam ab eodem impetrat, *lib. XV. Antiqu. cap. XIII.* Quam deploranda vero ac misera Judæorum fuerit conditio regnante Herode, Judæorum ritus cum profanis miscente, ludos ac certamina athletica in honorem Augusti instituente, aquilam auream ingentis magnitudinis, supra majorem templi portam, plane contra gentis leges suspendente, Pontifices ex lege perpetuos, pro lubitu summovente, iisque surrogante alios, Davidis sepulchrum, spe ingentis thesauri, violante, & Judæos innumeris cædibus, terrore, ac molibus passim exstructis, opprimente, ex IOSEPHO cumprimis, laudati auctores copiose exponunt. In his maxime MONTACVTIVS *p.* 78. *sq.* detestabilem ejus senectam, & profligatæ impietatis mores graphice depingit, adeo ut Herodem vergente ætate, firmatoque imperio, factum fuisse gentilem, contra BARONIVM, pronunciet. Ne tamen omnem penitus perderet gratiam Judæorum, templum Hierosolymitanum ingenti molimine, immensisque sumtibus, inde ab anno regni XVIII instauravit, ita ut posthæc admirationi esset omnibus Marc. XIII, 1. vitemque auream, e qua botri ingentis magnitudinis dependebant, supra columnas, in interiore portæ templi parte erexit, unde factum, ut in nummis Herodis M. botrus expressus conspiciatur. Etsi fidem IOSEPHI *lib. XV. Antiqu. c. ult.* & *de bello Jud. lib. VI. cap. VI. & XVI.* magnificentiam hujus ædificii immane quantum extollentis, in dubium vocet & suggillet SPANHEM. fil. *cit. loc. p.*469. Voluntatis tandem ultimæ tabulis varie, & plus vice simplici mutatis, regnum inter filios ita divisit, ut rex esset Judæorum Archelaus, ei successurus, Antipas tetrarcha Galilææ & Peraeæ, Philippus tetrarcha Trachonitidis, Gaulonitidis, Batanææ, & Paneadis: *lib. XVII. Antiqu. cap. X.* Sed de hoc Herode NICOL. SERARIVS pec. libro commentatus est, quem *Rabbinis* subjunctum, inscripsit: *de Herodis tyranni natalibus, Judaismo, uxoribus, liberis & regno,* in quo bona malis, vera falsis permista cernuntur.

(*b*) Archelaus mortuo parenti justa persoluturus, defuncti corpus e Callirhoe, ubi decesserat, magna pompa Herodium usque duxit, ducentis illinc stadiis distans, indeque Hierosolymam reversus, septem dies, ex lege, luctui insumsit, tumultuque, qui ortus fuerat propter interfectos ab Herode legis doctores, aucto in Paschatis festo, tria Judæorum millia trucidavit. Posthæc Romam profectus est, ut regnum sibi a patre relictum, confirmaret Augustus. Neque tamen regis, sed ethnarchæ solum titulum obtinuit, sed regio ipse dominatu, nec ferenda Judæis sævitia, Judææ, Samariæ & Idumææ imperavit: hinc a Judæis & Samaritanis apud Augustum tyrannidis postulatus, relegatur Viennam Allobrogum, decimo post principatum anno, misso Quirinio, qui Archelai patrimonium fisco addiceret, Judæam in provinciæ formam redigeret, Syriæ adscriptam, & Procuratoris submitteret regimini: cujus exilii, incertum quo anno, vitam cum morte commutavit. Vide IOSEPH. *lib. XVII. Antiqu. cap. XV.* & *L. II. de bello Jud. cap. VII.*

(*c*) Philippus, Herodis M. ex Cleopatra filius, Archelai frater, tetrarcha Ituræ & Trachonitidis Luc. III, 1. quoniam in principatu a patre relicto a Cæsare confirmaretur, Paneadem, a fonte Paneade, qui eam alluebat dictam, & ad radices montis Libani sitam, in ea regionis Gaulonitidis parte, ubi fluvii Jor & Dan confluebant, constituebantque Jordanem, plurimis novis, mirandisque auctam & ornatam ædificiis, *Cæsaream Philippi* appellavit Marc. VIII, 27. quæ antiquis Leschem Jos. XIX, 47. & Lais Jud. XVIII,

XVIII, 29. nec non creberrime Dan audiebat. Ab hac enim alia & diversa fuit *Cæsarea Stratonis*, vel Cæsarea Palæstinæ, passim quoque sine addito, & absolute, Cæsarea nuncupata, ad littus maris mediterranei inter Doram & Joppen sita, de qua Act. VIII, 40. IX, 30. Idem vico Bethsaidæ, ad ripam lacus Gennesareth, novum urbis splendorem ac speciem conciliavit, Juliamque appellavit: demumque in provincia sua consenuit, decessitque ἄτεκνος, anno post C. N. XXXIV, post cujus mortem Trachonitis provinciæ Syriæ accessit. Præcipuum, quod circa illius historiam in controversiam vocatur momentum, uxorem concernit Herodiadem, Herodi Antipæ posthæc nuptam. Hanc Philippi uxorem Evangelistæ memorant Matth. XIV, 3. Marc. VI, 17. Luc. III, 19. cujus tamen priorem maritum IOSEPHVS pariter Herodem appellat *Lib. XVIII. Antiqu. cap. VII.* Temere integritatem Textus hic sollicitat BERN. LAMY *Comment. in harmon. Evangelist. Lib. III. cap. XXVI. T. I. p.* 281. ita nugatus: *potuit irrepsisse* (Philippi nomen in textum Evangelistarum) *ex glossemate viri, qui non alium agnoscens fratrem Herodis Antipæ, quam Philippum Tetrarcham, nomen ejus margini codicis exposuerit. - - Incertum est, an etiam appellaretur Philippus; sed certe alius est ab eo Philippo, qui erat Traconitidis Tetrarcha; neque enim potentissimus princeps passus esset, sine vi armorum, rapi propriam uxorem: aut raptam armis repetivisset. Saltem res acta silentio non fuisset.* Felicius omnino in utraque hac auctoritate concilianda varii desudant interpretes, in quibus laudatus D. DEYLINGIVS *c. l.* §. 19. *sq. p.* 259. cum H. GROTIO & BASNAGIO, in ea acquiescit sententia, inter Herodis M. filios, duos fuisse Philippos, alterum ex Mariamne, Simonis Pontificis filia sublatum, alterum ex Cleopatra, qui tetrarcha. Vtrumque etiam RELANDVS in tabula Genealogica Herodum distinxit, & priorem Herodem dicit, maritum Herodiadis, posteriorem Philippum, quem duxisse tradit Salomen, filiam Herodis & Herodiadis. Priori ergo cum *Philippi Herodis* esset nomen, hinc factum, ut prior Herodiadis maritus, divisa appellatione, Philippi nomine veniret Evangelistis, Herodis IOSEPHO, qui tamen utrisque sit idem. Calculum huic sententiæ adjicit quoque Vener. WOLFIVS in *Curis Philol. ad Matth. XIV,* 3. Nec est, quod jure ei obvertatur, cum Philippi uxorem quidem Herodiadem fuisse affirment Evangelistæ, tetrarchæ vero fuisse omnes sileant, & quamvis Lucas vers. 1. τοῦ τετραρχοῦντος disertam injecisset mentionem, commate tamen 19. nullum istius dignitatis vestigium addat, alium & a priori diversum se hic indigitare Philippum, haud obscure prodens.

(*d*) Herodes Antipas, Herodis M. ex Malthace filius, tetrarcha Galilææ Luc. III, 1, βασιλεὺς quidem ab Evangelistis Matth. XIV, 9. Marc. VI, 14. salutatur, sed, quod probe observant doctores, generaliori saltem vocis usu, quo quemvis notat supremum imperantem. Hinc Lucæ c. IX, 7. Johannis interfector diserte Ἡρώδης ὁ τετράρχης appellatur. Is enim, postquam Aretæ regis filiam in matrimonium duxisset, mox tamen incesto inflammatus amore, missam eam fecit, fratris uxore Herodiade in torum adscita, magno suo malo. Ista quippe, regiæ invidens dignitati fratris Agrippæ, facile persuasit marito, ut Romam profectus, regium & ipse titulum ac ἀξίωμα ambiret, & ab Imperatore conferri sibi peteret. Sed Caligula ab Agrippa monitus, & de amicitia Herodis cum Artabano, Parthorum rege, & de ejusdem armamentario, Antipam in Galliam relegat, quem ultro secuta est Herodias. Tetrarchiam Herodi ademtam, ad Agrippæ regnum adjecit Imperator: teste IOSEPHO *lib. XVIII. Antiqu. cap. IX.* Plus vice simplici, ab Evangelistis pariter ac IOSEPHO, atro notatur carbone, quod Johannem, præcursorem Christi, capite truncavit, Matth. XIV, 10. Christo insidias struxit, Luc. XIII, 31. eidem patienti illusit, Luc. XXIII, 11. Ad quem Apostoli quoque digitum intendunt Act. IV, 27. Ceterum, quæ simultatis inter ipsum, & Pilatum Judææ procuratorem, causa fuerit & origo, dis-

quirentem, vide ANTON. BYNAEVM *de morte J. C. lib. III. cap. II. §. 12. p. 81. sq.*

(*e*) Herodes Agrippa Major, sive Senior, Herodis M. ex Aristobulo nepos, variam expertus est fortunam. Paupertate aliquamdiu pressus, apud sororem Herodiadem vixit. Hinc a Tiberio in vincula conjectus, liberatur a Caligula e carcere, aureaque ejusdem ponderis catena, quo ferrea fuerat, donatur, & utriusque tetrarchiæ, cum quæ Philippi fuerat, tum quæ Lysaniæ, Rex constituitur. Confirmatus a Claudio, Judæam quoque & Samariam, quod olim ad avum ejus Herodem pertinuissent, regno suo adjectas accipit: ea quidem cum dignitate, ut tributum Judæi non Romanis, ut antea, sed Regi suo penderent. IOSEPH. *lib. XVIII. Antiqu. cap. VIII.* Hic est, ad quem universa spectant, quæ Actor. XII. traduntur, quod, ut Judæorum aucuparetur gratiam, in Apostolos sævire cœperit, Jacobum Apostolum gladio percutiens, & in vincula conjiciens Petrum, e quibus mirabili Numinis beneficio liberatus evasit: tum quoque, quod Cæsareæ ludos exhibens, divinosque admittens honores, justa Dei vindicta percussus, quinto die post, interierit, anno Claudii Cæsaris quarto, regni sui octavo. A paganismi labe, ab HARDVINO eidem temere adspersa, vindicavit eum DEYLING. *c. l. §. 22. sqq. p. 261.* Prætorio autem, ipsius auspiciis & jussu Cæsareæ exstructo, nomen hæsit, ut πραιτώριον τοῦ Ἡρώδου diceretur, Act. XXIII, 35.

(*f*) Agrippa Junior, sive Minor, septendecim annos habebat, & in aula Imperatoris educatus, Romæ degebat, cum fatis concederet pater. Hunc paterni regni successorem statim dicebat Claudius, sed amicis monentibus, tutum satis non esse, ut juveni, qui tanto oneri impar, imperii committeret habenas, aurem præbens, sententiam mutabat, Judæam Syriæ additam, denuo in provinciam redigens, & procuratorem in illam mittens, Cuspium Fadum: ut est apud IOSEPHVM *lib. XIX. Antiqu. cap. ult.* Quadriennio demum post, mortuo Herode patruo, Chalcidis Syriacæ rege, successorem ei dixit Imperator Agrippam, Regemque constituit: verum denuo post quatuor annos, Claudius Chalcide eidem adempta, illius loco tetrarchiam Philippi, Agrippæ donat, & Batanæam, cum Trachonitide & Abyla, quod ejus regnum postea Nero, adjecta Galilææ parte, Tiberiade & Juliade trans Jordanem sita, agroque ejus habitato vicis quatuordecim, insigniter amplificavit & auxit, teste IOSEPHO *lib. XX. Antiqu. cap. V.* Ita excidio Hierosolymitano diu superfuit Agrippa, regno incolumi, & aliquot urbium accessione, Vespasiani beneficio, ampliato, nec in destructione urbis aliam, nisi curæ & inspectionis templi, ac Summorum Pontificum constitutionis & abdicationis, hæreditatis lege a patruo Herode, Chalcidis rege, in se devolutæ, fecit jacturam, ultimus Herodiadarum in Palæstina Dynastarum. Hic ipse est Agrippa, coram quo causam suam graviter peroravit Paulus, tantoque cum pondere, ut fateretur Rex, parum abesse, quin in Christianorum ipse castra transiret, Act. XXVI, 28. Plura de eo, præter laudatos SCVLTETVM & DEYLINGIVM, habet LVDOV. CAPPELLVS in *Spicilegio notarum ad Act. XXV, 13.*

(*g*) Quæ Βερνίκη Lucæ, Act. XXV, 13. aliis Berenice dicitur, Agrippæ Junioris soror, a patre Agrippa Majore, Herodi, Chalcidis regi, patruo suo in matrimonium data, post obitum mariti variis rumoribus & suspicioni, de clandestinis cum fratre Agrippa Jun. congressibus, locum dedit. Quam tamen infamiam callide a se amolitura, Polemoni Ciliciæ regi nupsit, quo pariter paullo post e vivis sublato, fratrem iterum sectari cœpit. Nil itaque mirum, quod *in Actis Apost.* fratris Agrippæ lateri semper adhæsisse legatur, quin &, quod IVVENALIS *Satyra. VI. v. 156. sq.* incestuosos ejus publice perstringat amores. Vide IOSEPHVM *lib. XX. Antiqu. cap. V.*

(*h*) Drusilla, Agrippæ Minoris soror altera, prius Epiphani, Regis Antigoni filio, desponsata fuerat; verum cum adolescens Judaicos ritus, inprimis circumcisionem admittere recusaret, frater ejus Agrippa, post obitum parentis, Azizo, Emise-

Emisenorum regi eam elocavit, qui circumcisionem haud invitus susceperat. Verum posthæc Felix, Procurator Judææ, singulari fœminæ pulchritudine captus, Simonem quendam Judæum, genere Cyprium, subornavit, qui lenociniis suis eam a marito redderet alienam, ipseque hinc precibus, hinc sollicitationibus eam denique expugnavit & permovit, ut deserto priori marito, & ejurata patria religione, Felici nuberet, homini profano & gentili. Vnde Felicis γυναῖκα, *uxorem*, vocat Drusillam Lucas Actor. XXIV, 24. concubinam autem tantum fuisse contendit SALDENVS §. *XII. p.* 775. *Otior. Theol. Lib. IV. Exerc. IX.* quæ tota est *de Felice & Drusilla.* Confer IOSEPHVM *lib. XX. cap. V.*

Ad §. VIII. pag. 3.

(12) Oraculum hoc Jacobæum, quia cardinale est & facile princeps in his, quibus Messiæ adventus contra Judæorum pervicaciam, sole clarius evincitur, summa cum cura, & certatim Philologi pariter ac Theologi, explicarunt. Præter eos, qui integris commentariis Genesin enucleantes, in hoc dictum inciderunt, e Protestantibus cumprimis, qui data opera, sive seorsim, sive ferente ita occasione, locum hunc illustrarunt, nominasse sufficiat de *Nostris*, IAC. MARTINI *Disp. II. de Messia.* CHRISTO. HELVICVM *T. IV. Giessens. p.* 298. DIETRIC. *Antiqq. Biblic. V. T. f.* 139. MICH. WALTHER. *Dissert. I. Bibl.* PLATNERVM, Consiliarium quondam Vinariensem, qui sub ascititio GEORGII ERICI, Pharetrani, nomine, Exercitationem historico-philologicam pereruditam, *de Sceptri Judaici ablatione,* Vinariæ A. 1645. luci publicæ exposuit: IOH. MVLLER. *Judaismi detecti P. I. lib. I. cap.* 8. *p.* 182. HACKSPAN. *Syllog. Disp. II. p.* 72. 87. & *not. Philol. P. I. p.* 252. AVG. PFEIFFERVM *Dub. Vexat. V. T. Cent. I. Loc. LXXX.* CRAMERVM *Scholæ Prophet. Class. II. p.* 1. GLASSIVM *Philol. S. Lib. I. Tr. I. p.* 50. SEB. SCHMIDIVM *Coll. Biblic. I. p.* 171. DANHAVER. *Dispp. Theol. III. p.* 26. TARNOVIVM *Exercit. Biblic. p.* 545. DORSCHEVM *Comment. in Matth. II. p.* 26. IOBVM LVDOLFVM in *Duce Judæorum sublato,* quæ dissertatio in *Thesauro Novo Dispp. Theol. Philol. P. I. p.* 228. *sqq.* inserta legitur, IOH. DIECMANNVM in Philologemate sacro, *de legislatore a medio pedum Judæ, ante adventum Christi, non recedente,* in *cod. Thes. Nov. p.* 237. GVSTAV. GEORG. ZELTNERVM *in Schilo, nodis soluto,* ibid. *p.* 247. CHRISTI. SCHÖTTGENIVM peculiari dissertatione *de Schilo dominatore,* quæ *Horis* ejus *Hebraicis & Talmudicis* subjuncta legitur *p.* 1264. & qui instar omnium esse poterit, IOH. CHRISTO. WAGENSEILIVM in *epistolica de loco Classico Gen. XLIX,* 10. *dissertatione,* Altdorffii Noricor, edita A. 1676. & posthæc inserta *Telis igneis Satanæ,* in *Confutatione carminis Lipmann. p.* 264. *sqq.* VON SEELEN *Meditat. Exeg. p.* 25. WOCKENIVM *Meditat. V. T.* 2. Ex *Reformatis* consulantur, ante omnes, integro tractatu, quo seipsum superavit IACOB. ALTINGIVS, & qui *Schilo* inscriptus, *Opp. T. V.* reperitur, tum quoque in compendio *T. II. Opp. f.* 43. RICHARD. MONTACVTIVS *in Analectis, Exercit. II. tota, p.* 42-94. HENR. MORVS *Opp. Theol. p.* 251. FRANC. GOMARVS *in explic. Luc. II. P. I. Opp. f.* 180. CASAVBONVS *Exercit. I. ad Annal. Baronii n.* 2. SIXT. AMAMA *Antibarb. p.* 278. BVXTORFF. *in Anti-Crit. p.* 714. 769. SHERLOCK *de usu & fine prophetiæ, Append. dissert.* 3. edit. Gall. *p.* 297. SCHVLTENS *Animadvers. p.* 30. VITRINGA *Obs. Sacr. Lib. IV. cap. V. & VI. p.* 901. *sqq.* ubi sceptrum, tempore nati Christi, nondum a Juda ablatum, sed in Herode M. superstes fuisse, demonstrare annititur, nec non *de Synag. Vet. p.* 169. GISBERT. VOETIVS *T. II. Dispp. Select. p.* 51. IOH. HENR. HOTTINGERVS *Tom. II. Histor. Patriarch. Exerc. XXIII. Sect. IV.* §. 12. *sqq. p.* 736. *sqq.* WILHELM. MOMMA *prælection. Theolog. in Gen. XLIX,* 10. quæ in opere ejus posthumo primo loco comparent: IOH. MARKIVS *Commentar. in Pentateuch. ad h. l. p.* 119. ANTON. CREGVTVS *in Revelatore Arcanorum Cap. XIII. p.* 532. *sqq.* Demum in Biblioth. Bremens.

menf. *Claff. II. p.* 992. & *Claff. IV. p.* 590. & *Claff. VI. p.* 376. ABRAH. SCVLTETVS *Exercitat. Evangel. Lib. I. cap. III.* quæ *in Bibl. Critic.* leguntur *T. IV. p.* 1869. Ex *Remonftrantibus* huc refer EPISCOPIVM *T. I. Opp. p.* 163. & PHIL. A LIMBORCH *in Collat. cum erudito Judæo, de veritate religionis Chrift. p.* 223. Quo pacto Judæi contra hoc oraculum infidelitatem fuam muniant, videri poterit apud LIPMANNVM in *Nizzachon.* R. MENASSEH BEN ISRAEL *in Conciliatore h. l.* & IS. ABARBENEL *Comm. in* 1. *Sam. IX,* 2. *fol.* 94. *col.* 4. *usque fol.* 95. *col.* 4. quorum folidam adornavit refutationem ALTING. *lib. I. in Schilo,* quem omnino vide, & adde HOORNBECK. *pro convertend. Judæis lib. II. cap. I. p.* 127. *fqq.* ubi κατὰ πόδα MENASSEN BEN ISRAEL propulfavit. Nos, qua fieri poteft brevitate, noftram dicturi fententiam:

I. Perfpicuam verborum Textus explicationem dabimus.

לא יסור *non recedet*] סור cum מ vel מן conftructum, privationem & totalem notat receffionem, feu ablationem, cum connotatione termini a quo, unde fit difceffio, v. g. 1. Sam. XXVIII, 16. *Dominus* סר מעליך *receffit a te,* gratiofam affiftentiam tibi fubtraxit, non amplius tecum eft. Num. XII, 10. columna nubis receffit a tabernaculo, ut non amplius eidem incumberet. Hof. IX, 12. *væ illis,* בסורי מהם *in recedere me ab iis,* ita ut non amplius cum ipfis fim. Lev. XIII, 58. וסר מהם הנגע *& recedet ab eis plaga,* fic ut illa non amplius afficiantur. Ita hoc loco verbum hoc totalem ablationem αὐτονομίας, Regni, Synedrii, & poteftatis judicialis a Juda infert.

שֵׁבֶט *Sceptrum*] Præter *virgam* five *baculum,* & *tribum* notat Gen. XLIX, 28. Deut. XII, 14. & *fceptrum;* idque vel proprie, ut imperii & poteftatis infigne, quale fceptrum aureum Ahasveri Efth. IV, 11. Amos I, 5. 8. vel metonymice, regnum ipfum, five dominium. Zach. X, 11. *dejicietur faftus Affyriæ,* ושבט מצרים יסור *& dominium Aegyptiorum ceffabit.* Quamquam non regiam femper, fed quamcunque fupremam in gente poteftatem Hebræis defignet, ut ex Pf. CXXV, 3. & Ezech. XIX, 10. 13. liquet. Hinc pro *tribu* accipit ALTING. *lib. III. cap.* 2. & 3. atque hunc fenfum reddit: *non recedet tribus, id eft, certa familiarum confanguinearum feries, a Jehuda, id eft, ejus pofteritate, donec venerit Schilo;* ut hoc fibi velit: *pofteritas Judæ femper habebit familias diftinctas, ab eadem ftirpe, non interrupta, nec incerta ferie defcendentes, usque ad adventum Meffiæ.* Verum ut taceamus, implicari hoc pacto fenfum, fi ita exponatur, *non recedet tribus a tribu Jehuda,* quoniam pofteritas Judæ ejus tribum quovis tempore conftituebat; ut in difficultate ifta tollenda fruftra laboret Vir Summus: refragatur quoque ifta interpretatio Patriarchæ fcopo. In eo enim erat Jacobus, ut ἐξοχὴν & prærogativam hujus, præ ceteris omnibus, prædiceret tribus. Aft commune hoc erat beneficium omnium tribuum, ut tempore nati Meffiæ diftinctas haberent familias, ab eadem ftirpe non interrupta ferie defcendentes, nec in eo Jehuda reliquam gentem fuperabat. Neque enim potuiffent alias in ἀπογραφῇ Augufti, πορεύεσθαι πάντες ἀπογράφεσθαι, ἕκαςος εἰς τὴν ἰδίαν πόλιν, Luc. II, 3. Miffo autem reliquarum fententiarum examine, ultimæ vocis שבט fignificationi calculum noftrum adjicimus, ut hic loci *jurisdictionem,* τὸ κύριον, *fummamque poteftatem* defignet. Probamus 1) ex mente & fcopo dicentis. Singularem præ ceteris omnibus tribui Judæ eminentiam, & afferit Jacobus, dum ita infit: *Juda, te laudabunt fratres tui, manus tua cervici inimicorum tuorum imminebit, incurvabunt fe filii patris tui,* & luculenter defcribit, per שבט fceptrum & imperium, in tribu Juda excitandum, nec prius removendum, quam advenerit Schilo. 2) Ex connexo מחוקק, quod legislatorem defignat, poteftatem νομοθετικὴν cum dignitate regiminis feu ἀρχικῇ arctiffime connexam. 3) Quæ dignitas ex primogenitura

tura Rubeni adempta, & in Judam est collata, ea per שבט hic designatur. Ast imperii & dominii dignitatem a Rubene in Judam devolutam fuisse, ex 1. Chron. VI, 2. constat. Vnde recte LXX Interpp. per ἄρχοντα exponunt, Targumistæ per *dominatores*.

מִיהוּדָה *e Juda*] Id nominis tria notat in Scriptura: 1) Personaliter, filium Jacobi, a celebratione & confessione ita appellatum, quod mater a partu ejus Deum celebrasset Genes. XXIX, 35. eumque celebraturi essent fratres h. l. vers. 8. Hoc sensu etiam, quamcunque notat aliam personam, pariter hoc nomine insignitam. 2) Collective, & specialius quidem, tribum sive posteros Judæ, Jud. I, 2. 2. Sam. V, 5. 3) Generalius, populum, penes quem post discessionem X tribuum, earumque in Assyriam deportationem, nomen gentis & regimen mansit, usque ad Titi vastationem gentis & urbis. Huic a tribu Judæ, nomen quoque Judæorum hæsit, qui & ipse Juda dicitur Hos. IV, 15. Vltimam hanc notionem premit h. l. VOETIVS *Dispp. Sel. T. II. p. 60.* ita, ut ab hoc populo *recessisse* observet *sceptrum, primo quidem regale, deinde ducale, tum judiciale ex parte, & quoad exercitium, deinde omne sceptrum, quod ad jus, & titulum.* Sed denuo contra mentem dicentis. Patriarcha enim singulas cuivis tribui benedictiones impertiens, modo in benedictione tribus Judæ versatur, in quantum ea encomium, honorem & dignitatem a fratribus sit receptura, adeoque in quantum reliquis tribubus hac ipsa dignitate sua & eminentia contradistinguitur, longeque antefertur. Vnde intelligitur, medio significatu tribum Judæ hic notari, una cum gemina Benjamitarum & Levitarum appendicula, quæ cum Juda faciebat. Nec enim alia vocis notio hic locum habere potest, quam qua hanc benedictionem exorsus erat Jacobus vers. 8 יהודה אתה.

וּמְחוֹקֵק *& legislator*] *a*) Alii præfixum ו, cum Dn. D. ZELTNERO *Disp. in h. l. §. 12.* *disjunctive* exponunt, sceptrum *aut* legislator, ut Exod. XXI, 17. *maledicens patri suo* ואמו *aut matri suæ:* 2. Sam. XXIV, 13. ubi pro peccato commisso propositæ Davidi pœnæ hac particula disjunguntur, ואם, ואם: ut hic loci ו istud de succedente altera regiminis forma, in tribu tamen Judæ semper extitura & permansura, sit explicandum, hoc modo: Non recedet sceptrum, *aut* (posthæc) legislator. Alii *copulative*, ita tamen, ut non temporis, sed potestatis affinitatem & nexum indicet, hoc sensu: Non recedet sceptrum, *neque* legislatoria potestas seu αὐτονομία. Sensus utrinque fere redundat idem. *b*) A חָקַק *descripsit, insculpsit*, item *statuit, decrevit*, est Partic. Pih. מחוקק *decernens, legislator:* hinc etiam חק & חקה *statutum, decretum*, quod alii malunt de legibus ceremonialibus semper intelligere, velut חקים *statuta Levitica* Devter. I, 1, 20. VII, 11. notant, medio inter מצות & משפטים posita loco. Verum hanc notionem non ubique obtinere, vel solus Ps. CXIX. affatim demonstrat. Hoc loco מחוקק statuta cum auctoritate ferentem, supremum imperantem, sive legislatoriam potestatem designat, non communem Scribam seu Notarium, velut ONKELOS intellexisse videtur, reddens ספרא *scribam;* nec vulgarem solum Doctorem, ut MANASSEH BEN ISRAEL, Sapientes & Doctores quosvis hac voce designari, cupit, ut obtineat, Judæis adhuc hodie præsto esse מחוקק, cui tamen hinc origo vocis & notio, hinc prærogativa, tribui Judæ hac voce assignata, refragatur. Notat itaque eum, penes quem est potestas νομοθετική, cujus est jura condere, quo sensu Deus ipse hoc nomine insignitur Jes. XXXIII, 22. Hinc colorem sententiæ suæ conciliare potuisset GVILIELM. WARBVRTON in Comment. Anglico, quo *divinitatem missionis Mosis* asserere nititur, quando *lib. V.* Legislatorem h. l. de Theocratia exponit, ad adventum Christi in carnem duratura, quia nullus in Juda, ab instaurata Republ. usque ad ejus occasum, alius extitit legislator, quam ipse Deus, per ministerium Mosis. Oraculi

itaque nostri hunc reddit sensum: *Theocratia persistet inter Judæos, usque dum venerit Christus, regnum a Patre sibi traditum occupaturus.* (Conf. *Biblioth. Britann. Tom. XXI. P. I. p.* 21.) Sed dispar omnino ratio est Legislatoris, qui Deus populo suo fuit, & administrationis Reipublicæ ad legis divinæ normam, in qua Theocratiam sitam statuit WARBVRTONVS. Ast de priori, legum quippe conditore ac explicatore, non de posteriori, Patriarchæ est sermo. Apposite ad sententiam nostram vim vocis ita declarat VITRINGA *Comment. in Jes. XXXIII,* 23. cujus verba huc attulisse non pœnitebit: *Notat non tantum* Legis Datorem, *sed &* Doctorem: *atque adeo complexe,* Legis Doctorem, *summa potestate legislatoria instructum. Legis Datores omnes* (θεσμοθέται) *veluti Minos, Draco, Solon, Lycurgus, Numa, & his similes, censeri debent esse Doctores publici. Docent enim, tum leges dando, tum datas interpretando. Publicus itaque omnis legis doctor & interpres, docens μετ' ἐξουσίας, proprie id est, quod Hebræis* מחוקק, *quam significationem hæc notio obtinet in loco triti usus, Gen. XLIX,* 10. *ut & in Ps. CVIII,* 9. *Specimen ejus potestatis observabatur olim sub œconomia vetere in Sacerdotibus & Levitis, sedentibus super cathedram Mosis, de quibus ipse Deut. XXXIII,* 10. docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem: *& Malachias c. II,* 7. labia sacerdotis servabunt scientiam, & legem requirunt ex ore ejus. *Immo vero residebat sub Mose, & circa tempora Maccabaica hæc potestas in Assessoribus omnibus amplissimi illius Senatus Presbyterorum, qui* Synedrium *dicebatur, ex quacunque tribu oriundi essent; quippe quibus verissime competebat nomen* מחוקק. Quod quidem ipsimet Judæi apud RAYMVNDVM MARTINI *Pugion. fid. lib. II. cap. IV.* de סנהדרין & Assessoribus Synedrii M. exponunt, qui in לשכת הגזית in aula illa, seu, camera dolata, ex lapidibus pretiosis & artificiose dolatis atque excisis composita, & Synedrii magni consessibus ordinarie dicata, judicium agebant. Nec obstat, quod ALTINGIVS obvertit *lib. III. cap. IV.* legislatoriam potestatem nunquam competiisse Israeli, divinis solum legibus adstricto, cum majestatis suæ privilegium istud nemini cuiquam mortalium commune fecerit Deus, ut leges hominibus de religione & cultu Numinis ferre, atque ad earum observantiam conscientias posset obstringere, Ezech. XX, 18. 19. Præterquam enim, quod מחוקק non circa religionem solum & cultum divinum, sed circa civiles etiam, & ad rempublicam, vitamque communem pertinentes versetur leges; nobis nunc sufficit, talem notari hac voce potestatem, quæ utrasque leges istas cum auctoritate obligativa interpretetur, communia statuta divina ad casus singulares pro ratione circumstantiarum dextre applicet, decisionemque & sententiam de factis juxta leges divinas ferat, eorum ut cognitione & sententia, cum genuinus legum sensus atque usus, tum rei vel innocentia constaret, vel pœna. Nec omnino capio, quo jure Vir eruditissimus h. l. per מחוקק Ordinem Doctorum Ecclesiæ intelligat, quorum opera cognitio veri Dei & voluntatis ejus conservaretur. Ordo enim ille ad tribum Levi pertinet: ast Patriarcha tribui Judæ benedicit. Denique laterem lavat, operamque perdit Vir Summus, IOBVS LVDOLFVS, quando *cit. Dissert. cap. V.* contendit, מחוקק *ducem militum, præfectum, imperatorem bellicum* h. l. notare, quæ notio velut ab origine vocis aliena, ita Scripturæ est ignota, frustra & præter rem pro significatu isto allatis in medium locis Ps. LX, 9. CVIII, 9. Es. XXXIII, 22. Deuter. XXXIII, 21. & Jud. V, 9. 14. nimirum ut velificetur sententiæ, de castrorum vexillis & corruptione fontium adoptatæ. Sed ex asse satisfecit ei DIEGMANNVS ad h. l. *Thes. Novi Tom. I. f.* 240.

מִבֵּין רַגְלָיו *ab inter pedes ejus,* ut SEBAST. SCHMIDIVS vertit, vel juxta alios passim: *e medio pedum ejus*] Duæ hæ voces crucem

cem adeo fixerunt eruditis, ut laudatus IOB. LVDOLFVS *cap. V.* §. 12. corruptionis Textum postulet, & pro רגליו ex Codice Samaritano scribendum censeat דגליו *vexilla ejus*, seu signa militaria. Præter DIECMANNVM autem, *cit. loco*, fulgidissimum Orientis sidus, WAGENSEILIVS, hanc sententiam sub censuram vocavit, ac discussis profligatisque eruditi adversarii rationibus ac momentis, genuinam & constantem omnium Codicum lectionem, ex instituto asseruit & vindicavit, *in confut. carm. Lipmann. p.* 269. *sqq.* Duæ præterea rerum potiuntur sententiæ: I. de sensu procreandi, ut honesta sit periphrasis procreationis e stirpe vel semine alicujus, eodem sensu, quo animæ egressæ dicuntur de femore Jacobi Gen. XLVI, 26; quo refertur etiam Deut. XXVIII, 57. Ita, cum aliis, e Nostris GERHARDVS, ex Reformatis RIVETVS; juxta quos sensus verborum sit: *non recedet sceptrum de tribu Juda, neque legislator, qui e medio pedum ejus* egreditur, ut ad Messiam usque legislatores e Juda sint oriundi. Sed prolixe explodit hanc expositionem D. ZELTNER. *cit. Disp.* §. 15. *p.* 18. *sqq.* tanquam nimis longe petitam, cujus rationibus addere licet, quod מ præfixum non ad subintellectum particip. יוצא *oriundus*, *prodituru*s, sed ad præcedens verbum יסור referatur, unde sensus phraseos, qui obtruditur, evanescit. Hinc II. sententia majorem interpretum meruit applausum, quæ de officio exponit, & ex more Judæorum illustratur, apud quos Scribæ seu Actuarii sedebant ad pedes dominantis, æque ac discipuli ad pedes erant magistrorum, unde Paulus Actor. XXII, 3. *eruditum se* tradit *παρὰ τὲς πόδας Gamalielis:* quem ritum copiose & erudite declarat ALTING. *lib. III. cap. V. VI. VII.* Vt sensus eo redeat: Erunt, qui docebunt alios, & erunt, qui docentibus morem gerent; ut MVLLERVS *in Judaismo c. l.* & WALTHER. *cit. Exercit.* cum aliis compluribus exponunt. In eadem sententia cum acquiescit HEIDEGGERVS *Hist. Patr. T. II. p.* 747, paullo tamen aliter declarat, hoc pacto: *cum* מחוקק *legislatorem omnino denotare videatur, conformiter etiam* מבין רגליו *explicandum fuerit de iis, qui legislatoribus præcipientibus, potestatem habentibus disciplinæ exercendæ, seu uti Christus loquitur, in cathedra Mosis sedentibus, ad pedes concessuri, jussa & imperata eorum facturi erant.* Quæ explicatio quomodo cum verbis Textus componi queat, non intelligo. Pariter cum מחקקים non Scribas aut Actuarios, non discipulos vel auditores, sed *νομοθέτας*, vel interpretes legum principes aut judices sententiam ferentes designent, quod supra docuimus, male in eos ista quadrabit descriptio. Novam itaque sententiam Vir eruditissimus D. ZELTNERVS *cit. Disp. p.* 21. *sqq.* in scenam produxit, quæ hæc verba ad locum refert habitationis, ita quidem, ut מבין separationem ac disterminationem, רגלים ditionem seu territorium, ac eam regionem, quam quis jure suo, tanquam Dominus ejus, pedibus calcat, speciatim hic loci, eam terram, quam pedibus suis Judaici tribules, ex assignata sibi per Josuam portione ac sorte, insidebant, inhabitabant ac tenebant, notet, atque hæc demum mens sit, *τὸ κύριον*, ac potestatem *νομοθετικὴν* superstitem fore usque ad Messiæ adventum, *in loco, ubi tribus Juda disterminetur seu separetur ab aliis*, h. e. in לשכת הגזית ad tribum Judæ ejusque terminum ultimum pertinente. Illud enim conclave dimidium in finibus Judæ, dimidium in finibus Benjamin fuisse situm, quæ duæ tribus in monte Morijah, ubi Templum constructum erat, confines erant & disterminabantur. Quæ explicatio non tam ab ingenii laude, quam a simplicitate verborum Patriarchæ, adeoque a vero est aliena, ut subverendum sit, ut calculum latura sit doctorum. Ita quidem, perpensis probe omnibus & discussis aliorum opinionibus, nos in magni WAGENSEILII (ad cujus, Præceptoris quondam ac hospitis post fata venerandi, pedes integro biennio consedisse, honori

honori nobis ducimus ac in laude ponimus) tutiſſime acquieſcimus ſententia, quam *in confutatione carminis Lipman. p.* 293. *ſqq.* erudite & dilucide propoſuit, רגלים *pedes*, per tritam & pleriſque gentibus familiarem translationem, *idem eſſe, quod eſt in re quaque ultimum, quod eſt rei finis, quod poſtremum poſt aliud conſequitur.* Non minus itaque pedes hic, quam in illa Nabuchodonoſoris apud Dan. II. celebri ſtatua, de ultimis & poſtremis temporibus rei, ad quam inſtitutum pertinet, accipiendos: ut proinde *a pedibus Judæ* ii auferendi dicantur, quibus ſeri illius nepotes cariturí erant, quos ultima Reipublicæ ætas amiſſos luxit, deſideravitque. Vt ſenſus ſit: *non recedet* vel auferetur penitus *a Juda ſceptrum*, regiaque dignitas, *neque*, inclinatis attritisque poſthæc gentis rebus, *ab ultima ejus ætate* ac periodo tolletur *prius judicialis & rectoria poteſtas, quam veniat Schilo.* Ita plane fluit interpretatio, rerumque eventis comprobatur.

עַד כִּי־יָבֹא *donec venerit*] usquedum veniat. Mittimus nugas Judæorum, quibus vim inferentes his voculis, nervum oraculi incidere laborant, protritas, præter ſupra memoratos auctores, a CALOVIO *Commentar. in Gen. h. l. p.* 1415. Lexica & Concordantiæ docent, particulæ עד, quando ſtatim ſubjungitur כי, ut hoc loco, præſentiam rei usque ad hunc terminum deſignari, & incluſive explicandum eſſe ſermonem, non excluſive. Quod ſtudioſe addimus, quia videmus etiam noſtratium nonnullos ſenſum excluſivum, contra linguæ indolem, harumque particularum conſtantem uſum, amplecti, in quibus eſt CHRIST. HELVICVS, qui *T. IV. Diſp. Gieſſenſ. p.* 81. ita argumentatur: *Eo tempore Meſſias venire debuit, quum jam ſceptrum Judaicum penitus ablatum eſſet: Atqui tempore Auguſti Cæſaris, ablatum fuit ſceptrum Judaicum penitus, Ergo tempore Auguſti Cæſaris Meſſias venit.* *Rurſusque p.* 86. *Meſſias debuit naſci ablato ſceptro Judaico Gen. XLIX,* 10. *Jeſus noſter eo tempore natus eſt in diebus Herodis Regis, & Auguſti Cæſaris.* Rectius omnino NOLDIVS *in Concord. Particul. h. v. p.* 676. per *antequam* exponit. Juvat hic commentantem audire VITRINGAM, qui *Obſervat. Sac. Lib. IV. cap. V.* §. 9. *p.* 906. vim particulæ bene expoſuit. *Hebræum* עד *tempus notat indefinitum, non minus ac Latinorum* Vsque. *Quod* Vsque, *cum per nullum terminum ſubjectum, limitetur ac definiatur, ſignificat æternitatem: verum ſi per ſubjectam orationem circumſcribatur & finiatur, ad minimum ſignificat conjunctionem durationis, quæ per* Vsque *exprimitur, & termini adjecti, per quem illi durationi modus ponitur. Qui terminus adjectus cum in Jacobi verbis ſit adventus τȣ̃ Schilo, ſequitur, poſſeſſionem ſceptri & legislatoris in Juda usque ad illud tempus duraturam.* Hac itaque particula, terminus durationis definitur, hoc ſenſu: Imperantes & legislatores ex Juda prodituros eſſe usque ad Meſſiæ adventum incluſive, quo peracto finis imponetur utrique regimini & dignitati, cujus vero ſceptrum & leges etiam ſuper gentes patebunt, nec finem unquam ſortientur. Porro, verbum בוא adventum Meſſiæ in mundum, h. e. incarnationem τȣ̃ Λόγȣ notat, æque ut in Novo Fœdere verbum ἔρχεσθαι de Chriſto uſurpatum, Joh. IV, 25. VI, 38. 42 51. VIII, 14. &c. nec loci mutationem, ſed novum gratioſæ manifeſtationis modum infert, quod alias Theologi inculcant.

שִׁילֹה *Schilo*] Lectionem nominis, a temeraria CAPPELLI Critica, qua שילה in שִׁלֹה, rurſusque in שִׁלֹחַ transmutat, ſolide liberavit BVXTORF. *in Anti-Crit. P. II. Cap. X. p.* 714. & *c. XI. p.* 719. Pariter criminationi IAC. GORDONI HVNTLAEI, qua שלח *Schiloach, miſſum*, i. e. *mittendum*, obtrudere ſatagit, graviter ſatisfecit GLASSIVS *Phil. Sacr. Lib. I. Tr. I. p.* 50. *ſq.* quibus nihil eſt, quod addamus. Eſt autem *Schilo* ex nominibus propriis promiſſi in V. T. Meſſiæ, conſentientibus ipſismet Judæis in Talm. Babylon. Tr. *Sanhedrin cap. II. fol.* 98. *col. b.* & apprime in

Meſſiam

Messiam quadrat. Missis enim aliorum etymologiis & explicationibus variis, commodissime omnium SCHINDLERVS, MERCERVS, ALTINGIVS, CALOVIVS *Comment. in hunc locum p.* 1401. *sqq.* PFEIFFERVS, aliique passim, illud a verbo שלה derivant, *tranquillum, felicem, & fortunatum esse*, cujus ultima Rad. ה cum sæpius alternet cum ו, ut Job. III, 26. לא שלותי *non quiescebam*, unde שלו *tranquillus*, שלי & שלוה *tranquillitas*, mirum non est, in hoc nomine illam quiescere in Cholem. Est ergo שילה vi vocis ac originis, *Tranquillator, Sospitator*, & שר שלום *princeps pacis*, Jes. IX, 6. 7. quæ exacta Christi est descriptio, quod erudite demonstravit ALTING. *lib. IV. cap. XIV. XV.* coll. *Lib. III. cap. VIII.*

וְלוֹ יִקְּהַת עַמִּים *eique adhæsio* vel *obsequium populorum erit*] Vocis יקהת radix in dubio est, ac intercidit. BVXTORFIVS inusitatam statuit Rad. יקה, unde יְקָּהָה *obedientia*, vel *aggregatio*. R. SALOMO Rad. facit קהה *aggregare*, ut lit. י sit servilis. Tres itaque potiores sunt interpretationes: 1) petita ex Prov. XXX, 17. ubi יקהת אם *obedientiam matri præstandam* notat, ut h. l. sensus sit: *& obedient ipsi populi;* 2) A Rad. קהה hoc sensu: *congregabunt se ad eum populi*, quem sensum b. LVTHER. amplexus est: *demselben werden die Völcker anhangen;* 3) Vulgatæ: *& ipse erit expectatio gentium*, ac si esset a verbo קָוָה *expectavit*, sensu tamen passivo, quo Messias Hagg. II, 8. חמדת הגוים appellatur. Sed hoc longe petitum. Priorum autem expositionum æquipollens fere vis est, eodem sensus redit, utram vocis eligas significationem. Pro prima tamen sententiam fert ALTINGIVS *cap. IX*, eamque Judæorum quoque suffragiis firmat: *Cap. XVIII. lib. IV* autem adversus Judæos erudite demonstrat, non tam servilis conditionis obedientiam gentibus hic tribui, quam fidei & professionis veræ religionis. Hinc nobis enascitur

II. Sensus enarratio seu paraphrasis: Non deficiet dignitas regia in tribu Juda, neque (post illam ablatam) αὐτονομία & Senatus, legum avitarum custos & interpres, circa ultima politiæ Judaicæ tempora (seu inter extrema ejus momenta) prius, quam venerit Pacificator & Sospitator ex hac ipsa tribu, cui non Judæi modo, sed etiam gentes adhærebunt, moremque gerent. Sequitur

III. Vaticinii complementum. Quamvis post Josuæ e vivis excessum, tribui Judæ, primæ in bello gerendo partes Jud. I, 1. 2. tribuerentur, initia tamen principatus, vel regiæ in hac tribu dignitatis, hinc arcessenda non sunt, cum toto Judicum tempore Deus ipse imperii moderaretur habenas, locumque Theocratia haberet 1. Sam. VIII, 7. In Davide ergo terminus primus est figendus, qui regiam dignitatem primus tribui suæ intulit. Et quanquam ejus antecessor, Saulus, de tribu Benjamin oriundus esset, regni tamen hæc potius primordia & velut tentamina fuerunt, quæ plenus flos ac vigor in Davide excepit, nec in illo stabile erat, sed non ita multo post a Domino ipse repudiatus fuit. Ast tribus Judæ hæc dignitas propria erat ac perennis, donec in captivitate Babylonica, regumque ultimo Zedekia, deficeret. Duplex autem quando in oraculo nostro dignitas Judæ assignatur, regia altera, altera legislatoria, sceptrum quidem in Zedekia ablatum facile largimur, τὸν מחקק autem ad tempus ab ascensione Christi proximum, immo ad ultimam ac feralem per Romanos, & Vrbis, & reipublicæ Judaicæ vastationem pertigisse, negari non potest. Licet enim summæ potestatis exercitium inde a Maccabæorum ætate, usque ad Herodem Ascalonitam penes tribum Levi esset, præsidium tamen Synedrii magni, & potiores ejus partes manserunt apud tribum Juda, ita ut נגיד Præses Synedrii 2. Chron. XIX, 11. Talmudicis נשיא dictus, de tribu Juda legeretur. Quo facit, quod viri docti apud CARPZOV. *in Notis ad Schickardi Jus Reg. cap. I. Theor. II. p.* 11. *sq.* observarunt, in medio conclavis הגזית, quod stabilem Synedrio sedem

ſedem dabat, ſceptrum ſublime pependiſſe, quod manifeſtum præberet ſymbolum, ſuperſtitis utcunque in iſta gente ſupremæ poteſtatis. Appropinquante ergo tempore adventus τ8 Schilo, admodum imminuta quidem fuit gubernatio regiminis Judaici, Judæa per Pompejum in provinciæ formam redacta, ademta judiciorum capitalium poteſtate, impoſitis populo tributis Romanis, & Præſide Romano cum præſidio in arce Antonia Hieroſolymis præfecto, quin & regno ad Herodem, Idumæum ortu, devoluto, ita ut cum Chriſtus naſceretur, τὸ κύριον & ἀξίωμα τ8 מחקק omnino בין רגליו *inter pedes Judæ*, ſive, inter extrema prorſus momenta hujus tribus hæreret; attamen aliqua adhuc dignitatis illius ſpecies, cum poteſtate judiciorum civilium, & pœnarum religionis transgreſſoribus irrogandarum, conjuncta, ipſis Meſſiæ temporibus adhuc ſupererat, cujus exemplum in Apoſtolorum fuſtigatione, & Stephani lapidatione Act. V, 40. VII, 59. conſpicuum eſt: donec tandem, quicquid iſtius auctoritatis erat & privilegii, una cum ipſorum politia, in everſione Vrbis & templi ultima, penitus everteretur. In

IV demonſtratione exhibiti, in Jeſu Nazareno, Meſſiæ, ſeu τ8 Schilo, eo nobis licet eſſe brevioribus, quo copioſius & ſolidius triumviri ſummi, WAGENSEILIVS, CALOVIVS, & ALTINGIVS, hanc ſpartam ornarunt. Summa itaque capita & probationis momenta indicaſſe ſufficiat, quæ ad Judæorum convictionem hoc oraculum ſubminiſtrat: petenda *α*) Ex tribuum gentis, cum ſublata diſtinctione, tum inſecuta permiſtione, ut, quæ tribus Juda ſit, & qui ſingulatim ad eam ſpectent, liquido docere, a longo jam tempore nequeant. Quanquam enim hodienum Judæorum aliqui titulum כהן *Sacerdotis* ſibi adſciverint, eumque nomini ſuo adſcribere ſoleant, pari jure, quo PAVLVS BVRGENSIS *in præfatione* ad filium, *Bibliis* LYRAE præmiſſa, ſe *ex tribu Levi* oriundum eſſe perhibet; recte tamen vir doctus, SAM. PETITVS *Variar. Lection. cap. XXIV.* obſervat, Sacerdotum nomen hoc uſu apud Judæos non eos præciſe notare, qui ex Aarone ortum trahant, ſed in genere uſurpari pro Doctoribus legis, qui officii ratione cum priſcis ſacerdotibus quadantenus conveniunt. Aeque ſe res habet cum ceteris tribubus. Hinc plane conficitur, Meſſiam dudum fuiſſe exhibitum, qui ex tribu Juda prodituras adeo luculenter prædicitur, ut ſingularem huic, præ ceteris, tribui conciliare debeat auctoritatem. In Romana itaque Judæorum ſubactione & diſſipatione per Titum, cum eo usque permiſtæ confuſæque ſint populi tribus, ut inde ab illo tempore non potuerint vel Judæorum ſinguli certæ ſeſe tribui evidenter aſſerere, vel diſtinctas deſignare tribus, neceſſe eſt, ut jam ante illam Judæorum cladem, Meſſias, tantum tribui Judæ allaturus ſplendorem & decus, in mundo apparuerit, & ex Juda prodierit. Hoc argumentum ALTINGIVS *lib. IV. cap. I. ad XI.* late perſequitur, & *cap. II. p.* 71. Judæos ipſos excitat, confeſſos, a Meſſia demum genuinam Stemmatologiæ gentis ſuæ, quæ dudum penitus interierit, reſtitutionem expectandam eſſe. *β*) Ex temporis articulo, in nativitatem Jeſu exacte quadrante. Poſt ablatum enim ſceptrum regium, & quando מחקק, in Synedrio magno ſuperſtes, in extremo verſabatur articulo, oriturus erat Rex Schilo. Sive itaque Synedrii magni priorem intelligas exciſionem, per Herodem M. imperatam, de qua CHRIST. NOLDIVS in *Hiſtoria Idumææ p.* 421. & SCHICKARDVS *de Jure Regio Hebr. cap. II. Theor.* 7. edit. Carpzovii, *p.* 154, agunt, ſive poſteriorem, quæ XL annis gentis & urbis excidium anteceſſit, & in ipſum mortis Chriſti annum incidiſſe fertur, res eodem redit. In hoc argumento urgendo & vindicando multus eſt CALOVIVS *Comment. in Geneſ. p.* 1423. & 1442. *ſqq.* quocum conferri meretur WAGENSEILIVS *cit. loc. p.* 298 *ſqq.* ubi capitalium judiciorum poteſtatem apud Judæos, ad poſtrema usque urbis tempora permanſiſſe, graviter demonſtrat. *γ*) Ex ortu Jeſu, de tribu Juda arceſſendo. Vt enim clariſſima Novi Fœderis teſtimonia, quibus fidem derogant Judæi, taceamus, ipſa Nazareni nomenclatura, & natale

ſolum,

ſolum, Bethlehem evincit, Salvatorem noſtrum ex Juda proſapiam ducere. Certe in *Toldos Jeſchu*, virulentiſſimo contra Soſpitatorem noſtrum ſcripto, quod a WAGENSEILIO *Telis igneis*, ultimo loco ſubjunctum legitur, *p.* 3. Bethlehem, locus nativitatis & patria Jeſu noſtro aſſignatur. Hoc argumentum laudatus ALTINGIVS *cit. lib. cap. XII.* & *XIII.* erudite declarat. δ) Ex nomine Schilo, quod commodiſſime in Jeſum noſtrum, in neminem autem alium æque concinne, convenire docet ALTINGIVS *cap. XIV. ſqq.* ε) Ex congregatione, ſive obedientiæ populorum, Jeſu præſtita, quam Idem præclare exponit *cap. XVIII. ſqq.* Quæ in ſummam collecta in hunc modum ratiocinari nos jubent: In quem omnes quadrant characteres, in oraculo Jacobæo de τῷ Schilo proditi, ille eſt promiſſus orbis Servator & Meſſias; In Jeſum vero Nazarenum omnes quadrant characteres, in oraculo Jacobæo de τῷ Schilo proditi, tribus Judæ diſtinctio, temporis articulus, gentis Meſſiæ deſignatio, nominis Schilo vis & ſignificatio, & congregatio gentium; Vnde invicte liquet, quod Jeſus Nazarenus ſit promiſſus orbis Servator & Meſſias.

Ad §. XVI. pag. 4.

(13) Jam, ut in compendium mittamus, quæ toto hoc capite tradit Auctor, regiminis populi Dei IV habes facies, ac periodos generales: α) Ab Adamo, ad legem in monte Sinai promulgatam. β) A lata lege, ad imperium Saulis. γ) Inde ad captivitatem Babylonicam. δ) A reditu usque ad Chriſtum. In prima periodo, œconomica velut regiminis forma obtinuit, jure patrumfamilias, ſive patriarchali & primogenituræ: In ſecunda, Theocratia: In tertia, Monarchia regia: In ultima, forma mixta, hinc Monarchica, hinc Ariſtocratica.

AD

LIB. I. CAPVT II.

DE PVBLICANIS.

Ad §. I. pag. 4.

Perſonarum reipublicæ Judaicæ cenſum, inire aggreditur Auctor a peregrinis, qui non adſcripti ſacris & religioni Judæorum, cum auctoritate tamen in republica verſabantur. Hos triplicis facit generis, Præſides, Quæſtores, & Publicanos.

Ad §. I. pag. 4.

(2) Circa *Præſides* provinciarum perplexa eſt & intricata quæſtio, quod pro diverſa reipublicæ Romanæ facie, diſpar quoque, nec ſemper ſibi conſtans eſſet provinciarum adminiſtratio. *Initio* Prætores mittebantur, ceu Præſides cum imperio in provincias, ut ibi jus & leges dicerent provincialibus, & urgente neceſſitate, bella auſpiciis S. P. Q. R. gererent: unde aucta provinciarum acceſſione, crevit & Prætorum numerus. At rebus dubiis, belloque difficiliore exorto, mittebantur Conſules, qui ab initio hujus dignitatis inſtitutæ fuerunt ſummi duces, & imperatores exercituum Romanorum. Quod ſi intra annum magiſtratus ſui bellum non patraſſent, anno finito, & prorogato magiſtratu, appellabantur Proprætores & Proconſules. Hi autem magiſtratus bini proprie, ceu *Præſides* cum imperio, provinciæ præerant, unde etiam hi *Conſulares*, illi *Prætorii* dicebantur: utrique ut nomine, ſic dignitate & inſignibus diſtincti. Conſules & Prætores, cum in provinciis in publicum prodirent, duodecim ante ſe habebant lictores, qui præ-

 ferebant

ferebant fasces & secures, uti olim Regibus Romæ: at Proconsules & Proprætores, ut Consulibus & Prætoribus erant inferiores dignitate, ita & insignibus; sex enim tantum habebant lictores, cum totidem fascibus & securibus.

Posthac vero Augustus, per pacis otium, provincias ita divisit, ut aliæ Cæsaris, aliæ populi dicerentur. Cæsaris, quæ validiores erant, & quas annuis magistratuum imperiis regi, nec facile, nec tutum erat. Has ipse suscepit, in easque Rectores mittere instituit, viros tum Consulares, tum Prætorios, tum Equites, ut habet STRABO *lib. XVII.* Hinc etiam provincias fecit alias præsidiales, alias proconsulares, alias prætorias. Præsidiales sibi servavit, in quas ipse mitteret Præsides; Senatui concessit proconsulares; populo prætorias. Vide GRAEVII *Thes. Antiquit. Roman. Tom. II. p.* 1875. F. NORISII *Cenotaph. Pisan. Dissert. II. p.* 282. DEMPSTERI *Paralipom. ad Rosini Antiqu. Rom. Lib. VIII. cap. VIII. p.* 1346. *sqq.* PITISCI *Lexic. Antiquitat. Roman. voc.* Præsides, *Tom. II. p.* 512. *sq.*

Iidem, qui Præsides, dicebantur etiam *Procuratores.* Quos tamen ANT. BYNAEVS *de morte Christi lib. II. cap. VII. p.* 412. *sqq.* probe observat non unius generis fuisse: Alios *Rationales*, qui nil amplius, quam rationes tractabant pecuniæ principalis, quorumque præcipuum erat munus, ut in provinciis, in quas mittebantur, fisco principum præessent, publicosque reditus colligerent & erogarent, prout res requirebant provinciæ, aut mandabant Imperatores; ceterum jurisdictionem nullam, neque jus gladii habebant: Alios *vice Præsidis*, vel *cum potestate*, nuncupatos, qui & vice Præsidis fungebantur, & jus etiam in crimine, & causa capitis dicebant; unde non modo digniores prioribus paucioresque erant, verum etiam Præsidis titulo ornabantur, ut quando *Procurator & Præses Alpium, Procurator & Præses provinciarum per Orientem, Procurator & Præses Sardiniæ* legitur. Posterioris ordinis ἐπίτροποι sive ἡγέμονες erant, missi in Judæam. Postquam enim Judæa in formam provinciæ redacta est, ad eam gubernandam missi sunt Procuratores, qui vice Præsidis fungebantur, adeoque etiam extra fisci causas, jus dicebant, & vitæ potestatem habebant ac necis. Procuratorum illorum quintus erat Pontius Pilatus: primus enim Coponius, secundus Marcus Ambivius, tertius Annius Rufus, quartus Valerius Gratus, cui successit Pontius Pilatus. Confer IOSEPHVM *lib. XVIII. Antiq. cap. I, III.* & *de bello Jud. lib. II. cap. II.* cui Pilatus ὁ τῆς Ἰȣδαίας ἡγεμὼν, *Judææ Præses*, salutatur. Sed & Matthæus cap. XXVII, 2. Judæos memorat ligatum Jesum tradidisse Ποντίῳ Πιλάτῳ τῷ ἡγέμονι. Et Luc. II, 2. census primus in Judæa legitur actus ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίȣ. Hunc autem titulum tam late patuisse, ut de potestate quavis usurparetur majore, & aliquando Romanos Imperatores, aliquando Præsides provinciæ, aliquando Legatos Cæsaris, ac Procuratores notaret, post alios recte monuit laudatus BYNAEVS *lib. I. de natali Christi cap. III.* §. 8. *p.* 318. *sq.* Vnde Luc. III, 1. & Cæsari Tiberio, & Pontio Pilato, ἡγεμονία legitur tributa. Ex iis vero, quæ de Procuratorum Judææ potestate diximus, judicare licet, quo jure Pilatus & flagellari Jesum jusserit Joh. XIX, 1. & tacenti Salvatori, responsionemque deneganti dixerit vers. 10. ȣ̓κ οἶδας, ὅτι ἐξȣσίαν ἔχω ςαυρῶσαί σε, καὶ ἐξȣσίαν ἔχω, ἀπολῦσαί σε; & mortis sententiam in ipsum pronunciaverit, vers. 16.

Ad §. I. pag. 4.

(3) *Quæstores*, primi & antiquissimi in Vrbe, erant Quæsitores rerum capitalium; proximi antiquitate, Quæstores Aerarii, quod Romæ in æde Saturni servabatur; tertii demum, Quæstores Provinciales, de quibus Auctor hic agit, qui una cum Proconsulibus & Proprætoribus in provincias exibant, cum pecuniam sibi ex ærario a Senatu attributam, & a Tribunis ærarii adnumeratam accepissent, unde stipendio, frumento, legatis, proquæstoribus, cohorti prætoriæ suppeditarent. Hinc distincta Præsidis, ac Quæstoris

erat

erat poteſtas. Præſes enim privatas ac publicas controverſias, quæ aut jure civili, aut a legibus proficiſcerentur, dijudicavit; Quæſtor vero propria adminiſtratione pecuniam, prædamque publicam curavit, ac tabulas publicas confecit. Vnde rei totius frumentariæ adminiſtrationem Quæſtoribus commiſerunt Prætores; prædam quoque ab hoſtibus captam Conſules, ſeu Dictatores illis tradebant, ut venderent, & haſtæ publicæ ſubmitterent, pecuniam ex venditione redundantem in publicas tabulas referrent; immo & mulctam, ab aliis magiſtratibus dictam. Denique vectigalibus præerant, ut a Publicanis ex re frumentaria, portoriis, aliisque exigerent vectigalia, Romamque in ærarium referrent. Scribis & Lictoribus erant inſigniti; Scribis, ad conficiendas tabulas publicas, Lictoribus, ad majeſtatem magiſtratus tuendam. Interdum etiam jurisdictionem exercebant, ut ex SVETONII *Julio cap. VII. n.* I. & CICERONE *de divinat. cap. XVII.* colligitur; maxime, quando ipſis Proprætores jurisdictionem & imperium ſuum mandabant, vel quando a Proprætoribus vel Proconſulibus, ante ſucceſſorum adventum, magiſtratu ſe abdicantibus, provinciæ præponebantur, tum & ipſi Proconſulis aut Proprætoris nomen ferebant, prout hujus vel illius vices ſuſtinebant. Vide HOTOMANNVM de Magiſtrat. Rom. apud. GRAEVIVM *in Theſ. Antiqq. Rom. T. II. p.* 1885. & ROSINVM *Antiq. Rom. lib. VII. cap. XLVI.*

Ad §. I. pag. cit.

(4) *Publicani*, generali nomine dicti ſunt omnes, qui publicos reipublicæ reditus redimunt, ita appellati, quia publico fruuntur. Qui enim a fiſco aliquid conducebant, paſſim Publicani audiebant. VLPIAN. *l.* I. *ff. de Publican. Publicani ſunt, qui publico fruuntur, nam inde nomen habent, ſive fiſco vectigal pendant, vel tributum conſequantur, & omnes, qui quid a fiſco conducunt, recte appellantur Publicani.* Rurſusque *l.* 15. *ff. de verb. ſignific. Eum, qui vectigal populi Romani conductum habet, Publicanum appellamus. Nam publica appellatio in pluribus cauſis ad populum Romanum pertinet. Civitates enim privatorum loco ſunt.* Publicani itaque vectigalia populi Romani, quæſtus ſui cauſa, conducebant in foro a Cenſoribus, quorum arbitrio hoc a Senatu mandatum erat muneris, certa ſe obligantes pecunia, quam Quæſtoribus Vrbanis repræſentabant. Alias etiam *Decumani* dicti, quod decumas in provinciis populo Romano debitas, a Magiſtratibus redimerent: *Pecuarii*, qui paſcua: *Portitores*, qui portus, ſive portoria conducebant. Hi non erant vile & ſordidum genus hominum, ſed CICERONE *Or. pro Plancio c.* 9. teſte, *flos equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum reipublicæ, Publicanorum ordine continetur:* & *lib. XIII. ad famil. Epiſt.* 65. *viros amplisſimos, equitesque ſplendidisſimos* appellat. GVIL. SALDENVS eapropter duplicis generis extitiſſe ſtatuit Publicanos: *ſuperiores*, qui per ſe publicum non exercebant, ſed aliis, cum parte quæſtus, id elocabant, quos inter honoratiores habitos contendit; & *inferiores*, qui ſuperiorum famuli tantum erant, & ἐλλιμενίσαι dicebantur, contemtiores, & inter vulgi fæcem recenſitos. Hi ad ripas fluminum, in pontibus, ad portas oppidorum, & viarum transgreſſus conſiſtebant, a transeuntibus vectigalia exigentes. SALDEN. *lib. IV. Otior. Theol. Exerc. VI.* quæ eſt *de Publicanis*, §. 4. *p.* 707. Pariter vir ſummus CLAVD. SALMASIVS *de trapezit. fœnore p.* 243. *ſeq.* prolixus in eo eſt, ut inter δημοσιώνας, *publicanos*, & τελώνας, *portitores* diſtinguat, & non illos, ſed hos cumprimis, odioſos fuiſſe evincat. Hi enim, ut rem ſuam facerent, plus ſæpe, quam licitum lege ipſis erat, exigebant, eoque inter ἐπονειδίστους βίους, *probroſas ac turpes profesſiones*, vitam agebant. Ita facile conciliari poſſunt hinc elogia, Publicanis a CICERONE ac aliis tributa, hinc odia & improperia, quibus paſſim illi onerabantur. Priora ad Publicanos ſpectabant, poſteriora ad Portitores. Poſterioris generis homines, Judæis admodum inviſi,

visi, נַבָּאֵי, *collectores*, *exactores*, & מוֹכְסִין *telonarii* audiebant: interdum etiam בַּזְבִּינָא *exactor vectigalium*, seu *publicanus* vocatur.

Ad §. II. pag. 4.

(5) Quod de Zachæo perhibet Lucas, καὶ αὐτὸς ἦν ἀρχιτελώνης, id magno consensu Interpretes de Publicanorum Principe, qui portitoribus, sive exactoribus fuerit præfectus, exponunt. SALMASIVS *cit. loc. p.* 385. *sq.* ita pronunciat: *In Judæa publicum agebant ipsi Romani equites, & omnia vectigalia ac tributa conducta a republica tenebant. At iis colligendis & exigendis præficiebant ipsos Judæos, qui vere Portitores erant, & summo odio habebantur apud tribules suos propter illam συκοφαντίαν & διάσεισιν plus exigendi, quam liceret. Eorum princeps sive primas Zacchæus ille fuit, id est, ἀρχιτελώνης, non Allophylus, ut putavit* TERTVLLIANVS, *sed plane Judæus, ut & nomen ostendit.* Fraudium certe ac imposturarum non omnino fuisse expertem, quin emungendo fidei socios pariter ac exteros, insignem opum vim corraserit, ingenua viri confessio testatur vers. 8. Sive itaque Portitoribus gravius institerit, auctorque & suasor fuerit, ut plus licito per vim, vel per concussionem hominibus extorquerent, sive vim ipse fecerit, συκοφαντίας utique & αἰσχροκερδίας seipsum liquido reum agit.

Ad §. II. pag. cit.

(6) *Societatem vectigalium* TACITVS memorat *Annal. lib. XIII,* 50. & Jurisconsulti *L.* 65. §. *pen. ff. pro Soc. Societatem vectigalium causa coitam.* Erant autem *Socii*, qui pro Publicanis partim conducebant, partim in societatem cum his coibant, partim pro his bona fortunasque suas reipublicæ obligabant. Hi *Magistrum societatis* habebant, qui Romæ societati ita præerat, ut socios quasi in Senatum cogendi, & ad eos de societatis negotiis referendi, potestatem haberet, curamque omnem gereret tabularum & rationum, quæ undique ab iis, qui Publicanorum societati operam dabant, Romam mitterentur. Vide SIGON. *de Jure civ. Romanor. lib. II. cap. IV.* & SALDEN. *loc. cit.* §. 4. *p.* 708. *sq.* Alio vero & dispari sensu, Christum inimici *Publicanorum socium*, τελωνῶν φίλον, per contumeliam vocabant Matth. XI, 19. Luc. VII, 34. ad morum potius similitudinem, quam ad quæstus societatem, dicterium hoc referentes.

Ad §. III. pag. 4.

(7) *Summo odio detestabantur*] Hinc apud Talmudicos passim male audiunt, & furibus atque latronibus palam connumerantur. Acerba in ipsos dicteria ex Talmude & MAIMONIDE congessit b. CARPZOV, *Not. ad Schickardi Jus Reg. Cap. IV. Theor. XV. p.* 277. quæ huc transcribere supersedemus. Hinc & ad perhibendum testimonium, aut etiam ad judicandum, habebantur inepti, *Sanhedrin fol.* 25. *col.* 1. & parum spei in ipsorum pœnitentia erat situm, הרועים והגבאין והמוכסין תשובתן קשה, *pastorum, exactorum, & telonariorum pœnitentia difficilis est. Omnes enim raptores sunt & fures: pastor, quod pascit gregem in alieno agro, ceteri, quod multa de tributis & teloniis supprimunt & furantur, Gemara Mass. Baba Kama fol.* 91. *col.* 2. *circa fin.*

Ad §. III. pag. 5.

(8) *Publicanos & peccatores* non modo Matth. IX, 10. Luc. XV, 1. verum etiam *ethnicos & Publicanos* Matth. XVIII, 17. *Publicanos & meretrices* Matth. XXI, 31. jungi videas. Ideo probro habebant, familiariter iisdem uti, vel una cum illis cibum capere, Matth. IX, 11. Luc. XV, 2. Tanti odii, conviciorumque causas, SALDENVS *loc. cit.* §. 6. *p.* 710. ad ipsorum refert 1) injustitiam, qua ut rem facerent, & in usus suos multa converterent, præter illam summam, quam reddere tenebantur Præfectis suis, infinita corradebant præter æquum & justum,

aucto-

auctoritate publica abutentes, & vi atque ingratiis, nomine portorii exigentes, quod non debebatur: 2) Pronam ad factiones audaciam, de qua graviter VLPIANVS: *Quantæ audaciæ, quantæ temeritatis sint publicanorum factiones, nemo est, qui nesciat.* Addo 3) invisum genti liberæ ab Romanis impositum vectigalium onus. Judæi enim decimas tantum suis Sacerdotibus pendere quotannis soliti, indigne ferebant, Romanis & gentilibus se tributarios factos. Vnde vexata illa quæstio: ἔξεστι δοῦναι κῆνσον Καίσαρι, ἢ οὔ; Matth. XXII, 17. Quin & 4) commercium, quod nonnullis gentis suæ, turpis lucri causa, cum gentilibus intercedebat. Quod enim probe observavit SELDENVS *lib. II. de jure nat. & gent. cap. V. p.* 178, male habebat Judæos, quod populares etiam, cum gentilibus in terra Israelitica degentibus, velut Præsidibus, Quæstoribus, Legatisque Romanis, conductionis ejusmodi contractum, consortium ac consuetudinem, contra morem atque instituta majorum, immo in oppressionem patriæ & gentis, idque palam velut gentiles, alieni nempe imperii ministri, inierant.

Ad §. IV. pag. 5.

(9) *Ista munia non solos gentiles, sed & ipsos Judæos obiisse*] Huc spectant, quæ paulo ante *num.* (5) ex SALMASIO sunt allata. Exemplis Judæorum, hoc munere defungentium, addi poterit Levi, ad telonium sedens, atque a Christo ad discipulatum vocatus Marc. II, 13. sqq. Luc. V, 27. sqq. qui, num idem cum Matthæo, sub judice lis est. TERTVLLIANI vero errorem castigavit CASAVBON. *in Baron. Exercit. XIII. p.* 303. SCVLTETVS *Exercitat. Evangel. cap. XVIII.* SELDENVS *de I. N. & G. cit. loc. p.* 179. SALDENVS *Ot. Theol. l. c. p.* 712. & RVSS *Harmon. Evang. Tom. I. p. 626.*

AD

LIB. I. CAPVT III.

DE PROSELYTIS.

Ad §. I. pag. 5.

Hebræi & Proselyti] Generalem totius gentis distinctionem *ab ortu* petitam, Auctor tradit, inter Hebræos & Proselytos. Distinctionis illius nota

α, *Fundamentum*, quod est restrictio beneficiorum spiritualium in V. T. ad gentem Hebræam, seu ad posteritatem ab Abrahamo oriundam, unde Deut. XIV, 2. *Sanctus es populus Domino Deo tuo, Dominusque te elegit, ut sis ipsi peculium ex omnibus populis terræ.* Confer HENR. HVLSII *Comment. in Israelis prisci prærogativas ac bona V. T. Dissert. IX.* quæ est *de filiatione Israelis, & oriunda inde summa unicaque gentis ejus in mundo nobilitate.* Ex hac beneficiorum ad posteros Abrahami restrictione sequebatur 1) Nobilitas ac dignitas tanta, qua omnes in orbe gentes longe superabant. Hinc Christus Judæos solos, *filios*, ceteros *canes*, appellat Matth. XV, 26. 2) Libertas, quæ tum ex patre utroque, Deo ac Abrahamo, tum ex benedictione fœderali promanabat. Vnde Judæi Joh. VIII, 33. *Abrahæ semen sumus, & nullius unquam servi fuimus.* Quapropter servitus quoque Hebræorum restringebatur varie, ut læsione corporis inflicta solveretur, ut ad annum Sabbathicum tantum duraret, ut venundatio in servitutem, nonnisi in extrema patris paupertate, locum haberet. 3) Dignitas fœderis, quod Deus cum Abrahamo & semine ejus pepigit, Gen. XVII, 7. sqq. ita ut ipsorum esset ἡ υἱοθεσία,

σία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι, Rom. IX, 4. cum ex adverſo gentiles omnes eſſent ἀπηλλοτριώμενοι τῆς πολιτείας τοῦ Ἰσραὴλ, καὶ ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας. Eph. II, 12. 4) Aequalitas omnium, qui quamvis externo dignitatis gradu ac ordine differrent, ac ita ſe exciperent, ut primo Sacerdotes, hinc Levitæ, demum Iſraelitæ collocarentur, ut eſt in *Kidduſchin cap. IV. art. I.* idem tamen omnes omnino jus obtinebant ad Deum, & fœderalia bona.

β. *Vſum & veſtigia in Scriptura S.* in qua frequenter, הָאֶזְרָח *indigena*, אשר זרח qui ortus eſt ex proſapia Abrahami, וְהַגֵּר *& peregrinus* ſeu proſelytus junguntur, Lev. XVI, 29. in præcepto III Exod. XX, 10. & alias paſſim; pariterque in N. T. Act. II, 10. Ἰουδαῖοί τε καὶ προσήλυτοι.

γ. *Membra oppoſita.* Is, qui ſimpliciter dicitur *Hebræus*, altero ſaltem parente Hebræo erat natus, & ſimplex tantum dignitatis ex ortu fundamentum habebat. Qui autem ex utroque parente Hebræo ortum ducebat, Ἑβραῖος ἐξ Ἑβραίων audiebat, ut Paulus Phil. III, 5. Sed tempeſtive *ad h. l.* monuit HOTTINGERUS, iſtam Auctoris obſervationem non excluſive & univerſaliter eſſe capiendam, ut qui ſimpliciter Hebræus dicitur, alterutro tantum parente Hebræo gaudeat, quia contrarium ex ipſius Pauli teſtimonio liquet, qui ſeipſum quoque ſimpliciter Hebræum dicit 2 Cor. XI, 22.

Ad §. I. pag. 5.

(2) *Vel patre proſelyto, vel matre proſelyta*] Nimirum גרים ſeu proſelyti, liberos procreabant quidem Hebræos, verum tales, qui vel ſtemmate altero ſolum proſelyto erant oriundi, ut בן גר *filius proſelyti patris*, aut בן גרה *filius proſelytæ matris:* vel ſtemmate utroque proſelyto, qualis appellabatur בן בגבג *filius Bagbag*, hoc eſt, tam proſelyti patris, quam proſelytæ matris. Vocabulum enim illud technicum ex initiis vocum, בן גר ובן גרה coaluit. Ita citatum leges in *Pirke Abboth cap. V. n.* 22. dictum celebris cujusdam Rabbini: בן בגבג אומר *filius gentilis viri, & gentilis feminæ dicit*, qui nomine proprio vocatur R. IOCHANAN BEN BAG, & vixit ante Chriſtum natum, tempore IONATHANIS paraphraſtæ. Fuerat gentilis, & ex gentilibus parentibus natus, ſed ad fidem Judaicam, una cum parentibus converſus. Reverentiæ autem cauſa non proprio appellatur nomine, quia indecorum apud Judæos habebatur, parentibus gentilibus eſſe natum. Vide LEUSDEN. *in cit. loc. Pirke p.* 88. & BUXTORF. *de abbreviatur. Hebr. p.* 45. *ſq.*

Ad §. II. pag. 5.

(3) Ἑλληνιστῶν, *Græciſſantium*] Celebris inter Græcos & Helleniſtas diſtinctio, non uno modo a viris doctis fuit explicata. Cum enim animadverterent paſſim, Helleniſtas ab Hebræis Act. VI, 1. tum quoque a Judæis Act. IX, 29. & XI, 20. diſtingui, eosdemque ubivis τοῖς Ἕλλησι, *Græcis*, ſive Gentilibus & Profanis opponi: quæſitum eſt, quinam ſint iſti Helleniſtæ? DAN. HEINSIUS toto *Exercitationum ſacr. ad N. T.* opere, tum quoque *in Ariſtarcho ſacro p.* 898. & ſubinde alias, eos dicit, qui Judæi genere cum eſſent, Græce loquebantur & ſciebant. Cum enim Judæi partim in Palæſtina degerent, & Hebræo Textu in Synagogis uterentur, partim extra Palæſtinam variis in locis, maxime in Aegypto & Græcia, & LXX Interpretum verſionem in ſacris adhiberent: illos Hebræos, ſive Judæos, hos Helleniſtas fuiſſe dictos. Quo ſpectat Scholion Græcum, in editione N. T. IOANNIS GREGORII *ad Act. VI,* 1. adjectum: οἱ τῇ ἑλληνικῇ τῶν ἑβδομήκοντα μεταφράσει χρώμενοι Ἰουδαῖοι, Ἑλληνισταὶ ἐκαλοῦντο· οἱ δὲ τὰ ἱερὰ γράμματα τῇ τοῦ Μωσέως, ἤγουν Ἑβραΐδι φωνῇ ἀναγινώσκοντες, Ἑβραῖοι. *Qui Græca LXX interpretum translatione utebantur,* (in Synagogis & ſacris publicis) *Judæi, Helleniſtæ vocabantur: qui vero ſacras literas Moſis propria, ſive Hebraica lingua legebant, Hebræi.* Pedibus in hanc ſen-

ſententiam incedit LIGHTFOOTVS, quando in *Addendis ad Hor. Hebr. in* 1 *Cor. XIV. cap. I. Tom. II. Opp. p.* 929. ex inſtituto de Hebræis & Helleniſtis agens, rationem diſcriminis vel ab eorum diſperſione, (cum Judæi diſperſi per victorias & colonias Græcorum, a Judæis diſperſis per captivitatem Babylonicam & dominium Perſicum, recte diſtinguantur); vel, quam ipſe præfert ſententiam, ab eorum lingua arceſſendam docet, ut Hebræi dicerentur, quibus vernacula erat lingua Hebræa, h. e. Syra & Chaldaica, Helleniſtæ autem, quibus lingua Græca. Eidem tramiti inhæret IAC. ALTINGIVS in *Prolegom. Epiſt. ad Hebræos Tom. IV. Opp. P. II. p.* 7. *b.* cui Hebræi ſunt, qui in Judæa & Hieroſolymæ habitantes, Hebræo ſermone, non quidem genuino, ſed corrupto, Syro nempe, utebantur: Helleniſtæ autem, qui vivebant ἐν τῇ διασπορᾷ inter Græcos, Græcam linguam loquentes, Joh. VII, 35. Jac. I, 1. 1 Pet. I, 1. Tametſi diſperſio iſta (partim violenta, tyrannorum vi ac metu, partim voluntaria, delectu proprio inſtituta) longe lateque ſe extenderet, etiam ubi non obtinebat ſermo Græcus Act. II, 8. ſq. Jac. I, 1; attamen viciniores Judæis Hebræis, Græce loquebantur, in Aegypto, Aſiaque minore; inde Helleniſtæ dicti. Contra vero ea CLAVDIVS SALMASIVS inſurrexit, totoque *de Helleniſtica* commentario, maxime *p.* 233. *ſqq.* Helleniſtas aſſeruit, qui eccleſiam Chriſti naſcentem Hieroſolymis compoſuerunt cum Judæis, atque nec Gentiles fuerunt, nec origine Judæi, ſed medii inter utroſque, gente extranei, religione Judæi, hoc eſt, Proſelyti. Communi enim nomine, cum de religione agitur, tam Græcos, quam Syros gentiles, Ἕλληνας a ſacris Scriptoribus appellari. Si qui ex Syris & Græcis ad Judaiſmum ſe conferrent, & eam religionem capeſſerent per circumciſionem, Προσηλύτους eos eſſe appellatos. Qui ex Græcis proſelyti fierent, Ἑλληνιστὰς vulgo dictos, a ſermone quo uterentur, & quia non veri Græci eſſent, utpote in Syria nati, ideo Ἑλληνιστὰς potius, quam Ἕλληνας appellatos. Præterea ad fugiendam nominis ὁμωνυμίαν, quia tunc Scriptores ſacri Gentiles eo nomine deſignare ſolerent, ideo potius Ἑλληνιστὰς, quam Ἕλληνας a Luca vocatos. Hanc porro ſententiam magno conſenſu exceptam viri docti varie ornarunt, in quibus videantur WALAEVS *ad Act. VI,* 1. CROIVS *obſervat. in N. T. cap.* 30, 31, 32. & SVICERVS in *Theſ. Eccleſ. h. v. p.* 1093. Cumprimis Vir ſummus, IOANNES PEARSONIVS, Epiſcopus Ceſtrienſis, in eandem concedens ſententiam *Lect. III. in Act. Apoſt.* §. 5. *Opp. poſthum.* p. 52. ita pronunciat: *Hic* Ἑλληνισταὶ *opponuntur* Ἑβραίοις, *& alibi apud S. Lucam opponuntur* Ἰουδαίοις. *Neque igitur Hebræi, neque Judæi erant, h. e. genere; non Hebræi, ex Hebræis, non Judæi, ex Judæis; ſed Judæi tantum religione, i. e. Proſelyti. Cum autem duplex eſſet Proſelytorum genus, hi quidem, quorum hic mentio facta eſt, non erant ſimpliciter* οἱ σεβόμενοι, *ſive Proſelyti portæ, ſed potius circumciſi, ſive Proſelyti juſtitiæ. Illi enim* προσήλυτοι *portæ nondum in eccleſiam recepti ſunt, ut patet ex Cornelii exemplo. Hi igitur Proſelyti, cum antequam circumciderentur,* Ἕλληνες, *ſive Gentiles fuerint, etſi jam religione facti Judæi, & totius legis impletionem in ſe ſuſcipientes, tamen a Judæis ſeu Hebræis, ſtirpe & genere ab Abrahamo deducto ſuperbientibus, inferiori loco habebantur. Vnde neglectus viduarum, & ex eo neglectu murmur, ſive* γογγυσμὸς τῶν Ἑλληνιστῶν. Dudum autem, ante motum de Helleniſtis, & lingua Helleniſtica certamen, THEODOR. BEZA eandem propinavit, in *annot. ad Act. VI,* 1. ita commentatus: *Differunt* Ἑλληνισταὶ *ab iis, quos Paulus ſolet* Ἕλληνας *dictos, Judæis opponere, & Hebræi gentium nomine ſignificant. Sunt enim* Ἕλληνες *(generali appellatione deſumpta ab una Græcorum gente) dicti omnes incircumciſi, iis etiam comprehenſis, quamdiu lex viguit, qui licet non circumciſi, ab idololatria tamen abhorrentes, cognitione veri Dei erant imbuti, quos vocare Lucas conſuevit* σεβομένους· *qualis fuit Cornelius Act. X,* 1, 2. *& alius ille Centurio, cujus fidem tantopere prædicat Chriſtus Matth. VIII,* 10. *illi denique, quorum fit mentio Joh. XII,* 20. Ἑλληνιστὰς *vero Lucas hoc loco vocat, genere*

quidem profanos, sed in Judaeorum gentem, per circumcisionem ascitos, & προσηλύτους propterea vocatos. Falluntur enim, qui Judaeos inter alias gentes dispersos, putant, Ἑλληνιστὰς dici. Judaizantes autem incircumcisos, secum versari minime sustinuisset Hierosolymitana ecclesia, multo post tempore graviter offensa, quod Petrus Caesareae ad Cornelium esset ingressus: Paulus vero, quantumvis Tarsensis, (& ita inter Graecos natus ex parentibus Hebraeis) sese Hebraeum vocat 2 Cor. XI, 22. Itaque sicut religionis respectu Ἕλληνες *Judaeis, ita propter stirpis discrimen* Ἑλληνισταὶ *Hebraeis opponuntur.* Quae satis apposite in hanc rem sunt dicta. Nostram de Hellenistis sententiam alias jam protulimus *Criticae Sacrae P. II. cap. II. §. 2. p.* 507. quam paulo distinctius hic repetendam, certis positionibus includemus. 1) A Luca solum memorari Hellenistas, Act. VI, 1. ubi de conversis ad Christum, c. IX, 29. ubi de hostibus Evangelii & persecutoribus Pauli, qui vitae ejus insidias struebant, & c. XI, 20. ubi de iis, qui nec dum Christiani erant, locum autem verbo dabant, & salutarem institutionem admittebant, id nominis legitur. Fallitur itaque SALMASIUS, quando ad eos restringit, *qui ecclesiam Christi nascentem Hierosolymis composuerunt cum Judaeis*, quia & ante conversionem ad Christum, & qui conversioni locum non reliquerunt, Hellenistae salutantur. 2) Proselyti e gentibus describi hoc nomine recte censentur, quia ortu Judaei nuspiam ita appellantur. 3) Neque tamen paria per omnia facere, vel aequipollere Proselytos & Hellenistas, ex trita Ἰουδαίων καὶ προσηλύτων distinctione Act. II, 11. intelligitur, & quia Proselytus quidem, nec tamen Hellenista, Nicolaus Diaconus audit Act. VI, 5. In diversum itaque hic secedo a b. OLEARIO, qui in dissertatione *de stilo N. T. section. polemicae membro III.* quo totam de Hellenistica disceptationem paucis complectitur, §. 9. ita pronunciat: *Uno verbo: Hellenistae Lucae fuere Proselyti cujuscunque nationis, qui, ut separarentur & distinguerentur a germanis Judaeis, & a Graecis ethnicis, eo nomine appellabantur.* Sed obstant, quae monui. 4) Certae itaque gentis proselyti hoc nomine veniebant, haud dubie e Graecis Aegypti, vel Asiae populis oriundi, qui Judaeorum sacra amplexi erant, & circumcisionem susceperant. 5) Ab his distabant σεβόμενοι, aut φοβούμενοι τὸν θεὸν, Judaeis contradistincti Act. XIII, 43. XVII, 17. qui licet incircumcisi, ab idololatria tamen abhorrebant, & cognitione veri Dei erant imbuti, qualis Cornelius Caesareensis Act. X, 1, 2; ἕλληνες illi quidem, nec dum circumcisi; ast ἐκ τῶν ἀναβαινόντων, ἵνα προσκυνήσωσιν ἐν τῇ ἑορτῇ. 6) Quemadmodum Rom. I, 16. & alias passim Graeci & Judaei, religionis respectu sibi invicem opponuntur, & ἕλληνες dicuntur, cujuscunque gentis vel originis homines, a sacris Judaicis alieni, quales hodie Judaei גוים appellant: ita vicissim ἕλληνες & βάρβαροι Rom. I, 14. literaturae & linguae intuitu dispescuntur, ut *Graeci* sint, qui Graeco utebantur sermone, studiisque literarum erant exculti, *Barbari* qui Latine, vel praeter Graecam, quacunque alia loquebantur lingua, nec scientiis & artibus erant perpoliti: quo sensu SENECA *lib. III. de ira cap.* 2. inquit: *nulla gens est, quam non ira instiget, tam inter Grajos, quam Barbaros potens.* Ut non eodem sensu & respectu, ubivis in sacro Codice, Graeci veniant. 7) Bene habet SALMASII observatio *de Hellenist. p. 236. sq.* quod Ἰουδαίων nomine, religio cumprimis Judaica, qualis sub initium Novi Foederis erat, ἑβραίων vero ortus & genus connotetur. Hinc Paulus 1 Cor. XI, 22. ἑβραῖον se vocat, quia non amplius Judaeus erat, respectu religionis, Hebraeus autem gentis ac generis ratione. Unde Ἰουδαΐζειν Gal. II, 14. est, Judaicam religionem profiteri, & Ἰουδαϊσμὸς Gal. I, 5, 13. religionem & cultum Judaeorum notat, quae significatio a vocibus ἑβραΐζειν & ἑβραϊσμὸς est aliena. Quamvis statim ab ortu suo Hebraeum, religionis nomen fuerit, & eos cumprimis ex prosapia Heberi designarit, qui Gentilium idololatriam & superstitionem missam facientes, veram religionem & avitum cultum sectabantur Gen. X, 12. ut probe observavit IAC. ALTING. *loco supra citato*

citato. 8) Denique, quando Act. XI, 19, 20. Judæi & Hellenistæ sibi opponuntur, non est, ut cum GROTIO *ad h. l.* & REIZIO *in Not. ad Auct. h. l.* violentas Textui manus inferamus, & loco, πρὸς τοὺς Ἑλληνιστάς, legamus, πρὸς τοὺς Ἕλληνας. Legat ita Codex Alexandrinus, constantem tamen tot aliorum Codd. lectionem ille solus non evertit, sed lapsum prodit librarii, in ejusmodi cognatis vocibus admodum proclivem. Quod autem versiones, Vulgata, Syra, Arabica, & Aethiopica reddiderunt *Græcos*, ex accurato Vener. WOLFII *in Curis ad h. l.* judicio, non tam probat, earum auctores in codicibus suis ita legisse, quam potius vocem Ἑλληνιστάς ita interpretandam censuisse, ut gentiles Græci per eos intelligantur. Eadem enim sententia passim hæsit interpretibus, e quibus CASPAR. STRESO, non ineptus in hunc librum Commentator, postquam de Græcis gentilibus vocem istam exposuisset, *Tom. I. p.* 447. *a.* subjungit: *Scio, quosdam Interpretes, quoniam hoc loco non usurpatur vox* Hellenes, *sed* Hellenistæ, *per hos Hellenistas nolle intelligere gentiles, sed Judæos Græca lingua utentes, sicut hæc vox ita sumitur c. VI,* 1. *& IX,* 29. *Sed quoniam hi Cyprienses & Cyrenenses, qui Hellenistis prædicarunt Evangelium, expresse opponuntur iis, qui antea in eadem urbe & alibi solis Judæis Evangelium prædicaverant, non possumus non intelligere per hos Hellenistas veros gentiles, a Judaismo æque ac Christianismo alienos, Rom. II,* 9. Sed ista interpretandi necessitas concipitur solum ab iis, qui Hellenistas sibi fingunt Judæos, Græce loquentes. Nobis consuetas tritasque vocum significationes migrare, religio est, cum perpetuus Scripturæ usus Ἑλλήνων & Ἑλληνιστῶν nomina longe sejungat. Censemus itaque, eodem sensu hic Judæos opponi Hellenistis, quo Act. VI, 1. iisdem opponuntur Hebræi. Dispersi quippe ex persecutione super Stephanum orta, Christiani verbum non loquebantur, nisi Judæis v. 19. ast Cyprii & Cyrenenses Christiani, Antiochiam delati, Evangelium annunciabant proselytis ex Græcis & Asiaticis gentibus, qui Hellenistarum nomine veniebant. Sic utrique non religione, sed ortu, mutuo sibi opponuntur: cumque priores Evangelii præcones ad gentem Judaicam loquerentur, posteriores quoque proselytos religione Christiana imbuebant. Conferri in hunc locum Act. meretur SAM. BASNAGIVS, *in Exercitatt. Anti-Baronian. p.* 6. *sq.* qui prolixe illum excutit, & doctissimorum virorum, LIGHTFOOTI cumprimis & PETAVII, de Hellenistis sententias, erudite expendit & profligat.

Ad §. III. pag. 6.

(4) *In XII tribus erat distributum*] Gentis Judaicæ in XII tribus divisio, ortum trahit ex benedictione cum divina Gen. XXVIII, 14. tum paterna Gen. XLIX, in qua prima quoque mentio fit tribuum Israelis vers. 16, 28. Vniuscujusque filiorum Jacobi posteritas, in multas & copiosas diffusa familias, a communi tamen omnes stirpe oriundas, tribum constituit; ita ut שבטים *tribus*, suas quæque משפחות *familias*, istæ rursus suas בתים *domos*, & hæ demum גברים *viros*, seu *patres familias* Jos. VII, 14. complecterentur. Tribubus porro singulis erant ראשי שבטים *capita tribuum*, ἀρχίφυλοι Deut. XXIX, 10. sive זקני שבטים *seniores tribuum*, φύλαρχοι Deut. XXXI, 28. Juxta has tribus, census agebatur populi Num. I, 2. sqq. omnisque, itineris & castrametationis, ordo servabatur cap. II, 2. sqq. quin & in occupatione terræ Canaan instituebatur κληρουχία, hac tamen lege, ut tribus Levi ceterarum numero eximeretur, ac in ejus locum una Josephi tribus in duas abiret, distincteque ac singulatim Manasse ac Ephraim numeraretur, vi testamenti paterni Gen. XLVIII, 5. Juvat hic audire HENRIC. VALESIVM, qui *in not. ad Eusebii Hist. Eccl. lib. I. cap. VII. f.* 15. ita commentatur: *Judæi divisi erant in tribus, quæ* φυλαὶ *dicebantur. Singulæ autem tribus dividebantur in* δήμους, *ut manifeste patet ex cap.* 36 *Numerorum.* Δῆμοι *ergo idem sunt, quod apud Romanos familiæ; sicut* φυλαὶ *Judæis sunt, quas Romani* gentes

gentes vocabant. Jam vero πατριαὶ *idem erant, quod* δῆμοι. *Et recte Vetus Interpres in libro Numerorum familias vertit, ubi LXX Interpretes* πατριὰς *posuerant. - - Atque hinc* πατρίαρχαι *vocabantur generis auctores apud Judæos, a quibus unaquæque familia nomen acceperat, quemadmodum videre est in cap. 26. Numerorum.* CHRYSOSTOMVS *homil. 7. in Ep. ad Ephes.* πατριὰς καὶ γένη *idem esse ait.* Præcipuus hujus divisionis scopus tendebat 1) ad evincendam promissionum divinarum veritatem; Ideo enim distinctæ servabantur tribus, ut singulis eorum constaret eventus, quæ Deus ipsis, cum per Jacobum, Gen. XLIX. tum per Mosen, Deut. XXXIII. prædixerat: 2) Ad cavendam familiarum confusionem, ad quam hinc Leviratus spectabat; Hinc prohibitio, ne agri hæreditarii de una tribu ad alteram migrarent: 3) Et omnium quidem maxime, ad dignoscendum eo evidentius Messiam, e tribu Juda, e familia Davidis, & tum quidem, cum futura illa esset instar trunci abscissi Jes. XI, 1. & ex urbe Davidis, Bethlehem, oriundum, Mich. V, 2. Luc. II, 4. Factum hinc est divino beneficio, ut cum X tribus in Assyriaca captivitate ita permiscerentur, ut omnis earum distinctio, deletis communi clade genealogiis, exspiraret, tribus tamen Juda, deportatione in Babyloniam haud parum licet turbata, in patriam tamen redux, æque ac tribus Benjamin ac Levi, illibatam servaret familiarum distinctionem ac recensionem: de quo Judæ privilegio, erudite commentantem vide ALTINGIVM *in Schilo Lib. III. cap. XI, XII, XIII.*

Ad §. III. pag. 6.

(5) *Certi genealogiarum catalogi*] Horum nota 1) *Vsum*, quem in *Introduct. ad lib. Bibl. V. T. P. I. cap. XVI.* §. 5. *p.* 290. *sq.* duplicem esse docuimus: Partim *privatum*, ad Judæos spectantem, qui tribuum & familiarum confusionem æque, ac hæreditariorum fundorum ab una tribu ad aliam translationem, Num. XXXVI, 3. sqq. interdictam, cavebat, litium, ex prætensione jurium & possessionum, oriundarum dijudicationem juvabat, gentemque ipsam e captivitate reducem, ab Ethnicis, eorumque connubiis segregabat, certosque constituebat limites, in quibus ipsæ posthac se continerent familiæ: de qua insigni variaque genealogiarum inter Judæos utilitate, erudite egit SPANHEMIVS Pater *Dub. Evangel. P. I. Dub. XIII.* §. 4. *p.* 62. cui junge LIGHTFOOTVM *hor. ad Matth. I,* 1. *T. II. Opp. p.* 247. *b. sq.*: Partim *communem* ecclesiæ universæ, cujus de exhibito Messia fides egregie iisdem confirmatur. Hunc enim, vel maxime a gente & prosapia dignoscendum, ita descripsere oracula sacra, ut primum quidem, e semine Abrahami Gen. XII, 3. XVII, 7. XXII, 18. mox, ex Judæ Patriarchæ cap. XLIX, 10. denique ex Davidis familia 2 Sam. VII, 12. sqq. Ps. LXXXIX, 20. sqq. Jer. XXIII, 5, 6. genus ducturum præsignificarent. Vnde Paulus, exerto velut ad catalogos genealogicos digito, πρόδηλον, *notorium esse* affirmat, *quod Christus sit ex tribu Juda exortus*, Hebr. VII, 14.

2) *Explicandi rationem*, apud Judæos receptam. Insigni quippe obscuritate interdum laborant, ex nominum unius viri cum varietate, tum permutatione facta, ex graduum per saltum recensione, ex diversa tribuum vel patriæ relatione, ex dignitatis vel sanctimoniæ respectu, ex nepotum & posterorum ante filios enumeratione, ex appellatione matris, ubi pater tacetur, aliisque ejusmodi difficultatibus, quæ inexplicabiles in Biblicis quoque genealogiis sæpe nectunt nodos. Quibus solvendis cum magnam, nec infelicem sæpe, adhibuerint industriam Judæorum magistri, regulasque & observationes subministraverint haud contemnendas, egregiam huic instituto operam navavit vir solertissimus, GVILIELMVS SVRENHVSIVS, quando in βίβλῳ καταλλαγῆς *lib. IV. p.* 89. *sqq.* totum, in colligendis insumsit, inque ordinem redigendis Rabbinorum monitis, quorum beneficio in genealogiarum interpretatione feliciter progredi, multosque superare vel evadere scopulos licet: dignus omnino, qui hanc in rem con-

consulatur, maxime cum *libro V. p.* 113. *sqq.* iisdem adjutus subsidiis, genealogiam Christi apud utrumque Evangelistam, licet non pari ubivis successu, componit.

3) *Fata.* Captivitate Babylonica quanquam misere turbarentur genealogiæ, sic, ut nonnullæ familiæ restitui prorsus non potuerint, Neh. VII, 61. sqq.; tribui Judæ tamen, & familiæ cumprimis Davidicæ, ne idem eveniret, divina diligenter cavit πρόνοια, quod generationum catalogi, apud Esdram, Nehemiam, & lib. I. Chronicorum exhibiti luculenter demonstrant. Id maxime curæ fuit Esdræ & Synagogæ magnæ, ut stemmatum seriem docerent integram, & a Gentilium commercio intaminatam: quippe ex Hebræorum sententia לא עלה עזרא מבבל עד שעשא עמו כסולת נקייה *non ascendit Esdras e Babylone, usque dum gentem suam puram reddiderit, instar similaginis.* Eandem porro curam publicos in populo scribas exercuisse constat, ut puri sanguinis familias a non puris secernerent, libellosque genealogicos, publice privatimque repositos & asservatos, ab una generatione ad alteram transmitterent, ad natum usque Servatorem. Paulus certe tabularum istarum fide docere poterat, se sanguinis esse Israelitici puri, ex tribu Benjamin, Phil. III, 5. Rom. IX, 3. sqq. 2 Cor. XI, 22. Idemque ex gentis ἀπογραφῇ, Cæsaris Augusti auctoritate & auspiciis instituta Luc. II, 1. sqq. laudatus supra ALTINGIVS scite demonstrat *cit. cap. XI. p.* 61. In ultima demum gentis clade Romana, & post templi secundi destructionem, quum ipsæ illæ, quas Synagoga magna probaverat, tabulæ periissent, omnis intercidit familiarum tribuumque distinctio, adeo ut ipsimet fateantur Magistri, exactam curatamque genealogiarum restitutionem, in bonis illis & privilegiis esse habendam, in diebus Messiæ aliquando expectandis. Eam R. DAV. KIMCHI ad Eliæ refert beneficia, olim redituri, *ad Ezech. XLVII. v. ult.* ita pronuncians : לעתיד בצאת ישראל מהגלות יוודעו השבטים אפעלפי שהם מעורבים עתה ולא ידעו איש את שבטו יבא אליהו ויחס כל איש אל שבטו: *cum aliquando Israel egredietur ex hoc exilio, notæ erunt tribus, quamvis nunc confusæ sint, neque quisquam noverit tribum suam, sed Elias veniet, & referet unumquemque ad suam tribum.* Vnde liquet, quo loco habenda sit ABARBENELIS jactantia, quando in *Comment. in Zach. XII. fol.* 293. *col.* 4. *fin.* a R. ABEN ESRA, & R. BENIAMIN TVDELENSI in Itinerario suo, quibus tamen non per omnia conveniat, relatum testatur, in celebri Orientis urbe, Bagdad, Davidis superesse posteros, cum antiquis libris genealogicis: fide vero R. ISAAC BEN GEATH, nobiliorem progeniem Davidicam, familiæ suæ charactere insignem, in Occidente celebrat, dum sub primi templi πανολεθρίαν, duæ in Hispaniam ex stirpe Davidica sint delapsæ familiæ, quarum una בני דאוד Lucenæ consederit, altera בני אברבנאל Seviliæ domicilium invenerit, posteritatemque propagaverit: cujus migrationis historiam contexuit *in Comment. ad* 2 *Reg. XXV. fol.* 305. *col.* 2. Sed nemo ex ipsis prostat Judæorum Chronologis, qui hanc fabulam tueatur, aut ABARBENELIS gentem tot seculorum ætatem in Hispaniis egisse testetur, quin *Auctor Schalschcleth Hakkabalæ* diserte negat, post annum 4914 (i. e. æræ Christianæ 1154, adeoque 350 annis ante ISAACI ABARBENELIS mortem, quæ in A. C. 1508. incidisse fertur) ullum in Hispania superfuisse, de quo liquido constaret, esse ipsum de familia Davidis. Et caute agunt posteri, perhibentes, libros ABARBENELIS genealogicos, in exiliorum, quæ subiit tantus vir, tumultu deperditos esse. Vnde facile quis suspicari potest, apparatum illum genealogicum dubiis ἀπεράντοις premi.

Ad §. III. pag. 6.

(6) *Has genealogias flamma delevit Herodes*] Hoc in fatis genealogiarum ferale omnino & decretorium fuisset, si tuta satis traditioni constaret fides. Hanc vel maxime conciliare ei annititur EVSEBIVS, quando ad IVLIVM AFRICANVM, perantiquum Scriptorem, & post princi-

 pia

pia Seculi a N. C. III. clarum, eam refert, qui *in epistola ad Aristidem, de consensu Evangeliorum in stirpe Christi narranda* perhibeat, quod Ἡρώδης, οὐδέν τι συμβαλλομένου τοῦ τῶν Ἰσραηλιτῶν γένους αὐτῷ, καὶ τῷ συνειδότι τῆς δυσγενείας κρουόμενος, ἐνέπρησεν αὐτῶν τὰς ἀναγραφὰς τῶν γενῶν. οἰόμενος εὐγενὴς ἀναφανεῖσθαι, τῷ μὴ δὲ ἄλλον ἔχειν ἐκ δημοσίου συγγραφῆς τὸ γένος ἀνάγειν ἐπὶ τοὺς πατριάρχας, ἢ προσηλύτους, τούς τε καλουμένους γειώρας τοὺς ἐπιμίκτους, *Herodes priscas illas Israelitarum familias nihil ad se pertinere intelligens, ignobilitatis suæ conscientia stimulatus, omnia illa veterum familiarum monumenta concremavit: ratus, se tum demum nobilem visum iri, cum nemo esset, qui ex publicis monumentis originem generis sui, vel ad Patriarchas, vel ad Proselytos, vel ad permixtos Israelitis peregrinos, qui* γειῶραι *dicuntur, posset referre.* Ne tamen universalis omnino ista censeatur fuisse jactura, statim addit: ὀλίγοι δὴ τῶν ἐπιμελῶν, ἰδιωτικὰς ἑαυτοῖς ἀπογραφὰς, ἢ μνημονεύσαντες τῶν ὀνομάτων, ἢ ἄλλως ἔχοντες ἐξ ἀντιγράφων, ἐναβρύνονται σωζομένης τῇ μνήμῃ τῆς εὐγενείας ὧν ἐτύγχανον οἱ προειρημένοι δεσπόσυνοι καλούμενοι, διὰ τὴν πρὸς τὸ σωτήριον γένος συνάφειαν. *Pauci tamen antiquitatis studiosi, privatos stirpis suæ commentarios, vel quod nomina ipsa memoriter callerent, vel ex Archivis descriptos, penes se habentes, in primis gloriabantur, quod avitæ nobilitatis memoriam conservassent. Ex quorum numero erant hi, de quibus supra dixi, ob propinquitatem generis, qua Servatori nostro juncti erant,* δεσπόσυνοι *appellati.* Quicquid tamen est istius traditionis, haud immerito in dubium vocatur ab emunctioris naris Criticis, ALTINGIO *Lib. III. Schil. c. 2. p. 71. b.* HOTTINGERO Nepote *in Annotat. ad h. l.* GOODWINI *p. 59. sq.* & aliis, qui ἀπογραφὴν Luc. II, 3. 4. locum habere non potuisse urgent, ni authentiæ stemmatum descriptiones ad manum fuissent. Quodsi etiam ortus Christi ex tribu Judæ, & ex familia Davidica, incertus dubiusve fuisset, dudum Judæi ipsi genuinum Messiæ κριτήριον competere negassent. Accedit silentium IOSEPHI, qui illatam genti suæ injuriam tam atrocem certe non dissimulasset, cum reliqua Herodis scelera graphice & copiose depingere nullus dubitarit. Potuit ergo παράδοσις illa facti, duorum & amplius seculorum intercapedine ab AFRICANI ætate disjuncti, bona quidem fide a IULIO propagata, sed sublesta ad ipsum perlata fuisse, cum testimonio vetustiori firmetur nullo. Atque hinc factum suspicor, ut IOH. PRIDEAUX, utut in tradenda Herodis M. historia perquam copiosus, hanc tamen pericopen sicco præterierit pede, quod parum admodum eidem tribueret, *Hist. Jud. P. II. L. VIII.*

4) *Abusum genealogiarum* adhuc addere licet, a Paulo atro notatum carbone 1. Tim. I, 4. & Tit. III, 9. Vbi quidem IOH. MICH. LANGIUS in *Commentario Theol. de genealogiis nunquam finiendis & fabulis Judaicis*, Noribergæ A. 1696. edito, ex instituto & copiose contendit, Paulum ad nihil minus, quam ad studia genealogica proprie sic dicta respexisse; sed potius intendisse digitum in studia Gnosticorum Cabbalistica, quæ in rebus divinis genealogias ἀπεράντους crepent & fingant. Eodem tendit CAMP. VITRINGA *lib. V. Observat. Sacr. cap. 13. p. 161.* ubi genealogias istas *ad subtilissimas Cabbalistarum disputationes de Divinitate, ejusque variis Emanationibus, sive* ספירות *refert, quibus se Judæi aliqui Platonicæ aut Pythagoricæ Philosophiæ studio occupatos habuerint, & in quibus arcanæ & sublimioris scientiæ maximam constituerint partem. Quomodo jam olim* IRENAEUS *&* TERTULLIANUS *Pauli mentem acceperunt, &* VITRINGAE quidem judicio, *recte accepisse videntur.* In eandem sententiam vel inclinasse, vel pedibus incessisse CASP. STRESONEM *in Comment. ad Epist. ad Coloss.* HENR. HAMMONDUM *in not. ad h. l.* GUNDLINGIUM *in Gundlingianis P. XXXIII. p. 251. sqq.* AMELIUM, & alios, studiose observat Vener. WOLFIUS *in Cur. Philol. ad 1. Tim. I, 4.* ipse, cum ERASMO SCHMIDIO, ABRAH. CALOVIO, I. C. DIETRICO, & ex Reformatis, cum IOH. BRAUNIO, MELCH. LEYDECKERO, & potiori interpretum parte,

pro

pro illa sententia calculum ferens, quæ de inani Genealogico Judæorum studio, sollicite fugiendo, verba Pauli exponit; dignus omnino, qui huc conferatur. Neque enim vocabulo γενεαλογίας Cabbalisticis Sephiroth satis quadrare, vel ab antiquis Scriptoribus accommodari reperies, neque a moribus & institutis veterum Judæorum, Genealogicas disquisitiones fuisse alienas, cum IOH. BRAVNIO *Select. Sacror. Lib. I. cap. VI. §. 91. sq. p. 77.* & *Lib. V. Exercit. II. §. 15. p. 603. sq.* & SCHOETTGENIO *in* 1. *Tim. I, 4. Horarum Hebr. p. 854. sqq.* viri docti dudum docuerunt.

Ad §. IV. pag. 6.

(7) *Adventitii erant pagani*] Proselytorum tradit Auctor noster α) *Definitionem*, quæ bene habet, modo observetur, quod eorum nonnulli adhuc inter Gentiles habitarent, & statis solum temporibus ac festis, sacra facturi, Hierosolymas adirent, ut exemplo liquet cubicularii reginæ Aethiopicæ Candaces, Actor. VIII, 27. 28. Erant omnino Proselyti, in genere omnes, qui vel domicilii, vel religionis causa, certo ritu ac lege, Judæis accessissent, licet non perpetua cohabitatione, modo sacrorum frequentatione, & animorum consensione. Ipsa vero Israelitarum & Proselytorum, seu Adventitiorum distinctio in Scripturis passim occurrit, Exod. XII, 19. 48. Lev. XXIV, 16, 22. 2. Chron. XXX, 25. Ezech. XIV, 7. &c. cujus primam originem ab Israelitarum ex Aegypto exitu arcessere licet, ubi magna Aegyptiorum turba populo Dei sese aggregabat, & in comitatu ejus egressa, civitate sacra posthæc, haud dubie donabatur Exod. XII, 38. unde statim videas legem, de Proselytorum paschate exortam vers. 43. sqq.

Ad §. IV. pag. 6.

(8) *Vocabantur*] Pergit Auctor ad β) *Appellationem.* Hebræis dicuntur גֵּרִים *exules, peregrini*, a גּוּר *peregrinari, commorari, incolere*, quod verbum de exiliis Patriarcharum, Abrahami Gen. XXXV, 27. Jacobi c. XXXII, 4. & alias passim, legitur. Hinc Lev. XIX, 33. כי יגור אתך גר *cum commorabitur tecum advena.* Chaldæis גִּיּוֹר, גִּיּוֹרָא, in Fœm. גִּיּוֹרֶת, גִּיּוֹרְתָּא *proselytus, proselyta*, unde Græcorum γειώρας, quod Exod. XII, 19. apud LXX pro גר extat, ἔν τε τοῖς γειώραις, καὶ αὐτόχθοσι τῆς γῆς· & Jes. XIV, 1. καὶ ὁ γειώρας προστεθήσεται πρὸς αὐτοὺς, καὶ προστεθήσεται πρὸς τὸν οἶκον Ἰακώβ. Quod nomen Proselytis solenne fuisse ultimis temporibus, paullo ante *Not. 6. ad §. præced.* ex IVLIO AFRICANO intelleximus. Græcorum προσήλυτος, in N. T. Matth. XXIII, 15. Act. II, 11. VI, 5. XIII, 43. & apud LXX 1. Chron. XXII, 2. 2. Chron. XXX, 25. & frequenter alias, pro Adventitiis ex Ethnicismo ad Judaismum occurrens, proprie est ἀπὸ τοῦ ἐλεύθω (unde ἔρχομαι tempora & motiones suas mutuatur). Hinc ἤλυσμαι, ἤλυσαι, ἤλυτος· unde compositum προσήλυτος, idem ac μέτοικος, *advena*, quocum sæpius permutatur. HESYCHIVS πάροικον exponit, & ἀλλοεθνῆ, *alienigenam.* SVIDAE οἱ ἐξ ἐθνῶν προσεληλυθότες, καὶ τοὺς θείους πολιτευόμενοι νόμους, *qui ex gentibus ad populum Israeliticum advenerant, & secundum divinas leges vivebant*, Proselyti dicuntur.

Ad §. V. pag. 6.

(9) *Species Proselytorum duæ erant*] Addit Auctor γ) *Distinctionem* inter proselytos justitiæ, & proselytos portæ. Sedes & fundamentum divisionis hujus reperitur Lev. XXV, 48. *Si attenuatus fuerit frater tuus, & vendiderit se* לגר תושב *proselyto domicilii.* Proselytorum autem justitiæ mentio fit in omnibus iis Scripturæ locis, in quibus peregrinus & Israelita communibus ex æquo legibus obstringuntur, Lev. X, 29. Num. IX, 14. Lev. XVII, 12. &c. Ipse b. LVTHERVS discrimen istud observasse videtur, quando Lev. XXV, 35. vertit: *so solt du ihn aufnehmen als* גר *einen Fremdling*, i. e. proselytum justitiæ, ותושב *oder Gast*, i. e. proselytum

tum habitationis: quæ eodem modo ac ſenſu verſ. 47. recurrunt.

Ad §. V. pag. 6.

(10) *Proſelytus portæ*] De his priori loco agit Auctor, quorum nota א. Differentiam a proselytis juſtitiæ, quæ non ab incolatu, ut fere nomen ſonat, ſed ab obligatione, utrisque diverſa, petita eſt. Fieri enim poterat, ut aliquando ambo inter Judæos habitarent, aliquando neuter, unde in Maſſech. *Sanhedrin c.* 2. ex ſententia Magiſtrorum, Naaman proſelytus perhibetur domicilii, Nebuſaradan proſelytus juſtitiæ, quorum tamen neuter inter Judæos domicilium fixit: ב. Obligationem, qua ad VII præcepta Noachidarum, Auctori recenſita, obſtringebantur. Hæc ita recenſet MAIMONIDES, in *Jad Chaſakah*, Tr. ultimo, ſeu הלכות מלכים *cap. IX.* §. 1. על ששה דברים נצטווה אדם ראשון: על ע"ז: ועל ברכת השם: ועל שפיכות דמים: ועל גלוי עריות: ועל הגזל: ועל הדינים -- הוסיף לנוח אבר מן החי שנאמר אך בשר בנפשו דמו לא תאכלו: נמצאו שבעה מצות: *Sex res ſunt primo homini* (Adamo πρωτοπλάςῳ) *mandatæ: de idololatria; de benedictione nominis divini; de effuſione ſanguinis; de revelatione turpitudinum; de rapina; de judiciis. - - Addita eſt* (præterea) *Noacho, de membro vivi; eo quod dicitur* (Gen. IX, 4.) *attamen carnem cum anima ipſius, quæ eſt ſanguis ejus, non comedetis. Ita ſeptem præcepta evaſerunt.* Ita rem ſe habuiſſe in univerſo orbe perhibet, usque ad Abrahamum. Abrahamo præter memorata, injunctam fuiſſe circumciſionem &c. Sed de his מצוות בני נוח *præceptis Noachidarum* copioſe egerunt SELDENVS *de Jure N. & G. juxta diſcipl. Hebr. Lib. I. cap. X. p.* 116. SCHICKARDVS *in Jure Regio Cap. V. Theor. XVII.* & CARPZOV. *in not. ad eund. p.* 333. MELCH. LEYDEKKERVS *de Republ. Hebr. Lib. VI. cap. VII. p.* 373. *ſqq.* & BVDDEVS *Hiſt. Eccleſ. V. T. Per. I. Sect. II. §. V. p.* 192. *ſqq.* Recte de iis PETR. CVNAEVS pronunciat *lib. I. de Republ. Hebr. cap. I. Ea juſtitiæ regulas quasdam continebant, quibus carere hominum vita nequibat, quare vis eorum tam late ad omnes pertinuit, ut qui neſcirent ea, hos interficere in bello, atque ex hominum communione tollere juſſi Iſraelitæ ſint.* Quod ex MAIMONIDE petitum, qui *cit. loc. cap. VIII. §. 9.* diſerte ſancitum tradit, omnem Gentilem, ſi in manus Judæorum pervenerit, & præcepta Noachidarum ſuſcipere detrectaverit, occidendum. Vnde Gentilibus, quos vicinos habebant, tranſitum per ſuas regiones, aut operariis & artificibus gentilium laborem in ſua terra prius non concedebant, quam communibus illis generis humani legibus ſemet obſtrinxiſſent: ut Idem refert *in Hilc.* ע"כום, ſeu *de idolatria cap. X. §.* 7. Addit b. DANZIVS *diſſert. in Matth. XXIII,* 15. *cap.* 2. in MEVSCHENII *N. T. ex Talmude illuſtrato p.* 668. *Ita, quod mireris, tam præciſe Proſelytos illis adſtringebant, ut, ſi aliis legis præceptis operam dediſſe deprehenſi fuerint, mortis reos illos pronunciarint. Hinc ſummo jure comedebant morticinia, extra templum ſuper quodvis altare erectum offerebant ſacrificia, & iſtiusmodi peragebant alia; quæ tamen proſelytis juſtitiæ non minus, quam Judæis erant prohibita. Contra vero, ſi Noachidarum illa præcepta tantum obſervaverunt, aſſignabant illis ſortem in futuro ſeculo; modo non, quia dictamen ſanæ rationis ſervanda eſſe, ſed Deus in lege dictitat, id fecerint. - Hujusmodi ergo demum e gentilibus in terra ſua tolerabant. Alias autem nemini in Judæorum ditione pernoctare, multo minus habitare, erat conceſſum.* Id quod tamen de felicioribus ſolum temporibus accipiendum eſſe, recte monet PAVL. SLEVOGTVS *Diſſert. de Proſelytis Judæor. §.* 41. *p.* 994. florente Republica Judæorum. Alia enim tempeſtate, qua res Judaicæ nondum ſatis confirmatæ, vel acciſæ denuo eſſent, & ad interitum vergerent, multi ex Gentilibus id ſibi ſumſerunt, ut vel ſedem in Judæa ſibi figerent, vel negotiorum ſaltem cauſa ibi commorarentur, nullo his præceptis obſequio addicto: quod facti erat, non juris. ג. Receptionem. In præſentia trium teſtium, talis renunciabat idololatriæ, præceptis-

ceptisque se obligabat Noachidarum, qui, ubi in quæstionem vocaretur proselytismus ejus, suo ipsi suffragio fidem conciliarent: ut est *in Hilc.* מלכים *cap. VIII.* §. 10. Atque sic quidem ab aliis sese gentibus segregabat, ut in ethnicorum numero non haberetur amplius, sed intermedio velut ordine, מחסידי אומות העולם *tanquam e sanctis hujus seculi* unus censeretur: ut Idem habet *in Hilc. Issure Bia cap. XIV.* §. 7. Verum necesse est, ut recipiat præcepta & faciat ideo, quia præcepit illa Deus S. B. in lege, & significavit per Mosen, quod filiis Noæ antiquitus ista sint injuncta. Sin vero ista tantum faciat מפני הכרע הדעת *ex inclinatione propriæ opinionis*, ille non est Proselytus domicilii, nec est ex piis gentium, aut de numero sapientum earum, juxta *Hilc. Mel. cit. cap.* §. 11. ד. Jura & privilegia. Tales בני נח *Noachidæ*, uti MAIMONIDI appellantur, consequebantur Jus fœderis politici, quale Israelitarum cum Gibeonitis Jos. IX, 15. ad sacrum autem fœdus, quod Israelitis intercedebat cum Deo, non admittebantur: quod SLEVOGTVS contra IOH. TARNOVIVM *in cit. Disp.* §. 42. *sq. p.* 905. solide evincit. Quin & diserte *cit. loc.* addit MAIMONIDES, ויש לו חלק לעולם הבא *habent partem in futuro seculo.* Quod non omni tamen caruit controversia. Vt enim ad h. l. MAIMON. in כסף משנה annotat, in diversas circa hanc quæstionem sententias abierunt R. ELIESER & R. IEHOSCHUAH, illo partem in futuro seculo eis denegante, hoc asserente, ופסק כרבי יהושע *& decisio est secundum R. Jehoschuam.*

Ad §. V. pag. 6.

(11) *Ex his erat*] Addit Auctor quoque ה. Exempla. De Naamane Syro, ex 2 Reg. V, 17. liquido constat, ejurata idololatria, verum unius Dei Israelis cultum in se suscepisse. De Eunucho & Cornelio paullo ante diximus *Annot.* (3) *huj. Cap.* ubi de Hellenistis, *no.* 5. Eunuchum quidem REIZIVS *in Not. ad Auctor. h. l.* proselytum justitiæ censet, quod ascenderet Hierosolymam, tam longum emensus iter, ut ibidem adoraret; & legeret præterea Esaiam. SAM. BASNAGIVS *in Exercitat. adversus Baron. ad A. XXXV. num.* 29. ubi copiose de illo Candaces Dynasta, *p.* 123. ita pronunciat: *Nec gentium fuisse primitias, cum* EVSEBIO, NICEPHORO*que; nec Judaicæ disciplinæ tenacem, cum* BARONIO, *aliisque innumeris, censemus. Viri pii nomine dignum, Corneliique similem existimamus: hoc est, omissa circumcisione veri Dei imbutum notitia. Nec a* MALDONATO, SALMERONE*que, auctoribus magni inter Jesuitas nominis, Proselytis ille insertus est. Sane consideranti nil apparet, quod Proselytum redoleat in Eunucho:* quæ fusius ibidem persequitur. At Proselytum facit GROTIVS *ad Act. VIII,* 27. quin & proselytum justitiæ, magnus CALOVIVS noster *Bibl. Illustr. ad h. l.* qui erudite observat, eum non simpliciter adoratum venisse, sed ut sacrificia offerret. *Ideo* προσκύνησις *de adoratione cum sacrificio conjuncta, intelligenda, ut Joh. IV,* 24. *vel de adoratione solemni, quæ in festo fiebat:* in quo Viri summi judicio acquiescimus. De Cornelio Cæsareensi, IOH. FRIDER. GRONOVIVS *Not. ad H. Grotii Jus B. & P. Lib. I. cap. I.* §. *XVI. n.* 3. *p.* 19. ita commentatur: *si non præputio, animo certe judaizabat. Quomodo enim poterat esse religiosus, & perpetuo in veneratione veri Dei, si verum Deum non norat? ut norat tum nemo Gentilium, nisi a Judæis edoctus. A publica professione videtur abstinuisse, metu amittendæ militiæ: neque enim poterat manere civis Romanus, & miles honoratus præsertim, si palam Judaismum professus esset: ut hodie sub dominatione & jugo Tridentino multi sunt, qui stant animo nobiscum: sed tamen metu amittendarum fortunarum non id præ se ferunt, & manent, ubi sunt. Hæc videtur & in Cornelio fuisse infirmitas: qui persuasum habebat, penes Judæos esse fœdus, & verum Deum coli, & colebat religione privata: non tamen in legem illorum transibat. At id tum etiam non erat necesse, quia jam venerat Christus, & legi satisfecerat. Huic igitur infirmitati & erranti conscientiæ occurrens Deus, misit ei Petrum*

trum Apostolum. Hunc vero Vener. FECHTIVS, disputatione singulari *de pietate Cornelii Centurionis*, Rostochii A. 1701. evulgata, proselytum domicilii fuisse, argumentis evincit, qui Sacra Judæorum cognita habuerit & magni fecerit, inde vero, tum ex lectione Sacrarum literarum, tum ex fama de prædicatione Johannis & ipsius Christi, necessariis Christianæ religionis mysteriis ita fuerit imbutus, ut nihil ipsi defuerit, *nisi ut Redemtorem suum etiam in persona agnosceret & veneraretur*, §. 23. Ceterum de Cornelio isto, ejusque cum dignitate & officio, tum ad fidem vocatione, multis egit BASNAGIVS *Exercit. adv. Baron. ad A. XLI. num.* 3. *p.* 336. *sqq.* Denique, quod ad ἄνδρας εὐλαβεῖς, *viros pios ex omni gente sub cœlo*, Act. II, 5. memoratos, & Auctori nostro huc pariter relatos attinet, quandam præ se fert speciem SELDENI sententia, ejusdem fuisse, cum proselytis domicilii, professionis ac fidei, hoc saltem intercedente discrimine, quod Proselytus publica auctoritate receptus, hic non tam receptus, quam admissus solum, aut potius toleratus esset. Ex quo enim mos ille, in præsentia trium testium, recipiendi proselytos domicilii apud Judæos obsolevit; non propterea statim religiosiores Gentilium se Judæis associarunt amplius, sed si se eis jungerent, & vitam agerent Noachideis præceptis convenientem, recepti quidem veteri ritu non sunt, tolerati tamen, & eo loco habiti, quo olim illi, qui solenniter recipiebantur. Hinc εὐλαβεῖς, h. e. מחסידי אומות עולם *religiosi ex gentibus* dicebantur. Ita SELDENVS: & res ipsa bene habet. Quod ut eo constet liquidius, audire juvabit ex MAIMONIDE, quinam sint religiosi ex gentibus. Ille enim in *Jad Chas. Tr. de Regibus & rebus eorum bellicis cap. VIII. §. XI.* ita definit: כל המקבל שבע מצוות וגזהר לעשותן הרי זה מחסידי אומות העולם ויש לו חלק לעולם הבא והוא שיקבל אותן ויעשה אותן מפני שצוה בהן הקדוש ברוך הוא בתורה והודיענו על ידי משה רבנו שבני נח מקודם נצטוו בהן׃ אבל אם עשאן מפני הכרע הדעת אין זה גר תושב ואינו מחסידי אומות העולם ולא מחכמיהם׃ *Quicunque in se suscepit septem præcepta* Noachidarum, *& in iis observandis cautus est, ecce ille est ex piis e gentibus mundi, & portionem habet in seculo futuro; si modo ille suscipiat ea & observet, quia præceperat ea Sanctus Benedictus, lege lata: nobis enim notum fecit per manum Mosis magistri nostri, quod filii Noæ ab antiquo ea observare mandati fuissent: sed si observet ea* tantum *ex arbitrio animi sui, non est proselytus domicilii, nec ex piis e gentibus terræ, nec de numero sapientum earum.* Paulo tamen curatius & attentius si Textum ex Actis citatum adspiciamus, vereor ut hanc interpretationem admittat. Isti enim εὐλαβεῖς, diserte ἄνδρες Ἰουδαῖοι dicuntur, qui in Actis Apost. cum Hellenistis & Græcis, tum Proselytis ita opponuntur, ut infra *comm.* 10. diserte distinguantur. Sed & hoc encomium Judæorum erat, unde Simeon, ortu & gente omnino Judæus δίκαιος καὶ εὐλαβὴς Luc. II, 25. salutatur. Pronius itaque est, ut credamus, hos viros gente quidem Judæos, verum non Palæstinam, sed dissitas longe alias regiones & provincias natale agnoscentes solum, cultus tamen & religionis causa, Hierosolymas se contulisse, ibidemque rerum suarum sedem fixisse. Quod utrumque a Luca indicatur, fuisse & ex omni terra sub sole, & κατοικοῦντας ἐν ἱεροσολύμοις, omnes tamen ἄνδρας Ἰουδαίους, quorum qui, sermone Petri conversi, baptismum posthæc recipiebant, Petrum ac Apostolos ἄνδρας ἀδελφοὺς vers. 37. diserte appellant. Quod autem Scholia Græca *in N. T.* IOH. GREGORII *h. l.* ex OECVMENIO contendunt, festi solum diei gratia Hierosolymis tunc egisse, ut comparerent coram Domino, id manifeste Lucæ refragatur verbis, quæ domicilium in Vrbe habuisse ipsos testantur. Sic exemplum huc plane non quadrat, & ἀπροσδιονύσως allegatur.

Ad §. VI. pag. 6.

(12) *Ad Proselytum fœderis initiandum*] Pergit Auctor ad *Proselytos fœderis*, quos & *justitiæ* dicunt, eorumque observat א. Præparationem,

nem, quæ pro diſcrimine perſonarum quoque diverſa eſt. *Vel* enim, qui Judaiſmum ambiunt, adulti ſunt atque ſpontanei, *vel* parvuli, *vel* fœminæ. Qui ſponte ſua nomen profitentur, & תחת כנפי שכינה *ſub alis divinæ majeſtatis* locum nanciſci petunt, modo haud uno præparantur. *Primo* in vitam moresque hominis ſollicite inquirunt, nec, niſi integrum vitæ, ſceleriſque purum, recipiunt. Accedit ſcrutinium cauſarum, propter quas Judæis aſſociari cupiat. Ita MAIMONID. *in Hilc. Iſſure Bia cap. XIII.* §. 14. *Simul atque venerit quis, qui Judaiſmum amplecti velit, ſeu mas ſit, ſeu fœmina, inquiſitione inſtituta perveſtigant, qua de cauſa hoc faciat? num forte divitias inde ſperet? vel hanc putet eſſe viam perveniendi ad dignitates? vel an faciat ex metu? Et ſi vir eſt, inquirunt, an amore captus ſit puellæ Iſraelitidis? ſi fœmina, idem faciunt & quærunt, an amore flagret juvenis alicujus ex Iſraelitis?* Nec fruſtra id agunt, quia כל החוזר מן הכותים בשביל דבר מהבלי העולם אינו מגרי הצרק *quicunque ſe a Gentiliſmo convertit ad Judaiſmum, & hoc facit propter aliquam hujus mundi vanitatem, is Proſelytus juſtitiæ eſſe nequit,* juxta §. 15. Dignus quippe qui repellatur, qui religionis prætextu aut ſubſidio, temporalia commoda quærit. *Porro,* ut animum ejus penitus explorent, ponunt ei ob oculos כובד עול התורה *gravitatem jugi legalis,* & exaggerant laborem præcepta legis ſervantibus perferendum, qui longe major ſit, quam ſuſtinent alii populi terræ, qui tam duris legibus non ſint devincti. Si nihilo ſecius talis & hoc acceptet, nec recedat, tum demum intelligunt, quod amore religionis ſe convertat, eumque recipiunt: quia dictum eſt Ruth I, 18. *Videns, quod obfirmato eſſet animo, ut pergeret ſecum, deſtitit loqui ad eam.* Sed adhuc inſtant, & *tertio* dubium de gentis ſuæ calamitatibus movent: *Quid quæſo vidiſti, propter quod Proſelytiſmum ambias? An ignoras, in quanto mœrore Iſrael hoc tempore ſit? Quomodo impellatur, diſſipetur, diripiatur, & quantas patiatur caſtigationes? Si novi, dicit, confeſtim recipiunt.* cit. loc. *cap. XIV.* §. 1. Atque tum demum *quarto* docent eum articulos fidei fundamentales, שהיא ייחור השם ואיסור ע"כום *ſcilicet de unitate Dei, & de cavenda idololatria* §. 2. legisque aliqua cum levia, tum gravia præcepta, adjuncta ſtatim & transgreſſorum pœna, & mercede obedientiæ, §. 2. 3. *Denique* ſcrupulos ei evellunt, ex Judæorum calamitatibus orituros, ex *Maſſecheth Jevammoth cap. IV.* §. 4. & 5. dicentes: *Hoc ſcias, quod ſeculum futurum non reconditur, niſi juſtis, qui ſunt Iſraelitæ, & hoc, quod vides Iſraelitas in his terris afflictos, ut non multo bono in hac vita perfruantur, quemadmodum alii populi, id in felicitatis parte ponendum eſt. Fortaſſe extollerent cor ſuum & errarent, & ita perderent mercedem ſeculi futuri. Sicut hoc a Moſe dictum eſt Devter. XXXII, 15. & impinguatus eſt Iſrael, & recalcitravit. Non tamen S. B. ille nimis multam ſuper ipſos pœnam mittit, ne penitus intereant.* Hanc inſtitutionem ſi placide admittat Candidatus, & petito ſuo inhæreat, excipit ב. Initiatio, quam æque ac Auctor noſter ex MOSE KOTSENSI docet MAIMONIDES, quoque in *Hilc. Iſſure Bia cap. XIII.* §. 1. *ſqq.* Triplici ritu peragi contendit, quo ſcilicet Iſraelitæ in fœdus Dei recepti ſunt: בשלשה דברים נכנסו ישראל לברית במילה וטבילה ובקרבן *Tribus rebus intrarunt in fœdus Iſraelitæ: circumciſione, baptiſmo, & oblatione. Circumciſionis uſus erat in Aegypto, juxta Exod. XII, 48: Nemo incircumciſus de eo comedet. Circumcidit eos omnes Moſes magiſter noſter: nam neglexerant univerſi fœdus circumciſionis in Aegypto, excepta tribu Levi, de qua dicitur Devter. XXXIII, 6. & obſervabant fœdus tuum. Baptiſmus autem erat in deſerto ante legis dationem, de quo dicitur Exod. XIX, 10. Sanctificabis eos hodie & cras, & lavent veſtimenta ſua. Sacrificium denique huc ex Exod. XXIV, 5. ſpectat: & miſit* (Moſes) *juvenes de filiis Iſrael, qui obtulerunt holocauſta pro univerſo ſcilicet Iſraelitarum cœtu offerebant illa. Atque ſimili modo per omnia poſtmodum ſecula, quoties Gentilis voluerit intrare in fœdus illud, atque ſub alis majeſtatis divinæ colligi, jugumque legis in ſe ſuſcipere,* צריך מילה קרבן

קרבן, וטבילה והרצאת *necesse fuit, ut ei adhiberetur circumcisio, & baptismus, & sparsio sanguinis sacrificii.* Circumcisionem in adulto, primo loco, & eodem, quo in puerulis, peragunt modo. Sin Candidatus ex gentibus fuerit circumcisis, quales olim Aegyptios, Colchos & Aethiopes fuisse, HERODOTVS testatur *in Euterpe*, denuo quidem circumcidi non potest, adspergendus tamen sanguine Foederis est, per pelliculæ sauciationem, ut aliquot sanguinis guttæ destillent, ut MAIMONIDES hunc casum definit *in Hilc.* מילה *cap. I. §. 7.* צריך להטיף ממנו דם ברית ביום שנתגייר *necesse est, ut eliciatur ex eo sanguis Fœderis, eo die, quo ad Judaismum cooptatur.* Circumcisioni necessario quidem, sed non e vestigio, verum postquam vulnus ex circumcisione inflictum coiit, jungendus est Baptismus: ut in *Hilc. Issure Bia cap. XIV. §. 15.* caute monet MAIMONIDES. Et de baptismi quidem hujus origine, prolixe & erudite SELDENVS disputat *lib. I. de Synedriis cap. 3.* & quo jure verba Exod. XIX, 10. quæ de vestium lotione præcipiunt, ad corporis totius ablutionem trahantur, demonstrat. Ejusdem porro necessitatem multis in hanc rem allatis testimoniis comprobavit EDZARD. *ad Avoda Sara cap. I. p. 192. sq.* æque ac ante eum laudatus modo SELDENVS, qui ex Gemara *Sapientes pronunciasse* affirmat /טבל ולאמל/ מל ולא טבל, אין גר עד שימול ויטבול *si quis baptizatus fuerit nec circumcisus, aut circumcisus, nec baptizatus, eum Proselytum non esse, usque dum fuerit tam baptizatus, quam circumcisus:* quod iisdem fere verbis quoque inculcat MAIMONID. *c. l. cap. XIII. §. 5.* Porro, in trium testium, qui Synedrii essent Assessores, præsentia baptizatur Proselytus, qui stant a tergo ejus, eumque monent altera vice cum de præceptis levibus, tum de gravibus, quoad in aquis adhuc stat. Si vero Fœmina fuerit, eam quoque fœminæ in aqua collocant usque ad collum suum, & de foris consistentes, dum ipsa adhuc in aqua sedet, docent ipsam nonnulla de præceptis levibus & gravibus. Si baptizata est in eorum conspectu, convertunt facies suas, & egrediuntur ita, ut non videant eam, ex aqua ascendentem, ut denuo MAIMONIDES *cit. loc.* habet, *cap. XIV. §. 6.* Peragebatur itaque baptismus ille, immersione sub aquas totius, collum tenus, corporis, qua hodiernæ quoque Judæorum absolvuntur lustrationes. Denique de sacrificio Idem *cit. loc. c. XIII. n.* 4. monet, Korban initiationis olim fuisse holocaustum jumenti, vel duorum turturum, vel duorum pullorum columbæ, & par alterutrius est unum holocaustum: ובזמן הזה שאין שם קרבן צריך מילה טבילה וכשיבנה בית המקדש יביא קרבן *sed quoniam hoc tempore* (ob destructum Templum, & defectum loci competentis) *sacrificio nullus est locus, necessaria tantummodo sunt Circumcisio & Baptismus.* Attamen hac lege, *ut quamprimum restauretur domus sanctuarii, sacrificium pariter offerat.* Necesse itaque est, ut se oblaturum spondeat Korban, templo restaurato. Ad Fœminæ initiationem Baptismus sufficiebat & Corban, cum in illa circumcisio locum non haberet; gravidæ quoque, rite baptizatæ proli, baptismo opus non erat. Pari modo, pro sexus diversitate, initiabantur pueri atque puellæ: quo etiam legem illam Mosaicam Devter. XXI, 11. sqq. de captiva gentili trahunt, ut ducenda non fuerit, nisi proselyta facta, & baptizata. Licet enim illa capientis esset, & captori integrum, ad libidinem eadem abuti, tenebatur tamen, compressam legitimo sibi matrimonio prius jungere, quam ad alterum pergeret concubitum. Vxorem autem ducere non poterat, nisi ea, ejurata Gentili idololatria, Judaicam religionem sponte fuerit amplexa. Quin, ne proselytam domicilii quidem ad conjugium admittunt, sed oportet, ut si Israelitæ nubere velit, totius legis jugum subeat, & solenni initiatione proselyta justitiæ fiat. Sin id recusaverit, & marito carere, quam proselyta fieri malit, prius licet compressa a suo captore, ita mulctant eam, ut partim nuptiis privent, partim cura sobolis educandæ, si quam ex primo congressu conceperit, onerent. Si vero nec proselyta domicilii fieri, & septem Noachidarum

præcepta

præcepta suscipere voluerit, capitis eam supplicio afficiunt. Quæ omnia fuse persequitur MAIMONIDES *in Hilc. Melachim cap. VIII.* §. 2. *sqq.* Addimus

3. Consequens & Fructum hujus initiationis. SELDENVS *de Jure Nat. & Gent. lib. II. cap.* 4. quinque enumerat effectus, quibus proselyti justitiæ sint gavisi: Judæi nominis acquisitionem; regenerationem; juris Judaici, seu prærogativæ Israeliticæ participationem; originis atque peregrinitatis, velut characteris perpetui ac indelebilis retentionem; & conditionem posterorum. α) Initiatus enim הרי הוא כישראל לכל דבריו *ecce, is per omnia ut Israelita habetur:* Cod. *Jevammoth fol.* 47. *b.* Hinc & nomine censetur Judaico. Vnde Idumæos, postquam in ritus Judæorum transierant, Judæos fuisse, diserte affirmat IOSEPHVS *Antiqu. lib. XIII. c.* 17. Pariter, quando mira rerum Judaicarum conversione facta in Persia, multi Gentilium Judaismum amplectebantur Esth. VIII, 17. vocem מתיהדים R. SALOM. IARCHI interpretatur מתגיירים *Proselyti fiebant*, quia Proselyti, Judæi quoque audiebant. β) Regeneratus quoque habebatur Proselytus. Vnde tritum Magistrorum effatum: גר שנתגייר כקטן שנולד דמי *proselytus, qui ad Judaismum transiit, est sicut infans, qui recens nascitur,* juxta Cod. *Jevamm. fol.* 22. *a.* & *fol.* 48. *b.* MAIMONID. *Hilc. Issure Bia cap. XIV.* §. 11. Omnis enim pristina deletur cognatio & sanguinis relatio, ut nec fratrem, sororem, patrem, matrem, liberos ante genitos, omnino in suis haberet. Quin si pater, mater, filius, frater, simul fierent proselyti, nulla prorsus restaret cognatio. Velut enim jam primo creatus, aut e cœlo lapsus, omnino novus homo fiebat, consanguinitate pristina non minus, ac gentilismo prorsus exutus. Quod inaudierat CORNEL. TACITVS, qui de Judæorum Proselytis *lib. V. Histor. cap.* 5. tradit: *nec quicquam prius imbuuntur, quam contemnere Deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Ideo nec lugebant ereptos morte propinquos Proselyti, quod ex MAIMONIDE, docet GEIER. *de luctu Hebræor. cap. III.* §. 3. & expirabat, quicquid inter ipsos intercesserat juris, v. g. 1) Hæreditatis; ut si Proselytus prius decedat, quam liberos in Judaismo gignat, obeat absque hærede. Liberi enim ante conversionem suscepti, ipsum plane nihil attingunt, adeoque hæreditas vel cedit occupanti, vel si liberos in Proselytismo genuerit, illi solum succedunt in bona, & quem primum suscepit conversus, is primogenituræ jus obtinet, & accipit duplum. De qua Proselytorum successione ac hæredibus laudatus SELDENVS ex instituto egit *lib. de success. in bona def. cap. XXVI. toto.* 2) Leviratonis; ut Proselytus ex præcepto Deut. XXV, 5. non amplius teneatur, defuncto fratri, quantumvis & ille ad Judaismum se contulerit, semen excitare, juxta Gemaram Babylon. *ad Tit. Jevammoth cap. XI. fol.* 97. *b.* 3) Matrimoniorum intra prohibitos gradus; ut si filius matrem, frater sororem, post susceptum utriusque Proselytismum ducat, incestus non sit, nec cum lege Levit. XVIII, 7. sqq. pugnet. Id tamen ne de facto contingat, caverunt Magistri, ut MAIMONID. *Hilc. Issure Bia cap. XIV.* §. 12. addit: אבל חכמים אסרו דבר זה *sed sapientes, ne id fieret, probibuerunt.* Porro γ) Participatio juris Judaici, sive prærogativæ Israeliticæ, proselytis justitiæ in lege divina assignatur Num. XV, 15. coll. Lev. XIX, 33. ככם כגר *sicut vobis, ita Proselyto,* ita ut nullum inter hunc & originarium Judæum intercedat discrimen. Competit ergo illi jus civitatis, utendi fruendi omnibus commodis, privilegiis, ac libertatibus, quæ civibus politiæ Judaicæ, ratione civilis societatis competunt. Nec obstat, quod magnus obvertit SELDENVS *de Jur. Natur. & Gent. cit. loco*, quod judicii & Magistratus expertes essent Proselyti. Cum enim communio suffragii & magistratus, non sit de ratione civis, quin etiam certis legibus & conditionibus, potestas adeundi senatoriam dignitatem Proselyto competeret, si scilicet matre natus sit Israelitica, cives utique fuisse reipublicæ Judaicæ contra SELDENVM erudite contendit SLEVOGTVS *cit. Disput.* §. 32. *p.* 895. *sq.* Istud saltem excipiunt

piunt *ἀυχημὰ* Judæi, ne Proſelytis, ſive *Regis*, ſive שר צבא *ſupremi Imperatoris*, ſive נשיא *Præſidis Synedrii* defungi officio liceret. Attamen δ) Peregrinitatis, ſeu originis ab Abrahamo diverſæ, velut characterem perpetuum ac indelebilem retinebant, ut licet in קהל ישראל *cœtum Iſraelitarum* recepti eſſent, nomen tamen גר *Proſelyti* ſeu *advenæ*, ſemper retinerent. Quo ſpectant, quæ *ad* §. *I. not.* (2) *huj. Cap.* de voce בגבב annotavimus. Vnde diſtinctio quoque inter קהל ישראל & קהל גרים *eccleſiam Iſraelitarum* & *eccleſiam Proſelytorum* enata, ut Judæos ex Judæis, & Judæos ex peregrinis, diſcernerent. Demum ε) Conditio poſterorum ea erat, ut quotquot ex parentibus utrisque proſelytis prodiiſſent, eadem cum parentibus perpetuo conditione eſſent, nec magis aut aliter cives cenſerentur Iſraelitici, quam qui primo fuerant initiati, eorum majores; quæ a SELDENO, laudato loco, copioſe vide declarata. Sed &

ד. ad Jura & privilegia Proſelytorum paucis eſt attendendum. Vbi α. de jure civitatis hic repetenda ſunt, quæ paulo ante monuimus. Accedit β. jus ſacrorum, non communium ſolum cum ceteris piorum Gentilium, ſed Judæis ſolis licitorum, qualia comeſtio agni paſchalis, oblatio ſacrificiorum pacificorum & expiatoriorum &c. eodem cum ceteris Judæis ritu, quod ex Exod. XII, 48, 49. & Num. XV, 14, 15. liquet. Quo etiam annuam dimidii ſicli penſitationem referunt, apud MAIMON. *in Hilc.* שקלים *cap. I.* §. 7. γ. Jus connubiorum, quibus Proſelyti promiſcue jungebantur Iſraelitis, excepto Sacerdote, & cumprimis Pontifice Summo, cui vel maxime Lev. XXI, 14. injunctum legitur, *ut virginem e populis ſuis ducat uxorem.* Sacerdoti ergo integrum non erat, ut proſelytam duceret, vel proſelyti filiam; Proſelytus tamen, quo minus ſacerdotis filiam ſibi jungeret uxorem, nihil prohibebat. Sed plures ſunt Magiſtrorum circa Proſelytorum connubia tricæ, quas ſolicite expedivit SELDENVS *de Jure N. & Gent. lib. V. cap.* 14. dignus, qui hic evolvatur.

Ad §. VII. pag. 7.

(13) *Ritum iſtum ablutionis diu multumque inter Judæos ad initiationem præſtandam viguiſſe* &c.] Tangit hic Auctor noſter celebrem & vexatam hodie quæſtionem de Baptiſmo: *An baptiſmus Johannis & Apoſtolorum, adeoque & noſter, idem ſit cum baptiſmo initiationis Judaico, eidemque primam ſui originem debeat, formula ſaltem peculiari amplificatus & auctus, denique Divina & Sacramentali virtute, efficaciaque armatus?* Morem baptizandi utriusque ſexus Proſelytos, dudum ante Johannem præcurſorem Servatoris, ipſiusque adeo Chriſti nativitatem, inter Judæos viguiſſe, magni nominis Philologi & antiquitatum ſcrutatores perhibuerunt, IOH. SELDENVS *Jur. N. & G. juxta diſcipl. Hebr. Lib. II. cap. II.* LIGHTFOOTVS *in Horis Hebr. ad Matth. III, 6.* IOH. HENR. HOTTINGERVS *in Theologia Judaica cap. XXIX.* FRANC. BVRMANNVS *Synopſ. Theol. Tom. II. lib. VII. cap. VI.* §. 3. *ſqq.* BRAVNIVS *in Oeconom. Fœder. Vol. II. Parte IV. cap. XXI.* §. 2. IOH. BENED. CARPZOVIVS *in Notis ad Schickardi Jus Reg. cap. V. Theor.* 17. *p.* 328. *ſqq.* Vt HVG. GROTIVM, IOH. BVXTORFIVM, IOH. LEVSDENIVM, HENR. HAMMONDVM, multosque alios taceamus, qui obiter, & *ὡς ἐν παρόδῳ*, ſuum eidem ſententiæ calculum adjecerunt. Hinc ulterius progreſſi alii, baptiſmum Johannis & Chriſtianum ex hoc Judaico initiationis ritu promanaſſe, & additis ſanctioribus inſtitutis, Sacramentali uſu, ac ſublimiori longe fructu, in Eccleſiam Chriſtianam tranſiiſſe cenſuerunt, poſt LIGHTFOOTVM *Tom. II. Opp. p.* 265. *ſqq.* SELDENVM *de ſucceſſione in bona defunctorum cap. XXVI. p.* 91 *ſqq.* MELCHIOR. LEYDEKKERVM *de Republ. Hebræor. lib. VI. cap. 6. p.* 364. IAC. ALTINGIVM *Heptade VII. diſſert. VII. Tom. V. Opp. p.* 228. & plurimos ex laudatis doctoribus, RVARDVS ANDALA *in Summa Theol. p.* 612. BARTHOLD. HOLZFVSIVS *in Diſputat. de baptiſmo Judaico Chriſtiano*, STEPHANVS GAVSSENVS *Diſſertation. Theolog. p.* 52. ed. anni 1678.

1678. Celeberr. CONRAD. IKENIVS *Antiquit. Hebraic. P. I. cap. XXII.* §. 16, 18. *p.* 346. *sq.* & Reformatorum recentiorum pars maxima, quibus cumprimis hæc ſententia arridet. E Noſtris tamen in eandem pariter conceſſerunt GEORG. ELIEZER EDZARDVS *ad Avoda Sara cap. I. p.* 191. *ſqq.* IOH. FRANCISC. BVDDEVS *Inſtitution. Theol. dogmaticæ lib. V. c. I.* §. 2. *p.* 1436. *ſq.* ubi inſigne quidem inter utriusque gentis luſtrationem admittit diſcrimen, ut tamen Chriſtianum ex Judaico ortum traxiſſe baptiſmum contendat; & forte alii. Tandem ex inſtituto hæc quæſtio diſceptata fuit inter graviſſimos Theologos, GOTTLIEB WERNSDORFIVM, Wittebergenſem, & IO. ANDREAM DANZIVM, Jenenſem. Poſtquam enim ille A. 1708. *in controverſiis de baptiſmo recentioribus* §. 18. *ſqq.* baptiſmum Chriſtianorum, initiationi Proſelytorum originem ſuam non debere, ſolide evicerat, Celeberrimus Jenenſis cum in diſſertat. *de baptiſmo proſelytorum Judaico, ad Matth. III, 5, 6.* tum vel maxime *in antiquitate baptiſmi initiationis Iſraelitarum vindicata,* (quarum prior in MEVSCHENII *N. Teſt. ex Talmude illuſtrato p.* 233. *ſqq.* poſterior *p.* 287. *ſqq.* legitur) oppoſitam ſententiam ampliſſimo cum doctrinæ apparatu, contra WERNSDORFIVM adſtruere allaboravit. Qui tamen modeſte non minus, quam ſolide ac erudite eum excepit A. 1710. diſputatione *de baptiſmi Chriſtianorum origine mere divina*, qua non modo ante Johannem & Chriſtum, Proſelytorum baptiſmum in uſu fuiſſe omnino negat, verum etiam *p.* 39. *ſq.* graviter demonſtrat, Judæos hunc Proſelytos abluendi morem, poſt everſam demum urbem & rempublicam, ex κακοζηλία adoptaſſe, & ex Chriſti ſchola ſurripuiſſe. Dudum iſta ſe probaverat ſententia Theologo Anglo, IOHANNI OWENO, qui *in Theologumenis lib. V. digreſſ. IV.* §. 19. *ſqq. p.* 426. contra SELDENVM diſputans, eam §. 22. *p.* 427. tuetur. Ceterum Vir doctiſſimus, & in Judæorum monumentis apprime verſatus, GVSTAV. GEORG. ZELTNERVS, inter clariſſimos diſſentientes arbitrari inſtituit, edito A. 1711. *de initiis baptiſmi initiationis Judæorum,* ſchediaſmate, quo ortum baptiſmi Proſelytorum pariter recentiorem, & ad imitationem Chriſtiani baptiſmi excogitatum ſtatuit, ita tamen, ut *p.* 37. cenſeat, a Johannis baptiſmo & officio, in Synagogam paulatim cooptato, inter ceremonias Judæorum, Meſſiæ adventui inhiantium, Proſelytorum baptiſmum initia ſumſiſſe, ab interpoſito, a Johannis Baptiſtæ miniſterio, usque ad reipublicæ Judaicæ everſionem, tempore ducenda. Obtinuit quoque argumentorum pondere ſummus WERNSDORFIVS, ut noſtratium, qui puriorem amant doctrinam, plurimi in easdem concederent partes, e quibus nunc nominaſſe ſufficiat vener. IOH. FECHTIVM in *Collegio in Syllogen Controverſiar. diſp. XXXVII.* §. 1. *p.* 412. *ſqq.* IOH. WINCKLERVM *im gründlichen Beweiſs der Kindertauffe cap.* 1. §. 9. Clariſſ. Auctores *Collectionis Vett. & Novor. A.* 1727. *p.* 1295. *ſqq.* Eandem denique ſententiam, ſed diſpari mente ac fine, tuentur Mennonitæ, e quibus recentiſſime HERMANNVS SCHYN *in Hiſtoria Mennonitarum Cap. II. toto p.* 14. *ſqq.* & *in Addendis p.* 319. *ſqq.* eam prolixe perorat, inter cetera tamen *p.* 14. non diſſimulans, eo ſe ſuosque conſilio ita diſputare, ut pædobaptiſmi aſſertoribus argumentum ſententiæ ſuæ eripiant, ad quod LIGHTFOOTVS cumprimis & VITRINGA ſe in hac cauſa receperint. Sed male conſultum eſſet baptiſmo infantum, ſi non alio niteretur Achille.

Noſtrarum nunc partium eſt, utriusque ſententiæ momenta paucis repetere, initio ab iis petito, qui baptiſmum Judæos a Chriſtianis mutuo petiiſſe, contendunt. Vrgent hi cumprimis *α)* pertinax Scripturæ utriusque Fœderis ſilentium. Quæ enim allegat DANZIVS Veteris Inſtrumenti oracula, nec non Pauli teſtimonium 1 Cor. X, 2. ita diluit WERNSDORFIVS, *cap. II. p.* 22. *ſqq.* nihil ut præſidii in iis ſuperſit ſententiæ illius Patronis. Quod celeberr. agnoſcit ZELTNERVS, & qui candide, & absque partium ſtudio, dicta illa expendunt. Accedit porro *β)* conſtans vetuſtiorum Judaicorum monumen-

mentorum silentium, quo Proselytorum baptismum sicco prætereunt pede. Nullum ejus vestigium in IONATHANIS, vel ONKELOSI paraphrasibus, nihil in IOSEPHO, vel PHILONE deprehenditur, quod liquido hunc ritum confirmaret, nihil in *Sohar*, aliisque id genus Commentariis antiquis & ævo Apostolico proximis, quos omnes ritum adeo solennem & necessarium tacuisse, cum in minoris ponderis ceremoniis describendis nimium quantum fuerint curiosi, mirum omnino esset, si illorum jam tempore in Synagoga innotuisset, vel etiam insignem tulisset ætatem. Scite ac nervose hæc omnia complectitur IOH. OWENVS in *Theologumen. Lib. V. digress. IV.* §. 22. *p.* 427. ubi ex hoc silentio bene infert: *Ritus baptismatis in V. T. institutio nullibi memoratur, exemplum nullum extat; neque durante Ecclesia Judaica, in admissione Proselytorum unquam usurpatus est. Apud* PHILONEM, IOSEPHVM, IESVM SIRACIDEM *ejus mentio nulla occurrit: neque in historia Evangelica. Sententia ideo ista Rabbinica de baptizandis Proselytis, ortum suum Tanneræis seu Doctoribus Ante-Mishnicis, post urbis excidium, debet.* Tandemque subjicit: *Ex Johannis baptismo, qui tota in gente celebris erat, cuique initiata est magna pars populi, ritum hunc ante tempus illud incognitum, doctores Tanneræos mutuatos esse.* Vrgent γ) baptismi Johannis originem mere divinam, Joh. I, 33. Luc. III, 2. Matth. XXI, 25. Luc. VII, 30. qui humanis omnino deberetur auspiciis, si divino licet jussu, & paulum immutatus, e Synagoga in Ecclesiam fuisset adscitus. Provocant δ) ad oracula prophetica, quæ baptismum initiationis diserte ad Messiæ referunt adventum, Ps. XXIX, 10. Ezech. XXXVI, 25. Zach. XIII, 1. quæ frustra forent, si dudum ante in Ecclesia Judaica viguisset. Demum ε) opponunt baptismi in locum circumcisionis, nunc abolendæ ac eliminandæ ex Ecclesia, successionem Col. II, 17. quæ utrumque tanto temporis tractu combinatum fuisse ritum, non admittit. Vicissim, qui Proselytorum tuentur baptismum, in medium afferunt 1) Baptismum initiationis Judæorum, cui alter ille Proselytorum suos debeat natales, confirmatum Exod. XIX, 10. Ps. CXIV, 1, 2. Ezech. XVI, 9. XX, 12, 1 Cor. X, 2. 2) Loca Talmudica, & in his cumprimis testimonium in Cod. *Jevammoth fol.* 46. *a. b.* ubi R. ELIESERIS, filii Hircani, & R. IOSVAE fil. Chananiæ, qui non multo fuerint Johanne Baptista juniores, prolixa legitur de baptismo, tanquam ritu dudum inter suos recepto, disceptatio. 3) Testimonia ARRIANI *ad Epictetum lib. II. cap. IX. circa fin.* CORNELII TACITI *Histor. lib. V. cap.* 5. IOSEPHI de baptismo Essenorum disserentis *de bello Jud. lib. II. cap.* 12. 4) Odium ac horrorem Judæorum, quo sacra prosequuntur Christianorum, ut fidem omnem superet, quod religiosas ab iis petiisse ceremonias traduntur. *Gens invida, & divinis ad id obstricta legibus, ne alienigenarum æmuletur statuta; quæque ne in suppliciis quidem malefico infligendis, more gentibus recepto uti voluit; mortem potius subiisset, quam ut in re tanti momenti istorum reciperet symbolum, a quibus quam maxime se cupiebat distinctam*, inquit DANZIVS in *Antiqu. bapt. vindicata* §. 63. Rursusque §. 98. *non affectant convenientiam cum Christianis Judæi: separationem a Bileamo prædictam Num. XXIII, 9. & a Deo vice plus simplici ipsis injunctam, in sacris præcipue, religiose servantes.* 5) In baptismum Johannis, Synedrii inquisitionem, Joh. I, 25. *Senatus Judæorum in Johanne baptizante non examinat baptismi naturam, ceu aliquid novi; sed quod rem, quæ ad triumviratum pertinebat, aut Prophetam singulari Dei ductu vocatum, ipse auctoritate exerceret privata, Prophetæ titulum renuens: atque in illis, qui in majoribus jam fuerant baptizati: alium quoque baptismi finem intendat, quam a majoribus suis propositum*, Idem ait *c. l.* §. 85. Pariter Nicodemi cum Christo colloquium eo rapit, §. 87. inquiens: *Nicodemus ad injectam Regenerationis mentionem non obstupuit, tanquam ad rem antea inauditam; sed ad Regenerationem ex Spiritu Joh. III, 5. cum non aliam, nisi ex aqua & circumcisione hactenus cognoverat. Nisi nosse eam potuerit, & etiam debuerit:*

buerit; profecto tam severa in eum reprehensione non animadvertisset vers. 10. *Salvator; ceteroquin benignissimus.* Ad ista singula apte regessit WERNSDORFIVS, quæ retundendis iis sufficere arbitrabatur.

Denique celeberr. Jenensium Theologus, IOH. REINH. RVS, in *Harmon. Evangel. lib. I. cap. XV. p.* 327. *sqq.* post curate expositam controversiæ historiam, in ea acquiescit sententia, quod licet Proselytorum baptismus jam ante Johannem apud Judæos in usu fuerit, minus tamen commode dicatur Johannis baptismus ex Judaico illo traxisse originem, *quum Deus legatur misisse Johannem, ad baptizandos etiam, & vel maxime, Judæos, Joh. I,* 33. *& legatur prædicasse baptismum pœnitentiæ Marc. I,* 4. *ac omnes monuisse de hujus suscipiendi necessitate, qui vellent participes fieri beneficiorum, per Messiam partorum. Atque ita componi quodammodo posse, quæ hoc de argumento inter celeberr. viros,* DANZIVM *&* WERNSDORFIVM *fuerunt disputata.* Istam porro conjecturam, quæ Johannis & Christi baptismo Judaicum censet posteriorem, eumque ex κακοζηλία Judæorum e Christianorum sacris adoptatum, gravissimo existimat incommodo isto premi, quod exosum esset admodum Judæis Christianorum nomen, & cœtus valde contemptibilis, illique dispersi longe lateque, vix amplius in hanc ceremoniam adoptandam conspirare valuerint. Inde enim a captivitate Assyriaca & Babylonica, jam per varias regiones dispersi fuerant Judæi, ac pridem ante Johannis nativitatem jam incolebant omnium gentium sub cœlo regiones Act. II, 5. sqq. Vltra quæ proinde tempora referenda videatur baptismi initiationis Proselytorum origo: certum vero temporis, quo adhiberi cœpit, articulum vix quenquam definiturum.

Postremo, Primarius Lipsiensium Theologus, Summe Venerab. CHRIST. FRID. BOERNERVS dissertat. exeget. *de Johanne πρωτοβαπτιστῇ ad Joh. I,* 25. Lipsiæ A. 1729. edita & ventilata, prolixe hanc controversiam peroravit, & quanquam de ortu baptismi Proselytorum Judaici nihil pronunciet, e quæstione tamen legatorum Synedrii pariter ac Johannis responsione, solide evincit, Johannem fuisse, qui primus omnium inter Judæos baptismum administraverit, quia in ea fuerint Judæi opinione, τὸ βαπτίζειν proprium esse Messiæ, baptismumque adeo initiationis ab ipso Messia, vel saltem ab eis, quos una cum Christo expectabant, Elia scilicet, istove, quem τοῦ προφήτου nomine designant, institui debuisse. Inveteratæ huic Judæorum opinioni causam dedisse oracula illa, in quibus, cum de Messiæ diebus vaticinati sunt Prophetæ, eximiam spiritualemque, aqua peragendam, purificationem prænunciarunt, Jes. XII, 3. XLIV, 3. Ezech. XXXVI, 25. Zach. XIII, 1. Atque ita originem Sacramenti nostri mere divinam egregie confirmat, simul etiam diversam, nobisque paulo ante *num.* 5. memoratam, quæsiti illius & responsi interpretationem, qua illud οἱ ἐξ ἐναντίας in suam rapere sententiam nituntur, diluit & mascule retundit.

Nos, unumquemque suo abundare sensu, lubentissime passi, nobis tamen 1) persuadere non possumus, originem baptismi Proselytorum, Johannis & Christi baptismo anteriorem, cum ob rationes a summo WERNSDORFIO allatas, tum vel maxime ob satis idoneorum hujus ritus, inter Judæos tunc temporis usitati, testium defectum. Quæ enim cunque proferuntur testimonia, vel sequioris sunt ætatis, vel dubiæ interpretationis, & invitis auctoribus huc pertracta, quod αὐτοψία docet, eorumque examen. Tanti autem ponderis, tantæque necessitatis ritum, tot seculis illos silentio involvisse, cum nulla urgeret ratio, similitudinem omnem veri excedit. 2) Vndecunque ergo eum hauserint Judæi, sive ex prava Christianorum imitatione, sive ex sinistra & perversa oraculorum Vet. Test. in quibus baptismi fit mentio, interpretatione, ante Johannem certe ignorarunt, sola tam corporum, quam vestium lustratione Levitica, juxta Legem contenti. Nec temporis, in tanta rerum caligine, momentum definio, utrum πανολεθρίαν

urbis antecesserit, an fuerit secutum? licet in posteriorem sententiam mens potius inclinet. Quod autem paulo ante movebatur dubium, de impossibili dispersæ ac palantis per totum orbem gentis conspiratione, in cooptandam novam quandam ceremoniam, me parum turbat, qui dissipatam per omnes terras nationem eandem, in auctoritatem pandectarum Talmudicarum, cum Mischna, tum Gemara, maxime Babylonica, comprehensarum, unanimi consilio consensisse (si a Karræis discessero, quos diversum tenere constat) cum stupore recordor. Vbi enim ex duplici illa & gravissima gentis clade, sub Tito & Hadriano Imperatoribus, sese paulo recepissent Judæi, & templo, sacrificiisque, ac præcipuis cultus sacri exercitiis orbatos se cernerent, necesse habebant constituere, quid de Festorum celebratione, Religionis suæ custodia & cura, tum quoque amplificatione, publicorum conventuum & sacrorum ratione, aliisque ad rem divinam pertinentibus legibus & ritibus, integrum sibi esset servare, quid minus. Tum inter alias ceremonias, baptismum Proselytorum adoptasse potuerunt, cujus deinceps in Gemaram injiceretur mentio; maxime, quod ob denegatam sanguinis sacrificialis aspersionem, non haberent aliud quicquam, quo fœminas initiarent. De quibus diserte sanciunt in Cod. *Jevammoth f. 46. a.* דאם לא טבלו במה נכנסו תחת כנפי השכינה: *quod, si non baptizatæ essent, quo modo receptæ fuissent sub alas Majestatis divinæ?* Hoc pacto sarta tecta manet divina baptismi Christiani origo, nec temere fingitur aut supponitur, quod nequit demonstrari. 3) Posito denique, quod tamen non damus, illam Proselytorum lotionem ante fuisse in usu, quam Novi Testamenti auspicaretur periodus, nihilominus ratum firmumque est, Sacramentum baptismi cum Proselytorum baptismo nihil plane habere commercii, nec ex illo derivatum esse, sed divinitus immediate institutum. Prout enim Johannes a Deo immediate missus erat ad baptizandum Joh. I, 33. Luc. III, 2. ita Christus non ex imitatione Magistrorum, in adsciscendis Proselytis, sed ex Dei sapientissimo consilio, ex Patris sinu Joh. I, 18. institutionem baptismi Matth. XXVIII. protulit. Inde etiam nunquam junctus fuisse, verum immediate successisse legitur circumcisioni, sic ut περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ aboleret περιτομὴν χειροποίητον Col. II, 11. & altera alteri opponatur. Plura dabunt laudati auctores.

Ad §. VIII. pag. 7.

(14) *Pretium & honor, quo culti sunt proselyti a Judæis*] Exprobrare quidem ipsis fas non erat pristinam gentilem idololatriam, cum ejurassent eam, & ita abluissent, ut nihil pristini vitii in vitam novam transtulerint. Huc referunt verba Exod. XXII, 20. *Peregrinum non premes, neque eum opprimes, quia peregrini fuistis in terra Aegypti.* Quod interpretantur de verbali afflictione, ne quis dicat peregrino: זכור מעשיך ראשונים: neve quis dicat לבן גרים *filio proselytorum*, זכור מעשה אבותיך, & si fuerit Israelita, qui pro admisso facinore pœnitentiam egit, ne dicat ei: *Memento operum tuorum priorum.* Erat enim adscitus ejusmodi habendus ut frater.

Ad §. VIII. pag. eand.

(15) *In communi vitæ &c.*] Non unum hoc dicterium, sed plura ejus generis, in contumeliam intorquebant Proselytorum. α) enim vituli aurei culpam Exod. XXXII. æque ac sepulchra concupiscentiæ Num. XI, 4. sqq. in Proselytos, ex Aegypto cum Israele egressos, conjiciunt ap. MAIMONID. *Hilc. Issure Bia cap. XIII.* §. 18. & in שמות רבה *sect.* 42. *fol.* 98. *col.* 3. Quod & R. SAL. IARCHI repetit *Comment. ad Exod. XXXII,* 14. & R. MOSES ALSCHEICH *in h. l. f.* 146. *sq.* β) eos, perfidos, secum in errorem & vitia pertrahere criminantur Israelitas. MAIMONID. *cit. loco* רובן חוזרין בשביל דבר ומטעין את ישראל *multi ipsorum resiliunt quadam de causa, & in errorem abripiunt secum Israeli-*

Israelitas: RASCHI ad Cod. *Jevammoth f.* 47. *b.* אוחזין מעשיהם הראשונים ולומרים ישראל מהם *retinent opera sua priora, quæ discunt ab illis Israelitæ:* Defectores itaque & ipsi sunt, & seductores Israelitarum, seu originariorum Judæorum. γ) Adventum Messiæ remorari eosdem tradunt, in Cod. *Nidda fol.* 13. *b.* תנו רבנן הגרים והמשחקים בתנוקות מעכבים את המשיח *tradunt Doctores nostri, quod Proselyti, & jocantes cum puellis minorennibus remorentur Messiam.* Hinc δ) tritum inter Judæos scomma: קשין גרין לישראל כספחת *graves sunt Proselyti Israelitis, sicut scabies,* Cod. *Jevammoth fol.* 17. *b. Kiddufchin fol.* 70. *b.* & in *Massech. Nidda fol.* 13. *col. b.* vel ut MAIMONID. Hilc. *Issure Bia c.* 13. §. 18. effert: קשים להם גרים לישראל כנגע צרעת *sicut plaga lepræ.* ε) Quod Auctor noster ex CASAVBONO observat dicterium: *Vel ad decimam usque generationem a proselytis cave,* id longe ulterius extenditur in *Jalkut super Ruth f.* 163. *d.* א״ר חייא אל תאמין בגר עד כ״ד דורות R. CHIIA *dixit: proselyta ne fidas usque in vigesimam quartam generationem.* Illud autem monitum, de non contemnendo Ethnico, præsente Proselyto etiam in decimam usque generationem, quod BVXTORF. *in Lex. Talmud. p.* 411. in bonam partem enunciari tradidit, in sequiorem potius sensum trahit, & contra BVXTORFIVM probat EDZARD. *ad Berachoth c. I. not.* 76. *p.* 244. Circa quæ tamen dicteria ex R. BECHAI *Cadhakkemach fol.* 19. *col.* 1. observat b. CARPZOV. *Not. ad Schickardi Jus Reg. cap. V. theor.* 17. *p.* 325. *b.* ea non tam in contumeliam Proselytorum, quam in vituperium potius & ignominiam ipsorummet dici Israelitarum, quippe quos condemnent illi, cum damno & naufragio rerum suarum ad Deum sese convertentes, quem ipsi contra minori cum devotione & sinceritate venerentur.

Denique REIZIVS *in Not. ad hunc* §. *Auctoris* apposite observat, cum adeo abjecte haberentur Proselyti, qui tamen fieri potuerit, ut tam anxie ac sedulo eos captarint Pharisæi, notati eo nomine a Christo Matth. XXIII, 15. Sed probe observat laudatus CARPZOV. *c. l. p.* 324. & ante eum IOH. CAMERO *in prælect. ad Matth. XIX,* 3. *Opp. p.* 176. *a.* Christum non tam reprehendere studium eorum in convertendis Ethnicis ad Deum verum, quam mentem potius & consilium, quod eo tendebat, non tam Deo animas lucrari, quam sibi ac sectæ suæ asseclas conciliare. Zelum enim pro religione propaganda ostentantes, non convertendorum salutem, sed bona quærebant, suæ satisfacturi avaritiæ, & illorum conscientiis pariter & crumenis dominaturi; quo nomine Servator eos ὑποκρίσεως gravissimæ postulat. Vt sensus sit: Væ vobis Pharisæi, quod postquam omnem movistis lapidem, ut vel unum concilietis Proselytum, miserum istum redditis vel vobis duplo deteriorem, multo superstitiosiorem, multo confidentiorem, & ita filium gehennæ duplo vobis graviorem. Istud autem studium, convertendi Gentiles, tanti faciebant Judæi, ut Proselyti istius censeretur velut esse creator, qui converterat. Probant hoc ex verbo עשה, de Abrahamo usurpato Gen. XII, 5. ubi animæ recensentur, quas עשה *fecit* Abraham in Harane: Per has enim intelligunt Proselytos, quos ad veram fidem converterit. Vti enim Deus עשה fecit hominem, eum creando, ita עשה Abraham, & quicunque alius Judæus, Proselytum quendam reddendo. Sic in Bereschith Rabba, *seder* לך לך *fol.* 43. *col.* 4. cujus verba excitata leges apud CARPZOV. *cit. loc.*

Quod superest, de Proselytis evolvi merentur SELDENVS *de Synedriis lib. I. cap. III.* rursus *de Jure Nat. & Gent. lib. II. cap.* 2, 3, 4. ac denuo *de success. in bona defunctor. cap. XXVI.* HVMPHRID. PRIDEAVX *de jure pauperis & peregrini apud Judæos,* ex MAIMONIDIS *Jad Chasaka,* Oxonii in 4. A. 1679. CASAVBONVS *adv. Baronium p.* 25. *sq.* LEYDEKKER *de Republ. Hebr. lib. VI. cap. VI. p.* 363. *sqq.* GEORG. ELIEZ. EDZARDI *ad Avoda Sara cap. I. p.* 191. *sq.* & *ad Berachoth cap. I. p.* 244. *sqq.* LEVSDENIVS in *Philologo Hebræo-mixto dissert. XXI.* MONTACVTIVS *in Apparatu p.* 180. *sq.* tum quoque singu-

singularibus dissertationibus, IAC. ALTINGIVS *Heptad. VII. dissert. VII. Tom. V. Opp. p.* 228. PAVLVS SLEVOGTVS *P. II. disputat. Academ. disp. XIV. p.* 869. GEORG. MVLLERVS Wittebergæ An. 1672. PERINGERVS, Vpsaliæ An. 1694. LVNDIVS, Aboæ A. 1695. in 8. BALTH. RAITHIVS *de Proselytismo Judaico-Christiano*, Tubingæ A. 1666. DANZIVS *de cura Judæorum in Proselytis faciendis*; quæ inserta legitur in MEVSCHENII *Nov. Testam. ex Talm. illustrato p.* 649. DASSOVIVS *in Hist. Hebræa* MSC. *P. III. cap. X.* IOH. HENR. OTHO *Lex. Rabbin. p.* 491.

AD

LIB. I. CAPVT IV.

DE REGIBVS.

Ad §. I. pag. 7.

De triplici Regum specie] Tria Regum genera enumerat Auctor, 1) Eorum, qui Regio & Sacerdotali munere simul sunt functi, ut Melchisedekus, de quo Paulus Hebr. VII, 1. ἔτος ὁ Μελχισεδὲκ, βασιλεὺς Σαλὴμ, ἱερεὺς τῦ ὑψίςυ. 2) Eorum, qui Regia & Prophetica dignitate claruerunt, ut David, de quo Act. II, 29. προφήτης ἦν ὑπάρχων, καὶ εἰδὼς ὅτι ὅρκῳ ὤμοσεν ὁ Θεὸς, κ.τ.λ. 3) Eorum, qui solummodo Reges, qualis Hiskias, Josias, & alii. Vbi tamen notamus, Davidem recte quidem Regem & Prophetam dici, minus autem commode, regio & Prophetico munere functum. Non enim officio publico, velut Samuel, Elias, Elisa, sed dono extraordinario Propheta erat, & vaticinabatur, unde ex Prophetarum censu eum excludi, non sumus passi *Introduct. ad lib. V. T. Part. III. cap. I. §. 25. n. δ) p.* 71. *sq.* & Salomonem pariter suum in Prophetis tueri locum, evicimus *ibid. P. II. c. IV. §. 2. p.* 162. *sqq.*

Ad §. I. pag. cit.

(2) *Conjunctio sacri ordinis & fastigii civilis*] Ratio συζυγίας istius, *partim* Moralis est, ut Reges & Principes ita docerentur, utriusque tabulæ decalogi se esse custodes, legisque Divinæ descriptionem, lectionem, custodiam Deut. XVII. sibi demandatam meminerint, seque nutricios Ecclesiæ & curatores religionis esse constitutos: *partim* Typica & Dogmatica, Christum adumbrans & Regem, & Sacerdotem, & Prophetam, quem quippe Melchisedek, & David, & Salomon referebant.

Ceterum, quando commoda de *Melchisedeko* agendi se nobis hic offert occasio, inquirendum est

α) in ejusdem Personam, quis ille fuerit? Bis enim tantum ejus, in toto Vet. Testamenti Codice, & satis quidem concise ac subobscure injicitur mentio, Gen. XIV, 18, 19, 20. & Psal. CX, 4. hinc varie de eo senserunt doctores. In duas cumprimis classes, universum illud abit sententiarum divortium, aliis Deum, vel aliquid divini, creaturam aliis eum censentibus. *In priori classe* locum tenent 1) Hieracitæ, quorum sectæ auctor HIERAX, natione Aegyptius, vir eruditus, Græce & Aegyptiace in Hexaemeron commentatus est, ac teste EPIPHANIO *hær. LXVII.* Spiritum Sanctum esse Melchisedekum perhibuit, διὰ τὸ ἀφωμοιῶμενον τῷ υἱῷ τῦ Θεῦ, *eo quod assimilatus est Filio Dei.* Fons erroris ipsi & asseclis fuit nimium Allegoriarum studium, quod propago essent ORIGENIS, ejusque secuti ductum, a litera utplurimum discederent. Hic error, quod in libro anonymo esset recoctus, librum illum EVAGRIVS HIERONYMO misit

refellendum, quem etiam HIERONYMVS *Epist.* 126. *ad Evagrium* diserte confutavit. Eundem porro propugnavit Auctor *Quæstionum Vet. & Nov. Test.* passim AVGVSTINO, sed perperam, tributarum: earum enim Scriptorem HYLARIVM SARDVM, Romanæ Ecclesiæ Diaconum, non abs re statuunt S. AVGVSTINI Opp. Editores. E recentioribus prolixe errorem istum propulsavit CLAVD. FRASSENIVS *Disquisit. Biblic. in Gen. XIV. p.* 216. *sq.* 2) Melchisedekiani, qui auctore THEODOTO quodam, juxta alios THOMA, argentario, orti, Melchisedekum crediderunt, non hominem, sed virtutem Dei esse, Christo ipso, Dei Filio, potentiorem, augustiorem & feliciorem, ad cujus imaginem & typum Christus ipse fuerit a Deo factus. Iidem, apud EPIPHAN. *Hæresi XXXV.* aliis LV ex Apocryphis libris, Melchisedeki patrem fecerunt Heraclam, matrem autem Astarten, sive Asteriam; diserte, & in os obloquentes Paulo, cui ille ἀπάτωρ audit, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος, Hebr. VII, 3. Quia vero Ἡρακλῆς Solem, Ἀςάρτη Lunam vel Tellurem notat, non inepte hinc conjicit GER. IO. VOSSIVS *de Idololatr. Lib. II. cap.* 21. *p.* 208. illos voluisse, Melchisedekum Sole, & Luna vel Tellure, parentibus esse natum. Sed Christo præstantior nulla cogitari potest virtus divina, cum Christus sit Deus magnus, super omnia benedictus in secula Tit. II, 13. Rom. IX, 5. portans omnia verbo virtutis suæ Hebr. I, 3. per quem omnia sunt condita, εἴτε θρόνοι, εἴτε κυριότητες, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι Col. I, 16. 3) Olim jam, EPIPHANIO teste *Hæres. LXVII.* nonnulli Melchisedekum tradiderunt, ipsum Dei Filium fuisse, qui eadem, qua deinceps inter mortales versatus est, forma indutus Abrahamo apparuerit; quæ sententia AMBROSIO quoque placuit *Lib. I. de Abrah. cap.* 3. Vnde liquet, ex quibus fontibus recentiores hanc sententiam hauserint. In his primo quidem PETRVS MOLINAEVS, cum *in Vate lib. IV. cap.* 11. *sqq.* tum peculiari scripto Gallico de Melchisedeko, hunc verum fuisse hominem tradit, a Spiritu Christi motum, Filiumque Dei veri hominis corpus assumsisse, phantasia illius hominis tantisper obsessa, & a consuetis cogitationibus abducta. Huic secundas fecit PETRVS CVNAEVS, doctissimus JCtus, *lib. III. de Republ. Hebr. cap.* 3. existimans, Christum ea corporis forma, quam postea homo factus in terris gessit, Abrahamo apparuisse, habitu & specie Regis & Sacerdotis, qui decimas ab eo acceperit, eique benedixerit, in præludium futuræ non modo incarnationis, sed præsertim Sacerdotii, quo fungeretur in cœlis exaltatus super throno suo, intercedendo pro electis suis, eisque affatim benedicendo. Quam sententiam licet operose profligaverit HEIDEGGERVS *in Histor. Patriarch. P. II. Exerc. II.* §. 8. *p.* 45. *sqq.* non modo tamen, adversus HEIDEGGERVM, asseruit ac propugnavit IAC. GAILLARDVS, peculiari tractatu *Melchisedekus, Christus, unus Rex justitiæ, Rex pacis*, verum etiam denuo amplexus est & peroravit IOHANNES D' OVTREIN, disertissimus apud Amstelodamenses V. D. M. tractatu Belgico. - *In posteriori classe*, denuo in partes scinduntur interpretes, & quidem 1) ORIGENES prima in Genesin homilia, HIERONYMO *Epist.* 126. teste, eo prolapsus est, Melchisedekum ut Angelum dixerit. Secutus hic quoque est magistrum suum DIDYMVS, perpetuus ORIGENIS sectator. Ceterum in I. ORIGENIS in Genes. homilia, quæ hodie extat, nihil tale legi, recte monet SIXTVS SENENS. *Annot.* 90. VILLALPANDVS vero eam ORIGENIS homiliam e medio sublatam esse hariolatur, quod hæresibus referta tota fuerit. Absque ullo sane fundamento HIERONYMVS non asseruisset. 2) DIONYS. PETAVIVS *lib. I. de Opif. sex dierum cap.* 4. librum commemorat, *Epiphanias* nomine editum, *de tribus Magis, Enocho, Melchisedeko, & Elia*, in quo Melchisedek fingatur homo, non terreno, sed cœlesti constans corpore, prior Adamo, immo luce primigenia anterior. Cui opinioni refragantur argumenta omnia, quæ alias contra Præ-Adamitas, alio licet scopo ac fine, afferuntur. Ad quos proxime accedit 3) HENR. HVLSIVS, qui peculiari tractatu, cui titulus: *Melchisedekus, una*

cum parente ex tenebris emergens, & caput protollens, Lugd. Batavor. An. 1707. Melchisedecum tradit fuisse Henochum, qui tempore antediluviano vivus in cœlum beatorum fuerat translatus, tempore tamen postdiluviano denuo a Deo in terras sit missus, & tanquam Rex & Sacerdos habitaverit in civitate Salem, ut insignem præ se ferret typum Sacerdotii Christi, non laboriose in terris, sed gloriose in cœlis perfungendi super throno suo: quem κατὰ πόδα refutavit peculiari dissertatione *de Melchisedeko non Henocho*, IOH. D' OVTREIN, Amstelodami A. 1713. Alii 4) Semum, Noachi filium, post Chaldaicas IONATHANIS, & Hierosolymitanam, Paraphrases, cum LIRANO, TOSTATO, EVGVBINO, CAIETANO, GENEBRARDO, TORNIELLO, VILLALPANDO, e Reformatis, cum PEVCERO, PELARGO, BRVGHTONO, & Nostris cum MELANCHTHONE & RVNGIO, statuunt. Trita isthæc est sententia, in quam Judæos cumprimis adduxit, quod hominem gentilem Abrahamo, auctori suæ gentis anteferri, probro & contumelia vacare non credebant. Verum, si Semus fuerit Melchisedek, non constabit ratio Apostolo, quando Melchisedekum sine patre dixit, sine matre, sine Genealogia. Generationis enim series, pater & majores Semi, sunt in confesso. Sed & hæc ipsa Pauli verba Hebr. VII, 6. ὁ μὴ γενεαλογέμενος ἐξ αὐτῶν, *cujus generatio non annumeratur iis*, liquido satis edocet, alienigenam eum, nec ex majoribus fuisse Hebræorum: quod in Semum non quadrat. 5) PETRVS IVRIEV in *Hist. Crit. dogmat. & cultuum*, *P. I. cap. X. p.* 67. *sqq.* vel inde, quod Chamo obtigit Cananæa, Chamum sub Melchisedeko latere credidit. Nec enim aliter fieri posse existimat, quin Melchisedekus unus fuerit e filiis Noachi. Cum ergo Semus non fuerit, nec pro Japheto ulla probabilis militet ratio, nihil aliud superesse contendit, quam ut Chamus Melchisedek fuisse statuatur. Neve elogia Melchisedeki parum in Chamum quadrare videantur, hunc neutiquam tam improbum, ut vulgo creditur, sed Patriarcham potius sanctissimum fuisse, multis evincere satagit rationibus. Verum, nec impacta Chamo maledictio patris Noachi, nec scelerata Chamitarum posteritas, & defectio a Deo, veraque religione, persuadent, tam sanctum fuisse Chamum. Nec vero est simile, Chamum in Cananæa sedem habuisse, sed in Aegypto potius regnum sibi constituisse atque firmasse, quæ ea propter in Scripturis ארץ חם *terra Chami* Ps. CV, 23, 27. CVI, 22. eodemque sensu Psal. LXXVII, 51. dicitur Deus percussisse omne primogenitum באהלי חם *in tentoriis Chami*. 6) IOH. BRAVNIVS *Comm. in Hebr. VII*, 8. Melchisedekum, verum quidem hominem fuisse postdiluvianum, propugnat, sed qui in hac vita immortalitate donatus fuerit, ac tandem, post administratum aliquandiu, in civitate Salem, Sacerdotium & Regnum, vivus in cœlos sit translatus, velut Henoch & Helias. Eo cumprimis nititur fundamento, quod Apostolus Melchisedekum *c. l.* perhibet μαρτυρέμενον, ὅτι ζῆ. Hominem itaque fuisse, & tamen mortem non vidisse, cum inde constet, concludit, quod vivus in cœlum sit raptus. Verum, quando duo ista hominum exempla, a moriendi necessitate exemtorum, Scriptura diserte memorat, non sane tertium de Melchisedeko siluisset, si his duobus æternitatis candidatis suppar in eo fuisset. At enim vero, verba allegata vers. 8. id non evincunt: nam & omnes beati sunt μαρτυρέμενοι, ὅτι ζῶσι, cum Christus ipsis testimonium perhibeat Matth. XXII, 32. Nec aliud ullum suppetit BRAVNIO momentum, unde sua probet. Haud ita pridem 7) vir plur. rever. GOTTFR. KOHLREIFIVS *in Chronolog. Sacr. cap. VI.* §. 10. *p.* 190. eundem statuit Melchisedekum cum Jobo, Rege simul & Sacerdote, holocausta pro filiis pariter ac amicis Job. I, 5. XLII, 8. faciente. Cui accedere, ut alia taceam, temporum prohibet ratio, quæ Abrahamo sequiora longe eidem asserimus, in *Introd. ad Libb. Bibl. V. T. P. II. cap. II.* §. 7. *p.* 44. *sqq.* 8) Nos itaque communiori adstipulamur sententiæ, IOSEPHO jam *lib. VII. de bello Jud. cap.* 8. probatæ, quæ per Melchisedekum virum quendam intelligit primarium ex

Cana-

Cananæorum gente; & posteris Noachi, sanctitate & justitia præstantem, Regem Salemensem; non Hierosolymitanum quidem, neque ex Salim, sed urbis Salem, quæ forte posthæc deleta desiit esse, aut aliud subsequente tempore nacta fuit nomen. Idem & Sacerdos fuit Dei altissimi, adeoque non veræ modo religioni addictus & pius, verum officio quoque sacerdotali inter suos defunctus. Reliqua Commentatoribus relinquimus explicanda. Addenda demum est *classis tertia* eorum, qui rem in medio relinquentes, hic etiam τὸ ἐπέχειν amplectuntur, ut POLYCARPVS LYSERVS, GESNERVS *Commentariis in Genesin*, BALDVINVS *Disp. VIII. in Epist. ad Hebr.* WALTHERVS *in Officin. Bibl.* & citati a THOMA CRENIO *in Analectis Philol. Crit. Historicis p.* 30 Auctores, & recentissime BVDDEVS *Hist. Eccl. V. T. P. I. p.* 268. Quibus cur nostrum non adjiciamus calculum, ratio est, quia ista de Melchisedeko doctrina, a Paulo Hebr. V, 11. VI, 1. ad τελειότητα, *perfectionem* fidei Christianæ refertur. Ne ergo illa Hebræorum accusatio, quod sint adhuc infantes, propter νωθρότητα τῆς ἀκοῆς, in nos recumbat, quis & qualis ille fuerit, omnino est indagandum.

β) Evolvendus est Typus. Vniversa enim isthæc de Melchisedeko narratio, eum saltem in finem Codici Mosaico est inserta, ut commodam de Christo ἑρμηνείαν subministraret. Hanc David concisius Ps. CX, 4. uberrime autem Paulus præivit Hebr. V, 6-10. & c. VII. toto, uterque Christum Sacerdotem celebrans, secundum ordinem Melchisedek. Luculentum ergo Salvatoris typum Melchisedekus præbet, ejus cum personam, tum vel maxime sacerdotium ἀπαράβατον, & Levitico sublimius, longeque augustius adumbrans. Vbi tamen cave, Mosaico tribuas Melchisedeko, quæ Paulus proprie ac πρώτως non nisi de ἀντιτύπῳ affirmat; neque plura referas ad Melchisedeki historiam ac personam, quam quæ reperis apud Mosen. Quæ enim Paulus v. 9. λόγον δυσερμήνευτον λέγειν, ac στερεὰν τροφὴν appellat, Hebr. V, 11, 12. non tam in Melchisedeko sunt quærenda, quam in Christo, sub illius figura latente. Pariter μήτε ἀρχὴν ἡμερῶν, μήτε ζωῆς τέλος ἔχων, & ἱερεὺς μένων εἰς τὸ διηνεκὲς Hebr. VII, 3. non nisi Filius Dei κατὰ λόγον ἀληθείας est, Mosaicus vero Melchisedek κατά τι saltem, ac certo respectu. Longe enim perfectiori similitudine ἀφωμοιώμενος, seu expressus est in Filio Dei, quam qua ipse eum retulit olim & figuravit. Quibus probe observatis, errorum fontes, qui MOLINAEO, CVNAEO, aliisque fraudi fuerunt, facile in oculos incurrent. Tertia tamen comparationis, quibus utrumque Paulus mutuo contendit, a nomine, a loco & sede, ab officio, ab utriusque muneris conjunctione, a Genealogiæ defectu, a duratione, a constitutione in officio, a benedicentis dignitate, a benedictione, a decimis, a refectione per cibum & potum &c. applicare docuit IOH. BIERMANNVS *in Mose & Christo lib. I. cap.* 3. *p.* 35. edit. Belgicæ: quocum confer DANHAVERVM *in Idea boni interpret. & malitiosi calumniat. p.* 240. *sq.* ubi cum genuinam, tum spuriam, Melchisedeki cum Christo collationem typicam exhibet.

Plura qui de Melchisedeko cupit, præter laudatos doctores, adeat IOH. HENR. HOTTINGERVM *Ennead. Disp. VIII. tota p.* 159. *sqq.* SAM. MARESIVM *T. I. Dissert. select. p.* 662. *sqq.* Summe Rever. DEYLINGIVM *Observatt. Sacr. Tom. II.* edit. recent. *p.* 73. *sqq.* insignem Polyhistorem IOHAN. ALBERT. FABRICIVM *in Codice Pseudepigr. V. T. Tom. II. p.* 329. *sqq.* & *Tom. III. p.* 72. *sqq.* & quos, post hunc, enumerat Vener. IOH. CHRIST. WOLFIVS *Cur. Exeget. ad Hebr. VII,* 1. *p.* 670. *sq.*

Ad §. II. pag. 7.

(3) *Non omnes Reges uncti sunt*] De Regum unctione notamus

α) Subjectum. Etsi Regum unctio, ante Reges in populo Dei constitutos, nota jam esset, ut ex parabola Jothami liquet, de arboribus euntibus ad ungendum super se regem, Jud. IX, 8. 15. apud Principes tamen Israeliticos locum

non

non invenit, nisi cum auspiciis regni. Primum omnium Saulem, hinc Davidem, Salomonem, Joasum, Jehoachasum, Judæ, & Jehu ac Hasaelem, Israelis Reges, legimus unctos. Vt frustra sit EPISCOPIVS, quando *Reges, Principesque populi* in unctione jungit *Institut. Theol. Lib. III. cap.* 2. nisi forte Synonyma cupiat esse vocabula. Nec tamen omnes ungebantur Reges, sed qui א. primi e familia sua thronum conscendebant, ut Saul, David, Jehu. ב. Qui ob machinationes æmulorum periclitabantur, velut Salomon propter factionem Adoniæ, & Joasus propter Athaliam, 2 Reg. XXIII, 30. & 2 Chron. XXXVI, 4. ut SCHICKARDVS *de Jur. Reg. cap. I. Theor.* 4. *p.* 77. ex MAIMONIDE confirmat, & adstipulatur ABARBENEL *cap. IX.* prolixæ tractationis *de unctione,* quam *Commentario in Exod. XXX. Sect.* תשא *f.* 206. *col.* 3. *sqq.* inseruit, inde vero repetiit SIMEON DE MVIS, & una cum versione Latina, *Variis sacris* adjecit *p.* 49. *sqq.* Denuo ABARBENEL *in Comment. in* 1 *Reg. I. fol.* 195. *col. b. sqq.* de unctione Regum copiose ac XIII capitibus egit, ubi inter alia Davidem ter unctum observat: 1. a Samuele in ædibus paternis, 1 Sam. XVI, 13. 2. post mortem Saulis in Hebron, 2 Sam. II, 4. 3. interfecto Isbosetho, 2 Sam. V, 3. quam trinam ejus unctionem factam contendit להיותה יסוד ושרש ותחלה לכל זרעו *ut esset fundamentum, & radix, & principium omnium ejus posterorum.* Erat enim regnum in familia ejus מלכות ירושה *regnum hæreditarium*, unde citra unctionem, filii in locum parentum Regum succedebant, nisi cum de Regis mortui successore orta esset dissensio. Quam tamen Judæorum traditionem prolixe, nec levibus omnino argumentis, impugnat IOH. MARCKIVS *Exercitat. IX. Textuali* §. 3. *p.* 64. *sq.* quem vide. Ceterum FORTVNAT. SCACCHVS *Sacror. Elæochrismat. Myrothecio III. cap. XLV. extremo p.* 1035. *sq.* erudite observat, ab unctione ortum trahere denominationem, ut Reges quoque Messiæ, seu Christi nomine digni haberentur, quod ex 2 Sam. I, 14. ubi Saulem David את משיח יהוה *Messiam Domini* appellat, nec non ex Jes. XLV, 1. probat: *ita inquit Jehova* למשיחו לכורש *uncto suo, Coresch.* Quando vero addit, ob sacræ unctionis excellentiam id fieri, fallitur, cum Cyrus nec sacri olei, nec unctionis sacræ particeps, dicendus sit: etsi non nego, respectu typico ad Christum, unctum Domini, id nominis Regibus hæsisse.

β) Finem; quem geminum observat ABARBENEL: 1) ut esset אות הבחירה האלהית *signum divinæ electionis.* Vt enim res, vel persona, a Deo electa, distingueretur a rebus aliis, & a fratribus suis, ungi solebat; ut in Sacerdotibus videre est. 2) כדי להכין הנמשח לקבל השפע האלהי ועל ידו אותו משיחה תרבק בו ההשגחה העליונה *ut disponeretur illud unctum ad accipiendum influxum divinum, & per hanc ipsam unctionem propius ei adesset providentia cœlestis,* quod exemplo Saulis 1 Sam. X, 6. 10. & Davidis 1 Sam. XVI, 13. probat. Addimus 3) respectum typicum, ut Christum ita referrent & adumbrarent, unctum in monte Zion Regem Ps. II, 6. XLV, 2. 8.

γ) Materiam; circa quam gravis agitatur quæstio: num שמן המשחה *oleum unctionis* Regiæ idem fuerit, cum oleo sacro, Numinis jussu, arte pigmentaria, ex quatuor aromatum speciebus confecto, Exod. XXX, 23. an diversum ab illo שמן אֲפַרְסְמוֹן *oleum naturale*, quale solum terræ sanctæ, maxime Jerichunti, proferebat? De priori oleo, ejusque confectione, præstantia, duratione, & miraculis, post SCHICKARDVM *cit. loc. p.* 63. & auctores a CARPZOVIO illuc citatos, copiose & cum cura SCACCHVS egit, *Myrothec. II. cap. VII. sqq. p.* 322. cui junge MARCKIVM *Exerc. IV. Text.* §. 5. 6. *p.* 17. *sqq.* Posterioris notionem DAV. DE POMIS in צמח דוד exponit בלסאמו *balsamum,* & fusius BVXTORF. *Lex. Chald. & Talm. h. v. p.* 199. Quo autem uncti sint Reges, ambigue disceptatur. Judæi ex traditione majorum, Davidi soli, ejusque posteris, oleum sacrum largiuntur, Sauli & Regibus Israelis oleum balsami: nisi quod ABARBENEL, Saulem pariter olei sacri participem reddat, להיות משיחתו ישרה ומלכותו נכונה חטא.

לו ולזרעו עד עולם אם לא היה חטא׃ *quod unctio ejus esset legitima, & regnum ejus stabile ipsi & semini ejus in æternum fuisset, si non peccasset.* E Christianis TOSTATVS ABVLENSIS *ad* 1 *Reg. X. quæst.* 1. *extrema*, in suspenso hæret, & fluctuat, tandemque pronunciat, in Republica Hebræorum, nulla habita ratione olei, interdum oleo sacro, ejusdem generis cum illo, quo Sacerdotes initiabantur, interdum profano communique Reges oleo inunctos fuisse. SCHICKARDVS aliud, præter sacrum, adhibitum hic oleum ignorat. SCACCHVS, postquam *Myroth. III. cap. XLVI.* sententiam eorum recensuerat, qui oleo communi Reges Israelitas inauguratos fuisse tradunt, rursusque *cap. XLVII.* eorum, qui pro sacro consecrationis oleo dimicant; ipse tandem *cap. XLVIII.* ita definit, oleo sancto alterius generis ab oleo consecrationis sacerdotum, Reges populi Dei inauguratos fuisse: argumento sumpto a vase, & a loco, in quo vas servabatur, nec non a nomine Sancti, eidem oleo a sacris oraculis adscripto. Denique MARCKIVS *cit. loc.* §. 4. *p.* 66. *sqq.* compositum illud consecrationis oleum Regibus adhibitum omnino negat, quia illud, nec Exod. XXX, 25. sqq. Regibus destinatum, nec ubicunque de Regum unctione agitur, usurpatum legitur, immo vero potius, sub pœna excidii, על זר *super extraneum*, qui ad familiam Aaronicam sacerdotalem non spectat, fundi aut poni, vers. 32. 33. diserte prohibetur. Diluit præterea palmaria affirmantium argumenta, quod Ps. LXXXIX, 21. Davidi *oleum sanctitatis Dei* tribuatur; ad ungendum Salomonem Zadok cornu olei ex tabernaculo arcessisse legatur 1 Reg. I, 39; & Joas in templo unctus perhibeatur, 2 Reg. XI, 12. Ad *primum* regerit, elogium sanctitatis in quodvis quadrare oleum, divino jussu a Propheta usurpatum, ad beneficium præsens conferendum, & futurum in Messia adumbrandum: prout sancti merito dicuntur Reges, etiamsi pari modo, & ad paria officia cum Sacerdotibus non essent segregati. Ad *medium*, non præcise tabernaculum fœderis intelligi, sed aliud quodcunque, nec oleum sacerdotale, sed quod alias, ad inungendum caput honoratiorum in convivio Psal. XXIII, 5. Luc. VII, 46. in cornu servabatur, indicari. Ad *ultimum*, locum non statim evincere, Mosaico Joasum oleo fuisse delibutum, sed balsaminum in conclavibus & cœnaculis templi præsto esse, vel eo deferri, facile potuisse. Vnde concludit, oleum in Regibus adhibitum quidem pretiosum fuisse, sed tamen commune, & varium forte nonnunquam, pro locorum varietate. In qua sententia nos quoque acquiescimus, pro præstantissimo balsamino calculum ferentes, quod tamen solenni consecratum non esset ritu. Referri huc posset oleum cœlitus allatum, quo Reges Galliæ, inde a Clodovei & S. Remigii tempore, ad nostram ætatem inungi perhibent: de quo ex instituto, post IOH. IAC. CHIFLETIVM *Disqu. de ampulla Remensi*, legi poterit IOH. CHRIST. BECMANNVS *in Notitia dignitat. illustr. Disp. IV. cap. II.* §. 4. *p.* 93. *sqq.*

Ad §. III. pag. 7.

(4) *Lenticula, sive vase unguentario*] Pergit Auctor ad δ) Instrumentum unctionis, quod geminum memoratur, vel קרן *cornu*, 1 Sam. XVI, 13. 1 Reg. I, 29. vel פך *lenticula*, 1 Sam. X, 1. 2 Reg. IX, 1, 3. & circa quod in partes discedunt doctores. Alii, cum SCHICKARDO *p.* 68. utroque vocabulo, unum idemque notari vasculum unguentarium censent, *quod a materia* קרן cornu *dicatur*, *a forma vero* פך lenticula. Alii diversa constituunt vasa, formæ discrimine invicem segregata, cum *cornu* figuram cornu præ se ferret, sive ex auro, argento aut metallo, sive ex alabastro aut vitro confectum, essetque capacius & majus; *lenticula* vero vas minusculum, unguentis servandis aptum, atque olim ab hominibus elegantioribus in marsupio circumgestari solitum. Quo tendit ex parte ABVLENSIS, lenticulam auream vel argenteam fuisse censens, quod idem tamen aliquando cornu appelletur, quod aliquam cornu

ſimilitudinem haberet, eſſetque velut guttus recurvus, *in* 1 *Reg. X*, 2. *f.* 292. Pariter b. CARPZOVIUS *Not. ad Schickardi loc. cit.* vaſa illa ratione molis diverſa fuiſſe ſtatuit, aliud, e quo in ipſo unctionis actu in Regis caput effuſum eſt oleum; aliud, in quo tota olei maſſa in tabernaculo aſſervabatur, e quo illi, quantum ad unam unctionem ſufficiebat, fuit inditum. Pondus enim hujus, quod totam maſſam comprehendebat, dimidii minimum centenarii æquabat. FORTUNATUS SCACCHUS *Myrothec. I. cap. XII. f.* 63. *ſq.* rurſusque *cap. XLV. p.* 231. *lenticulam* a forma & nomine lentis appellatam, cujuscunque fuiſſe cenſet materiæ, quam veteres Philoſophi, Principes, & Prophetæ, ob crebrum balſami vel olei uſum, ſecum deferre conſueverint: *cornu* vero *cap. XLVIII. p.* 243. *ſqq.* vas amplius, aſſervandis oleis, & vendendis, olim in uſu; quod ex profanis quoque Scriptoribus illuſtrat. Denique Auctor, ex mente Hebræorum, utriusque vaſis diſtinctionem & a mole arceſſit, & a fine, ſive myſtica ſignificatione, quod exiguo vaſculo uncti brevitatem imperii ſui hinc intelligerent, capaciori autem, nempe cornu, longius duraturum ſibi pollicerentur regnum. ABARBENEL *ad* 1 *Sam. XVI*, 1. cornu inter cetera vaſa olei ſacri, in tentorio conventus repoſitum & aſſervatum contendit: quod tamen parum quadrat ad illum locum, ubi Samuel ſuum ipſius cornu implere jubetur oleo, ad inungendum Davidem. Hoc ex allatis ſatis liquet, utrumque vas unguentarium diverſum fuiſſe, ſive mole differret, ſive figura: quæ autem utriusque fuerit ratio, tacente Scriptura, noſtrum non eſt definire. Addimus

ε) Locum unctionis, quem ABARBENEL *cit. loc. ad cap. XXX. Exod. toto cap. XI.* ex Magiſtrorum ſententia, juxta fontem conſtituit, quod David 1 Reg. I, 33. caute præcipiat, ut Salomonem filium ad fontem Gichon ungerent, inde cum pompa in civitatem regiam deducendum: idque boni ominis cauſa obſervatum tradit, כדי תמשך מלכותם *ut* inſtar perennantis ſcaturiginis *prolatetur regnum eorum.* Idem repetit SCHICKARDUS *p.* 72. ad quem de fonte Gichon prolixe commentatur CARPZOVIUS. Idem tamen ſemper obtinuiſſe, reclamat Scriptura. Saul in exitu urbis Ramah, 1 Sam. IX, 27. X, 1. & David in Bethlehem primum 1 Sam. XVI, 4. in laribus paternis, rurſusque in Hebron 2 Sam. II, 1, 4. ungebatur. In quibus diluendis exemplis infeliciter deſudat ABARBENEL, & laterem lavat. Adde Joaſum, unctum in templo, 2 Chron. XXIII, 11. Unde hanc quoque traditionem recte proſcribit MARCKIUS *cit. loc.* §. 7. *p.* 71. *ſq.*

ζ) Miniſtrum unctionis, ABARBENEL *cit. loc. Exod. cap. X. toto*, ut & *Comm. ad* 1 *Sam. XVI*, 1. לא אלא נביא *non* alium fuiſſe permittit, *quam Prophetam*, idque præter exempla, Moſis ſacerdotes, Samuelis Saulem & Davidem, Nathanis Salomonem, Jonæ filii Amathi Jehu, inungentium, ex Jerem. XXIII, 18. probat, quia unctio ſignum ſit electionis divinæ, quam præter Prophetam, ſcire & ediſſerere nemo potuerit: *quis enim affuit in conſilio Domini? & vidit, & audivit ſermonem ejus?* Rurſum in Præfat. ad librum Judic. *Comment. in Proph. priores fol.* 39. *col.* 4. ad quæſtionem: מי ימשח *quis unxerit?* abſolute reſpondet: הוא נביא לבד׳ כי אין כוהן גדול ואדם אחר יוכל׳ למשוח מלך כי אם הנביא *Propheta tantum, quia neque Pontifex Maximus, neque homo quisquam alius poterat ungere Regem, niſi Propheta.* Fallit autem & fallitur DON ISAAC, cum Salomonis unctio a Zadoko Pontifice 1 Reg. I, 39. Joaſi vero diſerte a Jojada Pontifice & filiis ejus, ſacerdotibus 2 Chron. XXIII, 11. peracta legatur. De priori quidem SCHICKARDUS *p.* 73. affirmat: *ungebant eum bini ſimul, Zadok Pontifex, & Propheta Nathan* verſ. 34. *quorum alterum affudiſſe oleum, alterum inunxiſſe, veriſimile eſt.* Sed veriſimilitudo iſta præter Scripturam fingitur, & rectius b. CARPZOV. *in Not.* Sacerdotem, quaſi ordinarium unctionis miniſtrum, Prophetam autem, ut teſtem divinæ revelationis & promiſſionis, de Salomone in regnum ſucceſſuro,

ſuro, adfuiſſe contendit. Nec vel a Sacerdotum officio alienum erat, divinam promere & promulgare voluntatem, cujus quippe interpretes erant, vel, ubi de Rege divinitus electo alias jam conſtabat, quicquam prohibebat, quo minus Sacerdotes ungendi defungerentur officio: ut nunc Prophetæ, nunc Sacerdotis miniſterio, Deus pro liberrima & ſapientiſſima voluntate ſua, uſus videatur. Pergimus ad unctionis

η) Modum ac formam. De qua, ex ſua Magiſtrorumque ſententia, tribus capitibus diſtincte egit ABARBENEL *cit. Tract. ad Exod. XXX. cap. IV.* cauſam ſcrutatus, propter quam Sacerdotum & Regum unctio in capite perageretur, vaſorum autem ſanctuarii, in quavis ſui parte? *cap. V.* teſtatus, quod Sacerdotibus & Regibus neceſſaria fuerit cum effuſio, tum inunctio, vaſis autem ſacris ſola ſuffecerit inunctio: & *cap. VI.* perhibens, quod Reges in formam coronæ, Sacerdotes in modum literæ Caph, vel Græcæ χ, aut κ, unctionem perceperint. *Prima quæſtio* facili negotio expeditur, ſi conſideremus, principem in membris corporis humani locum caput tenere, להיות הראש מקום החכמה והתבונה ומקור המעלה היה ראוי שימשחו הכהנים מורי התורה והמלכים מנהיגי העם על ראשם *quoniam caput ſapientiæ atque intelligentiæ ſedes eſt, fonsque dignitatis, par erat, Sacerdotes, qui legis ſunt doctores, Regesque, qui populi ductores, ungi in capite.* Aſt vaſa ſanctuarii æqualibus conſtant partibus, ut perinde eſſet, quacunque ſui parte oleo tingerentur ſacro. *Circa medium*, diſtinguunt Judæi inter היציקה *effuſionem* olei e vaſe, in caput candidati, & inter משיחה ſubſecutam *inunctionem*, quando ex effuſo oleo, certam digito deſcribebant figuram, in fronte ungendi. Jam cum ex duplici ratione hominibus adhiberetur unctio, 1) ליחד הנמשח לגבוה *ad uniendum & addicendum Deo eum, qui ungitur*, 2) להכינו לקבול השפע האלהי *ad diſponendum eum, quo accipere poſſet influxum divinum*; qui in Sacerdote Summo erat, בחול עליו רוח הקדש *ut inſiliret in eum Spiritus Sanctus*; in Rege vero בהצלחת מעשיו *ut proſpere ac feliciter rem ageret*: inde concludit ABARBENEL, gemina quoque in ungendis illis opus fuiſſe actione. Contra vero ea, in vaſorum conſecratione, unum ſolum unctionis obtinuiſſe ſcopum, nimirum ההבדלה *ſeparationem* eorum ab uſibus profanis, והיחוד *& addictionem* ad uſus ſacros, hinc unam ipſis ſuffeciſſe ungendi actionem. Quæ futilis diſcriminis ratio facile exploditur; maxime cum valido nullo demonſtrari poſſit argumento, inungendi ritum ab effuſione revera diverſum, & utrique locum fuiſſe in hominum inauguratione. Infuſum, in caput Regum, oleum memoratur 1 Sam. X, 1. 2 Reg. IX, 3, 6; pariter in verticem Pontificis, idque in abundanti copia, ex Pſal. CXXXIII, 2. colligitur: diſtinctam autem, poſt effuſionem, nullibi legimus inunctionem, digito factam. Quin potius Scriptura, infuſionem olei & unctionem promiſcue uſurpat, modo hanc ponens, modo illam, immo diſerte effuſionem olei Geneſ. XXVIII, 18. per unctionem exponit c. XXXI, 13. nunquam autem utramque jungit, ut ſatis inde intelligatur, in Sacris literis paria facere utramque, nec geminam inde cerimoniam, in unctionis ritu, poſſe exſculpi. *Circa tertium* denique in fumos abit, quicquid de figura coronæ, vel in capite ſimpliciter, vel inter oculorum palpebras in fronte Regum, oleo ducta; rurſumque de figura כי יונית *χι Græci*, vel כ Hebræi, hoc eſt, crucis Andreanæ X, inter ſupercilia Sacerdotum effigiata, prolixe cum ſuis tricatur ABARBENEL: ut mirari ſubeat, qua fiducia, commento iſti Judaico, duumviri doctiſſimi, SELDENUS *de Succeſſ. in Pontific. lib. II. cap. IX. p. 242. ſqq.* & SCHICKARDUS *cit. loc. p. 75.* & ipſi ſubſcribere, & fidem apud alios, auctoritate ſua, conciliare potuerint. Quicquid eſt iſtius fabulæ, non alio ſuffulcire tibicine noverat ABARBENEL, quam שקבלו ח״ז מן הנביאים שראו המשיחות ההמה בעיניהם *quod ipſi piæ memoriæ Sapientes acceperint a Prophetis, qui hujusmodi unctio-*

nem

nem oculis suis conspexerunt. Cujus furfuris traditiones quam subleſtæ ſint fidei, nemini non conſtat, maxime cum ſub templo ſecundo ſacrum illud oleum inter deſiderata referretur, nec niſi ſtante templo priore, Sacerdotum unctio locum haberet; ut & inſignem tot ſæculorum ætatem iſta ferret traditio, & ſicco tamen pede in Scriptura prætereatur. Quando vero Lev. XXI, 12. de Pontifice affirmatur, כי נזר שמן משחת אלהיו עליו *quod corona olei unctionis Dei ejus ſuper eo*, non de figura unctionis capiendum hoc eſt, quod perperam inde colligit SCHICKARDVS, *etiam Pontificibus coronæ formam fuiſſe inunctam* ſuſpicatus, *priusquam Reges haberent*, ſed de Pontificis, ex reliqua hominum, quin & Sacerdotum turba, ſegregatione & exemptione, cujus oleum ſacrum erat ſymbolum, quo ſenſu Joſeph etiam נזיר אחיו *ſeparatus fratrum ſuorum*, Geneſ. XLIX, 26. Devter. XXXII, 16. audit. Quanquam malint alii de aurea illa lamina, cui ſanctitas Domini ad frontem ejus inſcripta legebatur, accipere, quæ æque נזר appellatur Exod. XXIX, 6. XXXIX, 30. Sed iſta notio, licet pariter a ſegregatione Pontificis ortum trahat, verborum tamen interpretationem aſperam reddit & hiulcam. Confer POLI *Synopſin in h. l.* Adjiciamus tandem

9) Typicam Chriſti adumbrationem, Regis immenſis Spiritus Sancti donis uncti, Pſalm. XLV, 8. Actor. X, 38. quam obiter jam ſupra tetigimus, & e qua celebre τȣ̃ משיח *Meſſiæ* nomen, ὅ ἐςιν μεθερμηνευόμενον, ὁ Χριςός, Joh. I, 42. promanavit. Spectat huc inſignis locus IVSTINI MARTYRIS *in Dialogo cum Tryphone Judæo pag.* 261. edit. Sam. Jebb, Londin. *οἱ βασιλεῖς πάντες καὶ οἱ χριςοὶ, ἀπὸ τȣ́τȣ μετέσχον, καὶ βασιλεῖς καλεῖσθαι καὶ χριςοί· ὃν τρόπον καὶ αὐτὸς ἀπὸ τȣ̃ πατρὸς ἔλαβε, τὸ βασιλεὺς, καὶ χριςὸς, καὶ ἱερεὺς, καὶ ἄγγελος, καὶ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα ἔχει, ἢ ἔσχε. Reges omnes & uncti, huic accepto tulerunt, quod & Reges & uncti vocitati ſint: quemadmodum & Ipſe a Patre accepit, quod Rex, Chriſtus, & Sacerdos, & Angelus ſit dictus, & quæcunque ejusmodi alia habet, aut habuit nomina.*

Ad §. IV. pag. 8.

(5) *Quemadmodum corona*] Pergit Auctor ad cetera Regum Iſraeliticorum inſignia, & in his numerat

A. Coronam: de qua cum admodum parci ſint Rabbini, potiora, quæ huc ſpectant, congeſſit laudatus CARPZOV. *ad Schickard. Jus Reg. cap. I. Theor.* 4. *p.* 60. & 1) coronatos fuiſſe Reges populi Dei, ex Pſalm. XXI, 4. LXXXIX, 40. Jerem. XIII, 18. 2 Sam. I, 10. 2 Reg. XI, 12. 2 Chron. XXIII, 11. probat: 2) de Herode ex IOSIPPO refert, quomodo ſupplex Auguſto Cæſari factus, coronam depoſuerit, juſſuque Imperatoris receperit in caput ſuum: 3) fabulam promit Rabbinicam ex Gemara *Maſſ. Avoda Sara fol.* 44. *col.* 1. & *Maſſ. Sanhedrin fol.* 21. *col.* 1. ſecundum quam hoc ſignum fuerit domui Davidis, ut omni ad regnum apto, corona pulchre congrueret, omni vero, qui regno indignus eſſet, non congrueret: quod exemplo Adoniæ 1 Reg. I, 5. illuſtratur, cui plane non congruerit corona regni. Quo referendum quoque 4) quod SCHICKARDVS *cap. VI. Theor.* 19. *p.* 421. monet, coronam cum Rege mortuo conſepeliri conſueviſſe: & quæ 5) Judæi paſſim, de triplici corona gloriantur, כתר תורה *corona Legis*, כתר כהונה *corona Sacerdotii*, & כתר מלכות *corona Regni*, quas tamen omnes ſuperet כתר שם טוב *corona boni nominis*, de quibus SCHICKARDVS & ad eum CARPZOVIVS teſtimonia, & obſervatu digna copioſe congeſſerunt *pag.* 2. *ſq.* & *pag.* 224. *ſq.* quibus adde Hieroglyphicum trium; quatuorve coronarum iſtarum, æri inſcriptum, quod magnus WAGENSEILIVS exhibet *in Sota p.* 967. Confer etiam, qui *de coronis* ex inſtituto egerunt, PASCHALIVM, MEVRSIVM, MADERVM. Singularis hic eſt IOH. HIERON. SOPRANES, Lojolita Genuenſis, quando ſubjuncta Commentario in Davidem, *digreſſ. I. de*

re vestiaria Judæorum, cap. V. §. 2. *p.* 450. Hebræorum Regibus coronam fuisse aliam, quam diadema negat. Hoc enim, postquam lineam fuisse fasciam candidam, capiti circumligatam, scite probasset, ornamenti illius rationem addit: *quia Reges olim, inauguratione sua, pretioso oleo circa tempora inungebantur, & sic inuncti & quasi sacrati, linteolo tempora delibuta velabant, & in eo habitu primum in conspectu populi prodibant: inde factum, ut fascia circa tempora, insigne Regis haberetur, ut inuncti, & ad sceptrum sacrati. Processu vero temporis, opere Phrygio variata, gemmisque distincta, non solum ad inunctionem velandam, sed ad ornatum conferendum, cœpta est usurpari.* Paucis interjectis pergit: *Quare dubium non est, Hebræorum Regibus aliam coronam regni insigne non fuisse, quam diadema, sic explicatum: quod satis illa confirmant, quæ supra docuimus, in Sacris literis vittas omnes capiti circumdatas, coronas appellari.* Quam autem perperam ille coronas Regum in diademata commutet, vel una regis Ammonitarum corona, Davidi imposita, 2 Sam. XII, 30. satis edocet: & Ezech. XXI, 31. juncta המצנפת *cidaris* τῇ העטרה *coronæ,* eidemque contradistincta, quæ utraque regi Zedekiæ cum opprobrio auferenda prædicitur, commentum illud satis convellit. מצנפת enim *diadema*, sive fasciam, XVI cubitos longam, ex subtilissima & albissima bysso, circa caput per varias plicaturas in orbem convolutam, notare, IOH. BRAVNIVS *lib. II. de vestitu Sacerdot. Hebr. cap. III. p.* 518. & *cap. XXI. p.* 794. ad oculum demonstravit. Vtrumque sane, & רדיד *tiaram*, & super tiara, כתר המלכות *regiam coronam*, Regibus Hebræis, ex Chronico templi secundi, GILBERT. GAVLMINVS, *notarum ad librum II. de vita & obitu Mosis cap. VI. p.* 317. tribuit. Obiter hic quoque notamus, quod EVTYCHIVS ALEXANDRINVS *Annal. Tom. I. p.* 63. edit. Pocock. refert, Nimrodum primum omnium coronam, cujus figuram e nube didicerat in cœlo, capiti suo imposuisse; unde factum, ut homines, coronam ipsi e cœlo delapsam esse, dicerent. Idem quoque *p.* 507. perhibet, cum Constantinopoli plebs universa, ad eligendum Imperatorem, in templum confluxisset, evenisse, ut finitis sacris, avis magna, ore suo coronam ex luce tenens, Theodosii M. capiti illam imponeret, quo augurio rerum ille potitus sit. Denique hic observare juvat discrimen, quod in Aula Constantinopolitana olim inter στέμματα obtinebat, & inter στεφάνους. Nam Imperatorum & Augustarum coronas, στέμματα vocabant, ceterorum vero, quibus jus etiam erat coronæ, licet infra dignitatem essent imperatoriam, στεφάνους: quod latius probat & illustrat CAROL. DV FRESNE *Glossar. Græco fol.* 1442. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

Ad §. IV. pag. cit.

(6) *Sceptrum*] Est hoc *B.* insigne Regum Hebræorum, a Rabbinis alto pressum silentio, nisi quod laudatus modo GAVLMINVS שרביט המלכות *sceptrum regni*, fide citati Chronici, eis largiatur. *Non autem dubium est*, inquit b. CARPZOVIVS *supra cit. loc. p.* 61. *sq.* quin traditum simul in coronatione sit sceptrum, non postremum regiæ potestatis insigne. Expendantur loca Gen. XLIX, 10. Num. XXIV, 17. Ps. XLV, 7. Ezech. XIX, 10. sqq. & conferantur, quæ de sceptro regio, quod Herodis mortui dexteræ inditum fuit, ex IOSIPPO paulo ante notavimus. Denuo SOPRANES, priscæ simplicitatis tenacissimus, ex sceptro baculum aut virgam, & tantum non pedum pastorale exsculpit, auctoritate SVIDAE *voce* σκῆπτρον, unde illud a Davide Ps. XCIV. (nobis XLV, 7.) *virga regni* vocetur; de qua, quomodo Hebræis Regibus in usu fuerit, *in Comment. ad* 1 *Reg. XIV.* se exposuisse refert, qui mihi nunc non est ad manus. Notatu autem digna sunt, quæ de varia regii sceptri apud diversas gentes figura, erudite congessit ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. I. dier. genialium cap. XXVIII. extremo*, ubi ita commentatur: *De regali autem sceptro illud memoriæ proditum est, externorum Regum sceptra in summo ciconiam, in imo hippopotamum habere*

effictum: quo argumento Regem justitiæ obsequi oportere, atque feritatem & indomitas libidines, ne ira desæviat, emollire significabant: quod ciconia summæ pietatis, hippopotamus violentissimum animal foret. Lydiæ vero reges sceptri loco securim habuisse feruntur, sicut Labradeus Jupiter in Caria, pro sceptro & fulmine, securim ferebat. Romanis vero regibus, lituus cuspide incurva, qui etiam virga auguralis erat, sceptri loco est habitus. Tarquinio Prisco sceptrum fuit eburneum, in summo aquilæ figuram habens, & corona aurea, quam usque ad extremum tulit. Indis autem, nisi ex ebeno, sceptra sumere non licebat. Quorum reges cum jura dabant, aut exteros legatos admittebant, tunc capillum pectere, atque ornari solebant eximie. Babylonii vero tanto studio sceptra prosequuti sunt, ut extra domum sine sceptro prodire, aut conspici nefas ducerent: in quibus diversas effictas species figurasque habebant, quippe mali, rosæ vel lilii, aut aquilæ, alteriusve avis in summo insignia ferebant. Quibus singulis, citatis veterum Scriptorum testimoniis, fidem conciliat *in Annotation. ad h. l.* ANDREAS TIRAQVELLVS. Sceptri autem regii latissimum & antiquissimum usum exemplis declaravit DORSCHEVS *in Parallelis Monasticis & Academ. p.* 3-10. Quocum confer, quæ de sceptro habet MARTINVS DE ROA *Singular. S. Script. Tom. I. lib. II. cap.* 5. *p.* 121. *sqq.*

Ad §. IV. pag. 8.

(7) *Thronus*] Jure suo C. Thronus etiam inter majestatis habebatur symbola, qualem e Regibus Hebræorum primus Salomo, exquisita arte, maximis sumptibus, parasse sibi legitur, 1 Reg. X, 18. 2 Chron. IX, 17. de quo, post PINEDAM *lib. VI. de rebus Salomon. cap. VII. & VIII. f.* 581. *sqq.* uberrime, ex Judæorum mente, commentati sunt SCHICKARDVS *c. l. c. IV. theor. XIV.* & ad eum CARPZOV. *in Notis p.* 243. *sqq.* quorum expilare scrinia, animus non est. PINEDAE vero præterire errorem nolo, qui *lib. II. cap. XI. p.* 104. *b. illud peculiare regno & throno Salomonis fuisse,* contendit, *ut Regnum & Thronus Dei diceretur, quod in illius regni sede & throno, olim Deus ipse sessurus esset:* typum cum antitypo temere confundens.

Ad §. eund. pag. eand.

(8) *Habitus corporis*] Pertinebat quoque ad regium ornatum *D.* Vestitus splendidior, de cujus forma & modo ita habet SOFRANES *p.* 451. *a. Regum insigne fuit vestis exundans, & sinuose fluens, apud omnes gentes. Et id ob non aliud, quam ut ex ipso habitu statim appareret, ipsos non esse ad ullum exterius opus, & mechanicum destinatos; nec ad aliquid exequendum, sed ad imperandum.* Quod vereor, ut de omnibus gentibus affirmari queat, cum Phœnicibus, Syris, & Cilicibus regibus, chlamydem indumentum fuisse, Jubam autem regem sagulo usum purpureo, observet ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. V. dier. genial. cap. XVIII.* Cleomenes quoque, cum tamen Rex dici simul & haberi vellet, brevi tunica amictus, a PLVTARCHO describatur. Recte vero habent ea, quæ de purpura, a Regibus gestari solita, tradit Auctor, eaque ALEXANDER AB ALEX. *loco mox allegato* evidenter demonstrat. Hinc *Regum purpuram,* VIRGILIVS *Georg. lib. II. v.* 495. ipsosque *Reges purpureos,* CLAVDIANVS canit *lib. II. de raptu Proserp. v.* 300. De purpura vero, qui plura cupit, evolvat PLINIVM *lib. IX. Hist. nat. cap. XXXVI -- XL.* & qui PLINIVM hic loci emendat, & varia purpuræ genera curate recenset, OCTAVIVM FERRARIVM *de re vestiaria L. II. cap.* 7. *p.* 147. porro LVDOVIC. CAELIVM RHODIGINVM *Lection. Antiqu. Lib. VII. cap. XI.* ac universæ antiquitatis promum condum, CLAVD. SALMASIVM *Plinian. Exercit. in Solinum p.* 806. *sqq.* 912. *sq.* 936. &c.

Ad §. cit. pag. cit.

(9) *Albates & Obscuros*] Idem, quod Auctor, sed plenius observavit DAN. HEINSIVS *in*

Exerc. Sacr. ad Luc. XXIII, 11. Vestis alba, inquiens, sive candida, præterquam quod eorum, apud Hebræos quoque esset, qui חורים *h. e. primores dicebantur, non minus innocentiam notabat. Adeo ut sapientes dicerent, verecundum neminem ac probum esse* אם לא יהיו בגדיו לבנים *nisi albæ ejus vestes essent.* Quocum confer LVDOV. DE DIEV, qui *ad eund. loc.* scribit: ἐσθὴς λαμπρὰ vestis candida *divitum ac nobilium, opponitur τῇ ῥυπαρᾷ* sordidæ, *pauperum & abjectorum Jac. II, 2. Olim enim Nobiles candidis vestibus induti ibant, ac inde* חורים candidi, *a* חור candidum esse, *dicebantur.* Facit huc præ ceteris sententia Salomonis Coh. X, 17. *o te beatam regionem,* שֶׁמַּלְכֵּךְ בֶּן־חוֹרִים *cujus rex est filius Nobilium:* Vbi diligentissimus & acutus interpres GEIERVS *Comm. in h. l.* vim vocis solertissime excussit: *nomen* חורים inquiens, *designat optimates, regimini alicujus urbis vel ditionis præfectos, ceu* 1 *Reg. XXI,* 8, 11. *Neh. II,* 16. *IV,* 14. *V,* 7. *VI,* 17. *VII,* 5. *XIII,* 17. *de optimatibus, Israeli e captivitate reduci præfectis: sic de principibus aliis Jes. XXXIV,* 12. *& de nobilibus Judæ, Jer. XXVII,* 19. *& XXXIX,* 6. *Descendit autem a Rad.* חור, *unde &* חור *candidum, ac proin significat viros, alba splendidave veste, auctoritatis causa incedentes, vel alioquin sapientiæ virtutumque nomine maxime insignes, claros, aut præ aliis illustres. Albus enim color præ ceteris, plurimum habet lucis, quare Romanorum quoque Candidati, qui honores petebant in Comitiis, civesque alii honoratiores, utebantur vestitu candido.* Cumprimis vero PINEDA *Comment. in Coh. IX,* 8. postquam album vestitum a candido distinxerat, & arte fullonica vestibus inductum docuerat candorem, tali habitu in lætitia, in sacris, & in conviviis usos fuisse Veteres, erudite demonstrat. Eo tamen magis miraberis, quod STVCKIVS *lib. II. Antiqu. Conviv. cap. XXVI. f.* 235. probat, vestes albas Argis, Græcis, Japoniis, aliisque, tempore luctus, in usu fuisse. Sed in fœminarum luctu albas cumprimis obtinuisse IOH. HIERON. SOPRANES *supra cit.* edocet *cap. VII. §. 2. p.* 542. Si Sacras consulamus literas, ad Regium ornatum spectasse vestes albas, & majestatis symbolum fuisse, liquido apparet. Mardochæus regio habitu honorandus, albis indutus legitur, Esther. VIII, 15. Et ipse Deus, propter majestatis suæ splendorem & gloriam, luce vestitus dicitur, tanquam vestimento Ps. CIV, 2; quin & frequenter albis vestibus amictus, apparuit in nubibus, & in solio suo Dan. VII, 9. Apoc. III, 18. & XIX, 14. Christus etiam, in splendida coram discipulis transfiguratione, album se exhibuit Matth. XVII, 2. Luc. IX, 29. ut gloriam suam & majestatem divinam manifestaret. Ceterum, cumprimis huc faciet CHRISTI. FRANCISCI PAVLLINI *de candore* liber singularis A. 1703. editus, cujus *Sect. II.* sacrum candidarum vestium usum, in baptizatis, sacerdotibus, sacrificiis, precantibus &c. *Sect. III.* usum politicum, Regum, nobilium, senatorum, gratulantium, honores ambientium, lugentium, senum, nec non nuptialem, convivalem, & natalitium, prolixe exponit. De baptismi luce & candore, albarumque solennitate, vide IOH. FILESACVM *Selector. lib. I. cap. III. p.* 35. *sqq.* ubi simul *p.* 40. erudita digressione, de Candidatis militiæ, agit. Vicissim *nigrum colorem* apud Hebræos, lugentium, eorumque, qui in tristitia versantur, adeo fuisse proprium observat SOPRANES *p.* 541, ut in Scriptura, quæcunque nigrescunt, lugere dicantur, & quæcunque lugent, eo ipso nigrescere, ut Jer. IV, 28. Atri quoque coloris habitum, postquam luctui & tristitiæ inserviisse, allatis tantum non omnibus, quæ huc faciunt, Scripturæ locis demonstrare allaboraverat magnus GEIERVS noster *de luctu Hebræor. cap. XXII. §.* 5, erudite tandem observat, nigredinem luctui dicatam in Sacris literis citra dubium se non deprehendisse, cum verbum קדר non tam pullum vestitum, quam obscuritatem, qualis astrorum serenitati, aut candori splendescenti opponitur, proprie designet, adeoque *atratum incedere* idem sit, ac vultu obscuro atque tristi, ut solent σκυθρωποι, incedere, vel cutem habere squalidam, scabram, æstuque velut solis adustam, Job. XXX, 28. Nigrum tamen habitum, apud gentes quamplurimas,

mas, luctus præbuisse indicium, præter SOPRANEM cit. OCTAV. FERRARIVS *lib. I. de re vestiar. c. XXIII. p.* 71. KIRCHMANNVS noster *de funer. Roman. lib. II. cap. XVII. p.* 232. *sqq.* IOH. ANDR. QVENSTEDT *de sepultura Veterum p.* 148. KORNMANNVS *de miraculis mortuor. Part. VII. c. XXXIII.* aliique, ex instituto demonstrarunt. In reatu & luctu Hebræis quoque atram vestem asserit MARTINVS DE ROA *Singular. S. Script. L. II. cap. II. p.* 152. *sqq.* Nobis, in re satis perspicua, prolixioribus esse non libet.

Ad §. V. pag. 8.

(10) *Matth. XXVII,* 28. *Luc. XXIII,* 11.] Pilatum, sive militum ejus cohortem, Christo Regi, ut ferebatur, injecta purpura illusisse, ex iis liquet, quæ paulo ante monuimus: quibus jungantur, quæ HENR. MVLLER. *in Jesu patiente not. XXXVI. p.* 108. *sqq.* in eandem attulit sententiam. Albis autem per ludibrium induebatur ab Herode, alio omnino & dispari cum empæctæ regis, tum sapientissimi Numinis, consilio. Illud, ut reliquas mittam conjecturas, eo haud dubie spectabat, ut patienti Servatori, tanquam Candidato regni insultaret, quod jam a THEOD. BEZA, & copiosius ab ANTON. BYNAEO *de morte J. C. lib. III. cap. II.* §. 11. *p.* 79. fuit observatum. Apud Romanos certe, qui Magistratum petebant & honores, togam induebant candidam, nec albam modo, sed etiam splendidam, sive fulgore coruscantem, qui ex albo reluceret, unde dicti sunt *Candidati.* τῦτο γὰρ ἔθος ἐςὶ τοῖς τὰς ἀρχὰς μεταπορευομένοις, inquit POLYBIVS *Hist. lib. X. cap. XV. hic enim mos* ἐσθῆτα λαμπρὰν *togam candidam* sumendi, *eorum est, qui honores petunt.* Hunc morem prolixe descriptum vide apud GRAEVIVM in *Thesaur. Antiqu. Roman. Tom. XI. p.* 791. OCTAV. FERRARIVM *lib. I. de re vestiar. cap. XXI. p.* 66. *sq.* & PRÉVOT. *de Magistrat. Rom. cap. V.* Sed ex Dei consilio, non immaculatæ tantum innocentiæ indicium præbebat vestis candida; quod post AMBROSIVM, certatim animadverterunt Interpretes: sed & cumprimis, quod nemini hactenus in mentem venisse deprehendi, ut Pontificem designaret, in die expiationis officio suo rite defungentem. Geminus enim erat Pontifici Maximo ornatus, quorum alter בגדי זהב *vestes aureas* complectebatur, alter בגדי לבן *vestimenta alba.* Illis utebatur ordinarie, quotiescunque sacra perageret, præterquam in solenni expiationis festo, die X Tisri, cujus diei ministerio, ut solus Pontifex universo, ita non nisi vestitu candido amictus, ne balteo quidem excepto, fungebatur. Immo, quod Judæi tradunt Cod. *Joma cap. III. Mischna* 7. bis eo die albis induebatur, mane Pelusiacis, quæ XII minis constabant, & vesperi Indicis, VIII minarum pretio comparatis, utrisque ex bysso subtilissima & albissima. Confer ad cit. loc. Mischnæ, ROBERT. SHERINGHAMIVM *Annot. p.* 58. *sqq.* & quæ infra redibunt *cap. seq.* §. 6. Quæ causæ vestitus candidi eo die fuerint Pontifici, BRAVNIVS exponit *lib. II. de vestitu Sacerdot. Hebr. cap. XXVI.* §. 54. *p.* 935. *sqq.* Cur vero Deus permiserit, inter cetera ludibria, Christum indumento tegi albo, causam fuisse existimo, ut a Judæis verus agnosceretur Pontifex, in יום הכפורים *die expiationis* magno, suo dum satisfaceret officio, albis indutus.

AD

LIB. I. CAPVT V.

DE PONTIFICIBVS SVMMIS. ETC.

Ad §. I. pag. 8.

Tribus ordinibus ministrorum] Comparatio, quam Auctor inter templi Ministros in V. & N. T. instituit, ita ut Sacerdotes Episcopis, Levitæ Diaconis, & Nethinæi Subdiaconis respondeant, plus habet in recessu, quam prima

fronte

fronte in oculos incurrit. Quoniam enim Angli hanc inter Episcopos & Diaconos differentiam juris esse asserunt divini, typum ex hoc triplici ordine Veteris œconomiæ exsculpunt, cum antitypo Novi Fœderis necessario conferendum, quod vir summus, IAC. VSSERIVS, Archiepiscopus Armachanus, in opusculo, *de Episcoporum & Metropolitanorum origine*, quod Latine, cum aliis lucubrationibus junctum primum prodiit Londini, A. 1687, ex instituto probare sustinuit. Istam vero subordinationem, cum divinam esse negent, ceteri extra Angliam Theologi Reformati, typicam quoque relationem istam operose explodunt. Vnde VSSERIVM κατὰ πόδα refutat CAMPEG. VITRINGA *ad Synagogam veterem prolegomen. cap. VI. p.* 53. postquam *prae. cap. V. p.* 44. evicisset, ritum & exercitium Christianæ religionis, ex Synagoga potius, quam ex λειτουργίᾳ templi esse arcessendum; quæ princeps, in prolegomenis istis, viri doctissimi est tractatio.

Nec negari omnino potest, ingentem errorum lernam, ex typica isthac collatione, olim jam in Ecclesiam manasse, quæ corruptelis Pontificiis latam aperuit portam. Primorum quippe seculorum fideles, pro sua quisque conditione, symbola panis & vini ferebant ad sacram mensam, post benedictionem Presbyteri inter ipsos distribuenda; reliquum autem quod erat, distribuendum inter Presbyteros & Diaconos, cum ad eorum sustentationem, tum pauperum. Hæc munerum ad mensam latio, successu temporis cœpit dici *oblatio;* quare mensa, in qua disponebantur τὰ δῶρα, dicta est *altare*, Episcopi autem & Presbyteri, qui iis benedicebant, *Sacerdotes* audiebant, Diaconi vero, qui ea distribuebant *Levitæ*. Succedente tempore hæc δῶρα, sive oblationes, quia a fidelibus in usum Ecclesiæ Deo sistebantur, considerata sunt ut *sacrificia*, quæ a Sacerdotibus offerebantur Deo, in remissionem peccatorum. Vnde Papatus, transsubstantiatione addita, conflavit *sacrificium Missæ:* cujus fundamentum est, dari sub N. T. Sacerdotes proprie dictos, eo respectu a plebe distinctos, quo olim ab ea distincti fuere Sacerdotes Aaronici, qui potestate polleant, Deo sacrificium faciendi pro aliis, ita ut plebi Christianæ æque ac olim Israeliticæ interdictum sit, ad peragendum sacrificium, altare. Quos Missæ natales, concise VITRINGA *p.* 69. copiose autem, & data opera, Venerab. Theologus, & nobis amicissimus D. SALOM. DEYLINGIVS *in novitate error. Pontific. circa S. Eucharistiam, Observat. IV. & V.* Observat. Miscellan. p. 290, 300. sqq. est prosecutus.

Jam, si qua est admittenda relatio typica, ad Scripturæ ductum ita habet. Ecclesia tota Novi Test. templum refert: Christus Dominus repræsentatus est per Sacerdotem Summum, quem Paulus Hebr. IV, 14. VIII, 1. IX, 11. non ἀρχιερέα modo, verum etiam μέγαν ἀρχιερέα appellat; Fideles vero omnes, per Sacerdotes gregarios, Apoc. I, 6. 1 Pet. II, 5. quibus competit offerre sacrificia, ac spiritualia. Rursus, in quantum solus Christus in N. T. jus habuit accedendi ad Deum per victimam, a se præparatam, omnes promiscue Sacerdotes gregarii Christum referebant, tanquam ἀντίτυπον suum: vicissim Fideles repræsentati censentur per Israelitas, quibus non licebat, nisi per Sacerdotes, tendere ad Deum. Ita Christus noster Sacerdos in perpetuum, servare potest τοὺς προσερχομένους δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ, *eos, qui per ipsum ad Deum accedunt*, Hebr. VII. 25. Quo respectu ipsi quoque Pastores inter Christianos, æque ac ceteri fideles considerantur ut gregarii Israelitæ. Denique omnes etiam fideles Novi Test. designati esse censentur per Pontificem Maximum, quando per sacrificium Christi jus potestatemque consecuti sunt, cum fiducia ingrediendi Sanctum Sanctorum, & absque ullo impedimento, vi consummatæ obedientiæ Christi, recta accedendi ad thronum gratiæ divinæ. Quod Paulus Hebr. X, 19. confirmat, fideles ἔχειν παῤῥησίαν εἰς τὴν εἴσοδον τῶν ἁγίων, ἐν τῷ αἵματι Ἰησοῦ. Hoc respectu Christus consideratur ut sacrificium pro peccato, cujus virtute sanguinis fideles indesinenter, cum libertate & fiducia, ad Deum appropinquant,

velut olim Pontifex ingreſſus eſt in Sanctum Sanctorum. Vix itaque alium deprehendes reſpectum typicum, quo Sacerdotes & Levitæ Veteris œconomiæ, Novi Fœderis referant Epiſcopos & Diaconos, quam in quantum utrique ſacris operantur: triplicem autem illam, quam Auctor in medium attulit, collationem typicam, fœcundam errorum Papiſticorum matrem, Scriptura omnino ignorat.

Ad §. I. pag. 8.

(2) *Primogenito cedebat Pontificatus*] Hoc eſt, quod HOTTINGERUS junior, *in Annotat. ad h. l. Auctoris*, ordinarie quidem uſitatum fuiſſe admittit, *ſed non ſemper, nec lege aliqua.* Probat 1) ex Pontificatu Eli, qui 1 Chron. VI, 3-9. inter Eleazaris poſteros non refertur, a IOSEPHO autem *lib. V. Antiqu. cap. ult.* Ithamaris familiæ aſſeritur: 2) ex Magiſtrorum ſcito, qui in ſucceſſione Pontificali דין ירושה *jus hæreditarium*, ut apud Reges, obtinuiſſe negant, unde ungendus ſemper fuerit Pontifex, licet eſſet כהן גדול בן כהן גדול *Pontifex, filius Pontificis*, contra vero apud ABARBENELEM *Comm. in Leg. fol.* 207. *col.* 1. docent, pulcherrimum, ditiſſimum, fortiſſimum e medio fratrum ſuorum electum, & huic provinciæ fuiſſe admotum. At enim vero, contra ABARBENELEM, LUNDIUS *Antiqu. Judaic. Lib. III. cap. XXI. p.* 491. *ſq.* pro ſucceſſione primogenitorum pugnat, partim ex ſerie Pontificum in tabernaculo & templo priore, recta linea, ſecundum primogenituræ ordinem ſibi ſuccedentium, partim ex teſtimonio IOSEPHI *lib. V. Antiqu. cap. I.* contrarium perhibentis. Prolixe, & ſumma cum cura, in iſtam controverſiam inquiſivit magnus SELDENUS *lib. de Succeſſione in Pontificatum Hebræorum*, dignus qui evolvatur. LUNDIO ſane refragatur Pontificatus Eli, qui ex Ithamaris erat familia. Aaroni quippe, poſt Nadab & Abihu, igne extinctos, ſuperſtites erant filii Eleazar & Ithamar. Ad illum jus ſpectabat Sacerdotii magni, quod poſt Aaronem ipſe, eodemque defuncto ſucceſſor, filius primogenitus Pinehas, adminiſtrabat. Quo autem cunque caſu contingeret, in Eli 1 Sam. I. ad familiam Ithamaris Pontificalis dignitas fuit translata. Hunc enim Ithamaridem fuiſſe, ex 1 Chron. XXIV, 6. liquido colligitur, ubi Achimelechus, ab eo genus ducens, ad Ithamaris proſapiam refertur. Quam ob cauſam translatio iſta ſit facta, SELDENUS *lib. I. cit. cap.* 2. ex Judæorum conjectura exponit. Eoque jure familia ejus gaviſa eſt usque ad Salomonis ætatem, qui Abjathare, ex Ithamaris poſteris oriundo, de dignitate locoque dejecto, Eleazaris lineam, in Zadoko nepote reſtituit: de quo SELDEN. *cap. III. & IV.* Ad componendum itaque diſſidium iſtud dixerim, ordinarie quidem primogenitum parenti in Pontificatu ſucceſſiſſe, ſed ita, ut, ubi primogenitus nævo aliquo laboraret, minusque eſſet idoneus, dignior ex fratribus ejus legeretur; ubi vero ſontica de cauſa, loco moveretur Pontifex, dignitatem iſtam ab una linea Aaronis tranſiiſſe ad alteram, ne patri ſuperſtiti filius ſurrogaretur. Atque ſic ſucceſſio in alterutra obtinuit linea, usque ad Antiochi Epiphanis tempora, quibus Haſmonæi, qui ortu vulgares erant Sacerdotes, ex ordine Jojarib, Pontificatu potirentur, regnumque cum ſacerdotio conjungerent. Unde triplex eis a Judæis aſperſa fuit labes, quod extra lineam Pontificalem ſacerdotium magnum invaſerint; quod ſceptrum, tribui Judæ dicatum, populo licet annuente, arripuerint; & quod ſceptrum cum ſacerdotio combinarint. SELDEN. *cap. VI. & X.*

Ad §. III. pag. 8.

(3) *Differunt in initiatione*] Differentiam unctionis Sacerdotis Summi, & ceterorum gregariorum expoſiturus Auctor,

α) videtur, ex mente LYRANI, unctionem Sacerdotum vulgarium negare, cum ſolum fuerint adſperſi; æque ac BIERMANNUS *Moſes & Chriſt. Lib. I. cap. V. p.* 78. minores Sacerdotes unctos fuiſſe negat, ſolum autem manibus ſuis

oleo

oleo sacro, cum sanguine sacrificiorum permisto, adspersos largitur ex Lev. VIII, 30. Verum, ut posito uno, non statim evertitur & tollitur alterum: ita utrumque locum apud ipsos habebat, ut & adspergerentur manibus, & inungerentur fronte sua. Certe Exod. XXVIII, 41. Moses filios quoque Aaronis ungere ac initiari diserte jubetur, ut sacerdotes sint Domini: & ne nudam intelligas adspersionem, Exod. XL, 13. coll. 15. prohibet. MARCKIUS mox citandus §. 3. *p.* 15. ita definit, ut primos quidem Sacerdotes gregarios, Aaronis filios, unctos agnoscat, eorum autem successores nulla opus habuisse unctione censeat, quod nativitatis jure sacerdotium ad ipsos devolveretur, nec post filios Aaronis ulli legantur amplius uncti, sed omnes per unctionem illam primam sanctificati censeantur, per Exod. XL, 15. In qua sententia demonstranda, ABARBENEL supra citatus ad cap. XXX. Exodi *toto cap. VII.* versatur. Et in ea nos quoque acquiescimus. Præterea vero utriusque unctionis differentiam in affusi olei copia ponimus, ita ut largius oleo sacro perfunderetur Pontifex, reliquis autem Sacerdotibus illud solum allineretur, cum per Ps. CXXXIII, 2. tum vel maxime propter Ps. XLV, 8. *præ consortibus tuis unxit te Deus.* Quod etsi sensu mystico de Messia dictum, ritum tamen unctionis Pontificalis pro fundamento habet & supponit. Et de Pontificis quidem unctione laudatus SELDENUS *lib. II. de success. in Pontif. cap. IX.* ex instituto egit: & post eum MARCKIUS *Exercit. Textual. IV. p.* 14. *sqq.* Nos paucis notamus א. *Tempus;* postquam vestibus sacris esset amictus: ut ὕστερον πρότερον committat Auctor, vestitum §. 5. postponens, cum tamen unctus non fuerit, nisi sacris vestibus indutus. Vide Exod. XXIX, 5, 6, 7. Præterea, cum initiatio Pontificis septem diebus integris duraret, Exod. XXIX, 29. toties quoque iteranda erat unctio. Ita tamen, ut non minus revera post unicam unctionis vicem Pontifex fieret, & legitima peragere sacra posset, quam ubi unica duntaxat vice sacris vestibus indueretur. ב. *Materiam,* sive oleum unctionis; de quo supra diximus, ubi de unctione Regum. ג. *Figuram,* sive modum; quem describit Moses Lev. VIII, 12. ad quæ verba, IARCHI paucis totum actum complectitur, ita commentatus: בתחילה יוצק על ראשו ואחר כך נותן בין ריסי עיניו ומושך באצבעו מזה לזה: *primo fundebat super caput ejus* (copiose) *& postea ponebat* (scil. טיפת שמן guttam olei) *inter supercilia oculorum ejus, eamque* (linendo) *trahebat digito suo hinc inde.* Figuram autem, quam oleo sacro in fronte formabat, Idem *ad Exod. XXIX,* 7. ita describit: אף משיחה זו כמין כ"י *etiam unctio ista fiebat ad instar literæ χι* Græcorum, ut paulo ante descripserat. Et *ad Exod. XXX,* 26. regulam ponit generalem: כל המשיחות כמין כ"י חוץ משל מלכים שהן כמין נזר *omnes unctiones* (peragebantur) *ad modum χι, exceptis unctionibus Regum, quæ* (fiebant) *ad instar coronæ.* In medio enim, qui oculos, sive palpebras interjacet loco, ungens digito adspersam olei guttam ab una parte ducebat ad alteram, ut Andreanæ, seu decussatæ crucis figura, Κ vel Χ Græcorum referens, prodiret. Vide quæ fusius de ista figura, sive τοῦ κ, sive τοῦ χ, Græcorum, disputat SELDENUS *c. l. p.* 242. *sq.* & nos quoque ad Cap. præced. monuimus: quibus jungatur MARCKIUS §. 8. *p.* 21. & b. GEORG. ELIEZ. EDZARDUS *in Annot. ad cap. II. tract. Talmud. Avoda Sara p.* 230. *sq.* ubi unctionem Summi Sacerdotis crucis Christi typum exhibuisse, serio contendit. Eandem vero unctionis Pontificalis figuram cum stomacho explosit IOH. PHILIP. HEINIUS *dissertat. sacr. Lib. II. cap.* 3. §. 3, 4. *p.* 168. *sqq.* Istis enim nugis immorari, operæ pretium non est. Id tamen monendum, adeo parce effusum super caput Pontificis oleum non fuisse, ut tradit LUNDIUS *Lib. I. Antiqu. cap.* 29. *p.* 159. ut saltem duæ guttulæ e capillis descenderent in barbam, & ex Hebræorum mente, tanquam margaritæ, suspensæ hærerent e barba, quia Psalm. CXXXIII, 2. tanta copia effusum memoratur, ut largo flumine in barbam & vestimenta destillaret. Vide denuo MARCK. §. 7. p. 20. ד. *Effectum;* quo singularem unctis dignitatem pariter

con-

conciliabat ac ſanctitatem. Hinc Lev. XXI, 10. tam graviter ab unctionis axiomate deſcribitur Pontifex: הכהן הגדול מאחיו אשר יוצק על ראשו שמן המשחה: *Sacerdos magnus ex fratribus ſuis, in cujus caput oleum unctionis effuſum eſt*, & v. 12. כי נזר שמן משחת אלהיו עליו *quia corona olei unctionis Dei ejus ſuper eo.* Quando itaque Exod. XXIX, 29. de ſucceſſione filiorum in Pontificatum præcipitur, diſerte obſervat IARCHI, verbum למשחה בהם *ad ungendum in illis* ſcil. veſtibus ſacris, eſſe exponendum להתגדל בהם *ad extollendum eos in illis*, שיש משיחה לשון שררה כמו לך נתתים למשחה: *quia unctio interdum notat principatum*, v. g. Num. XVIII, 8. *tibi dedi illas in principatum:* item: אל תגעו במשיחי Pſ. CV, 15. *ne tangite principes meos.* Sed parum roboris iſta habet aſſertio. Quanta porro polleat virtute, ad diſponendum hominem, ut Spiritus S. particeps reddatur, ex ABARBENELE ſupra vidimus, ubi de unctionis regiæ forma & modo. ה. *Durationem.* In uſu fuit Pontificum unctio, quoad perduravit templum primum. In cujus deſtructione, cum ſimul periret oleum ſacrum, & inter quinque deſiderata templi poſterioris numeraretur, (quamquam alii in enumerandis iſtis quinque rebus, loco olei ſacri שכינה *majeſtatem divinam* ponant) nec poſt primam compoſitionem, confici denuo fas eſſet Exod. XXX, 33: hinc Pontifex, qui ſub templo priore tam מרובה המשיחה *inſignis unctione*, quam מרובה בגדים *veſtibus ſacris conſpicuus* erat, ſub poſteriore, veſtitu ſaltem & ſacrificio initiabatur, non amplius unctione. Quod auctoritate Magiſtrorum latius confirmat SELDENVS *p.* 244. quocum confer, quæ Auctor noſter paulo poſt §. 7. *hujus Cap.* monet. Hinc quando b. WOLFG. FRANZIVS *in ſchola ſacrificiorum diſp. XI. theſ.* 35. *ſqq.* quinque illa deſiderata poſteriori adhuc templo aſſerit, olei ſacri præſentiam §. 46. *p.* 302. *ſq.* ſupponit quidem, nullo autem documento evincit. ו. Speratam Judæis *reſtitutionem.* Ita quidem ABARBENEL, poſtquam tractatione ſæpius citata, *de unctione*, Comment. ad Exod. XXX. *cap. XIII. f.* 207. *col.* 3. ſemel duntaxat hoc oleum in deſerto, per manum Moſis compoſitum aſſeruerat, ſub finem addit: לעתיד לבוא בימות המשיח עתיד הקדוש ברוך הוא להחזיר לעמו אותו שמן המשחה שעשה משה שנגנז עכם הארון ובו ימשחו המלכים והכוהנים הגדולים בימים ההם: *poſtquam advenerit Meſſias, Deus reſtituturus eſt populo ſuo oleum unctionis a Moſe confectum, quod una cum arca fuit reconditum, quo quidem oleo inungendi ſunt Reges & Sacerdotes magni ejus ætatis.*

Ad §. IV. pag. 9.

(4) *Denotata fuit unctio noſtri Salvatoris*] Ita quidem Auctor β) declarat myſterium, ſive antitypum unctionis, prædictum Pſ. XLV, 8. Jeſ. XI, 2. LXI, 1. & confirmatum in Novo Teſt. Joh. III, 34. Act. X, 34. Vnde Chriſtus quoque משיח *Meſſias*, & Dan. IX, 25. משיח נגיד *Meſſias Princeps*, qui idem v. 24. *Sanctus Sanctorum*, ὁ Χριςὸς Κυρίȣ *unctus Domini* Luc. II, 26. Apoc. XI, 15. appellatur. Vbi א. caute diſtinguas inter Salvatoris noſtri æternam ad officium mediatorium deſtinationem, & inter temporalem ejuſdem unctionem. Prior verbo נסך indicatur, quando Prov. VIII, 23. æterna Patris ſapientia inquit: מעולם נסכתי *ab æterno deſtinata ſum* in Regem ſcil. & gubernatorem mundi; & Pſ. II, 5. *ego* נסכתי inunxi, ſeu *conſtitui Regem meum.* Hæc enim non proprie unctio, ſed divina conſtitutio eſt, ordinatio & deſtinatio Filii cum in Regem totius mundi, tum ad officium Meſſiæ: facta ab æterno. Poſterior autem, quæ verbo משח effertur, in tempore demum facta, Chriſto tantum juxta humanitatem competit. ב. Ita definias, ut ſit locupletiſſima divina donatio, in qua Chriſtus, ut homo, ſtatim a primo conceptionis & unionis perſonalis momento, a Deo Patre ſuo, ex gratia, donis, increatis & infinitis eſt ditatus, ut in noſtram ſalutem officium ſuum Propheticum, Sacerdotale & Regium valide poſſet expedire. Hinc non eſt, ג. ut unctionem ad annum ejus trigeſimum demum referas, Matth.

Matth. III, 16. quando Spiritus Sanctus super Christum baptizatum visibiliter descendit. Alia enim publica & solennis ad officium obeundum est inauguratio, in baptismo ejus facta: alia infinitorum donorum communicatio, quæ cum ipsa unione hypostatica cœpit. Verum, qui sanam de unctione Christi doctrinam, ordine & luculenter expositam cupit, adeat DANHAVERVM *Christosoph. Sect. I. Art. IV.* §. 33. *sqq. p.* 85. *sqq.* FEVERBORNIVM *Syntagm. II. Dissert. III.* in Act. X, 38. & *Fascic. III. Disp. V.* §. 24. *sqq.* SCHROEDERVM *Thron. Regal. p.* 199. *sqq.* DORSCHEVM *Pentadec. Dissert. II.* §. 7. *sqq. p.* 73. *sqq.* Inde recte judicari poterit, de tribus unctionis Christi gradibus, ita ut primus in ejus incarnatione, medius in baptismo, tertius in sessione ad dextram Patris figatur, quos FRID. ADOLPH. LAMPIVS statuit *de Spiritu Sancto Disp. V. cap. VIII.* §. 14. *sq.* Ceterum velut oleum sacrum ex capite Aaronis defluebat in barbam, vestimenta, & membra ejus Psal. CXXXIII, 2. ita pariter a Christo capite, dona ista Spiritus, ceu oleum alacritatis, non quidem immense, sed κατὰ τὸ μέτρον τῆς δωρεᾶς τȣ̃ Χριςȣ̃ Eph. IV, 7. destillat proxime in Apostolos Actor. II. hinc & in reliqua corporis ejus mystici membra; unde quoque fideles Spiritum Sanctum habentes Rom. VIII, 9, 11. qui hactenus Discipuli appellati fuerant, Antiochiæ primum Χριςιανοὶ, *participes unctionis Christi*, dici cœperunt Actor. XI, 26. Factum hoc ab EVODIO, Episcopo Antiocheno, ex IOHANNIS ANTIOCHENI Chronologicis ineditis, tradit SELDENVS, apud ANTON. WALAEVM *ad h. l. Act.* ubi de Christianorum nomine plura. Verum de origine, dignitate, & usu nominis Christiani, in hunc ipsum Actor. locum, peculiari disputatione, copiosissime commentatus est IOH. FRANC. BVDDEVS *Miscellan. Sacr. Part. I. p.* 280. *sqq.*

Ad §. IV. pag. 9.

(5 a) *Moses Sacerdos*] Dudum fuit disceptatum, utrum Moses sacerdotio, quin immo Pontificatu Summo, fuerit functus? Pontificii ὁμοθυμαδὸν affirmant, sed non uno omnes modo, ut regimen politicum Pontifici suo hinc asserere queant. SELDENVS *de Success. in Pontific. lib. I. cap. I.* & *de Synedr. lib. I. cap. XVI. p.* 353. & *lib. II. cap. II. p.* 43. edit. Belgicæ A. 1679. & Sacerdotem fuisse palam fatetur, & Ἀρχιερέα, sive Summum sacrorum Antistitem, non tamen ejusdem omnino cum Aarone generis, quia officia Aaronis sacra non magis licuerit obire Mosi, quam Mosis Aaroni. Provocat autem ad calculum Christianorum Patrum, v. g. GREGORII NAZIANZ. cui *Orat. VI. ad Gregor. Nyssen.* Moses ἱερεὺς ἱερέων, *Sacerdos Sacerdotum*, æque ac e Judæis, ABEN ESRAE *ad Psal. XCIX, 6.* כהן הכהנים salutatur. Summum Pontificem extraordinarium fuisse, BELLARMINVS probare contendit *lib. I. Contr. f.* 57. Immo Concilium Hispalense II. c. 7. absolute Summum Sacerdotem eum vocat, eo quod altare erexerit, cum Presbyteris modernis similes fuerint filii Aaronis; ut est apud LABBEVM *T. V. Concilior. f.* 1666. Idem urgebant Jesuitæ in Colloquio Ratisbonensi, Mosen fuisse S. P. quibus impossibilitas ejus rei, quinque solidis argumentis demonstrata fuit a Nostris, quæ breviter RVNGIVS διαγραφῇ istius *Colloquii E.* 3. recenset. Denique DIDACVS DEL CASTILLO ET ARTIGA, statim in fronte Commentarii *de Ornatu & Vestitu Aaronis quæst. I. p.* 5. Mosen & Aaronem summo simul functos fuisse sacerdotio contendit. Præcipuus, quo nituntur, Achilles ipsis est Psal. XCIX, 6. *Moses & Aaron* בכהניו *in Sacerdotibus ejus:* quem locum SELDENVS etiam urget. Sed facilis ad eum est responsio: *vel* quam CALOVIVS *Bibl. Illustr. ad h. l.* eumque secutus AVG. PFEIFFERVS *Dub. Vexat. Cent. III. Loc.* 77. *p.* 621. suppeditat, uti altera periphrasis בקרא שמו ad solum Samuelem spectat, cui additur, ita hanc de Sacerdotibus, ad solum pertinere Aaronem, cui adjecta est: *vel* quam DORSCHEVS *Disp. de Agno Paschali* §. *XI.* sub calcem *Mysariæ Missæ p.* 361. regerit: Mosen & Aaronem debere exaltare

Dominum, inter Sacerdotes ejus, inde tamen non ſequi, Moſen eſſe æque Summum Sacerdotem ac Aaronem: *vel*, quæ pronior nobis, minusque obnoxia exceptionibus videtur, ut כהן quemvis regiminis adminiſtrum notet, quo ſenſu Davidis filii, qui ſacerdotio præeſſe plane non poterant, כהנים appellantur 2. Sam. VIII, 18. h. e. ut ſcite explicatur 1 Chron. XVIII, 17. qui ליד המלך *ad manus Regis* eſſent. Dextre & luculenter exponit SEB. SCHMIDIVS *ad c. l. Sam. p.* 393. *fuiſſe ſecundos a Rege, per quos Rex peregerit ea, quæ alias proprie ad Regem pertinebant. Id videtur non fuiſſe commiſſum, niſi regni hæredibus, filiis, aut intimis amicis, quibus ſumma fides, ne dignitate tanta moti, contra Regem ſurgerent:* quibuscum confer, quæ *quæſt XI. p.* 426. *ſqq.* in h. l. prolixe diſputat. Vterque igitur, tam Moſes, quam Aaron, divini in populo Iſraelitico regiminis præcipuus erat adminiſter, alter in negotiis civilibus & forenſibus, alter in religioſis & ſacris. Addit DEL CASTILLO argumentum aliud: *quia Levit. VIII. dicitur, Moyſem executioni mandaſſe, quæ ei Deus juſſerat Exodi XXVIII. & XXIX. circa ornatum & conſecrationem Aaronis, & filiorum ejus ad miniſterium ſacerdotale. Ergo fuit ſummus Sacerdos. Nam conſecrare Aaronem, & filios ejus in Sacerdotes, non poſſet absque infulis ſacerdotalibus.* Forte procederet hæc illatio, ſi ritu Pontificio & ex ſtatutis juris Pontificii, Aaronis & filiorum peracta fuiſſet inauguratio; quam vero, cum ex præcepto divino, & ad nutum, voluntatemque heri ſui Moſes inſtituit, id egit per omnia, quod regiminis divini adminiſtrum decebat. Etſi hic quoque acumen Hiſpanicum hebeſcit, cum pari jure colligere liceret, Cardinales illos, qui Pontificis recens electi perficiunt inaugurationem, omnes eſſe Pontifices Summos, cum absque hac dignitate peragere illam non poſſint. Vt mirari omnino ſubeat, quo pacto vir doctiſſimus, SELDENVS *lib. I. de Synedrio cit. loc.* eidem inſiſtere potuerit momento.

Ad §. V. pag. 9.

(5 *b*) *Quoad veſtes*] Alterum diſcrepantiæ inter Summum & gregarios Sacerdotes momentum, Auctor ponit in utrorumque *veſtitu*. De quo, pro ratione inſtituti, egerunt LEYDEKKER. *de Republ. Hebr. lib. X. cap. I. p.* 580. *ſqq.* IOH. SAVBERTVS *de Sacerdotibus & Sacris Hebræor. perſonis P. II. cap. VI.* CONRAD. IKENIVS *Antiquitat. Hebraic. P. I. cap. X.* §. 13. *ſqq.* ADR. RELANDVS *Antiquit. Vet. Hebr. P. II. cap. I.* §. 8-11. IOH. LVNDIVS *Jüdiſch. Heiligthüm. Lib. III. cap. III. IV. ſqq.* SELDENVS *lib. II. de Succeſſ. in Pontific. cap. VII.* b. patruus meus BENED. DAV. CARPZOVIVS peculiari diſputatione *de Pontificum Hebræorum veſtitu ſacro*, ſub præſidio IOH. FRISCHMVTHI, Jenæ An. 1669. publice propoſita, & poſthæc fratris ejusdem D. IOH. BENED. CARPZOVII *Diſputationibus Academicis* ad calcem ſubnexa *p.* 1638. *ſqq.* IOH. HIERON. SOPRANES *Digreſſ. I.* ejusdem Davidi ſubjuncta, quæ eſt *de re veſtiaria Judæor. cap. III. p.* 432. *ſqq.* DIDACVS DEL CASTILLO ET ARTIGA *de Ornatu & Veſtibus Aaronis, Commentario literali & morali in cap. XXVIII. Exodi*, Antwerpiæ fol. 1681. Copioſiſſime autem omnium, & juſto ac pereruditо Commentario, hoc argumentum excuſſit, IOH. BRAVNIVS *de Veſtitu Sacerdotum Hebræorum*, qui unus inſtar omnium eſt. Vt taceam RIVETVM, WILLETVM, AINSWORTHVM, MARIVM, aliosque in Commentariis in Exodum.

Sedes argumenti eſt Exod. XXVIII. XXXIX. & Levit. XVI. unde Judæi colligunt, veſtes Sacerdoti magno *vel* ordinarias fuiſſe, quibus toto anno in miniſterio ſacro utebatur, *vel* extraordinarias, quibus ſemel in anno, die Expiationis, induebatur, בגדי לבן *veſtes candidas* dictas. Ita diſerte Miſchna, Cod. *Joma cap. VII. Miſchn.* 5. כהן גרול משמש בשמנה כלים/ וההריוט בארבעה/ בכתונת ומכנסים ומצנפת ואבנט/ מוסף עליו כהן גרול חשן ואפור ומעיל וציץ: *Sacerdos Magnus in octo veſtibus miniſterio fungitur,*

tur, gregarius in quatuor. In tunica, & femoralibus, & tiara, & baltheo. Sacerdos Magnus his addidit pectorale, & Ephod, & pallium, & laminam. De ſingulis ea delibabimus, quæ vel in controverſiam vocantur, vel perperam ab aliis ſunt tradita, vel uſum præ ceteris habent: reliqua ex BRAVNIO petantur.

Ad §. V, pag. 9.

(6) I. *Femoralia linea*] מכנסי בד & מכנסים *fœminalia linea* dicta, a lumbis usque ad genua, Exod. XXVIII, 42. alias quoque Ezech. XLIV, 18. מכנסי פשתים appellata. Ex lino præſtantiſſimo erant מן המובחר, juxta IOSEPHVM ἐκ βύσσου, *ex byſſo*, at retorta ſex filorum, unde ſatis erant valida ad arcendum cum frigus, tum pudendorum conſpectum. Praeterea ita erant contexta, ut nullam omnino haberent aperturam antrorſum ac retrorſum, ita quidem, ut nec urinam emittere, nec alvum exonerare poſſent Sacerdotes, niſi femoralibus prius exutis, ne inquinarentur. Vnde nomen מכנסים fluxit, a כנס *inſcendere, ingredi,* quia veſtiri nequibant, niſi eas quis inſcenderet; quam vocis vim non aſſecutus SOPRANES *cit. loc. p.* 433. cum HIERONYMO non parum hallucinatur. Quanquam CLERICVS etiam *in Exod. XXVIII,* 42. a *colligendi* notione, dicta putat, *quod circa corpus colligerentur femoralia, non laxe, ut tunica, diffluerent.* De forma non omnibus perinde conſtat. IOSEPHVS *Antiqu. Jud. lib. III. cap. VII.* cinctorium fuiſſe tradit, circa pudenda conſutum, quod ſcinditur ſupra dimidiam partem, & deſinens usque ad lumbos, circa eos ſtringitur. Sic non multum a braccis noſtris differebant. Talem autem formam hujus tegumenti, licet IOSEPHI ætate, Sacerdotibus haud gravatim largiatur CLERICVS, Moſis tamen temporibus in uſu fuiſſe negat. Quia enim Moſes Exod. XX, 26. diſerte vetat, ne fiant altaribus gradus, ne Sacerdotum retegatur nuditas, in braccis a IOSEPHO deſcriptis nullum fuiſſe periculum cenſet, ne verenda nudarentur, quantævis altitudinis ſint gradus, ad quos aſcenderint, aliis ſuſpicientibus. Ipſe ergo מכנסים credit fuiſſe faſciam, quæ corpori circumponeretur, ut velaret quidem pudenda, ex eodem plano intuentibus, ſed non ex inferiori ſolo ſuſpicientibus. Ac ſane, cum ad femora tantum extenderentur, & infra eſſent aperta, facile nudari potuiſſe exiſtimat Sacerdotes, in alto ſuggeſtu ſacra facientes. Pariter in conciliando Exod. XX, 26. ſe hic torquet SOPRANES, cum ABVLENSE reſpondens, ipſam crurum & genuum nuditatem conſpectui aliorum, infra conſiſtentium, exponere prohiberi. At בשר ערוה *caro nuditatis*, in Scriptura verenda notat, non genua vel crura. Præterea, hæc caro nuditatis non tam contra ſcandalum infra conſiſtentium & ſuſpicientium hominum, quam contra retectionem coram altari, prohibitis gradibus munitur, cum verba legis ita habeant: אשר לא תגלה ערותך עליו *ne reveletur nuditas tua ſuper eo*, nempe altari: ut reverentiæ loci ſancti conſulatur. Faſciæ etiam, qualem CLERICVS ſomniat, Moſis obſtat deſcriptio, juxta quam braccæ Sacerdotum ממתנים ועד ירכים *a lumbis ad genua* pertingere debebant. ירכים certe hic ad genua extendi neceſſe eſt, quia a lumbis ad femora ſuprema protractæ, non tegent ſatis nuditatem carnis. Pertingebant itaque ad femora usque ima, & circa genua deſinebant. Ad dubium vero, ex Exod. XX. motum, cum CHRISTOPH. CARTWRIGTHO *in Electis Targumico-Rabbin. ad h. l.* reſpondemus, legem illam ad majorem & cautelam injungendam ſpectaſſe, & ſacris conciliandam reverentiam, ut licet femoralibus accincti Sacerdotes, nihil turpe ſpectandum exhibere poſſent, ab omni tamen geſtu & greſſu ejusmodi ſibi temperarent, qui turpis ſpectaculi præbere poſſet ſuſpicionem. Cumprimis autem hic notandum, quod probe inculcant RIVETVS *ad h. l. Exod. Tom. II. Opp. p.* 1457. *a.* VITRINGA *Obſervat. Tom. I. p.* 444. SPENCERVS *de Legibus Hebræor. p.* 277. legem illam de altari holocauſti, abſque gradibus extruendo, non ad ſtatum ac ordinarium in ſanctuario altare

tare esse referendam, sed de iis intelligendam aris, quæ certis singularibusque in casibus & circumstantiis, extra ordinem & pro re nata suscitabantur a privatis, quasque IAMBLICHVS βωμὲς αὐτοσχεδίες, *altaria tumultuaria* appellat: qualia sunt Mosis Exod. XXIV, 4. Josuæ cap. VIII, 30, 31. Samuelis 1 Sam. VII, 17. Eliæ in monte Carmel 1 Reg. XVIII, 32. &c. Ordinarium enim illud, & materia discrepabat a lege, & gradum habebat peraltum. Quomodocunque ergo femoralia Sacerdotum se habuerint in sanctuario, id ad legem illam non facit, quæ plane ἀπροσδιονύσως huc affertur. Vsus denique femoralium a Mose diserte additur, לכסות-בשר ערוה *ad tegendam carnem nuditatis*, idque 1) quia sacra pie & caste fieri debeant, ne forte ea, quæ velanda sunt, aliquo casu coram populo detegerentur, cum Sacerdotibus sæpissime incurvandum fuerit in mactandis & offerendis victimis: 2) quia apud populos quosdam idololatras mos erat, ut nudo corpore Diis sacra fierent, & cum nefanda quidem turpitudine, qualis præsertim fuit cultus Pehoris. Jussit itaque Deus, ut feminalibus tegerentur Sacerdotes, ne veri Dei sacra paria viderentur sacris Pehoris, aliorumque Deorum stercoreorum; quam rationem reddit MAIMONID. *in More Nevoch. lib. III. cap.* 49.

Ad §. V. pag. 9.

(7) II. *Toga ocellata*] כתנת תשבץ *toga byssina* & *ocellata*, quæ obtegebat feminalia linea Exod. XXVIII, 4, 39. Tunica erat insutilis, vel toga, a capite ad pedes pertingens, undique clausa, & utrinque manicata, ita quidem, ut superne foramen capiti transitum præberet, circa collum autem constringeretur fibula, & superiori corporis parti arctius adhæreret, maxime cingulo corpori adstricta, inferius autem laxior liberum Sacerdotibus præberet gressum. Tunica תשבץ *tessellata* vers. 4. vocatur, a שבץ in Pih. *inclusit, intexuit*, unde משבצה *ocellatio*, textura, ubi intertexitur aliquid, & תשבץ *ocellatio*. Tunica ergo tessele fuit, non quæ figuras oculorum haberet intextas, ut PAGNINO visum, VATABLO, & ARIAE MONTANO, multo minus auro intextas, quod utrumque refutat BRAVNIVS *p.* 469. sed quæ fundas haberet intextas, aut fossulas angulares, ad majorem ornatum, qualem vir doctus ære expressam ob oculos ponit. Commode LVNDIVS in vernacula exponit *gewürffelt*, quanquam etiam addat, *voller Augen*. Male rursus SOPRANES *tunicam strictam* vertit, & cum HIERONYMO ita dici censet, quia *adhæret corpori, & tam arcta est, & strictis manicis, ut nulla omnino in veste sit ruga:* quod insigni fuisset impedimento ministeriis in templo obeundis, quæ impeditum gressum & habitum respuebant. Erat autem ex bysso contexta, & מעשה ארג *opus textoris*, sed filis sex contortis satis robusta, cui proxime, absque intermedio indusio circumjecta. Talem fuisse tunicam Christi ἄῤῥαφον inconsutilem, totamque contextam, Joh. XIX, 23. laudatus BRAVNIVS *p.* 471. *sq.* non dubitat, nisi materia alia fuerit: magis enim credibile est, laneam fuisse, cum Sacerdotum tunicæ lineæ fuerint. Sed de illa Christi tunica vide CASAVBONVM *Exerc. XVI. Sect.* 84. *c. Baron.* atque post eum, BYNAEVM *de Morte J. C. lib. III. cap. VI.* §. 28. *sqq.*

Ad §. V. pag. 9.

(8) III. *Baltheus acu pictus*] אבנט *cingulum, balteus*, quo ligantur vestes circa corpus, ne diffluant. Contextus erat ex lino & lana diversorum colorum, ex hyacintho quippe, purpura, & coccino. Etsi vero lege cautum erat Levit. XIX, 10. ne quis vestes ex duplici materia, lana & lino mixtas gestaret; IOSEPHVS tamen observat, divina constitutione hunc Sacerdotum balteum a lege illa haberi exemptum. LEYDEKKERVS vero istam lanæ linique mixturam, cum Ephodo Sacerdotis Magni, tum cingulo denegat, & Exod. XXXIX, 3. non tam ad materiæ, quam ad coloris diversitatem respici censet, cum æque linum ac lana variis tingi potuerit coloribus.

bus. Sacerdotes enim obſervatæ legis exemplum eſſe debuerunt, ut par non eſſet, eorum cingulum legi adverſari. Quibus appoſite dictis, vellem teſtimonio fide digno & gravi auctoritatem conciliaſſet, cum in priorem ſententiam pedibus eant cum Judæi, tum veteres Chriſtiani. Ceterum Pontifex Summus die X menſis Tiſri, una cum ceteris, quæ aureæ dicebantur, veſtibus, hunc quoque balteum acu pictum deponebat, & cum lineo, ex ſubtiliſſima & albiſſima byſſo confecto, commutabat. Quin & Hebræi non male duo dant cingula Sacerdoti Magno, alterum, quod veſtes, quas habuerit communes cum aliis Sacerdotibus, cinxerit, alterum quod ſtolæ Pontificali inſerviret, maxime ad ornatum. De longitudine, quæ ad XXXII ulnas extenditur a Rabbinis, & latitudine, vide BRAVNIVM *p.* 480. qui etiam obſervat, extrema cinguli pendula, quæ togæ longitudinem æquarent, Sacerdotes cum ſacris operarentur, ſuper ſiniſtrum humerum in tergum repoſuiſſe, ne impedimento eſſent, vel ſordibus aut ſanguine conſpergerentur; aſt extra miniſterium, etiam in templo, cum reliquas retinerent veſtes, depoſuiſſe. Locus cincturæ erat circa pectus, IOSEPHO teſte, æque ut Chriſtus Apoc. I, 13. XV, 6. Johanni viſus deſcribitur, balteo circa pectus cinctus. Quæ autem baltei apud Romanos, cingendique ratio fuerit, OCTAV. FERRARIVS *lib. I. de re veſtiar. cap.* 39. *p.* 116. *ſq.* 127. tradit. Huc enim iſta non ſpectant.

Ad §. V. pag. 9.

(9) IV. *Tunica tota hyacinthina*] מעיל ſeu plenius מעיל האפוד tunica interior ſub Ephodo, ſive pallium, quod ratione inferioris tunicæ ocellatæ, ab aliis, veſtis exterior appellatur. מעיל proprie *pallium* ſonat: aſt cum Judæi duas geſtare ſolerent tunicas, interiorem, quæ כתונת dicebatur, & exteriorem, quæ מעיל, ex more iſto explicandum hic loci vocabulum venit, ut non tam pallium, quam exteriorem notet tunicam, quæ per texturam undique clauſa, & ἄῤῥαφος pariter fuit, niſi quod, & circa collum foramine gauderet, ad transmittendum caput, & duo foramina haberet in lateribus, ad emittenda brachia & manus, cum non eſſet manicata. De longitudine rurſus controverſia eſt. Paſſim enim hanc breviorem cenſent tunica linea interiore, & paullo ultra genua demiſſam, ut habet BRAVNIVS *p.* 559. Id viciſſim negat LEYDEKKERVS *p.* 584. & quia a IOSEPHO ποδήρης, *talaris* dicitur, ad talos usque defluentem credit, & MAIMONIDIS auctoritate confirmat, qui *de apparatu Templi cap. IX. §.* 3. *a collo* עד מלמטה *usque ad infimas partes* Sacerdotis pertigiſſe tradit. Clarius adhuc teſtimonium PHILONIS eſt, qui exſerte *lib. III. de Vita Moſis,* ὁ χιτὼν ἀπὸ στέρνων ἄχρι ποδῶν, περὶ ὅλον τὸ σῶμα κέχυται, *tunica a pectore usque ad pedes, per totum corpus diffunditur.* Atque ita lineam ac interiorem veſtem tegebat, ſecus ac pingi conſuevit. Vrget quoque LEYDEKKERVS ſonum campanularum, qui impeditus & obtuſus fuiſſet, ſi longiori incubuiſſent indumento. Cui nos calculum adjicimus. Colore autem fuit hyacinthino, כליל תכלת, ex lana, hyacinthino colore tincta, non intermiſto vel auro, vel colore alio. Inſignem autem ornatum capiebat ex infima ora ſive fimbria, quæ appenſa habebat malogranata & tintinnabula, illa quidem ex lana hyacinthina, purpurea & coccinea, ejusdemque plane materiæ & coloris, ac balteus, hæc vero aurea, ex auro ſolido, ut clarum ederent ſonum, Exod. XXVIII, 33. ſq. eaque, cenſente BRAVNIO *p.* 570. *ſq.* non rotunda, nolarum ad inſtar, ſed oblonga & deorſum aperta, malleolum habentia introrſum, ut cymbala referrent. Quanquam cymbalorum, apud veteres, aliam longe ſtructuram & rationem perhibeat *Commentarius de Cymbalis*, haud ita pridem editus, & *Fortuitis Sacris* ad calcem ſubjunctus, in cujus *cap. XXIX. p.* 359. de cymbalis Hebræorum, צלצלים dictis 2 Sam. VI, 5. Pſal. CL, 5. erudite agitur: at Pontificis tintinnabula פעמונים ſalutantur, & nominis diverſitate inſtrumenti quoque innuunt diſparitatem. Lapſum hic notamus HIERONYMI,

qui *in Ep. ad Fabiolam: idcirco,* inquit, *tintinnabula vesti apposita sunt, ut cum ingreditur Pontifex in Sancta Sanctorum, totus vocalis incedat, statim moriturus, si hoc non fecerit.* Sacerdos enim Magnus annuatim solo expiationis die, nec nisi solis lineis vestibus indutus, Sancta Sanctorum ingrediebatur, ubi nullus tintinnabulorum strepitus audiebatur. Ingressum itaque in Sanctuarium, cum ingressu in Sanctum Sanctorum, HIERONYMVS perperam confudit. Quando demum Auctor numerum tintinnabulorum LXXII definit, Magistrorum potius, quam Scripturæ, quæ hic altum filet, auctoritate nititur: illis enim solenne est, Senatorum Synedrii M. numerum undecunque confirmare. Mavult ergo LEYDEKKERVS, IVSTINO MARTYRI & EPIPHANIO fidem habere, qui in duodenario acquiescunt.

Ad §. V. pag. 9.

(10) V. *Ephod, amiculum*] אפוד fuit vestimentum breve, memoratis tunicis superinjectum, constans duabus plagulis, quæ in utroque humero fibulis aureis gemmatis nexæ, hinc ad dimidias nates propendebant, quarumque altera, posterior tergum, altera, anterior, pectus & ventrem tegebat, anteriori plagula habente duo humeralia attexta, & in utroque humero lapidem Sardonychen, aureis fundis insitum, quibus insculpta erant XII nomina tribuum Israëlis, quibusque appendebatur pectorale judicii, & infra axillas attexta duo lora, quibus corpori, tanquam cingulo, plagulæ adstringerentur; cum duobus tandem annulis aureis, paululum supra istud cingulum Ephodi, quibus pectorale Ephodo inferius annecteretur. ROBERT. SHERINGHAM *Notis ad Cod. Joma p.* 176. cum Sago comparat militari, eosque refellit, qui ὠμοφόριον, quod Græcis olim Patriarchis in usu fuerit, forma huic respondisse credunt, cum ὠμοφόριον vestis esset oblonga, & ad terram usque demissa, hæc brevis & quasi dimidiata. Quando autem LEYDEKKERVS *p.* 584. *a.* Ephod definit, vestem non longam, sed quasi dimidiatum pallium, *quod pectorali superinduebatur*, aut insignem committit errorem, aut ambigue & obscure mentem suam exponit. Si enim hoc vult, supra pectorale indui solitum fuisse Ephod, Scriptura reclamat, & Doctorum omnium consensus, unde, supra Ephod appensum fuisse pectorale, constat. Nec ipsa aliter permittit Ephodi structura. Summe autem pretiosum hoc erat & nitidum vestimenti genus, ex auro, bysso, hyacinthino, & coccineo filo affabre contextum, variasque florum referens figuras. Istud præterea Pontifici adeo fuit proprium, ut nemo alius mortalium tale gestaret. Fuit quidem Ephod, ἐπωμὶς, reliquis quoque Sacerdotibus in usu, 1 Sam. XIV, 3. & certo casu ac loco, etiam a privatis adhibebatur, velut David, arcam fœderis in suam civitatem transferens, & coram ea saltans, lineo cinctus Ephodo memoratur, 2 Sam. VI, 14. æque ac Hanna, filio Samueli adhuc parvulo, cui sacerdotalis habitus nondum competebat, Ephod parabat, in quo Domino ministrabat in sanctuario inde a parvulis, 1 Sam. II, 18. multum tamen Ephod ejusmodi lineum distabat, ab Ephodo sanctitatis in Pontifice M. cui semper annexum erat pectorale, jussu legislatoris nunquam inde avellendum Exod. XXVIII, 28. Vnde quoque κατ' ἐξοχὴν & absolute Ephod vocatur, quando 1 Sam. XXIII, 9. Abjathari Sacerdoti David ait: *affer ad me Ephod* &c. ubi illud præcise innuit, unde oracula innotescebant divina. Hinc duplex Ephodi genus in Sacris memorari, ex mente quidem SPENCERI, sed minime erronea, observat WITSIVS *Aegyptiac. lib. I. cap. VIII.* §. 8. *p.* 40. alterum *Vulgare*, quo intelligitur vestis ex lino solo confecta, ordinaria Sacerdotibus, tantum, cum templi ministeriis vacarent, induenda: alterum *Pontificium*, quod erat indumentum multæ artis & ingenii, auro, gemmis, & coloribus distinctum ac variegatum, quod Pontifici uni, cum sacra celebraret, gestare concessum fuerit. Hujusmodi autem Ephodis partes duæ erant: *superhumerale*, quod ab humeris ad zonam usque pertingebat, totum complectens pectus;

ctus; & *pectorale*, tam firmis ac religiosis vinculis superhumerali conjunctum, ut non nisi multo cum negotio ab invicem divelli potuerint. Vnde Ephodis nomine non semel in Sacro Codice & pectorale intelligendum venire, ut 1 Sam. XXX, 7.

Ad §. V. pag. 9.

(11) VI. *Pectorale judicii*] חשן המשפט & simpliciter חשן, quod b. LVTHERVS, a situ & figura, *das Brustschildlein*, apposite perquam vertit, plenius Belgæ, *een borstlap des Gerichts*: LXX Interpret. λόγιον, & Sirac. XLV, 10. λογεῖον dicunt, a sermone interno, vel a ratione, Vulgatus *rationale judicii*, & Raschi בר"עז *barbare*, quod ipsi erat Gallice, exponit *raisonnement*. Vnde חשן dictum, non adeo liquet. Alii ab Arabico חשן, *pulchre, elegans fuit*, quod eo nihil esset pulchrius & elegantius; unde quoque מעשה חשב *opus artificis* appellatur, summo quippe artificio elaboratum: MERCERO teste, alii a חשה *tacuit* derivant, quod eodem Dei mysteria, & tacita voluntas prodita & manifestata fuerit, vel quod Deus judicia sua & responsa, non disertis verbis, sed alto silentio, per pectorale prodiderit: alii denique a חזה *vidit*, quod verbum Propheticum est, ob visionem & revelationem eventuum futurorum, aut rerum occultarum. Quod vero additur משפט sive הדין pectorale *judicii*, ad judicium a Pontifice, mediante pectorali ferendum spectat. Pontificis enim erat, in multis rebus, & de variis controversiis jus dicere, ut ex Lev. X, 11. de discrimine inter sanctum & profanum, nec non de instruendis Israelitis de genuino legis sensu, ex Devter. XXXIII, 10. c. XVII, 8, 9. XIX, 17. & alias, patet. Ex pectorali autem, Dei judicia & responsa, in rebus arduis depromere solebat Pontifex, ad interrogata. Erat hoc ornamentum pectoris, ex filis lini subtilissimi, & quidem ter conduplicatis, opere Phrygionico, vario colore, coccineo, hyacinthino & purpureo, nec non auro; quadratum spithamæ adæquans tam longitudine, quam latitudine, cui insiti erant XII lapides pretiosi, sigillorum sculptura insignes, quatuor ordinibus distincti, continentes nomina filiorum Israel, & quidem כתולדותם *secundum generationes eorum*. De gemmis istis cum adeo multa disputentur, quæ non absque tædio hic exponerentur, qui cum cura congesta omnia & discussa legere cupit, adeat BRAVNIVM *lib. II. cap. VIII-XIX. p. 627. sqq.* & MATTH. HILLERVM *in Syntagmatibus Hermeneutic. num.* 1. Quibus omnino jungenda sunt, quæ magno cum eruditionis apparatu, copiose de iisdem annotavit doctiss. EDVARD. BERNARDVS ad *Josephi lib. III. Antiquit. Judaic. cap. VII.* §. 5. edit. Haverkampi *p.* 144. *sqq.* Ibidem IOSEPHVS, circa medium pectus, lacunam statuit in Ephodo, cui insertum fuit pectorale. IOSEPHI forte auctoritate inductus, idem tradit Anonymus Anglus *in Hist. Vnivers.* mox citand. *p.* 445. Sed traditionis illius nullum apud Mosen vestigium apparet: qui חשן quatuor potius habuisse annulos aureos tradit, in quolibet scilicet angulo unum, quorum superioribus duobus catenulæ aureæ infixæ erant, quibus fundis aureis annecteretur humeralibus Ephodi, ut inde totum pectorale dependeret per superiores suos annulos, annuli autem inferiores annulis humeralium circa Ephodi cingulum, hyacinthinis vittis alligabantur & constringebantur. Vnde externis amiculi partibus affixum, eique superimpositum fuisse pectorale intelligitur, non vero lacunæ ejus insertum.

Ad §. V. pag. 9.

(12) *Posita erant Vrim & Thummim*] Quando pectorali Moses immittere jubetur את האורים ואת התמים *Vrim & Thummim* Exod. XXVIII, 4. innumeris, dubiisque res implicata fuit disceptationibus. Præter supra laudatos LEYDEKKERVM, LVNDIVM, SELDENVM, SOPRANEM, DIDACVM DEL CASTILLO ET ARTIGA, BRAVNIVM, confer prolixas doctorum virorum commentationes, HENRICI AINS-

WORTH *in Annotation. in Pentateuchum* Anglicis, *ad Exod. XXVIII*, 30. *p.* 115. *sqq.* IOH. BVXTORFII *Exercit. III. p.* 268. ROBERT. SHERINGHAMI *Annotat. ad Cod. Joma p.* 181. *sq.* SPENCERI *de Legibus Hebræor. ritual. lib. III. Dissert. VII. p.* 851. (quem data opera PHILIPP. RIBOVDEALDVS integro tractatu, cui nomen fecit *sacrum Dei oraculum, Vrim & Thummim*, A. 1687. in forma 12. confutavit) laudati modo BERNARDI *Annotat. ad Josephi lib. III. Antiqu. Jud. cap. VIII. §. 9. p.* 165. *sqq.* PETRI IVRIEV *Hist. Crit. cultuum & dogmat. P. II. cap. V. p.* 274. HERM. WITSII *Aegyptiacor. lib. II. cap. II.* EDONIS NEVHVSII *Sacror. fatidicor. Lib. I. cap. II. p.* 18. *sqq.* SERVATII GALLAEI *Dissertat. de Sibyllis cap. XIII. p.* 226-237. & novissime Anonymi Angli *Historiæ Vniversalis a condito Orbe ad nostra tempora Tom. II. Lib. I. cap. VII.* edit. Gall. *p.* 446. *coll. cum p.* 287. *sq.* & e nostratibus SCHICKARDI מ״ה *Cap. I. Theor. II. p.* 17. *sqq.* ac omnino CARPZOVII *ad h. l. Annot.* NICOL. POLEMANNI *Diss. Philol. de Vrim & Thummim*, Wittenbergæ An. 1666. publice propositam, WAGENSEILII *Not. ad Tr. Sota p.* 157. IOH. CONR. DIETRICI *Antiquit. Bibl. V. T. p.* 653. *sqq.* AVG. PFEIFFERI *Dub. vex. Cent. II. Loc. C. p.* 241. IOH. FRANC. BVDDEI *Hist. Eccles. Vet. Test. Per. II. Sect. I. Tom. I. p.* 700. IOH. BENED. CARPZOVII *Christianam de Vrim & Thummim conjecturam*, Lipsiæ An. 1732. editam, & Aliorum. Brevitati nos litantes, iis immorabimur, quæ inprimis observatione digna videntur, missa facientes reliqua.

Quær. I. *Vtrum Vrim & Thummim duæ res sint ac diversæ, an vero rem eandem utrumque vocabulum designet?* Duo utique & disparia sunt vocabula, אורים *luces*, תמים *perfectiones*, sed quæ per tritam admodum hendiadem, rem unam, *illuminationes perfectissimas* notant. Vt falsi sint, qui אורים a Rad. ירה *docuit*, unde est תורה *lex, institutio*, derivant, quia nimirum responsa & voluntatem Dei ad interrogata doceat: quo respexisse videntur LXX, qui אורים δήλωσιν interpretantur *doctrinam*; pariterque תמים ab אמן *fidit, verum est*, quo pertinet τῶν LXX ἀλήθεια. Quos secutus HIERONYMVS, *doctrinam & veritatem*, invita licet etymologia, vertit. Pressius fontibus inhæret AQVILA, φωτισμοὺς καὶ τελειώσεις reddens. Hinc Judæi, ABEN ESRA & ABARBENEL, ita distinguunt, ut Vrim notasse credant lucem, & revelationem divinæ voluntatis ad quæsita, Thummim autem responsum perfectum & sincerum, divinæ voluntati & revelationi, absque fraude & dolo, conforme. Alii, qui icunculas hic somniant, duas pariter statuunt: nec non b. CARPZOV. *Conjecturæ cap. IV. p.* 13. pro duabus militat tabellis. Nobis tamen, ut rem unam duplicato nomine insignitam fuisse credamus, auctoritas suadet Scripturæ, in qua alterutra vox pro utraque ponitur, quando Num. XXVII, 21. Josua stare jubetur coram Sacerdote, ושאל לו במשפט האורים לפני יהוה, *ut eum consulat de judicio Vrim coram Domino:* æque ut 1 Sam. XXVIII, 6. Dominus sciscitanti Sauli, cum per insomnia, tum per pectorale גם באורים, responsionem denegare perhibetur. Vnde liquido, ni fallor, apparet, rem unam utroque pariter, ac uno nomine designari; perinde ut Exod. XVII, 7. uni loco geminati vocabuli nomen מסה ומריבה *Massa & Meriba*, imponitur.

Quær. II. *Quid sit Vrim & Thummim? num ipsum pectorale? an lapides pretiosi? an tertium quid, a vestimento & ornatu diversum?* Ad has enim duas velut familias, diversæ revocari possunt sententiæ auctorum, ut alii oraculum hoc cum pectorali ejusque gemmis idem faciant, alii ab eodem distinguant. Nos missam facientes absurdam Rabbinorum interpretationem, KIMCHIO & R. SALOMONI memoratam, quod per Vrim & Thummim, Crethi & Plethi intelligantur, quam & recenset, & confutat b. patruus meus, IOH. BENED. CARPZOVIVS *Disputat. Academ. VI.* quæ est *de Crethi & Plethi cap. II. p.* 193. *sqq.* ordine singulas percensebimus. 1) In his, qui gemmas ipsas per Vrim & Thummim designari censent, e Judæis post IOSEPHVM *lib. III. Antiqu. Jud. cap. VIII. §. 9.* & Rabbinos nonnul-

nonnullos apud ABARBENELEM *Comment. in Exod. XXVIII*, 15. locum præ ceteris meretur R. AZARIAS in מאור עינים *cap. L.* cujus verba Latine reddita vide apud BVXTORF. *Exercit. III. p.* 285. *sqq.* e Christianis vero ANDR. RIVETVS *Comm. in Exod. XXVIII*, 30. *Tom. I. Opp. f.* 1146. *a.* qui lapides pretiosos nominibus hisce insigniri credit, ratione usus singularis, ad quem destinabantur. Itaque postquam eorum descriptio facta fuisset secundum materiam, secundum formam & sculpturam, item numerum; recte addi existimat, *pones in rationali Vrim & Thummim*, de iisdem lapidibus, id est, ut sint illuminationes & consummationes, seu impletiones, ut nempe ita dispositi & rationali impositi, ex instituto divino sint Vrim, id est, in earum usu, aut ad earum reverentem inspectionem inspiretur Sacerdos, de futuris inquirens, certusque fiat, & alios certos efficere possit de eventu, & impletione eorum, quæ ipsi patefiunt. Fatetur RIVETVS, hausisse se sententiam ex P. FAGIO, qui eandem ex b. BRENTIO nostro, presso licet Viri nomine, depromserat: firmatque cumprimis inde, quod voces Vrim & Thummim aliquando pro ipsis lapidibus pretiosis, & hi rursus pro Vrim & Thummim ponantur. Sic Exod. XXXIX, 6. sqq. in iterata pectoralis descriptione gemmas nominari, nulla τȣ Vrim & Thummim facta mentione; rursus Lev. VIII, 8. de Vrim ac Thummim loqui, lapides pretiosos silentio præterire. In eandem sententiam plurimi recentiorum doctorum pedibus concesserunt, Anonymus Anglus *in Histor. Vniverſ. cit. loc. pag.* 447. BRAVNIVS *pag.* 768. *sqq.* HOTTINGERVS *Not. ad Auctor. nostrum*, BVDDEVS *p.* 705. alii. Etsi nonnulli ita interpretantur, dictos fuisse hos lapides *luces perfectissimas*, ob perfectum & insignem splendorem suum. Vtut autem plana satis videri queat sententia, minus tamen illa ad Mosaicam quadrat descriptionem, quæ gemmas ab Vrim & Thummim diserte distinguit. Nam & in divina institutione Exod. XXVIII, 30. absoluto jam perfectoque pectorali, una cum gemmis suis, indere jubetur Moses Vrim & Thummim; & in Mosis executione Lev. VIII, 8. cum, quæ ad ornatum faciebant Pontificis, elaborata jam essent omnia & consummata, Mosesque sacro vestitu indueret Aaronem, inter induendum, Vrim & Thummim pectorali perhibetur insinuasse. Vnde SIRACIDES quoque, Apocryphus quidem, sed perantiquus scriptor, rerumque gentis suæ apprime gnarus, gemmas in Choschen ab Vrim & Thummim *cap. XLV*, 13. liquido distinguit. Alterutrius vero omissio, quam urget RIVETVS, nondum evincit, unum pro altero poni, cum nominato pectorali semper includantur gemmæ illius, quæ præcipuam ejus constituebant partem; & in more habeat positum Scriptura, in iterata descriptione, unam vel alteram sive partem, sive circumstantiam, silentio præterire, quæ jam ante copiose erat recensita. 2) Qui diversum quid a gemmis notari credunt, denuo scinduntur in partes. Cabbalistæ, una cum vetustissimis Judæorum Magistris, nomen τετραγράμματον fuisse volunt, a Deo ipso scriptum aut gemmis insculptum, Mosique traditum, qui pectoralis duplicationi, tanquam marsupio, illud immiserit. Scriptum autem fuisse vel nomen יהוה solum, multis literarum transpositionibus variatum, vel una cum aliis quibusdam nominibus divinis. Virtute autem istius nominis, Pontificem res futuras cognovisse & prædixisse, quin & ejusdem beneficio, omnia sua Mosen miracula patrasse. Citat in hanc sententiam BVXTORFIVS testimonia libri *Zohar in Exod. fol.* 105. *col.* 4. IONATHANIS *in Paraphrasi Chaldaica Exod. XXVIII*, 30. R. SALOMONIS IARCHI, R. LEVI BEN GERSOM, R. BECHAI, aliorumque, & in his cumprimis R. MOSIS BAR NACHMAN, qui nomina Dei sancta fuisse vult duplicia: per priora, אורים dicta, Sacerdotem qui ea consulebat, illuminatum fuisse confusa aliqua rei interrogatæ notitia, per altera vero, תומים appellata, certiori notitia imbutum, ut mentem & sensum simul perciperet: *Exercit. III. f.* 279. *sqq.* Nec improbat, sed certo modo, sententiam illam CARPZOVIVS *Conjecturæ p.* 4. *sqq.*

quæ tamen, ut a Judæis incrustatur, ab omni destituta similitudine veri, passim exploditur a Christianis. Nec ampliorem meretur fidem 3) eorum opinio, qui ipsa hæc nomina, *Vrim & Thummim* scripta fuisse perhibent, ita quidem, ut, ubi Pontifex primum inspexerat Vrim, literæ, e quibus responsum constabat, luxerint: sed, quia conjunctio istarum literarum varie fieri poterat, eum postea inspexisse alterum nomen Thummim, & hoc literas perfecisse, & docuisse veram rationem eas disponendi, ad legendum responsum Dei. Huc pariter inclinat R. AZARIAS in מאור עינים *cap. XLVI.* & aperte tuentur sententiam ROB. BELLARMINVS *de Pontif. Rom. lib. III. cap.* 2. CORNEL. A LAPIDE *ad Exod. XXVIII,* 30. DIDACVS DEL CASTILLO ET ARTIGA, supra citatus, *p.* 351. §. 21. aliique quos laudatus DIDACVS in partes citat: cui tamen solidi nihil inesse, ad oculum apparet. 4) Paulo aliter eandem refingit CLERICVS *in Comment. ad Exod. c. l.* ubi nomen Vrim certis competiisse credens gemmis fulgentibus, ex carbunculorum genere, Thummim vero margaritas exponens, Mosen perhibet jussum a Deo, præter alia ornamenta, Pontifici Maximo torquem imponere, gemmis, quæ Vrim dicuntur, & margaritis constantem, quæ ad pectus ejus descenderent, cujusque beneficio ad quæsita responderet. Sed præter novitatem, nihil habet, quo sese commendet sententia ista, mero suffulta auctoris sui arbitrio, cui nominum quadam similitudine speciem quandam conciliare frustra annititur. 5) Denuo aliter instituit EPIPHANIVS *Tract. de XII gemmis* pectoralis Pontificis, quando iis decimam tertiam addit, insignis pretii & magnitudinis Adamantem, ex cujus splendore Dei favorem, ex mutato autem colore in nigrum, iram intelligeret Sacerdos. Oppido autem ignorantiam suam prodit EPIPHANIVS, quando ter quotannis hoc ornatu instructum perhibet Pontificem, cum scilicet ingrederetur in Sancta Sanctorum, in Paschate, Pentecostes festo, & Tabernaculorum. Quod quam longe absit a vero, vel tyrones norunt. 6) Graviorem adhuc censuram meretur CHRISTOPHORI CASTRI commentum *lib. III. de vaticinio cap.* 3. posthæc a SPENCERO *supra cit. loco* adoptatum, & uberiori doctrinæ apparatu pictum, quod Vrim & Thummim in duas transformat imagunculas, pectorali inditas, quæ ad quæsita, manifesta voce responderent, æque ut Teraphim; quarum altera Vrim dicta, altera Thummim, a Teraphim gentilium non, nisi auctore, & fortassis veritate, diversæ. Deum autem per illas, ministerio angelorum, dedisse responsa. Quo, si verum esset, vix propius ad idololatriam, vel profanum & magicum cultum accedere potuisset Pontifex. Quare certatim doctores, POCOCKIVS *Comment. in Os. III.* 4. BERNARDVS *ad Joseph. c. l.* CARPZOVIVS *ad Schickardi Jus Regium,* BVDDEVS, BRAVNIVS *p.* 756. *sqq.* & copiosissime omnium WITSIVS *Aegyptiacor. Lib. II. cap. X, XI, XII.* in sententiam istam insurgentes, mascule & solide illam profligarunt. Præcipuus, quo nititur, SPENCERO Achilles est locus *Os. III,* 3, 4, 5. qui prædicit fore, ut filii Israel multos dies sedeant absque rege, absque principe, absque sacrificio, absque ara, absque Ephod, & absque תרפים *Teraphim:* unde argutatur, per Teraphim necessario intelligendum esse oraculum Vrim, cum jungatur τῷ Ephod. Id enim sibi velle Prophetam, carituros esse Judæos oraculo Vrim & Thummim, cujus tamen non alia hic mentio fiat, vel descriptio, quam per Teraphim. Contra vero ea satis constat, per Teraphim cultum idololatricum hic describi, & divinationes falsorum prophetarum, sub regibus idololatricis. Vt miserrimus sane populi Israelitici status indicetur, quo & cultu Dei veri, & idololatrico introducto sit cariturus, nullumque omnino habiturus. Ea vero conditio est gentis hodierna, ubi nec verum & Mosaicum Dei cultum habent, a Deo dudum abrogatum, & extra terram sanctam licite non exercendum, nec tamen idololatricum, cum idololatriam cane pejus ac angue fugiant Judæi. Sed mitto vindicias loci, a laudatis Viris summis solide adornatas. Quicquid autem

est

est istius commenti, ad impium SPENCERI redit πρῶτον ψεῦδος, cultus ritusque idololatricos Deum repurgasse, & ad sua transtulisse sacra. 7) Nova prorsus, & inaudita hactenus sententia est b. patruelis mei, IOH. BENED. CARPZOVII, quam *in Conjectura*, ut vocat, ex instituto proposuit, & qua potuit, ornavit, Vrim & Thummim duas fuisse parvas tabulas, sive ex lapide pretioso, sive ex nobiliori metallo conflatas, & marsupio pectoralis insertas, quarum altera doctrinam Evangelicam de Deo Triuno & Christo θεανθρώπῳ, altera de Fidelibus, omnemque fidei Christianæ summam comprehenderet inscriptam, ut ita, non Legis modo tabulas in arca fœderis reconditas, sed & tabellas Evangelicas, pectorali Pontificis inclusas, ad manus & in promptu haberet ecclesia V. T. Probare quoque aggreditur, quæ dixerat, *tum* nominibus, ex voce Vrim, ex voce Thummim, & ex voce Mischpat, *tum* testimoniis ex Exod. XXIV, 12. XXVIII, 30. Deut. XXXIII, 8. Esdr. II, 63. Neh. VII, 65. & Jes. XXIV, 15. *tum* ex convenientia antitypi cum typo: quin & utriusque tabellæ inscriptionem æque ac delineationem, æri incisam, scite exhibet *cap. XXI. & XXII:* demumque ab iis, quibus premi & oppugnari poterat, dubiis & objectionibus liberare, operam navat *cap. XXXVI. & XXXVII.* Quæ sententia, quamvis certam exploratamque dicere ipse veritus sit Auctor, conjecturam potius se proponere ubivis professus, nec ab ingenio destituitur, vel eruditione, nec puriori doctrinæ vel pietati derogat quicquam, immo magna veri sese similitudine commendat. 8) In tanta denique rei caligine & obscuritate, eorum se nobis maxime probavit modestia, qui ἐποχὴν amplexi, nihil certi definire audent. Vnde R. ABRAH. SETA in צרור המור *sect.* תצוה citra tergiversationem fatetur, אנחנו לא ידענו מה הם *nescimus, quid fuerint:* cui R. DAV. KIMCHI in libro שרשים, & ABEN ESRA diserte adstipulantur, etsi posterior CASTRO & SPENCERO prælusit, ab EDVARDO BERNARDO *ad Joseph. c. l.* pro merito castigatus. Fuisse aliquid a gemmis ipsis aliud & distinctum, per ea, quæ supra diximus, satis certum habemus: quid vero fuerit, Scriptura silentio involvit. Placent inprimis, quæ BENED. ARIAS MONTANVS in *Apparatu Biblico*, qui *Tom. VII. Criticor. Sacror.* insertus legitur, *Tr. Aaron, f.* 638. proposuit, digna, quæ hic legantur: *Hanc autem rem, cujuscunque naturæ illa fuerit, hominum artificio factam aut comparatam non fuisse, sed divinitus datam Mosi, vel eo tempore, quo Lex & tabulæ, vel eo, quo perfectum opus fuit; arbitramur: - - - Diximus autem, rationale fuisse duplex, tribus lateribus commissum, ex uno autem latere apertum: inter utramque autem partem Vrim & Thummim inferebantur, ibidemque servata Sacerdotis hærebant pectori: inde vero proferebantur, quoties divinum responsum petendum erat.* &c.

Quær. III. *Quis usus fuerit τῶ Vrim & Thummim? & qua ratione & arte oracula divina & responsa inde elicerentur?* Quæstionis hujus discussio magnam partem ex præcedente pendet, & eadem laborat obscuritate. Dubio omni caret, eo spectasse universum istud negotium, ejus ut subsidio voluntatem suam manifestaret, consultumque Numen in casibus dubiis ederet responsa. Patet hoc ex Num. XXVII, 21. ubi Deus in officio suo confirmaturus Josuam, jubet, ut coram Eleazaro sacerdote se sistat, & interroget במשפט האורים *secundum regulam*, vel per medium *Vrim.* Ita Jud. I, 1. Israelitæ interrogabant: quisnam prior montem Judæ sit aggressurus, ad deturbandos inde incolas gentiles? Deusque respondebat per Vrim: Juda ascendat. Sic ex adverso 1 Sam. XXVIII, 6. Saul conqueritur, Deum sibi non amplius respondere, sive per somnium, sive per Vrim, sive per Prophetas. Quod ut in se satis certum est & perspicuum, ita majori laborat difficultate modus ac medium, quo mentem Dei declaraverit, & responsa dederit oraculum istud. Antiquissimi, plurimique Judæorum censent, responsum fulgore aliquo, vel luce inusitata emicuisse ex lapidibus pretiosis, ita quidem ut ejus literæ lucentes eminerent, & supra reliquas ascenderent

multum,

multum, cum prius per sculpturam essent profundæ. Cum vero in nominibus XII tribuum Israel, quæ insculpta gemmis erant, literæ omnes totius alphabeti exhiberentur, præter ח/ט/צ/ק: istæ ut, pariter adessent, & omnia exprimi ac legi possent vocabula, quibus responsum egebat, præter XII tribuum, nomina quoque Patriarcharum, *Abraham*, *Isaac & Jacob*, ut & שבטי ישראל fuisse pectorali adscripta. Ex his itaque nominibus, quæ omnes Hebræorum literas complectebantur, literas illas, quæ componebant responsum, supra reliquas protuberasse, & insigni enituisse splendore, ut ex illarum rita compositione Pontifex responsionem intelligeret. Sic quando Jud. I, 1. Pontifex interrogabat: *quis ascendet ante nos, contra Cananæum, in prælium?* Deus respondit: יהודה יעלה *Juda ascendet;* idque hoc pacto, ut primo nomen integrum *Jehuda* in suo lapide prominens exsplendesceret, porro ex nomine Levi litera י/ ex שמעון litera ע, ex Levi iterum ל, ex Abraham ה, ex quarum compositione emergebat verbum יעלה *ascendet.* Istæ porro literæ cum varie interdum legi possent, nec ordine vocis se semper exciperent, hinc speciali Spiritus S. assistentia & directione edoctum fuisse Pontificem, quæ vera & genuina esset lectio. Mavult tamen ABARBENEL, literas istas non simul & semel protuberasse, lucemque effudisse, sed ordine illo, quo componi & legi debebant. Vbi ergo consulendum erat Vrim, Pontificem ornatu suo vestitum, versus arcam constitisse. Illum, qui consulebat, recta post Pontificem, & quæstionem proposuisse voce articulata quidem, sed demissa, qualis esse solet solitarie orantium. THOMAS AQVINAS autem, coram Sacerdote, & versus illum stetisse existimat consulentem, quia Num. XXVII. dicatur: *& stabit coram Eleazaro;* quo etiam sententia nonnullorum tendit Rabbinorum in *Jalkut.* Necesse præterea fuisse, ut & consulturus oraculum, & Pontifex editurus, essent *in casto*, hoc est, nulla libidinum, vel scortationis macula, nec peccato quodam regnante, contaminati. De consulturo satis id liquet ex 1 Sam. XIV, 37. ubi oraculum non respondebat, quod Jonathan contra execrationem & sacramentum Saulis manducando, contraxerat reatum; nec non ex 1 Sam. XXVIII, 6. ubi Saul nullum a Deo responsum se ferre conqueritur, quod ob inobedientiam & rebellionem, aliaque peccata esset a Deo rejectus. De Sacerdote tam liquido non constat, ex analogia tamen facile colligitur. Judæorum in hanc sententiam testimonia, ex *Zohar*, *Jalkut*, R. BECHAI, MAIMONIDE, R. MOSE BEN NACHMAN, R. LEVI BEN GERSON, aliisque larga manu exhibet BVXTORFIVS *cap. IV. p.* 309 *sqq.* qui consulentis etiam qualitates, modumque interrogationis *cap. III. p.* 294. ex Magistrorum scito, jam prosecutus fuerat. Ceterum Rabbinicum istud de radiantibus, vel protuberantibus literis, quæ responsum conficiebant, prolixe refutavit laudatus supra GALLAEVS *de Sibyll. pag.* 234. *sq.* Aliis tamen, & in his SPENCERO, placet, vocem potius auditam esse, qua diserte responderetur ad quæsitum: æque uti Jobus accepisse fertur קול דממה *vocem silentii* c. IV, 16. & Elias ex קול דממה דקה *voce quieta & tenui* præsentiam Dei cognovit 1 Reg. XIX, 12. Vnde quoque pectorale חשן dicatur, a חשה *siluit;* quod contrarium potius suaderet, oraculum illud non articulata voce, sed alto silentio editum fuisse. SPENCERO autem Talmud Hierosol. *Tr. Joma cap. VII.* jam prælusisse, ex citato ejus testimonio apud BVXTORFIVM *pag.* 308. intelligitur. Laudatus CARPZOVIVS *Conject. c. XXX. p.* 284. ita conjicit: Pontificem indutum Ephodo, extraxisse ex Choschen tabellas τῶν Vrim & Thummim, indeque prælegisse quærenti articulos fidei, & rogasse: an istos crederet? & in Messia venturo adimplenda omnia esse certo teneret? Annuente hoc; & Amen respondente, utrumque in genua procubuisse, oranteque, interrogante, & quæstionem suam proponente, suas ipsi preces adjunxisse Sacerdotem Summum, qui, una cum tabellis Evangelicis, divina collustratus luce Spiritum Sanctum acceperit, cujus afflatu dederit responsum. Nobis simplicior videtur sententia,

tentia, nec ex literis תּ׳ חשן responſum innotuiſſe, quod interdum multo erat prolixius, quam cui literæ gemmis inſculptæ ſufficerent, ut 2 Sam. V, 19, 23, 24. nec luce inſolita & ſplendore: ſed lapides illos ſymbolum tantum fuiſſe præſentiæ divinæ, ſignumque lucis & perfectionis Propheticæ, qua, vi muneris ſui, Pontifex gaudebat, æque ut Cajaphas Joh. XI, 51. Placebat autem Numini ſupremo, ut Pontifex, licet beneficio muneris ſacri, facultate vatidica polleret, nullam tamen haberet ſuggeſtionem immediatam, nec reſponſum ad interrogata reddere poſſet, niſi Ephodo & pectorali rite ornatus: quemadmodum accepta non erant ſacrificia, niſi veſtibus ſacris ornati eſſent Sacerdotes, Pſ. CX, 3. Interno itaque verbo & revelatione divina, reſponſa percipiebat Pontifex, æque ut Patriarchæ & Prophetæ; unde eſt, ut Hebræi facultatem reſpondendi per Vrim ad eum prophetiæ gradum referant, quem רוח הקדש *Spiritum Sanctum* vocant, & inferiorem faciunt Prophetia vera, ſuperiorem Filia vocis: & velut Prophetæ ſuarum revelationum ita erant certi, ut pro divinis eas haberent, ita Pontifex quoque intra animum ſuum certo erat convictus, Deum ſibi, quicquid erat reſponſi, revelaſſe. Differentia tamen inter Prophetarum revelationes, & inter reſponſa per Vrim, ſita erat in eo, quod Deus non ſemper revelationes indulgeret Prophetis & Patriarchis, nec ad omnia reſponderet interrogata, ſed pro lubitu ſuam illis exponeret voluntatem, quoties e re videbatur Eccleſiæ, nec viſibile illis daret ſignum & ſymbolum præſentiæ ſuæ & revelationis: contra vero ea, Pontifici demandaret, ut in caſibus dubiis, Deum ſuum de jure & juſtitia, de rebus arduis, quæ bonum Eccleſiæ & reipublicæ ſpectabant, aliisque cauſis gravibus, adiret & conſuleret, cum hac promiſſione, ſemper ſe Spiritu ſuo affore præſentem, & ad quæſita reſponſurum, quod etiam præſtitit, niſi quando alterutrius peccata iſtud prohiberent. Addidit præterea Summo Pontifici ſignum iſtud viſibile & ſymbolum externum, Vrim & Thummim, quo inſtructus & ornatus interrogabat. Quo tendere quoque videtur ſententia RIVETI *Comment. in Exod.*

Quær. IV. *A quo conſultum ſit Vrim, & redditum reſponſum?* A ſolo Pontifice Summo, non Rege, non Sacerdote aliquo gregario, quod utrumque perperam contendit SPENCERVS. Id contra CVNAEVM *lib. I. de Republ. Hebr. c.* 14. qui ex 1 Sam. XXX, 7. arguere nititur, Davidem regem Ephod ſibi applicaſſe, eoque indutum, Deum conſuluiſſe, egregie evincit BVXTORFIVS *cap. III. p.* 296. Quæcunque enim exempla conſulti per Vrim & Thummim Dei, in Sacris literis occurrunt, omnia per Pontificem conſultum eum memorant. Iſtud oraculum cum conjunctum eſſet cum dono illo vatidico, & Prophetico, quo Deus Supremi Pontificis munus præ ceteris ornaverat Joh. XI, 51, manifeſto patet, neminem alium dono iſto, & hoc oraculum conſulendi facultate polluiſſe, præter eum, qui munere iſto ſacro gaudebat. Hic erat vir ſanctus Dei, Deut. XXXIII, 8. Accedit, quod ornatum Pontificalem induere & geſtare, nemini fas eſſet, quam Pontifici. AQVINAS itaque, quando exiſtimat, Samuelem iſto gaviſum eſſe privilegio, induendi Ephod & conſulendi Vrim, fallit & fallitur. Quale enim fuerit Ephod Samuelis pueri, & quantum ab Ephodo Pontificali diverſum, ſupra monuimus.

Quær. V. *Cujus auctoritate ac juſſu hoc oraculum fuerit conſultum?* Jus iſtud Judæi Regi ſolum, vel ſupremo imperanti, eique, qui אב בית דין ſalutabatur, denique Synedrio magno, aſſerunt. Quamvis autem in rebus nullius momenti ac levioribus, aut in quotidianis, ad oraculum hoc accurrere integrum non eſſet, ſed in cauſis arduis, de bello & pace, de patria, de rege, de ſalute populi & reipublicæ, cum velut heroicum eſſet remedium, eruendi occulta, vel reſciſcendi futura, quo abuti non erat integrum: abſit tamen, ut privato iſtud plane denegemus, cum David nec Rex, nec ſupremus judiciorum moderator, Deum tamen per Vrim interrogaret 1 Sam. XXIII, 9. ſqq. in privato ſuo periculo, ſed quod

cum clade reipublicæ, & cum ignominia promissionum divinarum erat conjunctum. Deus, qui per Prophetam fœminæ quærenti Gen. XXV, 22. nec non Saulo privato, in causa domestica, per Samuelem I Sam. IX, 6, 20. respondit, hoc quoque oraculum privatis denegasse, existimandus non est. Adhæc non præter rem observat FRANCISC. BVRMANNVS *Comment. in* I *Sam. XIV.* edit. Belg. *p.* 143. non tam de religione, aut ad quæstiones de fide & cultu divino, responsa dedisse, quam de politicis & civilibus rebus, salutem reipublicæ vel magnorum virorum concernentibus consuluisse in medium, & in casibus ambiguis, quos hominum sagacitas & industria assequi & definire non valebat.

Quær. VI. *Vbinam locorum Vrim consulere licuerit?* Sunt, qui censent, in loco sacro tantum licuisse, ubi Sacerdotes vestimenta sacra gestandi jus habebant; immo BVXTORF. *cap. III. p.* 295. ubi soli Sacerdoti Summo hanc facultatem asserit, *ex hac* quoque *ratione, quod solus Sacerdos Summus Sanctum Sanctorum ingredi, & coram arca ministrare, & cultum sacrum peragere potuerit*, oraculum istud ad Sanctum Sanctorum restringere videtur: Quod tamen omnino negamus, quia nisi semel quotannis, Festo expiationis Judæorum, verendum istud adytum ingrediebatur Pontifex, & quidem depositis vestibus aureis, ut adeo ne integrum quidem fuerit, pectorale in Sanctum Sanctorum inferre. Errori forte ansam dedit, quod consuluisse dicatur coram arca, facie ad illam versa: Sed ad hoc opus non erat, ut adyta ingrederetur; poterat enim, in loco sancto consistens, faciem quoque obvertere arcæ. Sed nec BRAVNIO damus, semper in loco sancto consultum fuisse hoc oraculum. Abjathar enim I Sam. XXX, 7. in gratiam Davidis, induebat Ephod, & consulebat Vrim in deserto. Hinc rectius putamus, ubivis locorum, ubi res ita ferebat, consuli potuisse Vrim. Si quis eo loci, ubi erat sanctuarium, versaretur, in sanctuario, versus arcam conversus Pontifex, interrogabat: at si arca extra sanctuarium esset, velut I Sam. XIV, 18. ubi Saul in mediis castris consulebat Vrim, necesse erat, ut coram arca consisteret Sacerdos: denique, ubi nec arca adesset, nec sanctuarium, ut apud Davidem I Sam. XXX, 7. versus illam solum plagam, sive regionem se vertebat Pontifex, ubi requiescebat arca, & responsum ferebat.

Quær. VII. *Num oraculi hujus responsa fuerint irrevocabilia?* Negant & pernegant Judæi, cum ex adverso largiantur, Prophetarum vaticinia revocata interdum fuisse, velut ex Jonæ, de interitu Ninevitarum, & Jesaiæ, de proxime imminente Hiskiæ morte, vaticiniis fit manifestum. Testimonia in hanc sententiam Judæorum confertim exhibet BVXTORF. *in Hist. Vrim cap. IV. p.* 313. *sqq.* Judic. XX. tamen videtur, ac si hoc oraculum bis illuserit Israelitis in bello contra Benjaminitas. Tribus enim vicibus quærebant: *ascendamne ego, ut cladem inferam fratribus meis?* & ferentes responsum: *ascende;* gemina profligabantur clade. Sed quia tertia solum vice quæstionem addebant de victoria: *& num dabis eos in manus meas?* recte semper habebat responsio. Primo: Juda ascendat; secundo: ascende (id enim voluntati divinæ congruebat, ut utrique stultitiæ suæ pœnas darent); ast tertia vice promittit Deus victoriam, de qua erat quæsitus. Addit ABARBENEL *ad h. l.* illos in eo peccasse, quod prima vice, nec debito loco, nec per personam congruam interrogassent: per alium enim tum ipsos consuluisse, quam per Pinehasum, Summum Sacerdotem, quippe cujus tertia demum vice fiat mentio, v. 28. Sed vereor, ut gratis istud assumatur.

Quær. VIII. *Num in secundo templo adhuc extiterit oraculum Vrim? & quoque duraverit?* Post BVXTORFIVM *Hist. Vrim cap. V. p.* 320. nemo prolixius hanc quæstionem discussit doctissimo BERNARDO *Annot. ad Josephi Antiqu. Lib. III. cap. VIII. Tom. I. p.* 167. *sq.* qui IOSEPHI fidem tuetur, qua annis CC. ante conscriptos a se Antiquitatum commentarios, adeoque annis CLXXIV. ante excidium Templi secundi, responsa reddere desiisse divinum hoc oraculum,

κατὰ παράδοσιν ἱερατικὴν perhibet, & quidem *τῷ Θεῷ δυσχεράναντος ἐπὶ τῇ παραβάσει τῶν νόμων, cum Deus moleste ferret transgressiones legum.* Longe tamen aliter fert communis Judæorum sententia, quæ Vrim & Thummim in numero quinque rerum habet, quæ defuerint in templo secundo. In Cod. *Sota cap. IX.* §. II. ita decernit Mischna: משמתו נביאים הראשונים בטלו אורים ותומים: *ex quo mortui sunt Prophetæ priores, oraculum pectorale desiit.* Non tamen convenit inter Doctores, quinam Prophetarum priorum nomine veniant? num ex R. HVNA sententia, Samuel, David & Salomo? an, juxta R. NACHMANVM, omnes, usque ad Haggæum, Zachariam & Malachiam, qui *κατ' ἐξοχὴν* Prophetæ posteriores nuncupantur. Posterior obtinuit explicatio, ut in templo secundo locum habuisse Vrim negetur. Licet enim novum in secundo templo paratum esset pectorale, mutum tamen erat, & oraculis destitutum. Quod MAIMONIDES *Hilch. Beth habechira cap. IV.* §. I. ex verbis Neh. VII, 65 probat: *donec existeret* aliquando *Sacerdos cum oraculo pectorali.* Pergitque: *non igitur alium in finem parabatur* novum pectorale, *quam ut octonarius numerus vestium, quibus indui oportebat Pontificem, esset integer, & ne quid debiti ornatus deficeret.* Idem repetit in *Hilch. Kele Hammikdasch cap. X.* §. 10. ubi addit: ומפני מה לא היו שואלין בהן: *sed quare non consuluerunt Vrim?* & respondet: מפני שלא היתה שורה שם רוח הקדש וכל כהן שאינו מדבר ברוח הקדש ואין שכינה עליו אין נשאלין בו: *quia defecerat Spiritus Sanctus, scilicet Sacerdos, qui ex Spiritus Sanctus afflatu non loquitur, quique divinitatem non habet præsentissimam, eum non consulunt de futuris.* Longe tamen prius defecisse responsa per Vrim, credit GVIL. OVTREIN *lib. I. de sacrificiis cap. V. p.* 52. nec durasse amplius, *donec regnum, rejecto Dei imperio, ad Davidis familiam translatum fuit.* Et sane post mortem Saulis & Davidis, historia Regum nullam amplius mentionem injicit *τῶν* Vrim & Thummim. Deum enim consulturi Reges, Prophetas adibant, qui cum uberrima & *θεόπνευστα* ederent responsa, negligebatur forte oraculum pectorale. Vt vix liquido satis pateat, num neglectu consulentium & Prophetarum copia, an divina dispensatione, posthæc responsa negante, illud desierit. Scite in hanc sententiam observat FRANC. BVRMANNVS *Comm. in* I *Sam. XIV. p.* 143. sub Saulis & Davidis imperio crebrius consultum memorari hoc oraculum, nullibi autem regnante Salomone, unde haud inepte colligatur, sub auspicia regiminis Salomonei istud plane conticuisse. Causam ejus rei conjicit duplicem: unam, quod priori tempestate, multa ingruerent, eaque gravissima, bellorum & aliarum calamitatum pericula, quibus amoliendis præcipue destinatum erat oraculum istud, quo sub Salomone non adeo egebat respublica, alta pace, rebusque prosperis gavisa: alteram, quod Deus responderit, quoad ipse imperium populi sui moderabatur, quod Judicum, & priorum Regum ætate locum habebat, Salomonem autem magis pro arbitrio suo, liberiusque regnasse, nec Vrim & Thummim amplius, sed ubi opus erat, Prophetas consuluisse. Vrgent, qui contrarium tenent, supra memoratum locum Neh. VII, 65. & Esr. II, 63. *dixitque Thirsata illis, ne comederent de sanctitate sanctitatum,* עד עמד הכהן לאורים ולתומים *donec extaret Sacerdos cum Vrim & Thummim,* ac si verbis illis subinnueretur, extiturum aliquando in templo secundo Sacerdotem, prophetantem per Vrim & Thummim. Verum ex Magistrorum sententia apud BVXTORFIVM *p.* 323. hoc idem est, ac ad Kalendas Græcas. Certe Vrim & Thummim non humanum opus, sed divinum erat donum, a Mose Pontificis ornatui insertum, quod in secundo templo restitutum fuisse nullo constat documento. Malunt ergo alii verba ista ad spem & votum efferre Regii Præfecti, qui crediderit, fore aliquando, tale ut oraculum Ecclesiæ suæ restituat Deus, licet eventus nunquam responderit voto. Quod superest, temperare mihi non possum, quin BVXTORFII adscribam verba, quæ *p.* 328. ita habent: *Præludia hæc, ut cete-*

ceterorum quoque Symbolorum divinorum privatio, fuerunt, instare tempus, quo hæc omnia, ceu aliarum rerum imagines & umbræ, sint abolenda, quo alia perfectior cultus Dei forma sit instituenda. Quo altius scil. sol horizontem conscendit, eo breviores spargit umbras, donec in meridie vertici nostro oppositus, illæ ad ejus lucem undiquaque sparsam evanescunt: ita appropinquante propius sole illo justitiæ, Messia, umbræ Veteris Testamenti sensim fuerunt contractæ, donec illo plene apparente & lucente, prorsus sunt sublatæ, & jam sub mundi vesperam post tergum nostrum rejectæ.

Typica denique τῶν Vrim & Thummim adumbratio, ad Christum, verum Pontificem Maximum, pertinebat, qui divino collustratus jubare nobis, quæ in Dei sunt arcanis, liberaliter patefecit Joh. I, 18. Vnde Vener. D. SALOM. DEYLINGIVS *P. II. Observat. Sacr. XXXII. §. 7. pag.* 310. *Lucis* appellationem, toties Christo in Sacris literis tributam, ortum traxisse existimat, quia אורים ad habitum & ornatum ministerii Summi Sacerdotis spectabat. Prolixus quoque est in eo BVXTORF. *cap. VI. p.* 331. *sq.* ut singulatim exponat, per quæ comparationis membra אורים retulerint Christum, qui Dei apud homines non internuncium modo, & voluntatis ejus interpretem egit, sed ipse quoque splendor gloriæ, & character personæ Patris est, lux illa vera, illuminans omnem hominem, venientem in mundum. Paulo aliter BIERMANNVS *in Mose & Christo Lib. I. cap. V. p.* 106. edit. Belg. typum inflectit, multisque docere annititur, Spiritum Sanctum, qui Christi beneficio pariter ac merito Ecclesiæ conceditur, una cum donis & operationibus suis, hoc symbolo designari: quæ scite quidem, at ex ingenio magis, quam evidenti Scripturæ indicio, ita declarantur. Quam insulse autem & inconcinne BELLARMINVS *lib. IV. de Pontifice cap.* 3. in Vrim & Thummim non tam typum, quam invictum infallibilitatis Papæ, cum totam ecclesiam docet in his, quæ ad fidem pertinent, argumentum quærat, solide ostendit & cum risu explosit SIXTIN. AMAMA *Antibarb. Bibl. Lib. II. ad Exod. XXVIII,* 30. *p.* 359. & post eum GALLAEVS *dissert. de Sibyll. p.* 236. *sq.*

Ad §. V. pag. 9.

(13) VII. *Cidaris ex bysso*] מצנפת Tiara Pontificis alba, ex subtilissima bysso, a circumvolvendo & tegendo caput dicta. Constabat quippe ex fascia XVI ulnarum, variis circa caput spiris & volucris diffusa. Sacra enim curare capite nudo, integrum Sacerdotibus non erat. Opertum quippe caput apud Hebræos, ut adhuc apud gentes Orientales, servi erat ministrantis. Cum itaque Deo servirent Sacerdotes in sanctuario, juxta Psalm. CXXXIV, 2. æquum videbatur, operto capite ipsos sacra obire. Hinc pileus, apud Gentiles quoque, inter sacerdotii referebatur ornamenta: morisque illius rationes reddit PLVTARCHVS *problem. Rom. X.* vel quod eo ritu animi submissionem faterentur, vel quod vererentur, ne qua vox mali ominis foris accideret. Quod eo magis mireris, cum pileus libertatis potius, quam servitii esset symbolum; quod quatuor dissertationibus, A. 1688. IANVS MILZOWIVS in Academia Hafniensi erudite docuit, *pileum libertatis populi olim Rom. publicæ indicem, & restitutæ vindicem certissimum*, orbi erudito sistens. Operto tamen capite, sacra & olim fecisse Judæos, & adhuc hodie facere, quo velamen טלית dictum spectat, LAKEMACHERVS post alios exposuit, ritumque istum a Romanis ad Judæos profectum, demonstrare satagit *P. III. Observat. sacr. II. p.* 209. *sqq.* Ceterum inter tiaram Pontificis, & inter pileos gregariorum Sacerdotum aliquid intercessisse discriminis, *cum* ex nomine patet; Sacerdotum enim vulgarium mitræ מגבעות dicuntur, quasi *galeæ*, Pontificis tiara non audit, nisi מצנפת quod augustius paulo vocabulum est, & de regio diademate Ez. XXI, 26. legitur: *tum* ex forma externa. Ceterorum enim Sacerdotum pilei altiores erant, magisque fastigiati, instar galeæ, Summi autem Pontificis pileus depressior, sed ampliori mole, & frequentioribus volucris, circa

caput diffusus. De hac differentia BRAVNIVM evolve *Lib. II. cap. IV.* §. 14. *sqq.* & copiosius adhuc *cap. XX. p.* 793. *sqq.* Quod autem discrimen DIDACVS DEL CASTILLO ET ARTIGA *de Ornatu & vestibus Aaronis p.* 459. §. 8. ex ABVLENSI allegat, & §. 12. repetit, tiaram Summi Sacerdotis hyacinthinam, aliorum Sacerdotum lineam vel byssinam fuisse, istud non capio, & ex non satis intellectis, tam Scripturæ, quam Auctorum aliorum, verbis promanasse censeo. Vtut LVNDIVM quoque *Jüdisch. Heiligthüm. lib. III. cap. VIII.* §. 14. *sq. p.* 440. videam, PHILONIS & IOSEPHI auctoritate motum, Pontifici mitram hyacinthinam, supra tiaram candidam, imponere, cui aurea adhæserit corona: quibus tamen, quo minus fidem adhibeam, silentium prohibet Scripturæ. Quod enim de vittis & filamentis hyacinthinis, quibus adstringebatur lamina circa caput, Exod. XXVIII, 37 præcipitur, a PHILONE perperam in *μίτραν* transmutatur.

Ad §. V. pag. 9.

(14) VIII. *Bractea aurea, sive corona Sanctitatis*] ציץ *lamina aurea*, b. LVTHERO scite, *das Stirnblat* dicta, & Exod. XXVIII, 36. præcepta, alias quoque נזר הקדש *corona Sanctitatis* audit, Levit. VIII, 9. & Exod. XXXIX, 30. unde IOSEPHVS *lib. V. Antiqu. cap.* 15. *χρυσοῦν στέφανον* appellat: hinc est, quod Judæi paullo audentius, Sacerdotium non minus, quam Regnum, כתר *Coronam* Israelis nominent. Quin & nonnunquam ציץ נזר *lamina coronæ* vocatur. Erat autem lamina, sive bractea aurea, ab una aure ad alteram porrecta, quæ vittis hyacinthinis fronti alligabatur, adstricta in occipitio. Lata erat duos digitos, & longitudine per universam patebat frontem, calyculos hyoscìami, & quasi flores apertos referens insculptos: quin, IOSEPHO teste, tres calyculorum ordines, quorum alter altior erat altero, complectebatur, ita ut caput cingerent instar triplicis coronæ: id quod reliqui tamen Hebræorum Magistri non agnoscunt, nudam laminam auream tradentes, cui inscripta erat, sculpturis sigilli, קדש ליהוה *Sanctitas Jehovæ.* Quando autem ABARBENEL, ex Doctorum gentis suæ sententia, sculpturam illam exponit, quod האותיות היו בולטות *literæ fuerint protuberantes*, dissimiles sculpturæ gemmarum humeralium & pectoralis, quod in his literæ essent profundæ, in corona autem elatiores, ad eum modum, quo in nummis, aut in cera literæ protuberantes conspiciuntur, in eo haud dubie hallucinatur. Vtrobique enim eadem adhibetur phrasis פתוחי חתם, quæ, cur modo de incisis, mox rursus de protuberantibus exponi literis debeat, nulla in promptu causa est. Vt nimirum constaret, Aaronem veri Dei Sacerdotem esse, heri sui nomen, & quidem integra sententia, קדש ליהוה in fronte scriptum gerebat: etsi SOPRANES *de re vestiaria Judæor. p.* 441. cum aliis, solum nomen quadriliterum יהוה scriptum pertendit, sanctissimum nimirum, & omni veneratione colendum, qua de causa *Sanctitas* addatur. Nec tantum לכבוד ולתפארת *ad honorem & ad gloriam*, ut auctoritatem & venerationem officio suo & ministerio conciliaret, hac ornatus corona incedebat, verum etiam, *ut portet Aaron iniquitatem rerum sacrarum, quas consecraverint filii Israel, omnium donorum ab illis consecratorum: Sic erit super frontem ejus jugiter, ut Deo pro iis litaretur*, Exod. XXVIII, 38. Hoc siquidem ornamento verum referebat Sacerdotem Summum, qui iniquitatem omnium sibi injunctam & imputatam portans, Jes. LIII, 6. 12. veram nobis restituit sanctitatem, merito & satisfactione sua nos Deo concilians, acceptosque fideles pariter, ac eorum cultum, Patri reddens.

Quando autem, Coronam carni frontis, non vero tiaræ ad frontem adhæsisse, pertendunt Judæi, prætereaque docent, tiaram capiti non profunde fuisse imponendam, sed texisse verticem, seu superiorem partem capitis tantum, tota fronte manente nuda, ita ut spatii satis reliquum fuerit, phylacteriis, quæ inter operandum omnino gestarit Pontifex, inter laminam & pileum alligandis,

gandis, ut hoc pacto lamina fere oculis incumberet; in eo vereor, ne nimium faciles recutitis, ex ingenio nugantibus, aures præbuerit BRAVNIVS, qui *Lib. II. cap. XXII.* §. 18, 19. *p.* 811. *sqq.* in his percensendis operose versatur. Quanquam enim nec LVNDII se mihi, hac parte, probet figura Pontificis, *ad p.* 418. delineata, & *p.* 440. descripta ac asserta, quæ laminam auream supra tiaram, ejusdem apici, mitræque, quam fingit, cœruleæ adstringit, ut non tam frontem cingeret, quam vertici immineret; adeo tamen depresse, & supra oculorum palpebras adstrictam eam, non patitur Mosis descriptio, quæ satis perspicue situm coronæ vers. 37. ita definit: ושמת אתו על־פתיל תכלת והיה על־המצנפת אל־מול פני־המצנפת יהיה quæ luculenter verterunt IVNIVS & TREMELLIVS: *quam appones cum* (mediante) *vitta hyacinthina, ita ut sit super ipsam cidarim: e regione anterioris partis ipsius cidaris esto.* Hinc liquido patet, laminam illam medium tenuisse, inter supremum LVNDII & infimum BRAVNII, locum & cidari superimpositam, e regione frontis, ipsam ambiisse, ut recte tradit GOODWINVS. Atque eundem, ni fallor, sensum PHILONIS fundunt verba, quæ minus dextre intellecta fraudi fuerunt LVNDIO, quando *lib. III. de vita Mosis p.* 519. ita tradit: *μίτρα δ' ἦν ὑπ' αὐτὸ, τῦ μὴ ψαύειν κεφαλῆς τὸ πέταλον, mitra vero* (sed potius dixerim, cidaris) *erat infra illam* (ita, ut illam ambiret & tegeret corona Sanctitatis) *ne caput attingeret lamina,* adeoque non carni capitis, sed tiaræ ad frontem, incumberet.

Ad §. VI. pag. 10.

(15) *Vestimenta alba*] Discrimen inter בגדי זהב *vestimenta aurea*, & inter בגדי לבן *vestimenta alba* apud Judæos æque ac Christianos doctores omnes receptum, non æque ab omnibus explicatur. Nimirum

בגדי זהב *vestes aureæ* dicuntur VIII memoratæ, quia vel constabant ex auro, v. g. lamina, vel aurum solidum appensum habebant, velut pallium, tintinnabula, vel aurea fila intexta, ut Ephod & pectorale; quin & ita dicuntur ob ingens pretium gemmarum, & aurearum catenularum in pectorali, & in Ephodi humeralibus. Ob quatuor ergo vestes istas, quas Pontifex solus gestabat, reliquæ omnes aureæ vocabantur, utut ceteræ quatuor, v. g. feminalia, tunica, balteus & cidaris, nihil auri in se continerent. Magnus itaque SELDENVS *lib. II. de Success. in Pontific. c.* 7. perperam quatuor priores solum aureas vocat, reliquas lineas, vestes sacerdotales in tria dipescens genera, in vestes Sacerdotis gregarii, h. e. tales, quæ omnibus Sacerdotibus erant communes; in vestes aureas; & in vestes albas: quem eo nomine jure carpit & suggillat SHERINGHAMVS *ad Tr. Joma cap. III. p.* 54. *sq.* Licet enim posteriores quatuor vestes auro non micuerint, omnes tamen octo aureæ vocantur apud MAIMONIDEM, & in Talmude passim, ubi quoties Pontifex dicitur vestes aureas induere, id ubivis de VIII vestibus capiendum est, quas per totum annum, excepto expiationum festo, in ministerio gestat.

בגדי לבן *vestes albæ* sunt quatuor numero, feminalia, tunica, balteus, & cidaris, præparatæ ex lino albissimo & tenuissimo, soli Pontifici die expiationum propriæ. Quamvis autem vestes Sacerdotum gregariorum pariter albæ essent, ex lino albo satisque tenui contextæ, albarum tamen nomine non censentur. Differentia quoque intercedebat in balteo, qui & Pontifici, & omnibus Sacerdotibus erat acu pictus, & duplicis materiæ, ex lana & lino, sed balteus ille, qui ad albas spectabat, lineus tantum erat. Præterea Pontifex die expiationum, quando adytum intrabat, duplici vestitu est usus, mane alio, qui valuisse dicitur XII minas, rursus alio vesperi, VIII minarum pretio: utroque albo. Easque non nisi semel vestiebat Pontifex, uno expiationum die: peracta autem expiatione deponebantur, nec unquam posthæc eas induebat Pontifex, cum ex adverso vestes aureas quotidie resumeret easdem. Confer BRAVNIVM *lib. I. cap. II.* §. 2. & 4. & quæ *ad cap. præced.* §. 5. notavimus.

De

De duplici autem unius diei veſtitu albo, Peluſiaco mane, Indico veſpere adhibito, vide SHERINGHAMVM *ad Cod. Joma cap. III. Miſchna* 7. *p.* 58. *ſqq.* erudite commentantem.

Ad §. VIII. pag. 10.

(16) *In publico urbis geſtare minime licebat*] Cave hoc ad ſolas veſtes Pontificis referas albas. Veſtitus enim ille ſacer, cum apud Pontificem Maximum, tum apud Sacerdotes gregarios, לשרת obeundo miniſterio ſacro tantum dicatus erat Exod. XXVIII, 3, 4, 35. extra quod, domi forisque, in Synedrio, in conſiliis, & ubique locorum extra Sanctuarium, ἐσθήσεσιν ἰδιωτικαῖς, *veſtibus plebejis*, juxta IOSEPHVM, utebantur. Hinc Ezech. XLII, 14. XLIV, 17, 18, 19. diſerte præcipitur, ut Sacerdotes finito miniſterio, ſi vellent exire ad populum, veſtes in Sanctuario relinquerent, & vulgaribus veſtirentur. Veſtiarium enim erat in templo, ubi Sacerdotes veſtiebantur, & exuebantur, ibidemque loci, finita hebdomade aut noctu etiam, veſtes ſacræ cuſtodiebantur. Vocabatur לשכת פנחס המלביש *conclave Pinchaſi veſtiarii*, Cod. *Middoth cap. I. ſect.* 4. ubi vide quæ *n.* 7. *p.* 19. notavit CONSTANT. L'EMPEREVR. Mirum itaque non eſt, Paulum Apoſtolum non agnoviſſe in Synedrio Pontificem Actor. XXIII, 5. & veſtes lacerans Cajaphas Matth. XXVI, 65. Marc. XIV, 63. Pontificalem ſcidiſſe ornatum, cenſendus utique non eſt, quod erudite demonſtrat ANT. BYNAEVS *de morte J. C. lib. II. cap. V.* §. 26. *ſqq.* Solus Pontifex poteſtatem habebat, veſtes ſacras induendi quotidie, ſi forte ſacra facere vellet, reliqui Sacerdotes autem illa ſolum hebdomade, qua cum claſſe ſua miniſtrabant in templo, veſtimentis ſacris ornabantur, quod cum duabus vicibus toto anno rediret, reliquo totius anni tempore, extra has duas hebdomadas, habitu corporis a ceteris Iſraelitis nihil diſtabant. Vnde MAIMONIDES in כלי המקדש *cap. X.* ait, Sacerdotes, extra miniſterium & ornatum ſacerdotalem, conſiderari כזרים *inſtar Laicorum.* Hinc illud toties in Talmude decantatum: בזמן שבגדיהם עליהם כהונתם עליהם / אין בגדיהם עליהם אין כהונתם עליהם: *quo tempore veſtiti ſunt veſtibus ſuis, Sacerdotes reputantur, ubi autem veſtibus ſuis non ſunt veſtiti, Sacerdotes non reputantur.* Et quamvis Sacerdotes in templo, illis etiam horis & momentis, quibus a miniſterio vacabant, veſtes miniſterii non ſtatim deponerent, ſed, ſi vellent, retinerent, donec dormitum irent, balteum tamen, ſive cingulum ſtatim deponere tenebantur, quamprimum otii quid caperent a functionibus ſacris, adeo ut ſi quis repertus fuiſſet balteo cinctus, illis momentis, quibus non operabatur, XL plagis cæderetur propter שעטנז *duplicem materiam* lini lanæque. Quæ laudatus BRAVNIVS copioſe perſequitur *P. II. cap. XXV. p.* 841. *ſqq.* qui etiam §. 7. *p.* 849. *ſqq.* SHERINGHAMVM confutat, qui *Not. ad Cod. Joma c.* 8. permiſſum pronunciaverat, ut extra templum quoque, in urbe Hieroſolymorum, Sacerdotes veſtibus ſacris uterentur. Quæ de proceſſione Simeonis Juſti, in occurſum Alexandri M. ſub finem paragraphi tangit Auctor, idem copioſe exponit BRAVNIVS §. *VIII. p.* 853. *ſq.*

Ad §. IX. pag. 10.

(17) *Veſtitu adumbratur*] Latiſſimus hic patet typicæ accommodationis campus, quem magno cum ſtudio & cura emenſi ſunt BRAVNIVS *lib. II. cap. XXVI. p.* 867. IOH. BIERMANNVS *in Moſe & Chriſto lib. I. Cap. V.* edit. Belg. *p.* 81. *ſqq.* WILH. MOMMA *in Oeconom. tempor. Lib. II. cap. IX.* §. 52. *ſqq.* Nos partim ad Chriſtum, & quidem primario referimus, partim ad Fideles, a Chriſto ſanctificatos, & ſpirituale Sacerdotium redditos. Paucis tamen multa complexi, hæc ſubjicimus. Velut Sacerdotes omnes, maxime vero Pontifex Supremus, picturæ erant & typi Chriſti, veri Ἀρχιερέως ἡμῶν, ita veſtitus ipſorum ſacerdotalis quoque, *cum* ornatum ejus, curamque ac dignitatem ſacerdotalem adumbrat, qua nomina ſuorum non tam in humeris

meris & pectore, quam in manu ſua ſcripta geſtat Jeſ. XLIX, 16. & tanquam memoriale patri ſuo affert Mal. III, 16. pectorale judicii, omneque judicium a Patre accepit Ezech. XXI, 27. Jeſ. XI, 4. Joh. V, 22. ipſe Vrim eſt, lux vera Joh. I, 4, 9. & Thummim, integritas absque labe, Hebr. VII, 26. eccleſiam ſuam mundans, ut ſit in ipſo, & per ipſum, ſine macula, ruga, labe Epheſ. V, 27. cujus introeuntis & exeuntis vox auditur, ut qui loquitur verba Dei Joh. III, 34. & teſtatus eſt τὴν καλὴν ὁμολογίαν 1 Tim. III, 7. quique ſolus ac unus קדש ליהוה ſanctum Domini Mal. II, 11. & ſacroſanctus Meſſias, ſive unctus eſt Dan. IX, 24: *tum* ſymbolum & figuram præbet juſtitiæ & ſanctitatis Chriſti, qua teguntur ornanturque omnes, qui Spirituali Sacerdotio fungi, & ad Deum accedere geſtiunt, Jeſ. LXI, 10. Ideo Chriſtus fideles monet, ut emant a ſe veſtimenta alba, Apoc. III, 18. & Matth. XXII, 11. ſq. veſtimenta nuptialia deſiderat in conviviis. Quodſi ſigillatim perſequi velis ſingula, Brachæ mortificationem carnis noſtræ per Spiritum Rom. XII, 13. ſqq. Tunica teſſellata, velamentum ſalutis noſtræ, ne nudi inveniamur coram Domino, Jeſ. LXIV, 17. Balteus, cingulum lumborum Chriſti Jeſ. XI, 5. quo eccleſiam, ut arctiſſime ſibi adhæreat, accingit ſibique unit, Jer. XIII, 10. Pallium ſeu מעיל rurſus ſtolam juſtitiæ Chriſti Jeſ. LXI, 10. Ephod, curam ejus pro iis, quos novit eſſe ſuos, Joh. X, 14. 2 Tim. II, 19. quosque cœlo infert, facitque confidere in cœleſtibus Epheſ. II, 6. Pectorale, eccleſiam per XII lapides pretioſos deſignatam Apoc. XXI, 19, 20. quam Chriſtus portat & ſuſtentat Jeſ. IX, 6. quæque ſigillum eſt in corde Chriſti Cant. VIII, 6. Tiara, ſeu diadema, hinc majeſtatem Chriſti, ad cujus nomen flectendum eſt omne genu Phil. II, 10. ſq. hinc fideles, ceu Regium ipſius Sacerdotium Exod. XIX, 6. 1 Petr. II, 9. Lamina aurea, triplex Chriſti regnum, tum quoque ſanctificationem ſui, qua & nos ſanctificamur Joh. XVII, 19. 1 Cor. I, 30. Veſtes albæ, ipſum in die expiationis, Hebr. VII, VIII, IX, X, repræſentabunt.

Ad §. XI. pag. 10.

(18) *Quoad matrimonia & conjugia*] De Sacerdotum conjugio SELDENVS commentatur *in Vxore Hebr. Lib. I. cap. VII. & de Succeſſ. in Pontific. lib. II. cap. 2. & 3.* Nimirum, Sacerdotibus gregariis interdicta erant conjugia cum זונה *ſcorto*, profana, ac repudium paſſa, vi legis Levit. XXI, 7. præterea quoque, ex inſtituto majorum, a Leviro renunciata: Pontifici autem Maximo præter has, abſtinendum quoque erat a vidua qualicunque, & vitiata. Quod intelligendum tamen eſt de Pontifice, dum dignitate Pontificia gaudet. Ante enim, quam in Pontificatum ſuccedebat vel evectus eſt, ſi viduam ſive vitiatam duxiſſet, aut cum ea iniviſſet ſponſalia, retinenda erat, licet inter hæc, vel poſtea Pontifex crearetur. Hinc porro, quoniam vidua prohibita erat Pontifici, ideo lege de fratria, fratri ſine liberis demortuo ſuperſtite, ducenda, ſolutus erat. Ita nimirum in Maſſechet *Sanhedrin cap. II. Miſchna* 1. definiunt Magiſtri: כהן גדול אתו חולץ וחולצין לאשתו ומייבמין את אשתו אבל הוא אינו מייבם מפני שהוא אסור באלמנה *Sacerdos Magnus calceo ſe exuit, aliique id faciunt ob uxorem ejus: alii hujus uxorem ducunt jure leviratus, ipſe non item: ipſi enim viduæ matrimonio interdictum eſt.* Neque vero cujuscunque generis virgo ei permiſſa eſt, ſed ea duntaxat, quæ τῆς קטנה *minoris* ætatem egreſſa, nondum plenam pubertatem attigerat, ſed intra τῆς נערה *juvenculæ*, ſive ſex, qui ſupra duodecim annos excreſcebant, menſium ætatem conſtiterat. Scilicet fœmella apud Hebræos, usque ad impletum ætatis annum duodecimum, excepto die uno, erat קטנה *minorennis*, hinc dicebatur per ſex menſes נערה *juvencula*, poſt duodecim annos autem & ſex menſes, erat בוגרת *virgo pubes*, ſeu plenæ pubertatis. Virginitatem quippe in plena pubertate perfectam eſſe ajunt, ſed in prioribus ſex menſibus, qui a minorennitate finita incipiunt, ita veluti creſcere, ut interea puella diceretur eſſe בבתוליה *in virginitate ſua.* Hoc ipſum eſſe contendunt, quod

quod lege sancitur: והוא אשה בבתוליה יקח *ipse uxorem in virginitate ejus ducat*, Levitic. XXI, 13.

Præterea Sacerdoti, uxorem ducturo, præcipua incumbebat cura, ne fœminam acciperet, natalium vitio laborantem, quæ profanaret, aut deteriorem redderet prolem ejus, maxime masculam. Hinc ex familiis aliis, præter congeneres, sive sacerdotales, Leviticas aut Israeliticas, uxorem sumere fas ipsi non erat. Neque ex Israeliticis, profanam, aut spuriam, nedum extraneam, nec dum proselytam factam, aut ex Gentibus ancillam. Ex vero itaque JOSEPHVS *lib. I. adverf. Apion. cap. VII.* edit. Haverkamp. *fol.* 440. Sacerdotes cumprimis curam habuisse testatur, ὅπως τὸ γένος τῶν ἱερέων ἄμικτον καὶ καθαρὸν διαμένῃ, *ut genus sacerdotale purum semper, impermixtumque permaneret.* Δεῖ γὰρ τὸν μετέχοντα τῆς ἱερωσύνης ἐξ ὁμοεθνοῦς γυναικὸς παιδοποιεῖσθαι, καὶ μὴ πρὸς χρήματα, μηδὲ τὰς ἄλλας ἀποβλέπειν τιμὰς, ἀλλὰ τὸ γένος ἐξετάζειν, ἐκ τῶν ἀρχαίων λαμβάνοντα τὴν διαδοχὴν, καὶ πολλοὺς παρασχόμενον μάρτυρας. *Debet enim, quisquis Sacerdotio fungitur, ex populari sua conjuge liberos quærere, neque ad pecunias, aut honores respicere alios, sed genus exquirere secundum antiquam successionem, multis probatum testimoniis.* Hoc fine ad manus ipsis erant, pro more, laterculi seu tabulæ genealogicæ, quibus parentum stemmata custodiebantur, idque maxime, ut ex iis stirpem suam ab illicitarum nuptiarum inquinamentis puram demonstrarent. Hinc tam sollicite Zachariæ & uxoris Elisabethæ prosapia enarratur Luc. I, 5. Contra vero ea, qui Esdr. II, 62. genus purum fide dignis demonstrare documentis non poterant, sacerdotio excidebant. Neque duntaxat, ubi de natalium impuritate manifesto liqueret, Sacerdotum filii a sacra arcebantur functione, verum etiam ex ספק זונה *dubio scorto*, ex ספק חללה *profana in dubio*, ceterisve generi sacerdotali interdictis, de quibus dubium, sive ex fama, sive ex præsumtione erat, filius genitus, ספק חלל *profanus in dubio* censebatur, eamque ob causam æque ac is, qui manifesto profanus erat, ab altari arcendus, nisi dubium istud probationibus apte solveretur. חלל autem & חללה *profanus, profana*, h. l. notat talem, qui sanctitate illa & munditie destituitur, qua genus sacerdotale præ cetera eminebat plebe, & cui, æque ac promiscuæ turbæ, aditus ad altare, & facultas comedendi de sanctificatis, denegabatur. Ista denique lege, de Sacerdotum matrimonio, quo pacto Deus ordinis honori & dignitati consultum voluerit, exposuit SPENCERVS *de Leg. Hebr. lib. I. cap. VII.* §. 3. edit. Cantabrig. *p.* 153.

Quam denique legis rationem Auctor scite reddit, plenius intelliges, si memineris, Pontificem Christum retulisse, omni ex parte sanctum, pariterque sanctificantem sponsam suam, Ecclesiam. Hinc typus ille non aliam, quam virginem illibatam matrimonio jungere sibi poterat.

Ad §. XII. pag. 10.

(19) *Sine vitio corporis*] Hoc argumentum, post SELDENVM *de Success. in Pontificat. lib. II. cap. V.* recentissime excussit eruditus juvenis, ABEL ADAMVS HOTTINGERVS, peculiari dissertatione, cui titulum fecit: *Integritas Sacerdotum Aaronicorum, ac mysterium, maxime sistens requisita Ministrorum Novi Testam.* Francof. 1735. postquam Jenæ M. DAVID RICHTER A. 1715. gemina disputatione in הכהנים בעלי מום seu *Physiognomiam Sacerdotis*, ex Lev. XXI, 16. sqq. inquisiverat. Plena autem & inculpabilis ad ministerium sanctuarii idoneitas & capacitas requirebat

א. Aetatem ministerio sacerdotali debitam; quæ Levitis quidem Num. IV, 3. ab anno ætatis trigesimo usque ad quinquagesimum, at Cap. VIII, 24. ab anno XXV & amplius, definitur. Hæc ita conciliant Magistri, ut in annum ætatis XXX initium functionis sacræ, in annum XXV autem discendi initium, atque tempus הלכות עבודה *instituta functionis*, v. g. lectionem, cantum &c. assequendi, conjiciatur. Ita diserte ad posteriorem locum RASCHI commentatur: מבן עשרים חמש

חמש בא ללמוד הלכות עבודה ולומד חמש שנים ובן שלשים עובד מכאן לתלמיד שלא ראה סימן יפה במשנתו בחמש שנים שוב אינו רואה: *ab anno vigeſimo quinto veniebat, ut diſceret partes miniſterii, & quinquennium diſcendo conſumebat, ab anno trigeſimo autem miniſterio fungebatur. Hinc de diſcipulo* (natum adagium eſt): *qui non vidit ſignum bonum* (optatum ſucceſſum, ſeu, ut in *Jalkut* exponitur, סימן ברכה *ſignum benedictionis*) *in diſcendo intra quinquennium, ille amplius nunquam eſt viſurus.* Intra hoc enim quinquennium, qui ſacro miniſterio minus deprehendebatur idoneus, plane rejiciebatur. Porro, trigeſimum annum Moſes definiiſſe cenſetur Levitis idoneum, quamdiu arca ipſorum humeris adhuc eſſet portanda: poſtquam autem illa ſtabilem nacta eſſet ſedem, exiſtimant Magiſtri, hoc a Davide Rege ſublatum eſſe 1 Chron. XXIII, 26. ubi anni Levitarum ſupputabantur a viginti annis & ſupra, adeoque legem illam annalem, vim quoque ſuam exuiſſe, ut eam novare liceret. Ita rurſus RASCHI ad locum priorem verſ. 2. מנה מהם את הראוין לעבודת משא והם מבן שלשים ועד בן חמשים שנה והפחות משלשים לא נתמלא כחו מכאן אמרו בן שלשים לכח והיותר על בן חמשים כחו מכחיש מעתה: *numera ex illis eos, qui apti ſunt ad miniſterium oneris, atque hi ſunt a nato triginta annos usque ad quinquaginta annos habentem: qui enim minor eſt triginta annis, nondum perfectus eſt robore ſuo. Hinc dicunt: natus triginta annos robuſtus eſt, qui vero major eſt quinquaginta annis, ejus vires ab illo tempore deficiunt.* Quæ bene habent quoad Levitas. At de Sacerdotibus non liquido definivit Moſes. Vtut enim HIERONYMVS *prooemio ad Ezechiel.* ex mente Hebræorum ita tradat: *niſi quis apud Hebræos ætatem ſacerdotalis miniſterii, id eſt, trigeſimum annum impleverit, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec hujus voluminis exordium & finem, legere permittitur:* æque ac jus Cæſareum olim in *Novell.* IVSTIN. *CXXIII. cap.* 13. & Pontificium *Can. Presbyter diſt.* 78. annum ætatis trigeſimum exactum, ad ſuſcipiendum Sacerdotium requirebat, quod ea ætate Dominum & baptizatum eſſe, & concionatum fuiſſe legimus, quæ ratio cum ſit infirma, rectius CASP. ZIEGLERVS *ad Lancelotti lib. I. Tit. VII. Inſtitution. Juris Canonici* §. 10. obſervat: *ætas XXX annorum generaliter ſelecta eſt, quia ſolidæ ea ac perfectæ prudentiæ eſſe creditur:* apud Hebræos tamen annus, quo in functionem evocandus Sacerdos erat, vigeſimus exiſtimatur, quia 2 Chron. XXXI, 17. de Sacrorum ſub Ezechia Rege inſtauratione, & proventuum diſtributione univerſis Sacerdotibus facta, diſerte legitur: *a filio viginti annorum & ſupra, in cuſtodiis ſuis, in claſſibus ſuis;* ubi Sacerdotes, qui ſacro fungerentur officio, ab hac ætate deſignari videntur. Quo reſpiciens ABARBENEL *Comm. ad Num. VIII,* 24. ita pronunciat: הכהן שהיה חייב במצות היה כשר לעבודה אבל אחיו הכהנים לא היו מניחין אותו לעבוד עד בן עשרים שנה *Sacerdos, ſimul ac ea ætate ſit, ut legis juſſa obſervare obligetur, revera aptus eſt ad miniſterium: ſed fratres ejus Sacerdotes eum miniſtrare non permittunt, donec viginti annos habeat.* Et erudite obſervat VITRINGA *in Synag. Lib. III. P. I. cap. I. p.* 619. exemplisque & teſtimoniis ex Hiſtoria Eccleſiaſtica evincit, in prima Eccleſia Chriſtiana, triginta annorum ætatem non præciſe in omnibus fuiſſe obſervatam; quantumvis poſthæc iſtud ætatis Canones definierint. Quæ autem præter hæc, ex Hebræorum ſententia & monimentis ſubtilius commentatur SELDENVS *cit. loc. cap. IV. init.* ab anno ætatis XIII ſtatim integrum fuiſſe Sacerdoti, ſacris operari, iſtamque functionem עבודה כשרה *miniſterium legitimum* fuiſſe, licet ab illa ætate usque ad annum vigeſimum hoc privilegio gauderent, ut abeſſe poſſent pro lubitu, nec obligatione ad vices cum ceteris præſtandas tenerentur; ea recentiora cenſemus, quam ut ſtante Templo obtinuiſſe credamus. Quod ſupereſt, LIGHTFOOTI obſervamus hic lapſum, Levitarum ætatem cum annis Sacerdotum temere confundentis, quando *in Miniſter. Templi Hieroſolymit. Cap. VI. Tom. II. Opp. fol.* 691. *b.* ita diſſerit: *Jam autem ætatem Sacer-*

Sacerdotum, cum ministerio initiarentur, invenimus triplicem, vel triplici ratione expressam in Scriptura. Nam prima lex circa ætatem Sacerdotum, cum ministrare inciperent, definit trigesimum annum Num. IV, 3. (ubi tamen liquido de Levitis, ex Kahathitarum ordine, a Sacerdotibus vers. 5. & 15. clarissime distinctis, sermo est) *ac similiter Levitarum vers. 23, 30, 35. sed est alius locus, qui dicit Levitas a viginti quinque annis, & supra, ministraturos, Num. VIII, 24. Tertius loquitur de Levitis, quasi ministrantibus, a vigesimo anno & supra 1 Paral. XXIII, 24, 27. Verum in hac varietate nulla est contradictio, sed mutatio quædam juxta varios respectus. Definita ætas erat annus trigesimus (atque ita typo respondit Servator noster, qui ea ætate ministerium suum ingressus est Luc. III.) sed anno vigesimo quinto erant Candidati, & quædam ministeria quidem obire poterant, ait* ABEN EZRA *in Num. VIII. sed non omnia: nam poterant quidem inservire tabernaculo, sed non poterant ferre arcam. Ideoque cum arca posita fuit in templo, jam non amplius hinc inde circumferenda, David divino monitu definivit initium eorum ministerii anno vigesimo: & tum erant tantum* פרחי כהונה *germina Sacerdotii, incipientibus tum illis inferiorum genarum partibus efflorescere. Ministerium Samuelis in tabernaculo, quod Silunte tum erat, fuit casus extraordinarius, & id tantum faciebat, quod erat tyronis vel Candidati, ut disceret rationem ministrandi ac canendi.* In eundem impegit lapidem vir summus *in Harmonia quatuor Evangelistar.* ad Lucæ III, 23. verba, *ipse autem Jesus incipiebant esse quasi annorum triginta,* ita commentatus: *erant Christo ætate pares Sacerdotes, sacrum munus primum obeuntes Num. IV, 3.* Quæ, licet pluscula, afferre, tædio non fuit, ne cui tanti viri nomen ac auctoritas sit fraudi.

ב. Decentem corporis habitudinem, membrorumque integritatem; adeo quidem, ut qui ὁλόκληρος, *corpore integer,* aut ἄμωμος, *vitio carens* non esset, is ab altari plane arceretur: Legem integram vide Lev. XXI, 16. sqq. quam SALOMO VAN TIL *in Opere Analytico ad h. l. p.* 247. perperam ad solum restringit Pontificem, Idemque in applicatione typica ad Christum repetit *pag. sequ.* cum unanimi interpretum tam Judæorum, quam Christianorum consensione, ad Sacerdotes omnes sit referenda. Quæ autem in lege recensentur vitia XII, *ne accedat ad offerendum cibum Dei sui, vir cæcus, aut claudus, aut curtus, aut prælongus membris, aut vir, in quo est fractura pedis vel manus, aut gibbosus, aut gracilis, aut in cujus oculo est suffusio, aut in quo est psora, aut saniosa scabies, aut thlibias,* teste vers. 18, 19, 20. quæque singulatim persequitur & exponit *cit. dissertatione* HOTTINGER. §. 13. *sqq.* ea insigni cumulo augent Hebræi, recensionem hanc legis specimen tantum & exemplum præbere contendentes, quod in vitiis hic dijudicandis sit sequendum, non autem vim legis omnem exhaurire. Conf. MAIMONID. ביאת המקדש *cap. VI.* Triplicis itaque generis faciunt isthæc, quæ ab altari arcent, corporalia vitia: *alia,* quæ velut animalia, ne rite possent offerri, sic & Sacerdotes arcebant, ne rite fungi possent ministerio: *alia,* quæ vitiabant hominem tantum, ut a sacro ministerio ipsi esset abstinendum: denique *alia,* quæ non vitiabant aliam ob causam, quam quod intuenti deformitate displicerent. Primi generis faciunt L, scilicet 5 in aure, in palpebris 3, in oculo 8, in naso 3, in ore 6, in vasis seminariis 12, in manibus pedibusque 6, in superficie corporis 4. Quibus addunt tremorem a provecta ætate, tremorem ab ægritudine, & sordes sudoris, aut fœtoris ex ore. Secundi generis numerant XC: & Tertii denique bina duntaxat, scilicet pilorum in palpebris defectum, & dentes excussos. Vt ita numerum omnium ad CXLII extendant, quæ post MAIMONID. *cit. Tr. cap. VIII. §. ult.* ordine vide recensita a SELDENO *citato loco.* Porro vitiorum istorum alia dicuntur קבועים *fixa, permanentia* seu perpetua, quæ per omnem vitam arcebant, alia עוברים *transeuntia,* quæ tempore consumuntur & desinunt. Quodsi quis tali vitio, primi aut secundi generis, affectus Sacerdos, tamen accesserit ad altare & officio fungatur, flagelli supplicium luebat.

bat. Primum genus vitiorum non modo pœnam ſcienter ſacrificantibus inducebat, ſed ipſum quoque ſacrificii actum vitiabat, ut eſſet עבורה פסולה *miniſterium profanum* ac irritum: Secundum genus לא חלל עבורתו *minime profanabat ſacrificium*, tametſi ſacrificans verberum pœna eſſet afficiendus: Ob tertium genus, Sacerdos, qui adverſus patria inſtituta hic eſſet contumax, איכו לוקה ועבורתו כשרה *nec ipſe vapulat, nec ſacrificium ejus eſt illegitimum;* adeo ut genus tertium, in monitis tantum haberetur, primum autem & ſecundum, in interdictis. Eandem a vitiis immunitatem Sacerdotum inculcat PHILO *lib. II. de Monarchia p.* 823. & *libro de victimis p.* 845. Hoc imitata eſt, ſed certo ſaltem caſu, & alia de cauſa, Eccleſia primitiva, unde in Canonibus, qui dicuntur Apoſtolici, *Can. LXXVII.* ita habet: *εἴ τις ἀνάπηρος ἢ τὸν ὀφθαλμὸν, ἢ τὸ σκέλος πεπληγμένος, ἄξιος δέ ἐςιν ἐπισκοπῆς, γινέσθω· οὐ γὰρ καὶ λώβη σώματος, αὐτὸν μιαίνει, ἀλλὰ ψυχῆς μολυσμός. Si quis vel oculo orbatus, vel femore oblæſus, Epiſcopatu autem dignus ſit, fiat: non enim corporis damnum eum polluit, ſed animæ inquinatio.* Et *Can. LXXVIII.* *κωφὸς δὲ ὢν, καὶ τυφλὸς, μὴ γενέσθω ἐπίσκοπος· οὐκ ὡς μεμιασμένος, ἀλλ' ἵνα μὴ τὰ ἐκκλησιαστικὰ παρεμποδίζοιτο· Qui autem eſt ſurdus & cæcus, ne ſit Epiſcopus; non ut pollutus, ſed ne Eccleſiaſtica impediantur:* ad quos conferantur GVIL. BEVEREGII annotationes. Vlterius longe progreditur Jus Canonicum, cujus de corpore vitiatis, ſpeciales extant Tituli in Decreto & Decretalibus, quod ad ordines promoveri haudquaquam debeant, etſi parte tantum aliquā digiti alicujus mutili fuerint, dummodo abſciſſio illa a volente, aut non invito facta ſit. *c. præcipimus, diſt.* 34. *c. illiteratos, diſt.* 36. *c. qui partem, diſt.* 55. Vnde LANCELLOTTVS *Inſtitut. Juris Can. lib. I. Tit. XXV. qui promoveri non poſſunt* §. 22. diſerte inculcat: *corpore vitiatus, niſi modica ſit læſio, ordinari non poteſt.* Idem denique imitati ſunt Gentiles, in quibus Athenienſes eos, qui operabantur ſacris, jubebant eſſe *ὁλοκλήρους καὶ ὑγιεῖς τῷ σώματι, integros & corpore ſanos.* Romani pariter manifeſtum corporis vitium in Sacerdote non patiebantur, ita ut Metellum Pontificem, luminibus orbatum, & Sergium, dextra manu mutilatum, licet pro ſalute populi Romani, tamen a ſacris arcerent. Confer DILHERRI *Diſputatt. Academ. Tom. II. p.* 187. coll. *Tom. I. p.* 294.

Quicquid autem eſt iſtius rei, eo ſpectabat omne, ut *partim* typice Chriſtum adumbraret, qui verus *ἀρχιερεὺς, ὅσιος, ἄκακος, ἀμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν* Hebr. IX, 26. mortaliumque præſtantiſſimus celebratur Pſalm. XLV, 3. *partim* uſu morali, officii admoneret omnium temporum fideles, ut tanquam Regale Sacerdotium, illibato corpore, & conſcientia, ſpiritualia Deo ſacrificia offerrent 1 Petr. II, 5, 9. *partim* idoneos Novi Teſtamenti inſtrueret miniſtros, a quibus animi vitiis cavere ſibi debeant; ad quos ex inſtituto legem hanc applicat HOTTINGER. *laudata Diſſert.* §. 90. *ſqq.* Graviter & nervoſe in hunc poſtremum uſum commentatur SPANHEMIVS *Obſervat. ad Lev. XXI*, 17. *ſqq. Tom. III. Opp. p.* 697. cujus verba huc transferre integra, licet pluſcula, grave non erit: *Excluduntur Paſtores cæci, i. e. cæci oculis mentis, intelligentia, cognitione; unde tales, alios illuminare neſcii, hinc illud Jeſ. XLII,* 19. *Sic Paſtores muti, ſurdi, illi demum ſunt, qui tacent, cum loqui oportebat, qui non arguunt, non hortantur, non docent Jeſ. LVI,* 10. *Sic claudi ſunt illi Paſtores, qui non recte pede incedunt, ut congruit veritati Evangelii, Gal. II,* 14. *vel qui uno pede recti & altero claudi, unum pedem inferentes in Eccleſiam, alterum in mundum, & qui modo hoc, modo aliud in religione ſentiunt: ſic reprehenduntur, qui claudicarent in duabus iſtis cogitationibus, num Jehova Deus eſſet, vel Baal,* 1 *Reg. XVIII,* 21. *Sic dici poteſt, eſſe membrum ſuperfluum in illis, quorum cor duplex, cor & cor, nam Deus poſcit cor integrum & ſimplex; Sic dici poſſunt naſo mutili; qui neſciunt olfacere, ſeu diſcernere verum a falſo, bonum a malo, purum ab impuro, ut ſupra Cap. XI,* 47. *Sic dici poſſunt manu aut pede fracti ſeu polluti, qui manus non abluunt in innocentia Pſal. LXXIII,*

LXXIII, 18. *aut qui pedes inquinant, ingrediendo loca polluta; unde Canones veteris ecclesiæ interdicebant sedulo Clericis, vel cauponam ingredi; hoc sensu Christus pedes discipulorum abluit. Sic mutili dici possunt illi Pastores, qui doctrina instructi, non vita, qui pollent quidem lumine scientiæ, destituti vero sunt calore charitatis, vel amore in Deum & proximum. Sic gibbi dici possunt illi Ministri, qui non tantum supponunt dorsum gestandæ arcæ Dei, sed qui insuper ferunt onus rerum secularium, toti sunt in* κοσμικαῖς πραγματείαις; *qui appetunt mundum, ejus divitias, figurati olim in camelo, cui dorsi gibbus est. Sic suffusi oculis illi sunt, quorum scientia læsa, corrupta, quorum visus pravus, videntes nimirum in Scriptura Sacra quæ in ea non sunt, item qui affectibus ambitionis, avaritiæ, odii, iræ &c. sunt præoccupati & irretiti. Sic scabiosi dici possunt homines detrectatores, qui prurigine laborant litigandi, calumniandi, aut qui laborant impetigine seu libidine carnis, aut qui in aliorum scabiem, id est, in aliorum nævos & defectus, jugiter manus suas dirigunt. In summa, spectant huc omnes istæ Mosaicæ leges, de Sacerdotibus integro corpore, ut sint vestiti justitia, Ps. CXXXII, 9. ut sint irreprehensibiles, 1 Tim. III, 2. ut sint probati vita & doctrina, 1 Tim. III, 10.* Quo autem sensu & respectu lex ista, de integritate Sacerdotum, ad ordinis honorem spectaret & dignitatem, SPENCERVS ostendit *de Leg. Hebr. lib. I. cap. VII. §. 1. p.* 152.

3. Debitam animi rectitudinem & integritatem vitæ. Quia enim vocabul. מום, quod a Sacerdote excluditur omne, non de corporis modo nævis, verum etiam de vitiis moralibus usurpatur Deut. XXXII, 5. Job. XXXI, 9. bene colligunt hinc Judæi, corruptelas morum æque, ac vitia membrorum, inidoneum reddidisse Sacerdotem. Ita MAIMONIDES *Hilch.* ביאת המקרש *cap. IX. §.* 15. נמצאו כל הפסולים לעבודה שמנה אשר ואלו הן העובר עבודה זרה הזר בעל מום הערל הטמא טבול יום מחוסר כפורים האונן השכור מחוסר בגדים יתר בגדים פרום בגדים פרוע ראש שלא רחץ ידים ורגלים היושב מושש בין רגליו ובין הארץ דבר חוצץ מישיש בין ידו ובין הכלי דבר חוצץ מישעבר בשמאלו: *omnes igitur, qui sacris faciendis inidonei, sunt duodeviginti: idololatra, alienus, vitio corporis affectus, incircumcisus, immundus, de die lustratus, piaculi indigens, lugens, ebrius, egens vestibus, abundans vestibus, obsitus vestibus scissis, qui erat capite nudo, qui non ante lavasset manus & pedes, qui operando sedisset, cujus inter pedem & terræ solum quid interjectum fuisset, cujus inter manum & utensile aliquid interfuisset, qui manu læva esset operatus.* Nec tamen unius erant generis animi vitia, quæ functioni sacerdotali obstare censebantur. *Alia* vim suam exuebant, si pœnitentia ducti, qui iis laborabant, ad bonam mentem redirent, v. g. in nuptiis illegitimis, si quis Sacerdos matrimonio sibi, contra fas, quomodocunque fœminam junxisset, functione arcebatur, ita tamen, ut si in consessum magnum LXXI virorum evocatus, in populi frequentia, illicita illa consuetudine se abstinentem fore, palam voto profiteretur, & demum repudio conjugem illegitimam ejiceret, altari non minus, quam reliqui Sacerdotes, idoneus haberetur. *Alia* vim retinebant suam, hac in re, æternam; eorumque duæ illustres sunt species, עבודה זרה *idololatria*, & cultus in loco illegitimo, licet vero Numini exhibitus. Cultus extraneus, seu sponte, seu errore a Sacerdote præstitus, eum ita vitiabat, ut altari perpetuo, tametsi solenniori ritu pœnitentiam ageret, esset arcendus. Cultus autem in loco incompetente, v. g. in templo Heliopolitano, aut Garazitano Samaritico, aut in templo Aegyptiaco, ab Onia, sub Ptolemæo Philometore extructo, peractus, eandem vim habebat, tametsi pro עבודה זרה non acciperetur. Sed & homicidium, sive ultro, sive per errorem commissum, arcebat Sacerdotem a נשיאות כפים *extensionibus manuum*, h. e. a benedictione sacerdotali, extensis manibus populo, per Num. VI, 23. impertienda; forte tamen ab altari non arcebatur homicida, si pœnitentiam egisset. Præterea quoque, quæ existimationem minuerent; aliqua, utcunque non mala,

la, in causa fuerunt, ut Pontifex idoneus non haberetur successioni tam ardui & sacri muneris, v. g. si quis esset lanio, aut tonsor, aut balneator, aut textor, aut coriarius &c. ut est apud MAIMONID. *Hilc.* מלכים *cap. I.* De quibus copiose SELDENUS *cit. loc. cap. VI.*

Ad §. XII. pag. 10.

(20) *Ut sisterentur utrique Deo*] Ista Sacerdotum ad ostium tentorii conventus præsentatio, eorum denotabat cum ἀφορισμὸν, seu separationem a rebus secularibus, & reliqua plebis profanæ turba, tum ἁγιασμὸν, seu destinationem, Domino ejusque ministerio factam. Ita nimirum in rem præsentem, cui erant præficiendi, deducebantur, & sistebantur Domino, cujus ministerio erant dicandi. Sed & ita locus certus designabatur huic solennitati, dum orientalis atrii pars, qua ingressus patebat tabernaculi, ad ritum illum eligebatur, ubi publice sistebantur personæ designatæ, & inde ad altare & sanctuarium ipsum perducebantur. Utrique enim appropinquare, nisi initiatis, non licebat.

Ad §. eund. pag. cit.

(21) *Aqua mundari debebant*] Ordinaria hæc erat præparatio ad obeunda sacra, antequam aliquid sancti vel tangerent, vel induerent Sacerdotes; quo sic monerentur, se impuros natura, nec dignos esse, qui ad Deum appropinquent, nisi conscientiam abluant, & emundent aqua pura Hebr. X, 22. Et ista quidem lotio sacerdotalis hoc sibi peculiare habuit, quod repræsentaret singularem aliquam sanctificationem, & ex communi ordine exemtionem, indeque cognoscerent Sacerdotes, se plus ceteris Israelitis puritati vitæ & conscientiæ deditos esse debere; quo familiarius cum Deo versarentur, quod impuris & illotis integrum non sit. Eaque lotio una est e διαφόροις illis βαπτισμοῖς, de quibus Hebr. IX, 10. Hinc mutuati sunt ritum Pagani, qui lotionem inaugurationi præmittebant, manibusque illotis sacra tractare nefas ducebant. Unde illud CLEMENTIS ALEXANDRINI *Stromat. lib. V. p.* 582. edit. Sylburg. ὀυκ ἀπεικότως ἄρα καὶ τῶν μυστηρίων τῶν παρ' Ἕλλησιν, ἄρχει μὲν τὰ καθάρσια, καθάπερ καὶ τοῖς Βαρβάροις τὸ λουτρόν· *non abs re ergo in mysteriis quoque, quæ fiunt apud Græcos, primum locum tenent expiationes & lustrationes, sicut etiam apud Barbaros lavacrum.* Eam ob causam ante adytum templi λουτῆρας habebant, docente SUICERO *Observat. cap. VI. p.* 159. æque ut ante Sanctuarium Judæorum labrum æneum erat positum, aquis repletum, ut lavent Aaron & filii ejus manus & pedes Exod. XXX, 18. sq.

Ad §. XIII. pag. cit.

(22) *Sacerdotis manus implebantur*] Recte monet Auctor, *impletionem manus*, pro inauguratione sacerdotali poni. Liquido hunc phraseos sensum confirmat R. SALOMO IARCHI *Comment. in Exod. XXVIII*, 41. כל מלוי ידים לשון חנוך כשהוא נכנס לדבר להיות מוחזק בו מאותו יום והלאה: *omnis impletio manuum significat initiationem, quando aliquis aggreditur rem quampiam, ut in illa ipse confirmetur ab illo die, ac deinceps:* idque porro illustrat ritu in Galliis usitato, cum quispiam præficitur muneri cuidam aut negotio, principem ei dare chirothecam, quam *Guantam* appellent. Hæsitanter idem affirmat CLERICUS *Not. ad h. loc. Forte petita est phrasis ab aliquo ritu Orientis, quo insignia muneris in manum eorum, quibus conferebatur, tradebantur: unde postea factum sit, ut* implere manum *sit muneris exercendi potestatem facere. Vide Jud. XVI*, 5. Equidem in dissertatione, sub moderamine b. DANZII *ad Hebr. IX*, 7. publice defensa, quæ in MEUSCHENII *Novo Test. ex Talmude illustrato p.* 933. inserta legitur, *cap. I. §. XXII* hanc sententiam operose impugnari video, sed debili admodum argumento. Non enim ideo phrasis illa sacerdotalem involvit initiationem, quod isthæc sola manuum impletione absolveretur, sed quia mos ita fert

fert Scripturæ, a ceremonia tantum non principe totum reliquorum rituum cumulum denominare. Hinc laudatus modo CLERICVS citra hæsitationem *in Annotat. ad Hebr. II*, 10. affirmat: *Pontifex* τελειῶσθαι *dicitur, cum consecratur, ut munere suo fungi queat. Hebræi dicunt hoc*, implere manus, *quod* τελειῶσαι *sæpe verterunt LXX Interpretes. Vide Exod. XXIX*, 10, 35, 35. *Lev. VIII*, 35. *XVI*, 32. *XXI*, 10. *Num. III*, 3. Nec est, quod hic dubitemus, cum ritum, phrasinque res ipsa comprobet. Moses enim, jussus a Domino: *& pones omnia super manus Aaronis & filiorum*, Exod. XXIX, 24. de ariete eucharistici adipem, caudam cum adipe intestinorum, partem hepatis, atque duos renes cum adhærente adipe, dextrum armum, & duas placentas oleaginas, Aaronis, ejusque filiorum manibus imponebat, manusque his sacrificii partibus implebat, atque ita agitabat. Agitatio vero ita habebat, ut Moses manum suam manibus Sacerdotum impletis supponeret, atque extolleret in altum, rursusque demitteret versus terram, porro verteret versus ortum & occasum, ac denique versus meridiem & septentrionem, eoque pacto figuram crucis efformaret. Quo peracto, partes istas Moses a manibus ipsorum recipiebat, & adolebat in altari. Hinc aries ipse איל מלאים *aries impletionum*, Exod. XXIX, 22. & dies septem, quibus ritus ille repetebatur, ימי מלאים *dies impletionis* Levit. VIII, 33. dicebantur. Phrasis itaque hoc infert, Mosen dedisse illis facultatem & copiam, res sacras tractandi, in sanctuarium intrandi, pro populo offerendi: immo illos jussisse totos vacare cultui divino: cujus rei signum erat, traditio in manum rerum tunc offerendarum, ut futuro initiarentur ministerio, cujus præcipua pars erat oblatio hostiarum. An solennis verborum formula accesserit, quam WILHELM. MOMMA *Oeconom. tempor. cap. IX. Lib. II.* §. 58. *f.* 172. conjicit talem: *trado hæc tibi in manum, jussu Dei Domini, ut scias, & te debere, & tibi licere cum hujusmodi oblationibus imposterum accedere coram Domino:* dicere non habemus, mutam tamen istam fuisse ceremoniam, nudumque spectaculum, minime existimamus, verum haud dubie junctam sibi habuit instructionem, officiique hoc ritu injuncti benedictionem. Redit phrasis 2 Chron. XXIX, 31. & cumprimis 1 Reg. XIII, 33.

Ad §. XIV. pag. 11.

(23) *Vel tristitiam suam testari*] Legem vide Lev. X, 6. XXI, 10. sqq. quam ita temperandam censeo, ut quemadmodum Ezechiel, amissam subito conjugem, clam lugere poterat, modo ab externis sibi caveret luctus documentis, cap. XXIV, 16, 17; ita in mortibus charorum & necessariorum, integrum quidem fuerit Pontifici, altum premere corde dolorem, cum hominem exuere non posset, ita tamen, ut ab externis tristitiæ & luctus testificationibus, lugentiumque ritu abstineret. Hinc prohibetur 1) ad mortuum appropinquare, quia pollutio a mortuo contracta septem dies durabat, ac expiationem per cinerem juvencæ poscebat. Pontifex autem frequenter, maxime omnibus Sabbathis, in Sanctuario comparere officioque fungi, eamque ob causam mundus semper ac purus esse debebat: ideo ab omni mortuorum contactu, etiamsi pater vel mater e vita excesserit, sibi cavebat. Hanc rationem reddit MAIMONID. *in More Nev. P. III. cap.* 47. edit. Buxtorf. *p.* 493. Prohibetur 2) caput denudare. Verum hic in partes scinduntur Interpretes. Talmudici eo trahunt, permissum Pontifici non fuisse, ut non tonsum caput aut barbitium haberet, crinesque aleret promissos, quod in luctu alias consuetum; ut sensus sit: sicut alias lugentes a tonsione abstinent & capillum producunt, sic ex adverso Pontificem & Sacerdotes oportuisse, tonsionem suetam pergere, ne hispido crine aut barba, sanctuarii solennitatem, continuamque turbent festivitatem. Hinc Lev. X, 6. verba: ראשיכם לא תפרעו ita vertunt: *comam capitum vestrorum non nutriatis:* & ubi de Pontifice c. XXI, 10. præcipitur: את ראשו לא יפרע, *comam capitis sui non nutriat.* Censetque SELDENVS *lib. II. de*

de Successf. in Pontif. cap. 5. quoniam פרע comam, seu cæsariem notat, hinc verbum quoque פרע, quod alias sæpe quidem notat, *retegere*, *denudare*, idem nonnunquam esse, ac *comam nutrire*, sive *promittere*. Contra vero ea, b. GEIERUS *de luctu Hebræor. cap. XI.* §. 4. urget, verbi פרע insolentem eam esse acceptionem, quo potius generatim designetur remotio, vel alienatio a se, v. g. consilii Prov. I, 25. castigationis c. XIII, 18. XV, 32. cum capite vero constructum legi Num. V, 18. de fœmina adultera sive suspecta, quam coram Domino statuebat Sacerdos, ופרע את ראש *nudabatque caput ejus*, ubi sane non capillorum nutritio, sed tegminum a capite subtractio, seu capitis denudatio hoc verbo effertur. Inde colligit, Sacerdotibus pariter in luctu interdici, ne suetum tiaræ ornamentum ex impatientia detraherent, caputque nudum, pro more aliorum lugentium, vel tonderent, vel cineribus inspergerent. Eaque posterior sententia magis nobis probatur, satisque luculenter ex Lev. X, 6. constat, ubi, cum Nadab & Abihu igne cœlesti essent absumpti, Moses auspiciis divinis, Aaroni patri, & Eleazaro ac Ithamaro fratribus interdicit: ראשיכם אל תפרעו *capita vestra ne detegatis*, ובגדיכם לא תפרמו *& vestes vestras ne laceretis:* ubi de alendis crinibus tam subito interdicendum non erat, quod hoc in ipsorum potestate non erat, tempusque requirebat, ut capillos demitterent; verum, ne detractis tiaris suis pilos sibi evellant, aut cinere caput conspurcent, pro lugentium more, hoc est, quo ipsis interdicit. Quem ergo significatum verbum פרע, in moderatione luctus, Aaroni & & filiis ejus imperata sustinet, eundem retinere censemus in ordinario luctus publici interdicto cap. XXI. Demum 3) scindere vestes quoque prohibetur, sed duplici adhibita cautione. Istud enim interdictum accipiendum docent Hebræi α) de vestibus tantum sacerdotalibus, quas discindere quocunque casu nefas erat, juxta illud in Gemara Babyl. Tract. *Joma cap. VII. fol.* 72. *a.* המקרע בגדי כהונה לוקה: *qui dilaceraverit vestes sacerdotii, vapulabit.* Neque omnino, reverentiæ & honoris causa, fas erat cuiquam, sive Sacerdoti, sive Israelitæ, vestibus dilaceratis atrium ingredi, vel templum: β) de more inter Israelitas recepto, ne nimirum Dei ministri, velut ceteri de plebe, rumperent vestes ab ima & anteriore parte, circa pectus deorsum, sed ab infima ora desuper scindere licebat. Hinc Sacerdotes & Pontifex, vestes suas privatas, sive amictum vulgarem, quem extra sacra gestabant ministeria, dilacerare solebant, tum in luctu, quod signum doloris erat in Oriente receptissimum Job. I, 20. Gen. XXXVII, 34. tum ad blasphemiam, ex ore Israelitæ (non Gentili) sive in nomen Tetragrammaton, sive cognomen Dei aliquod auditam, tum ob graves alias causas, v. g. ob legis incendium, urbisve ac templi excidium, aut insigne aliquod damnum. Vbi tamen Mischna tract. הוריות *cap. III.* hoc discrimen advertit: Pontificem dilacerare a parte ima, Sacerdotem gregarium a summa, quemadmodum & ceteri Israelitæ universi. Quæ ad locum, ex historia passionis Matth. XXVI, 65. illustrandum apprime faciunt, de quo consulatur, post SELDENUM *Lib. II. de Jure Nat. & Gent. cap. XII. pag.* 263. *sqq.* BYNAEUS *de morte J. C. lib. II. cap. V.* §. *XXII. sqq. pag.* 304. ubi omnia habes, quæ de eo dicta sunt. Causas prohibiti Pontifici Summo luctus publici dum scrutatur SOPRANES *digress. III. ad David. de publico & privato luctu, cap. III. p.* 533. tres in medium affert: *a*) Ad venerationem illi augendam, quia nihil est, quod magis aliquem altius humano fastigio sustollat, quam si immotus inter suorum funera cernatur: *b*) Ad affectus Summi Pontificis temperandos, & illum sui muneris admonendum, vel ut saltem constet, quam debeant illius affectus esse moderati. Ob id Melchisedecum, Dei altissimi Sacerdotem, sine matre, sine patre, sine genealogia, in Scriptura produci, ut Summi Sacerdotes intelligant, omnes affectus perinde sibi amputandos, quasi sine patre & matre producti forent; nihilque rerum omnium esse, quod sibi sit Dei cultui prævertendum: *c*) Ad exemplum aliorum. Noluisse

Deum,

Deum, Summum-Pontificem quemquam flere, nec ob illius obitum lugubria sumere, ut discerent alii, quam moderate gerere se debeant in morte charorum. Hinc HIERONYMVS *Epist. XXV. ad Paulam super obit. Blesillæ: Quod*, inquit, *forsan crudele alicui videatur, sed fidei necessarium est, in eodem Levitico* (Cap. XXI.) *scribitur, quomodo Sacerdos Magnus ad patrem, matrem, fratresque vel liberos mortuos prohibeatur accedere; ne videlicet anima, Dei sacrificiis vacans, & tota in illius mysteriis occupata, aliquo impediatur affectu.* Et subdit: *Nonne aliis verbis idipsum in Evangelio præcipitur, ut renunciet domui discipulus, ut mortuo patri non exhibeat sepulturam?* Idem erudite monet SOPRANES, etiam Gentiles, Flamines suos, & Summos Pontifices, a luctu, & omni ferali officio abstinuisse; quod ex A. GELLIO *lib. X. cap. XV.* & exemplo Tiberii probat, qui oratione funebri filium laudaturus, inter se & cadaver velum posuit, quod Pontificis oculos a funere arceret, apud SENEC. *Consolat. ad Mart. cap. XV.* Ista vero non video, quomodo consentiant iis, quæ MAIMONIDES *in Jad Chas. Hilch.* אבל *cap. VII. §. 6.* ita tradit: כהן גדול חייב בכל דברי אבילות· אלא שאסור לו לקרוע בגדיו למעלה ולגדל פרע ולצאת אחר המטה· וכל העם באין לנחמו לביתו· וכשמברין אותו כל העם מסובין על הארץ והוא מיסב על הספסל: ואומרין לו כשמנחמין אותו אנו כפרתך והוא אומר להם תתברכו מן השמים· *Sacerdos Summus ad omnia luctus officia obligatur, exceptis, quæ ipsi sunt prohibita, v. g. vestium laceratio sursum versus, cæsariei nudatio, processio post feretrum. Omnisque populus accedit ad consolandum eum in domum ipsius; & cum cibat, ipsum universus populus, assident hi in terra, ipse autem sedet super sedile: & cum consolantur eum, inquiunt: simus nos expiatio tua: ipse vero respondet eis: sit vobis benedictio e cœlo.* Quo certe pacto non dissimulavit, sed publice testatus est luctum, & populi admisit consolationem: quæ, si forte vergente republica locum habuerunt, non ex lege facta, sed ad pompam seculi composita fuerunt.

Ad §. XV. pag. 11.

(24) *Sacerdotibus Secundanis permissum erat*] Gregarii ergo Sacerdotes *partim* prohibebantur lugere omnes extraneos, etiam cives, & in civibus etiam regem ipsum, & populi principem, *partim* permittebantur lugere consanguineos & propinquos, non tamen omnes, sed primo gradu tam ex descendentibus, & ascendentibus, quam ex latere junctos, ab Auctore commemoratos. In his vero omissa uxor, scrupulum movit interpretibus. Et CLERICVS quidem *Not. ad v. 4.* uxorem lugere nefas pronunciat fuisse Sacerdoti, ita vertens: *immundus non fiet, inter populares suos, ut polluatur maritus:* sensumque verborum facit: *nisi Sacerdotem, non pollutum iri, cum erit maritus, propter uxorem suam.* Confirmat sententiam suam ex Ezech. XLIV, 25. ubi pro sex memoratis duntaxat polluere se debere Sacerdotes diserte dicuntur, omissa uxore. Hoc didicit CLERICVS haud dubie ex ABEN ESRA, qui pariter *ad h. l.* טעם בעל בעמיו שלא יטמא הבעל באשתו *sensus* verborum בעל בעמיו est, *ne pollueretur maritus in funere uxoris suæ.* Contra vero R. SAL. IARCHI *ad v. 2. voc.* לשארו notat: אין שארו אלא אשתו *Caro ejus hic non alia est, quam uxor ejus.* In eandem sententiam pronunciat פסיקתא perantiquus Commentarius in Leviticum *h. l.* cujus verba Latine dedit DRVSIVS *in Not. major. ad h. l.* Et videtur omnino comprehendi uxor communi nomine *carnis* sive propinquorum v. 2. ut opus non esset, eam cum sex reliquis diserte nominare. Si enim licuit Sacerdoti, polluere sese pro fratre & sorore virgine, quidni & pro uxore, quæ est illi propinquior fratre vel sorore, immo & patre atque matre, siquidem vir una est cum uxore caro. Vnde recentiores idem passim sentiunt, e Pontificiis BERNH. LAMY *de tabernaculo & sancta civit. Lib. III. cap. IX. sect. V. p. 512.* e Reformatis FRANCISC. BVRMANNVS *in h. l.* e Nostris vener. ZEIBICHIVS *in Bibliis Exeget. h. l.* Ita Judæi in Germanica versione IOSEPHI ATHIAE: *Ein Cohen sol sich an*

keinem todten Leib verunreinigen, weil das Meth liegt unter seinem Volk. Ohne neiert zu seinem Weib, das ihm am næchsten angehœret· und an seiner Mutter, &c. Cur vero istis Deus indulserit luctum, quem denegavit Pontifici, ejus rei caussa in insigni Pontificis præ reliquis mystis eminentia ponenda est & dignitate, כי נצר שמן משחת אלהיו עליו *quia separatio olei unctionis Dei ipsius super illo est*, Lev. XXI, 12. Totus ille Deo dicatus & sacer erat, cumque illi non prorsus omne quasi commercium cum necessariis exuissent, hic ex adverso quasi super omne consortium carnis & sanguinis evectus, & omni humano fastigio major erat, in quem cumprimis quadraret illud Deut. XXXIII, 9. Quo pacto hac lege, de luctu Sacerdotum, dignitati ordinis sacri prospexerit, SPENCERVS docet *de leg. Hebr. Lib. I. cap. VII.* §. 2. edit. Cantabrig. p. 152.

Ad §. XVI. pag. 11.

(25) *Clangebant tubis*] De clangore & usu tubarum ex instituto dicemus infra *Lib. III. Cap. VII.* ubi de Festo buccinarum & Novilunio.

Ad §. XVII. pag. eand.

(26) *Suffraganeus sive Vicarius*] De סגן quem alii Hebraice, *Sagan*, alii Rabbinice *Segen* legunt, vide post BVXTORF. *Lex. Talmud. h. v.* SELDENVM *de success. in Pontificat. lib. II. cap. I.* LIGHTFOOTVM *minister. templi Hierosolym. c. V. Opp. T. I. p.* 687. SHERINGHAMVM *in Cod. Joma cap. III. Mischn.* 9. *p.* 67. *sq.* & præter citatos ab Auctore ELIAM *in Tisbi h. v.* atque SCALIGERVM, cumprimis CVNAEVM *lib. II. de republ. Hebr. cap. VI.* Ejus officium R. OBAD. BARTENORA *ad Sanhedr. Cap. II.* §. 1. paucis ita complectitur: הסגן הוא ממונה לעבור תחת כ״ג אם יארע פיסול בכ״ג בי״כ: *Sagan est, qui constituitur, ut rem sacram faciat loco Summi Sacerdotis, si forte vitium quoddam huic obtingat die expiationis.* Nemo enim, præter Pontificem, festo expiationis officio rite poterat fungi. Cum ergo Pontifici accidere posset, vel ex pollutione nocturna, vel ex morbo, vel ex alio inopinato casu, impedimentum quoddam, quod profanum & inidoneum redderet eum ministerio, Vicarium ejusmodi ordinarunt, qui proximus ab eo, & pari ferme cum ipso potestate, & maxime polluto, vel absente, vel demortuo Pontifice, eadem muneris sacri auctoritate polleret. Unde quoque כהן גרול אחר *Pontifex alter* nuncupari solebat, nec non כהן משנה *Sacerdos secundarius*, qualis Zephanias Serajæ Pontifici suffectus legitur 2 Reg. XXV, 18. & Jer. LII, 24. quem Chaldæus diserte interpretatur Sagan. Nec obstat, quod Sacerdos ad bellum unctus, dignitate Saganem anteivisse memoretur apud WAGENSEIL. *ad Sota p.* 842. cum illud temporarium, hoc perpetuum esset officium, istiusque prærogativa ex sola æstimaretur unctione, quam cum Pontifice unctus belli habebat communem, Sagan contra admittebat nullam. De ejus autem officio quæsitum fuit, num tantum ad diem expiationis spectaverit, adeoque semel quotannis tantum locum habuerit? Ita R. IOM TOBH *ad Sanhedr. c. l.* disputat: ולאו למימר רכשר הוא לעבור ביום אחר בפיסול אלא רביום אחר אין מצוה בכ״ג ורשאי הריוט לעבורה ואין צריך למְמונה תחתיו למלאות מקומו: *At annon dicere liceat, illum ceteris quibuscunque diebus idoneum esse sacris peragendis,* (loco Pontificis) *in casu aliquo pollutionis?* (Non videtur,) *quandoquidem aliis diebus Pontifex vi præcepti divini non tenetur ad sacra facienda, sed plebejus* (privatus quicunque Sacerdos) *sacra rite facere potest, adeo ut tum Vicario non indigeat, qui vices ejus agat.* Sed hæc sententia usum Saganis uno tantum anni die inducit, cum constet ex Judæorum monumentis, eum per totum annum munere suo functum esse. Hinc malunt alii, Saganem per omnia Vicarium fuisse Summi Sacerdotis, qui eo absente præesset, vel præsenti adjutor esset in negotiis ad templum pertinentibus, & ministerio Sacerdotum. *Cum Summo Pontifici præcipue incumberet munus & cura rerum sacrarum, idque esset maximi ponderis, cogebatur*

batur adjutorem aliquem habere, qui id onus secum ferret (immo etiam aliquando imbecillitas ac vecordia Summi Sacerdotis necessarium prorsus id munus efficiebat) cui etiam Sacerdotes inferiores eundem honorem, eandemque reverentiam exhiberent, ac Summo Sacerdoti ipsi, inquit LIGHTFOOT. *cit. loc. p.* 688. ubi ad MAIMONIDIS effatum provocat, juxta quod כל הכהנים תחת יד סגן *omnes Sacerdotes sunt sub manu Saganis* in כלי מקדש *cap. IV.* Vnde porro conficit, fuisse ipsum Præfectum quatuordecim Ordinum Sacerdotum, quos *cap. II. p.* 678. prolixe recensuerat LIGHTFOOTVS, qui tanquam Vicarius Summi Sacerdotis præesset toti Ministerio. Contra vero IAC. RHENFERDIVS *in investigatione præfectorum & ministrorum Synagogæ* §. 63. *sq. Opp. Philolog. p.* 520. negat ac pernegat, Saganem templi Præfectum dicendum, *sed Summo Sacerdoti* potius *Suffectum.* Quantum autem ego perspicio, unum non evertit alterum. Erat omnino ממונה *Præfectus*, suffragante tota antiquitate Judaica, licet non Supremus, sed proximus ab eo; qualis subordinatio in Sacerdotum genere valde erat usu recepta. In Targum sane Præfectum notat, & Jerem. XXIX, 26. pro פקידים בית יהוה, &c. XX, 1. pro פקיד נגיד בבית יהוה *Præfecto primario* seu principe, *in domo Domini* ponitur. In Talmud Jeruschalmi *Cod.* יומא *cap. III. fol.* 41. *col.* 1. functio ejus ita definitur: *In quinque rebus serviebat Sagan Sacerdoti summo:* 1) *dicebat Sagan: Domine mi, Sacerdos magne, attolle dexteram tuam:* 2) *stabat ad ipsius dexteram, & princeps domus patrum a sinistra ejus:* 3) *ventilabat, agitabat cum sudariis:* 4) *tenebat manum ejus, & ascendere fecit eum:* (seu, adjuvit eum in ascendendo per gradus): 5) *non poterat Sacerdos Magnus præfici, ut esset Sacerdos Magnus, nisi prius fuisset Sagan.* Vltimum istud MAIMONIDES etiam *Hilch.* עבודת יום הכפורים *cap. I.* ubi de constitutione Saganis, ejusque in polluti Sacerdotis Magni surrogatione, monuerat, subjungit: אם מת הראשון זה השני מתמנה תחתיו׃ *mortuo Pontifice primario, secundarius iste* (Sagan) *in locum ejus succedit.* Sed huic asserto duo opponit argumenta LIGHTFOOT. *cit. loc. Alterum*, quod Summi Sacerdotes, præsertim post Herodis tempora, ita constituti fuerint ex arbitrio Præsidis Romani, ut credibile non sit, tum observatum fuisse, num, qui creabatur, Sagan fuisset, nec ne? *Alterum*, in toto Vet. Test. ubi successio ad Sacerdotium ordine fiebat, & juxta legem, & notum semper erat, quis futurus esset Summus Sacerdos, nunquam occurrat mentio aut nominis, aut muneris τȣ̃ Sagan. Hinc SELDENVS rem ita se habuisse opinatur, ut plerumque sanguine proximus hoc gauderet Vicariatu: extra ordinem vero, atque ut incommodum aliquod evitaretur, alii etiam, qui proximi non essent, interdum substituerentur. Nos iis inhærentes, quæ supra *Annot.* (2) *huj. Cap.* de successione in Pontificatum diximus, casu evenisse interdum credimus, ut qui Sagan creabatur, proximus quoque Sacerdotii Summi esset hæres, unde R. SALOMO *in Num. XIX*, 3. Eleazarum, filium Aaronis, primum divinitus institutum existimat Saganem, ad quem devolvenda erat dignitas Pontificalis: ordinarie autem Sagani successionem competiisse negamus.

Ad §. XVII. pag. 11.

(27) *Talis censetur fuisse Annas, Pontificatum obtinente Cajapha*] Eandem tenet sententiam LIGHTFOOTVS *cit. loc.* Annam vocari Sacerdotem Summum, quia reipsa eo munere functus fuerat, licet tum exauctoratum, & obtinentem munus τȣ̃ Sagan sub Cajapha: quam uberius pingit & ornat in *Hor. Hebr. ad Luc. III*, 2, & *ad Joh. XVIII*, 13. Prius admittimus, posterius negamus: *partim* quia סגן nullibi Ἀρχιερεὺς salutatur, nec eodem cum Pontifice loco habitus unquam fuit; *partim* quia ea tempestate, crebra Pontificatus translatio, & mercatura, quam in conferenda hac dignitate agebant Præsides Syriæ, plures efficeret Ἀρχιερεῖς, unum officio, ceteros nomine gaudentes; *partim*, quia inauditum prorsus, nulloque demonstratum unquam

quam est documento, Pontificem loco motum, in Saganis transiisse partes, & successori suo ministrasse. Et quæ locum habere posset ratio, aut efficere, Jesum captivum cur ad Saganem prius ducerent milites, quam ad Pontificem ipsum? Ideo vero Annæ prius sistebatur Servator vinctus, quam Cajaphæ, quod socer, licet Pontificatu exutus, generum tamen annis, prudentia, & auctoritate longe superaret, qui & ipse sat longo tempore, & post ipsum filii ejus, eadem eminuissent dignitate, qua nunc gaudebat gener. In utrumque Pontificem, Annam & Cajapham, erudite commentantem evolve BYNAEVM, *de morte J. C. Lib. II. cap. IV.* §. 4. *sqq p.* 210. *sqq.* & IOH. SAVBERTVM *de Sacerdotio Hebræor. cap. V.* edit. Thom. Crenii *p.* 647. *sqq.* qui cum BARONIO & SELDENO, utrumque Pontificis titulo insigniri censet, non respectu sacræ functionis, sed civilis rerum administrationis in Synedrio M. cujus duo erant capita, *Princeps Synedrii*, & *Pater Synedrii.* Istos autem, Pontifices Summos appellatos fuisse, nisi simul dignitate ista sacra eminerent, vellem ut testibus fide dignis evictum dedisset.

Ad §. XVIII. pag. 11.

(28) *In XXIV classes & turmas*] De Ephemeriis Sacerdotum SELDENVS egit *Lib. I. de success. in Pontific. cap. I.* LIGHTFOOTVS *hor. Hebr. ad Luc. I, 5. Tom. II. Opp. p.* 486. *sqq.* & *in Harmonia Evangelistar. ad eundem loc. T. I. Opp. pag.* 258. ubi Kalendario Judaico subjuncto *p.* 260. *sqq.* per singula totius anni Sabbatha & Festa docuit, quænam classis qualibet anni septimana ministerium sacrum obierit: demum IOH. PAVL. HEBERLINVS pecul. disputatione, Jenæ A. 1649. sub moderamine PAVLI SLEVOGTI publicata & defensa: & novissime HERM. WITSIVS *Miscellaneor. Sacr. Tom. II. Exercit. XV. de vita Johannis Baptistæ* §. 5. *sqq. p.* 476. *sqq.* ὡς ἐν συνόψει. Res ita habet: Aaronis superstites post cladem fratrum, filii bini, Eleazar & Ithamar, eorumque posteri, duas constituebant Sacerdotum stirpes. Ex his auctum sacerdotale genus & amplificatum, in certas a Davide rege stationes sive classes dispescebatur, ut quælibet per vices qualibet hebdomade sacris in templo ministeriis fungeretur, ex quibus XVI fuere Eleazaridæ, VIII autem Ithamaridæ, 1 Chron. XXIV, 4. Eamque partitionem confirmavit Salomo, 2 Chron. VIII, 14. & restauravit Judas Maccabæus, 1 Macc. IV. Hebræi vocant מחלקות *partitiones*, פקרות *præfecturas*, vel etiam משמרות *custodias:* Græci modo *διαιρέσεις* appellant, modo *ἐπισκέψεις*, modo *κλήρους*, sæpiuscule *ἐφημερίας*, cujus vocis ortum ac significationem ex LVDOV. CAPPELLO scite declarat laudatus modo WITSIVS §. 6. *p.* 477. Confer SPANHEM. *Dub. Evangel. P. II. Dub. XII. sqq.* §. 12. *p.* 222. Neque tamen David primus classium istarum auctor habetur a Judæis. Quantumvis enim c. l. dicatur: ויחלקם דוד *& partitus est eos David*, idem tamen sibi quoque tribuit Nehemias c. XIII, 30. ואעמירה משמרות הכהנים *& constitui ἐφημερίας ordines Sacerdotum:* qui haud dubie de restauratione ordinum capiendus est. Hinc altius originem arcessentes Magistri, ad Mosen referunt. Sententias horum percensens R. DAV. KIMCHI *in Comment. ad cit. loc. Chron.* ita tradit: נחלקו רבותינו יש מי שאומר כי משה תקן שמנה משמרות ד׳ מאלעזר ו׳ד מאיתמר בא שמואל והעמידן על שש עשרה שמנה מאלעזר ושמנה מאיתמר בא דויד והעמידן על עשרים וארבע ויש מהם מי שאומר כי משה תקן שש עשרה שמנה מאלעזר ושמנה מאיתמר באו שמואל ודויד והעמידום על עשרים וארבע שנאמר יסד דויד ושמואל הרואה באמונתם: *Dissentiunt inter se Magistri nostri. Est, qui dicit, Mosen ordinasse octo ordines, quatuor ex Eleasare, & totidem ex Ithamare: venisse autem postea Samuelem, qui constituerit sedecim, octo ex Eleasare, & octo ex Ithamare: tandem accessisse Davidem, qui constituerit viginti quatuor. Alii censent, Mosen ordinasse sedecim, octo de Eleasare, & totidem de Ithamare: venisse autem Samuelem ac Davidem, qui constituerint viginti quatuor, quia dicitur* (1 Chron. IX,

IX, 22.) *fundavit eos David & Samuel Videns, in officio suo.* Ista magnam partem deprompta sunt ex Gemara Cod. *Taanith cap. IV.* §. 2. cujus verba, cum attulerit SELDENVS *cit. loc.* huc transscribere supersedemus. Ex suamet sententia ita pronunciat KIMCHI, Davidem classium ordinem saltem auxisse, quæ cum antehac sedecim fuissent, & animadverteret David, Eleazaris stirpem capitum numero Ithamaridas multum superare, sumsisse secum unum de filiis Ithamaris & unum de filiis Eleazaris, & addidisse illis sedecim ordinibus adhuc octo alios, ut ita illorum evaderent viginti quatuor, sedecim quidem de Eleazare, & octo de Ithamare, atque hoc sibi velle verba: בית אב אחד אחוז אלעזר *domus patris una attributa Eleasari.* Idem fere habet ad h. l. RASCHI, saltem clarius pronunciat, Davidem unamquamque Eleazaris classem in duas divisisse, Ithamaris vero octo reliquisse intactas. Istas porro classes, cum paris omnes essent dignitatis, originis, & officii, per sortem divisit & definivit David, ut constaret, quæ prima esset, quæ secunda, tertia, & sic porro: in qua sortitione, sors octava exiit Abiæ 1 Chron. XXIV, 10.

Post captivitatem Babylonicam quatuor familiæ sacerdotales, cum Zorobabele, ascenderunt Hierosolymam, Jedajah, Harim, Pashur, & Immer, Neh. VII, 39. XII, 1. Quatuor autem illæ familiæ, ne classium alius prodiret numerus & diversus ab eo, quam qui in templo primo obtinuerat, in XXIV ephemerias itidem forte tributæ sunt: statuto etiam, ut jam dignitatis atque ordinis prærogativa, non ex vetustiori illa omnino, sed ex hac tantum distributione nova penderet; idque toto templi secundi tempore, ad ejus usque excidium: quod ex *Gemara Hierosolym. c. l.* probat SELDENVS. Jam quando Auctor noster §. *XIX.* Zachariam patrem Johannis, ex classe octava, quæ Abiæ fuerit, fuisse perhibet, hunc classis Abiæ numerum & ordinem non admittit SELDENVS: quod perperam ex distributione Davidica, orbis sive cyclus hieraticus sub templo secundo computetur, cum ita novata sit, post reditum ex Babylonia, classium & ephemeriarum series, ut quemnam in ea locum jam teneret, sive Abiæ, sive alius cujuscunque ephemeria, non omnino constet. Novi enim ordines isti XXIV, ex quatuor reducibus familiis oriundi, nomina prisca sibi assumebant ex Davidica distributione, quantumvis ex aliis longe prodirent familiis, ut classis Abiæ diceretur, non quæ ab Abia in linea recta descendebat, sed quæ in sortitione, post reditum, hoc nomen sibi sumserat. Quando ergo SCALIGER computum suum Aeræ conceptionis & nativitatis Christi, ab hac ordinum serie, & quod classis Abiæ octava fuerit, deducit, ista vero recens classium distributio prorsus est ἄδηλος, nec successionem familiarum, sed distinctionem saltem XXIV classium, per prisca nomina descriptam supponit, liquido hinc colligitur, quod universus ille computus fallat. Quem non uno nomine convellit & carpit FR. SPANHEMIVS *Dub. Evangel. P. II. Dub. XII. sqq.* §. 11. *p.* 221.

Jam quod ad ἐφημερίας, sive ministerii vices attinet, unaquæque harum XXIV classium, hebdomade una ministerio sacro fungebatur, posthæc 23 hebdomadibus vacabat. Hinc 2 Reg. XI, 6. sqq. & 2 Chron. XXIII, 8. de באי השבת ויוצאי השבת legimus, quod nempe die Sabbathi Sacerdotum alii statione sua decederent, templo egressi, alii templum ingressi, in horum succederent locum. Appropinquante ergo classis alicujus hebdomade, Sacerdotes illius classis, ex urbibus suis, Hierosolymas tendebant, dieque Sabbathi, cum panes propositionum veteres commutarentur cum novis, ministerium sacrum aggrediebantur, decedente præcedentis hebdomadis classe, quæ succedenti novæ, claves templi, vasaque sacra omnia, numeratim extradebat. Nova classis dies istius hebdomadis rursus inter se partiebatur pro numero familiarum in illa classe, ut quisque & Sacerdos & Levita in numerato haberet, qui sibi assignatus esset dies, quæ diei functio, nec vel alter alterius functiones occuparet, vel invicem altercando scinderentur. Attamen per tria celeberrima festa, Paschatis, Pentecostes, & Scenopegias, omnibus classibus

fas fuit, ſimul ſacra in Templo obire: illa præſcriptione, ut votivas ſpontaneasque hoſtias, & jugia ſacrificia, illi duntaxat curarent, quorum tunc functio recurrebat in orbem. Præterea ex qualibet claſſe mille deputati erant Sacerdotes, qui Hieroſolymis habitarent, claſſemque perpetuam & ſtationariam viginti quatuor millium conficerent, æque ac Jerichunti 12000 agebant, qui numerum ſupplerent, ſi forte claſſis aliqua multitudini ſacrificiorum & miniſteriorum, maxime in feſto Paſchatis, non ſufficeret. Ipſa denique miniſteria, quod Auctor §. *XIX.* tempeſtive monet, cuilibet quotidie per ſortem aſſignabantur, quis mactare, quis ſuffire, quis adolere, quis hoſtiarum ſegmenta altari imponere deberet, ut omnia *κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην* peragerentur. Confer huc denuo SPANHEM. *c. I. §.* 13. *p.* 223.

Ad §. XVIII. pag. 12.

(29) *Summus Sacerdos iſtius Claſſis*] Non adeo certa hæc ſunt & explorata, ac ab Auctore traduntur. Habebat quidem unaquæque claſſis ducem ſuum & anteſignanum, ראש כהנים paſſim dictum, ſed Sacerdotis Magni appellatio eidem tributa, me latet, quam pariter in dubium vocat LYRANUS. Ordini ſuo præerant, longo tamen intervallo a Pontifice ſejuncti. Neque Græca *τῶν Ἀρχιερέων* nomenclatura ſat valide eis aſſignatur. Citatur in hunc finem Act. V, 24. *ὅ, τε Ἀρχιερεὺς, καὶ ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ, καὶ οἱ Ἀρχιερεῖς*, ſed, quod erudite obſervat MILLIUS, *Prolegom.* 1105. *in N. T.* ita, *ut Ἀρχιερεὺς ſit Summus Pontifex, Ἀρχιερεῖς autem Sacerdotes, qui prius Pontificatus officio functi fuiſſent, eoque ipſo perpetuo poſtea dicti eſſent Ἀρχιερεῖς.* Quod in eundem locum repetit *Prolegom.* 1184. ubi addit: *qui ſemel defuncti fuerant Pontificatu, ſemper poſtea titulo iſto Ἀρχιερέων gaudebant apud populum.* Quod in loca ab Auctore citata pariter quadrare, ex iis conſtat, quæ ſupra jam ſunt dicta. Ante vero, quam Pontificem Summum prorſus dimittamus, non poſſumus Lectori non commendare elegantem THEOD. DASSOVII diſſertationem Theolog. Kilonii A. 1703. ventilatam, qua *diſſidium Pontificis Romani & Hebræi* ſolide exponit, & quam inaniter ſibi perſuadeant Pontificii, Hebræorum Pontificem Summum, cum Romanorum Summo Pontifice conveniſſe, X rationum momentis graviter demonſtrat.

Ad §. XX. pag. cit.

(30) *Levitarum*] Horum notetur

I. *Genus, & diſtributio.* Ortum trahunt a Levi, tertio Jacobi filio, de quo R. SALOMO *ad Exod. VI,* 16. pluresque poſt ipſum alii obſervant, ætate ipſum fratres ſuos ſuperaſſe omnes. Huic tres erant filii, Gerſom, Kahath, & Merari. In his Kahath quatuor habebat filios, Amramum, Jezeharum, Hebronem, & Vzielem. Amram pater erat Moſis & Aaronis. Soli ergo Aaroni cum Deus Sacerdotium deferret, ceteri Amrami filii, æque ut Jezeharis, Hebronis & Vzielis, nec non Moſis filii, Levitarum tantum cenſebantur gradu. Omne itaque Levitarum genus, in III velut familias & ordines diſpeſcebatur, in Gerſonitas, Kahathitas, & Meraritas, ut eſt 1 Chron. VII, 1. ſqq. & c. XXIV. ſqq. Vbi tamen probe monet LUNDIUS *in Jüdiſch. Heiligthüm. lib. IV. cap. I. §.* 3. cum ipſe quoque Aaron Kahathi filius eſſet, duplices in Scriptura memorari Kahathitas, Sacerdotes alios, ab Aarone oriundos, alios Levitas. Ceterum, quod obiter addere licet, dubia nititur fide, quod ex Magiſtrorum ſententia, laudatus R. SALOMO *ad Exod. V,* 4 perhibet, Leviticam in oppreſſione Aegyptiaca tribum ab oneribus ſervilibus fuiſſe immunem, quia Moſes & Aaron libere, & absque impetrata prius venia, ingreſſi legantur & egreſſi: hinc quando reſponſum ferebant a Pharaone: *ite ad opera veſtra:* privata ipſorum ac domeſtica intelligi negotia, non opus illud ſervile, ceteris tribubus ab Aegyptiis injunctum.

II. *Electio.* Cum omne primogenitum Deus cæderet in Aegypto, parceret autem Iſraelitis, primogenitos totius Iſraelis ſibi aſſeruit in mi-

niſterium

nisterium Sanctuarii. Rursus Num. III, *6.* seq. 40. seq. in locum primogenitorum surrogavit Levitas, eosque solos ministerio suo destinavit & addixit, quin & Sacerdotibus dono velut dedit, ut ipsis in obeundo cultu ad manus essent & ministrarent. Confer Numer. VIII, 16. sqq. XVIII, 2. sqq. Devter. X, 8. XXXIII, *9.* Qua vero de causa hæc Levitarum cum tribuum omnium primogenitis instituta sit permutatio, non convenit inter Doctores. Hebræi ita tradunt: Postquam primogeniti vituli aurei idololatria fœde sese commaculassent, contra vero Levitarum plerique ab illa sibi temperassent, quin etiam zelo divino accensi, tria millia ex sontibus ore gladii, Mosis jussu, trucidassent, Deum, repudiatis primogenitis, in eorum locum Levitas sibi delegisse, & cultui publico destinasse, ita tamen, ut non sacerdotio fungerentur, sed Sacerdotibus ministeria præstarent. Hanc causam diserte urget R. SALOMO *ad Num. VI,* 12. ולקחתיכם תמורתן לפי שהיתה העבודה בבכורות וכשחטאו בעגל נפסלו הלוים שלא עברו ע"ז נבחרו תחתיהם: *& accepi Levitas in permutationem* (primogenitorum) *eo quod peragi deberet ministerium sacrum per primogenitos, verum postquam peccaverant vituli* (aurei cultu), *profani evaserunt, Levitæ autem, qui non commiserant idololatriam, electi sunt in eorum locum.* Pariter *ad Num. I,* 49. verba Dei benedicti refert de Levitis: לפי שהם שלי שלא טעו בעגל *nam illi mei sunt, quia non errarunt in vituli* (aurei cultu). Ita MAIMONIDES *de Idololatria cap. I.* §. 10. Israelitas accusat, quod in Aegypto a vero Dei cultu desciverint, & in mores transierint Aegyptiorum לעבוד ע"ז כמותן חוץ משבט לוי שעמד במצות אבות ומעולם לא עבד שבט לוי עכ"ום *ad colendum exemplo illorum idola, excepta tribu Levi, quæ perseveravit in mandatis majorum* (Sanctorum Patriarcharum), *nec ullo tempore tribus Levi idolis serviit.* Multi quoque e Christianis in eandem concesserunt sententiam, adeo ut eandem ob causam LIGHTFOOT. *in Chronic. temp. & ord. textuum V. T. ad Num. I. Tom. I. Opp. p.* 32. Levitas subjectos cum aliis, maledictioni isti de non ingrediendo in suam quietem, neget. Eodem inclinat ALTING. *in Schilo lib. III. cap. XIV. Tom. V. Opp. p. 65.* E Nostris IOH. CHRISTI. ISINGIVS *Exercitat. in Pentateuch. Disp. XII. §. 1. p.* 120. diserte affirmat: *Causam hujus specialis segregationis - - dicimus zelum Levitarum, quo Apis Aegyptiaci cultores jussu Mosis interemerunt Exod. XXXII, 26, 27, 28. Hinc in immediate seq. vers. 29. dicit Moyses: Implete, vel ut alii legere malunt, implevistis manum vestram hodie Domino unusquisque, in filio & in fratre suo, ut detur vobis benedictio, i. e. ut sitis sors electa Domino. Hæc autem benedictio adimpleta est, cum Deus loco primogenitorum universi populi Israelitici, sibi sanctificari curaret Levitas* &c. Vnus, qui huic sententiæ speciem conciliat, locus est cit. Exod. XXXIX, 29. ubi Levitis, postquam insignem idololatris cladem intulerant, Moses dicit: מלאו ידכם היום ליהוה *consecrate manum vestram hodie Domino, quia quisque fuit contra filium suum & contra fratrem suum, ut ponatur super vos hodie benedictio.* Si enim, quod supra *ad §. XIII. Annot.* (22) adstruximus, manuum impletio idem sit, ac ad munus sacerdotale initiatio, sensus verborum erit, zelum, quem testatum fecerant Levitæ, id ferre præmii, ut ad Sanctuarii admoveantur custodiam, & manuum impletione, tanquam solenni ritu, ad dignitatem istam inaugurentur. Ita omnino, ex mente Magistrorum, RASCHI interpretatur: אתם ההורגים אותם בדבר זה תתחנכו להיות כהנים למקום *vos qui interfecistis eos propter hanc causam, initiabitis vosmet ipsos, ut sitis Sacerdotes Deo.* Eamque interpretationem ceu veram & genuinam laudat, suoque confirmat calculo doctissimus Anglus, CHRISTOPH. CARTWRIGHTVS *in Electis Thargumico-Rabbinicis ad h. l. Exod.* Quod tamen secus mihi videtur. Obstat illud, bis repetitum היום, quod ad heroicum illud Levitarum factum, eo die patratum, respicit quidem, initiationem autem ad Leviticum munus, dudum post secutam, involvere non potest. Cæde autem ac sanguine semetipsos ad ministerium consecrasse Levi-

Levitas, tantum abest ut dicamus, ut Davidi potius templi exstructio ea de causa denegaretur, quod multum sanguinis in bello, juste licet, Deoque victoriam largiente, effudisset 1 Chron. XXIII, 8. Vt taceam, impletionem manus Levitis in imperandi modo, tanquam futuram injungi, non vero ceu jam peractam, in præterito laudari. Obstat cumprimis etiam rerum gestarum eventus. Aaronis præcipuæ in conflando vitulo, & adornando cultu idololatrico, fuerant partes: hoc tamen non obstante, ipsi ac filiis ejus solis Sacerdotium conferebatur, a quo prohibiti Levitæ, ipsis solum in ministerium adjungebantur. Jam si ob Moscholatriam totus populus ab altari remotus, solis autem Levitis, ob vindictam a reis sumtam, accessus ad Sanctuarium indultus fuit, quo jure Levitæ a Sacerdotio remoti, istudque Aaroni ac familiæ ejus tantum fuit tributum? Vides, quam *ἀνακόλουθον* sit, quod inde nectitur argumentum. Non itaque necesse est, ut semper & ubique *implere manus*, idem sit ac *inaugurare ad Sacerdotium*, sed pro loci & verborum conditione, aliam interdum sustinere potest significationem. Hic itaque *vel* expiationem notabit pro effuso sanguine; velut Targumim interpretantur: ONKELOS ita: *offerte manu vestra oblationem hodie coram Domino, unusquisque pro filio suo & pro fratre suo* &c. qui tamen particulam *αἰτιολογικὴν* כי perperam elidit & omittit: IONATHAN hoc pacto: *offerte oblationem vestram pro effusione sanguinis, qui est in manibus vestris, & propitiatio erit vobis coram Domino: nam percussistis unusquisque filium suum & fratrem suum* &c. *Vel* ministerium, quod Deo in sumenda a fratribus ultione præstabant; quo sensu TREMELLIVS & IVNIVS acceperunt, ita reddentes: *consecrate ministerium vestrum hodie Jehovæ, quum quis filio suo, aut fratri suo aderat, & inditurus est vobis hodie benedictionem.* Pariter HENRIC. AINSWORTH. *Annot. ad h. l.* phrasin hic mutuo sumptam dicit ex disciplina sacrificiorum Exod. XXIX, 7. quia executio justitiæ Deo tam sit accepta ac grata, ac sacrificium, 1 Sam. XV, 18, 22. Consecrasse itaque Domino ministerium suum Levitas, cum jussa ejus in cædendis idololatris expedirent. Hinc, missa priore sententia, alii, paullo curatius subductis rationibus, hanc Deo causam surrogationis fuisse negant, in quibus MELCH. LEYDEKKERVS *lib. IV. de Republ. Hebr. cap. XI. p.* 230. *b.* ita sentit: *Neque tamen hinc putandum est, ex pœna Israelitas ab altari remotos esse, ob peccatum vituli. Etenim Aaron jam a Deo electus erat cum filiis ad Sacerdotium, antequam hoc peccatum committeretur Exod. XXVIII. sqq.* (*Ἀπροσδιόνυσον* hoc est, cum non Sacerdotes, sed Levitas tantum in primogenitorum locum Deus substituerit). *Deus in Levitarum assumtione ad religionem publicam spectavit potius, ordinem, & decorum. Quippe opera & negotia adeo multa requirebant distinctos viros, qui se totos eo traderent.* Vtut vero ex eo, quod vindictam de Moscholatris Moses per Levitas sumsisse legatur, atque hi in communi gentis defectione fideles Deo mansisse perhibeantur, (quod cumprimis PHILO urget *lib. III. de vita Mosis pag.* 524, 536. & *lib. de special. legib. p.* 614.) haud inepte colligere liceat, plurimos istorum sceleris illius fuisse puros, & ad Dominum adhuc attinuisse, (nequaquam tamen omnes, per Exod. XXXII, 27. & Devter. XXXIII, 9.): nondum tamen inde valide concludas, quod hanc ob causam in locum successerint primogenitorum Israelis; quorum etiam vel solas, vel præcipuas in vituli cultu partes fuisse, nemo solide demonstrabit. Voluit potius Deus, & *τῇ στοργῇ* consulere parentum, qui primogenitorum ab ædibus suis avulsionem, & ab hæreditate exclusionem, non æquo omnes animo erant laturi; & Sanctuarium uni potius tribui, quam sibi asseruerat, concredere, quam promiscua primogenitorum ex tota gente turbæ aperire, quo facilius *πάντα εὐσχημόνως καὶ κατὰ τάξιν* peragerentur, 1 Cor. XIV, 40. Ceterum de surrogatione Levitarum in primogenitorum locum, alia tamen occasione pariter ac mente, differentem consule VITRINGAM *Observat. Sacr. Lib. II. cap. II.* §. 10. *sqq.*

III. *Ini-*

III. *Initiatio & consecratio*, quæ duplex, *prima & solennis*, & *perpetua;* quæ posthæc, apud singulos ad officium admittendos, observabatur. Priorem Num. VIII, 6. sqq. descriptam lege. Peragebatur 1) Adspersione aquæ lustralis: quam cave dixeris illam, quæ ex cinere vaccæ rufæ præparata, iis adhibebatur, qui a pollutione ex cadavere se purificabant, quam hic quidem intellectam cupiunt, post R. SALOM. IARCHIVM *in Numer. VIII*, 7. LYRA, IVNIVS, *Vinarienses*, OSIANDER, QVISTORPIVS, alii, ea tamen tempestate adhuc incognitam, cum lex de vacca rufa, & de præparanda aqua lustrali, nec dum esset lata; nisi cum R. SALOMONE EPHRAIM BEN AARON in שפתי רעת *fol.* 78. *col.* 1. legem de vacca rufa pridem latam, & in Mara jam fuisse designatam verbis istis Exod. XV, 25. *ibi posuit ei statutum & judicium*, dixerimus; quod quam a veritate sit alienum, liquido patet: sed quamcunque aliam puram mundamque, ut Exod. XIX, 10, 14, lustralem tamen, ex usu lustrali, in mundandis & sanctificandis Levitis, dictam. 2) Detonsione capilli per novaculam, qua Deus omnibus interdixerat, præterquam Nasiræis, leprosis, & Levitis, quibus in purificatione ea erat injuncta. Rationem reddit denuo R. SALOM. IARCHI *ad c. l.* מצאתי בדברי רבי משה הדרשן לפי שנתנו כפרה על הבכורות שעברו ע"ז והיא קרויה זבחי מתים והמצורע קרוי מת הזקיקם תגלחת כמצורעים; *reperi in verbis R. Mosis Haddarschan: quoniam dati fuerunt* (Levitæ) *in expiationem pro primogenitis, qui idolo servierant, isque* (cultus idololatricus) *vocatur sacrificium mortuorum* (Psal. CVI, 28.) *ac leprosus etiam dicitur mortuus* (Num. XII, 12), *ideo illi opus habuerunt tonsura, ad instar leprosorum:* quod quam coactum, & contortum sit, cuivis in propatulo est. 3) Totali ablutione & balneo, quo se, & vestimenta sua lavabant, æque ut Israelitæ, ad descensum Domini in montem se sanctificantes. 4) Sacrificio initiationis gemino, juvenco nimirum altero, cum adjunctis pacificis, in holocaustum, altero in expiatorium. 5) Constitutione Levitarum ante ostium tentorii conventus, in conspectu totius cœtus Israelitici. 6) Impositione manuum, non, per primogenitos præcise, nomine totius congregationis, quod fingit LEYDEKKERVS *de Republ. Hebr. lib. X. cap. IV. p.* 594. *b. quod illi quasi jus suum, cum apprecatione & εὐχῇ in Levitas transferrent;* sed, ut Textus habet: וסמכו בני־ישראל את־ידיהם על־הלוים *& imponent filii Israel*, (& quidem juxta verba præced. כל־עדת בני ישראל *totus cœtus Israelitarum*) *manus suas super Levitas*, quod, si nimis dixeris prolixum, fecisse credendus est cœtus universus, per Seniores & capita familiarum. Vnde R. SALOMO de Israelitis promiscue exponit, qui steterint juxta oblationem Levitarum, manusque suas illis imposuerint. 7) Agitatione eorum, per Aaronem facta, cujus ordinem modumque PAVL. FAGIVS *in h. l. Num.* ita paucis complectitur: *Moses applicavit eos ad Dominum, tanquam Sacrificium: filii vero Israel imponebant eis manus, & Aaron elevavit, sive ventilavit eos, hoc est, ad omnes plagas movit eos, veluti oblationem, quam Israelitæ ex seipsis segregaverunt Domino.* Tres autem agitationes hic factas R. SALOMO perhibet, pro familiarum distinctione, primam pro Kahathitis, alteram pro Gersonitis, ultimam pro Meraritis. 8) Impositione manuum in caput utriusque juvenci, a Levitis peracta, ad ipsorum expiationem. 9) Traditione Levitarum per Mosen, in ministerium Aaronis & filiorum, & a reliquo Israelitarum cœtu separationem, vers. 13, 14, 15.

Post hanc solennem eorum dedicationem Domino factam, sufficiebat Levitarum filiis, ut statim in infantia, cum mensem unum nati essent, Deo traderentur, quod ex Num. III, 15, 22, 28, 34, 39. colligitur. Nam, ut R. IEHVDA BEN BEZALEL in suo ad RASCHIVM super Pentateuchum commentario, גור אריה inscripto, *fol.* 163. *col.* 2. *med.* tradit, tribus Levi fuit לגיון של מלך *legio Regis* (Regum, Dei S. B. quo nomine etiam R. SALOM. IARCHIO *ad Num. I*, 49. salutatur) unde factum est, ut etiam Levitarum infantes unius mensis numerarentur custodes

ſtodes ad obſervandum Sanctuarium, quia (Prov. XIV, 28. dicitur:) ברוב עם הדרת מלך *in multitudine populi honor Regis* conſiſtit. Hinc adulti, boniſque & ſacris inprimis literis probe imbuti, quinque annis, ab anno ætatis XXV usque ad trigeſimum, juxta ea, quæ ſupra, *ad* §. *XII. Annot.* 19. obſervavimus, ad miniſterium rite obeundum, curate inſtituebantur, donec maturam officio attingerent ætatem. Inde ad fungendum admiſſi.

IV. *Veſtitus*, de quo nihil præcipitur. Quia vero 1 Chron. XVI, 27. cum arca fœderis ex domo Obed Edomi arceſſeretur, Levitæ lineis tunicis, ex בוץ *byſſo* confectis amicti leguntur: rurſusque 2 Chron. V, 12. cum arca templo inferretur, Levitæ מלבשים בוץ *byſſo induti* memorantur: hinc colligunt Doctores, eos vulgaribus ſuis atque plebejis, byſſinas ſuperinduxiſſe veſtes, quando miniſterio Sanctuarii vacabant. Quod tamen minus tuto aſſeri, ex priore loco patet, in quo David, æque ac Levitæ, eodem byſſino indutus pallio fertur. Quod enim *ad h. l.* RASCHI monet, Davidem eodem cum illis ornatum fuiſſe veſtitu, quoniam tunc perinde caneret, ac Levitæ, id dubium non tollit, ſed auget, ut non peculiaris ille Levitarum, ſed communis omnium, pæana Deo canentium, habitus inde colligatur. Cantoribus certe citra dubium, & magno molimine, habitum perquam pretioſum byſſinum vendicat SAL. VAN TIL *de Muſica Hebræor. Sect. III. cap. IV. p.* 430. *ſqq.* edit. Belg. Hinc tamen nondum conſtaret, ceteris quoque Levitis omnibus ſimilem indultum fuiſſe veſtitum. Pari fide nititur, quod exemplo Samuelis, cui puero mater ejus Ephod paraſſe legitur 1 Sam. II, 18. evincere conatur LEYDEKKER. *c. l. p.* 595. *a.* præter tunicas, indutos fuiſſe Ephodo, inde a pueritia. Vt enim Samuelem in Levitis ſaltem fuiſſe, quem tamen ſacrificia jugulaſſe & obtuliſſe conſtat, fide MAIMONIDIS, nimis ſecure tradit LEYDEKKERVS, in quam ſententiam nos quoque inquiſivimus *Introduct. ad Libr. Bibl. V. T. P. I. Cap. XII.* §. 1. *p.* 212. *ſq.* nec ab ea nos omnino alienos exhibuimus: quod tamen ex voto, & privata Hannæ pietate factum eſt, univerſalem nondum probat totius ordinis veſtitum. Vtut vero non omnino negaverim, Levitas in officio ſuo, peculiari a reliqua plebe habitu fuiſſe diſtinctos, vix tamen certi quid ea de re affirmare licet.

Ad §. XXI. pag. 12.

(31) *Officium Levitarum*] Præcipuum in hac tractatione eſt V. *Functio & miniſterium*, quod a Sacerdotum officio tanto ſejunctum fuit intervallo, ut ſi Levita ſacerdotales partes invaderet, & v. g. ſacrificare, ſanguinem ſpargere, ad altare holocauſti accedere, benedicere, ſuffire, lampadas præparare, panes propoſitionis adornare, præſumeret, capite hoc ipſi luendum eſſet, ut exemplo Koræ conſtat, qui ex Levitarum ordine erat. Peculiari præcepto Deus cavit Num. XVIII, 2. ſqq. ne qua ſuboriretur functionum confuſio. Recte hactenus CVNAEVS *lib. II. de Republ. Hebræor. cap. XI. ſub fin. Scribit* MAIMONIDES, *crimen capitale fuiſſe, ſi Levita Sacerdotis curas capeſſeret, aut ex ipſis Leviticis muniis aliquod ejusmodi obiret, quod aſſignatum illi non eſſet: puta, ſi adituus cantoris vice fungeretur. Quod ſi Sacerdos Levitæ miniſterium ſubiret, non illum capite pœnas luiſſe, ſed tamen* בלא תעשה contra Numinis interdictum *feciſſe*. Sed hæc de ordinario miniſterii modo ſunt capienda. Quando vero talia ingruebant tempora, quibus ſacrificiorum numerus & moles facultatem ſuperaret Sacerdotum, hos in partes officii quoque Levitas vocaſſe, exemplis conſtat. Ita, cum repurgato templo, Hiskias cum univerſo populo, inſignem ſacrificiorum vim Deo offerret, pauciores erant Sacerdotes, quam qui victimis pelle nudandis ſufficerent, unde illam muneris partem, quæ alioquin Sacerdotum erat per Levit. I, 6. Levitæ in ſe ſuſceperunt 2 Chron. XXIX, 34. Poſt hæc etiam, in ſolenni Paſchatis celebratione, Levitæ agnos jugulabant paſchales, pro omni immundo, ad ſanctificandum Jehovæ cap. XXX, 17. quanquam ex Judæorum

dæorum scito, mactationem sacrificii etiam זר *extraneus* peragere potuerit, ut habet R. SALOMO *ad Lev. I*, 5. & *ad* 1 *Sam. I*, 25. de quo, suo loco, uberius dispiciemus.

Commode autem dispescitur ab Auctore nostro Levitarum ministerium in illud, quod a Mose ad Davidem, & id, quod a Davidis tempore & amplius, obierunt.

Priori tempore *Kahathitæ*, sanguine Sacerdotibus proxime juncti, & ex eodem, cum Aarone, stemmate oriundi, præcipuam omnium custodiam agebant, arcam fœderis, & omnia vasa sanctuarii, candelabrum, mensam panum propositionis, altare holocausti, altare thymiamatis &c. humeris suis portantes. Indicto enim itinere, Sacerdotes primo vasa hæc omnia pellibus & velis suis involvebant, antequam fas esset accedere Kahathitis, ne quid eorum oculis Levitæ usurparent. Cum vero involuta essent & tecta, ingrediebantur Kahathitæ, & in humeros suscipiebant, sæpeque inter portandum vices mutabant, ipsorum cum numerus, censu a Mose inito, ad 2750 assurgeret. *Gersonitis* custodia erat demandata velorum, tegminum tentorii, aulæorum atrii, eorumque omnium, quæ ad ornatum & vestitum, cum tentorii, tum Sacerdotum pertinebant; quæ omnia scite composita, duobus curribus imponebantur, tractis a bobus. Horum numerus erat 2630. *Meraritis* cura incumbebat asserum tabernaculi, pessulorum, columnarum, annulorum, obicum, qui asseres jungebant, eorumque omnium, quæ ad externam tentorii structuram pertinebant: quæ cum pondere ac mole reliquas sanctuarii partes superarent, quatuor curribus vehebantur, ab octo bobus. Hi numerum 3200 explebant. Quando vero erectum tentorium sacris peragendis locum dabat, excubias agebant Levitæ in sanctuario, ne quis, cui fas non erat, irrueret; hinc & proxime circa tentorium sua fixerant tabernacula, Kahathitæ versus meridiem, Gersonitæ versus occasum, Meraritæ versus septentrionem. Januas aperiebant & claudebant, præterea canebant, & concentum Musicum inter sacrificandum peragebant; alii Sacerdotibus sacra facientibus ministrabant, alii pacifica coquebant, assabant &c. Num. III, 27. sqq. VII, 5. sqq. Cuilibet ordini suus erat ראש *princeps*, cui ceteri erant subjecti.

Tempore autem Davidis, novus Levitarum agebatur census, numerum ipsorum reddens 38000. 1 Chron. XXIV, 3. sqq. Hos in quatuor partitus ordines, David constituit α) Sacerdotum in sanctuario *Ministros* 24000, qui præ ceteris omnibus Levitarum nomine, a Davidis tempore veniebant. Horum mille singulis septimanis in templo comparebant, ut Sacerdotibus præsto essent, vasa sacra iis porrigendo, purgando, in locum suum reponendo, atria quoque & anteriores templi partes verrebant, intestina sacrificiorum asportabant, culinam Sacerdotum curabant &c. de quorum officiis vid. 1 Chron. XXIV, 44. β) *Cantores* 4000, qui partim assa voce, partim fidibus canebant, omneque tempus pariter ac ingenium Musicæ sacræ consecrabant, de quibus, 2 Chron. XXIX, 26 memoratis, eorumque studiis, partibus, ordinibus, ceterisque momentis, nemo curatius, majorique cum animi contentione, doctrinæque apparatu, commentatus est SALOMONE VAN TIL *in Digt-Sang- en Speel-Konst der ouden Hebreen Sect. IV. integra p.* 370. *sqq.* γ) *Janitores* 4000, quorum *alii* excubias agebant in atrio templi, iique partim ex Kahathitis, partim ex Meraritis delecti, & in XXIV classes distributi; hoc tamen cum discrimine, ut in priori templo soli Levitæ, in posteriori autem XXI classes ex Levitis, & III classes ex Sacerdotibus custodiæ invigilarent. Itaque quotidie, interdiu noctuque 210 aderant excubitores, sub inspectione Præfecti cujusdam, sive Centurionis, qui stationes noctu visitabat, maneque ac vesperi januas reserare & claudere, aliaque imperabat necessaria. Confer Cod. *Middoth cap. I. Sect. I.* ubi *Levitæ*, *locis uno & viginti, excubias in domo sanctuarii egisse* traduntur: *quorum quinque manipuli ad quinque ambitus templi portas; quatuor ad quatuor angulos, idque intus: deinde quinque ad quinque portas atrii magni; & quatuor ad quatuor ejus angulos extrinsecus;*

ſecus; denique unus ad receptaculum oblationum, alius ad receptaculum poſticum, tertio tandem remotius quoddam a poſtica adyti parte aſſignarunt. Sect. II. ita habet: *Montis templi præfectus perluſtrabat ſingulas cuſtodias, facesque eidem prælucebant: unumquemque autem cuſtodem, qui pedibus non inſiſteret, his verbis compellabat: pax tibi. Si eum dormire animadverteret, baculo percutiebat, eidemque illius comburere veſtimenta permiſſum erat,* &c. Ad quæ vide, quæ notavit CONSTANTIN. L' EMPEREVR. Cavere itaque cuſtodes debebant, ne immundi, furioſi, ebrii, profani, polluti, lugentes irruerent, & ſanctuarium profanarent. Quanquam honorem quoque ſanctuarii in cauſis vigiliæ Janitorum ponat MAIMONIDES *in More Nevochim P. III. cap.* 45. *p.* 477. *Cuſtodiam & vigiliam perpetuam circa ſanctuarium quod attinet, præcepta illa fuit propter honorem & majeſtatem ejus: item, ne vel ſtulti, vel immundi, vel etiam alii in luctu conſtituti, aut corpore illoto, in illud imprudentes irrumpant.* Vniverſam Janitorum templi hiſtoriam ex Sacris literis cum cura contexuit Plur. Rev. CHRIST. WEISS in diſſertat. inaugurali *de Spiritu Sancto Janitore Joh.* X, 3. Lipſiæ A. 1739. publicata, §. 9. *ſqq. p.* 11. *Alii* vero diſpenſatores erant, & velut œconomi templi, quibus & ærarium, & vaſa ſacra, & omnia ciborum genera, oleum, thura, vinum, aromata thymiamatis &c. concredita erant. Inter hos Moſis poſteri præcipuas tenebant partes, redituum ſacrorum cuſtodiam agentes, rationes & curam. Hinc, quando theſaurarii templi memorantur, 1 Chron. XXVI, 20. ad Janitores eos ſpectare meminerimus. *δ*) *Moderatores* & *Judices* 6000, qui non modo *de rebus ad ordinem & negotia ſanctuarii pertinentibus* pronunciabant, quod vult LEYDEKKER. *c. l. p.* 593. ſed extra templum quoque jus dicebant, ac eo omnes referebant curas ſuas, ut leges ac inſtituta in honorem Numinis, Regisque & patriæ emolumentum, maxime vero in religionis cederent conſervationem. Quantam religionis & ſacrorum curam geſſerint, ne quid novaretur, aut profanaretur cultus, erudite & copioſe ediſſerit P. FAGIVS *ad Num. IV,* 7. dignus, qui conſulatur. Hinc non Hieroſolymis tantum, ſed & oppidatim, præcipui erant Senatus Aſſeſſores, & ex Kahathitis, maxime ex Jezeharitarum & Hebronitarum familia lecti, præcipua inter omnes Levitas dignitate pollebant, ut inde Sacerdotum fratres dicerentur Num. XVIII, 2. 2 Chron. XXIX, 34. de quorum officio & partibus infra *Libro V.* aget Auctor.

Ad §. XXIII. pag. 13.

(32) *Solutio a gravi iſto onere*] Supereſt Levitarum

VI. *Dimiſſio*, quam Deus ipſe lege ſua anno ætatis L definit Num. IV, 3. VIII, 25. ut vacarent a miniſterio, beneficiis tamen ad obitum usque fruerentur. Nec tamen rude donati, ab omni plane vacabant opere, ſed doctores erant cum juniorum Levitarum, tum plebejorum in ſcholis. Quin adhuc plura iis tribuit P. FAGIVS *ad Num. VIII,* 25. *Levitæ emeritæ militiæ, jubentur aliis ſervire Levitis, hoc eſt, juvare fratres ſuos conſilio, vel ut Rabbi* SALOMO *explicat, adjuvent eos in claudendis portis, in cantu, in onerandis plauſtris* &c. *ſed ad ferenda onera tabernaculi, cum transferretur, amplius non coguntur.* Hinc ex Tract. חולין notat CVNAEVS, paulo ante laudatus, nonnullos cenſuiſſe, legem de miſſione Levitarum poſt annum quinquageſimum, non fuiſſe perpetuam, ſed eo tantum tempore valuiſſe, cum ferendum adhuc eſſet tabernaculum. Hanc tamen ætatis veniam nullo unquam tempore negatam ipſis crediderim, ea quidem lege, ut ultro adhuc præſtarent, quantum per virium ac valetudinis rationem ipſis liceret, quamvis ad operas, ſuo ordine, loco ac tempore, cum fratribus non adſtringerentur. Addenda his quoque eſt Levitarum

VII. *Præfiguratio.* Hæc quidem a Pontificiis ad ordines Nov. Teſt. transfertur diſtinctos, ita ut Diaconos referant Levitæ. Ita BELLARMINVS *Tom. II. Controverſ. Lib. I. de Clericis cap. XIV.*

Epiſcopi

Episcopi id sunt in Ecclesia, quod erant Pontifices in T. V. id Presbyteri apud nos, quod illic minores Sacerdotes, ut etiam id Diaconi nostri, quod illorum Levitæ; ut docent DAMASUS *in Epist.* 3. *de Chorepiscopis*, HIERONYMUS *in Epist. ad Evagrium* 85. &c. Dudum ante BELLARMINUM, idem tradidit LOMBARDUS *lib.* 4. *sent. dist.* 24. *lit. H. Diaconorum ordo in V. T. a tribu Levi nomen accepit, dicuntur enim & Levitæ.* Hinc videas apud LANCELOTTUM *lib. I. Institut. Juris Canon. Tit. XXII.* §. 3. Diaconos ecclesiæ Romanæ, passim Levitas appellari. Vtut autem ista cum nominis, tum officii accommodatio, a Patribus quibusdam, bono animo, ad innuendam ministrorum Ecclesiæ distinctionem & subordinationem, adhibita fuerit; ea tamen omnis cum a Pontificiis, mente longe alia, ad stabiliendum Missæ sacrificium transferatur, a Protestantibus Theologis merito fuit repudiata. Vid. e Nostris b. GERHARD. *L. de Ministerio Eccles.* §. 245. ex Reformatis LEYDEKKER. *l. c.* DAV. CALDERWOOD *Altar. Damasceni cap. XI. p.* 671. edit. Lugdunens. A. 1708. & alios. GUIL. BEVEREGIUS *Annot. in Canon. II. Apostol.* Levitas cum LXX discipulis confert, ita ut כהן גדול Christum referat, כהנים XII Apostolos, לויים LXX discipulos. Rectius & commodius Levitæ cum Ministris verbi in N. T. conferuntur a BIERMANNO *in Mose & Christo lib. I. Cap. VI. p.* 128. *sqq.* edit. Belgicæ.

Ad §. XXV. pag. 13.

(33) *Differentiam* χειροθεσίας *&* χειροτονίας] De distincto pariter, ac promiscuo harum vocum usu & ritu, multa erudite tradiderunt CAROL. DU FRESNE *Glossar. Græc. in voce utraque:* SUICERUS *Thes. Ecclesiast. voc.* χειροτονέω, χειροτονία, & χειροθεσία: GUIL. BEVEREGIUS *Annot. ad Canon. I. Apostol. p.* 9. *b. sq.* qui post declaratum vocum usum forensem, in creandis Magistratibus obtinentem, in stilo Ecclesiastico differentiam utriusque vocabuli observare jubet, juxta quam χειροτονία non electionem proprie, sed ordinationem significat, & χειροθεσίαν sub se comprehendit, totamque præterea λειτουργίαν, sive τελεσιουργίαν, in Episcopi, Presbyteri, & Diaconi ordinatione celebrari solitam: USSERIUS *Not. ad Ignatii Epist. suppositítiam ad Heronem Diaconum, Tom. II. Patrum Apostol. f.* 114. WILLIAM CAVE *Antiqu. PP. in vita Barnabæ* §. 7. *pag.* 125. *sqq.* IOSEPH. BINGHAM *Origin. Ecclesiast. Lib. IV. Cap. VI. §. XI.* edit. Lat. *Vol. II. p.* 184. De χειροτονία seorsim commentatus est CONR. SAM. SCHURZFLEISCH. pecul. dissert. An. 1686. Vitembergæ publici juris facta. De χειροθεσία, ejusque apud Judæos usu, ex instituto præcepit IOH. BRAUNIUS *Select. Sacr. Lib. V. Exerc. V. p.* 747. *sqq.* & paulo concisius IOH. HENR. HEIDEGGER. *Hist. Patriarch. T. II. Exerc. XXII.* §. 16. *p.* 692 *sqq.* quorum expilare scrinia, nunc animus non est: maxime cum paulo post *ad Cap. VII.* §. 3. de סמיכת ידים dicendi occasio sit reditura.

Ad §. XXVI. pag. eand.

(34) אנשי מעמד *viros stationis, sive stationarios*] Hi cœtus erant, nomine totius populi delegatus, ministerio sacro oblationum communium & precum præfectus, ut ista legitime, & pro tota gente peragerentur. Habebant quippe Judæi canonem: אין אפשר שיהיה קרבנו של אדם קרב והוא אינו עומד על גביו: *nullius potest offerri sacrificium, nisi ipse prope adsit.* Jam vero, cum sacrificium juge, aliaque nonnulla offerrentur pro toto Israele, fieri autem non posset, ut totus præsto esset populus, ideo diviserunt universam gentem (æque ut Sacerdotes & Levitas) in XXIV classes, ita ut singulis septimanis singulæ classes in templo adessent sacris, orarent, peccata populi confiterentur, & manus imponerent sacrificiis. Vnaquæque ergo classis certos delegabat viros pios, cultui divino ex animo addictos, & rerum divinarum apprime peritos, qui una cum classe istius hebdomadæ Sacerdotali & Levitica ascenderent Hierosolymas in templum, totaque septimana

ſacris attenti, vice totius Iſraelis manus imponerent ſacrificio jugi, adſtarentque aliis oblationibus, quæ pro toto populo offerebantur, preces funderent, jejunarent, totique vacarent Deo. Interim reliqui illius claſſis, congregabant ſe in civitatum ſuarum Synagogis, quatuor illius ſeptimanæ diebus jejunabant, orabant pro ſacrificiis fratrum ſuorum, ut acceptarentur, & quantum poterant, cultui pariter erant addicti. Singulæ iſtæ claſſes ſuum habebant Præfectum, ראש מעמד *ſtationis* iſtius ſeu claſſis *caput* dictum, qui curam gerebat, ut & legati juſto tempore Hieroſolymas aſcenderent, officioque ſacro rite fungerentur, & domi interim reliqua claſſis, quantum poterat, in Synagoga lectioni, precibus, & jejunio dedita eſſet. Quin &, quemadmodum ex Sacerdotum & Levitarum claſſibus, delegatus numerus Hieroſolymis habitabat, ut in caſu neceſſitatis præſto ſemper eſſet; ita in eundem finem etiam ex omnibus tribubus habitabant ſtationarii Iſraelitæ Hieroſolymis, ut vices eorum ſuſtinerent, qui forte procul ab Vrbe remoti, adeſſe non poterant, vel morbo aut immunditie ſacris intereſſe prohiberentur. Ita neceſſe erat, ut de ſingulis tribubus duo ad minimum, h. e. XXIV viri quotidie ſacris, nomine totius Iſraelis adſtarent. Talmudicam de iis conſtitutionem lege in Cod. תענית *cap. IV. Miſchna* 2. & 3. ad quam *Annotationes* LVNDII legi merentur. Provocat Miſchna ad Num. XXVII, 2. indeque originem ritus arceſſit: HOTTINGERVS autem, nepos, qui peculiari diſſertatione hoc argumentum diſcuſſit, ortum tradit non a divina, nec adeo vetuſta, ſed ab humana ſolum & recentiore inſtitutione hauſiſſe, non multo ante, immo vero potius poſt captivitatem Babylonicam. Agit de iis præterea LIGHTFOOTVS *de Miniſter. templi Hieroſol. cap. VII. Sect. III. Tom. I. Opp. p.* 700. & *Hor. Hebr. in Luc. I,* 10. *Tom. II. Opp. pag.* 489. *ſqq.* & BVXTORFIVS *Lex. Rabbin. & Talm. h. v. p.* 1622. *ſqq.* Quando vero vener. MARPERGERVS *de agno ad aræ cornua ligando, notis in Cap. II. §.* 5. *p.* 142. *ſqq.* viros hos ſtationarios cum iis confert ex Judæis & Gentilibus, qui ſacrificio agni Dei, h. e. cruci Chriſti adſtabant, totumque mundum repræſentabant, allegoricam admittere poſſumus accommodationem, ſenſum autem verborum Pſal. CXVIII, 10. כל גוים סבבוני literalem, commento iſto rite declarari, nondum nobis patimur perſuaderi.

Ad §. XXVII. pag. 14.

(35) *Nethinæorum,*] נתינים & Chaldaice נתיניא erant in ſanctuario Miniſtri, ſive Servi communes, ſecandis lignis, hauriendis aquis, aliisque abjectis & ſervilibus muniis addicti. Quorum notanda venit

α) Origo. Sunt nimirum, tam Judæorum, quam Chriſtianorum omnium ſuffragio, Gibeonitæ, qui Joſ. IX. aſtu & fraude circumvenientes Joſuam ac principes Iſraelitarum, interpoſito juramento fœdus obtinuerunt, ne delerentur. Hinc Proſelyti facti, & conſtituti ab ipſo ſervi communes, ad hauriendum aquas, ſecanda ligna, & vilia quæcunque ſervitia præſtanda deſtinati. Non itaque mancipia, ſive ſervi erant, ſed ex parte liberi, neque tamen Iſraelitis pares, ſed viliſſimi mercenarii, qui ſanctuario gratis & absque mercede, Iſraelitis vero pro exiguo pretio, unde vitam tolerabant, graviſſimos quosque & abjectos exantlabant labores. A patria itaque Gibeonitæ dicti, cum urbis גבעון prius incolæ fuiſſent, de qua Joſ. X, 2. dicitur, quod urbs magna fuit, ſicut una urbium regni, & urbem Ai amplitudine ſuperans, quæ ſub ſe habuit Kephirah, & Beeroth, & Kirjathjearim Joſ. IX, 17. aſſignata poſtmodum tribui Benjamin Joſ. XVIII, 21, 25. & inter urbes Sacerdotales, cum ſuburbiis ſuis relata Joſ. XXI, 17. Inde appellatio Gibeonitarum ipſis hæſit, usque ad tempora Davidis, quibus 2 Sam. XXI, 1. ſqq. eodem adhuc nomine veniunt; at poſthæc nova ipſis obtigit

β) appellatio, Nethinæorum. Dicuntur autem נתינים quaſi donati, conſtituti, vel dedititii & adſcriptitii: non quod ſe ſponte dedidiſſent Iſrae-

Iſraelitis ad ſervitia, notione activa, quod PISCATOR *ſcholio ad* 1 *Chron. IX*, 2. & BOCHARTVS *lib. II. Phaleg. cap. I. p.* 77. cupiunt, ſed paſſiva, ex Joſ. IX, 27. ויתנם יהושע ביום ההוא *& dedit eos Joſua die iſto*, & ex Eſdr. VIII, 20. ומן הנתינים שנתן דוד והשרים לעבדת הלוים *& de Nethinæis, quos dedit David & principes ad miniſterium Levitarum.* Non itaque a Joſuæ tempore, quo Nethinæorum nomen plane erat ignotum, ſed a traditione, vel addictione Joſuæ, dudum poſt a Davide confirmata & repetita, hæc nomenclatura fuit petita. Quod clare docet ABEN ESRA *Comment. ad Eſdr. II*, 43. הנתינים הם ראשי גבעון ובנותיה ויהושע נתנם לבית אלהיו על כן נקראו נתינים אע"ף שנאמר אחרי כן ומן הנתינים שנתן דוד והשרים לעבודות הלוים כי הטעם קיים הנתינה או נקראו מן היום הוא נתינים כי מקודם היו נקראים גבעונים: *Nethinæi ſunt principes Gibeonis & filiarum ejus, quos dedit Joſua domui Dei ſui, ea propter vocati ſunt Nethinim: quamvis poſthæc dicatur* (Eſdr. VIII, 20.) *at de Nethinæis, quos dedit David, & principes ad miniſteria Levitarum: quia ſenſus eſt, quod confirmaverit* (David) *dationem* (a Joſua factam): *vel vocantur ab hoc tempore Nethinæi, quia olim dicti fuerunt Gibeonitæ.* Nimirum, quoniam a Davide & Salomone prioribus adjecti, ex Gibeone ortum non traherent, ſed ex devictis gentibus aliis, vetuſto Gibeonitarum nomine comprehendi omnes non poterant, hinc novum & commune adhibitum fuit vocabulum, quod ad omnes ejuſdem ſortis homines quadraret. Ita BONAVENT. CORN. BERTRAM *de Republ. Jud. cap. XV. p.* 276. *ſq. Præter Levitas, ad tabernaculi munera adhibebantur Gabaonitæ reliqui ex clade Saulis, qui cum pauciores eſſent, quam qui ſufficerent ad ædis ſacræ miniſterium, adhibiti ſunt ad illud, præter eos quidem, a Davide, ut hoc diſerte exprimitur Hezræ VIII,* 20. *& poſtea a Salomone, quo nomine & ſervi Salomonis appellantur, qui omnes, cum reliqui Gabaonitæ, tum illi, qui a Davide & a Salomone traditi fuerant, Nethinæi dicti ſunt, quaſi dedititii, ſeu adſcriptitii.* Non me fugit, operoſe hoc ab aliis impugnari, quia reliquarum gentium devictarum factam Gibeonitis acceſſionem, nullibi diſerte affirmat Scriptura. Qui autem 1) inſignem eorum copiam, quæ ad templi miniſteria longe requirebatur amplior, quam in tabernaculo, cum imminuto per Saulis ſævitiam Gibeonitarum numero, comparaverit: 2) novam a Davide & principibus ejus eorum deditionem in ſanctuarii ſervitia, juxta Eſdr. VIII, 20. penſi habuerit, qua plane non fuiſſet opus, ſi homines dudum a Joſua mancipati, ſolum intelligantur: & 3) diverſum & aliud a Gibeonitis nomen, quod iis etiam Levitarum miniſtris eſſet commune, qui Gibeonem patriam non agnoſcerent, cogitaverit; ei BERTRAMI iſthæc ſententia profecto non adeo videbitur abſurda. Tantus ſane Nethinæorum ſuppetebat numerus, ut cum reliquis captivis Babylonem abducerentur, æque ac elapſo LXX annorum tractu, ad priſtinas reverterentur ſedes, ut ex Eſdr. II, 43. VII, 7, 24. Neh. VII, 46. X, 29. liquet; Gibeonitis ut ex devictis gentibus reliquis, & Judaicam amplexis religionem complures acceſſiſſe, vero perquam ſit ſimile. Et obſervatu dignum eſt, quod velut ante templi ſtructuram Nethinæorum nomen inauditum fuerat & incognitum, ita poſt eam ætatem Gibeonitarum nulla amplius in Sacris mentio fiat, haud dubie quod permixta ſervorum ſanctuarii turba hanc non amplius admitteret nomenclaturam. Accedit, quod cum a Joſuæ temporibus, & univerſo cœtui, & altari miniſtrare, ſuoque ſibi labore victum parare Gibeonitæ tenerentur Joſ. IX, 21, 23, 27, aliter ſe res habuerit poſt tempora Davidis, qui ſolis Levitis Nethinæos, in viliſſima ſanctuarii miniſteria addixit, qui ex reditibus ſuis de victu ipſis proſpiciebant. Quare & CVNAEVS *lib. II. de Republ. Hebr. cap. XI.* & SERARIVS *Comment. in Joſ. IX. qu. XX. p.* 216. poſt TOSTATVM ABVLENSEM, in eandem, de admiſtis gentibus devictis aliis, ſententiam conceſſerunt.

γ) Dignatio eorum inter Iſraelitas hæc erat, ut ultimum fere dignitatis gradum in republica tene-

tenerent; velut Deut. XXIX, 10, 11. ubi gradus dignitatum populi recensentur, fissores lignorum, & qui aquam hauriunt, ultimo loco nominantur, licet ea tempestate Gibeonitæ in clientelam se nondum dedissent. Quin immo adeo abjecti erant, ut etiam τοῖς ממזרים *spuriis* postponantur. Nimirum omnem graduum honoris distinctionem, hoc ordine struunt Judæi in *Horajoth Jeruschalmi fol.* 48. *col.* 2. unde Latine versa, apud LIGHTFOOTUM *Hor. Hebr. in Matth. XXIII,* 14. & WAGENSEILIUM *in Sota p.* 569. verba ita habent: *Sapiens præferendus Regi: Rex, summo Pontifici: summus Pontifex, Prophetæ: Propheta, uncto in bellum: unctus in bellum, præfecto ephemeriæ: præfectus ephemeriæ, capiti familiæ: caput familiæ, consiliario: consiliarius, thesaurario: thesaurarius, Sacerdoti privato: Sacerdos privatus, Levitæ: Levita, Israelitæ: Israelita, notho: nothus, Nethinæo: Nethinæus, proselyto: proselytus, servo manumisso. At, quando hoc? nempe, cum cetera sunt paria: at vero, si nothus sit discipulus sapiens, & Sacerdos summus sit indoctus, nothus ei præferendus. Sapiens est præferendus regi: nam, si moritur sapiens, non est ei par: at si moriatur rex, quivis Israelita est idoneus regno.* Interim, quia ad ministeria sacra, vilissima licet, adhibebantur, aliquam inde trahebant dignitatem, & proselytis, servisque manumissis antistabant.

δ) Matrimonium; quod cum Israelita, vel Israelitide, Nethinæo contrahere nefas erat. De illis quippe, a connubiis genuinorum Israelitarum arcendis, bina Magistri, apud MAIMONIDEM in *Hilcoth* איסורי ביאה *cap. XII. sub fin. fol.* שלו *col.* 1. facta esse tradunt decreta: alterum a Josua, quo prohibentur venire in cœtum, mediante matrimonio, durante sanctuarii tempore; alterum a Davide, qui in æternum eos excluserit, eo quoque tempore, quo non futurum esset sanctuarium. Paria ex Codice MSC. EZ. HECHAIIM, WAGENSEILIUS tradit *in Sota fol.* 145. Hinc est, ut cum Mamseris seu Nothis, ratione connubiorum, cum ingenuis Judæis non contrahendorum, æqua Nethinæorum ratio esset. Vix itaque alia, nisi vel mutua Nethinæis, vel etiam servorum manumissorum conjugia erant permissa: quodsi autem Nethinæus cum Israelitide rem habuisset, vapulabat uterque. Quicquid vero sit de duplici illo Rabbinorum decreto, ex 2 Sam. XXI. satis constat, Gibeonitas Davidis tempore peculiarem adhuc nationem constituisse, quod in promiscuis matrimoniis cum Israele non licuisset. Hinc porro liquet, quam absurdus sit IACOB. BOULDUCUS *lib. I. de Ecclesia ante legem cap.* 5. Josephum tradens, Mariæ sponsum, Nethinæum fuisse, quem tamen filium Davidis appellat angelus Matth. I, 20. ex Davidis prosapia oriundum probat genealogia Matth. I. & census in urbe Davidis Bethlehem, Davidicum arguit Luc. II, 4. unde flagris dignum ejus commentum refutat SELDENUS *lib. V. de Jure Nat. & Gent. cap.* 14.

ε) Sedes & habitatio; quæ non in uno semper mansit loco. Ante terræ divisionem, postquam in fœdus recepti erant, pristinas suas tenuisse sedes, ex Jos. X. constat. Post terræ divisionem vero, Gibeonitarum urbs in tribum Benjamin cecidisse Jos. XVIII, 25. & Sacerdotibus adscripta legitur c. XXI, 17. Hinc ipsos, cum Sacerdotibus & Levitis, suas habuisse mansiones, ex 1 Chron. IX, 2. Esdr. II, 70. Neh. VII, 73. XI, 3. colligitur. Sed & Hierosolymis, Ophel memoratur, Nethinæorum habitatio, ad portam aquarum versus ortum, & turrim exeuntem, Neh. III, 27. & XI, 21. De qua, cum Judæorum, tum Christianorum conjecturas, lubricas omnes & incertas, studiose congessit DANIEL PFEFFINGERUS dissertat. philol. *de Nethinæis,* Argentorati A. 1702. publicata, §. 32. *sqq.* qua, quicquid est istius argumenti, magna cum cura discussit: cui junge LEYDEKKERUM *Lib. X. de Republ. Hebr. cap. V. pag.* 595. *sqq.* LUNDIUM *lib. IV. des Levitischen Priesterthums, cap. VII.* BUXTORFIUM *Lex. Targ. & Talm. pag.* 1409. SAUBERTUM *de Sacerdot. Hebr. cap. XI.* edit. Thom. Crenii, *p.* 662. *sqq.*

Ad

Ad §. XXVII. pag. 14.

(36) *Quod huic ἀγγαρεία, functioni*] Ista Auctorem hausisse suspicor ex CASP. WASERI *Lib. I. de antiquis Hebr. mensuris cap. XI. p. 43. sq.* ubi vir doctus vocem *ἀγγαρεύειν angariare*, Matth. XXVII, 32. ex ritu Persarum exponit, quibus *ἄγγαροι* tabellarii erant, seu cursores regii, quibus æque, ut hodienum apud Turcas, licebat obvii cujusvis jumenta, currus, naves, vel ipsosmet homines, ut currerent ac sarcinas ferrent, ad celerius conficiendum iter, rapere. Quibus demum addit: *Synecdochice* Angari, *vel* Aggari, *postea dicti servorum aut jumentorum onera quovis modo bajulantes: Hebræis Esr. II. & Neh. III. proprio & peculiari nomine dicti* נתינים *Nethinæi, qui publicis angariis obeundis, saltem in domo Dei pro toto cœtu erant quasi dediti sive dedititii, a* נתן *dedit.* Sed totum istud *de Angariis veterum* latifundium exhausit, exquisitæ Vir doctrinæ, BALTHAS. STOLBERGIVS *Exercitat. Philolog. dodec. Diss. I. p. 149. sqq.*

AD

LIB. I. CAPVT VI.

DE PROPHETIS.

Ad §. I. pag. 14.

Tres diversos temporis articulos] De Prophetis, cum nos ex instituto egimus *Introd. ad libr. Bibl. V. T. P. III. cap. I.* tum, qui egerunt, alios excitavimus §. 28. *p.* 85. quo hujus rei studiosos remittimus. Tres autem temporis periodos, sive ætates, in quas dispesci solent Prophetæ, ad eundem, cum Auctore nostro, modum, HERM. WITSIVS quoque constituit *Miscell. Sacr. lib. I. cap. XVI. p.* 161. *α*) ante legem, *β*) sub lege, *γ*) sub Evangelio. Hæ enim periodi, velut dispari cultus, & dispensationis divinarum revelationum ratione gavisæ sunt, ita missionis quoque & functionis Prophetarum diversum admiserunt modum. Ante Mosen, Deus per immediatas revelationes, easque crebriores, moderabatur Ecclesiam, absque verbo scripto; hinc, qui Ecclesiæ erant antistites & sacrorum ministri, iidem utplurimum etiam Prophetico dono ac spiritu pollebant. A Mose vero, ad reditum populi ex Babylonia, Leviticum Sacerdotium ordinarie cultum præstabat, ad ductum quidem verbi scripti, lege Mosis & ceteris V. Instrumenti succedentibus libris comprehensi; unde tam crebris opus amplius non erat revelationibus immediatis, nec nisi extra ordinem, mittebantur Prophetæ, ubi reformatione opus habebat Ecclesia, aut Sacerdotium suis non amplius partibus rite defungebatur. Post reditum e captivitate, restauratio sacrorum, Prophetarum vel maxime requirebat operam, ad componendam nascentis velut Ecclesiæ, sacrorum & cultus formam, ad Scripturæ Sacræ normam. Diebus denique Salvatoris, & sub N. T. auspicia, nova prorsus œconomia alium quoque Prophetarum habitum postulabat.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Adamus & Propheta, & Sacerdos suæ familiæ fuit*] Dono Prophetico Adamum polluisse patet, ex agnitione Evæ, quam, primum visam, os de ossibus suis, & carnem de carne sua, quin & ex eventu futuro, חוה *matrem omnium viventium* salutavit Gen. II, 23. sq. quanquam aliam nominis significationem insinuet GOTTFR. OLEARIVS *Observat. in Matth. XXII, 31. sq. §. 7. p. 614.* Vnde non Judæi modo *in Seder Olam Rabba cap. XXI.* Adamum Prophe-

 tam

tam asserunt, verum etiam Christus ipse Matth. XIX, 5. verba primi parentis, Deo ipsi attribuit creatori, ea quod Adam non ex suopte ingenio, sed ut Propheta, ex divini Spiritus protulit suggestione. Nec dubium est, quin crebrioribus post lapsum gavisus sit alloquiis divinis, revelationibus, & patefactionibus propheticis, ut omnem cultus rationem recte institueret, familiam suam absque errore & labe in religione formaret, modumque consequendi salutem, cum ipse calleret, tum mortales reliquos edoceret; etsi non abs re observavit NICOL. GVRTLERVS *in Theolog. Prophet. p.* 55. post lapsum, tributae Adamo vatidicae facultatis specimina, in Sacris literis vix ulla comparere, historia ipsius a Mose in brevissimam summam redacta. Quam autem alias huc referunt nonnulli ὀνομαθεσίαν animantium, eam incomparabilis quidem sapientiae specimen praebere, donum autem ipsius propheticum non satis evincere, recte censet HEIDEGGERVS *histor. Patriarchar. Exercit. IV.* §. 51. *T. I. p.* 148. Hinc non a Patribus modo Ecclesiae, CLEMENTE ALEXANDRINO *lib. I. Strom. p.* 335. IVSTINO M. ORIGENE, EPIPHANIO, aliis, verum a Muhammedanis quoque, in Prophetis numerari Adamum, observat Vir stupendae lectionis, IOH. ALBERT. FABRICIVS *Cod. Pseudepigraphi V. Test. cap. V. p.* 6. ubi & de summa Adami rerum divinarum humanarumque scientia, & de variis, qui falso eidem tribuuntur libris, pererudite commentatur. De eruditione Adami conferri quoque meretur BVDDEVS *Hist. Vet. Test. Tom. I. p.* 93. §. 13. *sq.* Quando vero R. MENACHEM RAKNATI ex libro *Sohar* refert, *fol.* 25. *col* 4. librum quendam, coelestem sapientiam complexum, a Domino secretorum Adamo primo traditum fuisse, quem secum quidem paradiso efferre conatus sit, sed ereptum vix dum egresso, atque in coelum subductum esse, mox tamen ad ejus supplicationem restitutum, ea conditione, ne oblivione periret a filiis hominum ejus sapientia, sed ut eam cum posteris communicaret: id absurdum adeo, ac prima fronte videtur, censendum non esse perhibet laudatus WITSIVS §. 3. *p.* 162. sed sensu mystico catechesin veterum continere, 1) notitiam divinarum rerum in statu integritatis Adamo fuisse communicatam, 2) eam tamen magna ex parte fuisse amissam, justo Dei judicio, quo vindicabat sanctissimae legis suae transgressionem: 3) eandem clementer restitutam esse, postquam admissus esset ad gratiam, addita doctrina Evangelii: 4) ad officium pertinuisse Adami, ut posteros de Dei cognitione & cultu erudiret. Plura de isto libro, & admodum fabulosa, lege apud GVIL. SALDENVM *Otior. Theol. lib. I. Exercit.* 1. §. 3. *pag.* 3. *sq.* Quae de morte Adami, ejusque sepultura, tradant Orientales, vide apud EVTYCHIVM ALEXANDRINVM *Annal. Tom. I. p.* 18. *sq.* ubi ultimum ejus, ante obitum, de Messia vaticinium exponitur. Quam porro IOSEPHVS *lib. I. Antiqu. Jud. c.* 2. *sub fin.* prophetiam Adami recenset, de interitu mundi, primum per aquam, ultimo per ignem futuro, unde Sethus duas columnas, latericiam aliam, aliam marmoream erexerit, quae inscriptas praestantissimas coelestium humanarumque rerum scientias servarent & ad posteros transmitterent, eam Scriptura silet; Sethianarum autem columnarum commentum viri docti uno ore, & communi consensu exploserunt, de quibus allegasse sufficiat STILLINGFLEETI *Origin. Sacr. lib. I. cap. II.* §. 11, 12.

Ad §. II. pag. 14.

(3) *Adami Sacerdotium concluditur ex Gen. IV,* 3, 4.] Et perperam inde concluditur, nisi alias de eo constaret. De utroque fratrum sacrificio verbis הביא & יבא utitur Scriptura, quae & oblationis actum atque ritum notant, & adductionem ad certum aliquem locum. Hinc in partes scinduntur Interpretes, alii per adductionem localem, alii per oblationem exponentes. Prioris sententiae patroni, munera filiorum ad parentem Adamum adducta, cum Auctore nostro opinantur, ut is ea in loco publico, ad cultum divinum destinato, Domino offerret.

Patris

Patris enim familias fuisse, pro universa familia sacra facere. Ita, post Judæos aliquos, ex Reformatis HEIDEGGERVS *Histor. Patr. Tom. I. Exerc. V.* §. 17. *p.* 178. & ex Anglis, HENRIC. AINSWORTH *in h. l.* Rectius tamen, meo judicio, id negat ABEN ESRA *ad h. l.* ולא ישרו בעיני דברי האומרים כי המנחה הבאה אל אביו: *neque tamen placent mihi, qui dicunt, quod adduxerint sacrificium ad patrem suum.* Quod enim tempestive monet e nostris POLYCARP. LYSERVS *in h. l. p.* 368, fratres hi emancipati memorantur, qui sui esse juris cœperant. Non itaque in laribus paternis communi cum ceteris mortalibus utebantur cultu, sed quisque suas sibi res habens, patris familias partibus defungebatur. Vnde dispar quoque, pro cujusque offerentis conditione, divina narratur acceptatio, quæ in unum cecidisset Adamum, si ille pro filiis obtulisset. Accedit, quod verbum in Hiphil, si accessum vel adductionem localem notet, mediante particula locali ל vel אל construatur, si simpliciter positum, oblationis actum notet v. g. Exod. XXXV, 21, 23. Num. XV, 25. Lev. IV, 23, 28. V, 6, 7. Hinc Cainum & Abelem, diverso quidem tempore, in solenni fratrum sororumque conventu, sacra ipsos fecisse existimo, unumque, ad sacrificium suum, alterum invitasse. MERCERVS *ad h. l.* a nostris pariter stat partibus, hac nixus ratione, *quia quisque* (emancipatus quippe, suique juris) *ante legem sua offerebat sacrificia.* Melius itaque Vulgata vertit: *factum est post multos dies,* ut offerret *Cain de fructibus terræ* &c. *Abel quoque* obtulit *de primogenitis gregis sui;* quam qui reddiderunt: *adduxit.* Ceterum Adamum in ædibus suis Sacerdotio functum fuisse, omni caret dubio, quod patrum familias id esset: ex hoc tamen loco valide probari negamus. Ex prima ætate addere liceat Prophetam

Henochum, quem vaticinandi dono polluisse non modo, sed Mosen quoque ac Eliam superasse, ex Magistrorum sententia WITSIVS affirmat *Lib I. Miscellan. cap. XVI.* §. 4. שהוא במדרגה יותר גדולה ממשה ואליהו: *fuisse eum Prophetam in gradu excellentiori, quam Moses & Elias.* Vehementer autem cuperem, ut auctorem effati allegasset. Quantum enim ex R. MENACHEM RACANATENSIS *Comment. in Gen. V,* 24. intelligo, non adeo sublimem in Prophetis gradum eidem attribuunt Hebræi, כי ראה ברוח הקדש *quod viderit per Spiritum Sanctum*, qui gradus inferior est gradu נבואה *Prophetiæ* stricte sic dictæ: præterea distinguunt inter Prophetam בשליחות *per missionem*, seu officio & munere talem, qui expresso mandato a Deo mittitur, & בשכינה *per divinam præsentiam* & influxum, seu dono talem, qui specimen aliquod Propheticum instinctu Spiritus Sancti edit. Posterioris saltem generis Prophetam faciunt Henochum, cui Spiritus Sanctus קצת נבואה *partem Prophetiæ* sive נבואה קטנה *parvam Prophetiam* inspiraverit, ut notatur in *Jalkut Rubeni fol.* 24. *col.* 4. ex libro allegorico *Gale Razaja.* Sed & Arabes affirmant, insignem sua ætate Prophetam egisse, quibus MVHAMMED in *Alcorano* prælusit, cui Henoch *Edris Propheta* audit; de quo tamen dubie ad erudite disputat HOTTINGERVS *Histor. Oriental. Lib. I. cap.* 3. *p.* 30. *sqq.* Etsi BARTOLOCCIVS in *Biblioth. Rabbin. P. II. p.* 845. ex Hebræorum antiquiorum testimonio probare nititur, Henochum, qui cognominatus fuit אדריס *Edris*, ab antediluviano patriarcha multo diversum, multisque seculis illo fuisse posteriorem: cui LVDOVIC. MARRACCIVS *not. in Suram XIX. Alcor. p.* 435. inhærens, MVHAMMEDEM existimat, sicut duas confudit Marias, ita duos pariter Enochos simul permiscuisse. Quin & ab angelis Dei credidisse veteres, suam Henochum hausisse doctrinam, IOSEPHI & EVSEBII fide tradit HVETIVS *Demonstrat. Evangel. Propos. IV. cap. VIII.* §. 7. *exeunte.* Denique Patrum antiquissimi, CLEMENS ALEXANDRINVS, ORIGENES, TERTVLLIANVS, IRENAEVS, CYPRIANVS, LACTANTIVS, eo minus de dono ejus Prophetico dubitant, quo confidentius ad vaticiniorum ejus volumen provocant; quorum testimonia de Henocho, confertim & larga manu exhibet doctis-

doctiſſimus FABRICIVS *Cod. Pſeudepigrapho Vet. Teſt. p.* 168. *ſqq.* quibus ſymbolas recentiorum auctorum ſubjicit *p.* 199. *ſqq.* demum etiam catalogum ſcriptorum *p.* 222. ſubtexuit, apud quos de Henocho, ejusque vaticiniis plura legere licet: quibus nos adhuc GVILIELM. SVRENHVSIVM addimus *in βίβλῳ καταλλαγῆς p.* 709. *ſqq.* IOH. FRANC. BVDDEVM *in Hiſtor. Eccleſ. V. T. Per. I. Sect. I.* §. 38. *pag.* 160. *ſqq.* SAINJORE *T. III. Biblioth. Crit. Chap.* 3. *p.* 41. & IOH. PHIL. HEINIVM *Diſſertat. Sacrar. cap. IV. pag.* 54. *ſqq.* Nobis teſtis omni exceptione major eſt S. Judas Apoſtolus, qui *Epiſt. v.* 14. & vaticinatum perhibet Henochum, προεφήτευσε δὲ, λέγων, & prophetiam ipſam κατὰ τὸ ῥητὸν allegat. Vnde illam hauſerit, non eadem omnium ſententia eſt. Ex hiſtoria Moſaica illam collegiſſe exiſtimat COCCEIVS, ſed notatus eo nomine a WITSIO ſupra citato, §. 7. *nam Judas formulam Prophetiæ Henocho adſcribit, quæ ex Moſe diſci non poteſt.* Ipſe tamen haud multo rectius ad traditionem refert: *crediderim igitur, Judam hæc habuiſſe ex nota & confeſſa eo tempore traditione: quam veram eſſe, Spiritu magiſtro cognovit, dignamque, quam ſua hac Epiſtola conſecraret æternitati.* Multos hic habet conſentientes, ex quibus HOTTINGERVS *Ennead. diſſert. I. pag.* 6. *Certe, tutior, inquit, eſt ſententia, quæ Enochi Prophetiam πατροπαραδότως ad Servatoris usque tempora aſſervatam eſſe contendit,* quam rationibus quoque munire ſatagit. Verum incerto nimis tibicine niteretur hæc Scriptura, ſi non alio, quam traditionis nomine αὐθεντίαν ſuam tueretur. Habuerint ſane Judæi ejusmodi traditionem, unde hæc Prophetia, tanquam inter illos, ad quos Apoſtolus ſcribit, nota & celebris eſſet, non tamen ex παραδόσει, ſed ex immediata Spiritus Sancti ſuggeſtione, pericopam hanc conſignaſſe, Judas ſatis intelligitur ex 2 Tim. III, 16. & 2 Petr. I, 21. Ceterum de hac prophetia Henochi, præter ceteros evolvi meretur, poſt HOTTINGERVM *in cit. Ennead.* DORSCHEVS *in auctario Pentadecad. Diſſert. I. p.* 555. *ſqq.* Contra librum autem Henochi nemo, quod ſciam, prolixius egit THOMA BANGIO *Cœli Orientis Exercit. I. quæſt. V. p.* 16. digno, qui conſulatur. Quod ſupereſt, noviſſime *Anonymus* quidam, Bibliothecæ Britannicæ *A.* 1738. *Tom. XI. P. I. Art. VIII. pag.* 181. *ſqq.* integram inſeri curavit diſſertationem, qua communem eorum ſententiam, qui Henochum æque ac Eliam, absque interveniente morte, cum corpore & anima ſimul, in locum & commercium æternorum gaudiorum translatos cenſent, evertere conatus, utrumque ſolum placide ac in fide expiraſſe, a communi moriendi ſorte minime exemptos, contendit, doctorum virorum reſponſionem, ac dubiorum ſolutionem depoſcens ac præſtolatus: quod in tranſitu ſufficiat obiter monuiſſe. Addimus

Lamechum, quem HENR. AINSWORTH *not. ad Gen. V,* 29. HEIDEGGER. *Hiſt. Patr. T. I. Exerc. III.* §. 8. *p.* 76. DAV. KNIBBE *lib. II. hiſt. Prophet. cap. I.* §. 4. & doctores paſſim, Prophetis recte connumerant, ob inſignem in ὀνοματεσίᾳ filii editam Prophetiam, qua ipſius cum ſuavem officii fructum, tum typicam Chriſti-adumbrationem, perſpicue prænunciavit: nec dubium, quin alia hujus ſimilia protulerit vaticinia plura, licet a Moſe in literas non redacta. Addimus jure merito

Noachum, cui Deus plus vice ſimplici collocutus, & mundi per diluvium πανολεθρίαν Gen. VI, 12. ſqq. & fœderis Dei cum terra, de non amplius delendo, pacti ſummam cap. VIII, 22. IX, 8. ſqq. hominibus ævi ſui denunciandam aperuit, quique crebrioribus revelationibus divinis inſtructus, δικαιοσύνης κήρυκα ætati ſuæ agere dignatus eſt 2 Petr. II, 5. Vt illuſtre taceam vaticinium Gen. IX, 26. ſq. quo non familiæ modo ſuæ, ſed poſteritatis quoque univerſæ, totiusque Eccleſiæ fata, compendio præcecinit: HEIDEGGERO magna cum cura diſcuſſum & expoſitum *Hiſt. Patr. Tom. I. Exercit. XX. tota, p.* 623. *ſqq.* Nec ore ſolum ac verbis, ſed Symbolicis quoque actionibus vaticinatum fuiſſe, Paulo teſte Hebr. XI, 7. rectius aſſeritur, quam quæ de dolabra Noæ, qua in fabricanda uſus eſt arca,

in

in reliquiis Ecclesiæ Christianæ asservata, BARONIVS *Tom. III. Annal. ad A. C.* 330. *n.* 15. & post eum GRETSERVS *Tom. I. de Cruce p.* 15. 346. *&* 510. nugantur, profligata a gravissimo DORSCHEO *Vindic. ad Exod. IV,* 1. *sqq. Dissert. V.* §. 12. *p.* 93. *sq.* Quot ipse modis typum Christi gesserit, post BOCHARTVM *Hierozoici Lib. II. cap. VI. p.* 34. & HVETIVM *Demonst. Evangel. Propos. IX. Cap.* 170. §. 3. *p.* 1147. BIERMANNVS copiose docuit *in Mose & Christo Lib. I. cap.* 3. *p.* 32. *sq.* Auctores quoque, qui arcam, cum Ecclesia collatam, Propheticum constituunt typum, confertim excitatos exhibet THOM. CRENIVS *in Exercit. Sacris ad priora Mosis, Cap. III.* §. 7. *p.* 131. *sqq.* quibus denuo BIERMANNVM adde *c. l. lib. II. cap. II. p.* 341. *sqq.* Quæ autem de Noæ in Italiam adventu, ejusque nominibus ethnicis variis traduntur, erudite digessit EDMVND. DICKINSON peculiari diatriba, Delphis Phœnicissantibus subjuncta, & in CRENII *Fasciculo I. opusculor. p.* 151. *sqq.* recusa: quo etiam spectant, quæ laudatus HVETIVS *Prop. IV. cap. X.* §. 6. *p.* 256. *sq.* de Noa sub Saturni, Jani, Bacchi nominibus latente disserit: cui junge, quæ IOH. ALB. FABRICIVS de Noacho, Deucalione, Vrano, Sole, Ogyge, Jano, Oenotrio, Gallo, Proteo, Vertumno, Vadimono, Xisuthro, Oanne & Puoncuo &c. congessit *in Cod. Pseudepigr. Vet. Test. cap.* 74. *sqq. p.* 240. Nimis autem jejune ac frigide IOH. LIGHTFOOTVS *Observatt. in Gen. V,* 29. *Tom. I. Opp. f.* 155. Noachum *consolatorem* dicit appellatum, *quia in eo libertas mundo danda erat edendæ carnis.* Vt enim taceam, comestionem carnis ante diluvium prohibitam, nondum extra omne positam esse dubium, cum licitam potius eam asserant & tueantur HEIDEGGER. *Hist. Patr. P. I. Exerc. XV. tota p.* 390 *sqq.* & in *Libertate a lege cibar. vet. cap. II.* §. 3. & *cap. III. tot. p.* 33. *sqq.* SALIANVS *ad A. M.* 1657. WALTHERVS *Spong. Mos. p.* 365. *sqq.* BVDDEVS *Hist. Eccles. Vet. Testam. Tom. I. p.* 185. *sqq.*: Consolatoris nomen vel maxime ex officio Prophetico & a vaticiniis de Messia sortitus est. Putidum denique commentum illud, Sibyllam Persicam, Prophetissam, patre Noacho satam, & cum ipso in arca diluvii tempore servatam fuisse, quod & ipsa de se, & SVIDAS tradit, solide & copiose confutat SERVATIVS GALLAEVS *Dissert. II. de Sibyllis p.* 65. *sqq.* His accensemus porro

Abrahamum, a Deo ipso titulo נביא cohonestatum Gen. XX, 7: *Isaacum*, quem Prophetis accenseri, ex Psal. CV, 14, 15. haud obscure colligitur: *Jacobum,* cujus moribundi oracula Gen. XLIX, Prophetæ characterem liquido arguunt: *Josephum,* qui morti vicinus pariter vaticinatus est Gen. L, 23. sq. Hebr. XI, 22. de quibus, ne simus prolixiores, sufficiant, quæ tradit DAV. KNIBBE *lib. II. cap. II.* §. 1. *sqq.* His extra lineam Patriarchalem, *Jobum* addunt, ejusque *amicos;* de quibus quid nobis videatur, diximus *P. II. Introductionis ad Libb. Vet. Test. cap. II.* §. *IV. & VIII.* Quos autem Judæi adhuc numerant נביאי האומות *Prophetas gentium,* nos explosimus *P. III. Introduct. cap. I.* §. *XII. p.* 30. *sq.* de *Bileamo* sigillatim commentati *ibid.* §. *XI. p.* 28. *sq.* Nec enim ibi dicta huc transferre lubet.

Ad §. III. pag. 14.

(4) *In secunda temporis periodo*] Ista ætate publicam *κατήχησιν* recte refert Auctor

α. Ordinarie, ad Sacerdotes & Levitas, quorum, extra Sanctuarium, munus quoque fuit, ut veram religionis doctrinam propagarent, populoque instillarent. Intra Sanctuarium, dum peragebantur sacrificia, & sacra reliqua, concionatos eos fuisse, typorumque mysteria & usum explanasse, alias palam est. Sed & extra illud, tam in בית המדרש, quam in ædibus privatis eos docuisse, constat א. ex Testimoniis Scripturæ. Devter. XXXIII, 10. de posteris tribus Levi Moses ita vaticinatur: יורו משפטיך ליעקוב ותורתך לישראל *docebunt judicia tua Jacobum, & legem tuam Israelem:* & Mal. II, 6. de Sacerdotibus affirmatur: *lex veritatis erat in ore ejus, & perversitas non est inventa in labiis ipsius, in pace*

& in rectitudine ambulavit mecum, & multos reduxit ab iniquitate, כי שפתי כהן ישמרו דעת *nam labia Sacerdotis servabunt scientiam,* ותורה יבקשו מפיהו *& legem quærent ex ore ejus, quia* מלאך *internuncius*, interpres *Jehovæ exercituum ipse est.* ב. Ex partibus officii eorum. Ad id quippe ordinati erant a Deo Sacerdotes & Levitæ, ut rogantibus de lege responderent, de puritate & impuritate sententiam dicerent, & de voluntate Domini populum, plane ut hodie verbi ministri, luculenter instruerent. ג. Hinc Judæi censent, tribum Levi per universam Judæam Synagogas moderatam fuisse & Gymnasia: quod quamvis exploratum adeo & compertum non sit, dubium tamen nullum est, quin *partim* dispersi per urbes Sacerdotes & Levitæ docendi in Scholis officio passim sint functi, *partim* a ditioribus & nobilioribus Israelitis in ædes recepti, tam sacrorum domesticorum, quam institutionis familiaris curam egerint, & liberorum præfuerint educationi, eosque legis Mosaicæ imbuerint cognitione. Quod fere apparet ex Jud. XVII, 9. ubi Levita, Bethlehemo oriundus, per Cananæam vagatus fuisse traditur, commodum sibi quærens hospitii locum, receptusque a Micha, in montanis Ephraim, ut sacris domesticis ejus præesset. Et huc respicere videntur leges, Devter. XII, 18. XIV, 29. XXVI, 12. præcipientes, ut sacra facturi Israelitæ, edant, bibant, & lætentur, *cum Levitis*, peregrinis & pauperibus, *qui in portis eorum*, h. e. in urbibus, quas incolebant singuli, *commorantur*. ד. Cum ex superioribus constet, Levitarum quartum ordinem, extra Sanctuarium in foro, munus suum obiisse, tanquam שפטים ושוטרים *judices & moderatores:* quo Mosis pertinet scitum Devter. XVI, 18. *Judices & exactores constitues tibi in omnibus portis tuis, quas Jehova dederit tibi, & judicabunt populum judicio veritatis*, h. e. docebunt populum veram legis sententiam, & secundum illam jus dicent: hinc jus dicentes legem explanabant, ita ut jus dicere, Hebræis idem sit, ac הורות *docere*, quia, qui jus dicebant, leges dubias & obscuriores interpretabantur. De quibus docendi partibus copiose ac ex instituto VITRINGA *de Synagoga Vet. Lib. I. Part. II. cap. VIII. toto p. 362. sqq.*

β. *Extraordinarie ad Prophetas*, qui quidem semper docebant, eoque inter ceteros, sine a Deo mittebantur, quod in *Introductionis c. I. §. XVI. α) p. 41.* exposuimus, sed non semper aderant, postquam Sacerdotium Leviticum erat institutum. In his cumprimis eluxit *Samuel*, qui post Mosen, Prophetarum primus recensetur a Petro Actor. III, 24. non quod alius inter Mosen & Samuelem non intercesserit, sed quod alius expresso nomine in Sacris literis, sub hoc elogio vel titulo commemoratus non legatur; primus etiam, quod ab excessu Mosis vaticinandi donum perquam rarum esset & infrequens, cum Samuele autem denuo inciperet, & adeo copiose diffunderetur, ut ipsius tempore, & ipso auspice, Scholæ Prophetarum instituerentur, qui manu facta, totisque agminibus incedebant prophetantes, 1 Sam. III, 1, 19. sqq. X, 10. XIX, 20. Vnde isthæc, a Samuele & posthæc, periodus, *tempus Prophetarum* proprie AVGVSTINO dicitur *lib. XVII. de Civ. Dei cap. I.* Confer, si placet, denuo *Introd. c. l. §. XXV. p. 70.* Hi vero passim & creberrime dispescuntur in ראשונים *priores*, & אחרונים *posteriores*. Illi sunt, qui ante Vsiæ vel Azariæ Regis tempora, hi, qui Vsiæ ætate & deinceps vixerunt; illi, qui post Mosen, historicos Vet. Test. libros scripserunt, hi, qui vaticiniis potissimum futura præsignificarunt. Ceterum Prophetarum ii, quorum scripta in Sacro Codice comprehensa servantur, ratione temporis ita collocandi veniunt, ut *ante captivitatem* Jonas, Hoseas, Amos, Joel, Jesaias, Michæas, Nahum, Habacuc, Obadias, Zephanias, Jeremias; *in captivitate* Ezechiel & Daniel; *post* solutam *captivitatem*, Haggæus, Zacharias, & Malachias numerentur: qui postremus אחרון שבחם, ABEN ESRAE סוף הנביאים, & Judæis passim חותם הנביאים *sigillum Prophetarum* nuncupatur. De quibus singulis nos *P. III. Introduct. cap. II. sqq.* ex instituto commentati sumus: & concise DAVID KNIBBE *Hist. Prophetar. lib. II. cap. V. & VI.*

Ad

Ad §. IV. pag. 14.

(5) *Quando Prophetiæ filuerunt*] Quando in tertia periodo, Prophetias filuiſſe tradit Auctor, traditionem ſequitur Judæorum, quam teſtimoniis citatis docuimus *in Introd. P. III. cap. I. §. 25. p. 73.* quibus nihil eſt, quod nunc addamus. Saltem obſervetur, quando Templo ſecundo denegantur Prophetæ, id ab illo capiendum eſſe tempore, poſtquam ejus ſtructura fuit abſoluta. Per XL enim annos, inter Viros templi ſecundi Prophetiam duraſſe, quoad nimirum Haggæus, Zacharias & Malachias in vivis adhuc eſſent, Auctor *Coſri P. V. num.* 39. largitur. Nec obſtat vaticinandi donum, uni vel alteri, v. g. Jaddo Pontifici, Judæ Maccabæo, Hircano & Menahemo, interdum indultum, de quibus WITSIVS *Miſcell. Sacr. Tom. I. cap. XX. p.* 280. *ſqq.* ſingulatim exponit: ſiquidem iſtud, munus Propheticum ordinarium iſti non vindicat ætati.

Ad §. eund. pag. eand.

(6) *Aliorum interpretum inſignis multitudo ſuccrevit*] Quia circa tempora, adventui Chriſti proxima, Scholas & Academias inſtituerunt Judæi, publicosque in illis Doctores aluerunt, in quibus Nicodemus Joh. III, 1. ἄρχων τῶν ἰȣδαίων, ratione muneris in Senatu, rurſus in Academia διδάσκαλος τȣ̃ Ισραὴλ, i. e. רב ישראל ſalutatur. Quanquam prius ex nomine ἄρχοντος haud liquido evinci poſſe, Vener. WOLFIVS *in Curis ad h. l.* & ſecutus eum LAMPIVS *Comment. in eund. loc.* contendunt, cum ἄρχοντες hi a ceteris Synedrii membris diſtinguantur Luc. XXIII, 13. XXIV, 20. Nec tamen diſſimulat LAMPIVS, titulum Ἀρχόντων plerumque in ſenſu ſtrictiori adhiberi a Scriptoribus Nov. Teſt. ut *Præfectos Synagogarum* deſignet, quos inter præcipuus Ἀρχισυνάγωγος, ראש הקהל, vel ראש הכנסת erat: de quibus paulo poſt copioſius. Quando autem Auctor ad dictum Pauli provocat 1 Cor. I, 20. πȣ̃ σοφός; πȣ̃ γραμματεύς; πȣ̃ συζητητὴς τȣ̃ αἰῶνος τȣ́τȣ; occaſionem arripit, omne genus docentium apud Judæos, in quinque velut familias ac ordines diſpeſcendi, α) Prophetas, β) Sapientes, γ) Legisperitos, δ) Diſquiſitores, & ε) Rabbinos: qui quomodo ex Paulina recenſione prodeant, nondum perſpicio. Pauli autem verba cum liquido deprompta ſint ex Jeſ. XXXIII, 18. איה ספר איה שקל איה ספר את המגדלים *ubi eſt ſcriba, ubi ponderator, ubi numerans turres?* ſuccincta & elegans placet IAC. ALTINGII *obſervatio*, qua *in Hiſt. Acad. Hebr. p.* 283. *Tom. V. Opp. Heptad. VIII. p.* 243. *a.* utrumque locum ita componit: *Fuit* סופר γραμματεύς, *Scriba, qui textum ſimpliciter interpretaretur; fuit* שוקל συζητητὴς, *Diſputator, qui argumentorum & rationum pondera ad veritatis trutinam examinaret; fuit* סופר את המגדלים σοφὸς, *Sapiens, qui altiſſima & abditiſſima myſteria perſcrutaretur.* Ad hos enim tres ordines revocari commode poteſt, quicquid Doctorum & Sapientum nomine, inter Judæos eminebat. *Hi omnes*, pergit ALTINGIVS, *communi nomine* בעלי אסופות *Domini congregationum, dicebantur Cohel. XII,* 17. *quod plures diſcipulos docendo colligerent & congregarent ad Corpus Academicum: vel etiam, quod plures & diſperſas ſententias in unum Syſtema colligerent, ſuisque communicarent auditoribus.* Etſi autem facile largior, eosdem Doctorum gradus Jeſaiæ tempore in populo Dei nondum receptos, vel cognitos fuiſſe, qui Pauli vigebant ætate, ſatis tamen erat Apoſtolo, ad ſui ævi Synagogam, Prophetæ verba ſcite accommodaſſe. Quid aliorum ferant interpretationes, ὡς ἐν συνόψει apud Vener. WOLFIVM *Curis in cit. loc.* legas, qui SVRENHVSII, VITRINGAE, STEPHANI LE MOYNE, aliorumque explicationes confertim exhibet: quibus perlectis omnibus, cum Comico dixeris: *feciſtis probe, incertior ſum multo, quam dudum.* His adde HENR. HAMMONDVM, qui *Annotat. ad loc. Paul.* ſcopum Jeſaiæ longe alio ſpectare obſervat, cum iis verbis ſignificet, ſe mirari, qui factum eſſet, ut tributa, quæ tempore obſidionis exigebantur, tam ſubito remiſſa eſſent. In hunc ſenſum סופר interpretatur,

tur, qui circumferebat librum tributorum; שוקל *appensorem*, qui pecuniam accipiebat, quam solebant appendere; denique סופר את המגדלים *numerantem turres*, qui numerat domos urbis, singulisque pro amplitudine, tributum imponit. Interim Prophetæ verba existimat a Paulo usurpari, ad exprimendam admirationem, ob mutationem, quæ inter homines contigerat, quamvis illa mutatio plane diversa esset. Sequitur Vir doctus Rabbinorum quorundam glossam. Sed rectius omnino ista Prophetæ quæstio, mundanam sapientiam quamcunque, e regno Christi, de quo liquido agit Jesaias, tanquam inutilem ac supervacaneam, eliminat & excludit. Hinc perspicacissimus Scripturæ interpres, AVGVST. VARENIVS *Comment. in h. l. Jes. p.* 470. ex veterum Magistrorum sententia exponit, ut σοφὸς sit חכם בספר התורה *Sapiens in libro legis;* γραμματεὺς, שקל הדברים בדעת ותבונה *Ponderator verborum*, qui ex habitu notitiæ & discretionis subtilissime omnia librat; & συζητητὴς τῦ αἰῶνος τύτυ, qui כתב על ספר הדברים הגדלים והרשומים *describit in libro res insignes & magnificas:* quæ ut ab allata ALTINGII interpretatione non adeo longe discedunt, ita Paulo non nudam ad Jesaiæ oraculum allusionem, sed directam ejus ex mente Spiritus Sancti excitationem tribuunt, quod cumprimis ad hunc locum est tenendum. Plura, qui legere cupit, quis ille sit συζητητὴς Paulinus, adeat THOM. FVLLERVM, qui *Lib. III. cap. VII. toto, Miscellan. Sacror.* copiose suam in hanc vocem sententiam promit.

Ad §. V. pag. 15.

(7) *Variis veniunt nominibus*] Quæ de appellationum Propheticarum, רואה, נביא, חוזה, vi ac genuina notione, nec non Synonymicis elogiis aliis notari merentur, cum cura discussimus *Introd. P. III. cap. I.* §. 1, 2, 3. ubi legat, qui volet. Quibus addantur, quæ MAIMONIDES *in More Neboch. P. II. cap. XLI.* de visione Prophetica, & verbo Domini ad Prophetas facto, *cap. XLII.* de apparitione angelica, Prophetis facta, *cap. XLIII.* de rationibus & modis parabolarum Propheticarum, *cap. XLIV, XLV.* de undecim distinctis Prophetiæ gradibus, ex mente Doctorum gentis suæ tradit. Ceterum Prophetia in quatuor iis rebus numeratur Judæis, quas Deus præter populum suum, aliis gentibus nullis sit impertitus, ut diserte pronunciat R. BECHAI *Comm. in Legem Sect.* שופטים *in Deut. cap. XVIII. fol.* 209. *col.* 1. ר׳ דברים הן שלא זכתה להכם שום אומה כי אם ישראל והן הנבואה ותורה וארץ ישראל ותחית המתים *quatuor res sunt, quibus non fuit dignus ullus populus, nisi Israel, nempe Prophetia, Lex, terra Israelis, & vivificatio mortuorum:* quibus gemella tradit Idem in כד הקמח *fol.* 8. *col.* 1.

Ad §. VI. pag. 15.

(8) *Tres notatu dignæ appellationes*] Potiores Prophetiarum denominationes Auctor evolvit tres:

α) נאם יהוה *verbum Jehovæ*, a Rad. נאם, quæ secundum IAC. ALTINGIVM *T. II. Opp. P. II. p.* 22. *b.* divinam notat patefactionem, seu oraculum, quod a Deo venit, & non nisi ex ipsius inspiratione edi potest, proponere: æque ut GVSSETIVS *in Comment. Lingu. Hebr. h. v.* usurpari dicit de divinis oraculis, sed humana voce, humano organo prolatis; & quia magnam hoc verbum affinitatem habet cum Rad. אמן, האמין, hinc FOERSTERVS *in Lex. h. v.* observat, נְאֻם exponendum esse *certum, verissimeque dictum:* quo sensu etiam DORSCHEVS *Pentadec. Disp. XIII. th.* 2. explicat, per sermonem certum, fidelem, fide & acceptione dignum. Græci ergo Interpretes, per εἶπε, & ἔφη, *dixit*, simpliciter reddentes, vim vocis plane non exhauriunt, quam declarare annisi sumus in *Introduct. P. III. cap. I.* §. 21. *p.* 54. *sq.* Est vero hoc נְאֻם vel nomen, quod contendit GEIERVS *in Ps. CX,* 1. vel, quod GVSSETIVS mavult, Partic. Paul, נאום *dictum*, sive ab homine, sive a Deo,

Deo, quod in statu constructo puncta corripiat. Observat praeterea laudatus GEIERUS *Comment. in Ps. XXXVI*, 2. semper cum nominibus Dei constructum legi hoc nomen, exceptis locis Num. XXIV, 3, 4, 15, 16. ubi de dicto Bileami, 2 Sam. XXIII, 1. ubi de dicto Davidis, Prov. XXX, 1. ubi de dicto Aguris ad Ithielem accipitur, & cit. Ps. XXXVI, 2. in quibus tamen singulis ALTINGIUS in Jerem. locum mox citandum, *Tom. I. Opp. p.* 809. *b.* aeque χρηματισμὸν, seu *oraculum divinum* hanc vocem notare asserit. Futurum verbi, cum eleganti paronomasia, legitur Jerem. XXIII, 31. de Pseudoprophetis, qui הלקחים לשונם impudenter & privato ausu, *linguam sibi arrogant*, וינאמו נאם *& pronunciant* (aeque ac veri Prophetae) istud Neüm, seu *oracula Jehovae*. Adeo enim solennis formula erat נאם יהוה in divinorum oraculorum auspiciis, ut proverbio quoque locum dederit. Vates quippe divini illam toties ingeminabant, 1) ut religiosum metum incuterent auditoribus, qui hinc intelligebant, non humani ingenii commenta, aut nugas canoras proferri, sed Deum ipsum per os Prophetarum loqui, Gal. I, 11, 12. 2 Petr. I, 21. Quod imitatus videtur PYTHAGORAS, qui SUIDA teste, ut orationi suae & personae auctoritatem conciliaret, in congressibus semper suum illud αὐτὸς ἔφα jactabat, non semetipsum, sed Deum auctorem dicens, quod discipuli ejus perperam deinde de ipsomet usurparunt: 2) Ut hoc velut classico excitati auditores, patulas verbo Prophetarum aures praeberent, & attenta mente haurirent, quae non suo, sed Dei nomine, auctoritate ac jussu, praecones isti edicerent: Denique 3) ut suspicionem omnem, juxta cum invidia procul haberent, nec fraudis ac fallaciae, neve contentionis, studiique partium ipsos postulare possent. Quo autem pacto ac sensu haec vox Psal. CX, 1. de Patris ad Filium seu Messiam effato, recte exponi, & contra Arianorum strophas muniri debeat, ex DORSCHEO & GLASSIO, b. GEIERUS *in h. l.* sollicite inculcavit.

β) חזון *visionem*, quae & מראה dicitur, quorum tamen prius nomen in vaticiniorum inscriptione frequentius occurrit. Est autem MART. GEIERO *Comment. in Dan. I*, 17. חזון *visio*, apprehensio certarum specierum sensibilium, quae tanquam symbola, modo ἔσωθεν, modo ἔξωθεν, vel vigilantibus, vel dormientibus, extraordinarie repraesentatae, arcano modo exhibent res futuras, seu bonas, seu malas, quae cernuntur vel citra ἔκστασιν, ut manus in pariete, Dan. V, 5. sqq. vel in ἐκστάσει aut raptu, quales aliquot visiones Jeremiae, plurimae Ezechielis, omnes fere Johannis in Apocalypsi. Quae autem inter synonymicas voces חזון & מראה differentia intercedat, cum varie inquisiverunt Interpretes, tum nos exposuimus *Introd. c. I. §. 2. p. 5. sq.*

γ) משא *onus*, quo nomine veniebant olim oracula ponderosa, minacia, molesta, & onere interminatorio gravantia illos, ad quos Prophetia dirigitur, unde communis utplurimum tristium vaticiniorum titulus is est, v. g. Jes. XIII, 1. XV, 1-6. XVII, 1. XIX, 1. XXI, 1. Jer. XXIII, 33. sqq. Hab. I, 1. Zach. IX, 1. XII, 1. Mal. I, 1. Quod pensi habens HIERONYMUS *Prologo ad Habac. Tom. VI. Opp. f.* 81. *Massa*, inquit, *nunquam praefertur in titulo, nisi cum grave & ponderis, laborisque plenum est, quod videtur.* Vir doctissimus CAMPEG. VITRINGA *Comment. in Jes. XIII*, 1. copiose quidem & erudite adstruere satagit, latius patere vocem in ἐπιγραφαῖς vaticiniorum, & in genere *sententiam* notare, quae Dei nomine profertur, a נשא *ferre, proferre, efferre*, Psal. XV, 3. Jes. XIV, 4. Quin & sermonem insinuare ellipticum, qui plenius legitur Zach. IX, 1. & c. XII, 1. Mal. I, 1. *sententia verbi Jehovae;* inficias tamen ipse ire noluit, משא in emphasi significare *sententiam gravem pondere rerum, quas continet, cujuscunque tandem sint generis.* Haud absimilia his tradit SALOM. VAN TIL ad Hab I, 1. in *Phosphoro Prophet. p.* 225. ubi cum COCCEIO משא *prolationem* reddit, atque pro eloquio publico, seu concione Prophetica poni agnoscit, arcanum Dei consilium inter homines exponente, atque ita

decretum Dei revelatum Prophetæ manifestante. Priori quoque sententiæ obvertit TILLIVS, hoc elogio insigniri interdum vaticinia, quæ populo Dei spem faciebant maximarum Dei promissionum, omniaque fausta & læta ad ejusdem solatium spondebant, v. g. Zach. XII, 1. Conf. Thren. II, 14. In generali notione ista LXX quoque acquiescunt, per λῆμμα exponentes, quod HESYCHIO est ὁ λόγος, ὃν ἐκ Θεοῦ λαμβάνουσιν οἱ προφῆται, *sermo, quem a Deo accipiunt Prophetæ:* quos tamen omnem voc. משא vim ac emphasin exhausisse, nemo facile dixerit. Confer, quæ de voce משא ex Hellenistarum suorum mente commentatur, DAN. HEINSIVS *Aristarchi Sacri in Johann. cap. IX, 35. pag.* 930.

Ad §. VII. pag. 15.

(9) *Auditoria & Scholæ*] De scholis Prophetarum pariter diximus *Introd. c. l. §. VIII. p.* 20. ibique ad VITRINGAM *lib. I. de Synagoga Vet. P. II. cap. VI. & VII.* & ad IACOB. ALTINGIVM *Tom. V. Opp. Heptad. VIII. p.* 240. *sqq.* uberius de iis commentatos, provocavimus, quibus nunc addere licet WITSIVM *de Prophetis cap. X. Miscellan. Sacr. Tom. I. p.* 75. BVDDEVM *Histor. Vet. Testam. Tom. II. p.* 276. *sqq.* BASNAGIVM *Hist. Jud. lib. IV. cap. XVIII. §.* 15. & *lib. V. cap. V. §.* 2. & FRANCISC. FABRICIVM, peculiari oratione *de scholis Prophetarum,* subjuncta ejusdem *fidei Christianæ Patriarchar. ac Prophetar. pag.* 603. Horum ultimus haud dubie extra oleas vagatur, quando in primam scholarum Propheticarum originem inquirens, ante diluvium ab Adamo, per Abelem, Sethum, Enoschum, post diluvium a Noacho eam arcessit, hinc ad Semum, Heberum, Abrahamum, scholarum istarum moderatores progressus, demum ad Mosen devolvitur & Levitas, qui jura supremi Numinis populum docuerunt. Verum hoc pacto communem religionis institutionem, omnibus fidelibus necessariam, & nullo non tempore in vera Ecclesia obtinentem, cum officinis literariis Prophetarum perperam confundit, in quibus Prophetarum filii formabantur, iisque cumprimis imbuebantur scientiis ac artibus, quæ ad munus Doctoris publici, ac Prophetæ rite obeundum faciebant, quo non modo omnes Theologiæ partes, verum etiam precum, hymnorumque pangendorum artificium, fidium concentus & Musica, ceteræque præparationes Propheticæ spectabant. Hæ demum a Samuelis ætate, & amplius in Scriptura celebrantur, adeo florentes, ut tota Prophetarum agmina inde prodirent 1 Sam. X, XIX. quod & Eliæ ac Elisæ temporibus usu venisse, ex 1 Reg. XVIII. 2 Reg. II. & IV. intelligitur. Vtut enim, ante istam ætatem, Prophetas in populo Dei versatos, & publico functos fuisse munere, non negemus, Jud. II, 1. coll. Hagg. I, 3. rarus tamen erat sermo Jehovæ, nec aperta visio frequens 1 Sam. III, 1. ad quæ verba haud inscite IVNIVS & TREMELLIVS commentantur: *Fuerunt quidem singulares & privatæ visiones cum piis communicatæ, ut cum Manoacho Jud. XIII. sed publice Prophetarum omne officium jacebat.* Majus operæ pretium facit FABRICIVS, quando inter capita doctrinæ, quæ in scholis istis tradebantur, principatum tenuisse contendit articulum de Christo, *ita ut Propheticæ scholæ Professores hanc sibi legem ad unum omnes fixisse videantur, ut sermonum suorum initium & finis unus esset Christus:* Quod ex 1 Petr. I, 10, 11. haud inscite *p.* 618. *sq.* demonstrat, citra rationem autem repudiat BASNAGIVS *lib. V. cap. V. §.* 3. infirma perquam nixus ratione, *nimis hoc esse Christianum,* si statuatur, quasi Judæi Messiam nescivissent, aut non anxie expectassent. Ceterum Prophetas Hierosolymitanos scholas suas habuisse in illa valle, quæ proxime subjecta fuit templo, unde *vallis visionum* dicatur Jes. XXII, 1. scholæque istæ fontibus comparentur, qui in vallibus exoriuntur, erudita CAMPEGII VITRINGAE est conjectura *Comment. in cit. loc. Jes. p.* 636. quem pluribus ibidem legas. Tanta porro scholarum apud Hebræos dignitas erat, ut, licet quis literis probe esset imbutus, Doctoribus tamen Scholasticis & Acade-

Academicis si operam non dedisset, haberetur plebejus. Ita diserte pronunciant in Gemara, ad Tract. *Sota, Cap. III.* § 8. ubi, qui pro plebejis habeantur, ex instituto exponitur, & inter alia ita: אפילו קורא ושונה ולא שמש תלמידי חכמים זהו עם הארץ *utut quis maxime Scripturam & Mischnam addidicerit, si tamen Sapientibus operam non dedit, nihilominus pro plebejo habendus.* Immo inter apophthegmata HILLELIS senioris, hoc quoque relatum legimus: ודלא משתמש חכימיא קטלא חייב *qui non operam dat Sapientibus, occisionis reus est*, in *Abboth* R. NATHANIS *fol.* 5. *col.* 1. Conferri huc meretur, qui de industria hoc argumentum discussit, GEORG. VRSINVS *Antiqu. Acad. Hebr. cap. IV, V, VI.* Duram porro ac inopem in his scholis, Prophetarum filios vitam egisse, Coenobitarum ad instar, docti credunt, & facile persuadet locus 2 Reg. IV, 1. Hinc cum Monachis sui aevi eos contendit HIERONYMVS in *Epist. ad Ruffin.* ex edit. Erasmi *p.* 16. & CLAVDIVS DELLE in *Historia* aut *Antiquitatibus status monastici*, Parisiis A. 1699. Gallice excus. originem Monachorum in Prophetarum scholis invenisse, sibi videtur.

Denique referre huc liceat, cum aptior iis alius non suppetat locus, Academias gentis, post feralem ejus cladem ac dissipationem, cumprimis celebres. In quibus recensendis insignem posuerunt operam laudatus ALTINGIVS *in Hist. Academiar. Hebraear. Tom. V. Opp. Heptad. VIII. pag.* 243. *sqq.* IVL. BARTOLOCCIVS *Biblioth. magnae Rabbin. P. III. p.* 663. *sqq.* BASNAGIVS *Hist. Jud. lib. V. cap. V.* §. 7. *sqq.* SGAMBATVS *Archivor. Vet. Test. Lib. III. Tit.* 2. *p.* 421. & strictim Vener. WOLFIVS *Biblioth. Hebr. P. II. lib. IV. de Talmude cap. IV.* §. 8. *p.* 920. *sqq.* Distinguuntur in Babylonicas seu Orientales, & terrae Israelis, seu Occidentales. Babylonicae erant 1) Nahardeensis, in נהרדעא *Nahardea*, ad ripam fluminis Euphratis, quae postquam aliquot floruisset seculis, & celeberrimis gavisa fuisset Rectoribus, Raf שילא *Schila*, Samuele, aliisque, deleta tandem una cum urbe fertur a PAPOS BEN POLMOS A. M. 4038. Chr. 278. in *Schalscheleth hakkabala p.* 34. 2) Sorana, quae in סורא, seu סוריא *Soria*, h. e. Syria, & quidem in urbe מתא מחסיא *Matta Mechasia*, quae κατ' ἐξοχὴν Sora fuit dicta, pariter ad Euphratem, sed infra Nahardeam sita, floruit, & circa A. M. 3955. Chr. 195. a Raf fundata & 48. circiter annis recta, ad seculum quartum a C. N. fere perennavit. 3) Pumbeditana, quae in פומבדיתא *Pumbeditha*, urbe Mesopotamiae, inter duo flumina Euphratem & Tigrim sita, & tam populi frequentia, quam aedificiorum amplitudine celebri, sed ob incolarum furta, latrocinia & scelera fere infami, post fundatam Soranam anno 76. a Raf Chasda, vel juxta alios anno 50. a Rabba bar Nachmani fundata, multis seculis perduravit, donec utraque sub imperio Ismaelitarum ad A. M. 4797. Chr. 1037. funditus deleretur. 4) Nareschana, in urbe נרש, prope Soram, a Raf Papa excitata circa A. M. 4113. Chr. 353. Quibus sequiores adhuc addunt, 5) Machusensem, in מחוזא urbe Machusa; & 6) Perutzensem, in פרוץ שבור *Peruz Schabbur*, Nahardeensis territorii urbe circa A. C. 967. celebrem. De quibus singulis, R. DAVID GANZ in צמח דוד suis locis disserit; e Christianis vero recentissime IOH. SIMONIVS ASSEMANVS in *Prologo* de Scriptoribus Syris, *Tomo I. Bibliothecae Orientalis* praemisso §. 2. Harum omnium doctores אמוראים Amorraei, seu Amorraitae, item גאונים *excellentes*, illustres, nec non סבוראי Seburaei, salutabantur; quos titulos cum cura exponit celeberr. WOLFIVS *loc. cit. p.* 914. *sqq.* Terrae Israelis, seu Occidentales Academiae Judaicae memorantur 1) Hierosolymitana, quae inde ab Esdrae aetate arcessitur, & Simeonem Justum, Antigonum Sochaeum, aliosque celeberrimos jactat Doctores, donec caput in ea efferret Hillel magnus & Schammaeus, qui uterque de principatu contendens, diversas, sibique tantum non oppositas, instituerunt scholas, בית הלל *domum Hillelis*, & בית שמאי *domum Schammaj* dictas, inter quas XVIII controversiae intercessisse feruntur a Judaeis, tanti momenti, ut

nec Elias quidem expediendis iis ac decidendis par sit futurus, apud CVNAEVM *de Republ. Jud. lib. II. cap. XVII.* Has vero ordine recenset SVRENHVSIVS *Præfat. ad P. IV. Mischnæ*, in recensione Tractat. de testificationibus. Hinc acerrima inter utramque scholam odia, dissidia & persecutiones intercesserunt, donec per בת קול seu *Filiam vocis* ediceretur, sententia scholæ Hillelis esse standum. Vide LIGHTFOOT. *Opp. Tom. II. p.* 317. ALTING. *in Schilo lib. IV. cap. VII. Tom. V. Opp. p.* 78. & HACKSPAN. *ad Nizzachon Lipmanni p.* 288. *sq.* De utriusque vero doctoris persona, scholæque ortu confer ALTINGIVM *c. l. Heptad. VIII. p.* 244. *b.* SERARIVM *in Minerval. lib. IV. cap.* 7. *Opusculor. P. I. p.* 143. & *Rabbin. II. Scrup.* 6. *c. l. p.* 207. & RHENFERD. *Dissertatt. p.* 86. *sqq.* 2) Jafnensis, in oppido Jafne, tertio a Joppe lapide distante, inter ipsas Hierosolymorum ruinas excitata. Durante enim obsidione, & imminente muris exercitu Romano, R. Johannes Zacchæides in castra hostilia egressus, ac benigne ab utroque Vespasiano exceptus, tantum effecit, ut post occupatam urbem, non solum Gamalieli, Senioris ex filio Simeone nepoti, vitæ gratia fieret, sed etiam in oppido Jafne novam condendi scholam, facultas daretur. Hanc memoratus Johannes Zacchæides, hinc dictus modo Gamaliel, inde Jafnensis dictus, post hunc R. Akiba, cui viginti quatuor discipulorum millia tribuuntur, post eum Simeon filius Gamalielis, hujusque demum filius, R. Jehuda Sanctus rexit, qui opus Mischnicum compilavit. 3) Zipporiensis, vel Sephoriensis, in urbe Galilææ צפורי a R. Jehuda Sancto condita, qui XVII annis ibidem peractis, vitam cum morte commutavit: unde frequentissime de seipso dicere est solitus: *vixit Jacobus in Aegypto annis XVII, vixitque Jehuda in Zippore annis XVII*, Talm. Hierosol. in Kelaim *fol.* 32. *col.* 2. Plura vide apud LIGHTFOOT. in *Centuria Chronogr. cap.* 82. *Tom. II. Opp. f.* 229. *sq.* 4) Cæsariensis, in πύργῳ Στράτωνος, seu Cæsarea, diu post gentis excidium florens, unde רבנין דקיסרין *Rabbini Cæsarienses* toties in Talmude memorati. 5) Lyddensis, quæ in Lydda, Judææ urbe, quæ a R. Akiba, prius quam Synedrio Jasneensi præsedit, recta fuit. HIERONYMVS *Prologo in Jobum*, Lyddæum quendam præceptorem laudat, qui primus sit habitus, & quem non parvis numis redemerit. 6) Magdalensis, in urbe Magdala, prope a Tiberiade & Chammatha, unde Rabbinorum Magdalensium crebra fit in Talmude mentio. 7) Nisibensis, in Syria sita. 8) Tiberiensis, quam diligenter descripsit BVXTORF. *in Comment. Masorethico p.* 20. 9) Alexandrina, quæ suppeditasse creditur Interpretes Græcos, qui τῶν LXX nomine veniunt. 10) Bitterensis, in urbe Bitter ביתר (quam tamen LIGHTFOOTVS *c. l. c. LII. p.* 209. Bethar legere mavult) quam Hadrianus, cum horribili Judæorum strage, delevit; cui quadringenta Collegia, quadringentos singula præceptores habentia, quorum unicuique quadringenti auditores fuerint, Talmudici adscribunt. Vid. BVXTORFIVS *Lex. Talm. in* בתר. Quæ hæc urbs fuerit, & num Bethchoron, dubie disputat RELANDVS *in Palæstina Lib. III. pag.* 639. tandemque in medio rem relinquit. Ista clade idem se passos tradunt Judæi, quod postmodum in Christianos statuit Julianus Apostata, ut scholæ omnes abolerentur, lege lata, qua omni ipsis χειροθεσίᾳ, seu Doctorum promotione deinceps interdicebatur, Ordinantibus & ordinatis, nec non urbe, ubi ista solennitas perageretur, internecioni addictis. Quod ne fieret, æterno gentis suæ damno & probro, cui carendum fuisset Doctoribus legitime ordinatis, R. Jehuda filius Babæ præstitit: quinque discipulis per manuum impositionem creatis Magistris, per quos ille ritus conservaretur: hac sua in tribules pietate, mortem sibi arcessens. Atque ista quidem de Academiis sufficiant Judæorum.

Ad

Ad §. VII. pag. 15.

(10) *Propheta fert interdum nomen Patris*] Rationem, propter quam discipuli *filii* sint dicti, Magister autem illorum *Pater*, 1 Sam. X, 12. ita reddit MAIMONIDES *in More Nevochim P. I. c. VII. Is, qui alium docet rem aliquam, vel qui sententiam quandam alicui communicat, habetur, ac si genuisset ipsum, quatenus nempe auctor est illius sententiæ & opinionis. Hinc dicti sunt discipuli Prophetarum* בני filii Prophetarum. Et in Tract. *Juchasin fol.* 31. *col.* 2. אבא הוא לשון כבוד כמו רבי *Abba*, seu pater, *nomen est honoris, sicut Rabbi.* Plura in hanc sententiam citat BVXTORF. *Lex. Talm. h. v. p.* 10. Quinimmo vilipendendum esse patrem præ Rabbino, discipulos legem docente, ex MAIMONIDE demonstrat LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. in Matth. XV*, 5. *Tom. II. Opp. p.* 332. *a.* KIMCHIO autem, asserenti לא נמצא *nullibi factum reperiri, ut discipuli appellentur Filii*, doctissimus POCOCKIVS *Notis miscell. ad portam Mos. c. VIII. p.* 334. loca ex MAIMONIDE opponit, quibus contrarium asseritur, e quibus eminet, quod legitur in *Talmud Torah cap. I.* §. 2. התלמידים קרויים בנים שנ׳ ויצאו בני הנביים: *discipuli vocantur Filii, sicut dictum est* (2 Reg. II, 3.) *& egressi sunt filii Prophetarum.* Hinc non modo in Proverbiis Salomonis sæpius leges, hac compellatione, *mi fili*, Doctorem illum divinum disciplinæ suæ alumnos alloqui, verum etiam in N. T. Apostoli, & Filiorum nomine suos compellant auditores & lectores, ut Gal. IV, 19. 1 Joh. II, 1, 12. &c. & Patris titulum sibi vendicant, ut 1 Cor. IV, 15. Inde porro in Ecclesiam id nominis manavit, ut Doctores ecclesiæ *Patres*, Patriarchæ autem *Papæ*, quod vocabulum Avum notat, vocarentur. EVTYCHIVS Patriarcha Alexandrin. *in Annalib.* edit Pocock. *p.* 333. *sq.* prolixe exponit, cur Alexandrinus Patriarcha præ ceteris *Papa*, i. e. Avus, vocetur? In quæ verba docte commentatus IOHANNES SELDENVS *Commentar. in Eutychii origines p.* 139. stomachum adeo movit viro ceterum erudito, sed tum temporis Pontificis mancipio, ABRAHAMO ECCHELLENSI, Maronitæ e Libano, ut peculiari opere, quod *Eutychius Patriarcha Alexandrinus vindicatus & suis restitutus Orientalibus*, Romæ A. 1661. inscribitur, furiis velut percitus SELDENVM adoriretur, congestisque calumniarum & criminationum cumulis ita eum oneret & tantum non obruat, ut vel imperitum in Arabicis tyronem, vel impostorem ac sycophantarum omnium nequissimum esse, lectori persuadeat. Parte operis II. tota, quæ princeps est, *de origine nominis Papæ, nec non de illius proprietate in Romano Pontifice, adeoque de ejusdem primatu*, prolixe commentari satagit, sed honestatis omnis ac modestiæ oblitus. Quæ, utut forte ab instituto nostro paulo alieniora, silentio tamen præterire nolui, maxime quod scripta illa ἀμοιβαῖα, Londini & Romæ edita, in paucorum, e nostris, manibus versantur.

Ad §. VIII. pag. 15.

(11) *Nomen Patris ejus*] Accipe verba KIMCHII, quæ ita habent *in præfat. ad Proph. Os.* אמרו רבותינו ז״ל כל ששמו ושם אביו בנבואות בידוע שהוא נביא בן נביא / שמו ולא שם אביו בידוע שהוא נביא לא בן נביא / שמו ושם עירו בידוע שהוא נביא מאותו העיר / שמו ולא שם עירו בידוע שהוא נביא מירושלם / אמרו מי שנזכר אביו ואבי אביו הוא לגדולת אבותיו שהיו גדולים ממי שנזכר אביהם לבד: *Magistri piæ memoriæ tradiderunt: cujuscunque Prophetæ nomen una cum nomine patris sui memoratur in vaticiniis, indicat, ipsum Prophetam esse filium Prophetæ: Cujus nomen, absque nomine patris ipsius, indicat, quod Propheta ipse quidem sit, sed non filius Prophetæ: Cujus nomen una cum nomine urbis suæ, notat, quod istius urbis Propheta fuerit: Sin nomini ejus non addatur nomen urbis suæ, notat, quod Propheta sit Hierosolymorum. Sed & porro dicunt: cujus pater & avus memorantur, id fit propter honorem majorum, qui honoratiores majoribus ejus, cujus pater tantum nominatur.* Iisdem vestigiis

NICOL. DE LYRA insistit, quando *ad Os. I, 1.* ita commentatur: *Fuit iste Beeri Propheta, sicut & filius, licet ejus prophetia non habeatur: sicut nec de multis aliis, qui tamen in Scriptura Prophetæ nominantur. Habent enim Hebræi pro regula: quod quando in principio alicujus prophetiæ patris nomen exprimitur, Prophetam fuisse intelligitur.* Verum Hebræos in traditione ista sibi non satis constare, ex iis apparet, quæ nos *in Introduct. in libr. Vet. Test. P. III. cap. II.* §. 2. *p.* 91. *sq.* ex eorum monimentis, de ortu Jesaiæ commentati sumus. In fronte enim libri Jesaiæ, vatis nomini additur pater Amoz, quem tamen Rabbini passim fratrem censent regis Amaziæ. Provocat quidem ABARBENEL ad 2 Chron. XXXII, 32. ubi diserte legitur: בחזון ישעיהו בן אמוץ הנביא *in visione Jesaiæ filii Amosi, Prophetæ:* sed refragante & invita accentuatione, quæ vocem הנביא ad remotius Jesaiæ nomen referendam esse, liquido evincit. Quanquam nec regio ipsum sanguine ortum, eapropter crediderim.

Ad §. IX. pag. 15.

(12) II. *Sapientes*] Antiquitatem huic titulo, adventu Servatoris longe anteriorem, recte assignat Auctor, quem jam Jeremiæ temporibus obtinuisse credit VITRINGA *Lib. II. de Synagoga Vet. cap. X. p.* 569. ad verba cap. XVIII, 18. provocans: *Dicunt autem, venite & cogitemus contra Jeremiam cogitationes. Nam non peribit lex a Sacerdote,* ועצה מחכם *& consilium a Sapiente, & verbum a Propheta.* Quemadmodum hic כהן & נביא ejusmodi sunt tituli honorum, qui integros & distinctos ordines designant, ita dubium non est, quin insertum his medium nomen חכם ejusdem ponderis sit & valoris, legis ac Scripturæ interpretes complexum, Doctoresque publicos, quorum auctoritate & sententia, in decisione dubiorum erat standum. Cumprimis autem, post excessum Prophetarum, Doctores communi חכמים *Sapientum* nomine veniebant. Quo refero, quod in *Seder Olam Rabba cap. XXX.* edit. Meyeri *p.* 92. legitur: *huc usque Prophetæ per Spiritum Sanctum vaticinati sunt.* מיכן ואילך הט אזנך ושמע דברי חכמים *hinc deinceps inclina aurem tuam, & verba Sapientum audi*, qui post Prophetas rerum potiti sunt in scholis & ecclesia. Primi quidem Doctores, qui excessum Prophetarum proxime secuti sunt, nullo peculiari elogio claruerunt, simplici nomine contenti, vel quod essent ea ætate hominum mores a fastu magis alieni, vel, ut Judæi in *Zemach David, millenar. IV. A.* 500. jactant, quia nullum suppetebat, nisi longe infra meritum subsidens, adeoque dehonestamento potius, quam honori futurum. Quoties tamen cunque de Doctoribus in communi sermo erat, חכמים *Sapientes* dicebantur. Quod nominis deinceps illis potissimum hæsit, qui legis non scriptæ studio addicti, hanc unam efferebant, & doctrinæ pariter ac vitæ instituto urgebant: in quibus eminere cupiebant Pharisæi. Vnde nil frequentius in scriptis Rabbinorum, ubi ad decisionem veterum Sententionariorum provocant, quam tritum illud ואמרו חז״ל *tradunt Magistri decisionum p. m.* ubi communi חכמים *Sapientum* titulo, auctores traditionum, & sententiarum Talmudicarum comprehenduntur.

Ad §. IX. pag. cit.

(13) *Quas supra Legem extollebant*] Primos traditionum oralium natales in schola Judaica, ab Hillele seniore, הנשיא dicto, prolixe & erudite arcessiit ALTINGIVS *in Schilo lib. IV. cap. VII. T. V. Opp. p.* 77. *sqq.* Hactenus enim in Palæstina sic satis inhæsisse Doctores Scripturæ Sacræ, cujus studium Esdras Nehem. VIII. & IX. ac Malachias cap. IV, 4. sqq. enixe commendaverant. Hic vero in Babylonia natus & educatus, cum quadragenarius Hierosolymam ascendisset, & filiis Bethiræ Academiam moderantibus, privatim solum nonnullorum vacaret institutioni, ut plures alliceret discipulos, sibique lautiorem pararet fortunam, novum illud doctrinæ genus Babylone allatum, in δευτερώσε-

σι

ει confiftens, prurientibus ad nova, minusque obvia juniorum ingeniis, inftillavit. Hac arte paulatim nomen fibi & æftimationem aliquam paravit inter fuos, per quos fummis Academiæ innotuit Doctoribus: ab his arceffitus, rogatusque de quodam ritu, prompte quidem & accurate refpondit, fed magna cum arrogantia, & Doctorum iftorum contemtu, atque hoc pacto obtinuit fummum in fchola Hierofolymitana locum, non tam a filiis Bethiræ, dignitate & munere motis, quam a difcipulis, aliisque, novitatis ftudio, aut opinione fapientiæ, ipfi conciliatis. Adeptus tantum faftigium, unice operam dedit, tum ut prædecefforibus, filiis Bethiræ, omnibusque Sapientibus Hierofolymitanis detraheret, & exprobrata ipfis pigritia, ignorantiæ matre, inftitutionem ipforum in odium, aut faltem faftidium adduceret; tum, ut in fuæ fapientiæ admirationem omnes raperet, ceu qui non fine Numine veniffet Babylone, ad folam Legis notitiam, proximorum Doctorum focordia obliteratam, poftliminio reftituendam; tum denique, ut Traditionum auctoritatem affereret, & in arce collocaret. Quo fine primum Scriptura non eft ufus ad confirmationem, nifi quatenus ratiunculis quibusdam a fe fuffulta effet; deinde fupra ceteros fe fapere jactavit, quod acceffiffet Babylone, ut traditionum Schemajæ & Abtaljonis Hierofolymæ admirator & hæres quafi extitiffet. Adeo fublefta & ignobilis eft traditionum *πατϱοπαϱαδότων* origo. Pofthæc vero tantam nactæ funt auctoritatem, ut verbo Dei fcripto non ad latus modo ponerentur, fed omnino etiam anteferrentur. Vnde Mifchna Tract. *Sanhedrin*, *cap. X.* §. 3. חומר בדברי סופרים מדברי תורה: *gravius peccatur circa verba Scribarum, quam verba Legis.* In Talmude Hierofolym. Tr. *Berachoth fol.* 3. *col.* 2. חביבים דברי סופרים מדברי תורה: *amabiliora funt verba Scribarum* feu Doctorum *verbis Scripturæ*, five ut R. IACOB in libro כפתור *fol.* 121. hanc fententiam repetit: *funt amabiliora* מדברי נביאים *verbis Prophetarum:* ubi porro vulgatum illud additur: חכמים עריפי מנביאים *Sapientes præftantiores funt Prophetis*, idque ex ea ratione; quia Prophetæ tenebantur fuam doctrinam miraculis confirmare, & fignis extraordinariis aliis, de Sapientibus autem abfolute & fimpliciter dictum: *& obfervabis, ut facias juxta omnia, quæ docebunt te*, Deut. XVII, 10. R. BECHAI in כד הקמח *fol.* 77. *col.* 3. עיקר התורה היא תורה שבעל פה שאין תורה שבכתב יכולה להתבאר כי אם ע"י תורה שבע"פ: *Fundamentum legis fcriptæ eft lex oralis. Etenim lex fcripta non poteft explicari, nifi per legem oralem.* Ita in Cod. חגיגה *fol.* 10. *col.* 1. enormi abufu & detorfione verborum Zach. VIII, 10. *egredienti aut venienti non erit pax*, docetur, non habere pacatam confcientiam illum, qui de ftudio Talmudico regreditur ad ftudium Biblicum. Quæ, & alia in hanc fententiam collecta, lege apud BUXTORF. *in recenfione operis Talmudici p.* 222. *fqq.* Sed & decreverunt Rabbini in Cod. *Kiddufchin cap. I. fol.* 30. *col.* 1. hominem debere vitæ fuæ tempus in tres partes dividere, & tertiam infumere in lectionem Scripturæ, tertiam in Mifchnam, tertiam denique in Gemaram: attamen R. IACOB fuper Cod. *Sanhedrin fol.* 24. *col.* 1. declarat, quod Talmud Babylonicum fit inftar omnium, folaque ejus lectio fufficiat. Porro in Cod. *Sopherim cap. XV. conftit.* 5. perhibent: *Qui occupatur in lectione Scripturæ, præftat quidem bonum opus, fed tale, quod vix meretur bonum opus vocari; qui autem occupatur in lectione Mifchnæ, is præftat bonum opus, quod meretur mercedem; at qui in lectione fex partium Gemaræ ftudium locat, is tale bonum opus præftat, quo nullum poteft effe majus:* Et ibid. *conftit.* 7. *Scriptura fimilis eft aquæ, Mifchna vino, & fex partes Gemaræ condito.* Hebraica, & his fimilia plura, vide apud GEORG. ELIEZ. EDZARDUM *Annot.* 192. *in Tr. Avoda Sara c. I. p.* 331. *fqq.* qui pariter *Annot.* 74. *ad Cap. II.* ejusdem Tr. *p.* 359. *fqq.* exfertis Rabbinorum verbis docet, capitale effe, ex Scripturis argumentum petere contra placita Magiftrorum: Scripturam non minus fugiendam effe, quam hærefin: quamvis Sapientum alii rem aliquam pronuncient mundam, alii vero eandem immun-

immundam dicant, amborum tamen verba esse verba Dei viventis: & quæ ejusdem furfuris sunt alia *φορτικὰ ἀκέσματα.* Hinc tantam tribuerunt Doctoribus suis auctoritatem, ac Deo ipsi: unde in lib. חזקוני *fol.* 94. *p.* 2. in Notis ex *Baal Hatturim* collectis definiunt: החולק על רבו כחולק על השכינה והמאמין בדברי חכמים כמאמין בשכינה: *qui dissentit a Doctore suo, perinde est, ac si dissentiret a divina Majestate, qui autem credit verbis Sapientum, est, ac si crederet ipsi Deo.* Adeo abjecte de Scriptura Sacra, contra vero tam splendide sentiunt & loquuntur de Doctoribus suis, eorumque placitis, majus modo & immensum ut pretium concilient traditionibus suis.

Ad §. IX. pag. 15.

(14) *Magistros Traditionum*] בעלי המשנה nec non תנאים *Deuterotas,* seu *Magistros Traditionum* appellari Judæis, & tritum ipsis verbum esse תנו חכמים או רבנן *ἐδευτέρωσαν οἱ σοφοὶ, ἤτοι οἱ διδάσκαλοι ἡμῶν,* observat DRUSIUS *lib. II. de tribus Judæor. sectis cap. XV. p.* 74. *sqq.* & multa ibi affert effata HIERONYMI de *δευτερώσεσι,* ab ipso repudiatis.

Ad §. IX. pag. 16.

(15) *Ad genua Sapientum*] Leguntur ista in Tract. *Berachoth fol.* 28. *col.* 2. *med.* Cum R. ELIESAREM ægrotantem visitarent aliquando officii causa discipuli ejus, rogarentque eum, למדנו ארחות חיים ונזכה בהן לחיי העולם הבא: *doce nos vias vitæ, ut mereamur vitam futuri seculi:* respondit ipsis, *cavete vobis, ne quid per vos decedat honori sociorum vestrorum,* ומנעו בניכם מן ההיגון והושיבום בין ברכי תלמידי חכמים: *& arcete filios vestros a lectione Scripturæ, collocate autem illos inter genua discipulorum Sapientum,* ut ex illis nimirum credenda audiant & facienda.

Ad §. IX. pag. 16.

(16) *Sapientes nostri traditiones docent*] Integra HIERONYMI verba, quæ DRUSIUS quoque *cit. loc.* allegavit, ita habent: *Videntur igitur observationes Judaicæ apud imperitos & vilem plebeculam imaginem habere rationis, humanæque sapientiæ: unde & Doctores eorum σοφοὶ, hoc est, Sapientes vocantur. Et si quando certis diebus traditiones suas exponunt discipulis suis, solent dicere, οἱ σοφοὶ δευτερῶσιν, id est, Sapientes docent traditiones.*

Ad §. X. pag. cit.

(17) *Pythagoras se mallet appellare φιλόσοφον*] Prolixe ortum nominis exponit CICERO *Tusculan. quæst. Lib. V. cap.* 3. ubi postquam de veteribus Græcorum *σοφοῖς* dixisset, ita pergit: *A quibus ducti deinceps omnes, qui in rerum contemplatione studia ponebant, Sapientes & habebantur, & nominabantur: idque eorum nomen usque ad Pythagoræ manavit ætatem: quem, ut scribit auditor Platonis,* PONTICUS HERACLIDES, *vir doctus inprimis, Phliuntem ferunt venisse, eumque cum Leonte, principe Phliasiorum, docte & copiose disseruisse quædam. Cujus ingenium & eloquentiam cum admiratus esset Leon, quæsivisse ex eo, qua maxime arte confideret? at illum, artem quidem se scire nullam, sed esse Philosophum. Admiratum Leontem novitatem nominis, quæsisse, quinam essent Philosophi, & quid inter eos, & reliquos interesset? Pythagoram autem respondisse, similem sibi videri vitam hominum, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam ut illic alii corporibus exercitatis gloriam, & nobilitatem coronæ peterent: alii emendi, aut vendendi quæstu & lucro ducerentur: esset autem quoddam genus eorum, idque vel maxime ingenuum, qui nec plausum, nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studioseque perspicerent, quid ageretur, & quo modo: ita nos quasi in mercatus quandam celebritatem ex urbe aliqua, sic in hanc vitam ex alia*

vita

vita & natura profectos: alios gloriæ servire, alios pecuniæ: raros esse quosdam, qui ceteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur: hos se appellare sapientiæ studiosos, id est enim Philosophos: & ut illic liberalissimum esset, spectare, nihil sibi acquirentem, sic in vita longe omnibus studiis contemplationem rerum, cognitionemque præstare. Eadem, sed multo concisius, tradit DIOG. LAERTIUS *de vit. Philos. prooem. segm.* 12. cujus verba, quia rationem repudiati tituli *Sapientis* edisserunt, huc transferre non erit grave: φιλοσοφίαν δὲ πρῶτος ὠνόμασε Πυθαγόρας, καὶ ἑαυτὸν φιλόσοφον, ἐν Σικυῶνι διαλεγόμενος Λέοντι τῷ Σικυωνίων τυράννῳ, ἢ Φλιασίων, καθά φησιν Ἡρακλείδης ὁ Ποντικὸς ἐν τῇ περὶ τῆς ἄπνου· μηδένα γὰρ εἶναι σοφὸν ἄνθρωπον, ἀλλ' ἢ θεόν. Θᾶττον δὲ ἐκαλεῖτο σοφία, καὶ σοφὸς ὁ ταύτην ἐπαγγελλόμενος, ὃς εἴη ἂν κατὰ ἀκρότητα ψυχῆς ἀπηκριβωμένος· φιλόσοφος δὲ, ὁ σοφίαν ἀσπαζόμενος. *Philosophiam autem primus Pythagoras appellavit, seque Philosophum, cum Sicyone sermonem haberet cum Leonte Sicyoniorum tyranno, sive Phliasiorum, ut ait Heraclides Ponticus, in libro, quem inscripsit de femina septem diebus exanimi. Nullum enim hominem, sed solum Deum, esse sapientem. Antea enim Sapientia dicta, quæ nunc Philosophia, & qui hanc profitebatur, Sapiens, quicunque ad summam animi perspicacitatem pervenisset: Philosophus autem, qui sapientiam amplecteretur.* Fastuosum illum ac turgidum Sapientum titulum, merito ridet LACTANTIUS *lib. IV. Divin. Institut. cap. I. Priusquam hæc Philosophia, quæ dicitur esse, inveniretur, septem fuisse traduntur primi omnium, qui, quia de rebus naturalibus quærere ac disputare sunt ausi, Sapientes haberi appellarique meruerunt. O miserum, calamitosumque seculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur, nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si ceteri omnes, præter ipsos, stulti fuerunt, ne illi quidem sapientes: quia nemo sapiens esse vere judicio stultorum potest. Adeo ab his abfuit sapientia, ut ne postea quidem, increscente doctrina, & multis magnisque ingeniis in id ipsum semper intentis, potuerit perspici veritas, & comprehendi. Nam post illorum septem Sapientum gloriam, incredibile est, quanto studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit. Ac primum, nomen ipsum sapientiæ arrogans putaverunt, seque non sapientes, sed studiosos sapientiæ vocaverunt. Quo facto & illos, qui temere sapientum sibi nomen asciverant, erroris stultitiæque damnaverunt, & se quoque ipsos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur.* Stylo Ecclesiastico autem Patrum, qui Philosophi dicantur, homines nempe pii & fideles, tum qui vitam vivunt austeram, quin & orthodoxi Ecclesiæ doctores, porro modesti, de seipsis humiliter sentientes, ac patientes denique, qui placide & moderate ferunt incommoda, exemplis docuit SUICERUS *Thesaur. Eccles. hac voce, pag.* 1442. *sqq.*

Ad §. X. pag. 16.

(18) *Discipulos sapientum*] תלמידי חכמים modestiæ causa se dixerunt subsequentium temporum Magistri, eo quod ipsi non auderent decidere quicquam, sed placitis majorum unice inhærerent, & ab eorum velut ore tantum penderent. Hinc prisci illi Traditionum auctores proprie חכמים, subsequentes, qui illorum stabant auctoritate, תלמידי חכמים *discipuli Sapientum* dicti. Sed etiam in genere hoc nomen, literatum quemvis designat, illiterato & plebejo oppositum. Totam quippe nationem Judaicam in duas velut familias dispesci, תלמידי חכמים & עם הארץ, in scholasticos & plebem, in doctos, inque indoctos, in bene educatos, minusque bene educatos, LIGHTFOOT. *in Harm. IV. Evang. P. III. ad Luc. V,* 17. *Tom. I. Opp. p.* 517. *a.* docuit, exemplisque comprobavit. DAVID DE POMIS in צמח דוד *fol.* 233. *col.* 4. universam hanc nomenclaturam ad modestiam refert & humilitatem Magistrorum subsequentium temporum, idemque illis accidisse tradit, quod Sapientibus Græcorum, quorum successores modestiæ causa Philosophi maluerint dici, quam Sophi: quæ

ex ELIA in תשבי hausit. Potiorem præstat usum, quod BUXTORFIUS *h. v. in Lex. Talmud. p.* 1146. ex Cod. *Berachoth fol.* 43. *col.* 2. observavit: ששה דברים גנאי לו לתלמיד חכמים Sex res sunt turpes in discipulo Sapientis: 1) si egrediatur, quando unxit se, in plateam, 2) si egrediatur solus noctu, 3) si egrediatur cum calceis resartis, 4) si confabuletur publice cum muliere, (hac de causa mirati sunt discipuli Christi, cum viderent eum cum muliere Samaritana loquentem Joh. IV, 27.) 5) si accumbat ad comedendum cum hominibus plebejis, (unde Christum reprehenderunt Pharisæi, cum publicani & peccatores cum ipso accumberent, & quod cum illis comederet Matth. IX, 11. Luc. XV, 2.) 6) si veniat ultimus in Synagogam. In strictissima significatione sumitur תלמיד *discipulus*, quando eum notat, qui discit ex ore docentis, quod dicunt Hebræi הלומד מזולתו *discens ab alio*, לא מעצמו *non a seipso*, & opponitur *αὐτοδιδάκτῳ*, qui dicitur שונה, qui sæpe errat, & cogitur iterare vel mutare.

Ceterum transferre huc liceat titulos honorum, ad excessum usque ultimorum Prophetarum, Sapientibus varii generis tribui solitos, quos uberius recenset ALTINGIUS *in Historia promotion. Academ. T. V. Opp. p.* 252. Titulus in his primarius fuit נביאים *Prophetarum*. 2) זקנים *Seniorum*; quo titulo veniebant omnes, qui senili prudentia præditi, rebus gerendis, regendisque adhibebantur, quique hujuscemodi Facultatis testimonium reportaverant, sive Magistri essent, sive Magistratus, etiamsi annis graves non forent. 3) quæ rarior est denominatio, אצילי העם *Segregatorum a promiscua plebe*, ita dictorum, vel quia נאצל *sepositum* apud eos, & fidei ipsorum concreditum erat eruditionis atque excellentiæ depositum, vel quia per extensionem האצילים *axillarum*, seu brachiorum, docendi jus fuerant consecuti. 4) חכמים *Sapientum*. 5) בעלי אסופות *Dominorum congregationum*, quia collecti erant in Synedrium Judicum seu Professorum Collegium, vel quoniam colligendis in Systemata sapientiæ præceptis vacabant. 6) אב *Patris*. 7) סופר *Scribæ*, quem *κατ' ἐξοχὴν* gessit Esdras cap. VII, 6. de quo nunc ex instituto dicemus.

Ad §. XI. pag. 16.

(19) *Duobus hominum generibus*] Generalissima omnium vocis סופר *Scriba*, notio est, qua virum quemvis literatum, & insigni eruditione pollentem designat, ut 1 Chron. XXVII, 32. Jonathan איש מבין וספר *ἄνθρωπος συνετὸς καὶ γραμματεὺς* appellatur. Ita opponitur iis, qui *ἄνθρωποι ἀγράμματοι καὶ ἰδιῶται* audiebant, quales censebantur Apostoli Act. IV, 13. Talis Judæis בור dicebatur, *homo rudis*, vel incultus, stupidus, quod in Targum legitur Prov. XII, 1. XXX, 2. שאין לו לא חכמה ולא מדות *qui nec sapientia præditus est, nec moribus*, juxta MAIMONIDIS descriptionem. Strictiori autem sensu, nomen officii est סופר, quando & in Vet. Instrumento inter dignitates aulæ & officia regni numeratur, & in Novo non uni semper vel jungitur, vel opponitur hominum generi v. g. Matth. XXIII, 2. in Mosis cathedra sedere dicuntur *οἱ γραμματεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι*· cap. XXVI, 3. congregati leguntur *οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ*. Porro, qui Marci II, 6. *γραμματεῖς* dicuntur, iidem a Luca c. V, 17. *νομοδιδάσκαλοι* salutantur, & cum legis peritis ac Doctoribus paria faciunt: atque hac speciali notione, ab Auctore nostro commode in duas dispescuntur classes, Scribæ ut alii sint *Politici*, alii *Ecclesiastici*.

Ad §. XII. pag. cit.

(20) *Laici γραμματεῖς erant*] Hos duplicis facit generis Auctor, ita ut 1) alii Ludimoderatores essent, & prima literarum elementa pueros docerent. Huc referunt utplurimum Simeonitas. Jacobus enim, morti vicinus, ad has operas eos damnasse creditur, quando ex indignatione cædis Sichemiticæ, utramque & Levi, & Simeonis, tribum dispergendam prænunciaret:

ret: אחלקם ביעקב ואפיצם בישראל *dividam eos in Jacob, & dispergam eos in Israel*, Gen. XLIX, 7. Quæ verba quoniam Targum Hierosolymitanum ita παραφράζει, אפליג ית שבטא דשמעון סברין מלפי אוריתא בכנישתא דיעקוב ואבדר ית שבטא דלוי בבתי מדרשיא דבני ישראל h. e. ut in Polyglottis Anglicanis vertuntur: *dividam ego tribum Simeonis, ut sint Scribæ & Doctores legis in Synagoga Jacob, tribum vero Levi distribuam, ut præsint concionibus inter filios Israel;* inde Simeonitas tradunt, victum sibi ut plurimum puerorum institutione quæsivisse. *Tradunt Hebræi, Scribas, Pædotribas, Pædagogos, & Doctores puerorum, fere omnes ex tribu Schimeon fuisse, qui ut haberent, unde viverent, sparsim & oppidatim pueros informare cogebantur*, ut ad Targum ONKELOSI *h. l.* commentatur PAVL. FAGIVS, Hierosolymitanam paraphrasin in hanc sententiam excitans. Ne quid enim gloriæ vel dignitati Levitarum decederet, pari cum eis passu si ambularent Simeonitæ, neve illis Gymnasiorum & Academiarum præsidium, continua successione a parente eorum Levi usque ad sera tempora concreditum, eriperetur, nil aliud in institutione juventutis largiuntur Simeonitis, quam prima literarum elementa. Ita diserte RASCHI *ad h. l.* אין לך עניים סופרים ומלמדי תינוקות אלא משמעון כדי יהיו נפוצים: *non erant tibi pauperes Scribæ & Pædagogi, nisi ex Simeone, ut dispersi agerent. Tribum vero Levi*, pergit, *fecit circumeuntem areas, propter oblationes spontaneas & decimas, & dedit ei dispersionem suam* דרך כבוד *honoris gratia.* Vt adeo elementaris saltem institutio Scribis ex tribu Simeon competeret, omnis autem reliqua, in capitibus religionis, & partibus doctrinæ sublimioribus informatio, cederet Levitis. Novi, quod circa vocem Hierosolymitani סברין alia mens sit VITRINGAE *lib. I. de Synag. Vet. P. II. cap. VIII. pag.* 364. quam cum IAC. ALTINGIO, *peritos sive acutos legis Doctores* notare mavult: certi tamen, quod definiat, nihil habet. Ceterum probe notandum, quod Auctor observat, tribui Simeon suam constitisse portionem & hæreditatem in terra Canaan, quanquam non suis sibi finibus circumscriptam, sed in tribus Judæ portione velut insertam, unde plurimos ipsorum ex agris vixisse, terræque suæ proventu constat, & pari cum ceteris tribulibus jure.

Ad §. XII. pag. 16.

(21) *Hi publici Notarii*] Est hæc 2) classis Scribarum civilium, cum auctoritate quadam publica in populo versantes: *Notarii*, privatorum contractuum & instrumentorum scriptores; cui rei operam inprimis navasse dicuntur משפחות סופרים *familiæ Scribarum habitantium in Jabes*, Cinæi puta, Jethronis posteri, qui cum hæreditatem propriam nullam adivissent, ex hoc labore vitam tolerasse videntur 1 Chron. II, 55. Quamquam סופרים istos, R. DAV. KIMCHI per מלמדים *Doctores*, legisque interpretes exponat, quo sensu ad γραμματεῖς Ecclesiasticos forent referendi. Addit, civilibus Judæorum Scribis, HEIDEGGERVS *Exercitation. Biblicar. VIII. §.* 10. *p.* 220. *sq.* 3) militiæ adscriptos, qualis ille fuit הספר שר הצבא *Scriba princeps militiæ*, qui *colligebat populum terræ*, 2 Reg. XXV, 19. 2 Chron. XXVI, 11. Jerem. LII, 52. 4) Præfectos civitatum, qualis erat ille regis Babyloniæ in Samaria ספרא *Scriba*, Esdr. IV, 8. & fuisse videtur γραμματεὺς, sive ut Syrus reddit ܪܒ ܡܕܝܢܬܐ *princeps civitatis* Ephesiorum Act. XIX, 35. Attamen gentiles hos civitatum Scribas, in Græcia cumprimis magna pollentes auctoritate, & proximo fere loco post ἄρχοντας & στρατηγοὺς constitutos, temere ad rempublicam referemus Hebræorum: de quibus erudite & cum cura egit ANTON. VAN DALE *Dissert. V. ad antiquitates & marmora, parte post. p.* 423. *sqq.* 5) Mercatores quoque, quo Zabulonitas refert, qui Jud. V, 14. משכים בשבט סופר *protrahentes stylo Scribæ* dicuntur, quia familiari rei per negotia augendæ, adeoque mercaturæ operam navantes, longis rationibus conscribendis & componendis insudarunt.

Ad §. XIII. pag. 16.

(22) *A manu consiliisque Regis erant*] Sequuntur nunc amplioris dignitatis ac fastigii Scribæ, nimirum 6) Cancellarii regii, *ἀρχιγραμματεῖς*, Scribarum magistri ac principes, seu *λογοθέται*, qui a Rege in rebus civilibus secundas tenebant, custodes sigilli vel annuli, quo Regis literæ obsignari solent: in quibus Scriba regis Joas 2 Reg. XII, 10. Seja 2 Sam. XX, 25. & Saphan 2 Reg. XXII, 3. ab Auctore censentur; quibus Elisamam junge, Scribam regis Jehojakim Jer. XXXVI, 12, 20, 21.

Ad §. XIII. pag. cit.

(23) *Nostris Secretariis Grammatophylacii*] Hi paulo inferioris gradus סופרים 7) Secretarii erant, summo Cancellario subjecti, qui præcepta & judicia regia consignarunt, & secretiora quævis custodiverunt: cujusmodi erant Seraja, Regis Davidis 2 Sam. VIII, 17. XX, 25. Elichoreth & Achija, regis Salomonis, 1 Reg. IV, 3. Sobna, Ezechiæ 2 Reg. XVIII, 18. XIX, 2.

Ad §. XIV. pag. cit.

(24) *Ad personas Clericas*] Pergit nunc Auctor ad *Scribas Ecclesiasticos*, quos LIGHTFOOTUS *in Harmon. IV. Evangelist. ad Matth. II, 4. Tom. I. Opp. p.* 302. in duos rursus ordines dispescit: *Alios* sacrorum Bibliorum exscriptores, ad quos pertinebat, sacra volumina exscribere, seduloque curare, ne ulla ex apographis menda vel corruptela sacro originali Textui irreperet: unde תקון סופרים *correctiones* vel *directiones Scribarum* manasse creduntur: *Alios* assiduos verbi divini interpretes, quibus maxime fervebant rostra, atque instituebatur populus, unde de iis præ ceteris quæstionem instituit Salvator: *quomodo dicunt Scribæ, Christum esse filium Davidis?* Marc. XII, 35. quia nimirum Scribæ sæpissime ex ambone perorantes, istam doctrinam tradiderunt. De his autem probe observavit laudatus ante HEIDEGGERUS *c. l.* §. *XIII. sq. p.* 223. *sq.* disertam eorum in lege Mosis mentionem fieri nullam, utut res ipsa, & officium Scribarum Ecclesiasticorum, Mosaicæ sit institutionis. Ipsum quidem titulum, quanquam in notione potius politica, Davidis demum ætate invaluisse, donec in captivitate Babylonica cumprimis rerum potiretur, quo tempore magnus ille Scriba, legis divinæ consultus ac doctor, Esdras celebratur, qui ascendens ex Babylonia ספר מהיר *Scriba promptus in lege Mosis* Esdr. VII, 6. nec non ספר מצות יהוה *Scriba præceptorum Domini* ib. v. 11. & in Diplomate regio v. 12. ספר כתא די אלה *Scriba legis Dei* insignitur: quod ipsius elogium DORSCHEUS *Syll. Semestr. n. IX. pag.* 192. discussit; quibus junge, quæ nos alias de eo edisseruimus *Introd. in libr. V. T. P. I. cap. XVIII.* §. 2. *p.* 308. Demum proxime ante Christum in carne revelatum, & posthæc, frequentissima fiebat *τῶν γραμματέων*, ספרים, vel Chaldaice ספריא, mentio, quod Evangelica historia testatur. De his vero gemina ventilatur quæstio inter Doctores: I. *Num γραμματεῖς iidem fuerint cum νομικοῖς, vel νομοδιδασκάλοις, legis peritis, an ab iisdem diversi?* Eosdem fuisse utrosque, ex collatione Matth. XX, 35. cum Marc. XII, 28. liquet, ubi qui Marco *εἷς τῶν γραμματέων unus Scribarum* vocatur, is apud Matth. *νομικὸς* nomine venit. Rursus tamen Luc. XI, 44, 45. Christus alteros ab alteris distinguit. Diras enim prolocutus contra *Pharisæos & Scribas*, cum *τὶς τῶν νομικῶν quidam ex legis peritis* regessisset: *Magister, hæc dicens etiam nos afficis contumelia*, & ita se a Scribis disjunxisset, Salvator hoc ipsum confirmat, quando pergit, *καὶ ὑμῖν τοῖς νομικοῖς οὐαὶ etiam vobis legis peritis*, non solis Pharisæis & Scribis, *væ* denuncio. Nodum non secat vel solvit, sed in medio relinquit FRID. SPANHEMIUS fil. quando *Tom. II. Opp. f.* 1358. quæstionem ita movet: *Scribarum ac legis in Hebræa gente Doctorum ratio, geminane fuerit an distincta, illine forensia magis ac civilia tractarent, solam vero legem οἱ νομοδιδάσκαλοι; an vero illi in Synagogis, hi nonnisi in scholis legem declararent;* Scri-

Scribæ etiam inprimis theoriæ & contemplationibus essent addicti, consuli in dubiis ac perplexis soliti, unde ab Herode de loco nasciturì Messiæ soli interrogati; disquirendi nec locus est, nec animus. Curatius in hoc discrimen inquirens IOH. CAMERO *Prælect. ad Matth. XIX, 3. Opp. fol.* 177. edit. Genev. ita definit, quod Scribæ fuerint Legis Interpretes, sed qui *publice* in Synagogis legem interpretabantur, qui fungebantur munere Ecclesiastico; *νομικοὶ* vero ii, quos Hebræi חכמים *Sapientes* vocant, qui legem quidem interpretabantur, sed in scholis *privatim*; idque ex verbis Christi colligit: *Væ vobis legisperitis, sustulistis enim clavem scientiæ:* quia olim insigne Doctoratus apud Judæos fuit clavis cum pugillaribus. Quibus gemina tradit *in Myrothecio Evangel. ad cit. loc. Lucæ.* IOS. SCALIGER in *Elencho trihæresii cap. XI. p.* 83. ita instituit, ut *νομοδιδασκάλους* faciat Theologos, qui legem interpretabantur, *νομικοὺς* vero, qui formulas juris præscriberent, & actiones civiles docerent, & forensia magis tractarent, & ob id vocarentur *γραμματεῖς*, quia hoc proprium *τῶν γραμματέων*: quæ declaratio calculum doctorum non tulit. LIGHTFOOTUS *Hor. Hebr. ad Luc. XI,* 45. hariolatur, *νομικὸν* esse Doctorem traditionum, seu interpretem legis oralis, Scribas autem, sive inter Judæos, sive inter Sadducæos esse, qui במקרא in explicatione textuali legis scriptæ versabantur, & explicationi legis textuali operam dabant. In eandem sententiam concessisse video IAC. TRIGLANDIUM *in Diatr. de secta Karæorum cap. VI.* quo cum cura in locum hunc Lucæ vexatum commentatur, & *p.* 63. in ea demum notione acquiescit, *qua* סופרים *γραμματεῖς, Scribæ, ejusmodi notat Judæos, ac Judæorum Doctores, qui rejectis traditionibus solam Scripturam venerantur,* eamque Hebræorum calculo, Patrum Hebraice doctorum suffragio, vocis *γραμματέως* natalibus, & appellationis hujus origine Esdr. VII, 6. probat. Acutissimus FRID. SPANHEMIUS pater, *Part. II. Dub. Evangel. XXXVIII. sqq.* ubi de Scribis ex instituto agit, §. 7, 8. *p.* 399. verba Lucæ ita componit, ut nullum inter *γραμματέα* & *νομικὸν* agnoscat discrimen. *Cur enim, quando Christus inquit, καὶ ὑμῖν γραμματεῖς* &c. *nulla facta mentione τῶν νομικῶν, νομικὸς invadit in Christum, & suo ordini hoc applicat, nisi νομικοὶ fuerint γραμματεῖς, & contra? Unde & Interpres Syrus una eademque voce singula illa reddit, & νομικοὺς æque ac γραμματεῖς interpretatur* ספרא, *etsi alibi νομικὸν interdum vertat* נמוסא דירע *qui peritus est legis.* Demum tamen §. 10. *p.* 400. aliquam *τῶν νομικῶν* & *τῶν γραμματέων* distinctionem admittit, ut omnes quidem *νομικοὶ* fuerint Scribæ, non tamen omnes Scribæ *νομικοί*. Hinc porro conjicit 1) dici posse, Scribas fuisse homines *θεωρητικοὺς*, contemplationi legis, & quæstionibus theoreticis potissimum vacantes, *νομικοὺς* vero, quæstionibus practicis & actui rerum deditos fuisse. Unde *γραμματεῖς* Matth. II, 4. ab Herode interrogantur de loco nasciturì Christi, non *νομικοί*: & *γραμματεῖς* de Eliæ adventu disseruisse leguntur Matth. XVII, 10. 2) Dici quoque posse, *νομικοὺς* dictos fuisse illos Scribas, qui tantum affixi erant legi, nec curabant *δευτερώσεις* majorum, unde *νομικὸς* ille vocatur Matth. XXII, 36. qui quærit, quod sit magnum mandatum in lege Luc. X, 26. & a Christo ad legem remittitur, quia videlicet hoc ipsius *ἔργον* erat. Sic Luc. XIV, 3. *τοῖς νομικοῖς* proponit Christus quæstionem legalem de Sabbatho. Tandem concludit: idem ergo significatur sæpe per *γραμματέας, νομικοὺς* & *νομοδιδασκάλους*. Etsi *τῶν γραμματέων* nomenclatio latior sit nomine *τῶν νομικῶν*, quia illi sæpe, ut dictum, munere politico fungebantur, isti sacro tantum, legis expositioni, & iis, quæ ab ea pendebant, in solidum vacantes. Omnes ergo *νομικοὶ* Scribæ, sed non contra. Multa quoque *de Scribis*, pecul. *dissert. IX. P. II. dierum genial. p.* 397. *sqq.* disserit IOH. LOHMEIERUS, qui in hanc quoque, de discrimine *γραμματέων* & *νομικῶν*, quæstionem *p.* 406. *sqq.* incidit, a quo tamen frustra decisionem expectes. Nos paria interdum facere utrosque agnoscimus, in citato tamen Lucæ loco mutuo distingui lubenter damus: quod

autem inter utrosque interceſſerit diſcrimen, cum ſit perquam obſcurum, ob auctoritatem Scripturæ lubentius adſtipulamur aſſerenti SPANHEMIO, quam LIGHTFOOTO & TRIGLANDIO. Quæritur II. *Num Scribæ & Phariſæi ſint iidem?* Anſam quæſtioni dedit BARONIUS, qui *Apparatus ad Annales Eccleſiaſt. n. VIII.* de Phariſæis agens: *ex his*, inquit, *qui legi interpretandæ navabant operam, Scribæ dicebantur; ceteri communi nomine Phariſæi.* Scribas itaque exiſtimavit eſſe ſectæ Phariſæorum nomen, quo nil abſurdius dici poteſt. Scribæ enim ordinarii legis interpretes, Phariſæi traditionum oralium aſſertores erant; Illi ex antiquiſſimo apud Judæos inſtituto, hi fæx noviſſimorum Eccleſiæ Judaicæ temporum; Illi ſenſus literalis tenaces, hi gloſſarum & allegoriarum captatores. Vtrique autem licet in cathedra Moſis ſederent, & olerum decimationem, multaque haberent invicem communia, maxime πρωτοκλισίαν ἐν τοῖς δείπνοις & πρωτοκαθεδρίαν ἐν ταῖς συναγωγαῖς Matth. XXIII, 6. & Marc. XII, 39. vivendi tamen ratione ac placitis multum a ſe diſtabant, ut ex Act. XXIII, 9. & alias liquet. In Evangelica hiſtoria ſæpe junguntur, ita tamen ut inſigne inter utrosque maneat diſcrimen: quod aſſertum vide a Vener. DEYLINGIO *P. III. Obſervat. XXVIII. §. 2. p.* 212. BARONIUM autem caſtigavit CASAUBONUS *Exercit. I. n. IX. p.* 41. *ſq.*

Ceterum ad intelligendos varios Scribarum, quorum in Nov. Teſt. mentio fit, ordines, perutilis eſt HEIDEGGERI obſervatio *loc. cit. §. XVII. ſqq. p.* 226. eorum *aliquos* fuiſſe membra Synedrii, *aliquos* in Synedrio, ſed non de Synedrio, *aliquos* denique extra Synedrium. 1. *Synedrii membra* erant tum univerſe, tum ſingulariter. Vniverſe quidem, ac præ omnibus aliis emphatice Scribæ dicuntur omnes Synedrii aſſeſſores Matth. XXIII, 2. Erant Concilii illius membra æque Sadducæi ac Phariſæi, utrique tamen Scribæ. Singulariter alicubi Scribæ a Sacerdotibus & Senioribus diſtinguuntur, v. g. Matth. XXVI, 3. ubi congregati memorantur οἱ ἀρχιερεῖς, καὶ οἱ γραμματεῖς, καὶ οἱ πρεσβύτεροι τȣ̃ λαȣ̃. Fuerunt ſane etiam Pontifices & Seniores populi, Synedrii membra; & tamen ab iis diſtinguuntur Scribæ; proprie vero loquendo omnes Synedrii ſocii Scribæ, omnes pariter Seniores fuerunt. Porro 2. fuerunt *in Synedrio, ſed non de Synedrio*, qui Hebræis vocantur הדנים לפני חכמים *illi, qui judicant coram Sapientibus*, legis quippe peritiſſimi, in caſibus dubiis ſententiam ſtudioſe eruentes, & de vero ſenſu legis Synedrium erudientes, qui tamen in ſubſelliis Patrum non ſedebant, utpote non ex eorum numero, ſed in ſedilibus humilioribus: hinc nec ipſi pro auctoritate jus dicebant. Denique 3. fuerunt *extra Synedrium* Scribæ, Doctores legis varii, tum in Synagogis, in quibus ab antiquo erant κηρύσσοντες καὶ ἀναγινώσκοντες, *prædicantes & legentes* Moſen per omnia Sabbatha Act. XV, 21. tum extra eas; iique alii בעלי המקרא *Magiſtri textus Biblici*, qui literalem ejus expoſitionem proferebant; alii בעלי המדרש, qui & הדרשנים *explicatores*, qui myſticam Scripturæ interpretationem proferebant; demum alii בעלי אגדה *concionatores*, homiliam ſive diſcurſum inſtituentes de loco Scripturæ ſive hiſtoricum, ſive theologicum; de quibus Auctor noſter in ſequentibus agit.

Præter hos omnes, novum Scribarum genus Chriſtiano orbi obtruſit RICH. SIMONIUS, quando *lib. I. Hiſt. Crit. Vet. Teſt. cap. II. p.* 16. *ſq.* comminiſcitur, Prophetas fuiſſe סופרים, ſeu *Actuarios* ejusmodi *publicos*, auctoritate publica munitos, qui ætatis ſuæ geſta literis condere, & ampliſſimis ad poſteritatem tranſmittere commentariis fuerint juſſi, ex quorum annalibus libri Biblici, qui hodie proſtant, ceu compendia & epitomæ ſint compilati. Sed univerſum iſtud εὕρημα, Prophetas fuiſſe vel סופרים dictos, vel munere publico inſtitutos, univerſa Scriptura ignorat. Vt taceam, non publico munere, non juſſu Principis vel Reipublicæ, ȣ̓ θελήματι ἀνθρώπȣ, ſed θεοπνευςίας dono, & extraordinario impulſu, ὑπὸ πνεύματος ἁγίȣ φερόμενȣς, ſcripta canonica exaraſſe amanuenſes Dei, 2 Petr. I, 21. Vnde ii quoque, qui munere Prophetico non funge-

fungebantur, multo minus Actuarios & Scribas publicos agebant, v. g. David, Salomon, Daniel, Mardochæus, Nehemias, monumenta sacra composuerunt. Sed quicquid est istius commenti, copiosius nos explosimus *in Introduct. ad libb. Bibl. Vet. Test. P. III. cap. I. §. XVI. p. 43. sq.*

Ad §. XIV. pag. 17.

(25) *Ac Magis a Chaldæis*] Non tam Chaldæa, quam Persia, eaque sola, Sacerdotes & Sapientes suos, Magorum nomine celebravit, ut præ aliis valide docuit CALIXTUS *in Historia Magor. p. 9. sqq.* Nemo autem operosius & exactius de Persarum Magis commentatus est, ac vir summus THOMAS HYDE *in Histor. Religion. vet. Persar. cap. XXXI. p. 372. sqq.* ubi de nomine, dignitate, officio & partibus Magorum, insigni cum eruditionis apparatu egit, & in eos, qui Christum recens natum adventu suo venerati sunt, Magos *p. 377. sq.* curate inquisivit, ex Parthia eos accessisse statuens, ubi eadem religio, quæ in Persia, iidemque Magi, & ea tempestate imperii fuerit sedes. Hos vero, cum HERMANN VON DER HARDT *in Syria Græca p. 74. sqq.* Judæos ortu fuisse contendisset, ex Babylonicis vel Syris Judæorum Synagogis Hierosolymam missos, idque vel ex nominis similitudine probare fategisset, quia Magorum nomen ex Græca voce γραμματεὺς ortum trahat, commentum istud peculiari dissertatione *de Magis stella duce Bethlehemum profectis*, Vitembergæ anno 1716. mascule retudit IOH. HERMANN. AB ELSWICH.

Ad §. XIV. pag. ead.

(26) *Quindecimviris a Romanis*] Hi Sacerdotes erant apud Romanos, quibus solis cura inspiciendorum & servandorum librorum Sibyllinorum demandata erat. Eos nobiliori nomine Pontifices esse vocatos, colligunt nonnulli ex VOPISCO *in Aureliano c. 19.* ubi decretum Senatus & Imperatoris mandatum ita habet: *Agite igitur Pontifices, qua puri, qua mundi, qua sancti, qua vestitu animisque sacris commodi, templum ascendite, subsellia laureata constituite, veteranis* (seu quod malunt alii, *veneratis*) *manibus libros evolvite, fata reipublicæ, quæ sunt æterna, perquirite.* Erant illi ex civium numero maxime illustres viri, primo saltem duo, unde *Duumviri* dicti; hinc in denarium aucti, *Decemviri sacris faciundis*, vel *sacrorum Decemviri* appellati: demum eo anno, quo Capitolium conflagravit, & quo L. Cornelius Sylla Dictatoris munere se abdicavit, quinario insuper locupletati, ut *Quindecimviri* evaderent: donec Theodosius Imperator eos, cum sacerdotio & veteris superstitionis sacris abrogaret, hinc quoque Sibyllini libri sub Honorio per Stiliconem flammis traderentur. Vide de illis GISBERT. CUPERI *Not. in Lactant. de mortibus persecutor. P. II. p. 241. sq.* & copiosissime SERVATII GALLAEI *Dissertat. de Sibyllis cap. XIV. p. 270. sqq.*

Ad §. XV. pag. ead.

(27) *Daturque Masorethis*] Specialis hæc, minusque crebra vocis סופרים acceptio est, qua *Numeratores* versuum, vocum, & literarum in libris Biblicis, h. e. Masorethas designat; in Talmude tamen obvia Cod. *Kiddusch in cap. I. fol. 30. col. 1.* & in Cod. *Tanchuma fol. 33. col. 3.* & ab ELIA Germano *Præfat. III.* libri *Masoreth Hammasor.* repetita. Horum labores prolixe & ordine exposuit BUXTORFIUS in *Commentario Masorethico, Tiberias* inscripto, concisius recensuit eruditissimus WOLFIUS *Biblioth. Hebr. T. II. lib. III. toto, p. 460. sqq.* & nos in compendio tradidimus *P. I. Crit. Sacræ Vet. Test. cap. VI. p. 283. sqq.* nihil ut supersit, quod huc transferamus. Quo autem jure AUGUSTINUM in partes citet Auctor, nondum intelligo, cum perlegenti universam *in Psal. XL. enarrat. Tom. VIII. Opp. p. 364. sqq.* nihil occurrat, quod huc faciat: nisi forte huc trahas, quæ *ibi circa finem* de Judæis affirmat, quod *nobis serviant, & tanquam capsarii nostri sint*, qui *studentibus nobis co-*

dices

dices portant, quo fiat, ut cum Judæis disputantes, ex ipsorummet chartis eos convincamus. Quæ huc accommodet, qui potest. AVGVSTINVM vero Numeratores illos, Masorethas cognovisse, ob ignorantiam linguæ Hebrææ, meam superat fidem.

Ad §. XVI. pag. 17.

(28) *Textuales, Scripturarii*, קראים] De his exponendi, paulo post commodior dabitur locus. Pharisæorum & Scribarum discrimen modo edisseruimus: & de Pharisæis Capite sequenti ex instituto.

Ad §. XVII. pag. 17.

(29) דרשן, *h. e. disputator, inquisitor*] Eandem, cum Auctore, sententiam tenet HENR. HAMMONDVS *ad* 1 *Cor. I*, 20. cui *συζητηταὶ τοῦ αἰῶνος τούτου, disquisitores hujus ætatis* sunt Judæi Doctores, qui in Scripturæ inquirebant sensum. Solebant nimirum, ait, inter eos viri eruditi sedere in Synagoga, & de re quapiam inter se disceptare, e. c. ut sensum Scripturæ loci cujusdam invenirent. Ad eam consuetudinem videtur respicere Paulus 1 Cor. XIV, 29. *Prophetæ loquantur, duo aut tres* &c. Vnde fiebat, ut Synagoga, in qua habebantur ejusmodi disceptationes, diceretur בית המדרש *domus inquisitionis*. Quo fortasse etiam pertinet, quod Luc. II, 46. dicitur Christus inventus fuisse, *sedens in medio Doctorum, audiens & interrogans illos.* Qui mystice Scripturam interpretabatur, בעל המדרש *dominus inquisitionis*, & הדרשן *inquisitor*, sive *συζητητὴς* dicebatur. Mysticus vero sensus דרך דרש *via inquisitionis*, & מדרש *συζήτησις*, & sic מדרש תהלים *inquisitio Psalmorum*, est eorum interpretatio Allegorica. Verum, ut recte habent, quæ de מדרש & ביר— המדרש affert HAMMONDVS, sic הדרשן tamen, ex usu Judæorum, non tam disputatorem, quam *Concionatorem* notat. Conciones enim דרשות dicunt, & Concionatores דרשנים, natæque sunt inde in Judæo-Germanica lingua voces *darschen* concionari, & *darschle* concio. Ita DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v.* דרש exponit, דבר לפני המון *exponere, concionari*, מפרש, חוקר, דרשן, *prædicator, orator.* Nec dissentit ELIAS Levita *in Thisbi voc.* דרש, ubi exemplo R. MOSIS *Haddarschan*, & e Christianis PAVLI FAGII *Haddarschan* in urbe Eisenach, illustrat. Hinc R. SIMEON, qui ילקוט peram Judaicam consarcinavit, singulariter hoc encomio ornatur הדרשן, eo quod celeberrimus esset suo tempore Concionator; unde quoque ראש הדרשנים *princeps concionatorum* salutatur, qui A. M. 5070. floruit, Chr. 1310. Solent hi ex omni Theologiæ genere, ne Cabbalisticis quidem mysteriis exceptis, apparatum congerere, quo Homilias suas exornent, ii cumprimis, qui captata populari aura, laudem profundioris doctrinæ aucupantur. Potissimum vero e Mythica Theologia mutuo materiam dicendi arripiunt, quod non valere conciones existimant, nisi Talmudicis fabulis, & portentosis narrationibus sint refertæ. Vide, quæ de Theologia Judæorum Homiletica, tradit b. patruus meus I. B. CARPZOV. *Introduct. in Theolog. Judaic. cap. X. §. 9. p.* 81.

Ad §. XVIII. pag. 17.

(30) 1 *Cor. I*, 20] De sensu dicti egimus supra *ad §. IV. hujus Cap. Annot.* 6. nec est, quod addamus. Quo autem sensu nonnulli Henochum, *συζητητὴν, literatum*, appellent, GVIL. SALDENVS exposuit *Otior. Theolog. Exercit. I. §. 2. p.* 3.

AD

LIB. I. CAPVT VII.

DE TITVLO RABBI.

Ad §. I. pag. 18.

Numerus titulorum valde crevit] Simplicitatem priorum temporum, & arrogantiam ultimorum, ante gentis dissipationem, Auctor observat. Veteres enim, & captivitate Babylonica anteriores, solis officiorum nominibus contenti erant, ita ut מלך *Rex*, כהן *Sacerdos*, שופט & שוטר *Judex*, סופר *Scriba*, diceretur a munere, quo quisque fungebatur; maxime vero הנביא *Propheta*, הרואה, החוזה *Videns*, 1 Chron. XXIX, 29. audiebat, pro diversitate vel muneris, vel donorum: his si alius accederet titulus, forte erat אב *patris*, ut 1 Sam. X, 12. 2 Reg. II, 12. VI, 21. XIII, 14. Post captivitatem autem ac reditum e Babylone, quin & post excessum ultimorum Prophetarum, Doctorum Mischnicorum nullus, usque ad Hillelem sub Herode M. titulo Rabban aut Rabbi insignitus legitur. Hinc in *Pirke Abboth cap.* 1. omnes illi, iique celeberrimi doctores, Nittaj Arbelites, Jehuda fil. Tabbæi, Schimeon fil. Schatæ, Schemajah, Abtaljon, Hillel, & Schammai, absque præfamine, aut titulo honoris memorantur, usque ad רבן גמליאל *num.* 16. cujus filius dicitur רבי שמעון *Ribbi Schimeon:* unde apud IOH. HENR. OTHONEM *in Hist. Doctor. Mischnicorum p.* 88. (edit. Amstelodamens. recentissimæ) רבי יוחנן החורונית *Rabbi Jochanan Choronita* primus hoc elogio ornatus legitur, quanquam Anonymus annotationum Auctor *p.* 73. *in Not.* jam ante ex libro Juchasin & Schalschelet Hakkabala observaverit, *Filios Bethiræ* primos titulo *Rabbi* salutatos fuisse, quin & nonnullos, Josuam Ben Perachiæ hac dignitate primum eminuisse, censere. Consentit BVXTORFIVS, qui *de Abbreviaturis Hebr. sub* 'ר *p.* 172. docet, ante Hillelem, qui nativitatem Christi vel attigit, vel paucis annis morte sua antevertit, neminem titulo Rabban vel Rabbi fuisse insignitum. MAIMONIDES *Præfatione in Seder* זרעים, nudum nomen positum magnitudini doctorum tribuit, cujus verba ex versione POCOCKII *in porta Mosis p.* 127. ita habent: *Cum quis in magno honore fuerit, atque omnium supremus, illum nomine suo appellat* (Auctor Mischnæ) *e. g.* Hillel, Schammæus, Schemajah, Abtaljon, *quod magnitudinis ipsorum est, cum non potuerit reperiri Epitheton aliquod, quo fama ipsorum illustrior redderetur, uti neque Prophetæ epitheto aliquo celebrantur. At qui apud ipsum gradu his inferiori fuerit, illos appellat* Rabban, *ut cum dicit,* Rabban Gamaliel, *&* Rabban Juchanan fil. Zaccæi. *Qui his denique gradu inferiores, audiunt apud ipsum* Rabbi, *ut cum dixit* R. Meir, R. Juda. *Appellat etiam eos, qui hoc gradu sunt,* Aba, *ut cum dicit* Aba Saul: *aliquando tamen ultro omittitur ipsorum titulus, veluti cum dicit,* Simeon *frater* Azariæ, & Eleazar *vir* Bartutæ. Hinc nomina omnium, qui honoris gratia nominibus suis solum, absque titulo in Mischna appellantur, ordine recenset. Vtut autem hoc commento palliare fastum sequiorum temporum annisus sit MAIMONIDES, revera tamen titulorum omissio simplicitati prisci ævi, & modestiæ ac prudentiæ doctorum veterum tribuenda est, quod pompam omnem respuerent. Circa tempora Christi autem, quantum creverit cupido honoris, ex Salvatoris monito liquet Matth. XXIII, 7, 8, 9. *Pharisæi amant salutationes in foro, & ab hominibus vocari Rabbi cupiunt: vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus enim vester est Magister, Christus, omnes autem vos estis Fratres,* *&* אב *Patrem ne vocetis quenquam, unus namque est Pater vester, qui in cœlis est, neque vocemini* καθηγηταὶ *Magistri, unus enim vester est Magister, Christus.* Quo & ambitionem illius ætatis, & titulos ipsos perstringit. Hanc erudita quoque arguit SELDENI observatio, qui

de Jure N. & G. juxta Discipl. Hebr. Lib. III. cap. 9. p. 329. ex ISI BEN IEHVDA in *Gemara Babylonia ad Tit. Gittin cap. 6. fol. 67. a.* notat: quemadmodum in scholis Christianis cognomina sua habuere notissima, Angelici, Seraphici, Subtilis, Resoluti, Mirabilis, Profundi, Solennis, Irrefragabilis, Theologiæ scholasticæ Magistri, ita fere apud Hebræos Rabbi Meir dictus חכם וסופר *Sapiens & Scriba*, R. Jehuda חכם לכשירצה *Sapiens, quoties ipse vellet,* scilicet satis deliberaret, R. Tarphon גל של אגתין *nucum acervus*, ob solennem Scripturæ, Mischnæ, Homiliarum in argumentis suis confusionem, R. Akiba קופת הרוכלים *arca aromatum*, alii aliter, & demum R. Jose ben Chilpetha נימוקו עמו, i. e. *doctrina*, seu *observatio*, seu *ratio ejus cum eo*, seu orthodoxus.

Ad §. I. pag. 18.

(2) *Rabb, Rabbi, Ribbi & Rabban*] Nimirum in Nov. Test. legimus *Abba, Rabbi, Rabboni, Maran*, & in Talmude *Rab, Rabban,* vel *Rabbana*, & *Abai*, quæ omnia sunt nomina dignitatis, de quibus ex instituto, sed non nisi variis erroribus, agit NICOL. SERARIVS *in Rabbinis, seu de tota Rabbinorum gente* &c. *lib. I. c.* 2-6. Quod ad originem attinet, nomina Raf, Rabbi, Rabban, & cognata, vir doctus MART. PETR. CHEITOMAEVS *in Græco Barbaris Novi Test. p.* 124. *sq.* auctoritate KIMCHII, a *multitudine* dici autumat, ut Rabbi, quod exponitur *διδάσκαλος* Joh. I, 39, proprie sit, qui multa scientia, sapientia, & eruditione abundat, & Rabbini dicantur *πολλοὶ τὸν νόμον*, sive *ἐν τῷ νόμῳ*, רבים התורה. Idem tradit NICOL. SERARIVS *in Rabbin. lib. I. cap.* 3. Verum ELIAS Levita *in Thisbi h. v. p.* 219. ad dignitatem potius refert, רבי לשון שר *Rabbi vocabulum principatus* constituens, cum quo consentit DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v.* Chaldæis enim רב *principem* notat, testibus Targumim: ut posteriori sententiæ calculum addere malim. Quod autem inter hæc nomina intercedat discrimen, R. IOSVA *Levita* in הליכות עולם *Tract. I. cap. 3. p.* 25. *sq.* concise exposuit, dignus, qui audiatur: אמרו ז"ל גדול מרב רבי · וגדול מרבי רבן · וגדול מרבן שמו · כמו שמעון צדיק שמעיה ואבטליון · שנקראו כן מרוב מעלתם כדרך הנביאים שאין מכנין אותם : כל רב ומר מבבל : וכל רבי מארץ ישראל · לפי שבארץ ישראל היו סומכין לדון דיני קנסות וקורין אותו רבי דכתיב עד האלהים יבא דבר שניהם · ואין אלהים אלא מומחה ומוסמך כראיתה בסנהדרין : Quæ ex versione CONSTANTINI L' EMPEREVR ita habent: *Pronunciant Sapientes l. m.* Magistro Doctor major est; Doctore Dominus; at Domini titulo præstat Nomen proprium: *ut Simeon justus, Schemaja & Abtaljon, qui sic excellentiæ causa suis tantum nominibus veniunt: quemadmodum etiam Prophetis titulos non præmittunt. Semper Magister & Præceptor de iis accipiuntur, qui e Babylonia gradum acceperunt: uti quoties occurrit Doctor, de eo, qui in terra Israel est promotus. Nam in Canaane manuum impositio idoneos reddit, ut de pœnalibus juribus decernant, quos Doctores vocant. Nam scriptum est Exod. XXII, 9.* ad ipsos Magistratus venito negotium amborum: *at non est ullus Magistratus, nisi qui judiciorum peritus, manuum impositione gradum adeptus est, uti e Sanhedrin liquet.* Illustrat hoc exemplo רב זירא ורבי זירא *Magistri Zera, & Doctoris Zera*, qui cum unus esset, idemque, antequam in terram Israelis ascendisset, Magister Zera audiebat, at postquam eo pervenisset, & manuum impositione in Doctorem esset promotus, passim vocabatur Doctor Zera. Denique addit: ולא מצינו בחכמי המשנה מי שנקרא רב ומר · *ceterum de Sapientibus Mischnæ nullibi invenimus, quenquam Magistrum vel Præceptorem dictum fuisse.* Complura sunt notatu digna, quæ hinc discimus: 1) Titulum *Raf*, dignitate infimum, superari a titulo *Rabbi*, & hunc vicissim a *Rabban;* quorum primum CONSTANT. L' EMPEREVR differentiæ causa *Magistrum* reddidit, medium *Doctorem*, ultimum *Dominum: Mar* denique *Præceptorem.* 2) *Raf* & *Mar* in Babylonia creatum designare

Magi-

Magiſtrum, *Rabbi* non niſi in terra Iſraelis promotum. 3) *Promotionem* in Terra ſancta facultatem dediſſe, ſententiam ferendi in cauſis pœnalibus, qua deſtituebantur creati extra terram Iſraelis. 4) Magiſtros Babylonios nova opus habuiſſe promotione, ſi in Cananæam delati, cum dignitate verſari cuperent in republica. 5) Neminem Sapientum in Miſchna, ſeculo a C. N. ſecundo ſuperiorem, *Raf* vel *Mar* dici: *Rabban* autem audire non renuerunt, ut mox audiemus.

Vtut autem *Raf* titulorum eſſet infimus, κατ' ἐξοχὴν tamen, ac per antonomaſiam Doctori Babylonio, cui אבא אריכא *Abba Aricha* nomen erat, & qui in terram Iſraelis aſcendens, Rabbenu Jehuda Sancto operam aliquando dedit, ab eodemque oralem legem ſuſcepit, fere proprium evaſit, ut ſimpliciter, & absque ullo addito, רב ſalutetur. *Adeo invaluit apud Talmudiſtas hujusmodi locutio, ut ſi nominaretur nomine ſuo Abba Aricha, non ita bene intelligeretur, ſicut ſi pronunciaretur pronomine* רב *Raf*, inquit BARTOLOCCIVS *Biblioth. Rabb. Tom. III. p.* 692. ubi plura de eo habet, eidemque vetuſtiſſimos commentarios, *Siphra* & *Siphri*, a Judæis nonnullis in acceptis ferri contendit.

Rabbi & *Ribbi* paria omnino facere, & Ribbi legendum potius eſſe, quam Rabbi, cum radix ſit רבב, urget, ac nonnullis Poetarum exemplis pariter, ac exemplo vocis בַּר, quæ in Targum Hieroſolymitano Jobi XX. בִּיר legatur, evincere ſatagit R. ELIAS Levita *in Tisbi h. v.* Titulum vero *Ribbi*, ſummæ excellentiæ indicem, datum R. Jehudæ Sancto ſeu Principi, Miſchnæ concinnatori, neque ulli poſt ipſum conceſſum, obſervat IAC. ALTINGIVS *Tom. V. Opp. f.* 255. *b.* Quocum confer EDZARD. *in Avoda Sara c. I. p.* 259. ubi plura in elogium R. Jehudæ Sancti leguntur.

Rabban, elogium omnium præſtantiſſimum eſt ac ſupremum, Magnatem potius ac Principem, quam Doctorem denotans, ac ſeptem tantum Hillelis poſteris tributum legitur, quos ordine recenſet BVXTORFIVS *de Abbreviat. Hebr.* ר *p.* 173. In his ſecundus, Rabban Gamaliel ſenior, Schimeonis filius, Hillelis nepos, Pauli Apoſtoli in Judaiſmo putatur fuiſſe Præceptor: ſextus Rabban Schimeon III. pater fuit R. Jehudæ Sancti, qui Miſchnam compoſuit, & non Rabban, ut ejus majores, ſed κατ' ἐξοχὴν, abſolute & ſimpliciter רבי appellatus fuit. Eosdem ordine quoque perſequitur ſingulos IOH. HENR. OTHO *in Hiſtoria Doctor. Miſchnic. p.* 93. *ſqq.* Obſervat quoque ASSEMANVS *Biblioth. Orient. Tom. I. p.* 216. titulum *Raban*, qui idem eſt ac *Magiſter noſter*, apud Syros Chriſtianos, Presbyteris & Monachis honoris cauſa attribui conſueviſſe, eodem plane ſenſu, quo Rabbi in Evangeliis & apud Hebræos: quod ibidem ex exemplis liquet. Monent præterea R. ELIAS *in Tisbi* & BVXTORFIVS, nomen Rabban pluralem formare, *Rabbanim*, *Rabbanin*, & *Rabbanan*, quæ poſtrema forma Talmudicis familiariſſima ſit: *Raf* & *Ribbi*, non venire in plurali, cum dicere nequeamus *Rabbim* & *Ribbim*, ſi vero uſus ferat pluraliter efferre, a Rabbi dici *Rabboth*, ſed ſemper cum Affixo Pronomine רבותינו *Rabbini noſtri:* quod ad Grammaticam pertinet. Alio tamen & diverſo ſenſu רבנים *Rabbanim* dicuntur, quando τοῖς קראים *Karraim*, ſeu Karræis opponuntur; ubi priores ſunt, qui Magiſtrorum ſententias & traditiones admittunt, poſteriores, qui repudiatis traditionibus, uni inhærent Textui Scripturæ. Vtrorumque mentionem facit BENIAMIN TVDELENSIS *in Itinerario p.* 28. ושם כמו אלפים יהודים רבנים ומהם כמו חמש מאות קראין בצד אחד ובינהם ובין הרבנים שהם תלמידי חכמים מחיצה quæ caute vertit CONSTANT. L' EMPEREVR: *Illic ferme bis mille Judæi, iique Magiſtrorum doctrinæ obſervatores: alii quoque diſcreti quingenti, iique Karaitæ: inter quos & priores Sapientum diſcipulos eſt intergerinus paries.* Alibi *p.* 30. יהודים רבנים tranſtulit, *Judæos Rabbanæos, ſive qui majorum inſtitutis vivunt:* ne nimirum in eundem cum ARIA MONTANO lapidem impingeret, qui *Magiſtros* interpretatur, notatus eo

nomine

nomine a SCALIGERO *in Elencho trihæresii cap. II. p.* 22.

Rabboni, & *Rabbuni* Syriacum est, pro *Ribboni.* ANGELVS CANINIVS *in locis N. T. h. v.* Syriacum Rabbon utplurimum Deo tribui perhibet *αὐτοκράτωρι*, vel ei, qui merum habet imperium, unde quoque creberrime Ribbon in Talmude de Deo legi, maxime cum adjuncto, ut רבונו של עולם *Dominus mundi.* Hinc porro colligit, Mariam Magdalenam, Syriace Christum, qui jam resurrexerat, salutasse *Rabboni*, Domine mi, Joh. XX, 16. quod Deum nunc agnosceret, quem ante mortem saltem Rabbi salutaverat. Istud vero & CHEITOMAEVS *c. l. p.* 128. & IACOB. ALTINGIVS refellit, censens uterque, non ad Deitatem Christi, sed ad docendi provinciam hac voce digitum intendi, siquidem statim explicet Johannes, *ὃ λέγεται διδάσκαλε.* Addit ALTINGIVS *in Hist. promot. Academ. Hebræarum, Tom. V. Opp. p.* 255. *a.* illam Christum hoc titulo *Regiæ prosapiæ doctorem* professam fuisse.

De titulo מר *Mar* jam dictum. Hic saltem addo, in Syrorum scriptis titulum *Mar, Dominus*, non tribui, nisi viris sive sanctitate, sive Episcopali dignitate insignibus, ut exemplis patet apud ASSEMANVM *Biblioth. Orient. P. I. p.* 25. 396. *sqq.* 413, 415, 475. ubi etiam Mar Justinianus, Roman. Imperator, Mar Demosthenes, Dux Romanarum copiarum, legitur. Huic affinis est מורה *Moreh*, unde MAIMONIDES eruditum commentarium suum מורה נבוכים *doctorem perplexorum* inscripsit. Et frequentissimum Judæorum, per Germaniam degentium, quo suos ornant Magistros, elogium est מורנו הרב *Magister noster Doctor*, vel מרנא ורבנא *Dominus Doctorque noster:* quo primi insigniti R. Schallum, ejusque discipulus R. Jacob Levita. *Maran* מרן idem quod מר cum נ formativo, judice BVXTORFIO in *Lex. Talm. h. v. p.* 1248. quanquam alii malint, notare *Dominus noster* cum affixo. ANGELVS CANINIVS ante laudatus, Deo tantum tribui perhibet, & a *Rabbon* differre contendit ita, ut hoc *κύριον*, *Maran δεσπότην* notet. Sed hominibus quoque conferri, BVXTORFIVS docet, hoc saltem cum discrimine, ut *Mar* de Dominis, Doctoribus, Sapientibus, Magistris promiscuis, *Maran* de Summo, qui præerat reliquis Sapientibus, dicatur. Quanquam non neget, Christum per excellentiam מרן & emphatice מריא, Deum quoque מרן דבשמיא *Dominum, qui est in cælis, Dominum cælorum*, salutari.

אבא *Abba*, Pater, huc quoque spectat. Auctor *Juchasin f.* 31. *col.* 2. אבא הוא לשון כבוד כמו רבי *Abba, nomen est honoris æque ac Rabbi:* & DAVID COHEN DE LARA in כתר כהונה *fol.* 1. *col.* 1. גם הוא לשון כבוד וקשיבות *etiam hoc nomen est dignitatis & attentionis.* Vnde *in Talmude* Abba Saul, Abba Jose, & alii memorantur. MAIMONIDES *in Præfat. cit.* postquam de ordine eorum, qui Rabbini dicuntur, egisset, statim subjungit: אנשי זאת המעלה יכנה כמו כן אבא *viri hujus gradus cognominantur quoque Abba*, Pater. Confer, quæ de titulo Patris supra tradidimus *ad Cap. præc. Annot.* (10), & quæ copiose exposuit IVL. BARTOLOCCIVS de titulo Abba, in *Biblioth. Rabb. Tom. III. p.* 668. *sqq.* dignus qui evolvatur. Cognatum huic nomen est אבאיי *Abbaj*, quod cognomen R. Nachmanis, qui a celebritate familiæ id tulit, quasi *Patritius.*

Alium quoque titulum honoris, Judæorum Doctoribus tributum, suppeditat IVSTINIANVS Imperator, quando *Novell.* 146. *ut liceat Hebræis, c. I. §.* 1. ait: *Neque licentiam habebunt hi, qui ab eis majores omnibus Archiperecitæ, aut Presbyteri forsitan, vel Magistri appellantur, perinæis aliquibus aut anathematismis hoc prohibere.* In hos *Archiperecitas* NIC. SERARIVS *cit. lib. I. cap. XVII.* ex instituto inquisivit, breviter autem & perspicue eos descripsit ALTINGIVS *cit. Tom. V. p.* 255. *b. Sunt autem*, inquiens, Ἀρχιφερεκῖται, *voce hybrida, qui finita Legis & Prophetarum lectione, in Synagogis capitula Talmudica,* פרקים *Pherakim dicta, interpretabantur: atque ab hoc munere ipsi quidem* רישי פירקי capita, *seu præcipui Doctores* capitulorum (in *Seder Olam min. f.* 17. *col.* 4. *m.*) *id*

id est 'Αρχιφερεκῖται, *discipuli autem ipsorum, lectiones illas in scholis discentes,* בני פירקי filii capitulorum *dicebantur. Qualium doctorum cum inter Judæos potissima esset auctoritas, ab Imperatore, ceu* majores omnibus & anathematismis terribiles, *describuntur.*

Celebris præterea Doctorum Talmudicorum est divisio, in תנאים *Tannaitas,* אמוראים *Amorraitas,* סבוראים Seburæos, *Seburraitas,* & גאונים *Geonæos*, tempore ac ordine se mutuo excipientes, & paucis hic recensendos.

תנאים *Tannaitæ,* quasi *Docentes* κατ' ἐξοχὴν dicti, à תנא *tradere, docere,* unde תנא *Tanna,* Doctor Mischnicus, תניא *traditio, doctrina,* & מתניתא *Mischna.* Sunt Doctores, qui post ultimorum Prophetarum excessum, legem oralem, sive non scriptam, cultum, jura, & ceremonias Judaicas complexam, in certas theses sive aphorismos redegerunt, ac, ne oblivioni mandaretur, fideliter, prout a majoribus acceperant, in schedas retulerunt, ex quorum monimentis, in ordinem rite digestis, *Rabbenu Hakkadosch* opus Mischnicum composuit. Horum ætas ab Antigono Sochæo, trecentis ante C. N. annis incipiens, ad seculum secundum medium, aut tempora Commodi Imperatoris, protenditur. Quos ordine ac late persequitur BARTOLOCCIVS *Biblioth. Rabb. Tom. III. p.* 252. *sqq.* concise SERARIVS *in Rabb. I. cap.* 7. & HOTTINGER. *Hist. Eccl. N. T. cap. II. p.* 76. *sq.*

אמוראים *Amorraitæ,* quasi *Dictatores, Sermocinatores*, sunt primi Mischnæ Interpretes ac Professores, qui in scholis, maxime Babylonicis, illam explanarunt, ad motas inde quæstiones responderunt, ejusque dubia subtiliter discusserunt, Gemaræ nimirum auctores. BARTOLOCC. *c. l. p.* 663 *sqq.* SERARIVS *c. l. cap.* 8. HOTTINGER. *Histor. Eccles. Nov. Test. cap. IV. p.* 198. *sq.*

סבוראים *Seburraitæ*, quasi *Conjecturales, Opinistæ,* a סברא *conjectura, sententia probabilis,* Doctores sunt, qui probabiliter in Mischnam disputabant, על דרך סברה *ad modum opinionis,* seu problematice, nullam firmam tenentes sententiam, sed pro opportunitate temporis, vel utilitatis causa, omni vento doctrinæ agitati, ad scita politica quoque religionis dogmata accommodantes. Primus hoc nomine insignitus legitur Raf יוסי *Jose*, Rector Academiæ Soranæ, ultimus Raf סימונא *Simona*, in quo titulus Seburraitarum, una cum Academiis in Babylonia, ex decreto Regum Persarum sublatis, expiravit, universa ut ipsorum ætas ab A. O. 4236. Chr. 476. ad A. O. 4295. Chr. 535. vix ad LX annos assurrexerit; secus ac SERARIVS putat, qui hanc Seboræorum nationem seu sectam totis 187 annis viguisse perperam contendit. BARTOLOCC. *p.* 667. SERAR. *cap.* 9. HOTTINGER. *Hist. Eccl. N. T. cap. V. p.* 267. *sqq.*

גאונים *Geonæi*, sive *excellentes, illustres*, dicebantur Academiarum Babylonicarum, & primo quidem in Pumbedithana, Doctores, qui doctrina & virtute eminentes, novum scholis conciliabant splendorem. Verius tamen *superbos* vertendos censet BARTOLOCCIVS *p.* 668. *Hi enim,* addit, *attollebant se super alios, & fastuosi ore & habitu apparebant, ita ut de facili hujuscemodi Pharisaici doctores ab aliis dignoscerentur.* Primus eorum, Raf חנינא *Chanina* Gaon de Naharpekod, Rector Academiæ Pumbedithanæ hunc titulum sibi sumsit, A. O. 4349. Chr. 689. ultimus in his fuit Raf האיי גאון *Haaj Gaon,* cum quo Gaonitica dignitas expiravit, cum annis circiter 448 perdurasset. Deletis inde omnino Academiis Judæorum in Babylone, universa Judæorum doctrina in Hispaniam, præsertim Cordubam, translata est. Paulo aliter calculos ponit R. DAVID GANZ, ut sunt incertæ res Judæorum. Vide post BARTOLOCCIVM *cit.* SERARIVM *cap. X.* HOTTING. *Hist. Eccl. N. T. c. VI. p.* 334. *c. VII. p.* 424. *cap. VIII. p.* 529.

Ad §. II. pag. 18.

(3) *Scholaris vocabatur*] De תלמידים *Discipulis* supra jam diximus *ad Cap. præc. §. X. Annot.* (18). Hic solum addo dicterium R. AKI-

BAE, quod legitur in *Vajikra rabba sect. I.* כל תלמיד חכם שאין בו רעת נבלה טובה מימנו *Omnis discipulus sapientis, in quo non est scientia, cadaver melius est ipso.*

Ad §. II. pag. 18.

(4) קטן *parvus*] קטן ratione ætatis dicitur usque ad decimum tertium annum impletum; inde a decimo tertio anno vocatur גרול ואיש *major* seu majorennis, item *vir*. Ejusmodi קטן, tredecim annis inferior, in eundem cum חרש ושוטה, *surdo & stulto* censum refertur, לא בני ריעה ניהו ואין מעשיהם כלום *non habentur pro scientibus, etiam opera ipsorum pro nullis habentur.* Vid. BVXTORF. *Lex. Talm. h. v. pag.* 2017. Vnde liquet, discipulis minoribus adhuc & tenerioribus id nominis tributum, præcedens autem grandioribus, & provectioribus.

Ad §. eund. pag. ead.

(5) בחור *electus*] Electi dicebantur, ratione cooptationis in numerum discipulorum. Celebriores enim Doctores non quemvis promiscue in disciplinam scholamve admittebant, sed explorabant prius ejus 1) Pietatem erga Deum pariter ac præceptores. *Profanare enim ille creditur divinam sapientiam, qui flagitioso eam tradit, non secus ac impuro vasi pretiosum liquorem infundens, hunc non servat, sed it perditum.* 2) Capacitatem & donorum naturalium indolem, num ex hoc ligno sculpi queat Mercurius, an oleum & operam sit perditurus in efformando illo occupatus? 3) Facultates ac opes, aut si ab iis destituatur, consilium, quo labore victum sibi & necessaria parare subsidia possit? Vnde laudantur Deuterotæ nonnulli, quos aquam haurire, ligna findere, aliaque opera exercere non piguit, ut de suo viverent: ut est apud ALTINGIVM *in Studioso Hebræo T. V. Opp. f.* 259. Etenim quicunque inops, neglecto opere studiis vacans, vitam ex eleemosynis sustentaret, nomen Dei profanasse, legem contemsisse, sibique noxam, ne quidem cum vita terminandam, arcessivisse credebatur, juxta MAIMONIDEM in *Talm. Tora cap. III.* Si quis ergo ita exploratus & cooptatus denique esset in scholam, audiebat בחור *electus.* Quamquam Hebræis hoc vocabulum *juvenem* quemvis notet; apud Rabbinos tamen per Synecdochen speciei *studiosum* designat.

Ad §. III. pag. 18.

(6) חבר *consors alicujus Rabbi*] DAVID DE POMIS in *Zemach David h. v. pag.* 57. *col.* 4. inter alia observat: בגמרא נהגו לקרוא כל מי שאינו עם הארץ חבר׃ *In Gemara quemlibet, qui non est* plebejus vel *illiteratus*, חבר *Socium appellare solent* Magistri. Concinit HVMPHRID. PRIDEAVX *in Notis ad Maimonidem de jure pauperis & peregrini cap. VII. §.* 14. *num.* 22. *p.* 78. ubi ita habet: *Absolute sæpe usurpatur vox* חבר *pro quocunque Viro docto, quique aliqua civitate hoc nomen κατ' ἐξοχὴν obtinuerat, ita ut ei committerentur controversiarum decisiones, legis interpretatio, rerumque Ecclesiasticarum cura* חבר עיר *Doctor civitatis vocabatur. De eo igitur dicit* R. NATHAN *in Aruch:* ח״ע איש גרול אשר יועדו עלין כל הזקנים׃ Doctor civitatis est vir magnus, ad quem congregantur omnes seniores. *i. e. Est vir doctus, & legis præ ceteris peritus, ad quem primates civitatis pro consilio in rebus difficilioribus, aut circa administrationem legum, aut circa rerum Ecclesiasticarum procurationem solebant convenire.* Sed magis restringunt notionem hujus nomenclaturæ alii, ex quorum mente ELIAS LEVITA in *Tisbi h. v.* ארם שהוא נסמך לרבנות אבל אינו ראוי ערין להיות מורה הוראה להקרא מורנו הרב קורין אותו חבר רב פירוש נתחבר אל מי שהוא מורנו הרב׃ *Homo cui ad Magisterii gradum manus est imposita, sed qui nondum idoneus est, ut sit dogmatis doctor, quo vocetur Doctor noster excellens, eum magni illius* (Magistri Promotoris) *Socium dicunt. Sensus est: associatur illi, qui magnus Doctor noster audit.* Nimirum,

rum, promoti in Doctorem, non statim usurpabant Doctoris, vel Magistri titulum, superstite adhuc inter vivos Magistro aut Promotore illorum, sed חברים audiebant. Interdum a Promotore quoque cognomen ducebant: unde R. Jose ben Zadik dicitur חבר לר׳ יצחק *Socius R. Isaaci*, a quo gradum acceperat: aliorum vero Magistrorum respectu, qui minus eruditionis contulerant, תלמיד חבר *Discipulus socius* seu *Associatus* appellabatur. Superstitibus enim Præceptoribus, recens Promoto docere non licebat, nisi ex eorum voluntate & indultu: postquam vero vita excessissent, in omnem Magistrorum aut Promotoris dignitatem ac titulos succedebant. Plura de hac appellatione dabunt COCCEIVS *in Notis ad Gemaram Sanhedrin c. XI.* L'EMPEREVR *in Benjaminis itinerar. pag.* 188. VITRINGA *lib. II. de Synag. Vet. c. X. p.* 571. *sq.* POCOCKIVS *in porta Mosis addit. pag.* 396. *p.* 402. qui ex R. TANCHVM, Collegæ ejusmodi, חבר dicti, qualitates, officia, & requisita, eleganter exponit. Aliam tamen tituli hujus notionem, qua *Socium ordinis religiosorum* designat, qui se a commercio vulgi separabat, munditiem studiosius sectabatur, & decimas strictissime persolvebat, adeoque per vocem חברים *ordinem Pharisæorum* interdum describi, erudite observavit EDZARDVS *in Avoda Sara cap. II. not.* 337. *pag.* 531. Quod superest, liceat huc transferre RAF NACHMANI filii R. CHASDAE elogium, quo ex Cant. I, 2. discipulum eruditum ac probum ornavit *in Gemara Avoda Sara c. II.* edit. Edzard. *p.* 121. למה תלמיד חכם דומה לצלוחית של פליטין מגולה ריחה נודף מכוסה אין ריחה נודף: *Cui rei similis est discipulus sapiens? Resp. similem illum esse pyxidi unguenti foliati. Quando illa est aperta, diffundit se odor ejus, quando autem clausa est, odor illius non diffunditur.* (Sic quando discipulus sapiens informat alios, late diffundit se fama nominis ipsius; quemadmodum Cant. I, 3. subjungitur, *sicut oleum effunderis nomine tuo:* quando autem alios non erudit, nomen quoque ipsius manet in obscuro). Porro מלאך המות אוהבו *angelus mortis diligit ipsum*, quod R. NACHMAN ex eodem loco probat, modo vocis conjunctæ עלמות loco, legatur disjunctim על מות i. e. is, qui super mortem est constitutus, seu qui morti præfectus est, diligit te. Quin immo, שנוחל שני עולמות אחד העה״ז ואחד העה״ב *quod hæreditario jure consequatur utrumque seculum, præsens & futurum:* ubi tamen monet, pro עלמות legendum esse עולמות *secula:* quæ Allegorica exponendi ratio & licentia Rabbinis usu est recepta.

Ad §. III. pag. 18.

(7) *Hanc* χειροθεσίαν] Pergit nunc Auctor ad promotionis ritum, quem paulo plenius enarrabimus, ductum secuti ALTINGII, qui *Historiam promotionum Academicarum apud Hebræos* ex instituto dedit *Tom. V. Opp. p.* 247 *sqq.* ubi, quæ sparsim apud Judæos hac de re leguntur, confertim & ordine exhibuit.

a) Antecedit geminum *Examen* Candidati, א. *famæ ac vitæ.* Velut enim excludebantur a Doctoris dignitate, qui aliquo extantiori corporis nævo laborabant, cæci, eunuchi, spurii item ac extranei, ita non minus, qui non integri vitæ scelerisque essent puri, aut famæ illibatæ. Tales enim ne in discipulis quidem censeri merebantur, multo minus cooptari in ordinem Doctorum. Hinc, qui minime omnium excellebat, hisce tamen septem virtutibus instructus requirebatur, sapientia, mansuetudine, timore Dei, odio lucri, veritatis amore, φιλανθρωπίᾳ, & nomine bono. Ejus rei exemplum producit R. DAV. GANZ in *Zemach David, mill. V. A.* 515. *p.* 125. ubi ex versione VORSTII ita habet: Tempore Raf Jehuda fil. Nachman, Rectoris Scholæ Soranæ, *erat Annen, qui ab initio erat discipulus sapientis, & propter pauxillum vitii, quod erat in illo, non fuit creatus Gaon; ac postmodum factus est senex rebellans, ex sententia curiæ, quia tenaciter adhærebat Sadducæis. A tempore enim excidii attenuati fuerant* Sadducæi, *donec venit Annen, atque illos confirmavit* ac restauravit. Porro, cum αὐτοδίδακτοι, plerumque vel

vel inepti ſoleant eſſe, vel periculoſi doctores, hoc quoque in Candidato requirebatur, ut eſſet notus in ſcholis, perque omnes earum claſſes ſeu ordines tranſiiſſet. Referunt huc verba Pſ. LXXXIV, 7. *tranſeuntes in valle mori, fontem ponent illam*, quæ ita tranſtulit Targum: אזלין צדיקיא מן בית מקדשא לבית מדרשא *progredientes juſti ex Eccleſia* & populari inſtitutione, *ad Academiam*, & ſubtiliorem informationem, usque dum in ſummam Sapientum Academiam, quæ in Sanctuario erat, adſciſci merentur: ut R. DAV. KIMCHI ad *loc. cit.* commentatur. Examen ב. erat *eruditionis & profectuum*, quo explorabatur Candidatus, & quantum diſcendo profeciſſet, & quam aptus eſſet ad docendum. Vtrumque enim requirebatur in eo, qui Doctoris munus erat obiturus, ut eſſet tam διδακτικός, ראוי ללמד ולהורות בכל התורה כלה *idoneus ad docendum univerſam legem*, quam εὐδίδακτος, omnis generis artibus & ſcientiis inſtructus, excellens ſapientia Theologica, multiplicique notitia pollens; exoticarum inſuper diſciplinarum, Medicinæ, Arithmeticæ, Aſtrologiæ, Magiæ peritus, denique plurium linguarum gnarus, juxta MAIMONID. *in Sanhedrin Cap. 2. princ.* Denique *ætatis* quoque promovendorum ratio habebatur, nec ante annum triceſimum Doctoris ἀξίωμα cuiquam conferebatur. Cum enim, niſi quis Sacerdotalem attigiſſet ætatem, nec principia Geneſeos, nec Canticum Canticorum, nec Ezechielis initium & finem legere permitteretur; iſta vero omnia Doctori Theologiæ perſpecta eſſe deberent, tricenario ſemper requirebatur major. Sequitur

β) promotionis *Solennitas*, quæ plures complectitur actus, quorum א. eſt מעמר על הספסל *Collocatio* Candidati *in cathedra*, quo ritu ordini diſcentium eximi, docentium vero inſeri, ſignificabatur. Hanc cerimoniam mutuati videri volunt a Moſe, munus Joſuæ impoſituro. Teſtantur enim, quod העמידו מן הארץ והושיבו אצלו על הספסל: *de terra ſublatum collocarit, ſibique aſſidere fecerit in cathedra*, obſervante COCCEIO *in Sanhedrin ex Siphri p.* 14. Veroſimilius tamen ad Eſdram refertur, qui ἀναγνώστην publicum agens, מגדל עץ *ſubſellio ligneo* editiori conſiſtebat, ut omnibus ſupereminereт Nehem. VIII, 5, 6. Certe in hoc jus cathedræ digitum intendit Servator, quando Matth. XXIII, 2. Scribas & Phariſæos, docendi munere publice fungentes, ἐπὶ Μωσέως καθέδρας καθίζειν affirmat. ב. נתינת מפתח ופנקס *Traditio clavis & pugillarium.* Pugillares quidem commendabant jugem meditationem, & veritatum ſic deprehenſarum annotationem, ne oblivione rurſum obliterarentur. Clavis autem ſignum erat poteſtatis reſerandi aliis & promendi myſteria, ut & ipſis ad neceſſariam eruditionem innoteſcerent. Nec aliud innuit ἡ κλεὶς τῆς γνώσεως, *clavis ſcientiæ*, cujus abuſum Legiſperitis Chriſtus exprobravit Luc. XI, 52. Cum enim illis, per clavis traditionem, docendi jus eſſet collatum, clavem tamen illam non adhibebant ad legitimam populi inſtitutionem. Male tamen cum hac clave confunduntur claves regni cælorum Matth. XVI, 19. coll. c. XVIII, 18. quas Celeberr. PFAFFIVS *de Origin. Juris Eccleſ. p.* 23. perperam definit, *ſignificare facultatem poteſtatemque interpretandi Scripturam ſanctiorem, viamque ad ſalutem hominibus monſtrandi.* Valet hoc de clave ſcientiæ, minus autem de clavibus regni cælorum. Varius enim & diſpar clavium uſus apud Judæos ſolennis varias quoque & diverſas ſymboli hujus notationes peperit, quod alias docebimus, ne extra oleas hic vagemur. 3. Eſt סמיכה *Manus impoſitio*, cujus originem, probe obſervante Auctore noſtro, a Moſe arceſſunt Num. XXVII, 18. unde Promotor הסומך / Promotus הנסמך vel הסמוך / tota autem מנוי הסמיכה הזקנים ſeu promotionis ſolennitas, χειροθεσία appellari conſuevit. Etſi hæc cerimonia poſthæc in deſuetudinem abiit, poſtquam non præciſe ea opus eſſe Doctores pronunciarunt in Gemara *Sanhedrin cap. I. §. 3. pag.* 160. edit. Cocceji. ד. Eſt קריאת רבי *Renuntiatio* ſeu proclamatio *Ribbi*, qua Candidato dabatur poteſtas agendi & exercendi, quæ promotis Doctoribus

bus agere & exercere jus faſque fuit. Fiebat autem iſthæc renunciatio בדבור *viva voce* & conceptis verbis, Promotore, poſtquam Candidato titulum *Ribbi* contuliſſet, ſubjiciente הרי אתה סמוך ויש לך רשות לדון אפילו דיני קנסות: *ecce promotus es, & facta tibi poteſtas etiam capitalia judicia exercendi:* vel breviore formula: אני סומך אותך תהיה סמוך *ego te promoveo, promotus eſto.* Nec quicquam ad conferendum Doctoratum, præter alterutrius horum carminum recitationem requirebatur. Quod ſi vero propter ſonticam abſentiæ cauſam, locum habere non poſſet renunciatio vivæ vocis, ſubſtitutus alius ejus modus, quo promovebatur abſens, dummodo inter Palæſtinæ fines, quantumcunque alioquin diſſiti, tum ipſe, tum Promotor degerent: videlicet, per internuncium, aut ſcriptum renunciationis teſtimonium, quod *Bullam* nuncupare ſolemus. Ita enim ſignificabat Candidato Promotor, שהוא סמוך ונתנה לו רשות לדון *quod promotus ac judicandi conſecutus eſſet facultatem.* Quæ omnia in fontibus ſi legere cupias, evolve MAIMONIDIS *Jad Chaſaka p. IV.* הלכות סנהדרין *cap. IV.*

Ad §. VI. pag. 19.

(8) *Dubito, tum χειροθεσίαν uſurpatam fuiſſe*] De Salvatore noſtro Jeſu quando quæritur, num ſolenni Synagogæ ritu, & auctoritate publica, per χειροθεσίαν in ordinem Doctorum cooptatus fuerit? Auctor noſter, illa ætate publicam, creandi Doctores, ſolennitatem in uſu fuiſſe, fruſtra negat, cum ex illis, quæ ſupra *ad §. I. hujus Cap. Annot.* (1) obſervavimus, ſatis liqueat, dudum ante trigeſimum ætatis Chriſti annum, hunc ritum invaluiſſe; maxime, ſi R. NATHANE, *in Aruch* ad vocem אבוי teſte, titulus Rabbi ex ἐπιθέσει χειρῶν τῶν πρεσβυτέρων ortum ſuum trahit. Ipſum autem quæſitum citra hæſitationem affirmat CAMPEG. VITRINGA *de Synagoga Lib. III. P. I. cap. 7. p. 706. ſq.* & *in Archiſynagog. p. 298. ſqq.* Evangeliſtarum teſtimonia in partes citans, apud quos Matth. XXVI, 25, 49. Marc. IX, 5. Joh. I, 25. & alias paſſim, Chriſtus vix alio nomine, quam illo ῥαββὶ καὶ διδάσκαλε, non modo diſcipulis ſuis venerit, ſed ipſis etiam Judæis. Quin & ulterius progreſſus, non Chriſtum modo, ſed præter eum ceteros Novi Teſt. miniſtros, Doctores fuiſſe cenſet, eumque in finem ad Act. III, 1. provocat. *Quid vetat credere*, inquit, *hos vere, ritu Judaico in ordinem Doctorum fuiſſe cooptatos, & ut tales in Judæorum ſcholis ac Synagogis agnitos, quamdiu Eccleſia Chriſtiana ſe nondum penitus a Judaica ſeparavit? Paulum quis dubitet Doctorem fuiſſe, qui perpendit, quod ipſi demandatum ſit officium honoris, ante ipſius converſionem? Colligimus enim ex Act. IX, 1, 2. illum miſſum fuiſſe a Sacerdote & Synedrio Hieroſolymitano ad omnes Synagogas. Exiſtimo enim, ipſum fuiſſe* Ἀπόστολον τοῦ Συνεδρίου *- - ex Apoſtolo vero Synedrii factus eſt* Ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *qui inſtar Patriarchæ heic conſiderabatur.* Sed quicquid ſit de Paulo, quem haud gravatim largior, Judaico ritu, cum Phariſæis adhuc accenſeretur Phil. III, 5. creatum fuiſſe Doctorem; de ceteris Apoſtolis & Evangelii miniſtris, idem vetat credere Vatinianum Judæorum, quo Chriſti nomen pariter ac diſcipulos proſequebantur, odium, paulo poſt effuſionem donorum Spiritus Sancti, ſatis acerbe declaratum Act. IV, 2. ſqq. Idem demum de Chriſto quis temere affirmet, qui perſecutiones, excommunicationes, & criminationes paulo curatius perpenderit, a Judæorum Doctoribus in ipſum ejusque aſſeclas, vibratas & jactas Joh. VII, 48, 49. VIII, 48. ſqq. IX, 22. XII, 42 ſq. Sane ſi auctoritate publica creatus fuiſſet Rabbi, tanto cum ſtupore docentem non excepiſſent cives ejus, qui, cum proſapiam ejus probe haberent perſpectam, collatam dignitatem, gradumque honoris certe non ignoraſſent Matth. VII, 28, 29. & XII, 54. ſqq. Ideo autem doctrinam ejus mirabatur populus, quod literis eum imbutum fuiſſe nunquam inaudierat Luc. IV, 22, 32. De titulo autem Rabbi probe obſervat SELDENVS *Lib. II. de Synedriis, Cap. VII. §. 8. Aliud erat dici, ſeu compellari Rabbi inter*

T ſalu-

salutandum & officii causa, quemadmodum Adoni sæpissime in Test. Veteri usurpatur, & Rabbi etiam, idem significans, non raro in Novo Fœdere D. N. Jesu Christo, tum a discipulis, tum ab aliis, eum compellando tribuitur, uti etiam aliis, quale itidem est illud Rabboni: Aliud omnino, in singularem Presbyteratus dignitatem, per impositionem ut manuum, ita & nominis, seu tituli illius Rabbi, creari. Vt quidem apud nos, passimque, aliud est, Doctorem, Magistrum, Comitem, Ducem, Militem, Equitem, juxta simpliciorem earum vocum & primariam significationem, in allocutionibus, confabulationibusque nuncupari; aliud in dignitates, nominibus illis signantius notissimas, pro more ac solennius evectos agnoscere. Quæ ergo, civilitatis gratia, compellatio Christo tribuitur, ab hominibus cum veneratione sive vera, sive ficta (ut Matth. XXII, 16.) eum alloquentibus, ea non statim, solenni quoque ritu hanc ipsi dignitatem collatam fuisse evincit. Hinc Nicodemus Joh. III, 2. eum ῥαββὶ compellat, verum diserte addit, non ex Synagogæ instituto, sed a Deo missum, creatumque esse διδάσκαλον. Vt taceam, veri non videri simile, Christum, qui hominum respuebat testimonium Johan. V, 34, Judaicæ promotionis vanitatem ipsum admisisse, quam serio ex schola sua explodit, Matth. XXIII, 8, 9, 10; ad quem locum confer SELDENUM *c. l.* §. 10. erudite commentantem.

Ad §. VII. pag. 19.

(9) *Discipuli plane ad pedes suorum Præceptorum*] Quæ de sessione Doctorum, Sociorum, & Discipulorum tradit Auctor, non omni carent dubio. Auditores enim modo stantes, modo in pavimento, & ad pedes Doctorum sedentes, pro temporum & locorum diversitate, sedentium Magistrorum dicta excipiebant. In Tr. *Megilla cap. III. fol.* 21. *a.* ita commentatur Talmud Babylonicum: תנו רבנן מימות משה ועד רבן גמליאל לא היו למדין תורה אלא מעומד משמת רבן גמליאל ירד חלי לעולם והיו למדין תורה מיושב והיינו דתנן משמת רבן גמליאל בטל .כבוד תורה: *Tradunt Magistri nostri: A diebus Mosis ad ætatem usque R. Gamalielis,* discipuli *non nisi stantes,* a sedentibus doctoribus *discebant legem. At R. Gamaliele mortuo, morbi infestare cœperunt orbem, itaque sedentes, legi discendæ operam navabant. Vnde in Mischna dicitur: mortuo Gamaliele* seniore, *evanuit honos legis.* Ista vero traditio quo pacto componi possit cum Deut. XXXIII, 3. Luc. X, 39. Act. XXII, 3. unde discipulos, ætate Mosis æque ac Gamalielis, ad Doctorum accubuisse pedes, diserte intelligitur, nondum perspicio. Luculentius adhuc ritum exponit MAIMONID. in *Talmud Thora cap. IV.* §. 2. כיצד מלמדים הרב יושב בראש והתלמידים מוקפים לפניו כעטרה כדי שהיו כלם רואים הרב ושומעים דבריו ולא ישב הרב על הכסא ותלמידיו על הקרקע אלא או הכל על הארץ או על הכסאות ובראשונה היה הרב יושב והתלמידים עומדים ומקודם חורבן בית שני נהגו הכל ללמד לתלמידים והם יושבים: *Quomodo docent? Magister sedet in capite,* loco eminentiori vel principe, *& discipuli coram ipso in circuitu, instar coronæ, ut omnes videant Magistrum, & audiant verba ejus. Non autem sedebit Magister in solio, & discipuli in pavimento: sed omnes,* tam Magister, quam discipuli, *vel in terra, vel in sedilibus. Verum ab initio sedebat Magister, ac discipuli stabant: ante vastationem autem templi secundi solebant omnes docere discipulos, ut hi sederent.* Sedebant tamen loco inferiori, teste AMBROSIO *Comment. in* 1 *Cor. XIV. Hæc traditio Synagogæ est, ut sedentes disputent, seniores dignitate in cathedris, sequentes in subselliis, novissimi in pavimento super mattas.* Pariter ALTINGIVS *lib. III. in Schilo cap. VI. Tom. V. Opp. p.* 54. Doctoribus stantibus, sedentibusve, discipulos ad pedes fuisse, solide demonstrat. Totum hunc ritum, parcius & concise tradit LIGHTFOOT. *in Harm. Evang. P. III. Opp. T. I. f.* 485. & *in Hor. Hebr. ad Matth. XIII.* 2. *Tom. II. Opp. f.* 326. longe autem copiosius discutit & exponit SAM. PETITVS *Observat. Lib. III. cap.* 2. *p.* 251. *sqq.*

Ad

Ad §. VII. pag. 19.

(10) *Paulus educatus erat*] Hæc ad cathedram Rabbinicam utplurimum referunt Interpretes, cujus reſpectu, Paulus cum ceteris Auditoribus, בקרקע *in ſolo*, ſeu ſedens, ſeu ſtans, παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιὴλ informatus perhibeatur. Verum b. Præceptor noſter, WAGENSEILIVS *ad Sota p.* 994. verba iſta ad victum & educationem pertinere cenſet, quod ſcilicet non tantum a Gamaliele literis & eruditione imbutus fuerit S. Paulus, quod verbis ſequentibus indicatur, ſed etiam in domo ejus pro filio altus ſit & educatus. Hinc, modeſtam hanc Pauli extenuationem eſſe credit, dum non arroganter ſe Gamalielis convictorem & familiarem fuiſſe, ac ſacra & profana omnia communia cum eo habuiſſe, jactitet, ſed potius ad pedes quaſi magni Doctoris abjectum, ſic ſeſe cibum captaſſe, humiliter & demiſſe profiteatur; idque tanto magis, quia cum iſta Paulus loqueretur, Gamaliel nuper demum diem ſuum obierat, atque ſic ejus memoria in ſumma erat veneratione. In eandem ſententiam verba exponit PETITVS *cit. loc. p.* 254. *Paulum fuiſſe educatum Hieroſolymis in contubernio Gamalielis, quocum quotidie cibum caperet, eodem cum Gamaliele accumbens in lecto. Nam id ſignificant iſta, meo judicio*, inquit, ἀνατεθραμμένος δὲ ἐν τῇ πόλει ταύτῃ παρὰ τὰς πόδας Γαμαλιήλ. *Ergo Paulus apud Gamalielem educatus, in eodem lectulo accumbebat, & ad ejus pedes aſſidebat, aut, ſi admodum puer domum Gamalielis deductus eſt, ad lecti triclinaris, in quo accumbebat Gamaliel, fulcra, id eſt, ad pedes adſidebat, ut tunc temporis moris erat: unde videre eſt, quam charus Gamalieli fuerit, ut qui ab eo domi, tanquam filius educaretur: non autem inter diſcendum projectus in ſolo, ad Gamalielis pedes operam ei dabat, quippe cum tunc temporis diſcipuli ſtantes a præceptoribus erudirentur* &c.

Ad §. VIII. pag. eand.

(11) *Qui in arena ſe extendebat*] Erat hoc apophthegma IOSE IOEZERIS filii, repetitum in *Pirke Abkoth cap. I.* §. 4. הוי מתאבק בעפר רגליהם והוי שותה בצמא את דבריהם: *conſperge te ipſum pulvere pedum ipſorum* (Magiſtrorum nempe, חכמים quod præceſſerat) & *bibe cum ſiti verba ipſorum.* Hoc ita illuſtrat IOS. SCALIGER in *Elencho trihæreſii cap. X. p.* 75. *Diſcipulos ad pedes Doctoris projectos audiiſſe docentem. Diſcipulus enim legebat projectus in ſolo*, διεῤῥιμένος ἐν ἐδάφει, מוטל בקרקע *Doctor autem interpretabatur, quæ ipſe legebat. Et quamdiu diſcebat* ἐν ἐδάφει, *illud tempus dicebatur* קטנות *minorennitas.* Hic laudatus intercedit PETITVS *p.* 256. cui vox התאבק luctatorum eſt, & *luctari* ſignificat: eſt autem luctatorum τὸ κονίζεσθαι, καὶ τὸ κονίζειν ἀντίπαλον. Quo minus enim de diſcipulis projectis, cum docerentur, in ſolo ad pedes Doctorum ſuorum capiatur, obſtare exiſtimat, quod Joſæ hujus ætate diſcipuli ſtarent, cum hic Joſe longe ante tempora fuerit Gamalielis, a cujus demum morte diſcipuli ſuis adſidere cœperint præceptoribus. Metaphoram itaque petitam eſſe a luctatoribus, ut ſenſus adagii ſit, etiam in remiſſionibus & ludis (quemadmodum in compotationibus & conviviis, quod indicent ſequentia, והוי שותה בצמא את דבריהם & *bibito cum ſiti verba eorum*) non eſſe remittendum quicquam de ſapientia & doctrina, quam ſibi comparaverint ex aſſiduo Sapientum uſu. Sed caſtigavit PETITVM magnus WAGENSEILIVS *c. l. pag.* 995. *ſq.* moremque diſcipulorum, ad Magiſtrorum pedes aſſidendi, ex Sacris literis egregie aſſeruit & vindicavit.

Ad §. IX. pag. 19.

(12) *Propterea inquiebant*] Depromptum eſt hoc apophthegma ex פרקי אבות ubi *Cap. V.* §. 15. ita habet: ארבע מדות ביושבי לפני חכמים ספוג ומשפך משמרת ונפה ספוג שהוא סופג את הכל משפך שמכנים בזו ומוציא בזו משמרת שמוציאה את היין וקולטת את השמרים ונפה שמוציאה את הקמח וקולטת את הסולת: *Quadruplices conditiones* (inveniuntur) *in his, qui ſedent coram Sapientibus,*

(audi-

(audiendi causa): videlicet conditio *spongiæ*, *clepsydræ*, *sacci fecinacei*, *&* *cribri*. *Spongia sugendo attrahit omnia: clepsydra, quod una ex parte attrahit, ex altera rursum effundit: saccus fecinaceus effundit vinum & colligit feces: cribrum emittit farinam, & colligit similam.* R. OBADIAS DE BARTENORA in Commentario ita exponit: *spongiam*, quæ imbibit aquam tam turbidam, quam puram, symbolum esse hominum, qui ingenium habent laxum, quo omnia apprehendunt, quæ audiunt, non distinguentes inter verum & falsum: *clepsydram* eorum, qui recipiunt id, quod didicerunt, & quemadmodum id receperunt, ita quoque id ipsum effundunt: *saccum fecinaceum* eorum, qui omne quod audiunt in schola, effutiunt, & omne recolligunt: vel, ut clarius exponit MAIMONIDES *ad h. l.* qui falsa & vitiosa servant, sed vera & bona transmittunt: *cribrum*, postquam crassiores & minutiores furfures eduxerit e farina molita, remanet farina minuta cum simila crassa, quæ optima est, deinceps per cribrum aliud arctius illam transmittunt, & ex eo tota illa farina minuta descendit instar pulveris cujusdam albi, & simila crassa optima est reliqua: symbolum ergo eorum esse, qui ingenium suum excolere, & verum a falso & vano distinguere solent.

AD

LIB. I. CAPVT VIII.

DE NAZIRAEIS ET RECHABITIS.

Ad §. I. pag. 19.

Rechabitæ Jer. XXXV.] Sicco prorsus pede Rechabitas præterit Auctor noster, nisi quod institutum eorum infra *Cap. XII. §.* 19. paucis tangat. Lacunam autem istam explere aggressi sunt integris dissertationibus, ex Reformatis, HERMANN. WITSIVS, cujus commentatio cum *Tom. II. Miscellaneor. Sacror. n. IX. p.*223. inserta legitur, tum in Auctoris nostri editione Vltrajectina, post Præfationem, ejusdemque de Theocratia Israelis, orationem, in Francofurtana autem, quam IOH. HENR. HOTTINGERVS Nepos curavit, *post hoc cap. VII. p.*144. *sqq.*: ex Nostratibus vero, uberrime D. SAM. SCHELGVIGIVS, sex Exercitationibus, in Athenæo Gedanensi A. 1679. sqq. publice ventilatis, & in unum fasciculum collectis & recusis Gedani An. 1689. Nos, ne ἀσύμβολοι hinc discedamus, potiora rei momenta, strictim discutiemus. Notamus itaque

I. Rechabitarum genus & ortum. Ducebant eum a Jonadabo Jer. XXXVI, 6, 8, 18. ubi cum Jonadabi pater dicatur Rechab, mirari subit, cur non posteri, acceptis a Jonadabo vitæ institutis, Jonadabitæ potius, quam Rechabitæ vocentur? Sed probabile videtur, Rechabo filium non fuisse, præter Jonadabum. Hinc opus non erat, a filio novum familiæ nomen arcessere, per quod ab aliis familiis ejusdem gentis discerneretur. Num vero Jonadab, filius Rechab, stator hujus prosapiæ, idem sit cum illo, qui 2 Reg. X, 15, 23. a Jehu, Rege Samariæ, in currum levatus, cædem sacrificulorum Baalis spectasse perhibetur, anceps videtur quæstio. Affirmant tamen cum R. DAV. KIMCHIO, & e Christianis IAC. ALTINGIO *Comment. ad h. l. Jer. Tom. I. Opp. p.* 886. plurimi, nec immerito. Nam *&* idem tam filii quam patris nomen, nulla addita distinctionis nota, hoc arguit, *&* Propheta de Jonadabo, tanquam viro inter Israelitas pridem celebri loquitur, citra ullum, quo unus ab altero discernatur, indicium, quod ad cavendam personarum confusionem, utique addidisset. Nec obstat temporis intervallum, quo Jehu a Josia,

sub

ſub cujus imperio Jeremias vaticinari cœpit, ultra CCL annos diſterminatur. Neceſſe enim non erat, ut Jonadab in vivis eſſet Jeremiæ ætate, quin dudum ante vixiſſe, Deus diſerte indicat verſ. 14, abſtinentiam laudans a Rechabitis continuatam *ad hunc usque diem*, quæ ſcribendi ratio familiaris eſt Spiritui Sancto in rebus, quarum initia a tempore præſenti longiſſime diſtant. Quo etiam facit, quod Judæi & Rechabitæ in eo ſibi opponuntur, quod ad Judæos verbum Dei factum eſſet *continue*, cum ex adverſo ad Rechabitas verbum Jonadabi factum eſſet *jam dudum* verſ. 15. ſq. Gravem quidem huic ſententiæ dicam ſcribit vir ſummus SCALIGER, *in Elencho trihæreſii cap. XXIV. p.* 186. *ſqq.* ubi contra SERARIUM diſputans, varias cumulat rationes, quibus evincere laborat, haud diu floruiſſe Rechabitas, ſed *eodem tempore cœpiſſe & deſiiſſe.* Hoc fine urget 1) quod Rechabitæ diſerte de Jonadabo, tanquam de patre, qui præſens præſentibus auſteram, nuperam, & novitiam victus regulam præceperit, loquantur. 2) quod Jonadab, qui 2 Reg. X. occurrit Regi, non habitaverit in tentoriis. 3) quod idem non videatur homo quieti inſtituti fuiſſe, ſed militaris potius, quem propter dignitatem, collocaverit ſecum Rex in curru. 4) quod in eadem gente multi ejusdem nominis fuerint apud Hebræos, ut apud Græcos & Romanos, ut mirum non ſit, duos diverſos hic dari Jonadabos. Sed, quod ad 1. attinet, Rechabitæ patrem dicunt Jonadabum, verum non immediatum ac proximum, ſed multis gradibus a ſua ætate remotum, quod Hebræis perquam eſt ſolenne: vid. Jeſ. LI, 2. Joh. VIII, 39, 53. Sane verſ. 3. cit. loc. Jerem. Rechabitarum illius temporis familia usque ad proavum recenſetur, quo antiquiorem fuiſſe oportet Jonadabum: ut corruant, quæ de mandato, a patre præſente præſentibus dato, afferuntur. Ad 2, ἀνακόλουθον omnino eſſe, Jonadabum, quia Regi obviam fiebat, in tentoriis non habitaſſe. Ad 3, nil obſtare, quo minus Rechabitarum inſtituta ſecutus, militiam quoque ſequi poterit. Sed nec neceſſe hoc fuit, cum inſigni inter ſuos auctoritate polluiſſe potuit, ut amicitiam ejus ambiret Jehu, licet quietæ addictus eſſet vitæ. Ad 4, non ſequi, quia plures in eadem gente eſſe potuerint Jonadabi, hinc illum, qui Jehu occurrit, diverſum omnino fuiſſe ab eo, qui regulam condidit Rechabitarum. Quod facile convellitur inde, quod patris & avi nomen utrobique ſit idem, cujus rei exempla non adeo ſunt frequentia, ut vel unum allegare SCALIGER potuerit; ut eundem potius Jonadabum utrobique locorum hinc colligamus.

Vlterius progreſſi viri docti, Rechabitas Proſelytos in Iſraele, & ortu Kinæos fuiſſe, ex 1 Chron. II, 55. docere ſatagunt. Quando enim verba ita habent: *& familiæ* ספרים *Scribarum, incolentes Jabes, Thirhathæi, Schimhathæi, Suchatæi: ipſi ſunt* הקינים *Kinæi,* הבאים מחמת אבי בית רכב *deſcendentes ab Hammatho, patre domus Rechab:* liquido hinc patet, quod domus Rechabitica ab Hammatho deſcendens, referatur ad Kinæos, & familiis Scribarum connumeretur. Vnde colligitur, familiam iſtam alienigenam in populo Iſraelitico fuiſſe, cumque eapropter propria & hæreditaria terræ poſſeſſione careret, ab ingenio quæſiviſſe ea, quæ ad tolerandam vitam pertinent, & literarum ſtudiis ſe dediſſe, inque iis eminuiſſe. Ita R. DAVID KIMCHI ſentit, & e Chriſtianis, TREMELLIVS & IVNIVS: eandemque ſententiam a variis, quibus oneratur dubiis, liberavit SCHELGVIGIVS *cap. II. p. 9. ſqq.* Porro cum Hobabus, affinis Moſis, Kinæorum, in terra promiſſionis habitantium, communis fuiſſe pater feratur Num. X, 26. Jud. IV, 11. & I, 16, ulterius hinc conficitur, de Jethronis ac Hobabi familia deſcendiſſe Rechabitas, Kinæos quippe, & forte Midianitas, in quibus habitabat Jethro cum filio Hobabo. Perplexa res eſt, & innumeris circumſepta dubiis, quibus tamen diſcutiendis egregiam impendit operam laudatus SCHELGVIGIVS *cap. III. ſqq. p.* 20. *ſqq.* qui etiam *p.* 57, 58. tabulam gentis iſtius genealogicam contexuit. Nobis iſta ſufficiat, digito indice monſtraſſe. Pergimus

II. ad Legem patriam, quæ familiæ lata, ita habebat: *Ne bibitote vinum, vos aut filii veſtri unquam: & domum ne ædificatote, & ſemen ne ſeratis, vineamque ne plantetis neque poſſideatis: ſed in tentoriis habitetis omnibus diebus veſtris, ut vivatis diebus multis ſuper terram, ubi inquilini eſtis.* Legis itaque ſumma ſex continetur præceptis, quorum quinque ſunt negativa, affirmativum ſextum. I.) לא תשתו יין עד עולם *non bibetis vinum usque in ſeculum,* h. e. quoad peregrinarentur in terra Iſraelis, & hoſpites inter Iſraelitas agerent, ut ex verſ. 7. recte colligitur. Vinum autem largius hauſtum, velut multorum criminum, ita & inobedientiæ, & neglectus inſtituti hujus, incentivum eſſe potuiſſet. II.) ובית לא תבנו *& domum ne ædificetis,* domum nempe fixam ac ſtabilem, in quantum manſionibus tumultuariis & tentoriis opponitur, ut ad exilii ferenda incommoda in tempore adſuefierent, ſiquidem Kinæis deportationem æque denunciaverat Bileamus Num. XXIV, 22. III.) וזרע לא תזרעו *& ſemen ne ſeratis,* ne, rei pecuariæ addicti, ſegnius rem ſuam facerent, ſi colendo agro ſimul operam darent. IV.) וכרם לא תטעו *& vineam ne plantetis,* ut ab occaſione deſtituerentur, bibendi vinum, & transgrediendi patris præceptum. V.) ולא יהיה לכם *& non erit vobis,* quicquam על כלם *de iſtis* memoratis *omnibus,* לא בית *non domus,* לא כרם *non vinea,* ולא שדה *nec ager,* לא יהיה לכם לא במתנה ולא במקח מאחר *non erit vobis* peculium, *ſive ex dono, ſive* quacunque alia *acceptione,* quocunque demum poſſeſſionis titulo, *ab alio,* ut recte ſenſum ſupplet & exponit KIMCHIVS; cum non omni omnino poſſeſſione, quod CALVINVS vult poſt THEODORETVM, prohiberentur, ſed fundorum, prædiorum, earumque rerum, quæ ab obſequio legi præſtando eos avocarent, ut ex verſ. 9. liquet. VI.) באהלים תשבו כל ימיכם *in tabernaculis habitabitis omnibus diebus veſtris,* ut velut hoſpites & peregrini verſarentur in gente iſta, & pecora ſolum alant. Hoc enim vitæ genus, a majoribus acceptum, SCHELGVIGIVS *cap. VIII. §. 2. p. 67 ſq.* ex inſtituto eis aſſerit, utut nulla ejus mentio in Textu fiat; quin immo PYTHAGORAM & Pythagoreos, Rechabitarum exemplo, in tentoriis una degere conſueviſſe, PILESACVS demonſtrare ſatagit *Selector. lib. III. p.* 141. Finis autem legis ſtatim additur: *ut vivatis diebus multis ſuper terra, in qua peregrinamini:* quo ipſo vitam beatam, felicem, curisque vacuam, ex obſervantia legis pollicetur pater filiis, qualis quippe in terra peregrina obtingere advenis queat. Licet enim humaniſſime haberentur inter Judæos, peregrinitatem tamen exuere non poterant, nec hæreditatis quicquam poſſidere in terra Canaan, ſolis Iſraelitis promiſſa & dicata. Itaque nec deſiderare quicquam, ſed ſorte ſua contenti vivere, hoc pacto jubentur. Velut autem Jonadab auctoritate, legem ejusmodi ferendi, ſatis pollebat ex jure paterno, quo liberi in diligendo & ſequendo vitæ genere omnino obſtringuntur, niſi ſontica obſtet ratio; velut etiam eo ſpectabat omnis iſta obligatio, Rechabitæ ut idonea, nec cuiquam oneroſa ſocietatis civilis inter Iſraelitas membra redderentur; unde illam licitam, prudentem, ac piam fuiſſe, ex fide prædictionum Propheticarum profectam, eleganter edocuit ALTINGIVS: ita perperam inde Pontificii colligunt, licere Eccleſiæ, quæ uno homine major, & ex dicto Chriſti Matth. XVIII, 17. audienda ſit, ſuis liberis ſpiritualibus interdicere quibusdam alimentis ad tempus, vel in perpetuum, adſtringere item ad certas victus & amictus leges, vocationemque a communi hominum praxi abhorrentem: quo paralogiſmo inſtituta Religioſorum, quos vocant, Ordinum tueri ſolent, diſcuſſo poſt ALTINGIVM *c. l. p.* 887. a SCHELGVIGIO *cap. X. p.* 82. *ſq.* qui porro, Rechabitas vel auctores, vel figuras ſaltem & exemplaria Religioſorum Ordinum fuiſſe, quod ex mente Eccleſiæ ſuæ copioſe aſſeruerat SERARIVS *Tribæreſii lib. III. cap.* 9, 10. data opera, & ſolide negat *cap. XII p.* 108. *ſqq.* Iſta quippe, ad Theologorum ſcholas ſpectantia, & ab inſtituto aliena, procul habemus. Adhuc autem obſervamus

III. Libe-

III. Liberorum obsequium. Istud omnium fuisse, laudatus supra SCALIGER negat. *Non omnes*, inquiens, *Rechabitæ ἀσκηταὶ fuerunt, sed progenies tantum Jonadabi. Nam Rechabitæ sunt gens, in qua multæ familiæ, in quibus Jonadabitæ: ut in gente Cornelia erant plus quam XXX familiæ, quarum, si una aliquod sacrum faceret, illi totam gentem obligatam fuisse, non sequitur.* Sed Viro docto toties reclamat Textus, quoties Propheta missum se perhibet, non ad Jonadabitarum familiam, sed אל בית הרכבים *ad domum Rechabitarum* vers. 2, & vers. 3. diserte testatur, כל בית הרכבים *universam gentem Rechabitarum* legi Jonadabi morem gessisse. Vnde haud absurde concludimus, præter Rechabitas, Jonadabi posteros, lege memorata constrictos, inter Judæos nullos versatos fuisse alios Rechabitas exleges. Contra vero ea, justo latius hoc obsequium extendit SERARIVS, quando auctoritate SVIDAE, & adstipulante NILO *Ascetici cap. III.* Rechabitas eosdem cum Essenis facit, & præter Kinæorum gentem, alios ex Israelitico populo, Rechabitarum legibus ultro se obstrinxisse, perperam contendit: refutatus pariter a SCHELGVIGIO *cap. XI.* §. 4. *sqq. p.* 102. Ipsa vero posterorum hujus gentis obedientia, laudem merebatur Supremi Numinis, quod & horum exemplo in ruborem dabat rebellem ac immorigerum populum suum, vers. 14. sqq. & egregium ipsis pollicebatur præmium, vers. 18, 19. Vbi caute observant Doctores, Rechabitarum institutum Deo probari, non tam propter abstinentiam a rebus in se, & sua natura liberis & adiaphoris, quales erant potus vini, agrorum cultura, domuum exstructio & fundorum possessio, quam propter obsequium, patris mandato præstitum. *Est vero hæc obedientia erga parentem, impulsiva duntaxat, non meritum præmii; etenim licet in genere obedientibus liberis aliquid promissum a Deo, tamen non promissum ad mandata proprii placiti. Jonadab promiserat obedientibus liberis bonum, non prophetico Spiritu, sed politico judicio, quod peregrini, nihil appetentes eorum, quæ inquilini habent & amant, soleant amari; saltem tolerari citra injuriam:* recte pronunciat ALTINGIVS *ad vers.* 19. Num vero, quod Idem contendit, ex verbis istis: *non exscindetur Jonadabo, filio Rechab, vir, consistens coram facie mea omnibus diebus*, sequatur, non perituram posteritatem Jonadabi, quin adhuc hodie superstitem versari inter Judæos; id certum adeo & exploratum non est, cum velut totum hoc institutum & obsequium, ita quoque promissum præmium, ad ea solum referatur tempora, quibus in terra & gente Judæorum, hospites & peregrini essent futuri Rechabitæ, quæ vero, cum Judæorum exilio & dissipatione, dudum expirarunt, & si qui adhuc superessent, eadem cum Judæis gente, sorte & vivendi ratione censerentur, nec Rechabitæ amplius, sed Judæi forent.

Ad §. I. pag. 19.

(2) *Differentiam Naziræorum*] Naziræorum varias deprehendisse species sibi visus est Auctor, sed nomine, tempore, ac vitæ instituto, multum a se discrepantes. *Alii* sunt Nasiræi ex voto §. 1. *Alii* Nazaræi, ex loco §. 4. *Alii* Nazaræi ex dogmate, sive secta §. 5. *Alii* Nazareni, ex Christianismo §. 6. *Alii* denique Nazaræi, ex dissectione Pentateuchi ita dicti §. 9 & ult. Prima saltem classis cumprimis huc spectat.

Ibidem.

(3) *Primi erant Nuncupatores, Voventes*] Horum curatam & copiosam delineationem novissime dedit BERN. SEB. CREMER, Theologus Harderovicenus, *in Naziræo*, seu *Commentario literali & Mystico in legem Naziræorum ad Num. VI*, 1. *sqq.* unde hauriri abunde poterit, quicquid huc spectat. Nos paucis observabimus

I. Appellationem, ejusque originem. Haud dubie נזיר est a נזר *separavit, abstraxit, continuit se a re aliqua*, & proprie, vi originis, *segregatum, separatum* notat. Ita in *Jalkut Schimeoni fol.* 209. *col.* 3. אין נזירות בכל מקום אלא פרישה *Nasiræatus*

firæatus ubivis locorum segregationem involvit: quod ut evincat, ad Levit. XXII, 2. XXV, 5. Hof. IX, 10. Zach. VII, 3. provocat. Consentiunt R. SAL. IARCHI, R. ABEN ESRA, & reliqua Magistrorum turba, e qua cumprimis DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v.* vocem נזר exponit, notare פרש עצמו מתענוגי עולם *abstrahere se a delectationibus mundi, Zach. VII.* קדש עצמו והרחיק אותך מדברים של חול *consecrare se, & alienare a profanis usibus, Ezech. XIV. & in Conjug. Hiphil* פרש עצמו או דבר אחר בעבור נדר שעשה / הזיר *separare se, aut rem aliam propter votum, quod nuncupavit:* hinc נזיר esse eum, *qui separatus erat a vino, & frequentia populi, quo majori polleret sanctitate.* Et satis omnino præsidii huic interpretationi est, ex sede hujus instituti primaria Num. VI, 2. ubi נדר נזיר להזיר ליהוה *votum Nasiræi* dicitur, *ad separandum se Domino.* Hinc eos, quia a נזר *corona, diadema,* vocem נזיר deducunt, & ita dici existimant, על שם שהוא מלך מולך על התאוות הפך משאר בני העולם שהם עבדי התאוות: *quod ipse Rex sit cupiditatibus imperans, præter morem reliquorum hominum, qui cupiditatum sunt servi,* quod R. BECHAI *Comment. ad Num. l. c.* contendit, allegoriam tradere potius crediderim, quam genuinam vocis originem.

II. Definitionem. Est autem נזירות *Nasiræatus, εὐχὴ μεγάλη,* ut PHILONI lib. *de temulentia p.* 187. & lib. *de victimis p.* 654. appellatur, *votum magnum,* seu separatio illa devota, quando quis vel ex libera voluntate, vi voti, sive ab ipso, sive a parente facti, & a se approbati, singularium cerimoniarum observationem in se suscipit, vel ex destinatione aliena, Nasiræorum institutis ab utero conformiter innutritus & educatus fuit. Itaque נזירים *Nasiræi* dicti sunt, qui certis legibus, vel voto, eoque aut proprio, aut parentum, vel peculiari jussu divino, obstricti tenebantur, ita quidem, ut vis resultantis exinde obligationis, vel certo, definitoque tempore elapso expiraret, vel per omnem illorum vitam duraret; iique rursus, vel ad omnes, vel ad certos tantum ritus Nasiræatus adstringerentur.

III. Leges ex Nasiræatu observandas, quas ad ternarium revocat Auctor noster. Pariter Mischna in נזיר *Cap. VI.* §. 1. שלשה מינין אסורין בנזיר הטומאה והתגלחת והיוצא מן הגפן *Tres species sunt prohibitæ Nasiræis, 1) immundities, 2) tonsura, & 3) egrediens de vite.* MAIMONIDES autem in *Jad* ad decem extendit præcepta, minutim recensens, quæ ternario comprehendebantur, ita ut Nasiræus obstrictus fuerit ad 1) abstinentiam a vino, a potu ex vini mixtura parato, item ab aceto, 2) a comestione uvarum recentium, nec non 3) uvarum passarum, 4) a nucleis acinorum, 5) a cortice uvarum, 6) a tonsura capillamenti, 7) ab immunditie ex mortuis, 8) ad oblationem trium victimarum, agni in holocaustum, agnæ in sacrificium pro peccato, & arietis pro pacifico, 9) ad emundationem Leviticam, post absolutum Nasiræatum, 10) ad redintegrandum votum, si forte illud ante statum tempus violaverit.

Abstinentiam a vino his verbis injungit legislator Num. VI, 3: *A vino & sicera abstinebit se* Nasiræus, *acetum vini & acetum siceræ non bibet, itemque omnem macerationem uvarum non bibet: uvas quoque, recentes aut aridas, non comedet.* Vers. 4. *omnibus diebus Nasiræatus sui, ab omni, quod ex uva fit vini, ab acinis usque ad cutem, non comedet.* Ubi in genuina vocis שכר *siceræ* notione indaganda desudant Interpretes. Chaldæus uterque מיין ושכר *a vino & sicera,* reddit, מחמר חדת ועתיק *a vino novo, & a vino veteri:* æque uti Num. XXVIII, 7. שכר pariter per חמר עתיק *vinum vetus* exponit. In *Jalkut fol.* 209. R. ELEASARIS citatur sententia, ex qua יין זה מזוג שכר זה חי *voce* יין *vinum mixtum designatur, voce* שכר *vinum vivum,* h. e. merum, non dilutum aut mixtum. Denique, quæ communis est interpretatio, *omne quod inebriare potest, apud Hebræos* Sicera *dicitur,* ut habet HIERONYMUS *lib. de Nominibus Hebraicis.* Consentit ABEN ESRA, cui ad h. l. שכר ממש כל דבר שישתכר ממנו *Sicera res est quævis, unde*

unde quis ebrius redditur. In qua notione nos quoque acquiescimus, ut Sicera ambitu suo omnia vini factitii genera, ex frugibus cumprimis parata, complectatur, quæ PLINIVS *lib. IV. Hist. Nat. cap.* 16. recenset; cui adde, quæ in hanc vocem commentatur HILLERVS *Hierophytici P. I. cap. XXXIV. p.* 321. qui diserte monet, vocem, 1) vinum, vitis genimen, & generosum quidem atque vetus, per Num. XXVIII, 7. 2) omne vinum factitium notare, quod fieri solebat e succo malogranatorum Cant. VIII, 2. e palmis maturis, e pomorum succo, ex hordeo, ficu, & e siliqua Syriaca; item e cornis, mespilis, sorbis, morisque. MAIMONIDES quidem in *Jad, Hilc. de Nasir. cap. V.* §. 1. siceram ex palmis aut baccis aliis, & quæ huc spectant, licitam Nasiræo pronunciat, cum lex illa tantum interdicat, quæ ex mistione cum vino fit facta: rectius tamen alii, cum PHILONE *de victimis p.* 654. potum quemcunque inebriantem hic designari & prohiberi existimant. Vide GROTII *Annot. ad Luc. I,* 15. Acetum porro & macerationem vini, acinos etiam & corticem, & quicquid quacunque ratione ad vini cognationem vel fructum accedere videatur, id omne in prohibitis habetur. Istam vero præcepti extensionem ne ad hyperbolen referas, sollicite cavit DAN. GERDESIVS *de Hyperbolis, ex Scriptura Sacra exterminandis, p.* 117. Rationem legis laudatus HILLERVS *c. l. p.* 294. eo refert, ne scilicet illarum rerum suavitate & dulcedine illectus, vini caperet desiderium. Cur autem vini usu interdicatur, causam pronunciat, quod potu inebriante corpus Nasiræi ad libidinem & intemperantiam incitatur, legumque divinarum inducitur oblivio, quo fit, ut integrum spiritum, & animam, & corpus, inculpate Deo conservare, & in corpore spirituque suo, Deum glorificare nequeat, 1 Thessal. V, 23. 1 Cor. VI, 20. A quo non multum abit MAIMONIDIS ratio, in *More Nevochim P. III. cap.* 48. qui ex versione BVXTORFII ita commentatur: *Ratio & causa præceptorum de Nasiræatu est manifesta: abstinentia videlicet a vino, quod multis primis & ultimis exitium attulit* (h. e. quod olim & hodie multos homines perdidit) *& robusti sunt omnes occisi ejus,* Prov. VII, 26. *& isti quoque in vino errarunt,* Jes. XXVIII, 7. *Nasiræatus vero proprietas est, ut per probibitionem ab omnibus ex vite confectis potibus, homo ad excellentiorem dignitatem promoveatur, ut rebus necessariis contentus esse discat. Nam qui ab eo abstinet, vocatur Sanctus, & collocatur in gradu Sacerdotis Magni, quoad sanctitatem, dum non ausus fuit, se polluere patre aut matre sua defunctis. Hæc etenim dignitas ipsi a sola a vino abstinentia provenit.* Paulo aliter causam edisserit LIGHTFOOTVS in *Hor. Hebr. ad Luc. I,* 15. *Tom. II. Opp. p.* 490. *b.* quem omnino vide.

Abstinentiam a tonsura capillamenti, his verbis Deus præcipit vers. 5: *Omni tempore separationis suæ, novacula non transibit per caput ejus, usque ad completum diem, quo Domino consecratur, sanctus erit, crescente cæsarie capitis ejus.* Quod enim consummatissimus Theologus, MARTIN. GEIERVS *de luctu Hebræor. cap. VIII.* §. 6. probe observavit, communis inter priscos Judæos mos ita tulit, ut tonsis incederent capillis, secus ac Græci, veteres Romani, Galli aut Germani, qui comati erant. Ab hac itaque gentis suæ consuetudine discedere Nasiræi, & ex speciali lege comam alere, toto voti sui tempore, jubebantur, *adeo ut hi ipsi ab aliis popularibus facile internoscerentur ex coma.* In ratione autem legis reddenda multum discrepant Interpretes. VT eos taceam, qui mysticam commenti rationem, nutritionem capillamenti symbolum constituunt, nutritionis interioris, virtutum nimirum & studii pietatis, quo ABARBENEL *in h. l.* & GREGORIVS M. *lib. II. Moral. cap.* 26. tendit; R. BECHAI potius eandem pœnitentiæ adjumentum & testimonium fuisse tradit, לפי שיגדול שער מוליד הדאגה ויהיה לבו נכנע בעבודת השם יתברך בהיותו מנוול בשערו *quod capillus promissus mærorem & anxietatem inducat, ejusque* (Nasiræi) *adeo animus in cultu Dei demissius se gereret, crinibus capite deturpato.* Idque probare videtur LIGHTFOOTVS *in Horis*

U

ris Hebr. ad 1 *Cor. XI,* 14. *Tom. II. Opp. p.* 910. *b.* ubi, *fuit enim,* inquit, *nutritio comæ in Nasiræatu humiliationis specimen, atque abnegationis sui, ut & erat abstinentia a vino & uvis. Religiosum quendam squalorem, ut ita dicam, præ se tulit, & vilificationem sui.* Rursus vero SPENCERVS *lib. III. de Legib. Hebræor. ritual. Dissertat. I. cap. VI. p.* 583. *sqq.* totus in eo est, ut probet, ex Aegyptiorum, aliorumque Gentilium ritu, omnem istam Nasiræorum religionem manasse. Gentiles enim capillos Diis nutrivisse, eosdemque resectos iis pariter consecrasse; a qua superstitione ut suos avocaret Deus, legem ejusmodi tulisse. Hoc fine, magno eruditionis profanæ apparatu, *tribus sectionibus* sententiæ suæ fidem conciliare laborat. Sed dudum ante SPENCERVM, idem censuit PAVLVS FAGIVS, qui *in Paraphras. Chaldaic. Num. VI.* consulto id præcepisse Deum tradit, *ut errores & superstitiones, quas in Aegypto imbiberant Israelitæ, & quibus antea Dæmones coluerant, Deus ab ipsis ita sensim in se derivaret, atque ita in melius commutaret.* Posthæc HEINSIVS *in Aristarcho Sacro cap. IV. p.* 750. ubi Nasiræos, quod in Aegypto viderant didicerantque, peregrinis comam Diis devoveri, hoc ad proprium ac verum, id est, suum Deum transtulisse perhibet. Hos omnes dudum antevertit CYRILLVS ALEXANDRIN. quando *lib. XVI. de adoratione in Spir. & verit. Tom. I. Opp. f.* 575. postquam & de Gentilibus, comam Dæmoniis nutrientibus, & de Nasiræorum coma ex instituto egisset, statim subjicit: Μωσῆς γε μὴν ὁ σοφώτατος, μᾶλλον δὲ διὰ Μωσέως ὁ πάνσοφός τε καὶ ἀριστοτέχνης Θεὸς, δυσαπόνιπτον ἔχουσι τοῖς ἐξ Ἰσραὴλ τὴν ἐν Αἰγύπτῳ πλάνησιν, τὰ ἴσα νομοθετεῖ, διὰ τῶν ἀρχαίων ἠθῶν τε καὶ τρόπων κατὰ βραχὺ μεθιστὰς, εἴς γε τὸ δαίμοσι μὲν οὐκέτι, Θεῷ δὲ τῶν πάντων, ὡς διὰ τύπου καὶ σκιᾶς, ἀνάπτειν τὸ σέβας. *Moses vero sapientissimus, immo vero per Mosen ille longe omnium sapientissimus atque optimus artifex Deus, filiis Israel, quibus adeo Aegypti error insederat, ut ægre ablui posset, eadem præcipit, ac per veteres illos mores atque ritus paulatim eo transfert, ut non amplius Dæmoniis, sed omnium Deo, tanquam per figuram & umbram eum cultum deferrent.* Verum, quod contra SPENCERVM certatim monuerunt viri docti, κακοζηλίαν potius Gentilium, sacros veri Dei ritus a Judæis mutuantium, & ad suas transferentium superstitiones, (quam vir exquisitæ doctrinæ, IOH. MICH. DILHERRVS binis dissertationibus, *Tom. II. Disputatt. Academ. IX. p.* 162. & *p.* 199. scite, & summo omnium cum applausu evicit, (hic quoque agnoscendam esse, quam, ut Gentiles legis divinæ, aut rituum sacrorum statuamus auctores; maxime, cum gentilis illa comæ consecratio ad Mosaicam divinæ Nasiræatus institutionis ætatem nullo modo assurgat. Hinc aliam GROTIVS *in h. l. Num.* ingressus viam, cæsariem promissam ad voti refert figuram, quod uti coma prolixa capitis onus, ita votum conscientiæ sit; unde quoque funes signa voti dicunt, quod utrumque liget. Si quid in re incerta dicendum, ratio, cur aleretur coma, in ipsa lege hæc indicatur, ut completo voti tempore, capilli nutriti super altari cremarentur, præterea quoque prolixa, & a capite non deturbata cæsarie, Nasiræi ab aliis internoscerentur. Istud autem cumprimis tenendum, hac lege non omnes in genere Nasiræos, sed temporarios tantum teneri, & quos dicunt, Simsonæos. Vnde MAIMONIDES נזיר עולם *Nasiræum perpetuum* semel quotannis, quando ipsum gravabat coma, tonderi consuevisse perhibet, ad instar Absolomi; de qua tamen & distinctione, & constitutione, paulo post plura.

Abstinentia denique a pollutione ex mortuo contracta, his legis verbis injungitur, vers. 6, 7. *Omnibus diebus, quibus se abstinet Jehovæ, ad animam* (cadaver) *mortui non veniet, propter patrem suum & propter matrem suam, propter fratrem suum & propter sororem suam; non polluet se propter illos, in morte eorum* כי נזר אלהיו על־ראשו׃ *quia separatio Dei ipsius* (votum, quo Deo segregatus & dicatus est) *super capite ejus:* Vers. 8. כל ימי נזרו קדוש הוא ליהוה *omnibus diebus separationis suæ sanctus erit Jehovæ.* Ratio instituti est manifesta. Nasiræi Deo,

Deo, ejusque cultui, toti erant consecrati, eaque propter ab omni eo, quod eos a Sanctuario arcere, & ineptos ad cultum reddere poterat, abstinere jubebantur. Levitica autem immundities contrahebatur attactu mortui, nec ejusmodi polluto fas erat, ad Sanctuarium appropinquare. Paulo aliter hanc rationem effert ABARBENEL *in h. l.* כי חי העולמים הוא חלקו לא המתים: *quia* (Deus, qui) *in æternum vivit, est portio illius, non mortui.* Atque in eo, in gradu Sacerdotis Magni constitutos fuisse Nasiræos, quoad sanctitatem, perhibent Magistri, quod neutri in funere patris aut matris se polluere, integrum esset, Exceptioni tamen locum dant apud MAIMONIDEM in *Jad, Hilc. Nasiruth cap. VII.* §. 12. וכיצד הוא מותר בטומאת מת מצוה *Sed quando* (Nasiræus) *impune potest se polluere mortuo præcepti?* היה מהלך בדרך ופגע במת שאין שם מי שיקברנו הרי זה מטמא לו וקוברו ודברים אלו דברי קבלה הן: *Si talis iter faciens, offenderit mortuum, nullus autem præsto sit, qui ultimo sepulturæ honore eum afficiat, ecce!* (Nasiræus licite, nec irritum reddens votum suum) *tali se polluit & sepelit eum: quæ quidem constitutio est ex traditione.* Mortuus enim præcepti duplici sensu dicitur: *vel* qui, ex sententia Synedrii vel Magistratus, mortem erat passus violentam, secundum præceptum & leges eidem inflictam, *vel,* qui juxta legem Dei sepeliendus erat, ne ultimo humanitatis officio orbaretur. Posterioris generis hic intelligitur: hac tamen addita cautela, Nasiræo alta voce prius, conspecto mortuo inhumato, clamandum fuisse, & si quis ei responderit & accesserit, mortuum ipsi tangere non licuisse. Sin minus quis adesset, sepelire tenebatur. Summæ nimirum pietatis esse rebantur, mortuos plangere, sepulcralia eis parare, funus curare, feretrum subire &c. ut huic officio præ ceteris omnibus גמילות חסדים *retributionem misericordiæ* assignarent; quin Deo quasi injuriam fieri censebant, si non sepeliretur, ad cujus quippe imaginem esset conditus; juxta ABARBENELEM *ad Lev. XXI.* Pergit MAIMONID. §. 13: Si Nasiræus & Sacerdos (iter facientes una) reperirent mortuum præcepti, immundabat se Nasiræus, licet dies priores, ex voto jam observatos, destrueret, & offerret oblationem immunditiei. Non autem immundabat se Sacerdos, quia Nasiræi sanctitas erat temporaria, sanctitas autem Sacerdotis erat perpetua. §. 14. Si duo simul Nasiræi mortuum invenirent, quorum unus observaret Nasiræatum triginta dierum, alter centum dierum, immundabat se ille, qui triginta erat dierum. §. 15. Ita quoque, si unus esset Nasiræus certi temporis, alter esset perpetuus, prior se immundabat.

Ad §. II. pag. 20.

(4) *Hic Naziræatus rursus duplex fuit*] Pergit Auctor IV. ad Distributionem; quæ rursus varia est, ita ut

α) ratione Ortus, alii essent *Votivi;* qui voto nuncupato, ad servandam Nasiræatus legem, ultro se obstrinxerant, sive voto simplici, sive ad duos, tres, quatuor & amplius, Nasiræatus extenso, quos omnes, unum post alterum exsolvere tenebatur, ut est apud MAIMONIDEM *cit. loc. cap. III.* §. 6. ubi simul varias vovendi formulas sub censuram vocat, & definit. Cumque votum hoc magnum in insignem abiret abusum, ut ex levissima tum causa, tum mente, multi illud nuncuparent, hinc ultimis temporibus in insignem Nasiræos excrevisse numerum dolent Magistri, ita ut teste Talmud. Hierosolym. Cod. *Beracoth fol.* 11. *col.* 2. in diebus Jannæi Regis, trecenti simul Nasiræi ad Simeonem Ben Shetah accessisse legantur. Alii *Nativi;* qui ante nativitatem jam, huic Nasiræatus instituto dedicabantur, vel ex divina destinatione, ut Simson, & juxta Christianos Doctores, Johannes Baptista, vel ex voto matris, ut Samuel; eumque in finem ab utero ad leges Nasiræatus educabantur. Horum etiam mater, & dum prægnans esset, & dum lactaret, ab iis omnibus abstinebat, quæ Nasiræo erant prohibita, ne infans Nasiræus lacte nutriretur, quod ex vino aut sicera ortum traheret, aut pollueretur in mortuo, polluta scilicet matre,

 quæ

quæ uterum gerebat. De Simſonis Naſiræatu, ne addamus plura, otium nobis fecit laudatus ſupra CREMER, qui ex ſingulis capitibus Jud. XIII-XVI. Simſonem cum literalem, tum myſticum, ampliſſimo commentario illuſtravit *in Naziræo p.* 85. *ſqq.*

β) ratione Durationis, eſſent alii נזירי ימים *Naſiræi dierum*, vel, quod idem eſt נזירי זמן קצוב *Naſiræi temporis conſtituti*, ſive temporales, alii נזירי עולם *Naſiræi ſeculi*, h. e. perpetui: illi, quorum Naſiræatus certo, definitoque tempore elapſo, exſpirabat, oblatisque ſacrificiis conſummabatur: hi, quorum θρησκεία totam ſibi vendicabat vitam, nec niſi morte terminabatur. Quin & poſterioris generis, præter nativos, ii quoque erant, qui poſt conceptum votum, per omne vitæ ſpatium Naſiræatus legem obſervabant. Huic Naſiræorum ordini filiam Jephtæ nonnulli adſcribunt, eamque in perpetuum traditam volunt Naſiræatum; quam tamen ſententiam, poſt alios, e Noſtris refutarunt IOHAN. CONR. DVRRIVS *Theol. Moral. cap. II. Part. II. de Jur. & Vot.* §. 53-60. & CASP. BROCHMANDVS *Tom. II. Syſtem. Theol. Art. de Votis cap. III. Caſ. Conſc. VI.* Quin &, juxta MAIMONIDEM *cit. loc. cap. II.* §. 20, 21. omnis hodie vovens, Naſiræatum ſeculi ſuſcipit, teneturque in Terram Sanctam ſe conferre, ibique voto ſatisfacere, donec exſtruatur templum, ut ſacrificia ſua, quæ extra templum offerre piaculum eſt, finito voti tempore offerre queat. Cunctis vero diebus, quibus extra Terram Sanctam manet, a vino, a mortuorum contactu, & a raſura abſtinere ſe tenetur, כל דקדוקי נזירות עליו *omnes minutiæ Naſiræatus ipſi incumbunt.* Denique ad נזירי עולם *Jacobum* Juſtum, fratrem Domini referunt nonnulli, cum SIGONIO *lib. V. de Republ. Hebr. cap. VIII. p.* 251. *ſqq.* & THEODOR. RVINARTO *in Actis primor. Martyr. ſinceris p.* 3. quod ille, teſte HEGESIPPO, apud EVSEBIVM *lib. II. Hiſt. Eccleſ. cap.* 23. ab utero ſanctus fuerit, a vino & carnibus abſtinuerit, comam non totonderit, unguentis & balneis nunquam uſus fuerit, quod intimum Sanctuarium ingrediendi poteſtatem ſolus habuerit, quod non lanea, ſed lintea tantum veſte indutus fuerit, & genua ejus, ob crebras geniculationes, inſtar cameli, occalluerint. Paria de ipſo EPIPHANIVS tradit, *Hæreſi LXXVIII. f.* 502. ſed fide adeo dubia, ut non SCALIGER modo iſtam de Jacobo relationem variis argumentis, in ſuis *ad Euſebianum Chronicon animadverſionibus p.* 191. impugnarit, verum etiam ex Noſtratibus, nugis accenſuerit BALTH. BEBELIVS *Antiquit. Evangel. & Judaic. Art. VII. Sect. V.* §. 12. *p.* 739. & idoneis rationibus exploſerit THOM. ITTIGIVS *Hiſt. Eccleſ. Sec. I. Cap. VII. Sect. V.* §. 15. *p.* 446. *ſq.* Prioris autem generis Naſiræos temporales non minus, quam triginta dies voto ſuo impendere poterant, ita ut oblatio & tonſura trigeſimo primo perageretur die: hinc MAIMONID. *c. l. cap. III.* §. 1. סתם נזירות שלשים יום *Naſiræatus abſolute talis, eſt XXX dierum:* idque cum Scriptura non definiat, Magiſtri per Gematriam elicuerunt ex voce יהיה, quando Num. VI, 8. de Naſiræo dicitur קדוש יהיה *ſanctus erit Domino:* ut videre licet in *Jalkut ad Num. VI. fol.* 209. *col.* 2. Hinc licet quis pauciorum dierum ſpatium expreſſerit, v. g. ecce, Naſiræus ſum unum, aut decem, aut viginti dies, triginta tamen explere cogebatur, שאין נזירות פחותה משלשים יום *quia non datur Naſiræatus, niſi triginta dierum* ad minimum. Si quis vero ſupra hos XXX dies, vel aliquot integros Naſiræatus, vel aliquot tantum dies, vel annos voverit, neceſſe habuit, ut tempus illud ſubinde ſecundum XXX dies numeraret, iisque expletis, novum ſubinde Naſiræatum inchoaret, ut ibidem MAIMONIDES §. 2. & 3. tradit. Naſiræos perpetuos diſtinguebant porro

γ) ratione Exempli, in נזירי אבשלום *Abſolomæos*, qui Abſolomi ſequebantur inſtituta, & נזירי שמשון *Simſonæos.* De his ita præcipit *c. III.* §. 13. MAIMONIDES: Abſolom erat Naſiræus perpetuus. Naſiræus autem perpetuus, ſi redderetur immundus, offerebat oblationem pro immunditie & peragebat tonſionem immunditiei, ſicut Naſiræus definiti temporis. Simſon vero

vero non fuit Naſiræus perfectus, quia non fecerat Naſiræatus votum, ſed Angelus illum ſeparaverat ab immunditie. Erat autem ei prohibitum vinum & prohibita tonſio, ſed licite immundabatur ex mortuo: licite enim accedebat ad cadaver leonis, indeque mel depromebat. Vnde qui vovebat Naſiræatum Simſonæum, prohibitus erat a vino & tonſura in perpetuum: non autem tondebat ſe ſingulis duodecim menſibus, ſicut ſe tondebant alii Naſiræi perpetui, & licite immundabatur ex mortuo: neque ille Naſiræatus Simſonæus ſolvi poterat. Adſtipulatur ex aſſe LIGHTFOOT. *in Hor. Hebr. ad* 1 *Cor. XI,* 14. *T. II. Opp. f.* 910. *b.* ubi ita pronunciat: *Falluntur plurimum, qui Abſolomum comatum ex ſuperbia inceſſiſſe arbitrantur, cum ita ſaltem inceſſerit ob votum (fictum ſaltem) Naziræatus. Veriſſime* Hieroſolymitani *in Nazir, fol.* 51, 2. אבשלום נזיר עולם היה Abſolomus *inquiunt*, fuit Naziræus perpetuus. *Veriſſime, inquam, in hoc, quod Naziræum eum aſſerant: at de perpetuitate voti ejus hic non diſputabimus. Vide* 2 *Sam. XV,* 7, 8. Pariter SEB. SCHMIDIVS *Comment. in* 2 *Sam. XIV,* 25. Naſiræatum Abſolomo largitur, ſed temporarium. Contra vero nititur doctiſſimus Theologus Danus, HECT. GOTTFR. MASIVS *Diſſertat. Academ. T. II. diſp. II. de capillo Abſolomi* in cit. Sam. loc. §. 9. *p.* 36. *Nullum vero indicium eſt*, inquiens, *Abſolonem ejusmodi voto, ſive temporali, ſive perpetuo fuiſſe obſtrictum, omnes potius circumſtantiæ Textus contrarium evincunt. Equidem cæſariem alere Naſiræis proprium erat, ſed absque tonſura, ut expreſſe præceptum Num. VI,* 5. *Sicut & de Samſone legitur Jud. XIII,* 5. *non aſcendet novacula ſuper caput ejus; & de Samuele* 1 *Sam. I,* 11. *Abſolon autem quotannis tondebat capillum. Naſiræis a vino abſtinendum erat, ut ex locis allegatis patet; Abſolonem vero adeo non eſt probabile, a vino abſtinuiſſe, ut gulæ potius deditum fuiſſe, ſuſpicio ſit. Sane, in iſto convivio, quo Ammonem fratrem excepit doloſus ſicarius, non parcum vini uſum fuiſſe legimus,* 2 *Sam. XIII,* 28. Immo, & ex ipſis Hebræis, R. DAV. KIMCHI ad *cit. loc.* fatetur, Magiſtros, Abſolonem Naſiræum fuiſſe, ſaltem ex traditione hauſiſſe, ex Scripturæ vero Textu non petiiſſe, *cum potuerit fieri, quod aluerit capillos ſuos ad decorem, ut pulcrior videri potuerit, & ſingulis annis, quia gravabant eum capilli adeo, ut eos ſuſtinere nequiret, detondendos eosdem curarit.* Vnde facile colligitur, iſtam de annua cæſariei tonſura, Naſiræis perpetuis uſu recepta, traditionem, ingenio potius Rabbinorum, quam priſcæ conſuetudini, aut teſtibus idoneis, in acceptis eſſe ferendam. Potiori jure ad Naſiræos perpetuos *Samuelem* referunt, de quo *cit. cap.* MAIMONID. §. 16. שמואל הרמתי נזיר עולם היה׃ לפיכך האומר הריני כשמואל הרמתי׃ כבן חנה׃ כבן אלקנה׃ כמי ששסף את אגג בגלגל׃ וכיוצא כאלו הרי זה נזיר עולם׃ *Samuel Ramathæus erat Naſiræus perpetuus. Itaque, ſi quis diceret: ero, ut Samuel Ramathæus; ut filius Hannæ; ut filius Elkanæ; ut ille, qui dilaniavit Agagum in Gilgal: ille erat Naſiræus perpetuus.* Denique quando *Joſephus* Deuter. XXXIII, 16. *Naſiræus e fratribus ſuis* appellatur, non ad Naſiræatum hoc referendum eſt, ſed exponente IARCHIO, שהופרש מאחיו במכירתו *quia ſeparatus fuit e fratribus ſuis per venditionem ſuam.* נזיר enim in genere hominem ſeparatum notat, quocunque modo ſe habeat, licet non ſit ſeparatus præciſe ratione abſtinentiæ a vino, & ratione cavendæ immunditiei, ex mortuo contractæ. Atque huc pertinet PETRI ZORNII diſſertatio, de נזירים / *Miſcellan. Lipſienſibus Novis, Vol. IV. P. III. n.* 2. inſerta, qua ex Gen. XLIX, 26. Thren. IV, 7. & Nahum. III, 17. evincit, præter Naſiræos vel ex voto, vel ab utero, hanc appellationem viris principibus quoque, ex ordine procerum competiiſſe, qui vel in republica vel in eccleſia, ſumma cum dignitate verſabantur.

Addimus V. Naſiræatus conſummationem, per comæ tonſuram & ſacrificia. Ea in temporariis ſolum Naſiræis locum habebat, & luculenter in Scriptura definitur Num. VI, 13. ſqq. a MAIMONIDE vero uberius explicatur *cit. loc. cap. VIII.* §. 1. *ſqq.* cujus potiora hæc ſunt: Cum

 exple-

explevisset Nasiræus dies Nasiræatus sui, offerebat tres bestias, nempe agnum in holocaustum, agnam in sacrificium pro peccato, & arietem in sacrificium salutare. Si autem non expressisset nomina sacrificiorum (quale animal cuique sacrificio destinaret) tamen bestiam, quæ congruebat sacrificio pro peccato, offerebat in sacrificium pro peccato; quæ sacrificio salutari congruebat, eam offerebat in sacrificium salutare; quæ holocausto, in holocaustum. Offerebat etiam, cum sacrificio salutari, sex decimas Ephæ, & tres tertias decimæ similæ, ex quibus coquebat viginti placentas, decem crassas azymas, & decem tenues azymas, & ungebat viginti illas quartali olei, & offerebat in uno vase. Deinde mactabat Sacerdos sacrificium pro peccato, postea holocaustum, & sacrificium salutare, & postea tondebat. Si autem totondisset, antequam mactatum esset sacrificium pro peccato, vel holocaustum, debito suo satisfecerat. Coquebat etiam, vel totaliter, vel ex parte, sacrificium salutare, & de jusculo sacrificii salutaris aliquid illinebat crini (detonso), & deinde illum projiciebat in ignem sub olla sacrificii salutaris. Quodsi autem sub ollam sacrificii pro peccato projecisset, debito satisfecerat (ita ut toleraretur, sed non ex legis rigore). Postea capiebat Sacerdos brachium coctum de ariete, & placentam crassam azymam de canistro, & unam placentam tenuem, ac imponebat manibus Nasiræi, & agitabat, ac deinceps licebat Nasiræo bibere vinum, & immundare se ex mortuo, solutusque erat a voto. Ceterum peragebatur tonsio in atrio mulierum, in conclavi Nasiræorum, quod ibi erat in angulo orientali australi, inter Orientem nempe & Austrum, ubi etiam coquebant Nasiræi sua sacrificia salutaria, & projiciebant crinem in ignem. Quod si totondisset Nasiræus in provincia, extra Vrbem sanctam, absolvebatur. Sive autem in provincia, sive in sanctuario totondisset, sub ollam projiciebat crinem suum. Nec prius tondebat, quam janua templi aperta esset, quia januæ tentorii conventus fit mentio in Scriptura, non quasi ante januam tonderet, quia istud sanctuario dedecori fuisset. Sed & alia votum solvendi ratio suppetebat, ut plane evanesceret, nec observaretur; de qua MAIMONID. *cap. II.* §. I. ita præcipit: מי שנדר בנזיר ונחם על נדרו הרי זה נשאל לחכם ומתיר לו נזירותו כדרך שמתירין שאר הנדרים: *Si quis voverit Nasiræatum, eumque voti pœniteat, ecce! hic rem exponat Sapienti cuidam, eumque roget, & ille tale votum solvet, uti alia vota relaxant.* Quod si חכם non adfuerit, tum שלשה הדיוטות *tres viros triviales*, seu idiotas, idem præstare potuisse, testis est *ibid.* §. 5. Quod tamen in temporario solum, non item in Simsonæo, vel perpetuo, locum habebat voto.

Ad §. II. pag. 20.

(5) *Illius sortis fuit Paulus, & cum ipso quatuor illi Act. XXI,* 23.] Velut universam *de Nasiræis* tractationem diligenter, & cum cura, tribus dissertationibus Jenæ A. 1676, 1677. complexus est GEORG. FRID. MEINHARDVS, sic *de* hoc *Pauli Nasiræatu* peculiari lucubratione, *in Act. XVIII,* 18. Vitembergæ A. 1680. ex instituto & erudite commentatus est, nobisque otium fecit. Potiora rei gestæ capita strictim saltem tangemus. Duo in hanc sententiam testimonia citantur: alterum, quod Auctor silentio involvit, Act. XVIII, 18. de quo paucis primo loco dicemus. Et *primo* quidem, de capite Deo devoto, quod tonsuram admiserit, ambigue disputatur, magni nominis Interpretibus *Aquilæ* illam tribuentibus, cui proxime *κειράμενος* in Textu jungitur, aliis vero, quibus verba: *καὶ σὺν αὐτῷ* Πρίσκιλλα *καὶ* Ἀκύλας, per parenthesin inserta creduntur, referentibus ad *Paulum.* Posterioribus nos merito accedimus, quia princeps ibi de Paulo est narratio, cui cum reliqua verba omnia, quod *commoratus fuerit, vale dixerit, abnavigaverit, Ephesum venerit, comites suos ibidem reliquerit,* citra dubium sint tribuenda, nulla apparet ratio, propter quam tonsura capitis, eodem orationis filo asserta, eidem deneganda, & ad comitem ejus Aquilam, cujus solum *ὡς ἐν*

παρόδῳ

παρόδῳ mentio injicitur, sit pertrahenda. *Hinc* de ipsa quæritur tonsura, cujusnam illa generis fuerit? Tonsuram ex Nasiræatus lege incumbentem censent complures, sive illa תגלחת טהרה *tonsura munditiei*, post absolutum votum, sive תגלחת טומאה *tonsura immunditiei*, ob votum contracta pollutione legali interruptum, esset, ita ut pollutam comam resecare, & novum auspicari Nasiræatum teneretur immundus. Priorem, locum hic habere non posse, in propatulo est, quia Cenchreis offerre non licebat sacrificium, quod tonsuræ munditiei semper jungebatur. Nasiræus enim eo ipso, quo caput radebat, die sacris operabatur, & sacrificia Deo offerebat, quæ, nisi Hierosolymis, rata non erant. Hinc alii ad immunditiei delabuntur tonsuram, quæ teste MAIMONIDE in *Hilc. Nasir. cap. VI.* §. 14. ad ostium sanctuarii non præcise adstringebatur, nec necesse habebat pollutus, להשליך שערו על האש ובין שגלח במרינה או במקרש שערו אסור בהנאה וטעון קבורה ואפרו אסור כאפר כל הנקברים: *capillos mittere sub ignem: sive autem talis se totonderit in provincia* (terræ Israelis) *sive* (Hierosolymis) *in sanctuario, capillus nihil prodest, & ipse sepelire eum debet; cujus pulvis instar reliquorum sepultorum prohibetur.* Istud tamen Nasiræo incumbebat polluto, ut tonderetur ex lege, septimo a pollutione die, sacrificia vero offerret die octavo; quod si autem octavo tonsura facta esset, eodem die fieri debebat oblatio. Quando itaque extra Vrbem ejusmodi peragebatur tonsura, necesse erat, ut eandem septimo die ex lege factam, die octavo sequeretur oblatio. Cenchreis itaque cum facta memoretur Apostoli tonsura, fidem omnem superat, eum tanta locorum intervalla tam brevi temporis spatio emetiri potuisse, ut postero die sacrificia Hierosolymis offerret. Vnde liquet, ad Nasiræatus votum Pauli tonsuram plane non spectare, sed aliam agnoscere originem. Voti quidem hic sit mentio, sed, quod scite observat SAM. PETITVS *lib. I. Var. lect cap.* 3. *pag.* 17. verba, εἶχε γὰρ εὐχὴν, complectuntur *αἰτιολογίαν non ejus, quod immediate præcedit*, κειράμενος τὴν κεφαλὴν, *sed hujus potius*, ἐξέπλει εἰς τὴν Συρίαν. *Navigavit*, uti porro subjicit, *in Syriam, ut festum Hierosolymis ageret, atque istud est, quod voverat D. Paulus. Itaque paulo post Ephesiis dicebat, oportere omnino, ut diem festum, qui instabat, ageret Hierosolymis. At vero, quare id oportet omnino? non id fit propter legem illam Mosaicam, qua cavetur de tribus festis, ab omnibus celebrandis, Hierosolymis: nam biennium fere Corinthi, & totum triennium Ephesi commoratus est, nec Hierosolyma petiit, ut festa agitaret. Quod igitur dicit b. Paulus hoc in loco se eo esse necessitatis adactum, ut Hierosolyma proficisceretur ad festum, adactus est ex voto, non quod jam amplius lege Mosaica teneretur.* Jam itaque, Hierosolymas profecturus consultum putabat, in gratiam Judæorum, instituto libero, quamvis ex more Judaico, comam sibi tondere, quam hactenus, dum inter Corinthios versaretur, eorum causa, & ex Græcorum more aluerat: ut scilicet Judæis fieret, ut Judæus, iis vero, qui sine lege essent, tanquam & ipse esset sine lege, 1 Cor. IX, 20. sq. In qua sententia, post magnum GEIERVM *de luctu Hebr. VIII.* §. 4. & GERBRANDVM VAN LEEVWEN *Comment. in h. l. Act. p.* 755. πολυμαθέστατος acquiescit IOH. CHRIST. WOLFIVS *in Curis ad h. loc. p.* 1280.

Ad alterum vero quod attinet locum, ab Auctore nostro diserte citatum, Act. XXI, 23. diversi a superiori generis est, Paulumque Nasiræatus votum non nuncupasse memorat, sed complevisse. Hoc etenim moris erat apud Judæos, ut, qui Nasiræis sacrificiorum & expiationis sumptus subministraret, in sanctimoniæ illorum ac religionis societatem venire crederetur. Testis est MAIMONIDES *Hilc.* נזירות *cap. VIII.* §. 18. האומר הרי עלי לגלח נזיר חייב להביא קרבנות תגלחת טהרה ומקריבן על יד אי זה נזיר שירצה: *Si quis diceret: recipio in me tonsionem Nasiræi, offerebat oblationes tonsionis mundæ, per quemcunque Nasiræum vellet.* Pergit ibidem Magister: אמר הרי עלי חצי קרבנות נזיר או אם אמר הרי עלי לגלח חצי נזיר הרי זה מביא

מביא חצי הקרבנות לאי זה נזיר שירצה׃ ואותו נזיר משלים קרבנותיו משלו׃ אבל אם אמר הרי עלי קרבנות חצי נזיר הרי זה מביא קרבנות נזיר שלם שאין לנו חצי נזירות׃ *Si diceret: recipio in me dimidias oblationes Nasiræi; aut si diceret: recipio in me dimidiam tonsionem Nasiræi, tum offerebat dimidias oblationes* (dimidiam scilicet sumptuum partem) *per quemcunque Nasiræum vellet: & Nasiræus complebat alteram dimidiam partem. Sed si diceret: recipio in me dimidium Nasiræatum, offerebat Nasiræi oblationes totas, quoniam dimidius Nasiræatus apud nos in usu non est:* in quem locum tamen existimat BEN DAVID, si dimidias voveret oblationes, etiam fuisse datas integras. Paulus itaque, quod fidem in Christum tam serio urgeret, legisque umbras, post revelatum corpus, ex necessitate Christianis non amplius incumbere doceret, in suspicionem sinistris adductus erat rumoribus apud Christianos, Hierosolymis magno numero ex Judaismo conversos, quasi defectionem a Mose persuaderet omnibus, qui inter Gentes erant, Judæis, eos non debere circumcidere filios, neque secundum ritus patrios ambulare, inculcans versu 21. Eam ob causam Jacobus, & Seniores Ecclesiæ auctores ipsi, suasoresque fiunt, ut in religionis communionem veniret quatuor voto obstrictorum virorum, sumptibusque in illos erogatis, palam testaretur, se legis Mosaicæ, quamvis servatu amplius necessariam recte negaret, hostem tamen non esse, remoramque hoc pacto auferret, quæ cum familiari ejus cum conversis e Judaismo consuetudini, tum ulteriori Judæorum conversioni, inde erat oritura. Paulus, qua erat facilitate, gnarusque cerimonias istas, quamvis mortuas, necdum tamen sepultas, nedum mortiferas esse, consilio paret, sanctificat se cum illis, ingreditur templum, denunciat se tantum pecuniæ destinasse in victimarum sumtus, offerendarum expletis diebus sanctificationis, quorum, ut ex versu 27. colligitur, septem duntaxat restabant. Num recte sic suaserint Presbyteri, recte morem gesserit Paulus, graviter & erudite discutit HERMANN. WITSIUS *in vita Pauli, sect. X. §. 4, 5, 6. Meletemat. Leydens. p. 150. sqq.* dignus, qui videatur. Votum illud, quale fuerit, varie definitur a viris doctis. Nasiræatus votum fuisse, non videtur LUDOV. CAPPELLO *in Spicileg. ad h. l. p. 76.* sed *votum conceptum ob liberationem vel a morbo, vel ab aliquo periculo seu necessitate, prout tum temporis in more erat positum Judæis vovere, vel precibus vacare, & abstinere a vino, & radere comam triginta diebus, antequam victimas Deo cæderent*, idque exemplo voti Berenices ex IOSEPHO *lib. II. de bello Jud. cap. XV.* ille illustrat. Sed cum nulla appareat ratio, cur a Nasiræatu discedamus, rectius pro Nasiræatus voto calculum fert SAM. PETITUS *lib. I. Var. Lection. cap. II. p. 9 sqq.* ubi in hunc locum ex instituto inquirit, HERMANN. WITSIUS *c. l. §. 3. p. 149.* GERBR. VAN LEEUWEN *Comment. in h. l. p. 815.* & recentissime IOH. GOTTFR. LAKEMACHER *Observat. Philol. P. VI. Observ. V. p. 364. sqq.* ubi cum cura hunc excutit locum: quibus merito adstipulamur.

Ad §. II. pag. 20.

(6) *Et Johannes Baptista*] Hunc ut nativum statuerent Nasiræum viri docti, inducti videntur verbis Angeli Lucæ I, 15. οἶνον καὶ σίκερα οὐ μὴ πίῃ· cumprimis huc quoque refert LIGHTFOOTUS comma 24, & Elisabetham, tam severum edituram Nasiræum, occultasse se tradit, toto quo gestavit uterum, tempore, *ne seipsam polluendo, dum huc illuc spatiaretur, Naziræum in utero etiam pollueret:* nominari autem menses occultationis tantum quinque, ob historiam illico referendam mensis sexti, v. 26. Eandem absconsionis causam urgens IOH. REINH. RUSS *Harmon. Evangel. Lib. I. cap. III. p. 28.* Johannem *Naziræum & Deo devotum, etiam in utero materno,* diserte vocat, *ad instar Simsonis fere.* Rursusque *lib. IV. cap. XI. p. 966.* eum *nec vinum bibisse* perhibet, *Naziræum quippe ex utero matris suæ Luc. I, 15. exsistentem, qui ad exemplum Simsonis Judic. XIII, 14. coll. v. 5. & Samuelis*

1 *Sam. I, 11. aliorumque Naziræorum, quorum mores ipſe Deus finxit Num. VI, 1. ſqq. ab eo abſtinere debebant.* Verum præter hunc unam a vino abſtinentiam, quæ Rechabitis quoque injuncta legitur, & cujus aliæ fuiſſe potuerunt cauſæ, nihil in Johanne deprehendimus, quod ad Naſiræorum leges accedat, nihil de alenda per omnem vitam coma, nihil de fugienda ex cadavere pollutione, ut univerſa de Naſiræatu ejus traditio, in fumos abire nobis videatur. Hinc judicioſiſſimus SPANHEMIVS, pater, diverſo a veteribus Naſiræatus genere defunctum pronunciat Johannem, quando *P. II. Dub. Evangel. C.* §. 3. *p.* 686. ita habet: *Sane cum Johanni Naziræatu defungendum fuerit divina ſanctione, nec tamen Naziræorum veterum πολιτεία obſervanda, legalis quippe, & nec tempori Johannis, nec vocationi, nec miniſterio, nec præconio accommoda, mirum eſſe non debet, ſingulari victus & amictus auſteritate a Johanne Naziræorum θρησκείαν compenſatam, quo hac ſaltem ratione* נזיר *eſſet, ἀφωρισμένος vel κεχωρισμένος ab aliis ſui ordinis hominibus.* Cautius adhuc procedit SPANHEMIVS, filius, quando *in Vindiciis Evangel. Lib. I. T. III. Opp. p.* 9 *ſqq.* rurſusque *p.* 470 *ſqq.* copioſe de Johanne agit, de Naſiræatu tamen Baptiſtæ adeo ſibi temperat, ut nullam ejus meminerim injeciſſe mentionem: verum etiam alii, qui ex inſtituto Johannis vitam delinearunt, e Pontificiis BERNHARD. LAMY *in Harm. Evang. h. l.* e Noſtris BALTH. BEBELIVS *Antiquit. Evang. Art. II. ſect. I. p.* 57 *ſq.* THOM. ITTIGIVS *Hiſt. Eccleſ. Sec. I. cap. VII. ſect. IV. p.* 424. & SALOM. DEYLINGIVS *P. III. Obſervat. Sacr. XXVI. p.* 169. e Reformatis HERM. WITSIVS *Tom. II. Miſcellan. Sacr. pag.* 467 *ſqq.* Judaicum hoc Johannis inſtitutum alto ſilentio premunt, non prætermiſſuri, ſi de veritate rei ullo modo conſtaret.

Ad §. IV. pag. 20.

(7) *Qui recipiebant ipſius doctrinam,* Ναζωραῖοι, *Nazareni*] Iidem porro ſunt Nazareni, cum Nazarethanis, quibus urbs, vel vicus Nazareth, ſive ob ortum, ſive ob incolatum, nomen dedit, velut DAVID DE POMIS *in Lexico* habet: נצרי מי שנולד בעיר נצר גליל רחוק מירושלם דרך שלשת ימים: *Nazaræus eſt, qui natus eſt in urbe Galilææ Nazareth, itinere trium dierum ab Hieroſolymis diſtante.* Ibi conceptus, ibi educatus Chriſtus, nomen inde traxit, ut Ναζωραῖος diceretur Matth. II, 23. & qui ipſius doctrinam & religionem amplectebantur, Ναζωραῖοι, *Nazareni.* In vexatiſſimum Matthæi locum recentiorum ſententias congeſſit & examinavit b. WOLFIVS *in Curis ad h. l. p.* 45 *ſqq.* ubi in compendio reperies, quæ magno ſtudio conquiſita vix invenies. Nos quoque interpretationis & vindiciarum modum præivimus *in Crit. Sacr. P. III. Cap. II. p.* 848 *ſq. lit.* י. Hic ſufficiat, ex SPANHEMII *Dub. Evang. P. II. Dub.* 87-94. ubi pereruditе & copioſiſſime in verborum ſenſum inquirit, obſervaſſe, repudiandam 1) eorum eſſe ſententiam, qui cum ANDR. OSIANDRO exiſtimant, non a Prophetis hanc ſententiam eſſe ſcriptam, ſed a filiis & diſcipulis Prophetarum, qui literas propheticas recte interpretari noverant, hanc velut conſequentiam, e dictis & oraculis Prophetarum fuiſſe deductam, fore, ut Chriſtus Ναζωραῖος vocaretur, quia e Nazareth eſſet oriundus: 2) eorum pariter, qui cum CHRYSOSTOMO, MVSCVLO & WITHAKERO, Matthæum his verbis reſpexiſſe ſtatuunt ad locum aliquem e ſcriptis Propheticis, non ex eorum quidem numero, quæ hodieque in Canone Sacro V. T. reperiuntur, ſed ex iis, quæ vel temporum injuria, vel hoſtium Evangelii malitia & fraude interverſa & Chriſtianis erepta fuerunt, quam ſententiam ut mutilum faciant Codicem Hebræum, avide arripiunt Jeſuitæ: 3) eorum, qui Matthæum attendere cenſent ad diverſa Prophetarum loca, quibus Chriſtus vocatur נצר, *ſurculus*, v. g. Jeſ. XI, 1. LX, 21. Zach. VI, 12. ut Evangeliſtæ ſententia huc demum redeat: ideo conceſſiſſe, divina providentia, Joſephum cum Chriſto in urbem Nazareth, ut implerentur vaticinia Prophetarum, quibus Meſſiæ nomen נצר, unde denominatio oppidi

 Naza-

Nazareth, jam antiquitus tributum fuit, & hoc pacto e loco educationis probaretur, Jesum Nazarenum verum esse Messiam. Nazareth ergo a נצר dici, quasi locum fruticetis consitum, hinc Messiam נצרי *Nazarenum*, velut surculum, aut surcularium, & Christianos נצרים, vel נצריים, item אומה הנצרית *nationem Nazarenam.* Contra vero ea, 4) statuendum potius esse, Matthæum illa allegatione respexisse ad Nasiræos V. T. & inprimis ad aliquos illorum, qui præ aliis typi Messiæ fuere, & quibus magna cum Messia & multiplex intercessit conformitas. Mirabili ergo Dei consilio factum esse, ut Christus, occasione educationis suæ in Nazareth, vocaretur Ναζωραῖος, a Judæis quidem per contemtum, ob conditionem abjectam urbis Nazareth, a Deo vero sapientissimo consilio, in testimonium genti illi pervicaci, alio plane fini, ut designaretur, Christum esse verum Naziræum, & antonomastice quidem talem, verum antitypum & complementum Nasiræorum legalium, Regum simul & Pontificum, (quibus נזר *diadema* in Scripturis tribuitur; quique Nasiræis in sanctitate æquiparantur) & aliorum, Deo peculiari ratione consecratorum. Respicere autem Matthæum ad duos cumprimis typos Christi, Josephum & Simsonem, quorum uterque αὐτολεξεὶ Nasiræus vocatur, ille Genes. XLIX, 26. Deuter. XXXIII, 16. iste Jud. XIII, 5, 17. XVI, 17. Quia itaque Christus utrique respondere debuit, ut antitypus typis nomen Nasiræi gerere debuit, quod, quia æquum non erat, ut sortiretur a πολιτείᾳ vel θρησκείᾳ cerimoniali Nasiræorum legalium, alia occasione obtinere debuit, quam divina providentia, miro modo, ex mora Josephi in Nazareth nasci voluit, unde id nomen in vulgus illi etiam tributum, per contemtum quidem & probrum Judæorum, sapientissimo tamen Dei consilio, complementum typi hac nomenclatura in apricum ponente. In qua expositione, tanquam plana & adæquata, acquiescendum arbitror, quam peculiari dissertatione *de Jesu Nazoræo ex Matth. II, 23.* BERN. SEBAST. CREMER *Naziræo* suo *p.* 586 *sqq.* subjuncta, scite declaravit. Vtrumque sane, ad explicanda rite Matthæi verba, requiritur, cum, Nasiræorum typum in Christo impletum fuisse, quod post BIERMANNVM *in Mose & Christo lib. I. cap. VIII. p.* 183 *sq.* laudatus CREMER docuit *p.* 32 *sq.* 53 *sqq.* 592 *sqq.* tum, appellationi isti commorationem Jesu in Nazareth, hominibus consilii Dei non satis gnaris, ansam præbuisse. Aliud est cognomen בן נצר *ben Nezer*, quod ab insigni latrone mutuo petitum, Christo cum blasphemia accommodant Judæi, ut ex iis apparet, quæ ex *Jalkut* & ABARBENELE, BVXTORFIVS in medium attulit *Lex. Talm. p.* 1383. & ulterius confirmavit LIGHTFOOT. *disquisit. Chorograph. Johanni præmissæ cap. II. §.* 3. *Tom. II. Opp. p.* 578 *sq.* Quo demum pacto Nasiræorum typus ad Christianos accommodari queat, iidem, ille *p.* 185. hic *p.* 79 *sqq.* demonstrarunt. Ipsos quoque Christianos, Ναζωραίους, vel τὴν τῶν Ναζωραίων αἵρεσιν dictos fuisse, haud obscure ex Actor. XXIV, 5. liquet, ubi Paulus tanquam πρωτοστάτης τῆς τῶν Ναζωραίων αἱρέσεως, accusatus v. 14. Felici respondet: *Confiteor tibi hoc, quod juxta viam, quam hæresin vocant, sic colo patrium Deum, credens omnibus, quæ in Lege & Prophetis scripta sunt.* Sectam itaque largitur, quam Nazarenorum Judæi vocabant, nec a se alienam illam dicit, ita tamen describens, ut in Christianos, Jesum Nazarenum colentes, bene quadret. Licet autem hactenus, sub primis Ecclesiæ incrementis, Judæi per ignominiam, Christianos communiter Nazaræorum nomine appellarent: Apostolus tamen ab eo non abhorruit, cum sibi ab aliis imponeretur, verum ita, ut istud sibimet ipsi usurpasse non legatur. Idem ex HIERONYMO constat, qui *in Jes. V,* 18. de Judæis loquens testatur: *& ter per singulos dies, in omnibus Synagogis, sub nomine Nazarenorum, anathematizant vocabulum Christianum.* Has quidem diras in hæreticos Nazaræos jactas pronunciat EPIPHAN. *Hæres.* 29. *Cap.* 9, potior tamen penes me fides est HIERONYMI, cum trita apud Judæos הנצרים appellatio Christianos semper designet, unde calculum suum eidem quoque

quoque addit BARONIVS *Annal. ad A. C.* 43. *n.* 16. licet in eo ipsi contradicat BASNAGIVS *in Exercit. Crit. c. Baronium p.* 428. EPIPHANIVS pariter *lib. I. adv. hæref. hæref. XXIX.* iterata vice §. *I.* & *VI.* Christianos ab initio omnes, Ναζωραίους *Nazarenos* dictos fuisse affirmat. Distincte SPANHEMIVS fil. *Hist. Christ. Sec. I. Sect. XIV. Tom. I. Opp. f.* 576. Nazaræos ait, dictos fuisse *Christianos communi nomine, a Jesu Nazareno, ut Actor. XXIV,* 5. quod *deinceps restrictum* fuerit *ad Judæos Christiarizantes: inprimis a tempore excidii urbis & templi, ante quod cerimoniæ adhuc Christianis, Hierosolymitanis & Palæstinis observatæ, toleratæ saltem, quæ post illud sensim sepeliendæ fuerunt.* Attamen post ea tempora, & cum nomen Nazarenorum etiam Hæreticis & Pseudo-Christianis tribueretur, ne cum his confunderentur Christiani veri, causam habuisse videntur, ut ipsi a nomine isto abstinerent.

Ad §. V. pag. 20.

(8) *Exorti Sectarii*] Bene monet incomparabilis Theologus, IOH. GERHARDVS *Annotat. ad Act. XXIV,* 5. ex quo nomen Christianorum invaluit, Antiochiæ primum sectatoribus Jesu Nazareni imponi cœptum, factum esse, ut Nazaræorum nomen his maneret, qui Mosen cum Christo conjungebant. Quin addunt præterea alii, respuisse hos homines Christianorum titulum, & in titulo Nazaræorum superbiisse, a Nazareth civitate, a qua & Christus Nazarenus dicatur. Hinc LAMB. DANAEVS *Comment. ad Augustin. de hæref. cap. IX. p.* 82. scribit, *hæreticos illos fastuosa ostentatione se Nazaræos appellasse.* Quinam autem & quales fuerint, ambigue disceptatur a viris doctis. Sunt, qui cum FLACIO *in Glossa,* argumentum Epistolæ ad Galatas expositur o, cum I. H. OTTIO *in Exam. Annal. Baronii ad A.* 35. §. 9. *pag.* 154. SPANHEMIO mox citato, aliisque, eosdem cum Pseudo Apostolis faciunt, quibuscum Paulo negotium fuit, præsertim Antiochiæ, juxta Act. XV, 1, 5. & Gal. I, 7. II, 4. ac fere per totam Epistolam. Aut si non prorsus & per omnia eadem cum illis facientes, parum tamen ab illis discedentes, ita ut Paulus *tota Epistola ad Galatas contra Nazaræos istos non minus, quam contra ipsos Pseudo Apostolos disputasse* censendus sit, judice HENR. ALTINGIO *Theol. Hist. Lib. I. p.* 24. quem IOH. HENRIC. HOTTINGERVS sequitur *Hist. Eccles. P. I. cap. I. sect. V.* §. 4. *p.* 44. Quod tamen si ita se haberet, Paulus Nazaræorum sectam sibi objectam non admisisse, sed depulsurus potius a se fuisse censendus est probrum istud, quod antesignanus sit Nazaræorum. Ipsorum vero hæresin in eo sitam fuisse consentiunt tantum non omnes, quod Christum & Mosen, Evangelium & Legem confundentes, baptismum & circumcisionem, velut æque necessaria copularent, & Judaismum in Christianismo exercere cuperent, ut bene HIERONYMVS *Epist. LXXXIX. ad Augustin.* judicet: *dum* (Nazaræi) *volunt & Judæi esse, & Christiani, nec Judæi sunt, nec Christiani.* EPIPHANIVS ex instituto de illis *loc. cit.* agens, postquam §. *VII.* pronunciasset: τὰ πάντα δέ εἰσιν Ἰουδαῖοι, καὶ οὐδὲν ἕτερον, *meri sunt Judæi, neque aliud præterea,* id tamen discriminis paulo post observat: ἐν τούτῳ μόνον πρὸς Ἰουδαίους διαφέρονται καὶ Χριστιανούς· Ἰουδαίοις μὲν μὴ συμφωνοῦντες, διὰ τὸ εἰς Χριστὸν πεπιστευκέναι· Χριστιανοῖς δὲ μὴ ὁμογνωμοῦντες, διὰ τὸ ἔτι νόμῳ πεπεδῆσθαι, περιτομῇ τε καὶ σαββάτῳ καὶ τοῖς ἄλλοις. *Hoc igitur uno tam a Judæis, quam a Christianis differunt: ab illis quidem, quod in Christum credant; a Christianis vero, quod Judaicis adhuc ritibus implicentur, velut Circumcisione, Sabbatho, aliisque cerimoniis.* Paria de iis memoriæ prodidit AVGVSTINVS *de Hæresibus ad Quodvult Deum c. IX. T. VI. Opp. p.* 7. item *de baptismo c. Donat. Lib. VII. c.* 1. *T. VII. Opp. p.* 75. rursus *lib. I. contra Crescon. Gramm. cap. XXXI. Tom. eod. p.* 168. Alia de iis, ac si Nasiræos imitati, Simsonem cumprimis referre voluerint, perhibet PHILASTRIVS, qui *Catalog. Hæret. n.* 8. *p.* 4. Nazaræorum hæresin eam esse dicit, quæ *Legem & Prophetas accipit; carnaliter tamen vivendum affirmat, omnemque justificationem in carnali observantia*

vantia conſiſtere ſuſpicatur. Crines nutrientes capitis, omnemque virtutem juſtitiæ putantes in eo conſiſtere, quaſi a Sampſone illo ſibi hoc præſumentes judicii, quia Nazaræus vocabatur, a quo poſtea Pagani fortes viros ex illius figura uſurpantes Hercules nuncuparunt. Quam tamen traditionem, ab omni veterum calculo & conſenſu deſtitutam, auctori ſuo relinquimus. Ceterum Nazaræos a *Symmacho*, ſtatore ſectæ, *Symmachianos* ſuo adhuc tempore dictos, teſtatur AVGVSTINVS *lib. I. c. Creſconium c. XXXI. T. VII. p.* 168. alii ad Ebionitas quam proxime accedere aſſerunt, quos *legem Judaico more ſervandam contendiſſe*, teſtis eſt EVSEBIVS *lib. VI. Hiſt. Eccl. cap. XVII.* In eo tamen ab Ebionitis diſcrepaſſe ſtatuit RICH. SIMONIVS *Hiſt. Crit. N. T. cap. VII.* quod Nazaræi integrum V. T. Canonem cum Judæis retinuerint, Ebionitæ autem ſolum Pentateuchum uſurpaverint. Contra hos primam Synodum Apoſtolorum habitam nonnulli cenſent Act. XV. Porro, eos Evangelium Matthæi Hebraicum aſſervaſſe tradit, poſt alios, GER. IOH. VOSSIVS *in Diſſert. de Genealog. Chriſti cap.* 2. qui tamen vult diſtingui inter mutilatum ab Ebionitis Codicem, & integrum Nazaræorum Evangelium, quod nihil a Græco moderno Matthæo diverſum continuiſſe prius, aſſerit; inque integris, rurſus diſtingui debere inter eos Codices, quibus ab Ebionitis aliisve, mala mente, quædam fuerint adſuta, & alios, ubi ſolum addita fuerint, quæ Nazaræi a fide dignis acceperint. Hos igitur Codices, poſteriori modo conſideratos, dicit VOSSIVS non quidem pro Apocryphis, nec etiam pro Canonicis, ſed medii generis, nempe pro Eccleſiaſticis habendos. Quam tamen VOSSII ſententiam diſcuſſit & exploſit THOM. ITTIGIVS *de hæreſiarch. ævi Apoſtolici Sect. I. cap. VI.* §. 19. qui *a p.* 70. *usque ad* 84. *& in appendice a p.* 19. *usque ad* 24. de Evangelio Matthæi Hebraico copioſe & ſolide egit, ibidemque Nazaræorum hæreſin ex inſtituto recenſuit, rurſusque in compendio repetiit *in Hiſt. Eccleſ. Sec. I. cap. V.* §. 45 *ſqq. p.* 311.

Denique ſilentio præterire hic non poſſum literatum ſcurram, IOH. TOLANDVM, Hibernum, cujus *Nazarenus* tractationem exhibet, *de Judaica, Gentili, & Muhammedana Chriſtianitate, una cum hiſtoria veteris Evangelii* BARNABAE, *& moderni Turcarum Evangelii, quod eidem Apoſtolo tribuatur*, ubi ſimul *Chriſtianiſmi primævi delineationem in hiſtoria Nazarenorum* ſiſtere geſtit, Anglico idiomate Londini anno 1718. in 8. Hic cumprimis Nazaræos & Ebionitas unam eandemque fuiſſe ſectam, duplici nomine inſignitam, contendit, utrosque primos fuiſſe Chriſtianos, quibus BARNABAE Evangelium fuerit commendatum, quod adhuc ſervent Muhammedani: unde conficere nititur, ex Judæis, Gentilibus & Muhammedanis, colligendum eſſe veterem, eumque genuinum Chriſtianiſmum. Quem ſolide & cum cura confutavit Venerab. IOH. LAVR. MOSHEIM *in Vindiciis antiquæ diſciplinæ Chriſtianorum*, Hamburgi An. 1722. in 8. ubi de BARNABAE Evangeliis, & de diſcrimine Nazaræorum & Ebionæorum, ex inſtituto agit, & *cap. VI. p.* 117 *ſqq.* multo cum doctrinæ apparatu in Nazaræorum hiſtoriam inquirit, nihilque facit reliquum, quod ad profligandam TOLANDI impietatem pertinere videbatur.

Ad §. IX. pag. 20.

(9) *Alia Nazaræorum ſpecies*] Denuo EPIPHANIVS *lib. I. Tom. I. Panarii hær. XVIII.* aliquam commemorat Nazaræorum, ex Judæorum ſectis, ſpeciem ſive claſſem, quos *διακριτικῶς* vocat Νασαραίους, h. e. ut ipſe *in fine proœmii in Panar. p.* 6. interpretatur ἀφανιστάς, quaſi a verbo Syriaco ܢܣܪ, נשׂר *abſcindere, abolere*, dictos, ut FRANC. IVNIVS *in Parallel. ſacr. parall.* 8. *ad cap.* 2. *Matth.* derivat, idque nominis tuliſſe tradit EPIPHAN. eo quod τὰς τῆς πεντατεύχου γραφὰς οὐκ εἶναι Μωυσέως δογματίζουσιν, ἄλλας δὲ παρ' αὐτοῖς ἔχειν διαβεβαιοῦνται, *quinque illa volumina Moſis eſſe non putant, & alia ab iis diverſa penes ſe eſſe jactitant.* Quamvis alii a verbo

verbo נזר *ſeparavit*, appellatos malint, quod inſtitutis ſuis revera ab aliis ſegregati fuerint & ſeparati. Hos perhibet EPIPHANIVS patria & gente Judæos fuiſſe, e Galaatide, & Baſanitide, ac reliquis ultra Jordanem regionibus oriundos, qui circumciſionem cum Judæis, idem Sabbatum, eadem feſta, & cerimonias retineant, Patriarchas quoque ab Adamo ad Moſen eosdem, qui in Pentateucho recenſentur, agnoſcant, Pentateuchum tamen repudient, a ſacrificiis abhorreant, neque animata re ulla veſcantur. At enim vero, cum altum de his apud alios Scriptores ſilentium ſit, multi viri docti id ſibi perſuaderi non patiuntur, tum Nazaræos vocatos, tum inter Judæos ab EPIPHANIO relatos recte fuiſſe, qui Moſen e Sacro Codice expungunt, cujus tanta apud Judæos eſt veneratio. Hinc SCALIGER *in Elencho tribæreſii cap. XVII. p.* 127. & *cap. XXVI. p.* 209. EPIPHANIVM erroris hic arguit, qui ex una duas fecerit ſectas, alteram τῶν Νασαραίων, quam in Judaiſmo, *hær.* 18. alteram τῶν Ναζωραίων, quam in Chriſtianiſmo ponat. *hær.* 29. *Certe*, pergit, *ſive* Νασαραῖοι, *ſive* Ναζωραῖοι, *ambo omnino iidem ſunt* נצראי, *hoc tantum natum ex diſcrimine pronunciationum, quarum altera per σ, altera per ζ, Hebraicum Tzade reddit.* Quando vero FRID. SPANHEMIVS fil. loco paulo ante laudato, ita pronunciat: *Diſtinguunt quidam* Ναζωραίους, *ut nomen gentis;* Ναζηραίους *a* נזיר *Naziræus ; &* Ναζαραίους *vel* Νασσαραίους, *nomen hæreſeos: ſed promiſcue hos vocat* EPIPHANIVS *&* THEODORETVS, Ναζωραίους· perperam ad EPIPHANIVM provocat, qui Ναζωραίους a Νασαραίοις, ſtudioſe diſtinguit, utut fruſtra, quod paulo ante SCALIGER recte obſervavit.

AD

LIB. I. CAPVT IX.

DE ASSIDAEIS.

Poſtquam IOH. DRVSIVS peculiarem *de Haſidæis* libellum, qui *T. VI. Criticor. Sacr.* edit. Francofurt. *f.* 2005 *ſqq.* & ſtatim in fronte *Syntagmatis* TRIGLANDII, *de tribus Judæorum ſectis*, recuſus comparet, edidiſſet, NICOL. SERARIVS *in Trihæreſio*, ex inſtituto eum confutare aggreſſus, IOSEPHO SCALIGERO anſam ſubminiſtravit, *in Elencho trihæreſii cap. XXII.* ſuam de Haſidæis ſententiam interponendi. His jungatur ABRAH. HEIDANVS *de Origine erroris Lib. VIII. cap. I. §.* 3 *ſqq. p.* 425 *ſqq.* IOH. SAVBERTVS *de Sacerdot. Hebr. cap.* 19. edit. Cren. *p.* 686. SAM. BASNAGE *Hiſt. Jud. lib. II. cap. XII. §. V ſqq.* ex quibus abunde hauriri ſingula poſſunt, quæ ultra citraque de iſta Judæorum ſecta diſputantur.

Ad §. II. pag. 21.

(1) *Ante transportationem Babylonicam*] חסיד proprie eum notat, qui habet חֶסֶד *benignitatem, beneficentiam, probitatem*, & recte ὅσιος, *pius, ſanctus*, vertitur, qui pio eſt affectu, tum in Deum, tum in homines præditus. Paſſivam autem vocis notionem, qua חסידי יהוה *pii Domini* dicantur ii, quibus Deus benefacit, vel propter quos aliis benefacit, recte repudiat GVILIELMVS ROBERTSON *in Theſ. Linguæ Sanct. h. v. p.* 227. *a.* Contra vero חסיד שוטה *ſanctus fatuus*, ſuperſtitioſus eſt, de quo in proverbio dicitur *in Sota, Cap. III. Miſchnæ* 4. חסיד שוטה ורשע ערום ואשה פרושה ומכות פרושין הרי אלו מבלי עולם: *ſanctus fatuus, improbus, qui aſtutus, mulier Phariſæa, & vulnera Phariſæorum, ecce iſta ſunt, quæ orbi interitum afferunt*, h. e. in cauſa ſunt, ut rerum ordo mutetur, ut fœda & triſtis ubique ſit facies, interprete WAGENSEILIO *ad h. l. p.* 440. Velut itaque in Scriptura paria faciunt חסידים & צדיקים; ita quoque ante Maccabæorum tempora, abſque diſcrimine, hoc nomine veniebant omnes, qui ſancti-

ſanctimoniæ operam dabant, & ab impietate ſeculi ſecedebant, ut promiſcue τοῖς רשעים *impiis* opponerentur; utut vi vocis, חסידים *beneficos* potius, צדיקים vero, *recti juſtique tenaces* deſignent. Aſt poſt exceſſum Prophetarum, & Maccabæorum tempore, חסידים dicebantur κατ' ἐξοχὴν, qui nec minis, nec promiſſionibus, ab antiqua & patria abduci ſe patiebantur religione. Denique, rebus Judæorum in melius converſis, Haſidæos appellabant eos, qui peculiares ſibi, & nulla lege definitas præſcripſerunt, exactioris diſciplinæ regulas, & liberales in ſarta tecta templi erogabant ſumptus. Prima itaque ætate, pios quoscunque, ut Pſal. CXLIX, 1, media, immotos confeſſores, ultima religioſos, certique inſtituti obſervatores, hic titulus notabat. Inſignis præterea hic erat titulus honoris, quo R. Joſe parvus, R. Jehudæ Sancti familiaris & ſocius, mactabatur, quem שרשם של חסידים *radicem juſtorum*, item תמציתן של צדיקים ושל חסידים *compreſſionem piorum & religioſorum hominum*, ſeu, ut vulgus loquitur, *quintam eorum eſſentiam* dixere: de quo vide laudatum WAGENSEILIVM *c. l. p.* 990. Qui ergo 1 Macc. II, 42. VII, 13. & 2 Macc. XIV, 6. Ἀσιδαῖοι, & συναγωγὴ Ἀσιδαίων dicuntur, medii ſunt generis. Antiochus enim urbe vaſtata, immane quantum ſæviebat in Judæos, multosque græcari cogebat, circumciſione prohibita, & Gentiliſmo imperato, quin & ἐπισκόποις, *curatoribus* conſtitutis, qui vi, minisque populum adigerent, imperata facere. Et multi quidem Judæorum, alii ſponte, alii pœnæ indictæ metu, Regis præceptis obſequebantur: οἱ δὲ δοκιμώτατοι, καὶ τὰς ψυχὰς εὐγενεῖς, οὐκ ἐφρόντισαν αὐτοῦ· τῶν δὲ πατρίων ἐθῶν πλείονα λόγον ἔσχον, ἢ τῆς τιμωρίας, ἣν οὐ πειθομένοις ἠπείλησεν αὐτοῖς, *eminentiſſimi vero, & animo generoſi eum non curabant, ſed potiori loco habebant patrios ritus, quam metum pœnæ ejus, quam ille non obedientibus minabatur.* Eapropter quotidie vexati, & graviſſimis cruciatibus toleratis moriebantur. Nam & flagellis cæſi, & corpore mutilati, vivi adhuc & ſpirantes crucibus ſuffigebantur: mulieres vero ſimul & pueros, quos illæ circumcidebant, juſſu Regis ſtrangulabant, pueris de parentum crucifixorum cervicibus ſuſpenſis: ut late perſequitur IOSEPHVS *Antiqu. Jud. lib. XII. cap. V. Sect.* 4. & *cap. VI.* Hi erant החסידים Haſidæi illi, quorum עדה *multitudo* ad Mattathiam venit, ut eſt apud IOSEPHVM GORIONIDEM *lib. III. c. VII.* His accenſentur ſeptem fratres, & Hanna mater eorum, & mille illæ animæ, quæ in ſpelunca fumo fuerunt extinctæ &c. Pii ergo Martyres, חסידים, apoſtatæ vero, qui ſuillam comedentes, libros legis ad cremandum tradentes, & circumciſionem inſuper habentes, ad gentilem defecerant impietatem, ἀσεβεῖς, רשעים, *impii* audiebant.

Ad §. III. pag. 21.

(2) *Juſti ſe meditationi &c. Benigni autem in eo toti erant, ut Scripturæ aliquid aſſuerent*] Pergit Auctor, ad tertiam vocis notionem, qua Sectæ vocabulum evaſit. Scite & nervoſe rem ita complexus eſt SCALIGER paulo ante laudatus *p.* 164. *ſq. Quod ex lege quis tenetur facere, id vocatur* חיוב debitum: *quod ultro & ſponte quis, præter debitum fungitur, id dicitur* רבית, *h. e. ut vulgo loquuntur*, ſupererogatio. *Vnde & dicebatur* רבית לתורה ἐπίμετρον τῷ νόμῳ, auctarium legi. *Nam jam ante tempora Haſmonæorum duo genera δογματιστῶν erant apud Judæos,* עושקים בתורה ſtudentes legi *duntaxat, &* עושקים ברבית לתורה ſtudentes auctario legis. - - Ἐκκλησιασμὸς τῶν Ἀσιδαίων *in hoc verſabatur, non ſolum ut ex præſcripto legis viverent, ſed etiam, ſi quid ex verbis legis per conſequentias & interpretationes erui poſſet, id ei ſatisfacere teneri, & cum omnia fecerint, nihil feciſſe videri, ſive ad eleemoſynas & officia pia, quæ Hebraice dicuntur* גמילות חסדים, *item ad ſarta tecta templi, & ad ſacrificia.* - - *Præter* גמילות חסדים, *ſarta tecta templi majore ex parte curabant, & voluntarios ſumptus faciebant, hoc inſtitutum mordicus tenentes a ſanctis Dei Prophetis. Eſdræ V, 2. Vnusquisque pendebat vectigal ad ſarta tecta templi, jam a temporibus Eſdræ &*

& Nehemiæ Neh. X, 32. Præter illud constitutum tributum, sponte Hasidæi plura erogabant tam ad ipsum sanctuarium, quam ad ejus muros & porticus, nunquam fere recedentes a templo, ita ut quasi illud peculiare habere viderentur, & nunquam temere per aliud, quam per templum jurarent. Monet præterea *p.* 168. eos quotidie agnum in templo sacrificasse, qui אשם לחסידים *oblatio Hasidim pro peccato* dicebatur: excepto solum die XI Tisri, postridie die Kippurim, in quo illud sacrificium omittebatur. Hinc porro *p.* 171. conficit Vir summus, Hasidæos, quia præcipua eorum erat functio, a templo non recedere, & ejus sarta tecta curare, ad excidium usque templi duntaxat permansisse: nam templo non stante, neque ipsos stare potuisse. Operose autem SCALIGER negat ac pernegat, sectam fuisse, sed societatem solum, corporatos, *φράτορας*, *confratres*, quoad nimirum רבית לתורה usu tenus observaretur: sed postquam supererogationis præcepta in canones redacta sunt & scripto mandata, tunc multa dubia oriri, disputationes, velitationes, altercationes quotidie succrescere: unde duæ sectæ diversa sentientes natæ, altera, quæ legem tantum; altera, quæ רבית & interpretationes ejus amplectebantur. Eadem in describendis Hasidæis vestigia tam studiose premit HEIDANUS *de Orig. error. Lib. VIII. cap. I. §. 6, 7. p. 427 sq.* ut SCALIGERI & verbis inhæreat, & menti. Contra vero ea, hanc recitans sententiam BASNAGIUS *c. l.* SCALIGERUM eos reddidisse perhibet *Ordinem Equitum templi Hierosolymitani*, Sectam tamen fuisse, contra SCALIGERUM tuetur. Sane, dum ab aliis Judæis sese separarunt, & peculiare secuti sunt institutum, causam non video, quo minus Sectam constituisse dicendi sint.

Discrimen porro inter צדיקים & חסידים paucis ita exponit R. ABEN ESRA *in Exod. XX, 6. sub fin.* ומלת לאוהבי הם החסידים ולשומרי מצותי הם הצדיקים: his, qui diligunt me, *hi sunt pii, ὅσιοι, sancti, Chasidim*, & custodiunt præcepta mea, *hi sunt justi.*

Ad §. III. pag. 21.

(3) *Quod meum est, tuum est* &c.] Integra sententia legitur *in Pirke Abboth cap. V. §.* 10. h. m. ארבע מדות באדם האומר שלי שלי ושלך שלך זו מדה בנונית׳ ויש אומרים זו מדת סדום׳ שלי שלך שלך ושלי עם הארץ׳ שלי שלך ושלך שלך חסיד׳ שלי שלי ושלך שלי רשע: *quatuor sunt conditiones hominum: Qui dicit, quod meum est, meum est, & quod tuum est, tuum est, hæc est conditio mediocris,* (h. e. interprete IARCHIO, שאינו לא צדיק ולא רשע *qui non est, neque justus, neque impius*). *Et sunt, qui dicunt, hujus conditionis fuisse Sodomitas.* Qui dicit, *quod meum est, tuum est, & quod tuum est, meum est, is est idiota. Qui vero dicit, quod meum est, tuum est, & quod tuum est, tuum est, hic est* Chasid *pius.* Qui denique dicit: *quod meum est, meum est, & quod tuum est, meum est, talis est impius.* Hanc gratuitam Chasidæorum beneficentiam definit DAVID DE POMIS in צמח דוד *voc.* חסד h. m. טובה שיעשה אדם עם אחר כאין גמול לו עליו *bonum, quod quis alteri facit, absque spe retributionis.*

Ad §. V. pag. 21.

(4) *Rom. V, 6, 7.*] Ex memorato Judæorum dicterio explicat Auctor Paulinam inter *ἀσεβεῖς*, *impios*, *δικαίους*, *justos*, & *ἀγαθοὺς*, *bonos*, distinctionem; ut *ἀσεβεῖς* sint רשעים, impii, avari, & sibi solum utiles, cum damno aliorum, quorum verbum sit: quod meum, meum est, & quod tuum, itidem meum est. *δίκαιοι*, צדיקים, justi, qui cuique, quod suum est, tribuunt, nemini noxii, sed nec utiles, dicentes: quod meum, meum est, & quod tuum, tuum est. *ἀγαθοὶ* demum חסידים boni, benefici, non modo non damnosi aliis, sed maxime quoque utiles, ajentes: quod tuum, tuum est, & quod meum, pariter est tuum; quo pacto gradatio Apostoli aptissime fluat: *pro bono forte, pro justo vix, pro impio nemo morietur:* at Christus pro impiis mortem subiit. Et in eandem fere expositionem recum-

recumbit CAMPEG. VITRINGA *Lib. III. Synag. Vet. P. I. cap.* 12. *p.* 799. qui ita distinguit: peccatores *vocat, qui vita moribusque suis, limites legis divinæ transgrediuntur:* justos, *qui legem sibi præscriptam præstant, æquitatis quoque ratione non penitus neglecta:* bonos *vero, qui aliis benefaciunt longe ultra legis scriptæ aut communis etiam æquitatis dictata & regulas.* IACOB. ALTINGIVS tamen *Commentar. in h. l. Tom. III. p.* 202. laudata quidem Auctoris sententia, mavult tamen, δίκαιον h. l. esse, qui cum innocens sit, mortem debeat tolerare; ἀγαθὸν vero, utilem & commodum, ut Psal. LXXIII, 1. Matth. XX, 15. Apostoli ergo argumentationem ita habere: Si quæ mortis vicariæ dantur exempla, vix ullum esse, quod pro justo aliquem mortuum testetur. Equidem justi innocentis calamitas, tormenta, mors, multorum moverunt affectus, ut dolerent & intercederent; sed qui vicem ejus obire voluerit, exemplum non succurrit. *Socratis* ad carcerem rapti, ad mortem damnati, conditionem deplorarunt amici & discipuli, sed nullus se obtulit, qui loco ipsius cicutam biberet. ὑπὲρ γὰρ τȣ̃ ἀγαθȣ̃ τάχα τὶς καὶ τολμᾷ ἀποθανεῖν. Ast, nec auditum unquam, neque cogitatum, ut quis pro impio, qui nec justus, sed morte dignus, nec bonus & utilis est, sed noxam attulit, velit mortem oppetere. Vnde Christi, pro impiis mortui, supereminens charitas mirum in modum commendatur. Acuit adhuc sensum Clar. HEVMANNVS, *in Biblioth. Brem. Class. IV. Fasc. II. p.* 285. solide evincens, ἀγαθὸν h. l. non bonum solum & beneficum, sed eum omnino notare, qui beneficiis in nos collatis, præclare de nobis sit meritus. Hoc itaque velle Apostolum: Nemo oppetit mortem pro homine, quantumvis pio, bonoque, sed a quo tamen nihil boni in se profectum sit; illud autem contingere potest, ut homo pro eo moriatur, quem ob accepta beneficia tenerrime amat: at nos homines a Deo impensissime amati sumus, cum tamen nec essemus δίκαιοι, sed ἁμαρτωλοὶ vers. 8. & ἀσεβεῖς vers. 6. neque ἀγαθοὶ, quippe cum Deo non solum nihil boni præstiterimus, sed, quantum quidem in nobis fuit, maleficiis eum affecerimus, tanquam hostes vers. 10. Hæc plana sunt, & scopo Apostoli exacte respondent, in quibus merito acquiescimus. Hoc tamen pacto, superior de חסיד observatio mentem Pauli nondum exhaurit. Ceterum auctores, qui in hoc oraculum varie commentati sunt, confertim exhibet b. WOLFIVS *in Curis Philol. & Crit. ad h. l.* qui eidem HEVMANNI interpretationi, ipse quoque subscribit.

Ad §. VI. pag. 21.

(5) *Donec hæc opera supererogatoria*] Hæc ex SCALIGERO, paulo ante laudato, mutuo petita sunt. Quæ vero de origine cum Pharisæorum, tum Essenorum, subjungit Auctor, enucleatius in sequentibus Capitibus suo loco a nobis tradentur.

Ad §. VII. pag. 22.

(6) *Et vocabantur* קראים *Karaim*] Quæ de Karæis obscure a majoribus prodita fuerunt, hoc nostro seculo curatius & copiose, ex ampliori subsidiorum apparatu, persecuti sunt, ex Reformatis, vir in eo literarum genere versatissimus, IACOBVS TRIGLANDIVS *in Diatriba de secta Karæorum,* in fronte Partis II. Syntagmatis, *de Sectis Judæorum,* ex Nostris IOH. GOTHOFRED. SCHVPARTVS, aliquot *de secta Karæorum* disputationibus, Jenæ ventilatis & in unum collectis fasciculum A. 1701. Nos potiora hinc delibabimus, ut lacunam in Auctore nostro suppleamus. Notamus itaque

I. *Nomen.* קָרָא & קְרָאִים dicuntur a Rad. קרא *vocavit, clamavit, indixit,* sed ex usu Rabbinorum, *Scripturam*, quæ ipsis κατ' ἐξοχὴν מקרא audit, *studuit, tractavit, legit:* ut adeo Karæus, vi vocis, notet, *Scripturarium, Biblicum, Textualem,* & præcise quidem eum, qui Textui Biblico ita inhæret, ut simul omne id rejiciat, quod præter Scripturam Sacram, tanquam divinum, atque indubitato assensu dignum, propinatur. Hinc ista nomenclatura omnes designati sunt

sunt illi, qui traditionis oralis auctoritatem defugerunt, maxime Sadducæi, unde apud Rabbinos צדוקים & קראים promiscue usurpantur; non, quod iidem essent, sed quod per calumniam, & ex odio erga Scripturarios, invisum Sadducæorum nomen ipsis impingerent. Aeque ut eosdem, præter meritum, מינים *Hæreticos*, אפיקורוסים *Epicureos*, כותיים *Samaritanos* calumniantur; nec dubitat TRIGLANDIVS *cap. II. p.* 7. nomen istud per contemtum sortitos fuisse a Rabbanitis, *quomodo sub repurgatæ religionis tempus Nostros* Biblistas, Evangelicos, *aut simili titulo salutabant* Papistæ, διασυρτικῶς. *Probrosum videlicet & puerile maximis & profundis illis doctoribus habebatur, Scripturam unice sequi ducem.* Cum itaque hodienum universa Judæorum natio, in duas veluti familias & sectas abeat, in רבנים *Rabbanitas*, qui legi scriptæ, תורה שבעל פה *legem oralem*, & traditiones πατροπαραδότες, uno verbo, doctrinam Talmudicam, ad latus ponunt, & tantum non anteferunt, & in קראים *Karæos*, quos alias etiam בני מקרא & בעלי מקרא, nec בעלי פסוק salutare consueverunt, ABEN ESRA *in Exod. XIII*, 9. חולקין על אבותינו *dissidentes a patribus nostris* vocat, hi sunt, qui quoad fundamenta religionis, a reliquis Judæis haud parum discedunt, Scripturam Sacram autem unam credendorum normam constituunt, rejectis omnibus traditionibus, constitutionibus & glossis Rabbinorum. Modernorum descriptionem, commorandi locum, & mores, doctissimus PERINGERVS, Suecus, literis ad IOBVM LVDOLFVM, a. d. 15. April. 1691. datis, quas TENZELIVS *in Dialogis menstruis A.* 1691. *mens. Jul. p.* 572. primus publicavit, SCHVPARTVS vero *p.* 25 *sq.* integras repetiit, ita delineavit: *Degunt illi in Lithuaniæ variis locis, Birsæ, quod castellum est, & oppidum principum Radzivilliorum, Pozcolæ, Neostadii, Koronæ, Trocæque, alibique, moribus, lingua, religione, immo & facie a Rabbanistis, quorum feracissima est hæc regio, valde diversi. Lingua illis materna est Tartarica, sive potius Turcica, qua etiam libros Sacros explicant, in scholis & ludis. - - Credo eadem terra quondam exivisse, qua se genitos dicunt Tartari illi Muhammedani, qui Vilnæ & in confiniis habitant, quique sacra sua secundum instituta Muhammedis celebrant, & ipsi facie Karraitis valde similes. Synagogas habent a Septentrione versus Austrum dispositas, quia, ut ajunt, Salmanasser Septentrionem versus illos abduxit, unde & oraturi faciem ad Austrum, ubi putant Hierosolymas esse, dirigere solent. Et ne quis incautior hoc in officio sacro errare possit, est ad lævam ab introitu Synagogæ affixa parieti charta, majoribus signata literis:* מזרח מבוא לשער. *Non Pentateuchum solum, ut aliis creditum est, sed universos Vet. Test. libros pro Canonicis recipiunt. Sed quod mirum, valde negligentes in cura antiquissimorum Codicum, quippe ipsi a Rabbanistis sive laceras, sive quocunque modo temeratas membranas legis Mosaicæ, in usum Synagogæ suæ redimunt, de literis redundantibus vel deficientibus parum solliciti: puncta tamen vocalia a Mose esse dicunt, & traditiones illas, quæ cum Scriptura & sana ratione conveniunt, non rejiciendas affirmant. Dicunt, se esse propaginem decem tribuum, quas partim in Tartaria subsedisse volunt.* &c. Atque ista quidem haud parum confirmantur testimonio LEONIS MVTINENSIS, qui *P. V. de ritibus Hebr. cap. I.* fidem facit, Constantinopoli, Cairæ, & alias in Oriente, quin & in vastissimo Russorum imperio, hoc hominum genus obvium esse, ubi peculiare, & a Rabbanitis distinctum tenent vitæ institutum, suas sibi exstruunt Synagogas, suis quoque, & diversis ceremoniis & ritibus gaudent. Quæ præmittenda censui, magno usui in tota hac tractatione futura.

II. *Ortum.* IOSEPHVS SCALIGER *Elench. cap. XXII. p.* 169. Karaim tempore priores existimat Sadducæis, qui illorum sint progenies. Verum ANTON. BYNAEVS *lib. I. de morte J. C. cap. I. §.* 31. *p.* 63. hanc meram viri illustrissimi, neque fundatam bene conjecturam appellat, BVXTORFIVM quoque *in Lex. Talm. voc.* קראי, aliosque, qui cum ipso Karæos eosdem cum Sadducæis statuunt, deserit, & recte quidem, quod diversissima utrorumque placita testantur,

 stantur,

ſtantur, nec ipſi diffitentur Rabbanitæ. Ipſe vero BYNAEVS longe recentiorem ſectam ſtatuens, ita infit: *Ego mihi facile perſuadeo, ex quo tempore majorum traditiones ſunt a multis propoſitæ, ſemper homines fuiſſe, qui ea rejecerint, ut commenta, ſed, ex qua tempeſtate ſunt redactæ in canones, & mandatæ ſcripto, eam ſectam potiſſimum enatam, quæ Karræorum nomine apud Judæos venit, & alterum conſtituit ejus gentis genus, quod hodieque Conſtantinopoli, Alkairi, & in aliis Orientis locis, atque in Ruſſia, degit.* Hinc non adeo antiquam eſſe Karræorum ſectam contendit. Quæ ſententia, ætate quidem multis ſeculis, reipſa tamen & fundamento nihil, vel parum, a SCALIGERI mente abit. Propius, temporis ratione, accedere BYNAEVS videtur IOHANNI MORINO, qui *in Exercitation. Sacr. P. II. Exercit. VII. cap. 3. p.* 312. ad octavi fere ſeculi Chriſtiani finem Karæorum natales rejicit: quem tamen pro merito caſtigavit TRIGLANDIVS *cap. III. p.* 9 *ſqq.* non teſtimoniis modo, verum *cap. IV. p.* 25 *ſqq.* longe antiquiorem Karæorum originem ex eo evincens, quod non pauca doctrinæ & rituum capita, de quibus Karæi cum Rabbanitis contendunt, jam olim, longe ante obſignatum Talmud, immo ante excidium Reipublicæ, utrinque agitata fuiſſe; adeoque eorum dogma, & ob dogma diſſenſum, jam tunc viguiſſe; etiam in ejusmodi ritibus, quibus deſtructo Templo non adeo vel locus erat, vel occaſio. Qui, poſtquam *cap. V. p.* 40 *ſq.* ſententiam eorum, quibus Karæi iidem fuiſſe cenſentur cum Sadducæis, ſolide profligaverat, *cap. VI. p.* 58 *ſq.* veſtigia Karæorum in hiſtoria Chriſti deprehendit, & ex Luc. XI, 45. demonſtrat, νομικὸς fuiſſe, qui ſoli literæ ſcriptæ legis deferrent obſequium, adeoque eos, quos Karæos appellamus. Quin & *cap. VII. p.* 73. altius eorum repetens originem, erudite obſervat, cum poſt reditum e Babylone & exceſſum virorum θεοπνεύστων, ſegnius paſſim & remiſſius in lege & cultu agerent Judæi, pientiores tandem Magiſtros aliquos ſepem legi facere aggreſſos, ſucceſſu temporis Phariſæos ac Traditionarios progeneraſſe, his autem alios ſeſe oppoſuiſſe, qui legis literæ preſſe inhærerent, & Karæorum gentem conſtituerent: ſtudiis contrariis dudum ante Chriſtum utrique. Quæ inſigni eruditionis apparatu inſtructa, & ſuffulta, facile perſuadent, ut credamus, Karæiſmum non uno momento aut anno, ſed ſenſim cœpiſſe & ſucreviſſe, ut poſtquam infinita illa traditionum vis animos complurium ita dementaſſet, ut majorem iis, vel parem certe honorem deferrent, quam ipſis Scripturæ libris, ſemper tenaciores legis proſtarent Doctores, qui contra irent, legemque oralem reſpuerent, ſola contenti lege ſcripta. Sic ſecta, dudum ante Chriſtum, ſed tempore, in tanta rerum caligine & vetuſtate, incerto, ea cumprimis & ætate & occaſione exorta eſt, qua traditiones majorum aliquo haberi inciperent loco, diſſenſu inter Traditionarios & Scripturarios, non ſine maxima animorum contentione, paſſim continuato & aucto.

III. *Dogmata.* In quibus exponendis TRIGLANDIVS *cap. IX. p.* 116 *ſqq.* & SCHVPARTVS *cap. IV. p.* 99 *ſqq.* operoſe deſudant. 1) Palmaria utrisque diſſenſio eſt circa legem oralem, quam cum omni Gloſſarum, Conſtitutionum, & הלכות למשה מסיני *Traditionum Moſaicarum de monte Sinai*, qua tantopere ſe efferunt Rabbanitæ, pompa repudiant Karraitæ, ſolam ſcriptam Vet. Teſt. literam pro irrefragabili religionis norma ac regula habentes: quin & iſta omnia ne quidem in ſubſidium explicandi Scripturam vocanda contendunt, Scripturam per Scripturam exponendam docentes. Hinc notari meretur MORINVS, qui, poſtquam diu acriter contendiſſet, Karæos Talmude uti & Miſchna, errorem demum fateri, eosque nullam prorſus admittere traditionem majorum, largiri coactus in Epiſtola ad PETRVM VALLENSEM, quæ legitur *Antiquitat. Eccleſ. Orient. Epiſt. XIII. p.* 159 *ſqq.* Ceterum omnes XXIV libros admittunt & divinos agnoſcunt, ſecus ac R. LEO MVTINENSIS *P. IV. de ritibus Hebr. cap. I.* § 1. & qui eum ſecuti ſunt ex Chriſtianis, prodiderunt, ac ſi præter Pentateuchum, reliquorum librorum Sacrorum auctoritatem defugiant, & in hoc

paſſu

passu paria faciant cum Samaritanis: unde R. LEONEM MUTINENSEM *in Supplemento libelli ad h. l.* confutat RICH. SIMONIUS. 2) De Sabbatho multum tricantur utrique & distant, Karæis opus incipere Sabbatho, & vel ejus saltem partem perficere prohibentibus, cum Rabbanitæ Sabbathum violari negent, nisi quis opus compleverit totum; illis, operis (die sexto cœpti) continuationem & effectum (die septimo) illicitum pronunciantibus, his permittentibus omnia opera, quæ effectum sortiuntur sine præsenti concursu inceptoris, etsi illis causam præbuerit, v. g. aperire aquæ ductum, dum adhuc dies sextus est, ut hortum irriget Sabbatho: alligare molas, ut molere possint Sabbatho: premere olivas, cum adhuc dies sextus, ut destillent in Sabbatho: allucere lampada die sexto, ut ardeat Sabbatho: quæ, & his similia, Traditionariis vocantur מעשים נולדים בלי חבור המתחיל לבד בנגיעה אחת *opera producta sine præsenti concursu inceptoris, qui tetigit impulitque unica saltem vice,* die nimirum licito. Hinc multum disceptant utrique de vera legis Exod. XXXV, 3. sententia, quam controversiam TRIGLANDIUS *p.* 130 *sqq.* exponens, inter ipsos dissensum animadvertit Karæos, ita ut ad hunc diem diversa vigeat observatio inter ipsorum Synagogas Aegypti, Damasci, Terræ sanctæ; & Lithuaniæ, Poloniæ &c.: quarum illæ damnant accensionem lucernæ in usum Sabbathinum etiam pridie, quam ad septentrionalem plagam vergentes admittunt. Rabbanitæ porro Sabbathum colendum tradunt deliciis, quas תענוג השבת *deliciar Sabbathi* vocant, de quibus R. DAVID KIMCHI *Comment. ad Jes. LVIII,* 13, 14. מצות עשה לענג הגוף ביום השבת במאכלים ערבים וטובים וכו׳ *præceptum affirmativum est, delicate nutrire corpus in die Sabbathi, cibis jucundis atque lautis* &c. unde nec gulæ parcunt, nec Veneri, maxime cum MAIMONIDES *in Jad Chasakah Tract. de Sabbatho cap. XXX.* §. 14. diserte pronunciet: תשמיש המטה מעונג שבת הוא *concubitus pars est deliciarum Sabbathicarum.* Ex adverso Karæi sobrie & caste colendum Deum dicunt, congressum maritalem אסור *prohibitum* pronunciantes, כי הוא עבודה *quia hic pariter opus est,* quod omne a Sabbatho arceatur. Iidem quantopere fluctuent in circumcisione Sabbatho peragenda, aliis eandem affirmantibus, aliis circumcisionem in finem Sabbathi (si ille dies fuerit a nativitate octavus) differri suadentibus, ut sanandi cura & labor in diem profestum incideret, TRIGLANDIUS *p.* 134. & SCHUPARTUS *p.* 123 *sq.* copiose edocent: illo insuper, ex R. AARONIS filii Eliæ, Karæi, MSto Codice, pulcherrimam observante distinctionem adhibitam, inter opera Dei, & nostra, cum legislator Exod. XX, 9. diserte determinet, prohiberi כל מלאכתך *omne opus tuum*, liberum autem & permissum esse מלאכת שמים *opus Dei,* quo circumcisio, & beneficia in alios collata sint referenda: indeque lucem mutuari verba Servatoris Joh. VII, 22 sq. 3) De Paschate tam circa nomen, quam circa ritum, utrique diffident. Nomen פסח utrique referunt ad radicem פסח / ast *transeundi* notione Rabbanitæ, *condonandi* atque *miserendi* Karæi, quia Deus condonaverit primogenitis Israelitarum, conspecto sanguine super limen & postes, nec devastatorem in domum ipsorum ingredi permiserit, ut percuteret; eadem significatione, qua verbum legitur Jes. XXXI, 5. Quæ porro circa tempus mactandi agnum, & locum comestionis, diem porro combustionis, & reliqua discrepantiæ momenta inter utrosque intercedunt, TRIGLANDIUS *cap.* 4. *pag.* 27. & copiosius SCHUPARTUS §. *XIV. p.* 134 *sqq.* monuerunt, quæ non repetimus. 4) De Pentecostis festo dissentiunt, circa initium numerandi septem hebdomadas, & circa diem septimanæ, in quem Pentecoste incidat, de quo vide TRIGLANDIUM *p.* 28 *sq.* 5) De festo Expiationis pariter differunt, cum ratione diei, tum ratione officii Summi Sacerdotis, ingressuri in Sanctum Sanctorum, & thymiama prunis imposituri, num ante velum, priusquam pedem inferret, an post velum, quando jam coram arca consistebat? TRIGLANDIUS *p.* 30. Sed &, quando Deus hoc die ענוי הנפש *afflictionem animæ* requirit, Rabbanitæ illam ad quina-

quinarium revocant, cibum ac potum, lotionem, unctionem, indumentum calcei, & concubitum, a quibus eo die sit abstinendum; Karæi vero, missis quatuor posterioribus speciebus, primam solum urgent, per afflictionem interdictum cibum ac potum intelligentes, apud SCHVPARTVM §. 21. p. 150. 6) De deletione peccatorum Rabbanitæ tenent, pro diversitate peccatorum disparem requiri expiationem, ut peccata alia, sola deleantur pœnitentia, alia dies auferat expiationis; alia tollantur afflictionibus, quædam vero, sola auferantur morte, ut est in Cod. *Joma, Cap. VIII. Mischna* 8. & 9. *fol.* 86. *a.* unde solenne ipsis, ut rei, ob delictum aliquod morte plectendi, confessionis in locum dicere soleant: תהא מיתתי כפרה על כל עונותי *sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis meis.* Contra Karæi, unam pœnitentiam quæcunque delere peccata, credunt. 7) In Festo tabernaculorum, pueriles gaudii testificationes, gesticulationes ac ineptiæ, usu receptæ sunt Rabbanitis; exploduntur autem omnes a Karæis, qui solam tabernaculorum constructionem & inhabitationem, Levit. XXIII, 40. imperatam, inculcant: SCHVPARTVS §. *XXV. p.* 160. & TRIGLANDIVS *pag.* 31 *sqq.* 8) De circumcisione urgent Rabbanitæ, etiam in iis, qui circumcisi nascuntur, puerulis sanguinem fœderis fundendum esse; negant Karæi. Sed & puerulos, ante diem octavum morte præfestina abreptos, circumcidere præcipiunt & hodienum consueverunt Rabbanitæ; Karæi vero, dum vitæ finem infanti imminere vident, circumcidunt adhuc vivum, ante statum solennemque diem: SCHVPARTVS §. 27, 28. *p.* 166 *sq.* Mittimus reliqua, Duumviris istis sollicite observata, differentiæ inter utrosque momenta, quæ ibi videantur.

IV. *Odium.* quo mutuo flagrant tanto, ut 1) vix in eadem civitate commorari queant, nisi Magistratus auctoritas Karæos validissime protegat, adeo ipsis omni parte & modo non solum incommodant, sed infestissimi, ad necem usque, Rabbini eos persequuntur. Vbi vero regia protectione tuti degunt in eadem urbe, ut in Polonia, Cairo, & Constantinopoli &c. sese separant, quantum possunt: 2) nec mensa, neque cubili se invicem dignentur, verum utrique alteros adeo abominantur, עד שאסרו עליהם מאכלם ונשואיהם *ut interdixerint alterorum cibis & matrimoniis*, & Rabbanitæ utplurimum Karæos ממזרים *spurios* vocitent, parique cum spuriis numero habeant: 3) iram divinam, & anathemata sibi invicem terribili ratione denuncient, unde Rabbanitæ Karæos passim שמותיים *excommunicatos* appellare solent. Solennem excommunicandi ritum, in tabernaculorum festo a Rabbanitis contra Karæos, in monte olivarum observari solitum, memorat R. ABRAH. ZACHVT in יוחסין f. קכט: 4) si vel pœnitentia ductus Karraita ad cœtum Rabbanitarum sese adjungere vellet, eum hi nequaquam reciperent. Etsi distinguendum sit inter eos, qui ad communionem Rabbanitarum admitti cupiunt singuli & ultro accedentes, quos difficulter admittunt, veriti dolum, & ne reliquos suis antiquis præjudiciis corrumpant; & inter eos, qui potentia & auctoritate Rabbanitarum victi, coacte ad illorum ritus & fidem redeunt, quibus locum dant, verum non alium, ac Proselytis. Monet præterea TRIGLANDIVS *p.* 150. quanquam generatim loquendo, maxima sit inter utrosque aversio, hoc tamen non impedire, quo minus humanius aliqui sese gerant, & invicem colloquantur.

AD

LIB. I. CAPUT X.

DE PHARISAEIS.

Post NICOL. SERARIUM, Jesuitam, in *Tribæresio*, & *Minervali*, IOH. DRUSIUM in Commentario *de tribus Sectis*, SERARII lucubrationibus opposito, & IOSEPH. SCALIGERUM in *Elencho tribæresii*, de Pharisæis commentati sunt HOTTINGERUS *Thes. Philol. L. I. cap. I. Sect. V. §. IV. pag.* 25 *sqq.* & multo concisius in *Ennead. Compend. Theol. Jud. cap. II. p.* 216. ABRAH. HEIDANUS *de orig. Erroris lib. VIII. cap. I, III, IV, V.* GUILIELM. SALDENUS *Otior. Theolog. Lib. III. Exercit. VII. §.* 9 *sqq. p.* 563 *sqq.* HUMFRED. PRIDEAUX in *Histor. Jud. P. II. Lib. V. §. IV.* edit. Gall. *Tom. IV. p.* 72 *sqq.* BASNAGE *in Hist. & relig. Judæor. lib. II. cap. XI. p.* 511 *sqq.* IOH. LEUSDEN. *Philol. Hebræo-mixti Dissert. XVIII. p.* 144. SPANHEM. Pater, *Dub. Evang. P. III. Dub. XXVIII. p.* 104. IOH. CAMERO, integra & copiosa ad Matth. XIX, 3. de Pharisæis tractatione, *Operum p.* 162 *sqq.* IOH. LIGHTFOOT. *Harmoniæ IV Evangel. ad Matth. III,* 7. *Tom. I. Opp. p.* 320. & *Part. III. ad Luc. V,* 17. *p.* 520 *sqq.* & *in Hor. Rabb. ad Matth. III,* 7. *T. II. pag.* 270. ac alias passim: e Nostris AUGUST. PFEIFFERUS *Fasciculi dissertat. Philolog. III.* quæ *de tribæresio Judæorum* est, *Sect. I. pag.* 39 *sqq.* LUNDIUS *Jüdische Heiligth. lib. IV. cap. XIII. p.* 788. CARPZOV. *Theol. Jud.* RAIM. MARTINI *Pugioni Fidei* præmissæ *cap. III. p.* 7 *sqq.* IOH. SAUBERT. *de Sacerdot. Hebr. cap. XX.* edit. Cren. *p.* 687. RECHENBERGIUS *Exercitation. in Nov. Test. p.* 164 *sqq.* & CHRIST. SCHOTTGEN *in Hor. Hebr. ad Matth. III,* 7. ubi analecta quædam ad LIGHTFOOTUM *pag.* 5 *sq.* dedit: alios ut taceamus plures, qui ὡς ἐν παρόδῳ de eis egerunt.

Ad §. I. pag. 22.

(1) *De etymologia nominis Pharisæi*] Recte enumerat Auctor sententias, de vocis etymo, diversas. *Primam* a פרש *expandere, explicare*, IOH. DRUSIUS *de trib. sect. Jud. lib. II. cap.* 2. *p.* 42. FÖRSTERO tribuit in *Dictionario Hebraico h. v.* unde hausisse videatur FRANCISCUS FORERIUS *Jes. I. p.* 17. Sed velut a DRUSIO rejicitur, ita rectius allusio, quam genuina vocis originatio censetur. *Hæc etymologia arguta nimis est, & a nemine Veterum observata, ut illud interim taceamus, non esse verisimile, sectam, quam Apostolus vocat ἀκριβεστάτην Act. XXVI,* 5. *assumsisse nomen, quo assumto se exosam reddidisset: etenim manifesta est professio hypocriseos, ut quis se eo nomine censeri exigat, quod notat animum hypocritæ?* judice CAMERONE, *citat. loc. p.* 163. *a.* *Secunda* a פרש *exponere, explanare*, plures nacta fuit defensores, in quibus uterque est IOSEPHUS. FLAVIUS quidem Alexandrinus, qui *libr. I. de bello Jud. cap.* 4. Pharisæos fuisse tradit σύνταγμά τι Ἰουδαίων, δοκοῦν εὐσεβέστερον εἶναι τῶν ἄλλων, καὶ ἀκριβέστερον τοὺς νόμους ἀφηγεῖσθαι, *ordo quidam Judæorum, qui videbantur reliquis Judæis sanctius vivere, & legem accuratius interpretari.* GORIONIDES vero *lib. IV. cap. VI.* הפרושים המפרשים את התורה *Pharisæi*, inquit, *qui legem interpretabantur*, ubi historiam regis Hyrcani & Eleazari Pharisæi exponit. Verum & hæc explosa fuit, quia nec omnes Pharisæos legis fuisse interpretes constat, & id muneris Scribarum potius proprium fuit, qui tam e Pharisæis erant, quam e Sadducæis, ut ex Act. XXIII, 7, 8, 9. liquet. *Tertiam* a פרש *dividere, separare*, passim amplectuntur viri docti, DRUSIUS, CAMERO, L'EMPEREUR *Not. ad itin. Benjam. p.* 147. FULLERUS *Miscellan. lib. II. cap.* 3. *p.* 158. HOTTINGER. *Thes. Philol. lib. I. c.* 1. *Sect.* 5. *p.* 26. & alii, ut Pharisæi sint ἀφωρισμένοι, sese a communi plebe, vel vulgo separantes. Ita Doctores Hebræi: Auctor Lexici Talmudici, quod *Aruch* appellatur: פרוש הוא

הוא שפירש עצמו מכל טומאה ומן מאכל טמא ועבם הארץ שאינו מדקדק במאכל: *Pharisæus est, qui separat seipsum ab omni immunditia, & ab omni cibo immundo, & a populo terræ* (seu plebejis), *qui non habet accuratam rationem ciborum.* Consentit ELIAS *in Tisbi h. v.* הם הפרושים מדרכי העולם הזה כמו שהיו הנזירים: *Hi separati fuerunt a moribus hujus seculi, quales olim erant Nasiræi.* Pariter SVIDAS: Φαρισαῖοι, οἱ ἑρμηνευόμενοι ἀφωρισμένοι, παρὰ τὸ μερίζειν καὶ ἀφορίζειν ἑαυτὰς τῶν ἄλλων ἁπάντων. Sed & apposite CAMERO *p.* 165. *a.* observat, verbum פרש non quamlibet divisionem & separationem hic notare, sed eam, quæ fit subtili quadam ratione. Fuisse namque Pharisæos מדקדקים anxie & scrupulose sibi caventes ab iis, quæ sunt κοινά. Itaque profanum vulgus sic eos notare, ut dicant איני מדקדק h. e. οὐκ ἀκριβοῖ. Moribus quippe & instituto hypocritarum istorum, hæc nominis explicatio exacte respondet. Videri sane volebant a plebe segregati, Luc. XVIII, 11. & vitæ munditia, a cibo polluto sibi temperantes, nec nisi manibus lotis cibum capientes Marc. VII, 7. & morum austeritate ac sanctimonia, non ad mandata solum legis actiones suas exigentes, sed plura quoque pietatis exercitia, quam lex flagitabat, sectantes; & corporis habitu ac vestitu peculiari, πλατύνοντες τὰ φυλακτήρια αὐτῶν, καὶ μεγαλύνοντες τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν Matth. XXIII, 5. quin & vulgi vestitum abominati; & pedum incessu, quasi reptantium & impingentium pedes imitati, quod præ nimia humilitate, pedes in incessu non elevarent, ac proinde ad obvios lapides & obstacula facile impingerent & cespitarent; & gestu externo, capite ac dorso versus terram inclinato, fornicati & quasi duplicati gradientes, ut instar pistilli incurvati dicerentur, quod scilicet superne retusum, & velut duplicatum est. Vltimam & *quartam* vocis derivationem, quam Auctor §. *I.* occupavit, non in *Præfat. ad Amosum*, quod contendit GOODWINVS, sed in *quæstion. seu traditionibus Hebraicis in Genesin*, HIERONYMVS *T. IV. Opp. fol.* 101. *B.* tradidit, quando de voce פרץ *Phares*, quod *divisionem* notet, commentatus, ita pergit: *unde & Pharisæi, qui se quasi justos, a populo separaverant, divisi appellabantur:* idemque *Dialogo adversus Luciferianos Tom. III. f.* 66. *D.* ad hunc modum repetit: *Pharisæi a Judæis divisi, propter quasdam observationes superfluas, nomen quoque a dissidio susceperunt.* Eandem ex EPIPHANIO etymologiam observavit DRVSIVS *c. l. p.* 41. sed & ob elementi Hebraici diversitatem, ante Auctorem nostrum, & recentiores Doctores tantum non omnes cum DRVSIO, jure meritoque repudiarunt. Denique *quintam* & novam in scenam introduxit CAMPEG. VITRINGA *Observat. Sacr. lib. I. Diss.* 3. *cap.* 7. §. 9. *p.* 220. Pharisæorum nomen a voce פָּרָס quæ *mercedem* notat, derivans quia *in Pirke Avoth cap. I.* §. 3. status controversiæ inter Sadducæos & Pharisæos, exponitur, & utrorumque simul origo innuitur hoc pacto, quod ANTIGONVS SOCHAEVS dixerit suis: *ne sitis tanquam servi, qui serviunt hero ea conditione, ut accipiant* פרס *mercedem, sed estote tanquam servi, qui ea conditione non serviunt domino suo, ut accipiant mercedem, sitque timor Dei super vobis.* Ad hoc ipsum vocabulum censet respexisse Paulum, Hebr. XI, 26. quando Mosen memorat, opprobrium Christi, majores æstimasse divitias thesauris Aegypti, ἀπέβλεπε γὰρ εἰς τὴν μισθαποδοσίαν, quod vocabulum idem sit cum פרס. Pharisæos itaque hoc nomine distinctos fuisse a Sadducæis, quod illi propugnarent פרס μισθαποδοσίαν post hanc vitam, hi negarent. Hinc ab illa sua sententia dictos fuisse Pharisæos, פרס *sperantes*, & ob פרס *bene agentes.* Sed quo minus huic sententiæ subscribamus, nominis obstat diversitas, cum פרושים dicantur, non פרסים per ס.

Ad §. VI. pag. 22.

(2) *Apostolus se nuncupasse* ἀφωρισμένον] MERCERI hæc est, & DRVSII observatio *sub fin.* §. 11. *p.* 43. quam posthæc BEZA *ad Matth. III,* 7. Auctor noster, HEIDANVS *p.* 444. & viri docti

docti certatim amplexi ſunt. Quin & ulterius progreſſus MERCERVS, quando Paulus *ibid.* κλητὸν ſe Ἀπόςολον appellat, ad nomen, quo primitus inſignitus fuerat, Saulis reſpexiſſe exiſtimat, quaſi κλητὸς fuiſſet שאול *poſtulatus, vocatus.* Vtrumque tamen commentum ſolide retudit CAMERO *pag.* 164. *a.* priorem Apoſtoli deſcriptionem cum Gal. I, 15. contendens, ubi, ὁ Θεὸς, inquit, ὁ ἀφορίσας με ἐκ κοιλίας, indeque conficiens, ſegregatum ſe ad Evangelium dicere Apoſtolum, ſenſu non Adjectivo, ſed Participiali, quo pacto Chriſtus quoque Hebr. VII, 26. κεχωρισμένος fertur ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, non quaſi quondam immiſtus illi turbæ, poſt ſegregatus inde fuerit, ſed quod nulla cum iis communio ipſi interceſſerit, neque conſociatio: κλητὸν vero ex Gal. I, 1. declarans, ut non *nobilem & inſignem virum*, quæ alias vocis Adjective ſumptæ notio eſt, ſed extraordinarie & immediate, ad munus Apoſtolicum deſignet vocatum, quia non ceteris Apoſtolis ſe anteponere ſatagat Paulus, ſed Apoſtolatum ſuum a calumnia vindicare. Quæ hic monuiſſe, non intempeſtivum cenſeo, ne cui forte, vel ingenioſa iſthæc interpretatio, vel tantorum auctoritas virorum, ſit fraudi.

Ad §. VII. pag. 23.

(3) *Separabant ſe*] Redeunt hic, quæ paulo ante, in explicatione nominis Phariſaici, de ſeparatiſmo ipſorum diximus. Secundum Auctorem ſeparabant ſe α) ad meditationem Legis, cujus exactiſſimi videri volebant interpretes, teſte IOSEPHO, qui *in vita ſua cap.* 38. τῆς τῶν Φαρισαίων αἱρέσεως mentione facta, ſtatim addit: οἳ περὶ τὰ πάτρια νόμιμα δοκοῦσι τῶν ἄλλων ἀκριβείᾳ διαφέρειν, *qui in accurata legum patriarum ſcientia & cuſtodia, inter alios videbantur excellere:* adeo ut ipſi κατ᾽ ἐξοχὴν חכמים *Sapientes*, IOSEPHO σοφισαὶ dicerentur. Occupabant cathedram Moſis, ex eaque docebant, Matth. XXIII, 1. jactabant ſe habere clavem ſcientiæ, adeoque docendi officium tantum non ad ſe rapiebant: unde Paulus ſe diſcipulum operam dediſſe perhibet, celeberrimo in Phariſæis magiſtro, Gamalieli Act. XXII, 3. Tamen nec *ſoli* docebant, nec omnes. Non *ſoli:* quia Act. XXIII, 9. γραμματεῖς dicuntur fuiſſe τοῦ μέρους τῶν Φαρισαίων, quorum τὸ μέρος quoque erat τῶν Σαδδουκαίων, v. 6, 7. Velut ergo Phariſæus, non muneris, ſeu officii publici in Eccleſia, ſed ſectæ nomen erat, unde σύνταγμα *congregationum*, ex doctrinæ & inſtituti conſenſione coalitam, & *lib. I. de bello Jud. cap.* 7. diſerte αἵρεσιν, IOSEPHVS vocat, quod late probavit CAMERO *pag.* 164. *b. ſq.* ita pars eorum ſimul γραμματεῖς, סופרים erant, quibus publice docendi provincia erat demandata, ita tamen, ut ceterarum ſectarum homines in hoc officio haberent Collegas, pars etiam privatæ juvenum præerant inſtitutioni. *Scholas ſuas habuiſſe Phariſæos*, inquit CAMERO *p.* 165. *b. extra controverſiam eſt: attamen non hinc efficitur, cuilibet Phariſæorum in ſcholis docere licuiſſe; quemadmodum Monachi ſuas habent ſcholas,* (addo etiam: & Jeſuitæ privatim cumprimis, præter ſcholas publicas, inſtituunt), *cum tamen non liceat cuilibet Monacho*, vel Jeſuitæ, publice *docere.* Sed nec *omnes:* quia multi eorum illiterati & rudes erant, externa vitæ auſteritate, ſanctimoniæ ſpeciem ac laudem affectantes; quale quid in Religioſis, quos vocant, Papiſtarum Ordinibus, maxime in Capucinorum & Carthuſianorum ordine, videre licet.

Separabant ſe β) ad exactiſſimam Vitæ ſanctimoniam, qua ſupra reliquam hominum turbam aſſurgere & eminere nitebantur, quod Auctor ex Luc. XVIII, 11. ſcite probat, & §. *VII.* ac *XVIII.* ulterius proſequitur. Vnde alto adeo ſupercilio præ ſe deſpiciebant plebejos, ut inter peregrinandum comites ſe iis dare nefas cenſerent, filias iis collocare turpe & inhumanum crederent, immo jugulandos pronunciarent, vel in ſolenni expiationum Feſto, incidente in diem Sabbathi, & diffindendos medios, uti ſolet diffindi piſcis, ut ex inſigni loco Talmudis liquet, quem in hanc rem ex Cod. *Peſachim fol.* 49. *b.* excitavit

vit WAGENSEILIVS *in Sota p.* 518 *ſq.* cui adde, quæ de contemtu vulgi apud Phariſæos, in medium attulit DRVSIVS *in reſponſ. ad Minerval. Serar. p.* 225. & VITRINGA *lib. III. Obſervat. Sacr. p.* 25. Apposite ratiocinatur LIGHTFOOTVS *Tom. II. Opp. f.* 272. *b. Poſt receptum ſemel hunc religionis prætextum,* quod pium eſſet, ſeparare ſe a vulgo, *crevit in dies ſuperſtitio, quæ ſectæ huic ac ſeparationi fulcro foret, ac patrocinio. Nam, cum religionem tam ſuperciliosam induiſſent, ut vulgo dicerent,* procul apage, ego te ſanctior, (*quod etiam a Propheta cum execratione prædictum, Jeſ. LXV,* 5.) *& ut in hoc ſummam ſanctimoniam ponerent, a vulgo, tanquam profano, ſe retrahere: neceſſarium certe fuit, ſub norma & regula auſteriori ſe ſubdere & circumſcribere, ut nomen famamque Religioſorum retinerent in rebus aliis, præter ſuperbam ac nimium ſibi arrogantem iſtam ſeparationem.* Hinc recte advertit BERNARDVS LAMY *Comment. in Harmon. IV Evangel. Append. pag.* 641. ſcitum fuiſſe apud Phariſæos, contactu flagitioſorum hominum, non minus quam leproſorum, viros mundos inquinari: quod more Samaritanorum hodierno illuſtrat, qui, cum occurrunt Judæo, aut Chriſtiano, aut Muhammedano, dicere ſoleant: *ne attingito me:* quo illud Petri quoque refert ad Jeſum dictum: *exi a me, quia homo peccator ſum,* Luc. V, 8. Velut autem omni auſteræ diſciplinæ genere, profanum vulgus longo poſt ſe intervallo relinquere ſtudebant, ita cumprimis vigiliis, quas adeo copioſas & diuturnas agebant, ut ſomnum vix caperent, niſi ſumma urgeret neceſſitas & valetudinis ratio. Juvat hic audire EPIPHANIVM, qui *Panarii lib. I.* ubi contra Phariſæos diſputat *p.* 34. ita refert: *καὶ οἱ μὲν σανίδας ἑαυτοῖς ἐφιλοκάλουν, σπιθαμῆς μόνης τὸ πλάτος, καὶ ἐπὶ ταύτην ἑαυτοὺς ἐτίθεσαν, κατὰ τὴν ἑσπέραν, ἵνα εἰ ὑπνώσειέν τις, καὶ καταπέσοι εἰς τ' οὔδαφος, αὖθις ἐγείρηται εἰς εὐχὴν, διὰ τὸ ἄγρυπνον ἔχειν τὸν βίον κατὰ τὸ δυνατόν· ἄλλοι δὲ κάχληκας συλλέγοντες ἑαυτοῖς ὑπεστρώννυον, εἰς τὸ νυττομένους μὴ ὕπνῳ βαθεῖ φέρεσθαι, ἀλλὰ βιάζεσθαι γρήγορσιν ἑαυτοῖς προσπορίζεσθαι· ἄλλοι δὲ καὶ ἀκάνθας στρωμνὴν εἶχον, διὰ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν. Et alii quidem tabulas ad eum uſum parabant, latitudine non amplius dodrantali, in quibus poſt veſperam jacebant, ut ſi fortaſſe dormirent, in pavimentum prolapſi, rurſum ſe ad orandum excitarent; quo ſomni, quoad liceret, expertes ætatem tranſigerent. Alii collectos calculos ſubſternebant, quorum vellicatio profundiorem ſomnum arceret, ut vel inviti pervigiles eſſe conſueſcerent. Nec defuere, qui iisdem de cauſis ſpinas ſubjicerent.*

Separabant ſe γ) ab Habitu & cultu aliorum hominum. Quem huc citat Auctor, R. DAV. KIMCHI *ad Zeph. I,* 8. *de veſtitu peregrino,* Phariſæis jungit Haſidæos, & utriſque tribuit לובשים מלבוש נכרי שלא כשאר העם כדי שיכירום במלבושיהם שהם פרושים ודרכיהם רעים: *quod induerint veſtitum peregrinum, qui non eſſet, ſicut reliqui populi, eo fine, ut* ſtatim *eos agnoſcerent* homines *e veſtitu ſuo, quod ſint Phariſæi; quorum mores erant mali.* Mavult tamen R. SALOMO *veſtes* intelligere עז *idololatricas,* ab idolorum cultoribus in cultu adhiberi ſolitas: & obſervat cumprimis ABARBENEL *in h. l.* non de hominibus religioſis, ſed de Principibus & filiis Regum, aut etiam de ipſorum Miniſtris, Prophetæ ſermonem eſſe, quibus in more erat poſitum, ut non delectarentur veſtitu terræ & gentis ſuæ, ſed amarent veſtitum aliorum Regum ex populis peregrinis. Provocat eum in finem ad 1 Reg. X, 4, 5. ubi Regina Sabæ vidiſſe fertur omnem ſapientiam Salomonis &c. ומלבושיהם *& veſtimenta eorum,* ſervorum nempe regiorum, unde colligere liceat, ſervos Regis habuiſſe peculiaria veſtimenta, ab aliorum veſtitu diſtincta. Vt non ſatis liqueat, qua fide hanc notam Phariſæis impingat KIMCHIVS, qui ipſe titubans, nomine patris ſui, de *veſtitu rapto* exponit, quem a poſſeſſoribus abripuerint, ut veſtimentum alienum hic notet, quod eorum non erat. EPIPHANIVS *Panar. lib. I. citato ſupra loco,* de veſtitu eorum ita tradit: *τῷ δὲ προειρημένῳ σχήματι τῶν Γραμματέων προσείχοντο, διά τοι τῆς ἀμπεχόνης, καὶ διὰ τῶν ἄλλων σχημάτων, καὶ γυναικικῶν ἱματίων*

ἐν

ἐν πλατείαις ταῖς κρηπῖσι, καὶ γλώτταις τῶν ὑποδημάτων προϊόντες· *Cultus idem illis, qui & Scribis, de quo proxime dictum est; vestis scilicet ac reliquus corporis habitus. Sed & muliebria palliola gestabant, & cum latioribus crepidis, ac solearum ligulis procedere solebant.* De Scribis autem, quibuscum Pharisæos paria facere in habitu dixerat, *in Secta præced. XV. p.* 32. ita perhibet: ϛολὰς, εἴτ᾽ οὖν ἀμπεχόνας οἱ τοιοῦτοι ἀνεβάλλοντο, καὶ Δαλματικὰς, εἴτ᾽ οὖν Κολοβίωνας ἐκπλατυσμῶν διὰ πορφύρας ἀλουργοῦφεις κατεσκευασμένας. *stolis sive vestimenti genere quodam utebantur isti, quod Dalmaticas, aut Colobia appellare possumus, quæ amplioribus ex purpura segmentis erant intexta.* Quæ, qua fide nitantur, & quo pacto cum affectata Pharisæorum humilitate componi possint, viderint eruditi. Adagium autem Talmudicum, de vestibus plebejis, his verbis legitur in Mischna Cod. *Chagiga cap. II. §.* 7. בגדי עם הארץ מדרס לפרושים: *vestimenta plebejorum habentur a Pharisæis pro calcatione*, h. e. ut exponit *ibid.* MAIMONIDES, *quando Pharisæi tangebant vestes plebejorum, polluebantur, perinde ac si tetigissent calcationem seminifluі, & necesse erat, ut se immergerent*, ac toto corpore abluerent. מִדְרָס autem calceum notabat, vel calceamentum, hominis fluxu immundo laborantis; & apud Talmudicos est אב הטומאה *pater*, sive genus unum pollutionis, in genere hominem & vestimenta ejus polluens: quem vocis sensum quousque extendant Judæi, vide in BUXTORFII *Lexic. Talm. h. v. p.* 580.

Ad §. VIII. pag. 23.

(4) *Videtur ortum duxisse*] Tribus Judæorum sectis, velut obscuram, sic perantiquam tribuit originem IOSEPHUS *Antiqu. Lib. XVIII. cap. I.* §. 2, cognitas fuisse perhibens ἐκ τοῦ πάνυ ἀρχαίου *a temporibus admodum antiquis.* In eandem tamen, cum Auctore nostro, sententiam conspirare CASAUBONUS *Exercit. I. ad Apparatum Annal. Baronii* §. 9. *p.* 41. videtur, quando Pharisæos non multo juniores fuisse censet Sadducæis, *quorum de antiquitate, ut & Baithusæorum, constat ex auctoribus earum appellationum, Saddok & Baitho, qui fuerunt discipuli &* γνώριμοι, *h. e. familiares, Antigoni Sochæi, qui successit Simeoni Justo. Hic vero adeo antiquus, ut vulgo Hebræi, & in his* ABRAHAM ZACUTH, *eum perperam confundant cum Jaddua Pontifice, qui obviam processit Alexandro, ante Domini nostri adventum, annis circiter* 330. *Et est profecto verisimile, Synagogam templi secundi, simul ac desierunt Prophetæ, cœpisse dividi in factiones & sectas, quæ Rabbinis dicuntur* חלקים *&* כתות*.* Contra vero DRUSIUS *de tribus sect. libr. II. cap. VII. p.* 51. licet sectam vetustissimam, & a tempore Antigoni Sochæi fuisse largiatur, cum Sadducæi a Sapientibus aliam sectam in Ecclesia constituissent, hæresinque introduxissent; rem tamen omnem in medio relinquit, sibique hic aquam hærere fatetur; demum inter Pharisæorum sectam & nomen distinguens, hoc minorem illa ferre credit ætatem. NICOL. SERARIUS *lib. II. trihæresii cap. XI.* ex instituto in ortum inquirens, GENEBRARDUM suum, qui Maccabæorum tempore, sub Jonathane, Pharisæorum ordinem cœpisse perhibuerat, deserit, eisque exortum aliquanto adhuc superiorem tribuit, quod pluribus annis ea secta jam steterit, quam inter Jonathanem & Hyrcanum interfluxerunt, nil tamen certi definit, nisi quod *cap. XII.* Hillelem sectæ auctorem haud obscure innuat. SCALIGER *in Elencho trihæresii cap. XXII.* ab Hasidæis derivat, *p.* 164. citra hæsitationem pronuncians: *procul dubio Pharisæi sunt propago Hasidæorum:* & *p.* 169. mentem suam uberius ita declarans: *Postquam iste* ἐκουσιασμὸς *in præcepta cogi, & scripto mandari cœptus, tunc ex istis Hasidim processerunt* δογματισταὶ, *qui se* פרושים *sanctos, & tam a Hasidim, quam a vulgo segregatos dixerunt, qui* τὸν ἐκουσιασμὸν, ἀνάγκην *fecerunt, & quæ quis sponte faciebat, ex necessitate facienda præcipiebant. Hoc genus hominum in duo sectum est, in ipsos* פרושים Φαρισαίους, *&* Ἐσσηνούς: *nam Essenorum* ἀκριβεστέρα πολιτεία, *quam Pharisæorum* &c. De temporis tamen articulo, quo

cœperunt, altum ſilet. Demum BASNAGIVS *lib. II. Hiſt. Jud. cap. X.* §. 1. *p.* 479. poſtquam communem Judæorum traditionem, quæ ad Hillelem, Herodi M. *σύγχρονον*, ſectæ refert auſpicia, ex R. DAV. GANZII *Chronol. p.* 83. attulerat; eidem recte obvertit, dudum ante Herodis ætatem, ſub Alexandro Jannæo, Judæorum Rege extitiſſe, multumque apud populum valuiſſe Phariſæos: hoc ſaltem largitus, ſub *Hillele*, qui a *Schammai* in controverſiis Phariſaicis multum diſſentiebat, ſectam iſtam vehementer caput extuliſſe, Hillelisque diſcipulos auſteriorem diſciplinam dogmatibus addidiſſe. Vnde tandem conficit, præſtare, ut fateamur ignorantiam, quam ut incertam ſectæ originem pro certa jactemus. Hac noſtra demum ætate Vir doctus, quem præmaturo fato reipublicæ literariæ dolemus ereptum, IOH. GOTTFR. LAKEMACHER *P. I. Obſervat. Philol.* 1 §. 2 *ſqq. p.* 3. fide IOSEPHI *Antiqu. Jud. lib. XIII. cap.* 9. in Jonathanis Maccabæi tempora, Phariſæorum ortum definite rejicere annisus eſt, attamen ita, ut vim verbis IOSEPHI inferret, & lectione in omnibus Codicibus ſibi conſtante, quæ ita habet: *κατὰ δὲ τὸν χρόνον τοῦτον, τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν*, in dubium vocata, pro *ἦσαν* ex ingenio reponeret *ἀνέστησαν*, indeque porro inferret, celebres iſtas Judæorum ſectas tunc temporis non tam *fuiſſe*, aut in flore conſtitutas dudum, continuaſſe, ſed *ſurrexiſſe* potius, ac *ortas eſſe*. Quod licet pingere, & rationum momentis ſuffulcire in ſequentibus paragraphis moliatur, nobis tamen nimis audax, & tale videtur *εὕρημα*, cujus beneficio planas Hiſtoricorum quorumvis narrationes pro lubitu ſollicitare, ac in diverſum longe ac alium, quam qui ſcribentibus fuit, ſenſum pertrahere liceret. Nos potius in docta illa ignorantia acquieſcimus, donec certiora edoceamur: hoc ſolum tenentes, primam Phariſæorum originem Chriſti ætate longe eſſe ſuperiorem, & cum DRVSIO, nomen ipſa ſecta recentius ſtatuentes. Noſtro judicio nihil certius, quam quæ LIGHTFOOTVS *hor. Hebr. ad Matth. III,* 7. *num. III.* tradit: *Phariſaiſmum non ſimul & ſemel natum arbitrandum eſt, ſed diutinæ admodum conceptionis; & formæ non ſtatæ, cum pareretur. - - Semina prima Phariſaiſmi jacta ſunt longe ante partum, partusque jam editus diu multumque adoleſcens, antequam perveniret ad maturitatem, ſi modo definiri poſſet, quæ ejus maturitas.* Vlterius progreſſus, diebus Eſræ jacta ſuſpicatur Phariſaiſmi fundamenta, diu etiam ante natos Phariſæos; quæ tamen, cum ſequentibus, curatius merentur examen.

Ad §. VIII. pag. 23.

(5) *Non una e tribu prodibant*] Hoc pariter NIC. SERARIVS *trihæreſ. lib. II. cap. II.* copioſe tuetur, indeque porro infert, non Hieroſolymam, vel Judæam ſolam, ſed quamlibet Iſraeliticæ terræ portionem, ſedes ipſis præbuiſſe, quod ex Luc. V, 17. & THEOPHYLACTO in Matth. XV. evincit. Sed nec unius omnes ſexus erant, ſed fœminas quoque ex voto huic ſectæ ſe addixiſſe, ex iis patet, quæ IOSEPHVS *lib. XVII. Antiqu. cap. II.* §. 4. refert: *καὶ ἦν γὰρ μόριόν τι Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων, ἐπ᾽ ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν, προμηθεῖς, κᾀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι. Erat etiam Judæorum quædam ſecta, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, & de ea ferociebant, quibus ſe Deo charos eſſe ſimulantibus, addictæ erant fœminæ. Ii Phariſæi dicuntur, homines, qui maxime regibus auſi ſunt reſiſtere, circumſpecti utpote, data etiam occaſione ad aperte bellandum, lædendumque prompti*, (ut IBBETSONVS *in Notis ad h. l.* vertit). Quod ne, fœminas faviſſe ſolum Phariſæorum partibus, interpreteris, prohibent ea, quæ de viduis ac virginibus, Phariſaiſmum amplexis, commentatur LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. in Matth. III,* 7. *Tom. I. Opp. p.* 270 *ſq.* Spectat cumprimis huc R. IOSVAE effatum, quod in *Sotah cap. III. Miſchna* 4. legitur: חסיד שוטה ורשע

ורשע ערום ואשה פרושה ומכות פרושין הרי אלו מכלי עולם: *homo pius, qui insipiens, improbus, qui astutus, mulier Pharisæa, & vulnera Pharisæorum, ecce ista sunt, quæ orbi interitum afferunt*, h. e. ut WAGENSEILIVS in Notis exponit, in causa sunt, ut rerum ordo mutetur; ut fœda & tristis ubique sit facies. Quid per מכות פרושין intelligendum veniat, EDVARD. POCOCK. *ad portam Mosis not. miscell. cap. IX. p.* 353 *sq.* exponit, istudque convicium in ipsos intorquendum Pharisæos esse censet. Laudatus autem WAGENSEILIVS *Excerpto IX. ex Gemara in h. l. p.* 523 *sq. mulierem Pharisæam* per בתולה צליינית *juvenculam jugiter orantem*, & per אלמנה שובבית *viduam vagatricem*, cum Magistris exponit, sensumque ita declarat: puellæ nimium religiosæ, quæque omne tempus unice precibus impendere sese simulant, & viduæ, quæ per vicinorum ædes, tanquam opem aliquam, quod suis curis solutæ sint, aliis laturæ, assidue cursitant, generi humano magnarum cladium causæ habentur. Cum enim intus & in cute, nihil nisi veneficæ & meretrices sint, tamen affectatione ista pietatis efficiunt, ut fœminæ probæ, & bene moratæ citra dubitationem esse credantur, unde de iis puniendis, exterminandisque ex bonorum communitate, Magistratus nunquam cognitionem suscipit: sed vero, quod istæ peccant, omnes luere coguntur. Tales autem Pharisæas passim fuisse pessimæ notæ fœminas, *sub velo sanctitatis ac devotionis, omnimodam nequitiam occultantes ac practicantes*, quæ LIGHTFOOTI sunt verba, idoneis hanc in rem exemplis ipse comprobat.

Ad §. X. pag. 23.

(6) *Aliquas res Fato subjiciebant*] De Fato Stoico, quæ Pharisæis hæserit sententia, dubie disputarunt viri summi, BARONIVS *in Appar. ad Annales* §. 8. *pag.* 4. & qui eum castigavit IS. CASAVBONVS *Exerc. I.* §. 9. *p.* 42. Res omnis ad IOSEPHI redit testimonium, qui *lib. XVIII. Antiq. Jud. cap. I.* §. 3. *edit. Haverkamp. p.* 871. ita de ipsis perhibet: *πράσσεσθαί τε εἱμαρμένῃ τὰ πάντα ἀξιοῦντες, οὐδὲ τοῦ ἀνθρωπείου τὸ βουλόμενον τῆς ἐπ' αὐτοῖς ὁρμῆς ἀφεροῦνται· δοκῆσαν τῷ Θεῷ κρᾶσιν γενέσθαι, καὶ τῷ ἐκείνης βουλευτηρίῳ, καὶ τῶν ἀνθρώπων τῷ θελήσαντι προσχωρεῖν μετὰ ἀρετῆς ἢ κακίας· cum dicant, fato omnia fieri, voluntatem hominis non privant impetu, a seipsa pendente: quippe sic Deo placitum esse, ut certo temperamento miscerentur in unum, fati decretum, & ratio humana, si quis vellet accedere aut cum vitio, aut cum virtute.* Primis IOSEPHI verbis inhærens BARONIVS, Pharisæos omnia tribuisse fato contendit: contra vero CASAVBONVS, ex subsequente Historici explicatione meliorem ipsis sententiam largitus, ita definit: *e tribus sectis illis, fato omnia tribuebant Esseni; libero arbitrio Sadducæi, fatum, inane esse nomen sine re, affirmantes. Pharisæi mediam viam sunt ingressi: fato quidem fieri omnia; sed ita, ut hominum liberum arbitrium non tollerent.* Hausit ista CASAVBONVS ex IOSEPHO, qui *lib. XIII. de Antiqu. cap. V.* §. 9. *p.* 649. in eandem sententiam commentatur: *οἱ μὲν οὖν Φαρισαῖοί τινα, καὶ οὐ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι λέγουσιν ἔργον, τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ οὐ γίνεσθαι. τὸ δὲ τῶν Ἐσσηνῶν γένος, πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν ἀποφαίνεται, καὶ μηδὲν ὃ μὴ κατ' ἐκείνης ψῆφον ἀνθρώποις ἀπαντᾷ. Σαδδουκαῖοι δὲ, τὴν μὲν εἱμαρμένην ἀναιροῦσιν, οὐδὲν εἶναι ταύτην ἀξιοῦντες, οὔτε κατ' αὐτὴν τὰ ἀνθρώπινα τέλος λαμβάνειν, ἅπαντα δὲ ἐφ' ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίους ἡμᾶς αὐτοὺς γινομένους, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἀβουλίαν λαμβάνοντας. Pharisæi quidem dicunt, quædam eorum, quæ fiunt, non omnia, fati esse opera, esse enim & quædam in nostra potestate, ut fiant aut non fiant. Esseni vero omnia in fati potestate esse affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere. At Sadducæi fatum omnino tollunt, illud nihil esse existimantes, neque ista, quæ hominibus eveniunt, ei accepta deberi, sed omnia etiam nostro arbitrio subjiciunt, adeo, ut tum bonorum nobis ipsis auctores simus, tum mala nobismet per stultitiam nostram arcessamus.*

mus. Et quia FLAVIVS ibidem in II τῆς Ἰουδαϊκῆς πραγματείας *rerum Judaicarum* Libro, ἀκριβεστέραν δήλωσιν *curatiorem explanationem* hujus rei pollicetur, necesse est, ut tertium ejus addamus testimonium, quod *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 14. *p.* 166. his conceptum verbis legitur: εἱμαρμένη τε καὶ Θεῷ προσάπτουσι πάντα, καὶ τὸ μὲν πράττειν τὰ δίκαια, καὶ μή, κατὰ τὸ πλεῖστον ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις κεῖσθαι, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαστον καὶ τὴν εἱμαρμένην. *fato & Deo omnia attribuunt, & honeste agere, aut non agere, magna ex parte in hominibus situm* esse ajunt, *cooperari autem in singulis fatum.* Ex his duobus locis Pharisæos a fati errore absolvere conatur CASAVBONVS, quia fatum, & Deum, & voluntatem hominis, in actionibus mortalium arctissimo combinaverint nexu. Quando vero EPIPHANIVS *hæres. XVI.* §. 2. idem Pharisæis imputat: ἀλλὰ καὶ εἱμαρμένη καὶ ἀστρονομίᾳ παρ' αὐτοῖς σφόδρα ἐχρημάτιζε, *fato & astronomiæ plurimum tribuebant*, eamque de fato opinionem paulo post §. 3. ex instituto impugnat; eum CASAVBONVS in quosdam incidisse suspicatur suæ ætatis Pharisæos, *qui placitorum suæ sectæ parum gnari, hoc illi persuaserint.* Potiorem certe fidem habendam esse IOSEPHO, qui, ipsomet judice, *scriptor accuratissimus, & quidem cum professione Pharisæus, tum affectu.* Verum si hoc nobis standum sit judice, vereor, ut a fati errore absolvi queant Pharisæi. Ipse enim, plus vice simplici, inexorabilem, æque ac Stoici, vim fati pronunciat. Postquam Achabi regis interitum *lib. VIII. Ant. cap. XV.* §. 6. descripserat, de suo subjicit: λογίζεσθαί τε πάλιν ἐκ τῶν περὶ τὸν βασιλέα γεγενημένων στοχαζομένους προσῆκε τὴν τοῦ χρεὼν ἰσχύν, ὅτι μηδὲ προγινωσκόμενον αὐτὸ διαφυγεῖν ἐστιν· *quin & convenit, ut conjecturam faciendo ex iis, quæ huic Regi obvenerunt, nobiscum reputemus fati vim, quod, etiamsi nobis quid sit futurum, innotescat, evitari nequeat* &c. Porro *lib. V. de bello Jud. cap. XIII. sub fin.* de Judæis, ante Vrbis excidium incorrigibilibus, inquit: πεπήρωντο γὰρ ὑπὸ τοῦ χρεών, ὃ τῇ τε πόλει καὶ αὐτοῖς ἤδη παρῆν, *fatum enim eos cæcos reddiderat, quod jam & civitati, & ipsis imminebat.* Sic *lib. VI. cap. I.* §. 8. de Iuliano Centurione verba faciens, subdit: ἐδιώκετο δ' ἄρα καὶ αὐτὸς ὑπὸ τῆς εἱμαρμένης, ἣν ἀμήχανον διαφυγεῖν θνητὸν ὄντα, *verum & ipsum profecto fata persequebantur, quæ, utpote mortalis, vitare non potuit:* & mox *cap. IV.* §. 8. ubi deplorandum Templi incendium memoraverat, solatii loco addit: μεγίστην λάβοι παραμυθίαν τὴν εἱμαρμένην, ἄφυκτον οὖσαν, ὥσπερ ἐμψύχοις, οὕτω καὶ ἔργοις καὶ τόποις· *maximum quis inde capiat solatium, quod fatum, ut animantibus, ita operibus, locisque sit ineluctabile.* Denique *cap. V.* §. 4. idem denuo inculcat: ἀλλὰ γὰρ οὐ δυνατὸν ἀνθρώποις τὸ χρεὼν διαφυγεῖν, οὐδὲ προορωμένοις· *sed enim homines fatum vitare non possunt, etiamsi id prævidering.* Taceo, quæ suppetunt plura, ejusdem farinæ testimonia; quæ si ex sectæ promanarunt disciplina, ab hoc eam errore non sinunt esse immunem. Doctissimus tamen CAMERO *cit. loc. p.* 169 *sq.* subtiliter perquam & copiose Pharisæorum causam perorat, εἱμαρμένην & πρόνοιαν, *fatum & providentiam* IOSEPHO paria facere contendens, & EPIPHANIVM gravissimi lapsus postulans, cum IOSEPHVS eos, ab inclinatione providentiæ humanam nusquam asserat exclusisse voluntatem. Singulari studio perspicacissimus Anglus, GEORG. BVLLVS *Harmoniæ Apostol. Dissert. poster. cap. XV.* §. 14. *p.* 293 *sqq.* in controversiam istam inquirens, omnes rerum eventus inter hæc tria, Deum, fatum, & liberum hominis arbitrium quasi distribuisse Pharisæos, ex IOSEPHO pronunciat. De Deo sensisse, nihil ab ipso immediate & de novo fieri, sed tantum mediante εἱμαρμένῃ illa, ab ipso prius in rerum creatione stabilita: quam Pharisæorum mentem ex MAIMONIDE confirmat. Fato eos designasse ordinem & κατάστασιν cæli, astrorum & causarum secundarum ex iis pendentium, a causa omnium prima constitutam ac stabilitam. Justa vero facere vel secus, plerumque in hominis collocasse eos potestate, ut in iis actibus, qui sub virtutem aut vitium cadunt, fatum minus agere, hominis vero arbitrium inprimis

primis conſpici exiſtimarint: quanquam neque hi omnes, ex mente Phariſæorum in hominis fuerint poteſtate; dicebant enim *plerumque*, non *ſemper*. Quo nihil certius de implicata ſectæ illius mente dici poſſe exiſtimo; hoc ſolum addens, illam non tam in aſtrorum ſitu & influxu fatum conſtituiſſe; quam ineluctabilem potius neceſſitatem, cauſis eventuum intermediis, divina voluntate injunctam cenſuiſſe, ab aſtris ſolum indicatam & confirmatam, ut ex crebris IOSEPHI locis, a nobis in medium allatis, ſole clarius conſtat. Eam quippe urgentis vim eſſe fati, ut homines, ſiniſtrum rerum eventum reformidantes, eidem tamen actionibus ſuis ſuppetias velut ferant, volente ſic fato & decreto divino. Non hic me præterit, BASNAGIVM *lib. II. Hiſt. Jud. cap. X.* §. 4 *ſqq.* quando Phariſæorum ornare & pingere molitur hypotheſin, BVLLO confutando prolixam navaſſe operam, ſed in eo cumprimis, ut Phariſæis fatum denotaſſe aſtra neget: in quo facile me habet conſentientem. Hoc autem eidem non largior, quod Phariſæis §. *VIII. p.* 491. diſerte tribuit, partim nil aliud fuiſſe illis fatum, quam ipſam Dei voluntatem & decretum, partim integram ipſos homini reliquiſſe libertatem, ſive bonum patrandi, ſive malum. Dum enim non bina, ſed tria eventuum humanorum principia enumerat IOSEPHVS, Deum & fatum liquido diſtinguit; & ineluctabile toties aſſerit fatum, ut quicquid moliatur, quicquid agat homo, ejus tamen vim defugere omnino nequeat. Quando autem aliquam hominum arbitrio reliquerunt in agendo libertatem, non plenam tamen & integram, ſed fato reſtrictam conceſſerunt, quo inprimis verba ſpectant, βοηθεῖν δὲ εἰς ἕκαςον καὶ τὴν εἱμαρμένην. Porro, quando in *Pirke Abboth cap. III.* §. 15. pronunciant: הכל צפוי והרשות נתונה ובטוב העולם נדון *omnia cernuntur* a Deo, & *libertas data eſt* homini, *atque in bono mundus judicabitur:* cave hoc de omnibus hominum actionibus accipias, ſed de iis ſolum valet, quæ fati neceſſitate non præciſe circumſcriptæ, ſed hominis electioni quodammodo relictæ ſunt. Ita enim partiuntur eas Phariſæi, καὶ οὐ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι λέγουσιν ἔργον, τινὰ δ' ἐφ' ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν δὲ καὶ οὐ γίνεσθαι. Verum iſta juſto forte copioſius: nec tamen abs re, cum viros ſummos circa hoc momentum in partes abiiſſe conſpiciamus.

Ad §. X. pag. 23.

(7) *Secundo confitentur eſſe Angelos & Spiritus*] De Sadducæis, & illorum, circa Angelos & Spiritus, juxta hoc ex Act. Apoſt. teſtimonium, mente, Capite ſequ. ex inſtituto dicemus. Hic de Phariſæis obſervamus, eos non reſurrectionem modo, ſed etiam tam Angelos, ſeorſim exiſtentes, quam animas, corporibus ſuis ſolutas, affirmaſſe, quin & utriſque frequens ac familiare cum hominibus commercium aſſeruiſſe. Docet hoc LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad h. l.* *v.* 24. ex Talm. Codice *Beracoth fol.* 18. *col.* 2. idemque ex divitis epulonis ſermone liquet Luc. XVI, 26, Abrahamum obſecrantis, ut animam Lazari ad fratres ſuos in mundo ſuperſtites mitteret, quæ admonitionibus ſuis caveret, ne & ipſi in hunc tormentorum carcerem conjicerentur. Bene memini, veterum nonnullos, quin & ex Noſtratibus, MICH. WALTHERVM *in Harmon. h. l.* & ex Reformatis, GERBRANDVM VAN LEEVWEN *Annotat. ad h. l. Act.* *p.* 846 *ſq.* per πνεῦμα v. 9. Spiritum Sanctum qui locutus eſt per Prophetas, ſive illum Prophetiæ gradum intelligere, qui ſigillatim Judæis רוח הקודש audit; a qua ſententia ſe non alienum fatetur doctiſſimus IOH. CHRISTO. WOLFIVS *in curis Philol. & Crit. in h. l.* Verum, aut oppido fallor, aut πνεῦμα & ἄγγελον, in utroque commate 8. & 9. eundem neceſſe eſt obtinere ſenſum, quia, quod negabant Sadducæi, hoc ipſum Phariſæi aſſerebant. Aſt v. 8. voce πνεῦμα Spiritum Sanctum deſignari, quod EPIPHANIO quidem & PHILASTRIO viſum fuit, eo minus probatur, quo certius eſt, de creaturis ibi, non de Deo, ſermonem eſſe. Qui enim πνεῦμα utrobique de Deo expoſuit HARDVINVS,

DUINUS, *Proluſ. de nummis Herodiadum p.* 98. *ſqq. quoniam per ſe, vel per angelum, loqui Deus homini poſſit ac ſoleat*, unde Phariſæos utraque confiteri cenſet, h. e. *geminum reſurrectionis magiſtrum, nempe & Angelum, & Spiritum, ſive Deum, quorum ab alterutro edoceri Paulum potuiſſe ſuſpicati ſint:* merito hoc nomine vapulat WOLFIO, ut pluribus opus non ſit.

Ad §. X. pag. 23.

(8) *Pythagorica* μετεμψυχώσει] Non adeo expedita hæc eſt quæſtio, ac tradit Auctor. IOSEPHI, quod urget, teſtimonium ſatis eſt perſpicuum, quando *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 14. *p.* 166. hanc Phariſæis tribuit mentem, ψυχὴν πᾶσαν μὲν ἄφθαρτον, μεταβαίνειν δὲ εἰς ἕτερον σῶμα τὴν τῶν ἀγαθῶν μόνην, τὴν δὲ τῶν φαύλων ἀϊδίῳ τιμωρίᾳ κολάζεσθαι, *animam quidem omnem eſſe immortalem, ſolas vero bonorum animas in alia tranſire corpora, at malorum æterno ſupplicio puniri.* Solis tamen Cabbaliſtis ſententiam hanc tribuit R. ELIAS Germanus *in Tisbi*, voc. גלגול, qui ita habet: ומזה מה שאומרים בעלי הקבלה גלגול הנשמות ודעתם שכל נשמה ונשמה נבראת שלשה פעמים רוצה לומר שהיא מתגלגלת בגופי שלשה בני אדם · ולוקחין סמך מפסוק הן כל אלה יפעל אל פעמים שלוש עם גבר · וכן אומרים שנשמתו של אדם הראשון נתגלגלה בגוף של דוד המלך ומדוד התגלגל בגופו של משיח · וכן אדם ראשי תיבות אדם דוד משיח וכן אמרו שהנשמות של בעלי עבירות יתגלגלו בגופי בעלי חיים כל אחד לפי עונו · כגון מי שבא על הזכר נשמתו תתגלגל בארנבת לפי שהוא רובע ונרבע ומי שבא על אשת איש נשמתו תתגלגל בגמל לפי כן אמר דוד אשירה ליי כי גמל עלי · פירוש אשירה לך ואודה כאשר העברת חטאתי והצלת נפשי מין הגמל: *Hinc eſt, quod auctores Cabbaliſtici diſſerunt de revolutione animarum: quorum opinio eſt, unamquamque animam tribus vicibus creari: volunt dicere, quod ea volvat ſe per tria corpora filiorum hominis. Et locus Scripturæ, unde probationem accipiunt*, eſt Jobi cap. XXXIII, 19. *Ecce omnia iſta operatur Deus cum homine tribus vicibus. Unde ſic dicunt, quod anima primi hominis volutaverit ſe in corpore Davidis Regis, & inde reverſura ſit in corpus Meſſiæ: idque ſignificari per literas, quæ ſunt in voce* אדם, *quarum unaquæque integram dictionem conſtituat, Adam, David, Meſſias. Sic quoque dixerunt, quod animæ hominum prævaricatorum migrent in corpora animalium, uniuscujusque ſecundum id, quod peccetur. E. g. qui rem habuit cum maſculo, ejus anima, inquiunt, migrat in leporem, quod is ſcilicet in coitu, modo marem, modo fæmellam agit; qui vero rem habet cum alterius uxore, anima ejus in gamelum migrat. Hinc eſt, inquiunt, quod David dicit* Pſ. XIII, 6. *cantabo Domino,* כי גמל עלי *h. e. cantabo tibi & confitebor tibi, quod abſtuliſti peccatum meum, & liberaſti animam meam de gamelo.* Sed quod ad priorem, de Adami anima, traditionem attinet, quartum ei corpus, Abrahami ſcilicet, quod illa pariter ex Judæorum mente incoluerit, addit BARTOLOCCIUS *Biblioth. M. Rabbin. Tom. I. digreſſ. III.* quæ eſt de Adamo, hominum primo, *p.* 79. Eundem Phariſæorum errorem, ex Pontificiis SCIPIO SGAMBATUS *lib. II. Archivor. Vet. Teſt. Tit. XX. p.* 290. ex Noſtris vero, præeunte DRUSIO, recenſet & examinat THOM. ITTIGIUS *Exercit. Theol. Ennead. Diſſ. III.* §. 28 *ſqq. p.* 141. Cumprimis vero e Rabbinis R. MICHAEL *Cohen*, diſcipulus AVERROIS, dialogiſticam compoſuit diſputationem, inter ſe & inter MOSEN *Cohen* Germanum, *de transmigratione animarum*, quam R. MICHAEL affirmans, contra R. MOSEN, viginti rationibus eam impugnantem, reſpondendo ſingulis ſtatuminat, tandemque carmine ἐπινικίῳ triumphum canit. Hanc MSCtam, ex Biblioth. Vaticana recenſet laudatus BARTOLOCCIUS *Tom. IV. Bibl. pag.* 27. Contra vero ea, IOH. CAMERO, & IOH. MALDONATUS, ab iſto Phariſæos liberant errore. Sed totum hujus controverſiæ latifundium ſolide exhauſit, vir ſingularis induſtriæ, PAULUS SLEVOGTUS *diſput. Acad. XII. pag.* 829. ubi

1) Pha-

1) Pharisæos μετεμψύχωσιν asseruisse, §. 6. sqq. evincit, & contra negantium objectiones §. 10 sqq. tuetur: hinc 2) in erroris originem & patronos exoticos inquirit §. 16: demum 3) sententiam ipsam dogmatice exponit, ac ex instituto refellit §. 22 sqq. Quocum confer, quæ GERH. IOH. VOSSIVS habet *lib. I. de idololatria cap. X.* nec non IOH. HENR. MAIVS *in Synopsi Theol. Judaicæ Loc. XXIV. §. 5. p.* 329. ubi argumenta R. MENASSEH BEN ISRAEL, pro revolutione animarum allata, studiose diluit. Aliorum enim commentaria transscribere, animus nobis non est. Quod autem ad impiorum attinet animas, eas ex traditione R. ISAACI, & R. IVDAE, in Dæmones converti, qui tentent mortales, & postea ad infernum redeant, quin & ad sepulcra vadere, ac magno cum dolore suo vermes videre, qui corpus suum perforant, BARTOLOCCIVS denuo edocet *Tom. I. Bibl. Rabb. pag.* 351.

Ad §. X. pag. 23.

(9) *Matth. XVI,* 14.] Hanc Pharisæis mentem hæsisse, ex h. l. & Matth. XIV, 2. innuunt magis, quam probant SERARIVS *Trihæres. lib. II. cap. III. §.* 3. & DRVSIVS *de Sectis Jud. lib. II. cap. XIV. p.* 71. uberius vero adstruit BERNARD. LAMY *Comment. in Harmon. IV. Evangelistar. lib. III. cap. 26. p.* 280. Quod tamen interpretationis commentum refutat, falsumque demonstrat, circa Matth. XIV, 2. VOSSIVS paulo ante citatus: circa Cap. XVI, 14. autem, IOH. REINHARD. RVS *Harmon. Evangelistar. lib. V. Tom. I. Sect. I. cap.* 8. *Tom. II. p.* 164 *sq.*

Ibidem.

(10) *Mordicus tenebant παραδόσεις, traditiones Antiquorum*] Illam legis distinctionem in *scriptam,* & *oralem,* quam scite explicat Auctor, studiose inculcabant Pharisæi, priori nomine Scripturam Mosaicam, posteriori Sapientum placita & γνώμας, designantes. Elumbi perquam argumento distinctionem probat RASCHI ex *Lev. XXVI,* 46. ubi התורות in Plurali præter morem poni animadvertit, ad geminam hanc innuendam legem, אחת בכתב ואחת על פה מגיד שכלם נתנו למשה בסיני *quarum una scripta, altera ore prolata est. Memorat autem* istud Scriptura, *quod ambæ datæ sint Mosi in* monte *Sinai.* Verba MOSIS KOTSENSIS, quibus *Præfationem* ספר המצות הגדול, *libri præceptorum magni* auspicatur, & ad quæ Auctor noster provocat, ita habent: משה קיבל תורה מפי ארון העולם מסיני ומסרה ליהושע שכן כתוב ומשרתו יהושע בן נון נער לא ימוש מתוך האהל ויהושע מסרה לשבעים זקנים לנהג ישראל אחריו בדרך ישרה שכן הוא אומר ויעבדו ישראל את ה׳ כל ימי יהושע וכל ימי הזקנים והזקנים מסרוה לנביאים ונביאים הראשונים מסרוה לנביאים האחרונים והם חגי זכריה ומלאכי והם מסרוה לאנשי כנסת הגדולה ומהם קבלו החכמה דור אחר דור מאז ועד עת׳ *Moses accepit legem ex ore Domini orbis ex Sinai, & tradidit eam Josuæ, quia ita scriptum est* Exod. XXXIII, 11. *& minister ejus Josua, filius Nun, puer, non recessit a medio tentorii: Et Josua tradidit eam septuaginta Senioribus, ut ducerent Israelem post eum in via recta, quia ita ipse inquit* Jos. XXIV, 31. (coll. Jud. II, 7.) *& servierunt Israelitæ Domino omnibus diebus Josuæ, & omnibus diebus Seniorum: Et Seniores tradiderunt eam Prophetis, & Prophetæ priores tradiderunt eam Prophetis posterioribus, qui erant Haggai, Zacharias & Malachias. Hi tradiderunt eam viris Synagogæ magnæ, & ab his acceperunt sapientiam generationes sequentes, una post alteram, abhinc & ad hunc usque diem.* Hæc est decantata illa שלשלת הקבלה *catena,* sive series *traditionis,* quam longe copiosius adhuc & curatius MOSES MAIMONIDES exponit *sub initium Præfationis ad Jad Chasakah,* ita ut accepisse legem oralem perhibeat Seniores multos a Josua, a Senioribus illis & Pinehaso Sacerdote Pontificem Eli, ab Eli Samuelem, a Samuele Davidem, a Davide Ahiam Silonitam, ab eo Eliam, ab hoc Elisam, ab Elisa Jehojadam Sacerdotem, a Jehojada Zachariam, Hoseam a Zacharia,

charia, Amosum ab Hosea, Jesaiam ab Amoso, Michæam a Jesaia, Joelem a Michæa, Nachumum a Joele, Habacucum a Nachumo, Zephaniam ab Habacuco, Jeremiam a Zephania, a Jeremia Baruchum filium Nerijæ, Esdram a Barucho, Collegium Esdræ autem fuisse Synagogam magnam, quæ Haggæum, Zachariam, Malachiam, Danielem, Chananjam, & Misaelem, & Asariam, & Nehemiam, & Mardochæum, & Serubabelem, & multos cum eis Sapientes complexa sit, ad numerum CXX. In his fuisse Simeonem Justum: a Simeone Justo, Pontifice, accepisse Antigonum Sochæum &c. Idem porro MAIMONIDES *Præfatione in Seder Zeraim*, apud EDVARD. POCOCKIVM *in porta Mosis p.* 36. ordine retrogrado docuit, qua successione ab Esdra pervenerit hæc lex ad *Jehudam Sanctum*, auctorem Mischnæ, in qua quid retulit, acceperat a *Simeone* patre suo, ut ille a *Gamaliele* patre suo, ille a *Simeone* patre suo, ille a *Gamaliele* patre suo, ille ab *Hillele* patre suo, ille a *Schemajah* & *Abtalione* præceptoribus suis, illi a *Juda* Tabbæi filio, & *Simeone* Schataj filio, illi a *Josua* Pherakæi filio, & *Nathæo* Arbelita, illi a *Jose* Joezeri filio, & *Jose* Juchanani filio, illi ab *Antigono* Sochæo, ille a *Simeone* Justo, ille ab *Ezra*, Ezra vero a *Barucho* Neriæ fil. præceptore ipsius, Baruch autem Neriæ fil. a *Jeremia*, ut & Jeremias sine dubio acceperat a Prophetis, qui alii ab aliis acceperant usque ad Seniores, qui Josuæ, quæ ipse a Mose retulit, accepta tulerunt. Quid autem ABARBENEL in hac doctrinæ oralis traditione *in Præfat. ad* נחלת אבות desideret, & contra MAIMONIDEM moneat, legi poterit apud IOH. MEYERVM *Annotat. in Seder Olam p.* 1077 *sq.* Majoris momenti quæstio est, quo loco legem oralem habeant Judæi, & quam multis eam parasangis scriptæ anteponant. Ex citata MOSIS KOTSENSIS Præfatione hoc liquido apparet, in qua, paulo post illa, quæ supra attulimus, ita pergit: ולולי כי ניתן פרוש לתורה בעל פה היתה כל התורה כסמיות ועיוורון כי המקראות שוברין וסותרין זה את זה *nisi enim Deus hanc per legem oralem dedisset explicationem, tota lex* scripta *non nisi cæcitas, & ut meræ tenebræ visæ fuissent, cum Scripturæ versus sibi invicem contrarientur.* Quod variis demonstrare satagit exemplis, v. g. Exod. XII, 40. *habitationem Israelitarum in Aegypto fuisse dici* 430 *annorum*, cum tamen ex vita Cahathi, filii Levi, unius ex iis, qui in Aegyptum descenderant, nec non Amrami & Mosis, non nisi 380 anni exsurgant. Gen. XLVI. numerum eorum, qui descenderunt in Aegyptum, recenseri 70: cum tamen 69 tantum inveniantur. Addit discrepantiam in numero Levitarum Num. III, 39. in exactione argenti Exod. XXXVIII, 26, 27. circa azymos comedendos septem diebus, Exod. XIII, 6. & Devter. XVI, 8. sex diebus. Circa septem & quinque septimanas numerandas Devter. XVI, 9. Lev. XXIII, 16. de Paschate ex ovibus & bobus Devter. XVI, 2. & ovibus ac capris Exod. XII, 5. de primogenitis Devter. XV, 19. Lev. XXVII, 26. de asino inimici & bove reducendo Exod. XXIII, 4, 5. de descensu Domini in montem Sinai Exod. XIX, 20. & locutione e cœlo c. XX, 22. *& similia multa*, inquit, *quorum interpretationem exponere nemo possit, nisi ex lege orali, quæ est traditio per manus Sapientum.* Post multa ejusdem farinæ alia, aperte criminatur Scripturam: התורה שבכתב סתומים אמרים וכעין רמז הן ואין אדם יכול להתבונן בה לידע אפי' דין קל ולא לידע אפי' הכשר מצוה אחת *Legis scriptæ verba clausa, & instar mysterii sunt, ut nullus homo possit vel minimum jus ex ea intelligere, aut legitimum sensum ullius præcepti habere* sine lege orali, quomodo v. g. puniendus sit violator Sabbathi? quæ observanda in festo tabernaculorum? quis ritus circumcisionis? item de schedula limini imponenda Devter. VI. &c. Hinc intelligitur, quam abjecte de Scriptura sentiant Judæi, eamque & obscuritate, & contradictionibus, & defectibus innumeris laborare causentur: ex adverso autem quam magnifice de Traditione orali, quæ lucem & sensum literæ scriptæ affundat, defectus suppleat, mentem Dei omnipotentis dilucide declaret, ut absque hac si fuerit, nullius plane vel pretii,

pretii, vel uſus futura ſit lex literis exarata. Quam quidem calumniam, velut abominatur BVXTORF. *Synagog. Jud. cap. III. p.* 48 *ſqq.* ita retundere nititur IOH. HENR. MAIVS *Synag. Theol. Jud. Loc. I. §.* 4 *p.* 14 *ſqq.* Nemo autem copioſius de lege orali, & contra illam, poſt HOORNBEECKIVM *de convertend. Judæis lib. I. cap. I. p.* 57 *ſqq.* commentatus eſt, quam DANIEL LE ROY *in Joodſche Oudheden in opzicht van hunne Mondwet en Talmud, lib. I. toto, p.* 9-234. Ceterum de Phariſæorum traditionibus confer IOH. CAMERON. *Prælect. ad Matth. XIX,* 3. *p.* 166 *ſq. Opp.* De lege autem Judæorum orali IOSEPH. DE VOISIN *Annotat. ad Proœm. pugionis fidei Raym. Martini fol.* 11 *ſqq.*

Ad §. XII. pag. 24.

(11) *Ex primariis differentiis fuit*] Dum quippe GORIONIDES *lib. IV. cap. VI. circa fin.* Hyrcani, e Phariſæorum caſtris ad partes Sadducæorum, tranſitum exponit, eumque usque adeo in Phariſæos concitatum memorat, ut mandatum per univerſam Judæam promulgaret, in hanc ſententiam: כל מלמד אשר ילמד את בניו כתורת הפרושים מות ימות *quicunque filios ſuos juxta Phariſæorum legem inſtituerit, is morte mulctetur:* illa dein ſubdit, quæ Auctor noſter ex eo allegavit, & quæ in Hebræo ita habent: הנה הפרושים היו אומרים נשמור התורה אשר מסרו אבותינו כוריננו מפורשה על פי החכמים אשר פרשו את התורה לקבלה והנה הצקודים אומרים לא נאמין ולא נשמע לכל מסורת ולכל פירוש כי אם לתורת משה לבד *Ecce, Phariſæi dicebant: obſervemus legem, quam patres noſtri nobis tradiderunt, quamque Sapientes, qui legem explicant, ſecundum traditionem exponunt: Sadducæi autem dicebant: non credamus, nec obſervemus ullam traditionem & expoſitionem, præter legem Moſis tantum.* Eadem occaſione FLAVIVS IOSEPHVS idem perhibet, *lib. XIII. Antiqu. Jud. cap. X.* § 6. inquiens: νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι, ἐκ πατέρων διαδοχῆς, ἅπερ οὐκ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις, καὶ διὰ τοῦτο ταῦτα τὸ Σαδδουκαίων γένος ἐκβάλλει, λέγον, ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν. *Phariſæi multa inſtituta populo tradiderunt a patribus accepta, quæ in Moſis leges non relata ſunt. Ideoque ea Sadducæorum genus repudiat, dicitque, ea pro inſtitutis habenda, quæ ſcripta ſunt, quæ autem a patribus tradita ſunt, non eſſe ſervanda.* Addit præterea: καὶ περὶ τούτων ζητήσεις αὐτοῖς καὶ διαφορὰς γενέσθαι συνέβαινε μεγάλας, τῶν μὲν Σαδδουκαίων τοὺς εὐπόρους μόνον πειθόντων, τὸ δὲ δημοτικὸν οὐχ ἑπόμενον αὐτοῖς ἐχόντων, τῶν δὲ Φαρισαίων τὸ πλῆθος σύμμαχον ἐχόντων: *atque accidit, ut de his quæſtiones eis gravesque contentiones orirentur, Sadducæis locupletes ſolum in ſuas partes pertrahentibus, Phariſæis autem multitudinis favore nitentibus.*

Ad §. XIII. pag. ead.

(12) *Non capiebant cibum* χερσὶν ἀνίπτοις] In excutienda lotione Phariſaica, quæ a Marco c. VII, 3. πυγμῇ peracta legitur, ſtudioſe & curate verſatur Auctor. DAN. HEINSIVS *in Exercit. Sacr. ad h. l. p.* 111. prioribus duabus, ab Auctore recenſitis interpretationibus calculum adjicit, & ex Agoniſtica vetere, *crebro, certatim lavare,* ſed & cum Syro, μετὰ σπουδῆς, & ἐπιμελῶς, exponit. In eodem frequentiæ ſenſu, ut *iteratis vicibus lavare* notet, Græce doctiſſimus ERASM. SCHMIDIVS *h. l.* non tamen absque hæſitatione acquieſcit: nec ulterius progreditur IOH. CVNRAD. DIETRICVS *in Antiqu. N. T. h. v. p.* 157 *ſq.* Primus, quantum memini, SCALIGER *in Elencho Trihær. cap. VII. p.* 57. ex ritu lavandi Judaico, paulo curatius vim vocis enucleavit, *Judæus,* inquiens, *lotioni manuum operans, quinque digitorum* ἄκρα *inter ſe jungit: & cum extremitates digitorum ſic inter ſe commiſerit, inde fit, ut manus in pugni ſpeciem collecta ſit, non tamen ut verum pugnum, qui Græcis* πυγμὴ καὶ γρόνθος *dicitur, faciat, ſed* πυγμὴ *vocatur, quia aliud nomen reperiri non potuit.* Πυγμὴ enim

proprie est manus compressio, digitis quatuor in volam inclusis, solo pollice in indicem incumbente. Hoc vero manus schema colligitur, pollicis ungue cum quatuor digitorum summitatibus conjuncto. Cum igitur manus sic configuratæ fuerint, attolluntur, ita ut aqua, quæ inter lavandum manibus hæserit, una cum sordibus per exteriores partes manuum, ad cubitum usque defluant, & mox manibus, eodem schemate manente, terram versus pronis demissis, ab cubitis in terram decidant. Itaque in lotione manuum tria fiunt: lavantur manus ita, ut omnes sordes eluantur: componuntur deinde in pugnum: postremo elevantur & demittuntur. Inde vides, quare elevatio manuum vocata sit accurata illa χειρολουσία, qua ab antiquis usque temporibus hactenus utuntur Judæi. Habes amplissimum commentarium, unde Auctorem nostrum intelligas. In quam sententiam viri docti posthæc pedibus incesserunt, GROTIVS, FRANC. GOMARVS *Opp. T. I. p.* 87. HEIDANVS *de origine error. libr. VIII. cap. III.* §. 5. *pag.* 445 *sqq.* ex Nostratibus CALOVIVS, NOLDIVS, IOH. CHRIST. WOLFIVS *in Curis h. l.* & IOH. REINHARD RVS *in Harmon. Evangel. Lib. V. Part. I. Sect. I. cap. I. Tom. II. p.* 12 *sqq.* Cumprimis IOH. BVXTORFIVS fil. *dissert. VII.* quæ *vindicias Exercitationis de Cœna Domini* complectitur, §. 52 *sqq. p.* 374 *sq.* hunc locum, & quid Judæis sit, עד הפרק lavare, sollicite excutit; *dissertatione* autem *VIII tota p.* 397 *sqq. de ritu lotionis manuum ante & post cibum,* solide & erudite agit, unde peti poterit, quicquid huc facit. Præter hunc etiam copiosissime, & ex Judæorum fontibus, accurate de lotionibus Pharisaicis agit EDVARD. POCOCK. *ad portam Mosis Not. miscell. cap. IX. p.* 355 *sqq.* ubi SCALIGERVM circa elevationem manuum inter lavandum *p.* 376. refellit, negatque manus, postquam semel elevatæ fuerint, ante lotionem peractam atque aquam abstersam demitti debere, cum immundities hoc pacto augeatur, non tollatur. *Eam* itaque, *quæ requiritur manuum elevationem, non esse* הגבהה גמורה elevationem omnimodam, *sed* הגבהה קצת qua ex parte eriguntur, *i. e. situm quendam medium, quo nec in altum tollantur, nec versus in terram pronæ demittantur, quoque revera caveatur, non tantum ne refluat aqua semel affusa, sed* כדי שלא יצאו חוץ פרק ne omnino inter affundendum ultra carpum defluat, *quo ullius ab ea pollutionis metus sit:* quæ omnia testimoniis Talmudicis & Rabbinicis suffulcit. Quicquid demum ejus rei sit, necesse omnino est, ut ex lavandi ritu, ad quem omnino respicit Evangelista, genuinum vocis arcessamus sensum. Nec satisfacit THEOPHYLACTVS, qui *ad h. l.* νίπτεσθαι πυγμῇ, inquit, τουτέστιν, ἄχρι τοῦ ἀγκῶνος· πυγμὴ γὰρ λέγεται, τὸ ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος ἄχρι· καὶ τῶν ἄκρων δακτύλων, *lavare cubitaliter, h. e. usque ad cubitum: cubitus enim dicitur a flexu brachii, usque ad extremos digitos:* quod bene habet, modum tamen lavandi, qui in voce latet, non declarat. Quæ autem superstitionum lerna lotioni isti adhæserit, ex POCOCKIO ad nauseam usque disces. Et de manuum quidem lotione ob cibum vide MAIMONID. *Hilc.* הברכות *de benedictionibus cap. VI.* §. 1 *sqq. c. VII.* §. 8. &c. In genere de רחץ הכפים seu *lotione manuum* peculiari dissertatione An. 1716. commentatus est IOH. CHRISTOPHOR. WICHMANSHAVSEN, ubi §. 8 *sqq.* contra SPENCERVM disputat, hunc Judæorum morem, ex Gentilium ritu perperam derivantem.

Ad §. XV. pag. 25.

(13) *Tres lotionum species usitatas Judæis*] Tribus istis, 1) *Pharisaicæ* & superstitiosæ, ex Majorum traditione oriundæ, multis minutis observationibus vestitæ, 2) *Ordinariæ*, quæ communis gentium est, & ad civilem pertinet honestatem, 3) *Significativæ*, quæ vitæ integritatem & puritatem conscientiæ testabatur, & de qua vir doct. WILH. ERN. EWALDVS *Emblemat. Sacror. lib. III. Exerc. II.* §. 5. *p.* 41. commentatur, lotionem cumprimis addimus 4) *Sacerdotalem*, in obeundo munere sacro divinitus injunctam, de qua MAIMONID. in ביאת המקדש *cap. V.* §. 4. זה הכלל היה במקדש אין אדם נכנס לעזרה לעבודה

לעבודה אף על פי שהוא טהור עד שהוא טובל: *Generale hoc erat ſtatutum in ſanctuario, ut nemo ingredi deberet atrium miniſterii cauſa, tametſi ille mundus eſſet, usque dum corpus abluiſſet immerſione in aquam.* Rurſusque *ibid.* §. 1. מצות עשה לקדש כהן העובד ידיו ורגליו ואחר כן יעבוד שנאמר ורחצו אהרון ובניו ממנו את ידיהם ואת רגליהם וכהן שעבר ולא קידש ידיו ורגליו שחרית חייב מיתה בידי שמים שנאמר ורחצו מים ולא ימותו ועבודתו פסולה בין כהן גדול בין כהן הדיוט: *Præceptum affirmativum eſt, ut ſanctificet Sacerdos miniſtraturus manus & pedes ſuos, & poſtea miniſtret, quoniam dicitur: Et lavabunt Aaron & filii ejus ex illo* (labro) *manus & pedes ſuos. Sacerdos vero, qui miniſtrat non ſanctificatis manibus & pedibus ſuis mane, reus erat mortis ex cæleſti vindicta, quoniam dicitur: Lavabunt ſe aquis, ne moriantur. Etiam miniſterium illegitimum eſt, ſive is Summus eſſet, ſive vulgaris Sacerdos.* Plura huc facientia leges ibidem. Præterea laudatus EWALDVS §. 6. *p.* 42 *ſqq.* triplicem obſervat & declarat lotionem, *initiationis, expiationis, & ſanctificationis*, quam omnem idoneis, cum teſtimoniis, tum exemplis confirmat.

Ad §. XVI. pag. 25.

(14) *Verbum, quo utitur Marcus, eſt βαπτίζειν*] Diſtinctionem, quam Judæi instituerunt, inter נטילת ידים *lotionem manuum*, & טבילת ידים *immerſionem manuum*, LIGHTFOOTVS quoque explicavit *Hor. Hebr. ad Marc. VII, 4. T. II. Opp. f.* 445. Domi manentes, non comedebant, ἐὰν μὴ πυγμῇ νίψωνται, *niſi pugnum laverint:* at redeuntes e foro, non comedebant, ἐὰν μὴ βαπτίσωνται, *niſi manus in aquam immerſerint*, ignorantes quippe & incerti, ad quamnam immunditiem appropinquarint in foro. Conſentit POCOCKIVS *pag.* 377 *ſqq.* cui נטילה vocatur proprie lotio, quæ fit aqua prius e loco ſuo hauſta, ac e vaſe in altum levato, vi præbentis effuſa, טבילה quæ manuum in aquam immerſione peragi ſolet. Monent apud eundem *p.* 379. Magiſtri, inter החוצצים ſeu *res quæ diſcriminant*, & impediunt aquam, quo minus ad cutem pertingere, ſordesque auferre queat, ipſamque adeo lotionem impediunt, referendum quoque eſſe *annulum*, quem inter lavandum exui jubent, qui lotionis terminum, cibum etiam communem capturis, vel ad metacondylos, vel brachiale extendunt: nam qui ſufficere dicunt, ut ad condylos lavent, haud neceſſe eſſe ſtatuunt, ut exuantur annuli, cum infra articulum iſtum geſtari ſoleant. Atque hoc præcipue affirmant, cum annuli מהודקים ſeu *anguſtiores* fuerint. Sin רפוין *laxiores*, retineri in manu poſſe, tutius tamen judicantibus aliis, ut omnino deponantur. *Sunt apinæ, tricæque, & ſi quid vilius iſtis!* Confer tamen, ſi החוצצים ſive res, tranſitum aquæ ad cutem prohibentes, ordine recenſitas cupis, MAIMON. *Hilc.* מקואות *de lavacris cap. I.* §. 12. & *II.* §. 1 *ſqq.* Ejusdem ſunt farinæ, quæ *pag.* 380. de שפשוף *affrictu, confricatione* ſeu *defricatione* manuum inter lavandum, diſpari ſententia monet, unde hoc ſaltem certum ac ſcitum inter ipſos eruitur, *requiri, ut abſtergatur aqua, quæ manibus adhæſerit, ſive mappa, ſive re quapiam alia, quia ſi quis comederit panem, non exſiccatis manibus, perinde ſit, ac ſi immundum comediſſet.* Porro *p.* 382. de *aquis poſterioribus*, ſeu quibus poſt cibum ἀπονίπτεσθαι ſolebant, commentatur, ac ex iſtis omnibus demum *p.* 385. colligit, *certiſſimum eſſe, quod ait Syrus Interpres, lavaſſe ipſos* בטילאית ἐπιμελῶς, *nulla non adhibita diligentia, ita tamen, ut & ipſe magis, quid fecerint Judæi, quam quid dixerit Evangeliſta, expreſſiſſe videatur.* Pergens porro POCOCKIVS *p.* 389. ad Marci VII comma 4. quod præ manibus habemus, Auctori noſtro, æque ac BEZAE, DRVSIO, GROTIO, aliisque contra dicit, nec totius corporis, ſed manuum lotionem, immerſione tamen peractam, Græco verbo βαπτίζεσθαι h. l. notari contendit. Allatis enim in hanc rem Magiſtrorum ſententiis, demum *pag.* 393. recte concludit, *eſſe ſcil.* טבל *(quod βαπτίζεσθαι ſignificat) ulteriorem purgationis gradum, quam is,*

qui per נטל *seu* χερνίπ]ειν *intelligitur, nec tamen totius corporis merſationem neceſſario indigitare, cum vel graviſſima ac manifeſta manuum immundities* τῶ Perek, *ſeu ea, quæ ad brachiale eſt, junctura finiatur, ac manuum eousque merſatione tollatur, quo quis vel ad ea, quæ maxima cura contrectanda ſunt, edenda mundus atque idoneus cenſeatur: neque ergo e vi vocis* βαπτίζεσθαι *(quod nihil gravius quam* טבל *notat) firmiter concludi, Judæos e foro venientes totum corpus, antequam panem guſtarent, abluere ſolitos.* Et nimis certe moleſtum fuiſſet, ſi quoties a foro domum rediiſſent Phariſæi, ipſis veſtes omnes deponere, totoque abluere corpore, & aquis corpus immergere, neceſſe fuiſſet, cum manuum immerſio rite facta huic fini ſufficeret abunde.

Ad §. XVI. pag. 25.

(15) *Ad hanc ſuperſtitionem Petrus*] Quod perſuaderi mihi non patior. Quemadmodum enim hoc a Chriſto peractum pedilavium univerſum extraordinarium, & præter morem Judæis conſuetum, a Chriſto fuit ſuſceptum, velut BVXTORFIVS *diſſertat. VI. de Cœna Domini,* §.30. *p.*302 *ſqq.* contra SCALIGERVM, BEZAM, BARONIVM, liquido demonſtravit; ita ex trito quodam Phariſæorum ritu, hæc Petri poſtulatio manaſſe, dici nequit. Demus vero licet, quod ſerio tamen negamus, hunc lavandi morem obtinuiſſe πρὸ τῆ ἀρίςε Luc. XI,38, ille tamen non quadrat ad lotionem factam δείπνε γενομένε, *cœna* jam *peracta* v. 2. Vt differentiam inſignem taceam, quæ inter aquas priores & poſteriores, inter lotionem ante & poſt cœnam interceſſit, expoſitam BVXTORFIO *p.* 415. & POCOCKIO *pag.* 382 *ſq.* Petri autem verba tritæ ipſi affectuum vehementiæ tribuenda cenſeo, ut, ne partis cum Domino faceret jacturam, manus potius & caput una cum pedibus offerret lavanda. Bene WILH. LYSERVS *Diſſ. Exeg. in h. l.* §.23. *Petrus in recuſando vehemens,* inquit, *in admittendo vehementior, utrobique præ amoris magnitudine modum ſervare neſcit. Audiens enim comminationem divortii a Chriſto, niſi lavari ſe ab eo pateretur, confeſtim mutavit ſententiam, & non pedum duntaxat, ſed & manuum, & capitis lotionem expetit, q. d. potius, quam a Te divellar ac ſeparer, totum me ablui patiar.*

Ad §. XVI. pag. 25.

(16) *Sectam Hemerobaptiſtarum*] Hanc EPIPHAN. *lib. I. adverſ. Hæreſ. hæreſ. XVII. p.* 37. eadem per omnia cum Scribis ac Phariſæis tenuiſſe, quin & cum Sadducæis, in neganda mortuorum reſurrectione, conſpiraſſe perhibet, addens: τῦτο δὲ περιττὸν αὕτη κεκτημένη ἡ αἵρεσις, ὡς ἐν ἔαρί τε καὶ μετοπώρῳ, χειμῶνί τε καὶ θέρει πάντοτε καθημέραν βαπ]ίζεσθαι, ὅθεν καὶ Ἡμεροβαπ]ιςῶν εἴληφε τὴν ἐπωνυμίαν· ἔφασκε γὰρ αὕτη ἄλλως πῶς μὴ εἶναι ζῆν ἀνθρώπῳ, εἰ μή τι ἄρα καθ' ἑκάςην ἡμέραν βαπ]ίζοιτό τις ἐν ὕδατι, ἀπολυόμενός τε καὶ ἁγιζόμενος ἀπὸ πάσης αἰτίας. *Hoc vero præcipuum habent, quod tam vere, autumnoque, quam æſtate atque hyeme quotidie lavant: unde & Hemerobaptiſtarum appellationem adepti ſunt. Ita enim ſtatuebant: vivere aliter hominem non poſſe, quam ſi quotidie ſe aquis elueret, atque ab omni crimine purgaret.* A Phariſæis itaque hanc ſectam ortum trahere, pariter cenſet IOH. NICOLAI *Annotat. ad Carol. Sigonii de Republ. Hebr. lib. V. cap. XI. p.* 423. Sectam autem hanc in univerſum negat DIONYS. PETAVIVS *Animadverſ. ad cit. loc. Epiphanii T. II. p.* 35. nomine iſto Phariſæos deſignatos cenſens: Non videtur, ait, peculiaris hæc ſecta Judæorum extitiſſe, niſi ita dicamus: *nonnullos, qui ſe ſanctitate præſtare ceteris vellent, non modo quoties a foro redirent, verum etiam, tametſi pedem domo non extuliſſent, de die ſæpius lavare conſueviſſe. Cujusmodi* Banus *ille fuit, cui ſe* IOSEPHVS *in diſciplinam tradidit, ut in vita ſua ſcriptum reliquit. Hunc enim refert* ψυχρῷ ὕδατι τὴν ἡμέραν καὶ τὴν νύκτα πολλάκις λυόμενον, πρὸς ἁγνείαν. *Sic Eſſeni, apud eundem* IOSEPHVM *lib. II. c. VII. corpus ante cibum abluebant frigida. Quid igitur Hemerobaptiſtæ illi, quos* EPIPHANIVS *refert, merue-*

meruerint, ut distinctam ab aliis sectam efficerent, non satis discernimus. Dubius quoque ac anceps circa hanc rem hæret POCOCKIVS *p.* 401. cui GROTIVS *ad Marci loc. cit.* hanc elicuit confessionem: *Nescio tamen, an ab ea, qua, quo cibo capiendo idonei essent, se pararent lotione,* Ἡμεροβαπτίσαι *quos vocant, appellationem istam meruerint.* Ἡμεροβαπτιστὴς *enim, si vim vocis capio, proprie Hebræorum* טבול יום *exprimit, quod eo die lotum denotat. Qui scil. patre, ut loquuntur, pollutionis aliquo pollutus se mersare deberet, nec nisi post occasum solis, Terumam, vel sacrum aliquod contrectare, ex lege poterat. Si qui, quotidie sæpius* πρὸς ἁγνείαν *lavando, nomen illud commeriti sint, nec hos ipsos ad cibum quavis diei parte idoneos reddidisse, ex instituto majorum, aut idem ab aliis præstari debuisse, ex vi vocis probari posse arbitror.*

Ad §. XVII. pag. 25.

(17) *Eluebant sua pocula, sextarios, æramenta*] Copiosum rursus commentarium in hunc locum, lege apud laudatum toties POCOCK. *c. l. p.* 402 *sqq.* unde intelliges, hanc vasorum mundationem eos ex Lev. XI, 32. ubi mentio fit vasorum ligneorum, vestis, pellis & sacci, & 33. ubi testaceorum, Num. XXXI, 22, 23. ubi metallorum, rerumque, quæ ignem sustinere possint, derivasse. Nobis hæc persequi, & actum agere, non videtur operæ pretium esse. Hebræorum de lotione vasorum jura, qui scire avet, exposita leget a MAIMONIDE *in Jad Chas. Part. IV. lib. X.* Tract. מקואות seu *de balneis & lavacris Cap. III. §.* 11 *sqq.*

Ad §. XVIII. pag. cit.

(18) *Edere cum peccatoribus Matth. IX,* 11.] Quemadmodum plebejos omnes pro peccatoribus habebant, ita immunes, mundosque ab illis se servaturos spondebant, qui in ordinem Religiosorum seu Pharisæorum recipiebantur. MAIMONIDES *Hilc.* מטמאי משכב *cap. X. init.* regulas Ordinis hujus religiosi ad sex capita, sequentis tenoris, reducit: עם הארץ אינו נאמן על הטהרות עד שיקבל עליו דברי חברות ומה הן דברי חברות שיקבל עליו שיהא נזהר בטומאות שלא יטמא בהן ובטהרות שלא יטמא אותם ויזהר בנטילת ידיהם ובטהרתן שלא יקח מעם הארץ לחם ולא יתארח אצלו ולא יארחו אצלו בכסותו: *Homo plebejus non habetur fide dignus super rebus mundis, donec receperit in se regulas Societatis. Quænam vero sunt regulæ Societatis?* Resp. *Tenetur in se recipere:* 1) *quod velit omni studio vitare res immundas, ne polluatur per illas,* 2) *quod velit omni studio cavere, ne polluat res mundas,* 3) *quod velit studiosissime lavare manus, & quæ ad munditiem illarum spectant, observare,* 4) *quod a plebejo nolit accipere panem,* 5) *neque hospitari apud illum,* 6) *neque hospitio excipere eundem, vestimentis suis* scil. immundis. Pertinet huc etiam decantata illa Mischna, Cod. חגיגה *cap. II. §.* 7. בגדי עם הארץ מדרס לפרושין בגדי פרושין מדרס לאוכלי תרומה בגדי אוכלי תרומה מדרס לקודש בגדי קודש מדרס לחטאת: *Vestimenta plebejorum sunt calcatio pro religiosis; vestimenta religiosorum sunt conculcatio pro comedentibus oblationem primam; vestimenta eorum, qui comedunt oblationem primam, sunt calcatio pro sancto; vestimenta sancta sunt calcatio pro sacrificio expiationis pro peccato.* Quid sit מדרס *calcatio*, exponit ad h. l. R. OBAD. DE BARTENORA, quod idem sit ac *pater immunditiei ad polluendum hominem & vasa calcatione seminiflui, quæ polluit hominem & vasa, ut scriptum est* Lev. XV, 5. וכל אשר יגע במשכבה יכבש בגדיו *quisquis tetigerit cubile ejus, lavabit vestes suas,* & abluet se in aquis &c. Verba illa מדרס לפרושים *conculcatio Pharisæi,* MAIMONIDES ita παραφράζει: *quando Pharisæi tangebant vestes plebejorum, perinde, ac si tetigissent calcationem seminiflui, & necesse erat, ut se immergerent.* Vt itaque Pharisæi plebejorum in plateis occurrentium contactum evitarent, מהלכין בצדדין כדי שלא יתטמאו במגע עמי הארץ: *incedebant ad latera viarum, ne plebejorum contactu pollue-*

pollueverentur, teste MAIMONIDE Hilc. אבות הטמאות *cap. XIII.* §. 8.

Ad §. XVIII. pag. 25.

(19) *Jes. LXV, 5.*] Hæc verba, collata cum Cap. LXVI, 6, ad Pharisæos, aut Pharisæorum propagines scite refert CAMPEG. VITRINGA, *Comment. in h. l.* quem consuli ipsum, quam huc transscribere malim. Quam tamen subnectit ἐπίκρισιν, hic addo: *Pharisaismus, Deo invisissimus, disciplinæ Christi Jesu plane oppositus, extremo tempore usque eo corrupit gentem, ut inde potissimum arcessenda sit causa repulsi regni Dei, cum his criminibus & flagitiis, quæ eam iræ & vindictæ divinæ objecerunt.*

Ad §. XVIII. pag. cit.

(20) *Et Samaritanis fuit*] Horum fugam contactus τῶν ἀλλοφύλων ita describit EPIPHAN. *lib. I. adv. Hæres. hær. IX.* §. 3. *p.* 26: οὔρῳ κλυζόμενοι ἐπὰν ἀπὸ ξένης ἔλθωσι, μεμιασμένοι δῆθεν· ὕδατι σὺν ἱματίοις βαπτιζόμενοι, ἐπὰν ἅψωνται ἑτέρου, τῶν ἀλλοεθνῶν· μιασμὸν γὰρ ἡγοῦνται τὸ τινὸς ἅψασθαι, ἤτοι θίγειν ἄλλου τινὸς ἀνθρώπου ἀπ' ἄλλου δόγματος. *Lotio perfundi solent, quoties peregre domum redeunt; tanquam aliqua contagione polluti, & aqua sese, vestesque suas abluunt, cum alterius gentis quempiam tetigerint. Hac enim re contaminari se putant, si quenquam mortalium, aut alterius sectæ hominem attingant.*

Ad §. XIX. pag. cit.

(21) *Jejunabant bis in septimana Luc. XVIII,* 12.] Adscribam, quæ huc annotavit DRVSIVS, quia Auctorem nostrum illustrant & confirmant. *Jejunabant*, inquit, *die secundo & quinto, qui dies accepti sunt: nam quinto conscendit Moses montem Sinai, & secundo descendit ex eo: Ideo, inquit* R. IVDA *compositor libri Musar, soliti sunt jejunare illis diebus, cap. IV. fol.* 47. *col.* 1. *Et de quæsitis per epistol. Epist. XXXV. idem repetit: dicit Pharisæus Luc. XVIII,* 12. *se bis in Sabbatho, id est, in septimana jejunare. Hoc faciebat ex decreto majorum. Nam Doctores ita statuerant. Volumen Jejunii fol.* 54. *col.* 2. *Amplius decreverunt Magistri nostri, ut jejunaretur diebus secundo & quinto propter tres res, videlicet, propter destructum templum, propter legem conflagratam, & propter probrum divini nominis. Hinc discimus, primum, quibus diebus jejunaverunt, deinde quare jejunaverint. Jejunabant die secundo, qui nobis est dies Lunæ, & die quinto, qui dies Jovis, quod notatum a me ex* EPIPHANIO & THEOPHYLACTO, *Miscellaneor. Cent. I. c.* 76. Vbi tamen de die Jovis adhuc hæsitat, de quo videatur. Vberius hanc de diebus jejunii observationem, illustrat HVGO GROTIVS, dignus qui conferatur, quando primævorum Christianorum jejunandi morem, mutatis tamen diebus, ab hoc instituto derivat. EPIPHANIVS autem *hæres. XVI.* §. 1. *p.* 34. ita habet: ἐνήστευον δὲ δὶς τοῦ Σαββάτου, δευτέραν καὶ πέμπτην, *bis hebdomada quaque jejunare mos illis fuit, secunda videlicet ac quinta die.* Meminit quidem quarti diei jejunio dicati ELIAS Germ. in *Tisbi voc.* סכר, בדברי רז״ל ברביעי היו מתענין מפני האסכרה שלא תפול בתנוקות *Apud Rabb. legitur: quarto die jejunabant, propter strangulationem, ne caderet in pueros. Morbus est,* pergit, *qui obturat os fistulæ cibalis, quæ est in collo, quo morbo homo correptus in hora moritur.* Vnde apparet, ELIAM non de ordinario Pharisæorum instituto, sed de extraordinario quodam, nec perpetuo, loqui jejunio, in alium, ab ordinario statoque, diem collato.

Ad §. XXI. pag. 26.

(22) *Exponit hæc phylacteria*] De phylacteriis, manui & fronti alligandis, ex instituto & copiose egerunt, post MAIMONIDEM in *Jad Lib. II. tract. III.* qui תפלין ומזוזה וס׳ תורה inscribitur, VVAGENSEIL. in *Sota Cap. II. pag.* 397-418. GVIL. SVRENHVSIVS *Tom. I. Mischnæ*

næ ad tract. ברכות inter p. 8. & 9. & MICH. BECK, duabus *de Judæorum ligamentis precatoriis in capite & brachio*, A. 1674. & *de usu Phylacteriorum Judaicorum* dissertationibus, Jenæ A. 1675. publice propositis, concisius IOH. SAVBERTVS *Palæstræ Dissert. V. de ritu precandi veterum Hebræor. cap. II.* §. 9. *p.* 101 *sq.* qui rem omnem dilucide exposuerunt, & figuris æneis delineatam ob oculos posuerunt, ad quos cupidos remitto lectores. His adde LIGHTFOOT. *Opp. Tom. II. pag.* 356. *b.* IVST. CHRISTOPH. DITHMARVM *in Maimonid. hilch.* שבועות *seu de Juramentis cap. I. p.* 18 *sqq.* BASNAGIVM *histoire des Juifs liv. V. chap. XII.* §. 12 *sqq. Tom. III. pag.* 752 *sqq.* BARTOLOCCIVM *Biblioth. Rabb. Tom. I. p.* 576 *sqq.* HOORNBEECK. *de convertend. Judæis p.* 483 *sqq.* BRAVNIVM *de vestitu sacerd. Hebr. p.* 7 *sq.* OWMANNVM *ad Codic.* ירים *p.* 99 *sqq.*

EPIPHANII errorem recte notavit SCALIGER in *Elencho cap. VIII. p.* 66 *sq.* inquiens: *Quod autem φυλακτήρια* EPIPHANIVS *πλατέα σήματα πορφύρας interpretatur, nemo probabit, nisi qui, quid sint σήματα in veste, & πλατύσημος πορφύρα, ignorat, quod non magis convenit phylacteriis, quam vesti membranula, aut pittacium, quod fronti apponitur. Σήματα πορφυρᾶ, item πλατύσημος πορφύρα, est Laticlavium, quod Senatores Romani gestabant, & Equitum quidem erat angustius, unde Angusticlavium dicebatur. Erat vero instar Epomidis Episcopalis. Quam hoc conveniat phylacteriis, peritiorum judicium esto.* Et paucis interjectis pergit: *Sed de Dalmaticis, & colobonibus, quod addit idem* EPIPHANIVS, *non magis persuadet, quam de Laticlavio, quod dixit. τὰ δὲ σήματα, inquit, τῆς πορφύρας φυλακτήρια εἰώθασιν οἱ ἠκριβωμένοι μετονομάζειν, solent autem ii, qui accuratissime loqui solent, phylacteria clavos purpuræ vocare. Oportet eos imperitissimos fuisse, qui phylacteria clavos purpuræ vocabant. Nam clavi sunt intexti purpuræ: phylacteria vero sunt sejuncta a purpura, atque adeo toto vestitu. Neque sane ὑπὸ τῶν ἠκριβωμένων, sed ab imperitis, si qui ita sentiebant, hoc asseri potuit.* Male autem habuit hæc in EPIPHANIVM censura DIONYS. PETAVIVM, qui licet in suspenso hærens, & titubanter, *Animadversion. in h. l.* EPIPHANII *p.* 32. causam ejus ita perorat: *Hoc admirandum potius, quam aut sine alio idoneo auctore nimis amplectendum, aut acrius reprehendendum, quod in Elencho* SCALIGER *instituit. Atqui utrum Dalmaticas istas, & colobionas clavatos Pharisæi olim gesserint, eaque phylacteria plerique nominaverint, nec ne, aliunde constare non potest, & ex reconditis Judæorum libris ac ritibus multa* EPIPHANIVS *potuit addiscere, quæ hoc sæculo, & hodiernis Judæis ignota sunt.* Verum EPIPHANII fidem, in pluribus ejusmodi sublestam, dudum notarunt viri eruditi, nec ipse alias diffitetur PETAVIVS.

Nec minus ridiculus est circa phylacteria error HIERONYMI SOPRANIS, qui *digressione* 1. *de re vestiaria Judæor. Davidi* ejusdem subjuncta *p.* 361 *sq.* postquam Judæorum non feminas modo, sed viros etiam olim, præter quam nunc moris est, sine pileo, & alio, quod caput tegeret, incedentes, tempora tenui vitta ligasse perhibuerat, in modum coronæ capillos cingente, subnectit: *In cujus vicem Pharisæi membranas adhibebant, in quibus decalogi præcepta descripta, quæ a Christo Domino phylacteria dicuntur. Exprobrat autem eos illa dilatasse, quia vittæ minimi ferme digiti latitudinem in aliis non excedebant, & erant lineæ, vel sericæ, aut alia preciosa materia confectæ; Pharisæi vero, qui loco vittarum, membranas gerebant, longas in lineas, ut in illis præcepta describerent, latius extendebant. Propterea phylacteria dilatasse, & fimbrias magnificasse dicuntur, quod est, vittas & fimbrias latiores, quam solerent alii, gestasse.* Ita nimirum, ex crassa rerum Judaicarum ignorantia, a genuino phylacteriorum instituto, usu, modo ac fine, toto cælo aberrat Jesuita, alias non indoctus.

Ad §. XXII. pag. 25.

(23) *Immo omnes Judæi*] Missis, quæ de materia, forma, pericopis legis inscriptis, tempore

pore induitionis, ceterisque phylacteriorum circumstantiis, citati Auctores copiose exponunt, omniumque optime ex *αὐτοψία* hodienum apud Judæos discuntur; quando GOODWINUS noster ad Subjectum pergit, quod ille omisit, supplebimus, nempe non Judæis modo, sed & Deo ipsi ea assignari, ac ab humanis distingui תפלין שהקב״ה מניח *phylacteria, quæ Deus O. M. induit.* Testis est Gemara *in Berachot fol. 6.* ubi ita habet: א״ר אבין בר רב ארא· א״ר יצחק· מנין שהקב״ה מניח תפלין שנאמר נשבע י״י בימינו ובזרוע עוזו· בימינו· זו תורה· שנ׳ מימינו אש דת למו· בזרוע עוזו· אלו תפלין שנאמר י״י עוז לעמו יתן· *Dixit R. Aben, filius Raf Adæ, R. Isaacum dixisse: unde* (probatur) *Deum O. M. induere phylacteria?* (Resp.) *quia dicitur* (Jes. LXII, 8.) *juravit Dominus per dexteram suam, per brachium roboris sui. Dextera ejus lex est, quod dicitur* (Deut. XXXIII, 2.) *a dextra ejus ignis edicti &c. Brachium roboris ejus sunt phylacteria, quia dicitur* (Deut. XXXIII, 29.) *Dominus populo suo robur dat.* Paucis interjectis pergit: *In phylacteriis illis Domini orbis, quid scriptum est?* (Resp.) *quis est, sicut populus tuus Israel, gens una in terra;* (1 Chron. XVII, 21.) *nunquid igitur Deus O. M. gloriatur laudibus Israelis? omnino, scriptum enim,* (Deut. XXVI, 17.) *fecisti hodie Deum dicere* &c. *ubi mox sequitur, Dominus te fecit dicere,* &c. *Dixit nimirum Deus O. M. Israeli: facitis me laudem unicam in orbe, faciam & ego vos laudem unicam in orbe. Vos me facitis laudem unicam in orbe, dicendo* (ex Deut. VI, 4.) *Dominus Deus noster, Dominus unus. Faciam & ego vos laudem unicam in orbe, quia dictum: quis est, sicut populus tuus Israel, gens una in terra. Dixit Raf Acha, fil. Rabbæ ad Raf Aschen: esto, scriptum hoc sit in una cellula: sed quid in reliquis cellulis scriptum sit, explicas.* (Resp.) *nam quæ est gens magna* (Deut. IV, 7.) *& quæ est gens magna* &c. (v. 8.) *o te felicem Israel* &c. (Deut. XXVIII, 29.) *Aut, an tentaverit Deus* &c. (Deut. IV, 34.) *Et ut constituat te excelsum* &c. (cap. XXVI, 19.). Verum, quoniam Judæi Deum fatentur Spiritum, in quem talia secundum sensum literalem non quadrant, ut operam lusisse videatur GEORG. ELIEZ. EDZARDUS, quando *in cap. I. Berachoth p.* 211. absurditatis inde arguit Magistros, talia secundum literam de Deo commentos; hinc viri docti mystice hanc traditionem exponunt, ex libro זוהר *Sohar*, cujus *P. II. fol.* 111. *col.* 444, 445. auctor de his Dei phylacteriis ita pronunciat: תפלין דרישא חכמה ובינה גדולה גבורה תפארת המניח ותפלין דדרועה תפארת נצח יסוד מלכות המניח *Phylacteria capitis* (denotant) *sapientiam & intelligentiam, magnificentiam & fortitudinem,* (quæ) *pulchritudo induit. Et phylacteria brachii* (denotant) *pulchritudinem, æternitatem, gloriam, fundamentum,* (quæ) *regnum sibi imponit:* quæ ex Cabbalistarum arbore, & decem Sephiroth explicanda veniunt. Alii ita exponunt: Priscos Judæorum magistros, cum mandatum illud Deut. VI. de alligandis præceptis in signum manui atque fronti, populo vellent commendatum, nullo id argumento fortiori se efficere posse credidisse, quam si populo persuaderent, Deum quoque phylacteria gestare, Israelis causa & bono, ut scilicet gratiam Dei singularem, qua populum Israeliticum præ ceteris gentibus prosequi soleat, innuerent. Quod sub emblemate phylacteriorum, quæ manibus atque fronti Judæi alligant, commode fieri poterat, ipso Deo huic rei occasionem præbente, qui gratiam suam atque benevolentiam erga populum Israeliticum constantem testaturus, *ecce*, inquit, *in manibus sculpsi te, memoria tui coram me est jugiter,* Jes. XLIX, 16. Inter homines vero phylacteria gestare tenetur unusquisque Judæorum masculus, tertium decimum annum, & unum diem egressus. Hoc enim tempore fiunt בני מצוה *filii præcepti,* qui ad legis observationem tenentur adstricti. Ea enim ætate, ex informatione & catechisatione, de phylacteriorum necessitate, usu, & fructu, quantum satis est hausisse præsumitur. Immunes autem ab hoc præcepto censentur 1) Feminæ in universum omnes, quia istud ad eos solum spectat homines, quorum

in

in ore lex Domini esse debeat, ad quam docendam discendamque non nisi mares obligati creduntur Devter. XI, 19. & c. V, 1. Porro, 2) Servi, quorum animus non nisi servilibus curis occupatus ac intentus sit. 3) Sponsus, paranymphi, omnesque filii thalami, seu convivæ nuptiales, quibus ebrietas, & levitas capitis præsto sit. 4) Lugentes agnatos proximos suos, primo luctus die, quo animus ob mœrorem adhuc turbatus habetur. 5) Aegrotantes, maxime dolore colico, dysenteria, lepra, aliisque, quæ munditiem corporis tollunt, morbis laborantes, quia תפלין צריכין גוף נקי *phylacteria corpus mundum requirunt.* 6) Occupati tunc temporis במלאכת השמים *opere aliquo divino*, uti olim Sacerdotes, sacris operantes, Levitæ canentes, populus in Sanctuario constitutus &c. juxta tritum ipsorum canonem: כל עוסק במצוה פטור ממצוה אחרת: *quicunque occupatus est in aliquo præcepto, liber est ab omni alio.*

Ad §. XXII. pag. 26.

(24) *Non excepto nostro Salvatore*] Num Servator noster in diebus carnis Tephillin gestarit? anceps est ac dubia quæstio. Affirmat post SCALIGERVM *c. l.* LIGHTFOOTVM *in Hor. Hebr. ad Matth. XXIII, 5. Tom. II. Opp. p.* 357. & IOH. HENR. OTHONEM *Lexic. Rabbin.* voc. *Tephillin. p.* 657. Auctor noster, BOISIVS *in collat. p.* 70. & mox citandi IOH. REINH. RVS, & MART. ADELTVS, duasque asserti dant rationes, cum quod mos gentis esset a Deo imperatus, ut a pueritia erudirentur filii Judæorum in recitatione phylacteriorum, tum quod Christus non usum, sed fastuosum taxaverit abusum. Verum si evictum dederimus, morem hunc gentis sinistra verborum interpretatione niti, nec divini esse præcepti, sed superstitionis Judaicæ, ultro sequetur, ab illa sibi Christum temperasse.

Ibidem.

(25) *Mandatum enim generale fuit, Exod. XIII, 9.*] Huic jungunt Devter. VI, 8. & XI, 18. Istud vero in quæstione, & adhuc sub judice lis est, mandatum illud divinum num secundum literam, an vero symbolice & figurate sit capiendum? Affirmant prius, post Patres, IVSTINVM *in dialogo cum Tryphone*, CHRYSOSTOMVM, EVTHYMIVM, & THEOPHYLACTVM, laudati modo auctores, qui *μνημόσυνον* hoc legis, vi mandati Christo quoque assignant, tum quoque IACOB. ALTINGIVS *in Deut. VI. Tom. I. Opp. f.* 324. *b.* ex nostris, OSIANDER *in eundem loc.* qui *pædagogiam* in eo quærit, *qua continerentur Judæi in officio, sicut etiam jussit Deus in angulis vestium gestare certa aliqua monimenta, quibus intuentes admonerentur de observatione mandatorum Dei.:* & recentissime IOH. REINHARD. RVS *Harmon. Evangelist. Tom. III. p.* 237. atque MARTIN. ADELTVS *Tom. VIII. Miscellan. Lips. Observ.* 164. *p.* 27 *sq.* Verum post TOSTATVM ABVLENSEM, LYRANVM, & alios, posterius tuentur & ex instituto demonstrant IOH. GERHARDVS *Comment. in Deut. VI,* 8. *quæst.* 2. *p.* 428 *sqq.* & GEORG. ELIEZER EDZARDVS *in Berachoth cap. I. p.* 209 *sqq.* in sola acquiescentes metaphora, hoc sensu, quod omni tempore & loco præceptorum divinorum memores esse debeant, quemadmodum aliquis memor est signi, brachio vel manui alligati, aut rei ante oculos appensæ, aut ejus, quod postibus ædium est inscriptum. Hunc verborum sensum postulant 1) loca parallela alia, ex Proverb. III, 3. VI, 21. VII, 3. huc arcessenda, quæ figuratam elocutionem liquido præ se ferunt, cum neque super fauces, nec super tabulam cordis scribi, nec super digitos vinciri, universa lex Dei, immo totus Proverbiorum liber, secundum literam queat. Quam itaque figurato loquendi genere Deus Jes. XLIX, 16. pronunciat, se Zionem manibus suis habere insculptam, tam metaphorice hæc loca, de lege manibus & fronti alliganda, sunt explicanda. Quod ipsum etiam 2) mandati hujus circumstantiæ evincunt, quando Exod. XIII, 9. illud לזכרון *ad memoriam* diserte refertur, eaque, quæ memoriæ mandanda sunt, neutiquam illis, quæ tephillin comprehenduntur, pericopis

absolvuntur, sed per universam legem, a Mose in Deuteronomio repetitam patent. Vrget cumprimis GERHARDUS 3) scopum legislatoris, qui non ad ornamenta illa frontis & manuum, sed ad jugem spectat mandatorum divinorum memoriam, eamque practicam, ut semper ob oculos versentur. Ligat mandata Dei pro signo in manibus, qui in omni opere studet implere Dei mandata; collocat inter oculos, qui nunquam obliviscitur, sed mentis aciem semper in ea intentam habet; scribit in limine & super postes domus, qui sive intret domum suam, sive egrediatur, semper mandata Dei memoria & cogitatione revolvit. Hæc paucis complexus ABRAH. HEIDANUS *lib. VIII. de Orig. erroris cap. III. §. 6. p.* 447. calculo suo munit, *quod quidam,* inquiens, *inter quos* IOSEPHUS *&* IUSTINUS, *Exod. XIII,* 9, 16. *& Deut. VI,* 8. *ea putant imperari, frustra sunt. Nam istis locis (ut etiam olim* HIERONYMUS *observavit) nihil aliud jubentur Israelitæ, quam beneficia liberationis ex Aegypto & præcepta divinitus data animo infigere, non minus, quam quæ memoriæ causa in manibus gerere, & ob oculos nobis ponere solemus. Vt sit παροιμιῶδες loquendi genus, quale Jes. XLIX,* 16. *Prov. VI,* 21. *& III,* 3. *Cant. VIII,* 6. *ut vel ex eo apparet, quod id, quod in Deuteronomio* טוטפות, *id dicto Exodi loco dicitur* זכרן *memoriale.* Quæ plana sunt, in illis ut tuto acquiescamus.

Ad §. XXII. pag. 26.

(26) *Sed ea dilatandi, quo viderentur sanctiores reliquis*] Id inter Pharisæos, & reliquos Hebræos intererat, quod hi mediocriter latis loris utebantur, hordeacei grani longitudinem vix excedentibus: Pharisæis contra, quibus unum studium erat, πάντα τὰ ἔργα αὐτῶν ποιεῖν, πρὸς τὸ θεαθῆναι τοῖς ἀνθρώποις, non sufficiebat hæc tantilla laxitas, ideo opus erat πλατύνειν τὰ φυλακτήρια, i. e. ut in omnium oculos incurrerent phylacteria, nodos ingentes, & lora facere latissima, inquit WAGENSEILIUS *p.* 405. Præterea Judæi gregarii haud facile, nisi cum orarent, phylacteria gestare audebant, ob summam eorum sanctimoniam, מקדושתו גדולה מקדושת הציץ *quia sanctiora sunt bractea aurea* (quam secundum Exod. XXVIII, 36. in fronte Summus gestabat Pontifex) *quippe in bractea non nisi semel Dei nomen descriptum erat, in phylacteriis vero tam capitis, quam brachii, utrobique vicies & ter nomen tetragrammaton exprimitur,* ut habet MAIMONIDES *Hilch. Tephillin Cap. IV.* §. 14. at Pharisæi semper gestabant, ut ostenderent, se, quanti quanti essent, nil nisi munditiem esse, & ut hac nota inter ipsos, & τὸν ὄχλον, τὸν μὴ γινώσκοντα τὸν νόμον, καὶ ἐπικατάρατον, Joh. VII, 49. quisque discrimen facere posset.

* Ad §. XXV. pag. 27.

(27) *Cum publice phylacteria sua gestare non auderent*] Spectant nimirum illa ad מצוה רפויה *præceptum remissum,* quod tempore persecutionis, ad effugiendum capitis periculum, negligere permittebatur. Ita legimus *in Schabb. cap. IX. fol.* 130. *a.* כל מצוה שמסרו ישראל עצמן עליהם למיתה בשעת השמד כגון ע״ז ומילה עדיין היא מוחזקת בידם / וכל מצוה שלא מסרו ישראל עצמן למיתה בשעת השמד כגון תפילין עדיין מרופה בידם: *Præcepta illa, pro quibus Israelitæ tempore persecutionis seipsos morti tradere non dubitarunt, qualia sunt v. g. præcepta de cultu idololatrico, circumcisione,* &c. *etiamnum manibus suis quasi pressis tenent: illa autem præcepta, pro quibus tempore persecutionis mortem oppetere non sustinuerunt, v. g. præceptum de phylacteriis, etiamnum remissius observant.* Quanta vero alias, gestandi phylacteria necessitas incumbat Judæis, ex iis apparet, quæ Auctor libri נפש החכמה lit. ה in hanc sententiam profert: קרקפת דלא מניח תפילין מעולם יורד לבאר שחת ונדון שם והוא מפושעי ישראל בגופן לפיכך אשרי אדם המתקן עצמו בחותם המלך: *Caput, quod non applicat phylacteria, e mundo descendit in puteum perditionis, ibique judicatur; est enim talis homo ex censu prævaricantium Israelitarum in*

in seipsos. Quare beatus homo ille, qui confirmat seipsum sigillo Regis, h. e. nomine שדי phylacteriis comprehenso. Rationem reddit MAIMONID. *Hilch. Tephillin cap. IV.* §. 26. *Quicunque non alligat phylacteria, transgreditur octo praecepta affirmativa: ecce enim, in singulis quatuor pericopis, praecepit Deus utraque tam capitis, quam brachii phylacteria. Quicunque vero assuetus est phylacteriis, prolongat annos suos. Scriptum est enim* (Jes. XXXVIII, 16.) *Domine per hæc vivitur.*

Ad §. XXV. pag. 27.

(28) *Manus suas rubro filo cinxerunt*] Haud immerito miratur REIZIVS *in Not. ad h. l. Auctoris*, qui factum sit, ut rubrum filum manibus circumdatum, tempore persecutionis in locum phylacteriorum surrogarint Judæi, cum ceteroquin sedulo caverint, ne ad phylacteria rubrum adhiberetur lorum, ne scortorum gratiam venari videantur, aut lora sua conjugum sanguine καταμηνίῳ tinxisse dicantur. Si conjecturæ sit locus, originem filo rubro præbuisse dixero Rahabæ תקות חוט השני *funiculum fili coccinei*, symbolum ereptionis & salutis, in πανολεθρίᾳ Jerichuntis, fenestræ illigatum, Jos. II, 18. Hoc etenim signo, velut cladem, extremumque capitis discrimen feliciter effugit, cum universa familia sua, Rahaba, ita pari adminiculo in persecutione elapsuros se sperasse dixero Judæos, si phylacteriorum vicem filo coccineo supplerent. Sed nemini obtrudo, quod ex ingenio hariolari licuit. Alias me non fugit, Jerichuntinum illum funiculum, hinc ad Christum, pretioso suo sanguine rubentem, Jes. LXIII, 1. hinc ad salvificam typice accommodari fidem, ut videre licet apud IOH. BIERMANNVM *in Mose & Christo lib. I. cap. IX. p.* 217 *sqq.* edit. Belg.

Ad §. XXVI. pag. ead.

(29) *Moses phylacteria vocavit* טטפות] De obscura vocis origine justas spargit Auctor querimonias. Quam cum prodere in promptu non haberet DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v.* ad ignorantiæ se recepit asylum, ויש אומר שהיא מלה מצרית כמו מראות: *esse qui censeat vocem Aegyptiacam esse, quæ idem notet, quod specula.* Definit autem per כתר coronam, quam ponimus super frontes nostras, ut admoneamur præceptorum Dei. Aegyptiacos vocabuli natales tamen doctissimus tuetur SCALIGER *in Elencho trihæresii cap. VII. p.* 62. KIMCHIVM notans, qui inepte & περιέργως ex voce Aegyptia & Africana componat. GVILIELM. ROBERTSON *in Thes. Lingu. Sanct. h. v.* radicem fingit טטף *typos formavit, signum insculpsit, referens alicujus rei typum & veritatem*, unde טטפות sint *typi monitorii, signa memorialia, monitoria:* hinc phrasin petitam censens Apocal. XIII, 16. *accipere signum bestiæ in dextram manum*, ut operanti sit ante oculos, *& frontem*, ut occurrenti obviam signum sit, h. e. legem bestiæ suscipere ad eam sequendam & profitendam: item Apoc. XIV, 1. *habentes nomen patris ejus scriptum in frontibus suis*, h. e. nomen patris Christi nominantes & profitentes: quæ loca commode huc referuntur, & ex phylacteriorum ritu scite illustrantur. Quod miror, in mentem non venisse CAMPEGIO VITRINGAE, in *Anacrisi Apocal. Johannis p.* 623. in more Romanorum & Orientalium gentium, quibus milites & servi in fronte inscripti, nominibus Imperatorum ac heroum signabantur, cum GROTIO & aliis Interpretibus, acquiescenti. VAL. SCHINDLERVS in *Lex. Pentagl.* nostro Auctori prælusit, & a טפף *incessit*, derivavit, quod gestentur, vel κατ' ἀντίφρασιν, quod loco non moveantur, sicut כוכב *stella*, a כבה *extinxit* ortum trahit. Vnde LXX ἀσάλευτα, *immobilia, inconcussa*, reddiderunt. Quæ porro, de *Pittaciis* & *Pittaciolis* HIERONYMI, monet Auctor, plenius explicata leguntur apud SCALIGERVM *cit. loc. p.* 63. quæ non transscribo.

Ad §. XXVII. pag. 27.

(30) *In Evangelio vocantur* φυλακτήρια] Quasi *conservatoria* legis, quod summam legis compre-

comprehendant, & perpetuæ custodiæ mandent: vel, ut LVDOVIC. COMPIEGNE DE VEIL *ad Tractat. Maimonidis de apparatu templi cap. X.* exponit, *quæ legis observandæ memoriam usque custodiunt.* Putant enim lege sancitum Judæi, ut his velut fasciis caput obligent, manusque, ea mente, ut intelligant, quomodo pueri ad voluntatem parentum sese totos accommodant, ita sibi fingendum esse corpus & animum ad nutum Dei, cunctasque suas actiones, ac cogitationes ad legis præceptionem esse dirigendas.

Ad §. XXVII. pag. 27.

(31) *Pharisæis superstitio anilis persuaserat*] Pergit Auctor ad superstitiosos phylacteriorum abusus, in quibus est, 1) ut a Diabolo tutos præstent homines, ut ex Targum חמש מגלות apparet, ubi verba Cant. VIII, 3. *sinistra ejus sub capite meo, & dextra ejus amplexatur me*, ita redduntur: אמרת כנשתא דישראל אנא בחרתא מכל עממיא די אנא קטרא תפלין ביד שמאלי וברישי דלית רשו למזיקא לחבלא בי: *dixit Ecclesia Judaica, ego selecta illa sum præ ceteris omnibus populis, quia ligo phylacteria in manu sinistra & capite meo, ne sit potestas dæmoni nocendi mihi.* 2) Vt ab omni præmuniant peccato, sicut ex R. LEVI HOTTINGERVS docet *Juris Hebræor. lege XX. p. 29.* Magistros asserere: כל מי שיש מזוזה בפתחו וציצית בבגדו ותפילין מובטח לו שלא יחטא *ad cujus ostium est postis, in cujus veste fimbria, in cujus capite phylacteria* (tria illa legis monimenta) *is tutus est a peccato: quia præcepta illa ut perpetua sunt, ita homo perpetuo illis perficitur*, ut addita ratio habet. 3) Vt puerulis somnum concilient, quod tamen improbant Magistri, eumque in numero מנחשים *auguria captantium* habent, *qui vulneribus incantarit, e Lege versum legendo; quive super puero legerit, ne conturbetur,* והמניח ספר תורה או תפילין על הקטן בשביל שישן *aut qui librum legis, vel phylacteria puerulo imposuerit, ut somnum capiat &c.* ut est apud eundem HOTTINGERVM *c. l. lege 253. p. 387.* Alius, & tolerabilior eorum usus est in *præstando juramento.* Moris enim est Judæis, ut juraturus apprehendat rem sanctam & pretiosam Gen. XXIV, 2. חפץ *desiderabilem* ipsis dictam, quæ ut plurimum est, liber legis. Sin autem causa sit levior, ita ut quilibet alius sacer liber hanc in rem usurpari possit, par phylacteriorum, loco חפץ, manu prehendunt. Quo ritu vulgares plerumque Rabbini, seu תלמידי החכמים *discipuli Sapientum* jurare solent: *quia enim illi gravitatem juramenti per se norunt & intelligunt, ideo a graviori formula sunt immunes*, ut habet BVXTORF. *Synag. Jud. cap. XLVIII. p. 679.* ubi egregie hanc in rem commentatur. Immo, ex consilio WAGENSEILII, phylacteria alligata capiti & manui habebit juraturus, si bona fide & valide Christianis sacramentum dixerit: de quo copiose vide IOHAN. IAC. SCHVDT *Jüdisch. Merckwürdigk lib. VI. cap. 28. §. 10 sq. p. 72 sq.* De his omnibus quoque dudum præcepit LIGHTFOOTVS *ad Matth. XXIII, 5. in Horis, Tom. II. Opp. p. 356 sq.*

Ad §. XXVIII. pag. 27.

(32) *Vnde a φυλακτηρίω Phylacteriani vocati sunt*] Canon LXI Concilii sexti in Trullo, in BEVEREGII *Synodico Tom. I. p. 227.* ita habet: *Qui vatibus seipsos tradiderunt, vel iis, qui Centuriones dicuntur, vel aliis ejusmodi, ut ab illis discant, si quid sibi revelari velint: convenienter iis, quæ de ipsis a Patribus nuper constituta sunt, sexennii canoni subjiciantur. Eidem autem eos quoque subjici oportet, qui ursas, vel ejusmodi animalia, ad ludum & simpliciorum noxam circumferunt, & fortunam, ac fatum, & genealogiam, & quorundam ejusmodi verborum multitudinem, ex fallaciæ imposturæque nugis proferunt,* τοὺς τε λεγομένους νεφοδιώκτας, καὶ γοητευτάς, καὶ φυλακτηρίους, καὶ μάντεις. *eosque, qui nubium persecutores, & incantatores, & amuletorum præbitores & vates appellantur. &c.* BALSAMON *in Scholiis* ita exponit: φυλακτήριοι δὲ λέγονται, οἱ κατὰ ἀπάτην δαιμονικὴν διδόντες τοῖς ὑπ' αὐτῶν ἀπατω-

ἀπατωμένοις δόγματά τινα ἐκ σερικῶν νημάτων ὑφασμένα, καὶ πιττάκια λεγόμενα, ἔχοντα ἔσωθεν ποτὲ μὲν γραφὰς, ποτὲ δὲ ψευδῆ τινα ἕτερα τὰ παρατυχόντα. καὶ λέγοντες ὀφείλειν ταῦτα διηνεκῶς ἐκ τῶν τραχήλων τῶν λαμβανόντων αὐτὰ ἐξαιωρεῖσθαι, εἰς φυλακὴν παντὸς κακοῦ· *Amuletorum autem præbitores dicuntur, qui fraude dæmonis eis, qui a se decipiuntur, sacculos quosdam ex sericis filis contextos, qui & πιττάκια dicuntur, præbent, quæ aliquando quidem intus habent scripturas, aliquando vero falsa quædam alia, quæcunque inciderint. Dicunt autem hæc juvare, si ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuo pendeant, ad omne malum vitandum.* Porro *ibidem* Protus quidam notatur, qui superstitionis ejusmodi postulatus, εὑρέθη ἐπ' αὐτοφώρῳ, ἐγκόλπιον ἔχων ἔνδυμα νεογενοῦς παιδὸς, *manifesto deprehensus est in sinu ferens indumentum infantis nuper nati.* LAMPRIDIVS nimirum *in Antoninum Diadumenum*, *Solent*, inquit, *pueri pileo insigniri naturali, quod obstetrices rapiunt, & advocatis credulis vendunt, siquidem causidici hoc juvari dicuntur.* His similia prodit SVICERVS *in Thesauri P. I. p.* 996. voce ἐγκόλπιος. Ceterum de amuletis erudite commentati sunt MARTINVS DEL RIO *disquisit. magicar. lib. I. c. IV. qu.* 4. *pag.* 53. IVLIVS REICHELTVS peculiari tractatione, M. AVGVST. NATHAN. HVBNERVS *in amuletorum historia*, & alii: de amuletis sigillatim, ad depellendos morbos idoneis, LVDOV. COELIVS RHODIGINVS *Lection. Antiquar. lib. IX. cap.* 23. *sub fin.* MART. DEL RIO *lib. III. Part. II. quæst.* 4. *Sect.* 7. *pag.* 458. GISBERT. VOETIVS *P. III. Dispp. Select. p.* 576. cumprimis contra pestem *ibid. p.* 606. porro contra morbos BERNEGGER. *quæst.* 39. *ad Tacit.* VRSINVS *Analector. Sacror. lib. I. cap. XIV. p.* 25 *sq.* GEIER. *de superstit. cap. II.* §. 7, 8, 10. & *cap. III.* §. 27. porro *c. IV.* §. 22. de amuleto per vocem *Ananisabta*, cruci inscriptam, post laudatum DEL RIO *lib. III. P. II. qu.* 4. *sect.* 8. *p.* 463. GEORG. SERPILIVS *Tom. V. Miscellan. Lips. CXV. p.* 284 *sqq.* Pythagorei optare solebant signo pentagono sanitatem: sed & eodem signo, veteres Druidæ apud Germanos & Gallos, infantium sanitati & conservationi consulebant, adulti autem & provectioris ætatis, eadem figura calceos munire solebant, ut gressus ipsis præstaret tutos, observante STEPHANO LE MOYNE *Varior. Sacror. Tom. II. p.* 87 *sq.* Demum CAR. CAESAR BAVDELOTIVS DE DAIRVAL, in Gallico *de utilitate peregrinandi & commodis* &c. commentario *p.* 334. varias ob oculos ponit amuletorum figuras, quas Veteres contra fascinum, pueris puellisque collo suspendere consueverint. Sed de his satis.

Ad §. XXIX. pag. 27.

(33) *Ab ipso nostro Servatore non neglecta*] De ציצית *peniculamentis*, æque ac de טלית vel ארבע כנפות h. e. palliolo, cui in extremis quatuor oris adhærent, iidem fere omnes, qui de phylacteriis, præceperunt Doctores, noctuas ut Athenas portare videar, si vel quid illis addere, vel ab aliis tradita, huc transferre aggrediar. Præcipua saltem inde delibabimus momenta; sed paucis. Nominis rationem redditurus RASCHI, *ad Num. XV*, 38. & ad Ezech. VIII, 3. provocat, ubi בציצת ראשי legitur, *& apprehendit me in cincinno capitis mei*, & ad Cant. II, 9. *& videbitis eum, tanquam* מציץ *efflorescentem*, seu emicantem *ex clathris*; ut a צוץ vel ציץ *effloruit* derivetur. Priorem tamen etymologiam præfert MAIMONIDES, qui fasciculum illum filamentorum דומה לציצית של ראש *similem esse* pronunciat *cincinno capitis*. Alias quoque, Deut. XXII, 12. גדלים *institæ* dicuntur, *fasciæ*, ex usu Chaldæorum, unde COCCEIVS interpretatur *fila contorta*, MERCERVS, *opus funiculatum*, quia ex multis filis contextum. ONKELOS in Chaldaica paraphrasi Græcam vocem τὰ κράσπεδα retinuit, Deut. XXII, 12. & Num. XV, 39. ברוספדין reddens. Illa vero ציצות *peniculamenta* a quatuor angulis pendent pallioli, טלית *tegmen*, vel ex usu recentioris Synagogæ ארבע כנפות *quatuor alæ*, vel anguli, dicti, quod MAIMONID. in *Hilcoth Zizith cap. III. hal.* I. ita describit,

ſcribit, quod ſit כסות שיש לה ארבע כנפות או יותר על ארבע ותהיה מרתו כדי שיתכסה בה קטן מתהלך לבדו: *tegumentum, quod habet quatuor angulos aut plures, & magnitudo ejus ſit ea, ut tegi eo poſſit puer, qui ſolus poteſt incedere.* Requiritur in eo, ut *nec* ex duplici contextum ſit materia, ſed vel ex lino, vel lana ſolum, quin & tota ſerica me vidiſſe ejusmodi pepla recordor, *nec* ut quicquam in eo confectum ſit a גוים Gentili, qui ad uſus ſacros illud omnino redderet פסול *profanum* & illegitimum. Habent vero, quod cum BVXTORFIO, REIZIVS *ad h. l. Auctoris*, & alii probe obſervant, Judæi duplicis generis integumentum ejusmodi, interius טלית קטן *pallium minus* dictum, quod ſanctiores nonnulli quotidie, ſtatim a lecto, cum ceteris veſtibus induunt, & ſub toga circumferunt, ita tamen, ut fimbriæ paulatim emineant, & illam intueri, atque ob oculos habere poſſint: & exterius, טלית גדול *pallium magnum*, quod inter precandum & in Synagogis, non tam corpori applicant, ſed capiti vel collo circum volvunt. Cum muliebri palla peplum hoc Judaicum confert WAGENSEIL. *in Sota p.* 406. Licet vero, quod memorabat MAIMONIDES, plures quam quatuor, haberet angulos pallium iſtud, fila tamen illa complicata, non niſi quatuor ab oris, ſuſpendere fas eſt. Requiruntur, juxta eundem *c. l. cap. I. hal* 6. & 7. fila quatuor, quæ e medietate ſua ex foramine anguli ſuſpenſa duplicantur, & octo conficiunt, quorum longitudo ulnam unam vel duas æquare poteſt, nec tamen infra quatuor digitos eſſe permittitur. Filamina requirebantur hyacinthina, ſeu cærulea, quorum tingendorum rationem denuo edocet laudatus WAGENSEIL. *in Sota pag.* 396. Quia vero hodie תכלת ſeu cæruleo illo colore deſtituuntur, fila alba relinquunt; quæ contorta, quinque nodis conſtringuntur. Finis inſtituti in lege diſerte memoratur, *ut videatis ea, & recordemini omnium præceptorum Domini, & faciatis ea, nec ſequamini ſpeculationes cordis veſtri, & oculorum veſtrorum, poſt eas fornicantes, ſed recordemini potius præceptorum Domini, ut faciatis ea, ut ſancti ſitis Deo veſtro,* Num. XV, 37. Deut. XXII, 12. Hinc triplici inſerviunt uſui, & faciunt 1) ad aſſiduam mandatorum recordationem, 2) ad avocationem a peccatis & erroribus, 3) ad mandatorum obſervationem. Rationem, qua fimbriæ iſtæ Domini præcepta in memoriam homini revocent, RASCHI *cit. loc.* a præceptorum numero arceſſit: *numerus quippe Gematricus* vocis ציצית *efficit DC. præterea octo ſunt fila, & quinque nodi, ecce DCXIII.* quot numerantur præcepta. Demonſtratio ſane, magiſteriali acumine digna! Qui ergo ſtudioſe fimbriarum præceptum obſervaverit, ille ſexcenta & tredecim præcepta perfecte ſervaſſe creditur. Hinc Boaſum ferunt, cum caſta & pudica Rutha illi adjaceret, fimbriarum recordatione a fœda cupidine fuiſſe avocatum; Joſephum pariter, Potipharis uxori aſſurgere, eamque vitiare voluiſſe, ſed per *Zizith* ſeu fimbrias ſuas abſterritum, ante ſcilicet, quam lex de illis eſſet lata. Huc ſpectat, quod PAVL. FAGIVS *ad h. l. paraphr. Chald.* annotavit: *mirum eſt, quantum tribuant huic veſti, quaſi ſingularem vim quandam habeat contra* יצר הרע *malum genium, ſive pravam illam concupiſcentiam. Vnde eſt, quod qui inter illos ceteris religioſiores haberi volunt, perpetuo ea ſub aliis veſtibus geſtant. Et tales religioſulos vocant* zizis beiſſer. Habentque, cur Zizith multum tribuant Judæi, cauſam, quia retributionem inde quandam expectant, teſte Talmude Babyl. in *Schabbath fol.* 23. *col.* 2. ubi promittitur: *qui de candela Sabbatica curat, futuri ſunt ejus filii diſcipuli Sapientum, qui de Meſuſoth,* ſeu membranulis poſtibus affigendis, *domum ſpecioſam adipiſcetur: qui de* ציצית ſeu fimbriis veſtimento attexendis, *adipiſcetur bonam tunicam.* Quæ, utut per allegoriam ita dici, facile appareat, mercedis tamen ſpem aliquam liquido faciunt. Jam quando Servator optimus Matth. XXIII, 5. in vitio ponit Phariſæis, ὅτι μεγαλύνουσι τὰ κράσπεδα τῶν ἱματίων αὐτῶν, *quod producerent fimbrias palliorum ſuorum,* hypocriſin eorum carpit, qua, quo ſanctiores ceteris, legisque obſervantiores viderentur, plus juſto

justo longiores gestarent fimbrias, ut בני ציצית הכסת *filii fimbriarum pulvinaris* jure salutari mererentur. Hoc ex Gemara Cod. *Gittin fol.* 56. *a.* ita exponit BRAVNIVS *lib. I. de vest. Sacerd. Hebr. cap.* 3. §. 16. *p.* 73. opibus præ ceteris pollentes Judæos, stratis super pavimento ædium & conclavium suorum tapetibus incessisse. Qui ergo sanctimonia reliquos superare affectabant, eo usque producebant fimbrias, שהיתה ציציתו נגררת על גבי כסתו *ut traherentur illæ super pulvinaribus.* Potiorem hæc merentur fidem, quam quæ Vir cetera doctus, taliumque rerum haud imperitus, IOH. CAMERO tradit *loc. supra cit. Opp. p.* 174. *b. Nam & istis fimbriis*, inquiens, *assuebant membranam, aut schedam inscriptam verbis legis, desumptis ex iis locis, quorum supra meminimus* (ubi de Phylacteriis exposuerat) *atque hanc schedam* ציצית *appellabant.* Quale quid nemini Judæo in mentem, opinor, venit. Neque novum, quo priori fidem facere conatur, commentum nobis persuadet, quando pergit: *unde unam eandemque rem* תפלין *dicunt, cum aptatur capiti,* מזוזה *cum aptatur januæ,* ציצית *cum aptatur vesti. Verba eorum sunt:* תפלין בראש ובזרוע/ מזוזה בפתח/ ציצית בבגד & *monent,* ציצית *appendicem esse fimbriarum.* Idem tradere IOH. SAVBERTVM *in palæstra p.* 101. §. 6. memini, sed vehementer cuperem, uterque ut validius adduxisset testimonium. Zizith enim appendicem pallii Tallith esse monent Judæi, non autem fimbriarum, sed ipsas fimbrias, perhibent. Et utut tria ista sæpissime jungant Magistri, minime gentium tamen hoc faciunt ob easdem ubivis schedas, quæ in pallio ejusque peniculamentis plane adsunt nullæ, sed propter communem usum, paremque observantiæ superstitionem. Quod addere visum est, ne quem tantorum virorum in transversum rapiat auctoritas. Denique, si quæratur: *num Salvator quoque noster* ציצית *gestaverit?* haud gravatim largimur. Etsi enim phylacteria manui & capiti eum admovisse, supra *n.* 24, 25. inficiati sumus, quia non præcepti erant illa, sed superstitionis Judaicæ: alia tamen peniculamentorum horum erat ratio, diserte nempe in lege imperatorum. Eandem caute adhibuit distinctionem Clariss. SCHOETTGEN. *in Horis Hebr. & Talmud. ad h. l. Matth. p.* 195. contra SCALIGERVM pronuncians: *de fimbriis nullam ipsi controversiam movemus, quia Deus ipse illas præceperat, de phylacteriis vero dubitamus. Ratio hæc est, quia legi subjectus fuit, neqtaquam vero stultis Pharisæorum & Rabbanitarum traditionibus.* Duo tamen sunt, quæ hic monemus: *Alterum*, quod non præcise eum in penieulamentis suis modum servaverit Christus, qui a Magistris traditur, & ad hunc diem Judæis est receptus, qui recentior forte Servatoris ætate, & ab ingenio Judæorum profectus esse poterit, sed eum, qui legi divinæ ex asse responderet, cujus quippe πᾶσαν πληρῶσαι δικαιοσύνην ipsum oportuit, Matth. III, 15. siquidem non venerat καταλῦσαι τὸν νόμον, ἀλλὰ πληρῶσαι, c. V, 17. *Alterum*, quod infirmo admodum tibicine nitatur sententia, si cum Auctore nostro Lucæ cap. VIII, 44. superstruamus. Non me fugit, ut HIERONYMVM taceam mox citandum, & CAPPELLVM, ex nostris quoque IOH. SAVBERT. *in Palæstra p.* 101. §. 7. & IOH. REINH. RVSIVM *in Harmon. lib. IV. cap.* 26. *p.* 1116. eidem insistere argumento. Verum generale est τοῦ κρασπέδου vocabulum, extremam cujusque vestimenti oram, quæ ad τὸ πέδον propendet, designans. Quid ergo prohibet, quo minus togæ exterioris tetigisse fimbrias dicamus hæmorrhousam? Firmius ergo evincetur assertum ex obsequio, quod exactissimum legi præstitit Servator.

Ad §. XXX. pag. 28.

(34) *Rigidas acutasque spinas*] Verba STRIDONENSIS *in Matth. XXIII,* 5. *Tom. IX. Opp. f.* 33. *E.* ita habent: *Superstitiosi Magistri, captantes auram popularem, atque ex mulierculis sectantes lucra, faciebant grandes fimbrias, & acutissimas in eis spinas ligabant, ut videlicet ambulantes & sedentes interdum pungerentur, & quasi hac admonitione retraherentur ad officia domini,*

&

& ministeria servitutis ejus. Idem post HIERONYMUM, ejusdemque fide, tradidit ANSHELMUS *Commentar. in hunc locum Tom. I. fol. 9. col. 2.*

Ad §. XXXI. pag. 28.

(35) *Septem vero Pharisæorum genera*] Sufficiat Gemaræ verba Latine conversa citasse, cum, WAGENSEILIO teste, hac præsenti, nulla alia in omni Gemara pericope Christianis doctoribus frequentius sit allegata, & apud BUXTORFIUM, DRUSIUM, LIGHTFOOTUM, HOTTINGERUM, aliosque passim legatur. Interprete autem viro summo *in Sota c. III. p.* 543. ita habent: Tradunt Magistri: *septem genera sunt Pharisæorum, Pharisæus Sichemita: Pharisæus allidens: Pharisæus venæ sector: Pharisæus pistilli: Pharisæus* (quærens) *quid teneatur? & se id facturum* (pollicens:) *Pharisæus ex amore: Pharisæus ex metu. Pharisæus Sichemita est, qui imitatur factum Sichemi: Pharisæus allidens est, qui pedes allidit: Pharisæus venæ sector, ex mente* NACHMANIS F. I. *est, qui sanguine parietes conspergit: Pharisæus pistilli, ita censente* RABBA F. S. *est, qui capite demisso incedit, instar pistilli: Pharisæus* (quærens) *quid teneatur, & se id facturum* (pollicens,) *hoc utique bonum est. Nempe* (de eo sermo est, qui arroganter) *ad quid præterea teneor? inquit, & faciam illud. Pharisæus ex amore; Pharisæus ex metu.* His octavum Pharisæorum genus, ex *Massechet Avot* R. NATHANIS, quæ Talmudi subjecta *fol. 9. col.* 4. addit WAGENSEILIUS, פרוש מלאכה היתה לו *Pharisæum, qui semper in opere versatur*, in cujus tamen explicatione anceps hæret vir summus, an dicendum sit, esse eum, qui officiosam sedulitatem simulat? aut eum, qui πολυπράγμων est, & omnibus rebus sese ingerit? vel denique eum, qui gratis ministerium suum aliis addicit?

Facturum me operæ pretium confido, si qua his addidero de Pharisæis ἀξιομνημόνευτα, ab Auctore nostro, sicco prætermissa pede. In his est

I. *Studium conciliandi Proselytos*, a Christo pariter in Pharisæis atro notatum carbone Matth. XXIII, 15. cujus effati sententiam nos supra edisseruimus *sub fin. lib. I. cap. III.* Quam profano autem animo & conatu, Gentilium curaverint conversionem, nec tam Dei gloriam & animarum lucrum hoc suo sectati sint studio, quam suummet honorem, emolumentum, & insigniter auctum discipulorum numerum, satis liquet, si cogitemus, 1) infantes quoque nondum trimulos, & rationis usu non satis instructos, sive ex parentum consensu, sive, ubi abnuebant illi, ex Concilii decreto, ipsos circumcidisse, & Baptismo initiationis tinxisse, teste Talmude Hierosolym. in Cod. *Jevammoth fol. 8. col.* 4. רבי יוחנן בעי הא בן קטן את מוהלו על כורחו אפילו כבנו של אורכנים: R. IOHANNES *interrogavit: nunquid filium parvulum circumcideres invitum?* Resp. *omnino, si vel maxime sit instar filii Hyrcani.* Unde MAIMONIDES *in Hilc.* עברים *cap.* 8. §. 20. sancit: ישראל שתקף כותי קטן או מצא תינוק כותי והטבילו לשם גר הרי זה גר: *si quis Israelita Gentilem parvulum occuparit, aut infantem invenerit expositum, & baptizarit eum ad Proselytismum, ecce talis est Proselytus:* 2) eos quoque admisisse, qui non veritatis studio, aut amore Dei Israelis, sed honorum vel opum cupiditate impulsi, Judaismum amplectebantur, cujus rei illustre proponitur exemplum in Cod. *Schabbath fol.* 31. *col.* 1. *Accidit cum Gentili quodam, qui transiens sanctuarium, audiverat vocem Scribæ, dicentis ex* Exod. XXVIII, 4. *& istæ sunt vestes, quas faciant: pectorale sacrum, & amiculum &c. Ad quæ exceperat: cuinam hæ omnes? Et cum responderetur ipsi, Pontifici Maximo; cogitabat Gentilis iste penes se, abeam Judaicam amplexurus religionem, eo fine, ut Pontificem Maximum me constituant. Accedens itaque ad Schammæum, dixit:* גיירני ע״מ שתשימני כוהן גדול *recipe me Proselytum ea conditione, ut ponas me Pontificem Maximum: a quo regula architectonica, quam tum forte manu tenebat, abactus fuit. Sed postquam ad Hillelem venerat,* (cujus alias quoque facilitas & lenitas in

in recipiendis iis celebratur, & in exemplum proponitur) *lubens hic eum recepit.* 3) Tanto ipſos, proſelytos lucrandi ardore flagraſſe, ut vi ac metu Gentiles adigerent, velut IOSEPHVS de Hyrcano, ſummo Judæorum Pontifice & Principe memorat *lib. XIII. Antiqu. cap.* 17. eum ſubactæ toti Idumæorum genti, ſub exterminii pœna, circumciſionem edixiſſe. Quo etiam tyrannicus procedendi modus ſpectat, quo adverſus puellam bello captam, a captore vitium paſſam, a Judaiſmo autem abhorrentem, utebantur. Domum eam ſecum abducebant, inque ea per menſem quaſi captivam tenebant, ac tantum non turpiter tractabant. Deflere ibi religionem ſuam cogebatur, abradere crines, ingentes alere ungues, & id genus ſe afficere aliis, quæ maximo ducebantur opprobrio. Menſe prælapſo ſi non mutaret mentem, ita pergebant cum ea ſequentes menſes duodecim. Donec tandem tædio miſerrimæ conditionis ſuæ victa, proſelytiſſa aut juſtitiæ fieret, aut domicilii. Sin poſterius, multorum incommodorum ſibi exiſtebat cauſa: nec ſaltem ſe privabat matrimonio, verum omnem quoque prolis ad ſe transferebat curam, vitiatore ab his omnibus ſoluto; quod pluribus docet SLEVOGTVS *Diſp. Academ. XXXVII.* §.15 *ſqq.* Nec mitius agebant cum ſervo captivo, quod ibidem pariter ediſſeritur. quibus plura addere mitto.

II. *Hypocriſis in exornandis Prophetarum ſepulcris*, quam Chriſtus æque perſtringit Matth. XXIII, 29 ſqq. Et de ſepulcris quidem Hebræorum, eorumque ornatu, infra ex inſtituto. Hic nobis ſufficiat ſenſum verborum Chriſti enarraſſe, quia ſcrupulum movit ORIGENES *Tract. XXVI. in Matth.* reprehendi a Servatore, quæ laudem mereri videbantur, reſtaurare nempe ſepulcra Prophetarum, & ornare monimenta juſtorum. Solvere hunc nodum, integra diſſertatione operam dedit IOH. MARCKIVS, *Exercit. Textual. XXVI. in h. l. p.* 227 ſqq. diſcuſſisque aliorum ſententiis, in ea tandem §. *VIII.* acquieſcit, *&* ipſam monimentorum exſtructionem laxari, tanquam opus hypocriſin & imitationem majorum arguens, *&* accuſari animum, quod de tropæis crudelitatis erectis, ipſo facto, ſi minus intentione, lætarentur, *&* in vitio poni modum, dum corradebant pauperum eam in rem nummos, fidem & imitationem decentem negligebant, atque mundo, inani pompa, ſanctos ſimiles reddebant. Qua de cauſa Salvator jure merito hanc reſtaurationem damnet, tanquam imitationem occiſionis majorum, etiamſi alia omnia prætexerent & jactitarent impuriſſimi hypocritæ. Acuta magis & ſubtili, quam conjectura probabili, verba Chriſti interpretatur HERM. WITSIVS *Miſcellan. Sacr. lib. I. cap. XXI.* §. 59. cum LIGHTFOOTO hypotheſin iis ſubſternens, tunc Judæis notiſſimam, quamvis nobis nunc minus exploratam. Legi eam in Gemara Hieroſolym. Tr. *de ſiclis cap. II Sect. V.* his verbis: אין נפשות לצדיקים דבריהן הן זכרונן *non erigunt juſtis monimenta, nam dicta eorum ſunt memoria eorum:* quo dicterio docetur, injuriam quandam juſtis fieri, ſi ſtruantur ipſis ornamenta ſepulcralia: potiora enim ipſos habere monimenta, quæ ſunt verba ipſorum, memori mente reponenda. Qui ergo monimenta juſtis ſtruit, is ex Talmudiſtarum mente, dedecore ipſos afficit, quaſi non reliquiſſent ſermones, quibus ipſorum memoria multo ſanctius coleretur. Ex hac hypotheſi, ſequentem verborum Chriſti WITSIVS exſculpit paraphraſin: Quid vobis animi eſt, Scribæ ac Phariſæi, quod fucato pietatis prætextu Prophetarum ac juſtorum exornatis monimenta? nonne illud, ex veſtra ipſorum doctrina, ipſis in dedecus cedit, quaſi nulla reliquiſſent verba memoratu digna? quid verba ipſorum negligitis, contemnitis, conculcatis, quum ipſi fateamini, ea præſtantiſſima ipſorum monimenta eſſe? Quæ, quia ingenium & eruditionem ſpirant, transferre huc moleſtum non fuit. Simplicior tamen, meo judicio, & pronior verbis interpretatio eſt, quam CAMERO *in Opp. c. l. p.* 175. *n.* 3. rurſusque *in Myrothecio ad h. l. p.* 90 *ſq.* ſuppeditat, non honorem, Prophetis pie defunctis habitum, reprehendiſſe hic Chriſtum, in quo ſuffragan-

tem habet RVSIVM *in Harmon. Evangel. lib. V. Part. I. ſect. II. cap.* 13. *Tom. II. pag.* 582. ſed quod ipſi æmuli majorum homicidarum ſint, qui & Chriſtum, Prophetarum principem, & ſectatores Chriſti, ad necem uſque perſequantur. Indignantis itaque hanc vocem eſſe judicat, cujus mens eo redeat: Vos quidem ædificatis Prophetarum ſepulcra, quos majores veſtri interfecerunt, ſed ſi res æſtimetur ex veſtris moribus, id facitis, ut atrocitatis majorum veſtrorum, ac crudelitatis memoriam commendetis, nempe eadem facitis, quæ illi. Hoc enim, ait, facere indignationem, quum juſta eſt, ut quæ ab auctoribus alio referuntur, eo referantur, quod auctorum moribus eſt convenientiſſimum. Eſſe figuratam locutionem, idque ab affectu iræ aut doloris; veram tamen, nec minus ex animo prolatam, ac ſi verbis propriis eſſet compoſita &c.

III. *Mira legis divinæ, cujus tamen accuratiſſimos agere geſtiebant interpretes, perverſio,* quam Servator in illis copioſe notavit Matth. V, VI, XV, XXIII &c. Principatum hic tenet, & *πρῶτον ψεῦδος* eſt, quod legem ſe ex aſſe ſervare, immo plus præſtare poſſe, quam lege ſint injuncta, perſuaſum haberent. Hinc illa non modo Phariſaici juvenis manabat jactantia, qua ad recitata legis præcepta, Chriſto regerebat: *πάντα ταῦτα ἐφυλαξάμην ἐκ νεότητός μȣ, τί ἔτι ὑϛερῶ;* ſed etiam tot propullularunt חוספות *additamenta*, præceptis adjecta, v. g. de precibus, jejuniis, ablutionibus, feſtis &c. quæ diligenter perſequitur ANTON. HVLSIVS *in Theologiæ Judaicæ P. I.* ſeu in Not. ad *Abbkat Rochel p.* 314. Vnde R. DAV. KIMCHI *Comm. in Pſ. CIII,* 7. eum dicit חסיד *conſummate juſtum,* שעושה יותר על מה שנצטוה *qui plus facit, quam præceptum eſt,* & diſtinguitur ab illo, *qui juſtus tantum eſt,* quod hic *faciat ea, quæ mandata ſunt.* Vt itaque in facultate hominis ſitam legis impletionem evincerent, nullum requiri opus tradebant, niſi externum, & præcepta legis inſidioſe explicabant. *Præceptum II.* de nomine Dei in vanum non ſumendo, ita elidebant, ut nullo ſe teneri juramento crederent, in quo nomen Dei non diſerte intervenerit. Hoc fine certas ſtudioſe excogitaverant jurandi formulas obliquas, quibus omiſſo Dei nomine, per omnia alia jurabant, nimirum *per cælum, per terram, per Hieroſolymam, per templum, per caput ſuum* &c. ſperantes, ſe hoc modo perjurium evitare, & immunes eſſe a reatu. Quod exteri quoque compertum habebant, ut nulli Judæo, etiam centies jurato, fidem haberent, niſi interpoſito in jurando nomine Dei. Hinc apud MARTIALEM *lib. II. Epigram.* 95. *Ecce negas, jurasque mihi per templa Tonantis. Non credo: jura, Verpe, per Anchialum,* i. e. interprete SCALIGERO, per eum *qui vivit in ſeculum,* h. e. per Deum. Proſtat quoque erudita GEORGII SIGISM. GRENII *de Anchialo* diſſertatio, Vitembergæ A. 1697. publici juris facta. *Præceptum III.* de Sabbatho, ſolo metiebantur otio Sabbathico, ita ut neceſſitatis pariter ac charitatis opera negligerent, immo in vitio ponerent, Matth. XII, 1 ſqq. Luc. VI, 6 ſqq. *Præceptum IV.* de parentibus honorandis, alendis, ſublevandis, gloſſemate iniquiſſimo prorſus everterant, ut recuſantes pietatis officia liberi, religionem prætexerent, ſi bona ſua Deo *Corban* facerent, ita ut de illis nihil erogare ulli, præterquam Deo, aut quibus id conceſſum a Deo, ut Sacerdotibus, Levitis, Doctoribus &c. ipſis integrum eſſet, Matth. XV, 4 ſqq. in quem locum vide HEIDANVM *lib. VIII. de origine erroris, cap. V.* §. 5. Porro *præceptum V.* non niſi ad patratum referebant homicidium, intempeſtivæ autem iræ, verbis maledicis & conviciis, quin immo hoſtium odio, locum, veniamque dabant Matth. V, 15 ſqq. 43 ſqq. *Præcepto VI.* congreſſum cum uxore aliena prohiberi aſſerebant, cordis autem & oculorum adulterium, dimiſſionem quoque uxoris, ob leviſſimas ſæpe cauſas libello repudii dato, minime notari perhibebant Matth. V, 32. XIX, 3 ſqq. *Præceptum VII.* praxi ſua corrumpebant vel maxime, *φιλάργυροι* nempe, Luc. XVI, 14. & rapaces, viduarum devorare domos edocti, & quidem ſpecioſa prolixarum precum *προφάσει*

Matth.

Matth. XXIII, 14. *Praecepto VIII.* nullam se vim inferre credebant, atrocissimas in Jesum Nazarenum, criminis licet omnis expertem, scelerisque purum, calumnias proterve jacientes. *Praeceptum IX.* & *X.* pessime detorquebant, quando Deum pravae concupiscentiae ferebant conditorem. Sic in *Baba Bathra fol. 16. col. 1. ultra med.* ברא הקב"ה יצר הרע ברא לו תורה תבלין *creavit Deus benedictus concupiscentiam pravam, idemque creavit ei legem in condimentum.* Pariter in *Sohar ad Gen. I, 26. col. 100. circa med.* R. SIMEON ad discipulos suos, *nisi ita esset,* inquit, *quod Deus benedictus creaverit* יצרא טבא ובישא *figmentum bonum & malum,* concupiscentiam pravam & laudabilem, *quae sunt lux & tenebrae, non fuisset neque meritum, neque reatus homini creato. Proinde ex duobus illis creatus est.* Quanquam in his omnibus Magistrorum placita sibi non ubique constare, ut universa eorum Theologia innumeris laboret contradictionibus, non iverim inficias. Interdum enim vel unius praecepti observantiam toti respondere legi pronunciant; rursus alii ex cordis integritate obsequium legis aestimant, illud R. BECHAI scitum inculcantes: עקר התורה כולה תלויה בלב *fundamentum totius legis dependet a corde:* quibus enodandis aut conciliandis nunc immorari, nostri non est instituti.

IV. *Summa, quam apud plebem sibi conciliaverant, auctoritas.* Testem hujus rei locupletem habemus IOSEPHUM, qui *lib. XVII. Antiquitat. cap. 2.* edit. Haverkamp. *Tom. I. p.* 830. ita habet: *ἦν γάρ μόριόν τι Ἰουδαϊκῶν ἀνθρώπων, ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου, οἷς χαίρειν τὸ θεῖον προσποιουμένων ὑπῆκτο ἡ γυναικωνῖτις. Φαρισαῖοι καλοῦνται, βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν, προμηθεῖς κἀκ τοῦ προὔπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε καὶ βλάπτειν ἐπηρμένοι· παντὸς γοῦν τοῦ Ἰουδαϊκοῦ βεβαιώσαντος δι' ὅρκων, ἦ μὴν εὐνοῆσαι Καίσαρι, καὶ τοῖς βασιλέως πράγμασι, οἵδε οἱ ἄνδρες οὐκ ὤμοσαν ὄντες ὑπὲρ ἑξακισχίλιοι· καὶ αὐτοὺς βασιλέως ζημιώσαντος χρήμασιν, ἡ Φερώρου γυνὴ τὴν ζημίαν ὑπὲρ αὐτῶν εἰσφέρει· οἱ δὲ ἀμειβόμενοι τὴν εὔνοιαν αὐτῆς, πρόγνωσιν τε ἐπεπιστεύοντο ἐπιφοιτήσει τοῦ θεοῦ, προὔλεγον, ὡς Ἡρώδῃ μὲν καταπαύσεως ἀρχῆς ὑπὸ θεοῦ ἐψηφισμένης αὐτῷ τε καὶ γένει τῷ ἀπ' αὐτοῦ, τῆς τε βασιλείας εἴς τε ἐκείνην περιηξούσης καὶ Φερώραν παῖδάς τε οἳ εἶεν αὐτοῖς.* *Erat enim Judaeorum quaedam secta, qui legis accuratam cognitionem profitebantur, & de ea ferociebant, quibus, se Deo charos esse simulantibus, addictae erant foeminae. Ii Pharisaei vocantur,* homines *qui maxime Regibus ausi sunt resistere, cauti, & ad aperte bellandum laedendumque prompti. Et quidem, cum universa Judaeorum natio jurasset, se Caesaris Regisque rebus fauturos esse, ii non jurarunt, cum essent supra sex millia: cumque eos Rex mulctasset, Pherorae conjux mulctam pro eis solvit. Pro quo beneficio ut ei gratiam referrent, (credebantur enim futura scire ex afflatu divino) fore prodixerunt, ut Herodes ejusque progenies, Dei decreto, imperium amitterent, idque ad eam & ad Pheroram eorumque liberos deferretur* &c. En, auctoritatem pariter, ac artes, quibus sibi eam conciliarunt! Illa tanta erat, ut & Regibus resistere, & neminem non laedere haud vererentur, adeoque homagii sacramento fidem Caesari, Regique, suam adstringere recusarent. Hae erant, 1) eximia rerum divinarum, & longe supra vulgum eminens, peritia, 2) arcta cum Deo familiaritas, cujus *προφάσει* sexum sequiorem in suas pertrahebant partes, 3) donum, quod jactabant, Propheticum, oracula, falsa licet, votis tamen hominum ex asse respondentia, fundentes. Transfer haec ad nostram aetatem, & delineatam fateberis Sanctulorum seculi nostri faciem. Porro, *lib. XIII. cap. X. p.* 663. ubi Sadducaeos cum Pharisaeis FLAVIUS contendens, illos solum locupletes in suas pertraxisse partes testatur, Pharisaeis multitudinis favore nitentibus. Rursus, *cap. XV. §. 2. pag.* 676. in describendo Alexandrae Reginae imperio, eorum potentiam eo usque provehit, ut pronunciet: *τὸ μὲν οὖν ὄνομα τῆς βασιλείας εἶχεν αὐτὴ* (*Ἀλεξάνδρα*) *τὴν δὲ δύναμιν οἱ Φαρισαῖοι. καὶ γὰρ φυγάδας οὗτοι κατῆγον, καὶ δεσμώτας ἔλυον, καὶ καθάπαξ οὐδὲν δεσποτῶν διέφερον.*

 Ita-

Itaque regni nomen habebat ipsa, potestatem vero Pharisæi. nam & exsules isti revocabant, & vinctos solvebant, & prorsus nihil a Dominis differebant. Et paulo post, universam provinciam tranquillitate gavisam, memorat, præter Pharisæos, qui funestis consiliis suis Reginam turbarint. Mitto plura, ad sequentia perrecturus.

AD

LIB. I. CAPVT XI.

DE SADDVCAEIS.

Post sæpius laudatos, NICOL. SERARIVM, IOH. DRVSIVM, & IOS. SCALIGERVM, in decantato Trihæresio, de Sadducæis evolvi merentur IVL. BARTOLOCCIVS *Biblioth. Rabb. Tom. I. p.* 376. POCOCKIVS *Not. ad portam Mosis cap.* 6. *p.* 94 *sq.* HOTTINGERVS *Thes. Philol. Lib. I. Sect. V.* §. 5. *p.* 34 *sq.* GVIL. SALDENVS *lib. III. Otior. Theol. Exerc. IX. p.* 559 *sq.* HVMFRED. PRIDEAVX *in Histor. Jud. P. II. Lib. V.* §. 2. edit. Gall. *Tom. IV. p.* 63. HOSPINIAN. *de Monach. lib. I. cap. IV. p.* 9. BASNAGE *in Histor. & Relig. Judæor. lib. II. cap. VI. Tom. I. p.* 397. SPANHEM. pater, *in Dub. Evangel. P. III. Dub. XXIX. p.* 108. SPANHEM. fil. *in Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. I. Opp. p.* 459 *sq.* IOH. LEVSDEN. *Phil. Hebr. Mixt. Diss. XIX. p.* 144. LIGHTFOOT. *Harm. Evangel. ad Matth. III,* 7. *Tom. I. Opp. p.* 320. & *ad Luc. V,* 17. *p.* 520. & *Hor. Talm. ad Act. XXIII,* 8. *Tom. II. Opp. p.* 737. PETR. BAYLE *in Dict. Hist. & Crit.* Art. *Sadducæus*; ubi vix quicquam profert, quod non ex WILLEMERI disputatione mox citanda sit petitum. Ex Nostris IOH. GERHARD. *Harm. Evang. cap. CLV. p.* 366. PFEIFFERVS *in Trihæresio Judæor. Sect. II.* HACKSPAN. in doctissima *ad Lipmanni Nizzachon præfatione* §. 17 *sqq. p.* 225. LVNDIVS *Jüdisch. Heiligthüm. lib. IV. cap. XII. pag.* 785. CARPZOV. *Theologiæ Judaicæ*, quæ RAYM. MARTINI pugioni fidei præmissa legitur, *cap. III.* §. 3, 4. *p.* 8 *sq.* & qui saxum hoc disputationibus Academicis volverunt, IOH. REISKE, Jenæ, 1666. IOH. PHIL. PFEIFFER. *ad Act. XXIII,* 8. Regiomonti, 1682. SAMVEL BARTHEL, Lipsiæ, 1699. IOH. HELVICVS WILLEMER, Vitembergæ, 1680. & forte alii multi. Quæ autem recentissime agitatur inter viros doctos, GVDIVM & IKENIVM, controversia, *de Sadducæorum in Judæa gente auctoritate*, cognosci poterit ex *Symbol. Literar. Tom. I. P. III. p.* 299 *sqq.*

Ad §. I. pag. 28.

(1) *Etymologiam hujus nominis*] LYRANVS *ad Acta Ap. c. V.* FLACIVS *in Clave Script. P. I. h. v.* & quod mireris, doctissimus RICH. MONTACVTIVS *Analect. Exercit. III. Sect. II. p.* 103 *sq.* ubi contra BARONIVM, mordicus hanc, ex EPIPHANIO haustam sententiam tuetur, id nominis derivant a voc. צדק, *justitia*, eo quod inter Judæos essent velut Justitiarii in judiciis & pœnis irrogandis acerrimi, unde magnificum hoc sibi nomen sumserint, ut צדיקים *justitiæ Sacerdotes* audire cuperent, eo quod præ ceteris solam legem Mosaicam, quoad literam sequerentur, & secundum illam severe sectarentur justitiam; cum ex adverso Pharisæi, insigni moderatione usi, φύσει ἐπιεικῶς πρὸς τὰς κολάσεις, *naturaliter ad pœnas irrogandas moderate se haberent*, teste IOSEPHO. Quis autem persuaderi sibi patiatur, homines ob vitam dissolutam vulgo infames & exosos, nomen a justitia, utut sibi arrogarent, apud plebem perpetim retulisse & servasse? שהם רשעים ובעלי מרות רעות

quod

quod impii essent, & pessimis moribus præditi, ut habet R. ABRAH. ZACVTH *in Juchasin p.* 139. Vnde potius מינים *Hæretici*, מאמינים *Infideles*, & אפיקורוסים *Epicuræi*, passim audiunt. Nec scriptio nominis permittit, צדוקים *Sadducæi*, non צדיקים *justi* appellationem referens, quam perperam MONTACVTIVS ita elidere satagit: *de modo scribendi litigent, sive divini, seu humaniores Grammatici, nihil refert:* nullum enim litigium, sed mirus & constans apud omnes, obtinet in scribendo consensus. Vera itaque & genuina denominandi ratio, a צדוק *Zadoko*, Antigoni Sochæi auditore ac discipulo, & Sectæ conditore, est arcessenda. Nec obstat, quod MONTACVTIVS urget, *Pharisæos & Essenos, binas illas γενικὰς, ut* THEOPHYLACTVS *loquebatur, αἱρέσεις, non ab aliquo fundatore, sed aliunde vocitatas?* Non enim eandem, omnis sectarum nomenclatura, agnoscit originem. Aliæ ab auctore & statore, aliæ a dogmate præcipuo, nonnullæ ab utroque dicuntur, quod exemplorum inductione facile esset probatu. Et annon iidem ביתוסים *Bajthosæi* salutabantur, certe a fundatore, quia duo Antigoni Sochæi discipuli, צדוק *Zadok*, & ביתוס *Baithos* in eundem impingebant lapidem, novamque hæresin auspicabantur. Bene memini, R. GEDALIAM *in Schalscheleth Hakkabbala fol. CIV. col.* 1. duas distinctas facere sectas, Zadokæos & Baithosæos; sed nec me fugit, re ipsa non fuisse, nisi unam, solo distinctam nomine, & a Pharisæis a Zadoko potius & frequentius, quam a Baithoso denominatam, quod ille in sententia propugnanda rigidior, hic paulo esset remissior. Quin & ipsi Baithosi sectatores Sadducæi appellari maluerunt, ne præceptoris Baithosi macula, quem spurium esse noverant, opprobrio in ipsos locum daret. Judæi tantum non omnes a Zadoko derivant, ut fidem faciet R. NATHAN in *Lex. Talmud.* ערוך dicto, R. ELIAS Levita *in Thisbi h. v.* &, qui eum fideliter hic exscripsit, DAVID DE POMIS *in Zemach David f. CLXXXVIII. col.* 3. Quæ justo forte copiosius, nec tamen frustra; ne quem EPIPHANII & HIERONYMI fascinet auctoritas, qua MONTACVTIVS sententiam suam munivit.

Ad §. II. pag. 28.

(2) *Vixit sub Antigono Sochæo*] In ponendo temporum calculo multum tricatur R. DAV. GANZ *in Zemach Dav. n.* 460. edit. Vorst. *p.* 68 *sq.* nec aliud demum elicit, quam ignorantiæ suæ professionem. IOH. HENR. OTHO *in Hist. Doctor. Mischnic.* Antigonum Sochæum inter Simeonem Justum, qui Alexandro M. σύγχρονος vixit, & R. Josen filium Joeser, ejusque Collegam R. Joseph fil. Johannis, constituit medium, & ad A. M. 3460 refert. Nec abnuerim, vel vergente Antigoni ætate, vel ab ejus demum excessu, Zadokum & Baithosum a tramite recti aberrasse. Paulo pressius ortum sectæ definit SPANHEM. pater *c. l. §.* 2. *p.* 109. & ad tempora Simonis Oniæ filii, Summi Sacerdotis, Ptolemæo Evergete Aegypti, Seleuco Callinico Syriæ Regibus, circa A. M. 3720. periodi Julianæ 4484. V. C. 523. Ante Christum natum 226 circiter annis. LIGHTFOOTVS *Hor. in Actor. XXIII,* 8. *Tom. II. Opp. p.* 737. Antigonum Sochæum σύγχρονον facit Ptolemæo Lago, Zadokum & Baithosum Ptolemæo Philadelpho. BARTOLOCCIVS *p.* 380. ejus initia refert ad A. O. 3460. ante C. N. 300. Tam male cohæret computus Judæorum. Quando vero MELCH. LEYDEKKERVS *lib. VI. de vario Reipubl. Hebr. statu cap. VIII. §.* 3. *p.* 498. & rursus *lib. VII. cap. IX. p.* 574. Sadducæismi initia, & prima velut semina, ad Esdræ rejicit ætatem, & ex Malach. II, 17. III, 14. probare satagit, abnegatores istos providentiæ divinæ tunc temporis המינים *hæreticos* dictos contendens, contra quos Esdras remedium paraturus, precibus publicis coronidem, מן העולם ועד עולם, vel לעולם ועולמים *in secula seculorum* adjecerit, donec exortis Zadoki & Baithosi disputationibus signantius Sadducæorum nomen nanciscerentur: id non de Sadducæorum secta, sed de pestilentissimi solum erroris affinitate capiendum existimo, cum constans Judæorum traditio originem hæreseos, ad per-

peram intellectam, vel depravatam a discipulis Magistri, Antigoni, sententiam referat. Hanc sane argumentandi rationem si amplectamur, vel ad Davidis ætatem Sadducæismum revocare, & ex Psal. X, 3-11. evincere poterimus, quod quam a re sit alienum, ad oculum patet. LEYDEKKERUM vero nullus dubito hausisse sua ex LIGHTFOOTI *Hor. Hebr. ad Matth. III*, 7. *Tom. II. Opp. p.* 273. ubi paria leges.

Ad §. II. pag. 28.

(3) *Magnam cum hæresi Dosithei affinitatem*] Vix eluctaberis ex innumeris ἀντιλογίαις & difficultatibus, quibus res Dosithei veteres involvunt Scriptores, nisi cum COTELERIO *in Annot. ad Constitut. Apost. lib. VI. cap.* 8. geminum statuas Dositheum, utrumque hæresiarcham, impugnatorem librorum Propheticorum, & Sacræ Scripturæ corruptorem. Primum ante Christum, ex Judæo Samaritanum, qui resurrectionem carnis agnoverit, docueritque severitatem morum, abstinentiam ab animatis, jejunium, virginitatem, & continentiam. Alterum, post ortum Christi, PseudoChristum, Samaritam, Simonis magi primo magistrum, postea discipulum, qui negaverit resurrectionem mortuorum, animæ immortalitatem, substantiam angelorum ac dæmonum, asseruerit vero, mundum esse incorruptibilem. Eodem tramite ITTIGIUS incedit, cum *in dissertat. de Hæresiarchis Sect. I. cap. I.* tum *in Hist. Eccles. Sec. I. cap. V.* §. 1 *sqq.* ubi quidem *p.* 255. definire non audet, quomodo uterque Dositheus, ratione temporis, dogmatum, dictorum ac factorum, accurate sint distinguendi, nisi quod EPIPHANIO memoratum faciat priorem. Fallor, an idem ille prior est, cum דוסתאי איש כפר יתמה *Dosthai* seu Dositheo, *viro e pago Jathma*, שהיה מתלמידי בית שמאי *qui fuit e discipulis scholæ Schammai*, cujus mentionem facit Talmud in Massecheth ערלה, *de arborum præputiis cap. II. Mischn.* 5. Suadet nominis affinitas, cum hæreticus ille Δοσθῆς ab EULOGIO, indeque Δοσθηνοὶ, *Dostheani* vocentur, in Decreto contra Dositheanos promulgato, quod PHOTIUS asservavit *Bibliothecæ Cod.* 23. Sed nil certi affirmo, cum de Schammeani sectatoris ad Samaritanos defectione non constet, ejusque nulla amplius apud Talmudicos memoria extet. Et venit in mentem recordari, hanc conjecturam atro SCALIGERUM carbone notasse in SERARIO, eo quod *Dusthaj* Hebraicum, Δοσίθεος mere sit Græcum nomen. Quando vero EPIPHANIUS hæresis IV. Samaritanorum Dositheum facit conditorem, *in Panario Hæres. XIII.* atque primos Sadducæos, ἀπόσπασμα ἀπὸ Δοσιθέυ τῦ προλελεγμένυ, item γέννημα, *propaginem a memorato illo Dositheo* perhibet, *Hær. XIV.* & EPIPHANIUM secutus COTELERIUS, priorem illum *originem Sadducæorum* dicit, in eo falli utrumque audacter pronuncio. Temporum prohibet ratio, quæ tam Mischnicum, quam EPIPHANII Dositheum, Sadducæorum ortu longe sequiorem evincit. Acutius vidit GOODWINUS noster, quando Sadducæis *magnam* solum *cum hæresi Dosithei affinitatem communitatemque* tribuit, etsi posteriorem cum priore Dositheo temere confudit, quando §. *II* Dositheum post Christum in vivis fuisse, cum ORIGENE credit, eidemque tamen §. *III.* assertam, creditamque corporum resurrectionem largitur, quæ prioris sententia fuit, non posterioris, qui, cum Sadducæis, potius in eundem errorem, negando conspiravit.

Ad §. IV. pag. 29.

(4) *Causa hujus Sectæ hæc fuit*] Ansam errori, præter suam culpam, dedit Antigonus Sochæus, Socho quippe oriundus, quem PRIDEAUX *Histor. Jud. Part. II. Lib. II. Tom. III.* edit. Gall. *p.* 108. Præsidem dicit Synedrii, & Professorem Theologiæ primarium in schola Hierosolymitana, primumque e Tannáim, seu Doctoribus Mischnicis, eumque Anno 263. ante C. N. diem obiisse censet: quanquam paulo recentiorem alii faciant, & sæculo circiter, ætatem Christi, antevertisse tradant; ut sunt turbidæ Judæorum

rum

rum in putandis temporibus rationes. Hic ex ore Magistri, Simeonis Justi, qui ultimus de viris Synagogæ magnæ fuit, haustam suis sedulo inculcavit sententiam, quæ *in Pirke Abhoth cap. I. Mischna* 3. legitur: אל תהיו כעבדים המשמשין את הרב על מנת לקבל פרס אלא הוו כעבדים המשמשין את הרב על מנת שלא לקבל פרס ויהי מורא שמים עליכם *ne sitis tanquam servi* (mercenarii) *qui serviunt magistro ea conditione, ut recipiant mercedem: sed estote tanquam servi* (ingenui) *qui serviunt magistro non ea conditione, ut recipiant mercedem* (non lucri cupidine, sed ex amore) *sitque timor Dei super vos.* Hoc dictum in sinistram rapientes mentem discipuli, Zadok & Baithos, tradente ad h. l. MAIMONIDE, *exierunt ab eo, alter alteri dicens: en! diserte ait Rabbi noster, hominem neque præmium, neque pœnam, neque spem omnino ullam habere. Non enim intelligebant scopum ejus, adeoque alter alterius manus fulcivit, & sic aberrantes a regula, legem deseruerunt.* Sed paulo aliter erroris originem, juxta Doctorum veterum traditionem, hinc eruit R. DAVID GANZ paulo ante laudatus, hoc scilicet Magistri effatum: *ne servientes Deo ad mercedem respiciant,* durum in oculis ipsorum visum, *eo quod lex perpetuo testetur de spe mercedis, cum inquit:* propterea benefaciet tibi, & prolongabis dies tuos: propterea prolongabuntur dies tui &c. *Itaque disceptarunt super eo Zadok & Baithos pro sententia sua: cur non serviremus Deo propter portionem, ut recipiamus mercedem, sicut famulus servit Domino? atque dixerunt, nihil tale quid, vel simile huic rei, extat inter dicta Sapientum. Atque hic error fuit causa, ut contemnerent dicta Sapientum.* Vix enim poterant tam crassam ex dicto Magistri elicere sententiam, ac MAIMONIDES illis affingit, ni studio & data opera cavillari cuperent: sed cum effatum istud everti intelligerent tot Scripturæ promissionibus, quæ Dei cultoribus spem faciunt gratiosæ remunerationis, in transversum sunt acti. Vtut facile dederim, sive ipsos, sive sectatores ipsorum posthæc, ut error gignit errorem, ulterius progressos, & ad *φορτικὰ* ejusmodi *ἀκούσματα* delapsos, Epicureismo latam aperuisse portam. Quando autem BARTOLOCCIVS *p.* 378 *sq.* addit: *Sadoch autem & Baithos cum suis asseclis* (*relicta Judæa, ubi semen pestiferæ hæresis disseminaverant*) *ad montem Garizim, ubi templum ad normam Hierosolymitani templi ædificatum erat, secedit. Ibi tanquam Principes & Rectores, sacra administrarunt, & a nomine Sadochi hujusmodi templum, Sadducæorum & Cuthæorum domus est appellata:* plane me fugit, quo auctore & qua fide hæc tradat: maxime cum paulo post *p.* 381. *b.* Sadducæos cum Samaritanis temere non confundendos esse, moneat.

Ad §. IV. pag. 29.

(5) *Sadoc & Baithus*] Hos sæpius junctos jam citavimus, erroris ac instituti socios. Sed intercedit vir doctissimus, NICOL. FVLLERVS, *Miscellaneor. Sacror. lib. II. cap. III.* Baithosum aliquem unquam extitisse negans; quia nulla ejus uspiam apud Judaicæ historiæ scriptores fit mentio. Hinc Baithosæos eosdem censet cum Essenis, vel ipso nominis indicio, cum ביתוסים, si propius inspicias, sint בית אוסאים *familia Essenorum,* vel Sanatorum. Verum, quod pace tanti viri dixerim, ludere hoc est in re seria. Creberrime Baithosum Doctores Hebræorum memorant, MAIMONIDES, R. ASARIAS *in Meor Enajim p.* 32. R. GEDALIA supra citatus, alii. R. IEHVDA *in Cosri p.* 29. Zadokum & Baithosum, שורש למינים *hæresiarchas* appellat. IOSEPHO vero nihil opus erat, Baithosum nomine recensere, ejus propaginem sub Sadducæis complexo. Eandem vero, utriusque auctoris sectam, nec Baithosæos a Sadducæis diversos fuisse, contra R. GEDALIAM, ejusque sequaces paulo ante asseruimus, nec pœnitet nos dicti: etsi hæsitantem, & in adversam sententiam, inclinantem, videmus LIGHTFOOTVM *Hor. Hebr. in Actor. XXIII,* 8. *Tom. II. Opp.* 739. *b.* Vix enim, apud quenquam Veterum, de Baithosæis seorsim leges, nec quoad duraverit Secta, vel ubi cumprimis floruerit, quibusque gavisa sit Doctoribus,

bus, indicatum reperies. Coaluit cum Zadoki familia in unam, communi Sadducæorum nomine inclutam. Aliquam quidem, etiam ratione dogmatum, differentiam inter Zadoki & Bajthosi familias extitisse, sed levem illam, agnoscit WOLFIVS *Biblioth. Hebr. P. II. p.* 815. ubi remittit ad HACKSPANIVM *in Sylloge p.* 13 *sq.*

Ad §. V. pag. 29.

(6) *Respuerunt Prophetas, ceterosque Scripturæ libros*] Ad dogmata pergit Auctor, quorum primum vehementer disputatur, jurene an injuria Sadducæis tribuatur? Prius Veteres censuerunt, quorum auctoritatem secutus est non GOODWINVS modo, & cumprimis SERARIVS *lib. II. trihæresii cap. XXI.* atque BARTOLOCCIVS *cit. loc. p.* 377. *b.* verum etiam HVMPHRED. PRIDEAVX *Hist. Jud. T. IV. p.* 66 *sq.* ubi SCALIGERVM refutat, quod Sadducæos rejicere Prophetas & Hagiographa, negasset. Vrget autem pro affirmante sententia Servatoris argumentum Matth. XXII. ab Auctore nostro pariter in eandem allegatum mentem, quod per consequentiam ductum, longe sit obscurius, clarissimis de resurrectione & vita æterna oraculis, quæ ex Prophetis & Hagiographis in aciem producere non dubitasset Christus, eorum si non defugissent auctoritatem Sadducæi. Hinc ita instituit PRIDEAVX, ut censeat, vel Zadokum, cum tantam sibi conflasset dogmate suo invidiam, ut fuga saluti suæ consulere necesse haberet, & ad Samaritanos transiret, ab illis hunc quoque adoptasse errorem, solam Legem canonica gaudere auctoritate, non item ceteros Sacri Codicis libros; vel ea de causa ita docuisse, quod in Prophetis & Hagiographis nimis aperte & perspicue sui suorumque profligarentur errores. His tamen omnibus Vir cetera doctissimus nos nondum permovet, ut vadimonium deseramus. Salvator cum Sadducæis disputans, iisdem eos armis conficit, quibus resurrectionem mortuorum illi aggrediebantur, & quia ex Mose petitis telis eam impugnabant, nec Mosi deesse docet *στερεώματα*, quibus valide confirmari queat. Ea de causa ex Lege potius, quam ex Propheticis libris, responsum depromit. Reliqua gratis assumit PRIDEAVX, & colore Dosithei, ad Samaritanos deficientis, incrustat ac pingit, qui nullo tamen indicio ad Zadokum transferri debet. Hoc ipso tamen figmento, ad primam impacti temere erroris originem, ansamque nos ducit, quod Sadducæos cum Samaritanis plerique confunderent, & Pharisæi cum Samaritanis eos amice conspirare calumniarentur. Cui ut fidem facerent commento, communem utrisque, rejectæ Scripturæ Propheticæ, tribuerunt errorem. Hanc utrorumque confusionem pro merito castigavit MORINVS *Exercit. Biblicar. p.* 308. & HOTTINGERVS *Exercit. Anti-Morin. Sect. XIV.* Quam tamen ut in tantum incrustaret, Sadducæos geminos fingit DRVSIVS *lib. III. de sectis Jud. cap.* 10. *p.* 139. alios, qui in Judæa degebant, qui in Samaria, alios. *Fieri ergo potest, ut qui apud Judæos erant, Prophetas receperint: qui apud Samaritanos habitabant, rejecerint.* Sed bene habet, quod addit: *id conjicio, non affirmo.* Illam itaque conjecturam, quam Veteres omnes ignorant, eadem facilitate rejicimus, qua ipse protulit. Aliud adhibet *σοφὸν φάρμακον* vir summus, GERHARD. IOH. VOSSIVS *lib. I. de Idololatr. cap. X. pag.* 38. inquiens: *Sadducæi Mosaicos solum libros habuere pro Canonicis & θεοπνεύστοις, alios autem, etsi non rejecerint, auctoritatis tamen longe inferioris putarunt.* Sed, quo fidem faciat asserto, nihil producit. Potior nobis IOSEPHI est auctoritas, qui *Antiqu. lib. XIII. cap. X.* §. 6. Sadducæorum sententiam edisserens, eos docuisse perhibet, *ἐκεῖνα δεῖν ἡγεῖσθαι νόμιμα τὰ γεγραμμένα, τὰ δ' ἐκ παραδόσεως τῶν πατέρων μὴ τηρεῖν* *scripta* Codicis sacri, adeoque universa *τὰ ἱερὰ γράμματα*, non ea solum, *ἅπερ ἀναγέγραπται ἐν τοῖς Μωυσέως νόμοις*, de quibus mox egerat, *oportere pro legitimis*, ac genuinis oraculis divinis *censere, quæ autem a patribus tradita sunt, non esse servanda.* Concinit MENASSE BEN ISRAEL *lib. I. de resurrect. mortuor. cap.* 6. *p.* 43.

Certum

Certum est, inquiens, *Sadducæos non negasse librorum Propheticorum auctoritatem, ut ex Talmude liquet.* In Talmude enim affatim hoc probat disputatio, quæ RABBAN GAMALIELI cum Sadducæis intercessisse memoratur in Gemara *Sanhedrin cap. XI.* §. 2. in qua testimonia ex Lege & Hagiographis a GAMALIELE in aciem producta, cum admiserunt, tum responsione diluere moliti sunt Sadducæi, nihil quicquam de auctoritate reliquorum Scripturæ librorum monentes. Plura ejus generis exempla HACKSPANIVS *ad Lipmanni Nizzachon* §. 20 *sqq.* affert, ex quibus liquet, Sadducæos commune disputandi principium, Prophetas & Hagiographa, æque ac Legem, admisisse. Sed &, neque in Templo, neque in Synedrio, aliisque hinc sacris, hinc profanis dignitatibus & collegiis, pari jure cum Pharisæis tolerati fuissent, si non in Canone scripto convenisset utrisque, licet in exponenda Scriptura discederent in diversa: confer Act. XXIII, 6. Demum neque Christus, neque Apostoli hujus ipsos impietatis postulasse leguntur, monituri omnino, si, præter Legem, universam rejecissent Scripturam. Qui plura cupit, SCALIGERVM adeat, qui *in Elencho Tribæresii cap. XVI. p.* 113. copiose hanc causam peroravit.

Ad §. VI. pag. 29.

(7) *Rejecerunt omnes traditiones*] Hoc IOSEPHVS *loco mox cit.* diserte affirmat, quando de traditionibus majorum, quarum tenacissimos ait Pharisæos, egerat, & mox subjicit: *καὶ διὰ τȣ̃το ταῦτα τὸ Σαδδȣκαίων γένος ἐκβάλλει, eaque propter Sadducæi eas rejiciunt.* Et ELIAS LEVITA *in Tisbi voc.* צרוק hoc eis exprobrat: וכפרו בתורה שבעל פה ולא האמינו רק מה שכתוב בתורה שבתכב: *negarunt Legem oretenus traditam, neque fidem habuerunt nisi ei, quod in Lege scriptum erat.* Rursus IOSEPHVS *lib. XVIII. Antiqu. cap. I.* §. 4. *Φυλακῆς δὲ ȣ̓δαμῶν τινῶν μεταποίησις αὐτοῖς, ἢ τῶν νόμων· πρὸς γὰρ τȣ̀ς διδασκάλȣς σοφίας, ἣν μετίασιν, ἀμφιλογεῖν ἀρετὴν ἀριθμȣ̃σι. Nec illi* (Sadducæi) *quicquam aliud, præter Legem, sibi servandum vendicant. Nam contra Magistros quidem ejus, quam sequuntur, sapientiæ* (traditionum patres) *disputare, præclarum ducunt.* Atque hæc præcipua odii Pharisaici in Sadducæos causa erat, quod *δευτερώσεις,* quas deperibant Traditionarii isti, explođerent, soliusque verbi *ἐγγράφȣ,* שכתב, starent auctoritate; quo nomine indignissimis modis apud R. LIPMANNVM in *Nizzachon*, apud Auctorem libri *Cosri P. III.* passim, aliosque exagitantur, & famoso המינים *hæreticorum* nomine notantur. Quantum enim traditionibus istis deferant passim Judæi, easque legi scriptæ longe anteponant, allatis in eam sententiam testimoniis, copiose docet WAGENSEILIVS *Confutat. carminis Lipmanni p.* 580. His itaque qui derogaret, non poterat sibi non summam conflare invidiam, quæ fundi Sadducæorum calamitas fuit.

Ad §. VI. pag. 29.

(8) *Nomen* קראים *Textuales, Scripturarii*] Hic remittimus ad ea, quæ copiose supra *ad Cap. IX.* §. 7. de Karæis commentati sumus, quibus non opus est, ut quid addamus. Evolvi tamen poterit HACKSPAN. *Præfat. cit.* §. 48. ubi, quid discriminis inter Sadducæos & Karæos intercedat, obiter inquirit.

Ad §. VII. pag. cit.

(9) *Bonis operibus denegabant omne præmium in futuro seculo*] Ita quippe in Lexico Hebr. *Aruch*, voce ביתוס, Zadok & Bajthosus dixisse feruntur: אילו היו יודעין אבותינו שתחיית המתים ומתן שכרן של צדיקין בעולם הבא לא היו שנין כך: *si scivissent patres nostri, expectandam esse resurrectionem mortuorum, & retributionem mercedis justorum in sæculo venturo, haudquaquam sic tradidissent.* Clarius adhuc hanc eorum mentem tradit R. IOSEPH ALBO *Ikkarim lib. IV. cap.* 29. שהשכר והעונש הוא גשמי בלבד ובעולם הזה כמו שנזכר באבות ר' נתן הכחישו השכר הרוחני אחר המות מכל

וכל ויביאו ראיה לדבריהם ממה שלא נזכר לפי רעהם בתורת משה גמול נפשיי כלל אלא הצלחות גשמיות: *quod præmium & pœna non ſint alia, quam corporalia, atque hujus mundi, uti in Abboth* R. NATHAN *traditum, præmium aliquod ſpirituale poſt mortem penitus negant, atque inde ſententiam ſuam confirmant, quod, ut ipſis videbatur, nusquam in lege Moſis mentio fieret præmii, quod animæ proprium eſſet, ſed proſperitatis tantum corporalis.* Sed quicquid eſt iſtius erroris, ex perperam intellecto Antigoni dogmate, de quo paulo ante, manavit. Hinc eundem ipſis errorem impingit ABRAH. ZACHUT *in Juchaſin*, poſtquam in fronte libri, tres Judæorum ſectas recenſuiſſet, ſubjungens: ומשם מתבאר כי הצדוקין אינם הקראים שבימנינו׃ כי אלו מודים בשכר ועונש ותחייה מה שאין כן הצדוקין: *Vnde quoque patet, Sadducæos non eſſe eosdem cum Karæis, qui hodieque ſuperſunt. Hi enim profitentur præmium & pœnam* (poſt hanc vitam) *ac reſurrectionem, contra quam faciunt Sadducæi.*

Ad §. VIII. pag. 29.

(10) *Non eſſe reſurrectionem mortuorum*] De quo citata Novi Fœderis teſtimonia dubitare non ſinunt. Spectat huc, quam ſupra tetigimus, precationum publicarum clauſula, de qua juvat audire Talmud, Cod. ברכות *cap. ult. Miſchna ult.* כל חותמי ברכות שהיו במקדש היו אומרים מן העולם משקלקלו אפיקורסים ואמרו אין עולם אלא אחד התקינו שיהיו אומרים מן העולם ועד העולם: *In omnibus benedictionum clauſulis in ſanctuario dicere ſolebant*, a ſæculo. *Ex quo autem corruptelas invexerunt hæretici, unicum tantum ſæculum aſſerentes, dicendum ſtatuerunt:* a ſæculo in ſæculum. Vbi per Epicureos dubium non eſt, quin intellexerint Sadducæos, & qui in ſocietatem erroris abrepti, העולם הבא *ſæculum venturum*, & ita reſurrectionem negarunt. Ex hac precum publicarum formula, manaſſe credo δοξολογίαν in N. T. ᾧ ἡ δόξα εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων, *cui gloria ſit in ſæcula ſæculorum*, Hebr. XIII, 21. εἰς πάσας τὰς γενεὰς τοῦ αἰῶνος τῶν αἰώνων *in omnes ætates ſæculi ſæculorum* Eph. III, 21. Conf. Apoc. V, 13. VII, 12. Hebr. I, 8. &c. apud LXX. 1 Chron. XXIX, 10. εὐλογητὸς Θεὸς ἀπὸ τοῦ αἰῶνος, καὶ ἕως τοῦ αἰῶνος. Quæ cum exacte referant Hebræa, in quibus eſt מעולם ועד עולם / liquet inde, dudum ante ortos Sadducæos, & jam Davidis tempore, iſtum δοξολογίας modum obtinuiſſe. Ceterum, quando in ברכת המינים *precatione directa adverſus Hæreticos*, diſerte הצדוקים *Sadducæi* memorantur, bene obſervavit cum aliis viris doctis, VITRINGA *de Synagoga vet. lib. III. P. II. cap.* 14. *p.* 1047. hoc nomine non tam Sadducæos veteres indigitari, quam Chriſtianos Judaizantes, vel potius Judæos Chriſtianizantes, alias ab iis המלשינים *obtrectatores*, & המשומדים *apoſtatas* dictos. Quod obiter notamus, ne quis recentiorem in Sadducæos intorqueat imprecationem.

Ad §. IX. pag. cit.

(11) *Animas hominum in morte annihilari*] Teſtis eſt IOSEPHUS, qui *lib. II. de bello Jud. cap.* 8. *in fine*, Sadducæorum dogmata exponens, ψυχῆς τε, inquit, τὴν διαμονὴν, καὶ τὰς καθ' ᾅδου τιμωρίας καὶ τιμὰς ἀναιροῦσι, *quin & animas permanere, ſuppliciaque & præmia apud inferos negant.* Rurſus *Antiqu. lib. XVIII. cap. I.* §. 4. Σαδδουκαίοις τε τὰς ψυχὰς ὁ λόγος συναφανίζει τοῖς σώμασι· *Sadducæorum vero doctrina facit, ut animæ cum corporibus intereant.*

Ad §. X. pag. cit.

(12) *Negabant exiſtentiam Angelorum & Spirituum*] Diſerte hoc aſſerit Lucas in Actis. Sed ſcrupulum movet MENASSE BEN ISRAEL *lib. de Reſurrect. cap. VI. pag.* 43. *Sane*, inquiens, *ſic ſequeretur, eos negaſſe legem Moſaicam, quæ variis in locis Angelorum mentionem facit.* Dudum autem ad hoc dubium regeſſerunt viri docti: Sadducæos contra tot tamque aperta teſtimonia, in libris Scripturæ obvia, non quidem negaſſe,

negasse, Angelos fuisse aliquando: sed & credidisse, eos non nisi ad tempus istud esse, quo a Deo mittebantur, cum humanis corporibus, pro tempore certo efformatis, ad obeundum in iis legationem: ea vero legatione peracta, cum corporibus istis evanuisse, atque esse desiisse. Ita SAM. BASNAGIVS *Annal. Polit. Eccles. T. I. p.* 179. verosimile esse arbitratur, Sadducæos ex variis Angelorum apparitionibus, igneisque curribus, Cherubinis ab Ezechiele visis &c. qui subito ex oculis mortalium evanescebant, errorem suum confirmare voluisse; nec non ex eo, quod cum ventis ac flamma ignis, Angeli ministri Dei, comparentur Ps. CIV, 5. Ex quibus concludit, Angelos nomine tenus ab impiis illis hominibus admissos, revera autem fuisse negatos. Non negarunt veritatem historiæ, & secundum illam, Angelorum apparitiones & operationes; negarunt autem, esse substantias permanentes. Nemo copiosius hanc discussit controversiam, quam nuper admodum IACOBVS ODE, *Comment. de Angelis, Sect. II. cap. I. p.* 205. ubi tria sub examen vocavit momenta: 1) quo pacto hæc Angelorum negatio, cum ceteris domesticis Sadducæorum hypothesibus, conciliari & componi possit? 2) quo fine Angelos esse, negaverint? 3) quæ vera eorum de Angelis, quos non esse crediderint, fuerit opinio? Rursus alii, nimis longe progressi, quando Lucæ *μήτε πνεῦμα, neque Spiritum* admisisse perhibentur Sadducæi, vel Spiritum Sanctum eos impugnasse cum GREGORIO NAZ. *Orat. XXXVII. Tom. I. Opp. p.* 595. censent, vel Deum ipsum negasse, eumque vel corporeum statuisse, vel naturam pro Numine habuisse, existimant: quod ipsis tribuit HARDVINVS *de Nummis Herodiadum p.* 99 *sq.* Dudum ante HARDVINVM, utramque sententiam suam fecit & ita combinavit HENR. VALESIVS *Animadversion. ad T. I.* EPIPHANII *lib. I. pag.* 28. *Hanc Sadducæorum mentem fuisse suspicor, ut Spiritum omnem, h. e. πνευματικὴν ὐσίαν funditus tollerent; ideoque corporeum esse Deum, assererent, ut* LYRANVS *existimat. Ex quo consequitur, etiam Spiritum Sanctum illos abnegasse. Vnde merito ab* EPIPHANIO, *aliisque dictum est, Sadducæos Spiritum Sanctum ignorasse: ut illam ex toto genere τῶν πνευμάτων speciem deligerent, qua negata majus illi sibi impietatis crimen accesserent.* Sed vereor, ne vim faciant hominibus, quos in tanta constitutos dignitate, ecclesia Judaica certe non tulisset, si Athei fuissent. Vniversa quoque antiquitas hanc criminationem fugit, & EPIPHANIO quæ sit habenda fides, satis aliunde constat. Spiritum itaque negasse quando traduntur a Luca, de creato & finito capiendum Spiritu credo, quales Angeli, aut animæ sunt corporibus solutæ.

Ad §. XI. pag. 29.

(13) *Tollebant penitus omne fatum & providentiam*] Denuo ista nituntur fide IOSEPHI, qui *Antiqu. lib. XIII. cap. V.* §. 9. *Σαδδȣκαῖοι, τὴν μὲν εἱμαρμένην ἀναιρȣ͂σιν, ȣ̓δὲν εἶναι ταύτην ἀξιȣ͂ντες, ȣ̓͂τε κατ᾽ αὐτὴν τὰ ἀνθρώπινα τέλος λαμβάνειν, ἅπαντα δὲ ἐφ᾽ ἡμῖν αὐτοῖς τίθενται, ὡς καὶ τῶν ἀγαθῶν αἰτίȣς ἡμᾶς αὐτȣ̀ς γινομένȣς, καὶ τὰ χείρω παρὰ ἡμετέραν ἀβȣλίαν λαμβάνοντας. Sadducæi fatum omnino tollunt, illud nihil esse existimantes, neque ista, quæ hominibus eveniunt, ei accepta deberi, sed omnia etiam nostro arbitrio subjiciunt, adeo, ut tum bonorum nobis ipsis auctores simus, tum mala nobismet per stultitiam nostram arcessamus.* Rursus *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 14. eadem fere repetit, Σαδδȣκαῖοι δὲ, inquiens, *τὴν μὲν εἱμαρμένην παντάπασιν ἀναιρȣ͂σι, καὶ τὸν Θεὸν ἔξω τȣ͂ δρᾶν τι κακὸν, ἢ μὴ δρᾶν τίθενται· Φασὶ δὲ ἐπ᾽ ἀνθρώπων ἐκλογῇ, τό, τε καλὸν καὶ τὸ κακὸν προσιέσθαι, καὶ τὸ κατὰ γνώμην ἑκάςῳ τȣ́των ἑκατέρῳ προσιέναι. Sadducæi fatum omnino tollunt, Deumque negant auctorem esse, ut quis vel male agat, vel a malo abstineat; & in electione hominis positum ajunt, tum bonum, tum etiam malum, & unumquemque pro arbitrio suo, ad utrumlibet accedere.* Observandum autem hic est, fatum, quod excluserunt, non Stoicum intelligi, sed Pharisaicum, quod divinum dicebant decretum

 de

de rebus eventuris. Vt fere idem ſit ac providentia divina; unde Arabibus quoque hoc nomine exoſi ſunt, iisque Sadducæus audit, *qui non credit reſurrectionem mortuorum, qui non credit providentiam Dei.* Vnde obvios quosque Muhammedani, ſine ulla λύτρυ acceptione, occiderunt, juxta tritum Juris Muhammedici canonem: *occidatur Sadducæus, neque acceptetur ab eo pœnitentia.* Vide HOTTINGER. *Hiſtor. Orient. lib. I. cap. VIII. p.* 255. In alia tamen omnia diſcedit HVMPHRED. PRIDEAVX *Hiſt. Jud. P. II. Lib. II. T. III. p.* 109. & copioſius adhuc *lib. V. T. IV. p.* 63 *ſq.* Sadducæis hoc largitus, quod Deum partim per potentiam ſuam condidiſſe mundum, partim eundem per providam ſuam curam gubernare ſint faſſi, & ut rite gubernare queat, bene aut male factis hominum præmia conſtituiſſe & pœnas, ſed in hac ſolum vita expectandas, eaque de cauſa legem ejus eſſe obſervandam. Quin hoc uno diſcrepantiæ momento, ab Epicureis diſſidere eos tradit, quod Epicurei & creationem orbis, & providentiam negant, cum utramque tueantur Sadducæi. Quæ, quomodo cum IOSEPHO, ad quem tamen provocat PRIDEAVX, conciliari poſſint, ego non video.

Non mirum itaque, ex perverſa ejuſmodi doctrina, inſignem promanaſſe morum corruptionem, unde paſſim Epicurei אפיקורוסים audiebant, & R. ABRAHAMO ZACHVT, ſupra laudato, רשעים ובעלי מרות רעות *impii, & peſſimis moribus præditi* dicuntur. IOSEPHVS pariter *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 14. de ipſis perhibet: *Σαδδυκαίων δὲ καὶ πρὸς ἀλλήλυς τὸ ἦθος ἀγριώτερον, αἵτε ἐπιμιξίαι πρὸς τὺς ὁμοίυς ἀπηνεῖς, ὡς πρὸς ἀλλοτρίυς. Sadducæorum mores & erga ſe mutuo feri, & cum ſui ſimilibus verſantur, quemadmodum cum alienis.* Vnde Talmud Maſſech. *Sanhedrin. cap. XI. Miſchna I.* diſerte eos ab עולם הבא *a ſæculo futuro*, a vita æterna excludit, האומר אין תחיית המתים *qui negant reſurrectionem mortuorum;* cujus hæc fertur in Gemara *ad h. l.* ratio, שכל מידותיו של הקב״ה מידה כנגד מידה *iſte enim Dei mos eſt, ut menſuram pro menſura reddat.* Verum hoc ipſum eſt, quod cupiebant, & tuebantur, negata reſurrectione, vitæ ſe futuræ exſortes fore.

Ad §. XII. pag. 29.

(14) *Samaritani & Sadducæi*] Locus hic eſſet, in hiſtoriam Samaritanorum cum veterum, tum recentiorum excurrendi. Sed de illis, quia *in Crit. Sacr. P. II. cap. IV.* §. 11. *p.* 586. cum cura egimus, eorumque originem & incrementa, odium adverſus Judæos, religionem, faciem & conditionem hodiernam, quantum ſatis eſt, ediſſeruimus, larga quoque manu auctores produximus, qui de illis præceperunt, nil attinet ea hic repetere, & bene dicta huc transferre. Sufficiat itaque, in momentis cum convenientiæ, tum diſcrepantiæ, inter utrosque, ſubſiſtere, quæ ſtudioſe annotavit GOODWINVS.

Ad §. XII. pag. ead.

(15) *In templo montis Garizim*] Quod Sanballathus Cuthæus, genero ſuo gratificaturus, eique ſacerdotium paraturus, venia ab Alexandro M. impetrata, extruxerat. De eo BENIAMIN TVDELENSIS *in Itinerario p.* 39. edit. Conſtantini l' Empereur, ita tradit: אבל הם כהני תורתם ועושים זבח ומעלים עולה בכנסת שלהם בהר גריזים כמו שכתוב בתורה ונתת את הברכה על הר גריזים והם אומרים כי הוא בית המקדש/ ומעלים עולה ביום פסח בימים טובים על המזבח שבנו בהר גריזים מהאבנים שהקימו בני ישראל כשעברו הירדן׃ *Sunt tamen legis illorum ſacerdotes, parantque victimas ac offerunt holocauſta in illorum congregatione, idque in monte Gerizzim. Quemadmodum in lege ſcriptum eſt Deut. XI, 29. edes benedictionem hanc in monte Gerizzimorum: Ideoque hanc eſſe domum ſanctuarii affirmant. Offerunt autem holocauſta, cum paſchate, tum aliis feſtis in altari, quod in monte Gerizzim ex illis ſtructum fuit lapidibus, quos Iſraelitæ Jordanem transgreſſi erexerant.* Iſtum montem digito indice monſtrabat Sama-

Samaritana Joh. IV, 20. de cujus situ paulo ante præceperat BENIAMIN, ejusque conditionem p. 40. delineat, quod admodum fertilis sit, diversis fontibus irriguus, ac pomariis distinctus, cum ex adverso mons Ebal aridus sit, instar lapidum ac petrarum: inter utrumque vero interjectam esse vallem Sichem. Copiose & docte *de monte Garizim* commentatus est RELANDVS *Dissert. Miscellan. III.* quam evolvat, qui plura cupit. Memoratam autem templi in Garizim exstructionem, FLAVIVS exponit *lib. XI. Antiqu. cap. VIII.* §. 4. cui IOSEPHVS GORIONIDES concinit *lib. II. cap. VIII. sub init.* rursusque *lib. IV. cap. IV.* ὡς ἐν παρόδῳ. Promiscue autem Sadducæos sacrificasse in templo montis Garizim, & in templo Hierosolymitano, perperam & sine teste conjicit BARTOLOCCIVS *p.* 380. *b.*

Ad §. XII. pag. 29.

(16) *Mutuum odium Samaritanorum Judæorumque*] De quo nos ex instituto, & SELDENVS *lib. II. de Jure N. & G. cap.* 5. *p.* 177 sq. ubi verba Joh. IV, 9. illustrat. Causas ejus persequitur IVST. CHRISTO. DITHMARVS *Not. ad Maimonid. de Jurejurando cap. II. pag.* 51 *sq.* Eo certe progrediebatur istud odium, ut, juxta R. SALOM. IARCHIVM *in Sotæ cap. III.* §. 7. כותי אסור לאכול פתו לשתות ייגו *Samaritani panem comedere, vinumque bibere* homini Judæo *nefas fuerit;* immo, ne proselytum e Cuthæis recipiebant, ut est in פרקי R. ELIEZERIS *cap. XXXVIII.* ולא יתגייר אדם כותי ואין להם חלק בתחיית המתים שנאמר לא לכם ולנו לבנות בית אלהינו לא בעולם הזה ולא בעולם הבא: *neque proselytus fiet quisquam ex Cuthæis, neque sors eis ulla erit in resurrectione mortuorum, quia dicitur Esdr. IV, 3. nihil est vobis nobiscum in ædificanda domo Dei nostri: non in hoc, neque in futuro sæculo.* Non respondebant *Amen,* ad benedictionem Samaritani, juxta tritum Rabbinorum effatum, ELIAE LEVITAE *in Tisbi voc.* כות allegatum: אין עונין אמן אחר כותי המברך *non respondent Amen post Cuthæi benedictionem* (cujus tamen contrarium sancitur in *Berachoth cap. VIII. hal.* 8.) Hoc autem odio non obstante, Samaritani vafre, prout ferebat occasio, Judæorum se cognatos hinc profitebantur, hinc negabant. Testis est IOSEPHVS *loco cit.* §. 6. εἰσὶ γὰρ οἱ Σαμαρεῖς τοιοῦτοι τὴν φύσιν, ὡς ἤδη που καὶ πρότερον δεδηλώκαμεν, ἐν μὲν ταῖς συμφοραῖς ὄντας τοὺς Ἰουδαίους ἀρνοῦνται συγγενεῖς ἔχειν, ὁμολογοῦντες τότε τὴν ἀλήθειαν· ὅταν δέ τι περὶ αὐτοὺς λαμπρὸν ἴδωσιν ἐκτύχης, ἐξαίφνης ἐπιπηδῶσιν αὐτῶν τῇ κοινωνίᾳ, προσήκειν αὐτοῖς λέγοντες, καὶ ἐκ τῶν Ἰωσήπου γενεαλογοῦντες αὐτοὺς ἐκγόνων, Ἐφραΐμου καὶ Μανασσοῦ. *Sunt enim Samaritæ eo ingenio, sicuti jam ante memoravimus, ut in Judæorum rebus adversis, negent suos esse cognatos, tunc quidem id, quod verum est profitentes. Sed si forte eos paulo lautius agere viderint, continuo in eorum communionem insiliunt, suos esse consanguineos dicentes, genusque suum a Josephi natis, Ephraimo & Manasse, deducentes.* Vnde quoque Alexandro M. Judæorum rebus faventi, Judæos se esse persuadebant. Quin immo hodienum, inter Judæos atque Hebræos seu Israelitas curatum instituentes discrimen, posteriores suos profitentur fratres, & ROBERTO HVNTINGTONO, de Judæis in Anglia commorantibus, exponenti: *Aha!* responderunt, *hi sunt procul dubio fratres nostri:* Cumque ille, communiter illos vocitari Judæos, monuisset, *nequaquam,* regesserunt, *Israelitæ sunt prorsus & Hebræi, fratresque nostri fraterrimi:* referente HVNTINGTONO *in Epistolis pag.* 50. 55. Qui hanc subjicit ἐπίκρισιν: *Ita enim seipsos Israelitas & Hebræos appellari gloriantur: Judæos autem, & re, & nomine, antiquo & plus quam Vatiniano odio in hunc usque diem prosequuntur.*

Ad §. XIII. pag. 30.

(17) *Ex solenni ista anathematizatione*] Quæ *in Tanchuma fol.* 17. *col.* 4. exhibetur, & repetitur *in Pirke* R. ELIEZERIS *cit. loc.* ubi ita habet: *Quid fecit Ezra, Zerubabel filius Schealtiel, & Josua filius Jehozedek? Congregarunt totum*

tum cœtum in templo Dei, & adduxerunt 300 *Sacerdotes*, 300 *infantes*, 300 *buccinas, atque* 300 *libros legis in manibus suis. Clangebant buccinis, & cantillabant Levitæ, atque anathemate devovebant Cuthæos mysterio Nominis* ἀνεκφωνήτου, *& Scriptura exarata in tabulis, & anathemate domus judicii superioris* (vel cæleſtis) *atque anathemate curiæ inferioris* (vel terreſtris): *ne quisquam homo ex Iſraële in æternum comedat fructum vel buccellam Cuthæi: Hinc dicunt:* quicunque comedit carnem Cuthæi, is veſcitur quaſi carne porcina: *Cuthæus quoque ne fieret proſelytus; neque haberet partem in reſurrectione mortuorum, juxta illud Eſr. IV,* 3. non vobis, nec nobis convenit, ut ædificemus domum Dei noſtri: *non in hoc, neque in futuro ſæculo. Præterea quoque, ne haberet partem in Jeruſalem, hinc dicitur Neh. II,* 20. vobis non eſt pars, neque jus, neque memoria in Jeruſalem. *Transmiſerunt autem anathema hoc ad Iſraelitas, qui erant in Babylonia. Addiderunt hi contra eos anathema ſuper anathema; adjecit inſuper Rex Cyrus, atque æternum anathema contra illos fixit. Hinc illud Eſr. VI,* 12. Deus vero, cujus nomen habitat illic &c. Quæ, quia plenius, quam in Auctore noſtro, hic legi voluimus. Samaritani vero, quo ſenſu *Cuthæi* vocentur, curate explicavit THOM. HYDE *in Hiſtoria veter. Perſar. ac Medorum cap.* 2. *p.* 39. & nos de hac appellatione diximus *Crit. Sacr. cit. loc. p.* 588.

Ad §. XV. pag. 30.

(18) *In rejectione omnium aliarum Scripturarum, præter libros Moſis*] Iſtud, quam imperite, & præter rem dicatur, ex iis liquet, quæ ſupra *Annot.* 6. in medium produximus. Ruit quoque, quicquid in eandem cum Auctore ſententiam, urget PRIDEAUX *P. II. Hiſt. Jud. lib. V. p.* 66. edit. Gall.

Ibidem.

(19) *Lege* EPIPHANIUM *Hær.* 9. & 12.] Nimirum *Hæreſi IX.* §. 2. tres ipſis impingit errores, 1) quod Scripturas, præter Pentateuchum, ceteras omnes rejiciant, 2) quod Singularitatem in Deo adſtruentes, Trinitatem repudient, & maxime Spiritum Sanctum cum ignorent, tum negent, 3) quod Reſurrectionem mortuorum impugnent. Demum vero de hac hæreſi addit: ἀπωθουμένη δὲ εἰδωλολατρείαν, ἐν αὐτῇ δὲ εἰδωλολατροῦσα κατ' ἄγνοιαν, διὰ τὸ ἀποκεκρύφθαι τὰ εἴδωλα τῶν τεσσάρων ἐθνῶν ἐν τῷ ὄρει τῷ παρὰ τοῖς Γαριζεὶν σεσυκοφαντημένως καλουμένῳ· *Idololatriam quidem reſpuit, in eandem tamen imprudens incidit: quod nationum quatuor ſimulacra in monte quodam occultata ſunt, qui ab illis Garizim fraudulenter cognominatus eſt.* - - εἰδωλολατροῦσιν οὖν ἀγνοοῦντες, ἐκ τοῦ πανταχόθεν προσέχειν πρὸς τὸ ὄρος ἐν τῷ αὐτοὺς εὔχεσθαι, δῆθεν ὅτι ἡγίασται. *Imprudentes ergo ſimulacra venerantur, cum inter orandum undique ſe ad montem, velut ſanctum, obvertunt.* Rurſus *Hæreſi XIV. de Sadducæis*, utrorumque & convenientiam & diſſonantiam, breviter ita perſequitur: ἠθέτησαν μὲν οὗτοι νεκρῶν τὴν ἀνάστασιν, ὅμοια Σαμαρείταις φρονοῦντες. οὐ παραδέχονται δὲ Ἀγγέλους, ὅπερ Σαμαρεῖται οὐκ ἀθετοῦσι. πνεῦμα δὲ ἅγιον οὐκ ἴσασιν, οὐ γάρ εἰσι τούτου ἠξιωμένοι· τὰ πάντα δὲ ἴσα Σαμαρείταις φυλάττουσιν. οὐκ ἦσαν δὲ οὗτοι Σαμαρεῖται, ἀλλ' Ἰουδαῖοι. ἐν Ἱεροσολύμοις γὰρ ἐθυσίαζον, τὰ δὲ ἄλλα πάντα Ἰουδαίοις συνέπραττον· *Etenim mortuorum reſurrectionem ſuſtulerunt, in quo cum Samaritanis conveniunt. Sed Angelos, contra quam Samaritani, repudiant: ac Spiritum Sanctum ignorant, quem nec accipere meruerunt. Eadem porro cum Samaritanis inſtituta cuſtodiunt. Quanquam Judæi, non Samaritani fuerunt: ſiquidem Hieroſolymis ſacrificabant, ceteraque omnia cum Judæis communiter gerebant.* Sed magnus hic intercedit SCALIGER, omnem inter utroſque conſenſionem omnino inficiatus. Verba *lib. III. Canonum Iſagogic. p.* 227. ita habent: *Sadducæos Judæi hodierni & vetuſtiores, nulla in re a Samaritis diſcrepaſſe credunt, propterea eos ſæpe cum Samaritis confundunt. At nos negamus, ulla in re conveniſſe. Nam Sadducæi totum Textum biblicum admitte-*

admittebant, καὶ τὰ νόμιμα γεγραμμένα, *teste* IOSEPHO, *rejectis traditionibus Pharisæorum. Samaritæ tantum Legem retinuerunt. Sadducæi animarum immortalitatem, & proinde supplicium aut remunerationem post hanc vitam abnegabant. Samaritæ & animas immortales fatentur, & locum κρίσει καὶ ἀνταποδόσει post vitam hanc esse credunt, ut diserte in eorum Chronico extat. An resurrectionem credant, nescio. Si negant, in hoc tantum illis cum Sadducæis convenerit.* EPIPHANIVS *ait negare* 522: *de Dositheis*, πιςεύουσι δὲ νεκρῶν ἀνάςασιν, ὅπερ ξένον ἐςὶ Σαμαρείταις. *Rursus* πνεύματα, *Angelos, Dæmonas negant Sadducæi, Samaritæ fatentur.* Et potiores omnino rationes constant SCALIGERO, ut ex iis patet, quæ hactenus disseruimus.

Ad §. XVI. pag. 30.

(20) *Tres mutationis gradus*] Hos diligenter exposuimus *Crit. Sacr. P. II. cap. IV. §. II. p.* 588, 591. quibus quartum adjecimus *p.* 593. ex facie gentis & conditione hodierna; quibus nihil est, quod nunc adjiciamus.

Ad §. XVII. pag. 31.

(21) *Hyrcanus Sadducæus fuit*] Qua occasione, & ob quam causam, Hyrcanus, Rex & Pontifex, Pharisæis prius addictus, ad Sadducæorum transierit castra, legemque promulgari jusserit in hanc sententiam: כל מלמר אשר ילמר את בניו מתורת הפרושים מות ימות *quicunque filios suos juxta Pharisæorum legem instituerit, is morte mulctetur:* IOSEPHVS GORIONID. copiose exponit *lib. IV. cap. VI.*

Ibidem.

(22) EVSEBIVS *Hist. Eccles. lib. II. cap.* 23.] ubi de Anano juniore: αἵρεσιν δὲ μετῄει τὴν Σαδδουκαίων, οἵπέρ εἰσι περὶ τὰς κρίσεις ὠμοὶ παρὰ πάντας τοὺς Ἰουδαίους, *Sectam Sadducæorum sequebatur, qui quidem præ ceteris Judæis in judiciis exercendis immites sunt.* Refert autem ista EVSEBIVS ex IOSEPHI *libro XX.* ἀρχαιολογ. *cap.* 9. ubi iisdem verbis leguntur. De Hyrcano idem *lib. XIII. cap. X. §.* 6. commentatur, verum concisius, quam apud GORIONIDEM.

AD

LIB. I. CAPVT XII.

DE ESSENIS.

Pluribus de his egerunt ex Judæis, IOSEPHVS *Antiquitat. lib. XIII. cap. V. §.* 9. *Tom. I. p.* 649. & *lib. XVIII. cap. I. §.* 5. *p.* 871. & copiosius adhuc *de bello Jud. lib. II. cap. VIII. §.* 2. *Tom. II. Opp. p.* 160 *sqq.* PHILO, & quidem de Theoreticis, libro περὶ βίου θεωρητικοῦ, ἢ ἱκετῶν ἀρετῶν, *de vita contemplativa, seu supplicum virtutibus, Opp. p.* 688. (de quo disputant tamen eruditi, num de Judæis, annon potius in laudem Christianorum Alexandrinorum, sub Marco Evangelista, primoque eorum Episcopo, collectorum, conscriptus sit? quo nomine ab EVSEBIO, HIERONYMO & PHOTIO, magnopere commendatur:) de Practicis vero, libro περὶ τοῦ πάντα σπουδαῖον εἶναι ἐλεύθερον, *quod liber sit, quisquis virtuti studet, Opp. p.* 670. Ex Gentilibus PLINIVS *lib. V. Hist. Nat. c. XVII.* Ex Pontificiis NICOL. SERARIVS *lib. III. Trihæresii*, & *Minerval. lib. V. cap. I-VIII.* Ex Reformatis BASNAGE *in Annal. Politico Ecclesiast. A. ante Dom. II.* & *in Hist. & Relig. Judæor. lib. II. cap. XII. Tom. I. p.* 526. BVRMANN. *Synops. Theol. lib. IV. cap.* 39. *p.* 762. DRVSIVS *de trib. Sectis Jud. lib. IV. p.* 164. HOSPINIAN. *de Monach.*

nach. lib. I. cap. V. p. 9. HOTTINGER. *Thes. Philol. lib. I. Cap. I. Sect. V. p.* 38. & *Hist. Eccles. Nov. Test. Tom. I. p.* 10. LIGHTFOOT. *Chorogr. in Matth. cap. VI. Tom. II. Opp. p.* 174. HVMPHRED. PRIDEAVX *Histor. Jud. P. II. lib. V. Tom. IV. p.* 78. IOS. SCALIGER *in Elencho tribæresii Serar. cap. XXVI sqq. p.* 201. SPANHEM. fil. *Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. I. Opp. p.* 460 *sq.* Ex Nostris IOH. FRANC. BVDDEVS *Hist. Eccles. Nov. Test. Tom. II. p.* 1212. DEYLING diss. *de veterum Ascetis*, subjuncta *P. II. Observat. Sacr. p.* 441. WALTHER. *in Centur. Miscellan. Theolog. cap. LV. p.* 478. IOH. SAVBERT. *de Sacerdot. Hebr. cap. XXV. p.* 697. edit. Cren. & qui disputationibus Academicis hoc caput excusserunt, SONTAGIVS *in Enneade periocharum Philonian. de Therapevtis*, Altorfii, A. 1713. PFEIFFER. *de Tribæresio Judæorum Sect. III. pag.* 50. IOH. HELVIC. WILLEMER *de Essenis, Judæorum Ascetis*, Vitemb. 1680. PAVL. HEINIVS *de Therapevtis*, Lipsiæ, 1690. IOHANNES ISER, Suecus, *de veterum & recentium Hasidæorum parallelismo*, ubi Essæorum quoque cum Pietistis modernis collationem instituit, Altdorfii Noricor. A. 1708. Cumprimis IOH. IOACH. LANGIVS, Prof. Halensis, qui peculiari disputatione, Halæ, A. 1721. demonstrare annisus est, Essæos PHILONI memoratos, non fuisse Judæos, seu peculiarem Judæorum sectam: rursusque alia dissert. eodem anno, eosdem neque Judæos fuisse, neque Christianos, sed Philosophos Barbaricos Judaizantes, asseruit: cui FRID. CAROL. ZINCK *dissertationem historico criticam de Therapevtis*, Lipsiæ, A. 1724. opposuit, nec non HEVMANNVS *in Act. Philosoph. P. XVI. p.* 504. ubi Judaismum illorum ex PHILONE adstruxit. E contrario & Therapevtas PHILONIS, & Essæos, Christianos fuisse, atque ob hanc causam nusquam a Talmudistis, qui Sadducæos passim crepent, memoratos, diutissime autem pro parte Ecclesiæ Judaicæ habitos, & a sanandi dono celeberrimos fuisse, statuit G. G. ZELTNER. in disp. *de Josephi silentio historiæ Evangelicæ non noxio p.* 44. Quæ demum IOH. GEORGIVS WACHTERVS *in libris II. de Christianæ religionis primis incunabulis*, de illis senserit, ex MSCto auctoris exponit WOLFIVS *Biblioth. Hebr. Vol. IV. p.* 332. simul REIMMANNI atque HVMPHREDI PRIDEAVX laudabiles contra periculosissimam WACHTERI hypothesin, conatus recensens.

Ad §. I. pag. 31.

(1) *Eos a Syriaca voce* אסא *Asa*] Perquam implicata & varia est nominis Essæorum origo, de qua non convenit inter eruditos. REIZIVS *in Not. ad h. l.* tres in medium producit etymologias, ut dicantur vel ab עשה *facere*, quia fuerunt *πρακτικοὶ, operarii*; vel a חשה *siluit*, quia accumbentibus decem Essæis, nemo locutus est, invitis novem, aut, ut alii exponunt, quia a communis commercii motu & strepitu remoti egerunt; vel a חסה *confugere, recipere se*, quod se in secretiora & solitaria loca receperint: quæ tamen omnes alienæ sunt, & ingenii potius lusum, quam veros referunt natales. Mediam illam, a silentio petitam, magnus quidem tuetur SCALIGER *Elenchi cap. XXVI. p.* 204. cui Essæi חשאי cum adspiratione Hessæi dicendi sunt, *ἡσύχιοι, ἡσυχάζοντες, ἡσυχαςαί*. Quam autem communi fere consensu doctorum ista deferatur originatio, ex eo liquet, quod absque adspiratione, Essæi ubivis fere scribuntur & dicuntur, ut palmaria SCALIGERI ratio cesset, quam, cum ceteris, mascule prostravit WILLEMER. *cit. disp. p.* 24 *sq.* Cum cura in vocis etymon inquirens NICOL. FVLLERVS *lib. I. Miscellan. Sacr. cap.* 3. in ea demum sententia acquiescit, Essæos esse חסירים *Sanctos*, qui Syris, abjecta per apocopen litera ultima ד, dicantur. Eandem tamen SCALIGER in SERARIO adeo proscindit, ut nullis ferulis satis castigari posse, *Elencho tribæres. cap. XVII. p.* 125. tradat, & *cap. XXII. p.* 171. repetat. Provocat quidem FVLLERVS ad GORIONIDEM, qui *lib. IV. cap. VII.* exeunte, Essæos diserte החסירים *Chasidæos*, seu Sanctos dicat; unde MÜNSTERVS verba: וחסירים חלק אחר vertit: *fuit & alia Essenorum secta.* Sed

Sed vereor, ne fidem fallat IOSEPHVS ille. Duas nimirum ibi solum sectas Judæorum recenset, Pharisæos & Sadducæos. Hos itaque traditionum contemtores cum dixisset, illisque Cuthæos se adjunxisse memorasset, החסידים alteram constituisse partem, sive hæresin, affirmat, quam הפירושים *Pharisæos* esse, toties ibi perhibet; unde Sanctos hos, & avitarum traditionum tenaces appellat, quales Sadducæi non erant. Verum huic quoque objectioni remedium invenerunt sententiæ patroni, ita instituentes, ut Hasidæorum nomine non Pharisæi modo, sed Esseni quoque comprehendantur. Hoc enim nomine, Hasmonæorum temporibus, ii veniebant, qui mediis in persecutionibus, ab Antiocho Epiphane Græcisque illatas, præter חיוב *onera lege requisita*, alia pietatis exercitia ultro suscipiebant, & sponte sua in templum, sacrificia, Prophetarum sepulcra, aliasque res sacras, sumtus haud exiguos faciebant. Cum vero deinceps isti Hasidæi, ἐκϑσιαζόμενοι τῷ νόμῳ, spontaneo ausu assumtam illam רבית לתורה *supererogationem*, seu augmentum *legis*, tanquam remedium, ex mandato Dei ad salutem adipiscendam necessarium, urgerent; opposuerunt se illis Sadducæi, & peculiarem sectam constituerunt. Sed & Hasidæi, qui in ἐκϑσιασμῷ illo permanserant, in duas denuo scindebantur partes, in Φαρισαίϑς τε καὶ Ἐσσηνϑς· quorum illi, post tot molestias summa constantia exantlatas, in oppida, & ad templum, patriosque ritus sunt reversi, hi ad montana tantum loca, variamque superstitionem secedentes, peculiari Essenorum nomine, a Pharisæis pariter ac Sadducæis distinguebantur. Fac autem omnia recte se ita habere, eandem saltem sectæ originem, non nominis etymologiam habebis. Chassæi enim dicendi forent, non Essæi, vel, ut constanter legit IOSEPHVS, Ἐσσηνοί. Manet itaque ab Auctore tradita nominis derivatio eo firmior, quo luculentius suo illam calculo vel ipsi muniverunt alienæ sententiæ patroni, SCALIGER & FVLLERVS. Ex Hebræis eandem amplexi sunt R. ASARIAS *in Meor Enajim fol.* 33. *col.* I. & R. GEDALIA *in Schalschelet hakkabbala fol.* 33. *col.* I. Essæos איסיאי scribentes, & ab אסא, quod Chaldæo-Syris est, *sanavit, curavit*, Græcis ϑεραπεύειν, derivantes. Hinc אסי & אסיא *Medicus*, in Plur. אסיאין & אסיאי *Medici*, אסיא / אסות / אסותא & אסו *medicina, medela, curatio*. Artem Medicam enim eos excoluisse, indeque nomen ϑεραπευτῶν tulisse, tantum non omnes largiuntur. Saltem in eo dissensus est, num a curatione corporis, an animæ, ita fuerint dicti? Ad animam cumprimis PHILO refert, qui *de vita contemplativa, post init. p.* 688. ita commentatur: ἡ δὲ προαίρεσις τῶν Φιλοσόφων εὐθὺς ἐμφαίνεται διὰ τῆς προσρήσεως· ϑεραπευταὶ γὰρ καὶ ϑεραπευτρίδες ἐτύμως καλϑνται, ἤτοι παρ' ὅσον ἰατρικὴν ἐπαγγέλλονται κρείσσονα τῆς κατὰ πόλεις· ἡ μὲν γὰρ σώματα ϑεραπεύει μόνον, ἐκείνη δὲ καὶ ψυχὰς νόσοις κεκρατημένας χαλεπαῖς καὶ δυσιάτοις, ἃς κατέσκηψαν ἡδοναὶ καὶ ἐπιθυμίαι, λῦπαι καὶ Φόβοι, πλεονεξίαι τε καὶ ἀφροσύναι καὶ ἀδικίαι, καὶ τὸ τῶν ἄλλων παθῶν, καὶ κακιῶν ἀνήνυτον πλῆθος· ἢ παρ' ὅσον ἐκ Φύσεως καὶ τῶν ἱερῶν νόμων ἐπαιδεύθησαν ϑεραπεύειν τὸ ὂν, ὃ καὶ ἀγαθϑ κρεῖττόν ἐστι, καὶ ἑνὸς εἰλικρινέστερον, καὶ μονάδος ἀρχεγονώτερον. *Institutum hujus Philosophiæ mox apparet ex ipsis appellationibus. Vocantur enim Therapevtæ Therapevtridesque, hoc est, curatores & curatrices, vel cultores & cultrices vero nomine: vel quia profitentur medicinam præstantiorem ista vulgata, per oppida omnia. hæc enim medetur solis corporibus, illa & animas liberat morbis gravibus & adversus medelas contumacibus, quos inflixerunt voluptates, concupiscentiæ, dolores, timores, avaritiæ, insipientiæ, injustitiæ, & ceteræ perturbationes, vitiorumque agmen innumerabile: vel quia didicerunt a natura & e Sacris legibus, colere illud Ens, & bono melius, & uno sincerius, & unitate in generando antiquius, atque ut ita dicam, principalius.* Θεραπεύειν enim, & morborum depulsionem, & Numinis cultum, complectitur notione sua: hinc ab utraque nominis rationem arcessit. Iisque ex PHILONE repetitis adstipulatur, & calculum addit EVSEBIVS *lib. II. Hist. Eccl. cap. XVII.*

Sed cum sibilo exploditur hic PHILO a SCALIGERO *c. XXVI. p.* 202, cui alias quoque omnem prorsus Hebraismi & Syriasmi notitiam derogat, *homini Græce tantum loquenti, Hebraismi autem adeo imperito, ut dubitet, an etiam legere sciret Hebraice, qui utriusque linguæ imperitior fuerit, quam ullus Gallus aut Scytha. Hoc omnia ejus scripta passim loqui. Cap. XVIII. p.* 132. Et Numinis quidem colendi significatio a Syro verbo אסא omnino exulat: locus tamen eidem in Therapeutarum denominatione esse posset, si veritati responderent, quæ Dictator ille *p.* 202. nimis pro auctoritate pronunciat: *nomen illis ab Hellenistis Aegypti impositum. Ibi enim tantum hoc nomen habebant, & quidem Græcum, non in Palæstina.* Si enim in Græca tantum appellatione acquiescendum sit, quid prohibet, quo minus utraque vis verbi eidem inhæreat, maxime cum utraque colorem ex hominum istorum moribus & institutis trahat? Verum haud dubie ea nominis significatio obtinet, quam in Syriasmo æque ac in Græcismo habere potest, quæ medelam corporis innuit. Iidem quippe Essæi cum Therapeutis, quia utrique medicinam faciendo, nomen suum comprobabant. Id IOSEPHUS de ipsis testatur *lib. II. de B. J. cap. VIII. §.* 7: σπουδάζουσι δὲ ἐκτόπως περὶ τὰ τῶν παλαιῶν συγγράμματα, μάλιστα τὰ πρὸς ὠφέλειαν ψυχῆς καὶ σώματος ἐκλέγοντες· ἔνθεν αὐτοῖς πρὸς θεραπείαν παθῶν, ῥίζαι τε ἀλεξιτήριοι, καὶ λίθων ἰδιότητες ἀνερευνῶνται· *Mirabile autem studium collocant in veterum scriptis* pervolutandis, *ex quibus ea maxime deligunt, quæ animæ corporique conducant. Hinc diligenter investigant, & radices remediis afferendis idoneas, & lapidum proprietates, quibus medicinam morbis faciant.* Largitur hoc ipsis SCALIGER *p.* 202. *Revera enim θεραπευταὶ erant, non quod vitia animi, ut hariolatur ex* EUSEBIO *&* PHILONE, SERARIUS, *& nos quoque olim hanc insaniam insanivimus, sed corporis morbos curabant, & peritiam ὕλης ἰατρικῆς summam tenebant.* Consentit FULLERUS *cit. loco,* qui tamen addit: *Medicorum autem eam sectam, quam ἐμπειρικὴν vocant, quod experimentis tantummodo niterentur, eos potissimum secutos arbitror. Nam τήρησιν, maximam & præcipuam τῆς ἐμπειρίας partem, tanquam fundamentum posuisse videntur. Siquidem Antiquorum observationibus plurimum dediti, ad communem vitæ usum (a quo remotissima habebatur causarum naturalium scientia, difficilis quidem illa & obscura) omnia referebant.* Quæ vero minus apte IOSEPHO respondent, quando illos virtutem radicum & lapidum, quam ad rem Medicam afferant, sollicite scrutatos affirmat. Demum ab utraque, animæ simul & corporis medicina, dictos tuetur WILLEMER *disp. de Essenis cap. I. §.* 2. qui videatur: mihi nondum persuasit. Justo autem longius progressus EPIPHANIUS, Essæos, PHILONI memoratos, Iesæos appellatos tradit, sive a nomine Jesu, cujus essent discipuli, ἢ διὰ τὸ τῆς ἐτυμολογίας τοῦ ὀνόματος τοῦ Κυρίου· Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν Ἑβραϊκὴν διάλεκτον, θεραπευτὴς καλεῖται, ἤτοι ἰατρὸς καὶ σωτήρ. *sive ex notatione nominis, quo Dominus vocatus est. Jesus enim Hebraice Therapeutam, hoc est, Medicum ac Servatorem significat.* Qui inde manavit error, quod EUSEBIUM secutus EPIPHANIUS, Therapeutas severioris disciplinæ Christianos fuisse crediderit, quam controversiam paulo post discutiemus.

Ad §. II. pag. 31.

(2) Θεωρητικοὶ & πρακτικοί] Hæc Essenorum in duas velut familias distributio, copiosius infra §. XXIV. evolvitur: quo reservamus, quæ ad illam afferri possunt illustrandam.

Ad §. III. pag. cit.

(3) *Congruunt cum doctrina Pythagoræ*] Quod REIZIUS, *in suis ad hæc verba Auctoris Annotationibus,* ex IUSTINI *lib. XX. cap. IV.* testimonio, de Pythagoræ peregrinationibus conjectat, ipsum ex Aegypto in Chaldæam tendendo, Hebræos transiisse, & ab iis dogmata quædam suxisse, vel potius Babyloniæ apud Judæos, captivitate detentos, commoratum fuisse, in eo nos

nos facile habet consentientes. Quamvis enim de tempore, quo Philosophus claruit, non conveniat eruditis, & viri in Anglia doctissimi, RICHARD. BENTLEIVS, GVIL. LLOYDIVS, Episcopus Vigorniensis, & HENR. DODWELLVS, magno cum sententiarum divortio, in illud inquisiverint, vero tamen perquam est simile, cum in Olympiadis XLVIII. annum I. Chaldaica Vrbis ac Templi incidat destructio, juxta VSSERII calculum *Annal. Vet. Test. ad A. M.* 3416. *p.* 131. in quam etiam ætatem Scriptores veteres nativitatem Pythagoræ conjiciunt, ut Babylonem delatus Philosophus, captivos ibi Sacerdotes ac viros doctos Hebræorum convenerit, &, quæ ipsius erat discendi cupiditas, multa ab iis hauserit, quæ in suam deinceps transtulit Philosophiam, utut paulisper inflexa & depravata. Quin immo, cum Mosis eum discipulis fuisse congressum, HVETIVS persuasum habet *Dem. Evang. Prop. IV. cap.* 2. §. 8. ideoque IAMBLICHVM emendandum censet, & pro Μόχȣ Φυσιολόγȣ, cujus successoribus familiariter usum Pythagoram, IAMBLICHVS *de vita Pyth. lib. I. cap.* 2. memorat, Μόσχȣ, quod se in scriptis etiam Codicibus reperisse testatur, substituendum tradit, qui nempe Μόσχος ipsissimus sit Moses, משה / Judaici quondam populi Imperator. Idem inculcat Interpres IAMBLICHI, ARCERIVS, & SELDENVS *lib. I. de Jure N. & J. juxta Hebr. cap.* 2. Etsi vero SCHEFFERVS, STILLINGFLEETVS & MORHOFIVS, nimis lubrico hæc niti fundamento existimant, certum tamen est, CLEMENTEM ALEXANDRINVM & *lib. V. Stromat.* Pythagoræ apophthegmata ex Mosis hausta libris credidisse, & *lib. I. Stromat.* liquido testari, Pythagoram multa ex nostris transtulisse, in suorum dogmatum traditionem. Nec id abnuisse AMBROSIVM, ex *lib. III. ep.* 20. constat. Vide GROTIVM *de veritat. religion. Christ. lib.* I. *annot.* & SELDENVM *de Diis Syris Syntagm. II. cap.* I. qui mirificam illam Pythagoræ τετρακτὺν, ipsum Dei nomen esse τετραγράμματον suspicatur, cujus sibi a Daniele jam sene Pythagoras, cum in Babylonia degeret, notitiam compararit. De qua *Pythagoræ Tetracty*, peculiari A. 1637. conscripta dissertatione, præclaram navavit operam GODEFRIDVS WENDELINVS, laudatus eo nomine VOSSIO *de Philosoph. Sect. cap. VI.* §. 5. quam WENDELINI diatriben, notis illustratam, denuo prælo subjecit, & sub censuram disputatoriam vocavit, Gedani A. 1716. MICH. STOBAEVS, Gr. & Ling. Orient. Professor ordinarius: & recentissime commentatus est IOH. GEORG. MICHAELIS *Observat. Sacrar. Exercit. VIII. p.* 95 *sqq.* ubi Pythagoram de doctrina Trinitatis perspectum aliquid habuisse, illudque sub Tetracty sua latere voluisse, quam tamen de Trinitate ideam, cum sua de mundo ex Deo emanante, opinione confuderit, evincere allaborat. Quo autem pacto Fanaticis præluserit Pythagoras, suisque placitis ansam subministrarit Pseudo-Mysticis ac Paracelsistis, erudite COLBERG docuit *im Platonisch-Hermetischen Christenthum, P. I. cap. I.* §. 2. *pag.* 4 *sqq.* Quo etiam spectant, quæ singulis dissertationibus Academicis, *De ἀνόδῳ seu adscensu hominis in Deum Pythagorico*, D. IOH. FRIDEMANNVS SCHNEIDER, Halæ A. 1710, *De similitudine nostri cum Deo Pythagorico-Platonica*, M. IOH. MICH. SONTAG, Jenæ A. 1699, *De aureo femore Pythagoræ, ἀποθεώσεως ejus signo*, THEOD. CRÜGER, Vitembergæ A. 1723, tradiderunt. Sed hæc obiter, ac ὡς ἐν παρόδῳ.

Ad §. IV. pag. 31.

(4) *Docebant communionem bonorum*] A. GELLIVS *cit. loc. Omnes simul, qui a Pythagora in cohortem illam disciplinarum recepti erant, quod quisque familiæ pecuniæque habebat, in medium dabant, & colebatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod re atque verbo appellabatur κοινόβιον, vitæ fortunæque communitas.* LAERTIVS *in Pythag. lib. VIII.* ed. Henr. Stephani *p.* 312. εἶπέ τε πρῶτος (ὥς φησι Τίμαιος) κοινὰ τὰ φίλων εἶναι· καὶ φιλίαν ἰσότητα· καὶ αὐτȣ̃ οἱ μαθηταὶ κατετίθεντο τὰς ȣ̉σίας, εἰς ἓν ποιȣ́μενοι. *Primus autem*, TIMAEO *teste, amicorum*

corum omnia communia dixit, amicitiamque æqualitatem. Ipſius quoque diſcipuli facultates omnes in unum deponebant, communesque faciebant. Idem, cum ex IAMBLICHI *cap.* 17, 18 *&* 30. docuiſſet SCHEFFERVS *de Philoſ. Ital. p.* 155 *ſq.* & ultimo loco IAMBLICHVM perhibere vidiſſet, ſi cui in illa ſocietate perſiſtere non placeret, ei integrum fuiſſe, bona ſua, quæ in communionem intulerat, repetere, immo plura efferre; diſſidium inter GELLIVM, qui inſeparabilem dixerat ſocietatem, & inter IAMBLICHVM, qui pœnitudine ductis, ſeſe ſeparandi locum facit, oriturum ita componit, ut diſtinctionem admittat inter Pythagoreos, ſeu Mathematicos, & jam probatos, ac inſeparabiliter receptos, & inter Pythagoriſtas, h. e. Acuſmaticos, ac exiſtimat, habuiſſe omnes conſuetudinem, qui ſe in ſcholam dabant Pythagoricam, ut ſtatim bona ſua contribuerent in communionem, etiam priusquam plene, penitusque probati eſſent, ac recepti. Interea vero Acuſmaticos illos fas habuiſſe tentare, atque videre, utrum ſic vivere cum ceteris ex communibus poſſent, nec ne. Si difficile cenſerent, bona iſtos ſua recepiſſe bona fide, immo plura accepiſſe, quam contribuiſſent.

Ad §. IV. pag. 31.

(5) *Commune marſupium habebant etiam Eſſeni*] Teſte IOSEPHO *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 3. *p.* 161. Καταφρονηταὶ δὲ πλούτου, καὶ θαυμάσιον παρ᾽ αὐτοῖς τὸ κοινωνητικὸν, οὐδὲ ἔστιν εὑρεῖν κτήσει τινὰ παρ᾽ αὐτοῖς ὑπερέχοντα· νόμος γὰρ, τοὺς εἰς τὴν αἵρεσιν εἰσιόντας, δημεύειν τῷ τάγματι τὴν οὐσίαν· ὥστε ἐν ἅπασι μήτε πενίας ταπεινότητα φαίνεσθαι, μηδ᾽ ὑπεροχὴν πλούτου, τῶν δὲ ἑκάστου κτημάτων ἀναμεμιγμένων, μίαν ὥσπερ ἀδελφοῖς ἅπασιν οὐσίαν εἶναι. *Quin & divitias contemnunt, & admiranda plane inter eos obtinet bonorum communio, neque quisquam apud eos inveniri poteſt, qui plura aliis poſſideat. Lege ſancitur, ut qui iſti ſectæ nomen ſuum dare velint, facultates ſuas ſodalitio communes facerent: adeo ut inter omnes, neque egeſtatis humilitas, nec opum vis immodica appareat, ſed permixtis ſingulorum facultatibus, unum omnium ſit, tanquam fratrum patrimonium.* Quæ paulo poſt addit IOSEPHVS: χειροτονητοὶ δὲ οἱ τῶν κοινῶν ἐπιμεληταὶ, καὶ ἀδιαίρετοι πρὸς ἁπάντων εἰς τὰς χρείας ἕκαστοι, *deſignatos autem communium rerum procuratores habent; & ad uſus omnium ſingulos indiſcretos:* ex aſſe reſpondent iis, quæ SCHEFFERVS *p.* 157. ex IAMBLICHI *cap.* 17. de Pythagoricis monuit, ſuos habuiſſe bonorum adminiſtratores, πολιτικοὺς καὶ οἰκονομικοὺς dictos, per quos, quæ ad victum & neceſſitates ſingulorum requirebantur, procuraverint. Sed quando paulo aliter de ipſis prodidit PHILO *Opp. p.* 689. εἶτα διὰ τὸν τῆς ἀθανάτου καὶ μακαρίας ζωῆς ἵμερον τετελευτηκέναι νομίζοντες ἤδη τὸν θνητὸν βίον, ἀπολείπουσι τὰς οὐσίας υἱοῖς ἢ θυγατράσιν, εἴτε καὶ ἄλλοις συγγενέσιν, ἑκουσίῳ γνώμῃ προσκληρονομοῦμενοι, οἷς δὲ μὴ συγγενεῖς εἰσὶν, ἑταίροις καὶ φίλοις, *præ immortalis beatæque vitæ cupidine, quaſi jam hac mortali vita defuncti, facultates ſuas relinquunt liberis aut cognatis, ultro eis poſſeſſione cedendo, atque etiam ſociis & amicis, ſi cognati deſint:* ita conciliari poſſe utrumque exiſtimo, ut partem facultatum in commune contuliſſe, juxta IOSEPHVM credantur, reliquas autem fortunas, juxta PHILONEM, ſuis reliquiſſe neceſſariis.

Ad §. IV. pag. eand.

(6) *Neque vendunt, neque emunt*] Hæc & ſequentia, IOSEPHVS *cit. loc.* prodidit, cujus ſaltem verſionem dabimus: §. 4. *Illis non eſt una civitas certa, ſed domicilia habent multi in ſingulis: ac ſuæ ſectæ hominibus aliunde advenientibus, quicquid habent, æque patet, ac ſi eorum proprium eſſet, & ad eos, quos nunquam viderant, quaſi maxime familiares, ingrediuntur. Quare cum peregre proficiſcuntur, nihil omnino in victum tollunt; contra latrones tamen arma geſtant. In ſingulis vero civitatibus certus quidam hoſpitum curator conſtituitur, qui veſtes aliaque neceſſaria ſuppeditet. - - Nihil inter ſe emunt, nec vendunt*

quic-

quicquam; sed egenti unusquisque e suis largiens, vicissim ab eo, quod sibi usui sit, accipit: & si nihil mutuo rependant, eos tamen, a quibuscunque velint, accipere nihil vetat. Rursus §. 6. p. 162. *Et ceterorum quidem nihil est, quod sine curatorum mandato faciunt: duo autem ista in ipsorum potestate sunt, alios juvare, eorumque misereri. Nam dignis, quandocunque aliquid ab iis peterent, suo arbitrio cuique licet, ut & egentibus alimenta porrigere: sed cognatis aliquid donare, nisi jussu curatorum, non permissum est.*

Ad §. IV. pag. 32.

(7) *Thesaurarios & alios*] Hæc respondent illis, quæ de Pythagoricis SCHEFFERVS, de Essenis IOSEPHVS monuit, citati *Annotat. præced.* 4.

Ad §. IV. pag. eand.

(8) *Vitia & instrumenta luxuriæ evitabant*] Huc refer, quæ SCHEFFERVS *de Philos. Ital. p.* 843. fide Veterum tradit, & testimoniis firmat, Pythagoreos tam ab ovis abstinuisse, quod nutriant plurimum, & genituram uberem præbeant, & Venerem concitent, quam ab esu carnium cujuscunque animalis, quod earum esus corpus reddat obesum, & animum obtundat moleque sua obruat. Caute tamen addit, posteriorem de prohibitis carnibus legem, non omnes in universum Pythagoræ discipulos, sed Theoreticos solum summos obligasse. Ita restringit IAMBLICHVS *lib. I. cap.* 24: ἰδίᾳ τοῖς θεωρητικωτάτοις τῶν φιλοσόφων, καὶ ὅτι μάλιστα ἀκροτάτοις καθάπαξ περιῄρει τὰ περιττὰ, μηδὲ ἔμψυχον μηδὲν μηδέποτε ἐσθίειν εἰσηγούμενος. *proprie vero maxime theoreticis Philosophis, & maxime perfectis penitus interdixit* Pythagoras *usu superfluorum, neque animalibus cuiquam ex eis ullo tempore vesci permisit.* Idem PORPHYRIVS *de non edendis carnibus lib. I. cap.* 27. perhibet, diserte adjiciens, hanc legem *iis non* esse latam, *qui artes tractant illiberales, neque qui corpus exercent, non militibus, non nautis, non qui practicam, seu actuosam vitam susceperunt.* Vt carnium abstinentia non tam ad religionem, quam ad animi servandam videretur serenitatem. Idem de victu tenui & perquam modico Essenorum testatur PHILO *de vita contemplativa pag.* 691. ἐγκράτειαν δὲ ὥσπερ τινὰ θεμέλιον προκαταβαλόμενοι τῇ ψυχῇ, τὰς ἄλλας ἐποικοδομοῦσιν ἀρετάς. *Temperantiæ, tanquam fundamento in anima jacto, virtutes ceteras superstruunt.* Et paulo post *p.* 692. σιτοῦνται δὲ πολυτελὲς οὐδὲν, ἀλλὰ ἄρτον εὐτελῆ, καὶ ὄψον ἅλες, οὓς οἱ ἁβροδιαίτατοι παραρτύουσιν ὑσσώπῳ, ποτὸν ὕδωρ ναματιαῖον αὐτοῖς ἐστί. *In cibatu utuntur nullo pretioso, sed pane simplici, sal vicem supplet obsonii: qui delicatiores sunt, hyssopum pro condimento adjiciunt, potum e fluentis hauriunt.* ἃς γὰρ ἡ φύσις ὑπέστησε τῷ θνητῷ γένει δεσποίνας, πεῖνάν τε καὶ δίψαν, ἀπομειλίσσονται, τῶν εἰς κολακείαν ἐπιφέροντες οὐδὲν, ἀλλ' αὐτὰ τὰ χρήσιμα, ὧν ἄνευ ζῆν οὐκ ἔστι. *Contenti placare dominas, a natura mortalibus additas, famem sitimque, absque omnibus lenociniis fruuntur rebus, sine quibus vivere non licet.* IOSEPHVS de communi eorum convivio *lib. II. de B. J. cap. VIII.* §. 5. *p.* 162. verba faciens, ita habet: καθισάντων μεθ' ἡσυχίας, ὁ μὲν σιτοποιὸς ἐν τάξει παρατίθησιν ἄρτους, ὁ δὲ μάγειρος ἓν ἀγγεῖον ἐξ ἑνὸς ἐδέσματος ἑκάστῳ παρατίθησι. *Vbi placide & quiete consederint, pistor quidem panes suo cuique ordine apponit, coquus vero singulis unum pulmenti ejusdem vasculum apponit.* Hinc Idem §. 10. *p.* 164. longævos eos perhibet, ὡς τοὺς πολλοὺς ὑπὲρ ἑκατὸν παρατείνειν ἔτη, διὰ τὴν ἁπλότητα τῆς διαίτης καὶ τὴν εὐταξίαν, *ita, ut multi ultra centesimum annum extendant ætatem propter victus simplicitatem, & adhibitam ab illis moderationem.*

Ad §. V. pag. 32.

(9) *Oleum adeo fugiebant*] Ita fatur IOSEPHVS *c. l.* §. 3. *p.* 161. κηλῖδα δὲ ὑπολαμβάνουσι τὸ ἔλαιον, κἂν ἀλιφῇ τις ἄκων, σμήχεται τὸ σῶμα. *Labis instar oleum habent, & si quis vel invitus unctus fuerit, corpus abstergit.* Quale

quid de Pythagoreis proditum non memini. Præter luxum autem, ad quem olei usus apud Veteres spectabat, aliam hujus fugæ olei apud Essenos, rationem affert REIZIVS *in Not. ad Auctor.* quia Gentiles Diis infernalibus oleum consecrabant: noluisse ergo eo inquinari, quod Diabolo sacrum erat. De qua quid habendum, arbitrium esto penes Lectorem.

Ad §. VI. pag. 32.

(10) *Amabant vestes albas*] Hinc SOSICRATES apud ATHENAEVM *lib. IV. cap.* 18. Pythagoricos antiquos dicit λαμπρᾶ τε ἐσθῆτι ἀμφιενυμένες *veste splendida* & velut lucente *indutos*: IAMBLICHVS vero *lib. I. cap.* 21. ἐσθῆτι δὲ χρῆσθαι λευκῇ καὶ καθαρᾷ, *veste uti alba & munda*, jussos ceteros a Magistris, memorat. Lineum autem amasse vestitum, contra a laneo & pellibus contexto abhorruisse docet SCHEFFERVS *c. l. pag.* 150 *sq.* De Essenis vix commode conciliari potest IOSEPHVS *c. l.* §. 3. *pag.* 161. quando affirmat: τὸ γὰρ αὐχμεῖν ἐν καλῷ τίθενται, λευχειμονεῖν τε διαπαντὸς, *squalere honori ducunt, & veste candida semper indui.* Quo enim pacto cum sordibus candidæ convenit vesti? nisi ex subjecta ibidem nota dixeris: *squalorem decorem putant, dummodo semper in veste sint candida: squalorem, non secus ac perpetuum candidæ vestis usum, honori ducunt.* Mallem ego, per squalorem, mollitiem omnem & luxum vestium excludi, quo unctio pertinebat: hanc enim ea de causa repudiasse eos, mox tradiderat. Quam solennis autem & amplissimus, in omni antiquitate vestium candidarum fuerit usus, ad designandam 1) dignitatem & eminentiam, Genes. XLI, 42. Esth. VIII, 15. unde Principes ipsis חורים a חור *candido* dicti, & apud Romanos *Candidati*, qui honores & magistratus petebant. vid. CORN. A LAPIDE *Comment. in Esth. VIII,* 15. & PINEDA *in Cohel. IX,* 8. 2) sanctitatem & innocentiam, apud HESIODVM *Op. & D. v.* 197 *sqq.* quo passim referunt Interpretes, quod stola alba, licet per ludibrium, patiens indueretur Servator, de quo vide BYNAEVM in *Christo pat. Lib. III. cap. II.* §. 10, 11. *p.* 78 *sqq.* 3) lætitiam, unde publicas festivitates albati celebrabant, & in nuptiis cumprimis vestibus albis locus erat, ut IOH. IANZONIVS docet *heilige Uitspanningen Tom. I. p.* 172: notius est, quam ut prolixa egeat probatione.

Ad §. VI. pag. ead.

(11) *Non mutarunt eam*] IOSEPHVS ita effert: ὔτε δὲ ἐσθῆτας, ὔτε ὑποδήματα ἀμείβεσι, πρὶν ἢ διαῤῥαγῆναι τὸ πρότερον παντάπασιν, ἢ δαπανηθῆναι τῷ χρόνῳ. *Nec vestem, nec calceos mutant, donec priora vel discissa omnino fuerint, vel vetustate detrita.*

Ad §. VII. pag. cit.

(12) *Jurejurando interdicunt*] De Pythagora LAERTIVS *in vita*, edit. Henr. Stephani *p.* 316. μηδὲ ὀμνύναι θεὺς· ἀσκεῖν γὰρ αὐτὸν δεῖν ἀξιόπιστον παρέχειν. *Jurare per Deos vetabat; quemque enim id studiose curare oportere, ut ex vitæ merito sibi fides haberetur.* De Essenis IOSEPHVS *c. l.* §. 6. *p.* 162. πᾶν τὸ ῥηθὲν ὑπ' αὐτῶν ἰσχυρότερον ὅρκυ· τὸ δὲ ὀμνύειν αὐτοῖς περιΐσταται, χεῖρόν τι τῆς ἐπιορκίας ὑπολαμβάνοντες· ἤδη γὰρ ἤδη κατεγνῶσθαι φασὶ τὸν ἀπιςύμενον, δίχα Θεῦ. *Quicquid ab ipsis dictum, firmius est jurejurando: jurare autem ipsis supervacuum est, ita ut perjurio pejus æstiment. jamjam enim eum damnatum dicunt, cui absque Deo nequaquam creditur.* Ipsi tamen alios, ad se accedentes, nomenque societati suæ dantes, juramenti religione obstringunt, teste eodem §. 7. *p.* 163. πρὸς τύτοις, ὀμνύυσι, μηδενὶ μὲν μεταδῦναι τῶν δογμάτων ἑτέρως, ἢ ὡς αὐτὸς μετέλαβεν· ἀφέξεσθαι δὲ λῃςείας, καὶ συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα. τοιύτοις μὲν ὅρκοις τὺς προσιόντας ἐξασφαλίζονται. *Præterea, jurant quisque, nemini quidem se aliter dogmata proditurum, quam ipse acceperit: se vero abstenturum latrociniis, parique reverentia servaturum sectæ suæ libros & Ange-*

Angelorum nomina. Hujuscemodi quidem juramentis ad cœtum suum venientes, sibimet devinciunt.

Ad §. VIII. pag. 32.

(13) *Eximie venerabantur suos Seniores*] LAERTIVS inter præcepta Pythagoræ *c. l. p.* 316. cumprimis refert: τὰς τε πρεσβυτέρους τιμᾶν δεῖν· τὸ προηγούμενον τῷ χρόνῳ τιμιώτερον ἡγουμένους. ὡς ἐν κόσμῳ μὲν, ἀνατολὴν δύσεως. ἐν βίῳ δὲ ἀρχὴν τελευτῆς· ἐν ζωῇ δὲ, γένεσιν φθορᾶς. *Seniores honorandos; quod tempore præcederet, honorabilius existimantes; quemadmodum in mundo occasu ortum; in seculo principium fine; in vita autem generationem corruptione.* De Essenis pariter IOSEPHVS *c. l.* §. 9. *p.* 164. τοῖς δὲ πρεσβυτέροις ὑπακούειν, καὶ τοῖς πλείοσιν, ἐν καλῷ τίθενται· *ætate grandioribus, numeroque majoribus obtemperare, pulchrum esse ducunt:* idque adeo inquit, ut cum decem consederint, uni alicui fas non sit loqui, si nolint novem. Senectutem tamen non ætatis metiuntur annis, sed quam in secta illa traxerunt moræ, diserte hoc docente PHILONE *cit. loc. p.* 695. πρεσβυτέρους γὰρ, οὐ τοὺς πολυετεῖς καὶ παλαιοὺς νομίζουσιν, ἀλλ' ἔτι κομιδῇ νέους παῖδας, ἐὰν ὀψὲ τῆς προαιρέσεως ἐρασθῶσιν, ἀλλὰ τοὺς ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐνεβήσαντας τῷ θεωρητικῷ μόρει φιλοσοφίας, ὃ δὴ κάλλιστον καὶ θειότατόν ἐστι· *Nec enim Seniores ex annis æstimant, sed quantumlibet grandævos habent pro pueris, si sero institutum hoc complexi sunt, honorem vero senectutis tribuunt his, qui exercuerunt se a juventute in hac pulcherrima divinaque parte contemplativæ philosophiæ.*

Ad §. VIII. pag. cit.

(14) *In quatuor ordines*] Hæc ad verbum deprompta sunt ex IOSEPHI *c. l.* §. 10. *p.* 164. ubi ita leguntur: διῄρηνται δὲ, κατὰ χρόνον τῆς ἀσκήσεως, εἰς μοίρας τέσσαρας· καὶ τοσοῦτον οἱ μεταγενέστεροι τῶν προγενεστέρων ἐλαττοῦνται, ὥστε εἰ ψαύσειαν αὐτῶν, ἐκείνους ἀπολούεσθαι, καθάπερ ἀλλοφύλῳ συμφυρέντας. *Distincti autem sunt, juxta tempus, quo sese* in ista disciplina *exercuerunt, in quatuor classes: atque juniores adeo senioribus inferiores habentur, ut si aliquos eorum forte contigerint, illi, ac si alienigenæ sese commiscuissent, semet abluant.*

Ad §. IX. pag. 32.

(15) *Pythagorici aquam potabant*] Quare IAMBLICHVS *lib. I. cap. XVI.* ἀοινίαν καὶ ὀλιγοσιτίαν, *vini abstinentiam & ciborum paucitatem* ipsis tribuit, quod vinum, victusque abundantia, rationi vim inferant, mentisque sinceritati ac integritati officiant. Sed discrimen hic probe observavit SCHEFFERVS *cap. XIV. de Philosoph. Ital. pag.* 149. & Contemplativos solum a vino abstinuisse, qui integritati mentis puritatique maxime studebant, ceteris vero vini usum integrum fuisse, idoneis documentis evicit. Confer huc IOH. LVDOV. BOYE dissert. *de legibus cibariis & vestiariis Pythagoræ, earumque caussis*, Jenæ 1711. §. 18. De Essenis pariter PHILO *c. l. p.* 696. οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἁβροδιαίτοις. - - οἶνος μὲν γὰρ, ἀφροσύνης φάρμακον. *Vinum per illos dies,* quos festos agunt, quinquagesimos quosque post septem hebdomadas, quibusque communi utuntur convictu, *non præbetur, sed aqua limpidissima, ceteris frigida, calida vero his, qui inter seniores tractantur delicatius. - - Nam vinum habent pro veneno, afferente dementiam.* Sed & ante hæc *p.* 692. ubi de victu ipsorum tenui agit, ποτὸν ὕδωρ ναματιαῖον αὐτοῖς ἐστιν, inquit, *potum e fluentis hauriunt.*

Ad §. X. pag. cit.

(16) *Vtebantur sacrificiis inanimatis*] Ita LAERTIVS *in Pythag. p.* 315 *sq.*: θυσίαις τε ἐχρῆτο ἀψύχοις· οἱ δέ φασιν, ὅτι ἀλέκτορσι μόνον καὶ ἐρίφοις, καὶ γαλαθηνοῖς, τοῖς λεγομένοις ἀπαλίαις, ἥκιστα δὲ ἄρνασιν. *Sacrificiis utebatur*

tur inanimis. Sunt, qui dicant, ſolis gallis gallinaceis, & hœdis etiam lacteolis, quos teneros dicunt: agnis autem minime. Quæ quomodo conciliari poſſint, alii viderint. Hoc certatim Veteres produnt, ſacrificiorum rationem ipſum ab Aegyptiis & Chaldæis hauſiſſe, docente SCHEFFERO *p.* 20 *ſq.* 26. Quin & eundem hecatomben immolaſſe LAERTIVS perhibet *p.* 313. cum inveniſſet trianguli, quod ὀρθογώνιον appellant, ſubjectum latus tantumdem valere, quantum quæ illum continerent. Quæ omnia, ab animatis ſacrificiis eum abhorruiſſe, negant. Rurſus vero *p.* 316. fertur, σφάγιά τε θεοῖς προσφέρειν κωλύειν, μόνον δὲ τὸν ἀναίμακτον βωμὸν προσκυνεῖν, *cruentas hoſtias Diis offerri prohibuiſſe, ſolamque aram, quæ eſſet ſine ſanguine, adorandam* præcepiſſe. De Eſſenis teſtis eſt IOSEPHVS *lib. XVIII. Antiqu. cap. I. §.* 5. εἰς τὸ ἱερὸν ἀναθήματά τε ςέλλοντες, θυσίας ἐκ ἐπιτελȣ̃σι διαφορότητι ἀγνειῶν ἃς νομίζοιεν, καὶ δι᾽ αὐτὸ εἰργόμενοι τȣ̃ κοινȣ̃ τεμενίσματος, ἐφ᾽ αὐτῶν τὰς θυσίας ἐπιτελȣ̃σι. *In templum autem donaria dum mittunt, ibi ſacra non faciunt, propterea quod luſtrationes habeant ſanctiores; hac de cauſa communi delubro arcentur; & ſacra ſua ſeorſim faciunt.*

Ad §. XI. pag. 32.

(17) *Fatum in omnibus rebus*] In Pythagoræ placitis denuo LAERTIVS *p.* 318. habet: διὸ καὶ προνοεῖσθαι τὸν θεὸν ἡμῶν· εἱμαρμένην τε τῶν ὅλων εἶναι, καὶ τὰ κατὰ μέρος, αἰτίαν τῆς διοικήσεως· hominibus cum Diis eſſe cognationem, *unde & Deum noſtri providentiam gerere. Fatum quoque omnium, & eorum quæ ſunt, per partes adminiſtrandorum cauſam eſſe.* Triplicem autem, quam Auctor profert, trium apud Judæos ſectarum de Fato ſententiam IOSEPHVS *lib. XIII. Antiqu. cap. V. §.* 9. his verbis complectitur: οἱ μὲν ȣ̃ν Φαρισαῖοί τινα, καὶ ȣ̓ πάντα τῆς εἱμαρμένης εἶναι λέγȣσιν ἔργον, τινὰ δ᾽ ἐφ᾽ ἑαυτοῖς ὑπάρχειν, συμβαίνειν τε καὶ ȣ̓ γίνεσθαι. Τὸ δὲ τῶν Ἐσσηνῶν γένος πάντων τὴν εἱμαρμένην κυρίαν ἀποφαίνεται, καὶ μηδὲν ὃ μὴ κατ᾽ ἐκείνης ψῆφον ἀνθρώποις ἀπαντᾷ. *Et quidem Phariſæi dicunt, quædam* eorum quæ fiunt, *non omnia, fati eſſe opera, eſſe enim & quædam in noſtra poteſtate, ut fiant, aut non fiant. Eſſeni vero omnia in fati poteſtate eſſe affirmant, nec quicquam hominibus præter fati decretum accidere.* Ejusdem de Sadducæorum doctrina teſtimonium ſupra jam *Cap. præc. Annot.* 13. citavimus; nec eſt, quod hic repetamus.

Ad §. XII. pag. 32.

(18) *Verba facere in ſchola quinque primis annis*] Sic denuo LAERTIVS *c. l. p.* 312. de diſcipulis Pythagoræ verba faciens: πενταετίαν τε ἡσύχαζον, μόνον τὸν λόγον κατακȣ́οντες, καὶ ȣ̓δέπω Πυθαγόραν ὁρῶντες, εἰς ὃ δοκιμασθεῖεν. τȣ̓ντεῦθεν δὲ ἐγίνοντο τῆς οἰκίας αὐτȣ̃, καὶ τῆς ὄψεως μετεῖχον. *Quinquennium totum ſilebant, ſolum quæ dicerentur, audientes, ac donec probarentur, nunquam Pythagoram videntes. Hinc jam ad domum ipſius, adſpectumque admittebantur.* De iſta Pythagoreorum ἐχεμυθίᾳ *ſilentio* SCHEFFERVS *cap. XII. p.* 114 *ſqq.* copioſe agit, eamque obſervat geminam fuiſſe, alteram probatoriam ac præparatoriam, vel quinque, vel minus annorum, diſerte perhibente A. GELLIO *lib. I. Noct. Att. cap.* 9. *Jubebat certum tempus tacere, non omnes idem, ſed alind alios tempus, pro æſtimato captu ſollertiæ, ſed non minus quisquam tacuit, quam biennium:* alteram totam & omnimodam per omnem vitam, qua exteros profanosque omnes celabant, quæ ſectæ ſuæ præcepta eſſent, vitæque inſtituta. De priori h. l. ſermo potiſſimum eſt. De Eſſenorum ſilentio PHILO *c. l. pag.* 691. tradit, quod ſex diebus in ſuo quisque σεμνείῳ ſeu ædicula ſacra ſolitarie agant, ſeptimo autem die in cœtum communem conveniant, & poſtquam juxta ætatis ordinem modeſte accubuerunt, natu maximus & in eorum placitis verſatiſſimus in medio reliquorum verba faciat, καθ᾽ ἡσυχίαν δὲ οἱ ἄλλοι πάντες ἀκροῶνται τὸν ἔπαινον, νεύμασιν ὄψεως ἢ κεφαλῆς παραδηλȣ̃ντες αὐτὸ μόνον, *reliqui omnes auſcultent*

ſcultent per ſummum ſilentium, annutantes oculis tantum, aut capite. Rurſus *p.* 696. ubi docentem perhibuit, totum, pergit, auditorium attentum auſcultat in uno eodemque habitu, τὸ μὲν συνιέναι καὶ κατειληφέναι, νεύματι καὶ βλέμματι διασημαίνοντες· τὸν δὲ ἔπαινον τοῦ λέγοντος ἱλαρότητι, καὶ τῇ σχέδην περιαγωγῇ τοῦ προσώπου, τὴν δὲ διαπόρησιν, ἠρεμαιοτέρᾳ κινήσει τῆς κεφαλῆς, καὶ ἄκρῳ δακτύλῳ τῆς δεξιᾶς χειρὸς, *intelligere ſe nutu vultuque indicans, probare vero hilaritate, ac exporrectis frontibus, interdum & dubitare hærereque, moto leniter capite, ſummoque dextræ digito.* Pariter IOSEPHVS *lib. II. de bello Jud. cap. VIII.* §. 5. de illis teſtatur: οὐδὲ κραυγή ποτε τὸν οἶκον, οὔτε θόρυβος μολύνει, τὰς δὲ λαλιὰς ἐν τάξει παραχωροῦσιν ἀλλήλοις καὶ τοῖς ἔξωθεν, ὡς μυστήριόν τι φρικτὸν, ἡ τῶν ἔνδον σιωπὴ καταφαίνεται. *Neque vero clamor unquam, aut tumultus domum contaminat, ſed loquendi vices ordine alii aliis concedunt: illisque, qui foris ſunt, horrendi inſtar myſterii videtur ſilentium eorum, qui intus ſunt.* Quæ vero Idem *c. l.* §. 9. de illis teſtatur, δέκα γοῦν συγκαθεζομένων, οὐκ ἂν λαλήσειέ τις ἀκόντων τῶν ἐννέα. *cum decem conſederint, non eſt ut unus aliquis loquatur, ſi novem inviti fuerint:* ea rectius a IOSEPHO, ad reverentiam ſenioribus habitam, quam ad ſilentii ſtudium cum Auctore noſtro, & DRVSIO, referuntur.

Ad §. XIII. pag. 33.

(19) *Eſſenorum initiatio*] Hanc initiandi rationem IOSEPHVS *cit. loc.* §. 7. prolixe deſcribit, cujus ſolum dabimus verſionem: *Porro ei, qui hujus ſectæ ſtudio tenetur, non continuo patet ingreſſus, ſed foris annum integrum manenti, genus idem vitæ præſcribunt, & dolabellam, & cingulum, & veſtem candidam tradunt. Poſtquam vero hoc temporis intervallo continentiæ ſuæ documenta dederit, propius quidem ad inſtituti communionem accedit, ac purioribus aquis, una cum ceteris, luſtrari incipit: necdum tamen ad convictum admittitur, nam per duos ulterius annos, poſtquam tolerantiam ſuam palam fecerit, mores ejus explorant: & ſi dignus apparuerit, tum demum in conſortium admittitur. Priusquam vero communem cibum attingat, horrendis ſemet illis juramentis adſtringit: primum quidem, pie ſe culturum Deum: deinde & jus ſervaturum cum hominibus: & neque ſe læſurum quenquam, ſive ſponte, ſive ex imperato; injurioſos vero omnes odio perpetuo habiturum, & juſtis adjutorem fore.* &c. Eadem fere ex IOSEPHO repetit PORPHYRIVS TYRIVS libro *de abſtinentia*, quem evolvat, qui cupit. Conſentit GEORGIVS CEDRENVS *in Compend. Hiſtor.* edit. Pariſ. *pag.* 199. Juvat autem Hebræum audire teſtem, R. ABRAHAMVM ZACHVT, Salmanticenſem, cujus in libro *Juchaſin fol.* קלט. *col.* 2. verba ita habent: כאשר ירצה אדם להכנס במנהגם אינם מקבלים אותם תכף ומיד רק מאכילים ומשקים אותו שנה תמימה ונותנים בידם קרדום אחר ומלבישים אותם מלבוש לבן ואחר עבור שנה שרואים שיש לו מרות טובות מביאים אותו ביניהם ומלמדים אותם להטביל כדי שיתנהגו להיותם פרושים ואחר שתי שנים מכניסים אותם ביניהם וקודם שיאכלו עמהם משביעים אותם שיכבדו את תשם יתברך על כל הנמצאות ושיתנהגו עם הכל במשפט באמת ובצדקה וגם ישנאו את הרשעים: *Cum aliqui ritum Eſſenorum ingredi volunt, non e veſtigio recipiunt eos, ſed cibum potumque per integrum annum illis præbent, dataque in manum ſecuri quadam, indumento candido induunt illos. Finito anni ſpacio, ubi mores probos cognoverint, in medium ſui adducunt illos, docentque lotiones, ut ſejuncti ſeu ſancti eſſe adſueſcant. Poſtea, abſoluto biennio, demum in cœtum ſuum introducunt, & antequam cum illis comedant, eos adjurant, quod ſupra omnes res honorare Deum glorioſum, cum omnibus honeſte, ſincere, & juſte vivere, improbos vero odio proſequi velint.* Conſpirant ergo in triennio præparationis auctores probati & veteres, ut fruſtra ſint NICOL. SERARIVS *Lib. III. Tribær. cap. IV. p.* 217. & ALEX. ROSSAEVS *Libro de Religionib. orb. p.* 34. quando probationi novitiorum apud Eſſenos integros quatuor annos largiuntur.

Ad §. XIV. pag. 33.

(20) *Jusjurandum violat*] IOSEPHVS *loco citato* §. 8. ita habet: τὰς δὲ ἐπ' ἀξιοχρέοις ἁμαρτήμασιν ἁλόντος, ἐκβάλλουσι τοῦ τάγματος· ὁ δὲ ἐκκριθεὶς, οἰκτίστῳ πολλάκις μόρῳ διαφθείρεται. Τοῖς γὰρ ὅρκοις καὶ τοῖς ἔθεσιν ἐνδεδεμένος, οὐδὲ τῆς παρὰ τοῖς ἄλλοις τροφῆς δύναται μεταλαμβάνειν, ποηφαγῶν δὲ καὶ λιμῷ τὸ σῶμα τηκόμενος διαφθείρεται· διὸ δὴ πολλοὺς ἐλεήσαντες ἐν ταῖς ἐσχάταις ἀναπνοαῖς ἀνέλαβον, ἱκανὴν ἐπὶ τοῖς ἁμαρτήμασιν αὐτῶν τὸν μέχρι θανάτου βάσανον ἡγούμενοι. *Deprehensos vero in peccatis gravioribus ex ordine suo ejiciunt, isque cui contigit, e cœtu ejici, non raro mortem obit miserrimam. Nam juramentis & ritibus obligatus, ne aliorum quidem escis uti potest; sed dum herbas comedit, corpus fame tabescit, atque ita interit. Quam ob rem etiam ipsi plurimos miserati, extremum jam agentes spiritum receperunt; pro peccatis satis pœnarum, quod ad mortem usque fuerint cruciati, dedisse existimantes.* Tanti constitit, juratam in initiatione fallere fidem, & tam misera eos, quos excommunicaverant, sors manebat. Quod autem de centenario judicum numero Auctor addit, pariter ex IOSEPHO hausit, qui statim post allegata verba, §. 9. ita pergit: *judicia autem accuratissime exercent, & juste: & judicant quidem centeni ad minimum congregati: quod vero ab iis semel decretum fuerit, fixum manet & immobile.*

Ad §. XV. pag. cit.

(21) *Adoravere adversus Solis ortum*] Vereor, ut quotidianus & perpetuus ex PHILONIS testimonio exsculpi queat ritus, quando, post peractum commune epulum solenne, noctemque hymnis & piis colloquiis transactam, *sub fin. libri cit. p.* 698. eos memorat longe excitatiores, appetente die, τὰς δὲ ὄψεις καὶ ὅλον τὸ σῶμα πρὸς τὴν ἕω στάντες, ἐπὰν θεάσωνται τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα, τὰς χεῖρας ἀνατείναντες εἰς οὐρανὸν, εὐημερίαν καὶ ἀλήθειαν ἐπεύχονται, καὶ ὀξυωπίαν λογισμοῦ· *verso ad auroram vultu, totoque corpore, quamprimum solem orientem aspiciunt, felicem diem, & veritatem, perspicacemque mentem sibi comprecantur.* IOSEPHVS autem §. 4. ita habet: πρός γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς· πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι· *ceterum erga Deum pietate sunt singulari: nihil enim profani ante solis ortum loquuntur, sed patria quædam vota ei nuncupant, quasi ut illucescat, obsecrantes.* Quæ fidem fere faciunt, solem orientem ipsos adorasse; cujus criminis reos peragit REIZIVS *in suis ad h. l. Auctoris annotat.* Quos tamen cum Judæos cogito, Codicem Sacrum diurna nocturnaque manu versantes, & illo quidem tempore florentes, quo gens ista a creaturarum cultu vel maxime erat aliena, ab idololatria quidem facile dixero immunes. Nec PHILONIS verba hanc ipsis maculam adspergunt, quibus non solem adorasse, sed ad orientis solis conspectum, sibi mutuo fausta quævis comprecatos, testatur. Et hoc ipsum erat *patrium* illud *carmen*, IOSEPHO memoratum. Vnde quoque vir apprime doctus, DE BEAVSOBRE *in Histor. dogmatum Manich. lib. IX. cap. I.* §. 13. *p.* 601. suscepto Essenorum patrocinio, a religioso solis cultu liberos pronunciat, & IOSEPHVM rite exponendum docet. Pariter SAM. PETITVS *Var. Lect. cap.* 21. eos ab idololatriæ crimine absolvit, lectionem apud IOSEPHVM in mendo jacere causatus, & loco, εἰς αὐτὸν, scil. τὸν ἥλιον, legendum monens εἰς αὐτὸ, nempe τὸ θεῖον, quod præcesserat. Demum BASNAGIVS *Hist. Jud. lib. II. cap. XII.* §. 17. mediam ingreditur viam, Essenos solem quidem adorasse negans, eo quod infensissimi idololatriæ osores, IOSEPHVS & PHILO, tantis ipsos encomiis nunquam mactassent, si cælicolis annumerandi fuissent; insignem tamen precibus versus solem fusis superstitionem admiscuisse largitus, quod, IOSEPHO teste, *solem quasi obsecraverint*, ut illucescat. Ceterum trita hæc olim erat calumnia Heliolatrias, qua primis quoque Christianis invidiam conciliare nitebantur Gentiles, quorum tamen causam TERTVLLIANVS,

NVS, aliique Ecclesiæ Doctores graviter perorarunt: ut in compendio docuit IOACHIM. HILDEBRANDVS *in rituali orantium cap. I. §. X sqq.* Potiori jure VOSSIVS *de Idololatria lib. II.* Solis cultum tribuit Persis *cap. IX. p.* 178 *sqq.* Emessenis *cap. V. pag.* 169. Phœnicibus & Syris mediterraneis, *c. V. p.* 168. Assyriis & Babyloniis *p.* 169. Arabibus, Moabitis, & Madianitis *c. VII. p.* 172. *c. VIII. p.* 181. Aethiopibus *p.* 184. Marmaricis & Ammonitis *ibid.* Pœnis *p.* 186. Græcis & Romanis *cap. XII. XIII. XIV. XV. XVI.* denique gentium aliis toto pene orbe *c. XVII. p.* 198 *sq.* Bene quidem memini, virum in linguis Orientis versatissimum, THOMAM HYDE *in Historia religionis veter. Persarum cap. I. p.* 9 *sqq.* omnem movere lapidem, ut hanc a Persis maculam abstergat, & turpi, cultus civilis cum adoratione religiosa, confusioni acceptam referat; quo colore a pyrolatria ipsos pariter absolvit *p.* 10 *sq.* Achille tamen vix alio, quam modernorum Persarum confessione nititur, quæ forte sanior est, quam priscorum praxis antecessorum. Attamen, quando *p.* 22. diserte perhibet: *Et quidem de eis peculiariter notari debet, quod veterum Persarum ecclesia & gens, sola sit & in toto terrarum orbe unica, quæ (excepta Israelitarum & Judæorum linea sacra) continuo & constanter, a suis primordiis seu incunabulis, & ab ipso diluvio ad hoc usque tempus, veri Dei notitiam & cultum, semper sine ulla temporum interruptione, retinuerit & adhuc retineat:* facile hinc colligitur, veteres ipsum æque ac recentiores Persas, ab omni Heliolatriæ labe liberare anniti. Hæc Helena est, quam universo isto, cetera doctissimo, commentario adornat & pingit. Idem tamen licet persuaserit laudato supra DE BEAVSOBRE, *c. l.* §. 12. *pag.* 599 *sq.* qui quidem vix aliis, quam HYDII armis ad defendendos Persas utitur, vereor ut eruditis ceteris persuadeat, testimonia Veterum æqua ponderantibus lance. Disparem enim Persarum ac Essenorum, in hac causa, rationem esse ad oculum patet. Quæ, licet ab Essenis aliena, dividiæ tamen non fuerit, in medium attulisse.

Ad §. XVI. pag. 33.

(22) *Ad servandum nomina Angelorum*] Ita quoque Angelolatriam ipsis impingit Auctor. Verba IOSEPHI ita habent: Juramento eos obstringi συντηρήσειν ὁμοίως τά τε τῆς αἱρέσεως αὐτῶν βιβλία, καὶ τὰ τῶν ἀγγέλων ὀνόματα, *pari reverentia se servaturos sectæ suæ libros, & Angelorum nomina,* loco supra cit. §. 7. Velut autem de veneratione aut cultu Angelorum, IOSEPHVS ne somniando quidem cogitavit, multo minus prodidit, sed nomina Angelorum æque ac libros suos, exteris & alienæ sectæ hominibus, non propalaturos, sed sibi servaturos, in se recepisse perhibet: ita IACOB. ODE *Commentar. de Angelis Sect. IX. cap. IV.* §. 9. *p.* 947. per Angelos non Spiritus, sed vel Præsides conventuum suorum publicorum, vel Emissarios aliunde ad ipsos, prope Alexandriam, accedentes, vel denique Ἀρχηγέτας ac Statores sectæ suæ, intelligendos esse erudite contendit, quorum nomina in vulgus spargere nefas fuerit, forsitan ut non ab instituti sui auctoribus invisum quod traherent nomen, sed a sanctimonia vitæ Esseni vocarentur. In quibus, ut veritati consentaneis, hactenus acquiescimus.

Ad §. XVII. pag. citat.

(23) *Solliciti erant in observando Sabbatho*] Quod probe observat Auctor, geminum ipsos servasse Sabbathum, ordinarium dierum, & magnum septimanarum, prius ex legis præscripto, posterius ex instituti sui superstitione; id quidem IOSEPHI nititur ac PHILONIS fide. Prior *lib. II. de B. J. cap. VIII.* §. 9. testatur: ταῖς ἑβδομάσιν ἔργων ἐφάπτεσθαι, διαφορώτατα Ἰουδαίων ἁπάντων. οὐ μόνον γὰρ τροφὰς ἑαυτοῖς πρὸ ἡμέρας μιᾶς παρασκευάζουσιν, ὡς μηδὲ πῦρ ἐνάυοιεν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, ἀλλ᾽ οὐδὲ σκεῦός τι μετακινῆσαι θαῤῥοῦσιν, οὐδὲ ἀποπατεῖν. *Sabbathis manum operi admovere,* fugiunt *maxime omnium Judæorum. Nam non solum pridie ejus diei cibum sibi præparant, ut illo die ignem non accendant;*

dant; sed neque vas ullum loco movere audent, nec alvum exonerare. Die sexto cibos parare, & ignem Sabbatho non accendere, commune erat omnium Judæorum, & diserte præscriptum Exod. XVI, 23. XXXV, 3. item onus non tollere Jer. XVII, 22. & ab opere famulo abstinere Exod. XX, 9. Num. XXVIII, 18. Sed nec vasculum transferre, nec exonerare ventrem, utrumque Essenorum peculiare. Postremæ illius superstitionis causam SCALIGER *Elenchi cap.* 28. *p.* 230 *sq.* in eo ponit, quod alvum exoneraturi Esseni, legem priscam Devter. XXIII, 12, 13. de paxillo & de scrobicula fodienda, presse observarent. In Sabbatho autem cum σκεῦος tollere, aut transferre ipsis non liceret, σκαλίδα quoque, sive sarculum gestare nefas habebant, quo scrobiculam deprimerent, in quam egererent. Alias enim nullum tam joculare extabat ipsis præceptum, quo alvum Sabbatho levare prohiberentur. In hoc itaque ceteros superant Judæos. PHILO autem de Sabbatho ipsorum magno *cit. loc. p.* 695. ita tradit: ἤτοι τὸ μὲν πρῶτον ἀθροίζονται δι' ἑπτὰ ἑβδομάδων, ἐ μόνον τὴν ἁπλῆν ἑβδομάδα, ἀλλὰ καὶ τὴν δύναμιν τεθηκότες· ἁγνὴν γὰρ καὶ ἀειπάρθενον αὐτὴν ἴσασιν· ἔςι δὲ προεόρτιος μεγίςης ἑορτῆς, ἣν πεντηκοντὰς ἔλαχεν, ἁγιώτατος καὶ φυσικώτατος ἀριθμῶν, ἐκ τῆς τῦ ὀρθογωνίε τριγώνε δυνάμεως, ὅπερ ἐςὶν ἀρχὴ τῆς τῶν ὅλων γενέσεως. *Hi numeros in primis observando, post septem hebdomadas elapsas conventus suos instaurant, venerati non solum simplicem septenarium, sed & vim ejus multiplicem. castam enim sciunt hebdomada & semper virginem. Is dies profestus est maximæ festivitatis, incidentis in numerum quinquagenarium sanctissimum & naturæ gratissimum, constantem ex vi rectiangularis trianguli, quod est initium generationis rerum omnium.* Post hæc celebritatem illius diei prolixe describit, & quibus sacris, conviviis, gaudiis peragatur, data opera exponit. Quæ de sanctitate septenarii, semper virginis, differit PHILO, ex Pythagoreorum promanasse placitis, intelliges ex PETRI BVNGI *numerorum mysteriis, Num. VII. p.* 282 *sqq.* ubi septenarium nec procreare numerum ullum, nec a quoquam procreari observat, ideoque imaginem esse principis & auctoris rerum omnium, Dei: eidemque inolevisse opinionem virginitatis, ut quæ sapientiæ præfecta putata est, utilisque Dea formandis credita adolescentium ingeniis, Minerva nominetur. - - *Symbolice igitur sacris initiati Pythagorici semper virgini sine matre natæ Minervæ, septenarium assimilant, quia & illa nec partu est edita, sed ex Jovis orta capite* &c. Quo autem pacto quinquagenarius ex vi rectangularis trianguli constet, ad oculum demonstravit laudatus BVNGVS *num. L. p.* 535. quia quinquagenarius numerus est potentia lateris oppositi angulo recto, contento ab illis duabus lineis, quarum radices constituunt 50. Sed in his non licet esse prolixioribus, quia directe non faciunt ad rem, sed PHILONEM solum illustrant. Frustra porro esse EVSEBIVM, BRVNVM, omnesque, qui Patrum secuti auctoritatem, Therapevtas Monachos esse censuerunt Christianos, indeque augurati sunt, per προεόρτιον μεγίςης ἑορτῆς festum Dominicæ passionis, & per hebdomada totum istud ἑπταήμερον, quod Pascha præcedit, intelligi, VALESIVS aliique evicerunt. Cum enim festum istud Pentecostes, bene monente Auctore nostro, septies quotannis Essenis rediret, nec vel de Paschate Christianorum, vel de passione Domini perspectum quicquam haberent sive PHILO, sive Esseni, palam est, citra causam hæc ipsis somnia obtrudi. Sed quicquid est istius, de Essenis Christianis, controversiæ, infra suo loco disseremus.

Ad §. XVIII. pag. 33.

(24) *Abstinuerunt quoque connubiis*] Circa matrimonium non idem omnes tenuisse Essenos, quod recte observat Auctor, copiose declarat IOSEPHVS, cujus propter prolixitatem, solam versionem damus *ex c. l. §.* 2. *p.* 161. *Isti a voluptatibus, tanquam a scelere abhorrent, continentiam vero servare, & cupiditatibus non succumbere, pro virtute maxima ducunt. Et ipsis quidem*

quidem despectui habentur nuptiæ, alienos vero liberos, dum ad capessendas disciplinas molles adhuc sunt, suscipientes, pro cognatis suis reputant, suisque moribus informant: non tamen matrimonium, & legitimam ex eo successionem tollentes, sed sibimet a procaci mulierum petulantia caventes, nullamque earum uni viro fidem servare posse, persuasum habentes. Vicissim de illis, qui matrimonia inire consueverant, §. 13. *p.* 165. ita commentatur: *Est & alius porro Essenorum ordo, qui cum prioribus quidem, quoad rationem vivendi moresque & instituta consentit,* (per priores Theoreticos intelligens, Practicos per hos) *sed in una de nuptiis opinione ab ipsis discrepat. Maximam enim vitæ hominum partem, quæ a successione pendet, eos amputare arbitrantur, qui a nuptiis abstineant; multo vero magis desiturum humanum genus quam citissime, si omnes in eandem de istis ire velint sententiam. Verumtamen sponsas per triennium probant. Cum autem ter purificatæ fuerint, ad explorandum, possintne parere? tum eas in uxores ducunt. At cum gravidis non coeunt, hoc ipso ostendentes, quod nuptias non voluptatis ergo, sed liberorum inopia fecerint. Fœminæ autem lavantur indusiis circum amictæ, quemadmodum viri, cum subligacula induerint.* Vir summus, & post LVTHERVM, fere sine pari, MARTIN. CHEMNITIVS *in Exam. Concil. Trident. P. III. de cœlibatu Sacerdotum p.* 87. memoratu dignum existimat, cum tempore Vet. Test. cœlibatus non esset in magna admiratione, quod, collapsa post Maccabæorum tempora religione, IOSEPHVS scribit *lib. XV. c.* 13, Essæos sectæ suæ rationem mutuatos ab illa vivendi ratione, quam Pythagoras Græcis monstrarat, & primarium caput illius sectæ fuisse, ὑπεροψίαν γάμου, *contemptum conjugii.* Et EVSEBIVS *lib. VIII. de Præpar. Evang.* ex PHILONE recitat multas Essæorum contumelias contra conjugium, & contra sexum muliebrem, non absimiles illis, quas HIERONYMVS ex THEOPHRASTO colligit. Cumque propter hanc speciem Essæi in magna essent auctoritate & admiratione, instituerunt quoque Scribæ & Pharisæi, tanquam doctores populi, peculiaria exercitia continentiæ a conjugibus, aliqui quadriennium, aliqui octennium, aliqui decennium: & illo tempore gesserunt peculiares purpuræ fimbrias, ut hominibus continentiæ suæ professionem ostentarent. Ita enim EPIPHANIVS inter hæreses apud Judæos, ante Christum, describit Pharisæos & Scribas *lib. I. Tom. I.* Vtque solet superstitio tanquam gangræna serpere, tandem in ipsam etiam Ecclesiam Essæorum institutum irrepsit. Indeque laudatus CHEMNITIVS Monachatus originem, cum despectu conjugii in Aegypto primum disseminato, erudite arcessit. Quas vero ille, digito velut indice, apud EVSEBIVM notavit in sexum sequiorem Essenorum calumnias, ex ipso fonte plenius hauriemus, quæ c. l. EVSEBII *cap. XI.* in versione ita leguntur: *Essæorum* (Theoreticorum quippe) *nemo uxorem ducit, quod mulier ejusmodi sit, quæ cum seipsam vehementius amet, ac zelotypia laboret immodica: tum viri quoque mores & facile transversos agat, & assiduarum blanditiarum illecebris ac lenociniis emolliat. Nam ubi verbis ad assentationem adulationemque compositis, ac reliquo simulationis artificio, tanquam in scena, oculos semel auresque illiniit, tum vero perinde ac circumventis subditis, ducem ipsum ac principem, animum eundem in errorem inducit. Quæ si liberos quoque susceperit, mox procaciæ confidentiæque plena, quicquid simulate prius ac subdole insinuabat, id palam atque audacius loquitur, exutoque pudore omni, per vim extorquere conatur. Quæ quidem a societate aliena sunt omnia. Quisquis enim aut uxoris irretitus illecebris, aut cura liberorum, quadam naturæ necessitate implicatus est, is adversus alios idem, qui prius, esse non potest, sed plane aliud, hoc est, ex libero servus, sensim ac sine sensu efficitur.* Atque hæc ex PHILONIS Apologia se mutuatum testatur EVSEBIVS. Ceterum quoque fœminas, huic instituto sectæque addictas, a pari continentia, nuptiarumque aversatione PHILO laudat *c. l. p.* 695. ubi de solenni & pentecostali differit convivio: συνεστιῶνται δὲ καὶ γυναῖκες, ὧν πλεῖσται γηραιαὶ, παρθένοι τὴν ἁγνείαν, οὐκ ἀνάγκῃ, καθά-

καθάπερ ἔνιαι τῶν παρ' Ἕλλησιν ἱερειῶν, διαφυλάξασαι μᾶλλον ἢ καθ' ἑκούσιον γνώμην, διὰ δὲ ζῆλον καὶ πόθον σοφίας, ἣ συμβιοῦν σπουδάσασαι, τῶν περὶ σῶμα ἡδονῶν ἠλόγησαν, οὐ θνητῶν ἐκγόνων, ἀλλ' ἀθανάτων ὀρεχθεῖσαι, ἃ μόνη τίκτειν ἀφ' ἑαυτῆς οἵα τέ ἐστιν ἡ θεοφιλὴς ψυχὴ, σπείραντος εἰς αὐτὴν ἀκτῖνας νοητὰς τοῦ πατρὸς, αἷς δυνήσεται θεωρεῖν τὰ σοφίας δόγματα. *Adhibentur mensæ fœminæ quoque, anus pleræque sed virgines, non coactæ castitatis, sicut apud Græcos quædam sacrificulæ, sed sponte continentes præ amore sapientiæ, cujus studio per totam vitam contemserunt voluptates corporis, nimirum divinæ, non mortalis prolis cupidæ, quam solæ Deo charæ animæ ex seipsis pariunt, excipientes pro semine intelligibiles patris radios, ut decreta sapientiæ contemplando percipere valeant.*

Ad §. XVIII. pag. 34.

(25) PLINIUS *Lib. V. Hist. Cap.* 17.] Ut eorum desiderio faciamus satis, qui PLINIUM audire cupiunt, en verba ejus damus: *Ab occidente litore Esseni fugitant, usque qua nocent,* (hæc verba ab omni fere sensu destituta, ita restituit SALMASIUS: *Ab occidente litora Esseni fugiunt, usque qua nocent.* Fugiebant enim litora Esseni, ut interiora Judææ habitarent, ne puritati ac tranquillitati vitæ, quam sectabantur, maritima commercia nocerent) *gens sola, & in toto orbe præter ceteras mira, sine ulla fœmina, omni Venere abdicata, sine pecunia, socia palmarum. In diem ex æquo convenarum turba renascitur, large frequentantibus, quos vita fessos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat. Ita per seculorum millia (incredibile dictu) gens æterna est, in qua nemo nascitur. Tam fœcunda illis aliorum vitæ pœnitentia est.* Testem Romanum audis, Judaicarum rerum imperitum, & ex vulgi rumore summa imis miscentem. Forte tamen potuit nonnullos pœnitudo præteritorum ad illud adegisse vitæ institutum, quo ante obitum in ordinem & ad frugem se redituros credebant.

Ad §. XIX. pag. 34.

(26) *Quando & a quo hæc Secta exclusa sit, difficile est dicere*] Essenorum familiam non ab uno quodam conditore, nec definito temporis articulo, sed sensim enatam, ac in Sectæ tandem nervum invaluisse, ex iis colligitur, quæ Capitibus superioribus de origine reliquarum inter Judæos sectarum edisseruimus. Prima Essenis semina Chasidæi dederunt. Cum enim ex gravissimis sub Antiocho & sequentium temporum calamitatibus, se paulo recepissent Judæi, quiete ipsis paceque publica restaurata, & Hasidæi magna sanctitatis gloria ac auctoritate inter Judæos emicarent, orti ex his sunt פרושים *separati* illi, qui auctarium legis servantes, a reliqua gentis suæ turba se eximebant; atque hi denuo in duas veluti classes abierunt, in Φαρισαίους & Ἐσσηνοὺς, ut curate docuit SCALIGER *Elenchi cap. XXII toto.* Haud inepte HUMPHR. PRIDEAUX *Hist. Jud. P. II. lib. V. p.* 79. eos existimat ex Pharisæorum secta oriundos, quam cum nimis in disciplina laxam, genio indulgere intelligerent, aliquam velut Ordinis sui Reformationem suscepisse, & vivendi rationem paulo adstrictiorem minusque culpabilem ingressos, novam condidisse sectam: ad eum fere modum, quo Carthusiani in Papatu & Cistercienses, ex communi Benedictinorum censu egressi, novos Ordines instituerunt. Temporis articulum, IOH. HELV. WILLEMER in sua *de Essenis* tractatione §. 16. *p.* 47. ex IOSEPHI *lib. XIII. Antiquitat. cap. V.* utcunque eruere tentat. Cum enim in illis exponendis diligenter versatus fuisset IOSEPHUS, quæ domi forisque, in bello adversus Demetrium, ac legatione ad Spartanos Romanosque, præclare gessit ex Hasmonæis Jonathan, Judæorum Princeps ac Pontifex Summus, statim subjungit: κατὰ τὸν χρόνον τοῦτον τρεῖς αἱρέσεις τῶν Ἰουδαίων ἦσαν. Jonathan vero fratri Judæ Maccabæo successit A. M. 3793. bellum cum Antiocho Entheo contra Demetrium II. Nicanorem gessit A. 3802. qua ætate celeberrimum istud trihæresium Judæorum, justum jam acqui-

acquisiverat vigorem. Inde vero ad primam Essenorum assurgens originem, quinquaginta circiter annos retro numerat, eorumque natales in A. M. 3750. conjicit, ubi a diversis simul auctoribus secta fuerit excitata. Verum, quæ meris superstructa sunt conjecturis, eadem convelli possunt opera, qua fuerunt adstructa. Late ergo eorum indicasse originem sufficiat, cum ad curate definiendos temporis articulos progredi non detur.

Ad §. XIX. pag. 34.

(27) *Eos ætate Rechabitis æquales faciunt*] Nihil repetimus eorum, quæ de Rechabitis suo loco copiose sumus commentati. SERARIVM autem, qui SVIDAE auctoritate inductus, Essenos eosdem cum Rechabitis facit, & *Tribæres. lib. III. cap.* 9. operose adstruere laborat, recte castigat Auctor noster: castigavit pariter SCALIGER *Elenchi cap. XXIII.* Nostri enim non peculiarem modo conficiebant sectam, ædes incolebant, & agriculturam exercebant, a quibus omnibus Rechabitarum institutum erat alienum; quod tantum abest, ut hæreseos, vel vitiosæ ab avita Judæorum religione secessionis notam gesserit, ut a Deo potius, interprete Jeremia cap. XXXV. valde commendetur, singularique ornatum benedictione, in obsequii proponatur exemplum: sed fidem commento isti habere, silentium quoque prohibet Scriptorum veteris Instrumenti Sacrorum, in quorum sive historicis Commentariis, sive dogmaticis tractationibus, errorumque discussionibus Propheticis, nec vola Sectæ nostræ extat, nec vestigium, quam tamen altum tacere, per omne istud a Mose ad Servatorem ævum, salva rerum in Ecclesia Judaica gestarum expositione, vix licuisset. Nec fraudi sit cuiquam, insignis Essenorum cum Pythagoræ placitis, quam Auctor paulo ante docuit, consensio. Vir doctissimus, IOHANN. FILESACVS, Theologus Parisiensis, *lib. III. Selectorum p.* 141 *sq.* totus quidem in eo est, ut Pythagoram in vivendi norma rituque, cumprimis in secessione ab urbibus, & mansione in tentoriis, Rechabitas æmulatum fuisse evincat. Vnde hariolari possis, quod diserte tuetur SERARIVS, Pythagora Samio antiquiores fuisse Essenos, atque ab his Pythagoram sua hausisse præcepta. Verum Rechabitæ ortu a Judæis distincti, gente pariter ac ætate multum distabant ab Essenis, quos Ἰουδαίους *μὲν γένος ὄντας* diserte perhibet IOSEPHVS. Pythagoræ vero æquales Jeremias, Ezechiel, atque Daniel, subducto temporum calculo, fuisse constat, Essenos contra longe posteriores, Maccabæorum demum ævo exortos.

Ad §. XX. pag. cit.

(28) *Aliquis ex Hebræorum Magistris*] Est is R. ABRAHAM ZACHVT, Salmanticensis in libro יוחסין, in cujus lemmate scribit: הנזירים הנקראים אשינוס *Nasiræi, qui & Esseni sunt dicti;* quod avide arripit SERARIVS *lib. III. Tribæres. cap.* 8 *sq.* eosdem contendens Essenos cum Nasiræis, nec abnuit e nostris VALENT. SCHINDLERVS *in Lexico Pentagl. c.* 618. *Esseni*, inquiens, *dicti fuerunt* נזירים *separati, quod remoti a conspectu hominum, rerum contemplationi vacarent, & in interiori Judæa, ad occidentem vergente, degerent.* Ista vero nominis allusio nihil conficit. Fuerint licet Esseni reapse separati, distincto quippe loco, peculiari ritu, omnique studio, a reliquo Judaicæ gentis commercio segregati. Mosaica tamen Nasiræorum ætas, divina institutio, & instituti indoles ac ratio, toto cælo diversa, reclamat. Accedit, quod Auctor noster post SCALIGERVM urget, quod Nasiræis ex lege incumberet, templum ingredi & sacrificiis vacare, a quo Esseni excludebantur.

Ad §. XXI. pag. ead.

(29) *Qui vixit tempore Aristobuli*] Hæc de Juda Hessæo observatio Auctori petita est ex DRVSIO *de Hasidæis p.* 29; ubi: IOSEPHVS, inquit, *nullam memoriam usurpat Hessenorum in bello, quod Judas & fratres ejus gesserunt cum Syro-*

Syro Macedonibus. Hessæorum mentio primum in historia Hebraica, & apud IOSEPHVM *de Aristobulo, ubi de Juda Hessæo, qui prædixit cædem Antigoni.* Quæ bene habent, ast ortum Essenorum non declarant. Non enim tunc demum, aut paulo ante, Essenos constat ortos, quando primam eorum IOSEPHVS mentionem facit, sed tum jam floruisse. In Hasmonæorum bello nulla Essenorum memoria injicitur, quia ea tempestate nondum extabant. Aristobulus autem ille A. M. 3841. aut 3845. præfuit Judæis, cum integris quinquaginta annis prius Jonathan A. O. 3793. præesset, qui Essenos jam sibi habuit æquales, ut ante hunc Judam Hessæum dudum & ortos fuisse & floruisse oportuerit Essenos.

Ad §. XXII. pag. 34.

(30) *Quod in N. T. eorum nulla injiciatur mentio*] Sub Pharisæorum nomine, Essenos sæpius in Nov. Test. comprehensos, censet Vir doctus, NICOL. FVLLERVS *lib. II. Miscellan. Sacr. cap. III. p.* 158 *sq.* Quamvis enim non dicerentur Pharisæi, re tamen ipsa certe Pharisæos fuisse. Præterea juxta SVIDAM hos æque, ut Pharisæos, a cœtu reliquorum hominum sese separasse, purissimo vivendi generi se mancipasse, & in hac re ipsis Pharisæis fuisse *φαρισαιοτέρȣς*. Quin inter utrosque nihil intercessisse discriminis, nisi quod Pharisæi *τὸ ῥητὸν*, vel literam, una cum vetustis traditionibus retinuerint, Esseni soli literæ, repudiatis illis traditionibus, institerint. Verum, quod pace tanti Viri dixerim, plus longe intererat inter utrosque. Tota cultus Divini ratio, quam Pharisæi in templo, cœtuque communi & publico, sacrificiis & legis operibus servabant, Esseni vero, multis superstitionibus contaminatam, & a sacrificiis remotam, inter se peragebant, reclamat. Nec externa quædam morum similitudo, diversi instituti homines facit eosdem, aut communi statim appellationi includit: sic enim Esseni, per ea, quæ copiose ante disputavimus, Pythagorei potius, quam Pharisæi essent habendi. Cumque tanto temporis hiatu, a Sectæ ortu ad Servatoris nostri ætatem, vitæ consuetudine, *κυρίαις δόξαις*, & nominis cumprimis discrepantia, utrique fuissent diversi, Evangelistæ insigni certe sive negligentia, sive ignorantia, in tradenda historia utrosque confudissent, & Pharisæos dixissent, qui tunc temporis, vel IOSEPHO teste, omnibus audiebant Esseni. Nec magis stringunt IOH. HELVIC. WILLEMERI rationes, quibus *in Disp. cit. §. VII. p.* 30. & *§. XIII. p.* 39. eandem cum FVLLERO sententiam suffulcire nititur, quod Salvator, qui venerat servaturus *τὸ ἀπολωλὸς* Luc. XIX, 10. & sigillatim perditarum ovium curam gessit Matth. XV, 24. Luc. XV, 6. Essenorum quoque rationem habuerit: Quia ergo cum Essenis congressum Evangelistæ nullibi memorant, cum Pharisæis autem sermones sæpius miscuisse, prono hinc alveo fluere, quod sub Pharisæorum nomine hi nostri subinde intelligantur. Etsi vero facile largior, hos quoque homines Christum *αὐτοπροσώπως* convenisse, & ad pœnitentiam invitasse, nulla tamen ejus rei mentio in Evangelistarum Codice injecta legitur, velut alias innumera Christi gesta & dicta consignari studio omissa fuisse Johannes perhibet c. XX, 30, 31. cum ea solum in Commentarios referri, pro immensa sua sapientia, Spiritus Sanctus curaret, quæ scire toti omnium sæculorum Ecclesiæ intererat. Nequicquam præsidium commento huic quærit WILLEMERVS in *Matth. XIX,* 3 *sqq.* ubi *διαῤῥήδην* Pharisæorum hujusmodi meminerit Evangelista, qui per Textus seriem sigillatim Esseni mereantur dici. Christus enim vers. 11, 12. discipulis suis, Essenorum sententiam in medium afferentibus, ita respondit, ut contemtum conjugii, atque vanissimam de perpetuo ac universali cœlibatu jactantiam Essenorum, solidissimis profligaret argumentis. Sed toto cælo errat. Omnis enim de divortiis & libello repudii Judæorum controversia, inter duas scholas, Schammæanam & Hillelianam agitabatur, nec omnino ad Essenos spectabat. Vnde SELDENVS *lib. III. de uxore Hebraica cap. XXII. p.* 346. ita *παραφράζει Controversia pridem orta est inter nos gravissima*

vissima de repudiis; aliis tantum ea permitti משום דבר ערוה ob rem turpitudinis, *seu turpem asserentibus; sic Sammæani: aliis* או משום כל דבר או משום ערוה tam ob causam aliam qualemcunque, quam ob turpitudinem; *sic Hilleliani. Quid igitur tu sentis?* Ab his controversiis, æque ac ritibus, prorsus alieni erant Esseni. Quibus ergo fidiculis ex hoc textu extorqueas, Pharisæos quidem nominari, reapse tamen Essenos indigitari? Quis porro auguretur, discipulos, homines rudes, & Sectarum inter Judæos, discrepantiæ prorsus imperitos, Essenorum de Eunuchis sententiam tenuisse, vel Christo objecisse? Quin immo, non omnes matrimonium repudiabant Esseni, sed Theoretici solum, Practicis conjugia in usu habentibus, & foventibus: quorum de matrimonio sententiam supra jam edisseruimus. Locum ergo habent rationes, ab Auctore in medium allatæ, propter quas Essenorum in Nov. Test. nomen taceri, vero sit simile.

Alia vero quæstio est: *An Christum convenerint Esseni, & meliora fuerint ab ipso edocti?* Negat omnino SCALIGER *Elench. trihær. cap. XX. p.* 154. unquam eos sermonem cum Christo conseruisse, utpote qui in vicis remotissimis incolerent. Dubitat DRUSIUS *libr. IV. de trib. Sect. cap. XIX. p.* 210 *sq.* addens: *quod si tum aliqui fuissent Hierosolymæ, non est dubitandum, quin adversati fuissent Christo, æque ac Pharisæi & Sadducæi. Nam zelatores erant legis, ut qui maxime. Sed hac de re nihil decerno. Forte pauciores erant, ita ut nemo eorum unquam cum Christo congressus sit. Potest etiam fieri, ut in quiete ac silentio vitam transegerint* &c. Contra vero WILLEMERUS *cit. disput. §. XIII. p.* 42. absque hæsitatione affirmat, *Essenos a Christo sæpius cum visos, tum hæreticæ pravitatis convictos esse.* In tanto Scripturæ silentio, quis tam audacter affirmaverit, vel negaverit, de quo, factumne sit, nec ne? liquido non constat. Palmarium WILLEMERI argumentum, ex Christi cum eis disputatione Matth. XIX. habita, modo profligatum fuit: nec suppetit aliud, quod rem evincat. Suadet tamen prophetici muneris amplitudo ac fides, quam Deo Patri præstitit Christus καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας διελθών Act. X, 37, 38. Cumque pastor ille œcumenicus, ad oves perditas cumprimis inquirendas missus, in locis desertis sæpe fuerit commoratus, fieri potest, ut cum Essenis quoque congressus, viam salutis recte ipsis tradiderit; etsi hoc taceant Evangelistæ. Præstat itaque, & modestiæ Christianæ magis convenit ἐπέχειν, quam certo asserere, quod nequeas probare.

Ad §. XXIII. pag. 35.

(31) *In Epistolis tamen Pauli multa reprehensa legas*] Doctissima hæc est magni CHEMNITII observatio, qui *P. IV. Exam. Conc. Trident. p.* 123 *sqq. de Essæorum abstinentia, & quomodo illa in Ecclesiam irrepserit*, diligenter commentatus, verba Pauli Col. II, 18 sqq. luculenter declarat. Verba ipsa, licet paulo copiosiora, quia tamen sententiam istam plane exhauriunt, huc transferre non gravabimur. *Diligenter contuli*, inquit p. 124. b, *hunc Pauli locum ad* PHILONIS *illam descriptionem, & deprehendi, verba in eo loco a Paulo ita posita, ut quasi intento ad fontem digito, monstrare voluerit, quod de illo Essæisantium instituto loquatur. Quia enim* PHILO *dicit, quosdam ob amorem σοφίας, neglecta corporis cura, per triduum, immo per sex sæpe dies, vix degustare aliquid; hoc Paulus ita exprimit: Habent speciem σοφίας, non habentes curam corporis. Et quod* PHILO *dicit, ipsos σωματικὰς ἀνάγκας non dignas ducere, quibus aliquid temporis in die tribuant; hoc Paulus vocat ἀφειδίαν σώματος, gloriabantur enim, se soli animæ vivere.* PHILO *dicit, ipsos institutum suum vocasse θεράπειαν, h. e. cultum, & se θεραπευτὰς, h. e. cultores: illud vero Paulus in eo loco ἐθελοθρησκείαν, cultum peculiarem vocat. Cumque illi se vocarent ἱκετὰς, sicut titulus* PHILONIS *habet, quasi supplices, ratione humilitatis; Paulus ideo speciem ταπεινοφροσύνης taxat. Ipsum etiam verbum δογματίζεσθαι, quod Paulus ibi usurpat,* ex

ex PHILONIS *descriptione sumptum est: illa enim Essæorum exercitia vocat* σοφίας δόγματα. *Et illa ipsa mimesis Pauli,* μὴ γεύσῃ, *ne gustaris, respicit ad id, quod* PHILO *dicit: vix post sex dies ὑπογεύεσθαι necessarium cibum. Sicut & vocabulum* πλησμονῆς, *quod in descriptione illa* PHILONIS *extat, Paulus eo in loco usurpat. Et quia* PHILO *de theoriis ipsorum grandia philosophatur, ita ut concludat, ipsos esse cæli cives, ac Patri ac Creatori omnium vere assistere; ideo Paulus dicit: Inflatus mente carnis in his, quæ non vidit,* ἐμβατεύων. IOSEPHVS *etiam scribit, Essæos jactare nomina quædam Angelorum, ideo Paulus in illo loco Angelorum etiam mentionem facit. Cumque* ἄσκησις *illa multis arrideret, & magnis præconiis extolleretur; Paulus* 1 *Tim. IV. dicit: corporalis exercitatio ad modicum prodest, pietas vero ad omnia utilis est. Rationes etiam Essæorum de potu aquæ, & abstinentiæ a carnibus, quasi usus vini & carnium per se (aliud est enim, loqui de crapula & ebrietate) sit venenum dementiæ, & irritamentum concupiscentiæ carnis: Paulus quasi ex professo refutat, cum Timotheo præscribit, ne amplius aquam bibat, sed modico vino utatur propter stomachum. & cum de cibis dicit: omnis creatura Dei bona est, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur.* Applaudit his, & locum Col. II. cum Essenorum instituto, pari fere ratione, contendit SCALIGER *Elenchi c. XXVII. p.* 213 *sqq.* quanquam CHEMNITIVM, ne quid ab eo didicisse videatur, alto silentio premat. Verum, ut hæc omnia ingeniose dicantur, IACOBVM ODE tamen permovere non potuerunt, quin in diversum discederet, quando *Commentario de Angelis Sect. IX. cap. IV. §. IX. p.* 944 *sqq.* Paulum potius perhibet, non Essenorum illorum speciatim, sed Judæorum sui temporis opinionibus & erroribus sese, in hac ad Colossenses perscripta Epistola, opposuisse, ab illisque eos graviter dehortatum fuisse: 1) Quod Esseni non in Phrygia Pacatiana, cujus urbs opulenta erat Colossæ, sed in Aegypto, præsertim circa Alexandriam, sedes suas haberent, ut Colossensibus de Essenis quicquam constitisse, vix vero sit simile: 2) Quod Essenorum Philosophia ad eum modum non fuerit composita, ut Paulus ob illam Colossenses admonere necessum habuerit v. 8. μή τις ὑμᾶς ἔσαι ὁ συλαγαγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης, cum ab omni verborum captatione, rerumque vanarum disquisitione, sedulo abstinuerint: 3) Quod in hoc Cap. plura præsto sint rerum documenta, quibus probari possit, Paulum non Essenos speciatim, sed quoscunque sui temporis Judæos taxasse & perstrinxisse, v. g. v. 4. coll. 3, ubi Judæorum circumventionem Paulus vult caveri; item v. 8, ubi Philosophiæ secundum traditionem hominum & elementa mundi, refellit deceptionem inanem; porro v. 9, 10, ubi Christum opponit templo Judæorum, in cujus sanctuario habitaverat olim Schechina, evehitque supra eorum principes; adhæc v. 11-13, ubi mentionem facit & de circumcisione spirituali, quæ opponitur illi apud Judæos sine discrimine omnes usitatæ: & de spirituali suscitatione, quæ fit in baptismo per fidem, atque de vivificatione, quibus hactenus destituti erant Judæi increduli; denique v. 14 - - 17, ubi Apostolus ex deletione chirographi, placitis sive cerimoniis Vet. Test. quasi subscripti, conficit, Colossenses præceptis legis cerimonialis non subjectos, festis Judæorum non adstrictos, & judicio illorum principum non amplius esse obnoxios &c. 4) Quod illa, quæ ibidem leguntur, non tam Essenis, quam Judæis congruant: non Essenis, quia *a*) illi neque re ipsa, neque præjudicatis suis opinionibus in alios affectabant imperium, quo ergo spectaverit istud μηδεὶς ὑμᾶς καταβραβευέτω? *b*) fictæ humilitati & cultui Angelorum reapse dediti fuisse Esseni perperam dicantur: quia *c*) quod Paulus ait, ἃ μὴ ἑώρακεν ἐμβατεύων, εἰκῆ φυσιούμενος ὑπὸ τοῦ νοὸς τῆς σαρκὸς αὐτοῦ, indoli ac moribus Essenorum non respondet: Bene autem Judæis. א) quia Judæi, maxime Pharisæi, conabantur Christianos illius temporis subjicere legi Mosaicæ, atque ita in eos imperiose agere: ב) quia Judæi circa hæc tempora, animi corporisque submissioni & cultui Angelorum erant deditii:

diti: quia 3) in hos cumprimis descriptio v. 18. quadrat. Non æquo rationes hæ omnes pondere gaudent; eo tamen animum facile inclinant, ut non tam de Essenis, hoc capite perstrictis, quam de deceptoribus cogitet ex gente Judaica, qui Apostolo ubivis negotium facessebant, & Christianos recens conversos in suam pertrahere nassam nitebantur. Hoc IOH. BRAVNIVS *Select. Sacr. lib. I. cap. VIII.* §. 137 *sqq.* demonstrat; & πολυμαθέστατος WOLFIVS, ὁ μακαρίτης *in Curis Philol. ad h. l.* veri simile esse negat, Paulum Essenorum hic meminisse, tanquam quorum ratio ab ipsis Judæis vix habebatur, unde nec in Novo Test. eorum fiat mentio. Nec id agebant Esseni, ut vel alios ad suum allicerent institutum, vel Christianorum turbarent circulos, illis ut obicem ponere, suosque tam sollicite ab eorum seductione præmonere, Apostolus opus haberet. Hinc peculiaria quoque eorum δόγματα in Scripturis ex instituto, & data opera discussa & profligata, salva in b. CHEMNITII manes pietate, negamus. Rectius hoc sane dicitur, quam quando HVMPHR. PRIDEAVX *loc. cit. p.* 80. eos ideo in Scripturis silentio præteriri tradit, quia religionem sincere, absque hypocrisi & fraudibus amplexi, ansam Servatori & rationem non præbuerint, eos perstringendi, ut Sectæ reliquæ. Sat enim multa reprehensione digna, v. g. contemptum templi & sacrorum publicorum &c. in illis hactenus animadvertere licuit, ut luculenta affatim suppetiisset occasio, eos redarguendi.

Verum gravior expedienda hic nobis venit quæstio: *Numne Christus & Apostoli ex Essenorum prodierint sodalitate?* Hoc Deistas sui ævi affirmare, cum stomacho refert PRIDEAVX *p.* 116. eorumque deliria mascule refutat. Fallor, an commento huic ansam præbuit NICOL. SERARIVS, qui Jacobum Apostolum, quem *principem Apostolorum* veteres dixerunt, fatente ASSEMANO *Biblioth. Oriental. Tom. III. P. I. p.* 10. *b.* Essenis adscribit, quem eo nomine depexum dedit SCALIGER *Elenchi cap. XXXI. p.* 259. Certe, quæ Christianam doctrinam a religione distinguunt quæcunque, de Messia Servatore mundi, de restauratione generis humani per Christi mortem, de duobus Novi Fœderis Sacramentis, de spirituali Christi regno per universum orbem expanso, de resurrectione mortuorum, & quæ sunt reliqua fidei nostræ capita, frustra requiras apud Essenos, mysteriorum horum omnium imperitos ac expertes. Quam utrorumque, in communione bonorum, consensionem forte in scenam producere possint adversarii, ea nec omni tempore, sed exiguo solum ævo, nec in omni loco, sed sola Palæstina, cui πανολεθρία proxime imminebat, nec ex præcepto, sed libera voluntate Act. V, 4. servabatur Christianis, longeque dispari inter utrosque locum habebat ratione. Morum disciplina, in quantum ex naturæ lege illa formatur & innotescit, Essenis non cum Christianis modo, sed & cum omnibus fere gentibus, cultioribus sane, est communis, multum tamen Christiana rursus distat ab Essena. Vt taceam, incredibilem Essenorum superstitionem a Christiano cultu prorsus exulare; ut insanus sit, qui nugis istiusmodi adstipuletur. Quod sigillatim attinet ad Jacobum, eum quotidie, unum ex omnibus, in intimum templi sanctuarium ingredi, ibique genibus flexis, pro peccatis populi supplicem Deo vota facere solitum, HEGESIPPI fide memorat EVSEBIVS *lib. II. Hist. Eccles. cap. XXIII.* indeque repetit THEODORIC. RVINARTVS *in Actis primorum Martyrum sinceris p.* 3 *sq.* quod quam ab Essenorum instituto fuerit alienum, ex superioribus ad oculum patet. Etsi vero illa HEGESIPPI & EVSEBII traditio, sublesta laborat fide, SERARIVM tamen, qui Ecclesiasticæ antiquitati, in hoc præcipue capite, tantum tribuit, nec fugere debebat, nec obloquentem experiri.

Ad §. XXIV. pag. 35.

(32) *Quidam sunt Practici; quidam Theoretici*] Vereor, an curate satis PRIDEAVX *p.* 94. PHILONIS mentem perceperit, quando eum Essenos Judææ & Syriæ, *Practicos*, Essenos vero

Aegyptiacos & ceterarum provinciarum *Theoreticos* perhibuisse, tradit. Nec enim tam habitatione & patria, quam vitæ ac instituti ratione, distinguuntur. Accedit, quod IOSEPHUS, qui Essenis Judææ & Syriæ familiariter usus, in his utrorumque, cum Theoreticorum, tum Practicorum, mores & præcepta tradat. Fraudi fuit viro docto PHILO, qui *lib. quod omnis probus liber*, *p.* 678. quo de Practicis cumprimis agit, ita habet: *λέγονταί τινες παρ' αὐτοῖς ὄνομα Ἐσσαῖοι, πλῆθος ὑπὲρ τετρακισχιλίους, κατ' ἐμὴν δόξαν, οὐκ ἀκριβεῖ τύπῳ διαλέκτῳ ἑλληνικῇ παρώνυμοι ὁσιότητος, ἐπειδὴ κἀν τοῖς μάλιστα θεραπευταὶ θεοῦ γεγόνασιν, οὐ ζῶα καταθύοντες, ἀλλ' ἱεροπρεπεῖς τὰς ἑαυτῶν διανοίας κατασκευάζειν ἀξιοῦντες.* *In his* (Judæis Palæstinam & Syriam incolentibus) *quidam nominantur Essæi, circiter quatuor millia, a Sanctitate dicti, quia summa religione Deo serviunt, non mactando victimas, sed suasmet ipsorum mentes componendo ad sanctimoniam.* Hic vero PHILO tantum abest, ut Practicos solum delineet, ut utriusque potius generis omnes, in Palæstina habitantes, Essenos describat. Rursus BASNAGIUS *lib. II. Hist. Jud. cap. XII.* tres eorum enumerat sectas, 1) quæ vicatim habitat, & urbium, hominumque commercium fugit §. 9. *p.* 536. 2) quæ nihil differat a prima, nisi matrimonii approbatione & usu, §. 27. *p.* 555. 3) quæ ex Theoreticis conflata religiosis, mysticam sectabatur doctrinam. Postremi isti violentam quandam mentis jactabant emotionem, quam furorem divinum seu Enthusiasmum dicebant; unde porro BASNAGIUS origines eruit contemplationis Mysticorum, raptuum Fanaticorum, viæ unitivæ, & essentialis cum Deo unionis, §. 28. *p.* 557. Velut autem in prolixa primæ sectæ descriptione, plurima miscet, quæ ad speculativos spectant Essenos, nonnulla etiam, quæ ad mediam sunt referenda: sic *διχοτομία* omnino præferenda videtur, cujus limites satis apte constituit Auctor, quando 1) Practicos incoluisse urbes tradit, teste IOSEPHO, qui *μία δὲ*, inquit, *οὐκ ἔστιν αὐτῶν πόλις, ἀλλ' ἐν ἑκάστῃ μετοικοῦσι πολλοὶ*, *non una ipsis urbs est, sed in singulis multi habitant*, unde *porta* quoque Hierosolymæ fuit, quæ *Hessenorum* dicebatur, ut IOSEPHUS habet *lib. V. de B. J. cap. XIII.* circa quam haud dubie confertim habitabant; cum ex adverso Theoretici, juxta PHILONEM, *κωμηδὸν οἰκοῦσι, τὰς πόλεις ἐκτρεπόμενοι, διὰ τὰς πολιτευομένων χειροήθεις ἀνομίας*, *vicatim habitent, urbes ob familiaria civium earum vitia fugientes:* 2) Practicos rei agrariæ, pecuariæ & opificiis deditos perhibet, secundum PHILONEM, qui *c. l. p.* 678. statim subnectit, *ὧν οἱ μὲν γεωπονοῦντες, οἱ δὲ τέχνας μετιόντες, ὅσαι συνεργάτιδες εἰρήνης, ἑαυτούς τε καὶ τοὺς πλησιάζοντας ὠφελοῦσιν*, *vivunt partim ex agricultura, partim ex opificiis, ita sibi ipsis, & proximo utiles;* cum Theoretici meditando precandoque vitam transigant, ut ex superioribus constat: 3) Practicos prandium & cœnam cepisse ait, ut est apud IOSEPHUM, qui panem & unius edulii scutellam singulis appositam, post preces vero, depositasque vestes sacras, ad opera sua eos rediisse memorat usque ad vesperam, ubi ad cœnam confluentes, hospites quoque, *τοὺς ξένους*, sui scil. ordinis, si qui peregre advenerint, adducunt; cum Theoretici jejuniis se macerantes, parcissimo utantur victu. Addo 4) discrimen utrorumque circa matrimonium, quod supra expositum, hic non repetimus: & 5) diversam studiorum rationem. Theoretici divinis sese ingerebant mysteriis, & sublimissima scrutabantur arcana, tum quoque Legi Mosaicæ operam dabant, Psalmisque & hymnis decantandis vacabant: Practici vero, philosophiæ partem ratiocinatoriam, ut parandæ virtuti non necessariam, relinquebant verborum captatoribus; eam quoque, quæ naturam scrutatur, disputatoribus, ut humano captu subliminorem, nisi quatenus de creatore mundi, & ejus creatione disserit: in sola autem morali se exercebant, sub pædotribis legibus patriis, quas non potest concipere humanus animus *ἄνευ κατακωχῆς ἐνθέου*, *absque afflatu Numinis.* Discunt autem sanctitatem, justitiam, curam rei vel domesticæ, vel publicæ, verorum bonorum malorumque scientiam, atque rerum indifferentium

insuper,

insuper, quid expetendum, quid contra fugiendum, quæ triplici regula examinant, τῷ τε φιλοθέῳ, καὶ φιλαρέτῳ, καὶ φιλανθρώπῳ, *amore Dei, & virtutis, & hominum.* Præterea illi quotidie, interdiu noctuque, meditationi dediti sunt, practici autem cumprimis recurrente die septimo, quo in Synagoga, alius ex libro prælegit, alius e peritioribus, quæ obscura sunt, exponit. Cetera utplurimum utrisque sunt communia. Addo adhuc ex PHILONE *c. l.* quæ de labore ipsorum observat: *Tela, jacula, gladios, galeas, thoraces, scuta, nemo apud eos fabricat, sicut nec arma cetera, nec machinas, aut aliud quicquam bello utile: immo, ne ea quidem studia reperias ibi, quibus in pace facile abutuntur homines. negociatores, institores, naucleros ne in somnis quidem viderunt, subtrahendo materiam avaritiæ.* Porro p. 679. *Quicquid lucrantur e quotidianis operæ mercedibus,* (ergo mercimonia sua vendunt) *non sibi quisque servat, sed in medium conferendo, cuicunque volenti fruendi potestatem faciunt. Tum, si qui valetudinarii nequeunt victum quærere, non negliguntur, paratum habentes e publico infirmitati subsidium, quam secure sustentant ex communi copia.*

Ad §. XXV. pag. 35.

(33) *Theoreticos fuisse Monachos Christianos*] Ad gravissimam, & fere principem in toto hoc Cap. devolvimur controversiam, inter Viros doctissimos magna animorum contentione, & doctrinæ apparatu, dudum disceptatam. Essenos practicos, non quidem omnes, longe tamen plurimos, salutarem Christi doctrinam amplexos, Theoreticos vero omnes Christianos fuisse, ex instituto sibi demonstrandum sumsit NICOL. SERARIVS, *lib. III. Tribæresii cap. XVII. XVIII.* Cui adstipulatur BELLARMINVS *lib. II. de Monachis c. V.* BARONIVS *Annal. ad A. C. LXIV.* PETAVIVS *in Notis ad Epiphan. pag. 53.* TILLEMONTIVS *in Commentar. Ecclesiast. Historiæ inservient. T. II. P. I. p. 167.* NATAL. ALEXANDER *Hist. Eccles. N. T. Sec. I. Diss. XXII. p. 230.* HELYOT *in dissertatione, præmissa Historiæ Ordinum Monasticor. religiosor. militarium &c.* BERNARD. DE MONTFAVCON *in Observationibus ad Gallicam libri Philonis de vita contemplativa versionem,* EDMVNDVS MACLOT *in Hist. N. T.* Parisiis 1712. in 8. MATTH. GALENVS libro *de origine vitæ monasticæ:* PAPEBROCHIVS in Tract. *de Patriarchis Hierosolymitanis,* qui præliminaris est Tomi III. Actorum SS. Maji, *Parergo 2. fol. 5.* ubi PHILONEM quidem e primis Alexandriæ Christianis, a Marco institutis, mala fide Judæos fecisse putat, in Monachis autem, sive religiosis habendos esse negat. Sed & ex Reformatis THOMAS BRVNO, *Dissert. de Therapeutis,* quam PAVLVS COLOMESIVS duabus epistolis CLEMENTIS ad Corinthios, a se editis, subjecit Londini, 1687. in 8. ISAAC. VOSSIVS *in Observation. variis p. 46.* BEVEREGIVS *Codice Canonum vindicato lib. III. cap. V.* & alii. Fucum ipsis fecit Scriptorum veterum auctoritas, in quibus EVSEBIVS *lib. II. Hist. Eccles. cap. XVII. toto* probare satagit, quod in Lib. de vita contemplativa, τὲς πρώτες κήρυκας τῆς κατὰ τὸ ἐυαγγέλιον διδασκαλίας, τά τε ἀρχῆθεν πρὸς τῶν Ἀποςόλων ἔθη παραδεδομένα καταλαβὼν ὁ Φίλων ταῦτ᾽ ἔγραφε, *primos illos Evangelicæ doctrinæ prædicatores, & ab Apostolis primum traditam disciplinam, complexus* PHILO *scripserit:* unde primorum Christianorum mores apprime ibi delineari contendit. EPIPHANIVS *hæresi XXIX.* quæ est *Nazaræorum,* postquam *c. IV.* Christianos a Jesu, Jessæos seu Essæos dictos asseruerat, *c. V. p. 120,* PHILONEM diserte affirmat, quæ de Essæis peculiari libro commentatur: τέτων τὴν πολιτείαν, καὶ τὰ ἐγκώμια διεξιὼν, καὶ τὰ ἀυτῶν Μοναςήρια ἐν τῇ κατὰ τὴν Μαρίαν λίμνῃ ἱςορῶν περιοικίδι, ὀ περὶ τινων ἑτέρων ἱςόρησεν, ἀλλὰ περὶ Χριςιανῶν, *illorumque vitæ disciplinam, ac præconia celebrat, eorumque monasteria, quæ ad Marianam paludem circumquaque posita sunt, describit, non de aliis ullis, quam de Christianis ista narrasse.* SOZOMENVS *lib. I. Hist. Eccles. cap. XII. p. 419.* in Monachatus primordia inquirens, ubi PHILONIS de Essenis narrationem in compendium miserat, subjungit: καὶ ὁ μὲν

φίλων ὡδέ πη ἱςορῶν, ἔοικεν ὑποφαίνειν τὰς κατ' αὐτὸν ἐξ Ἑβραίων χριςιανίσαντας, ἔτι ἰȣδαϊκώτερον βιȣ̃ντας, καὶ τὰ ἐκείνων ἔθη φυλάττοντας. *Et* PHILO *quidem, cum ista ad hunc modum narrat, indicare videtur Christianos sui temporis, qui ex Hebræis conversi, adhuc Judaico more vivebant, eorumque ritus custodiebant:* apud alios enim hoc vitæ genus non reperiri. Idem HIERONYMVS scribit, Lib. *de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. XI.* ubi de PHILONE Judæo, quem inter Scriptores Ecclesiasticos retulit, quod eum in scriptis suis Christianos Ecclesiæ Alexandrinæ, a Marco institutæ, celebrasse crediderit, ibidemque addit: *ex quo apparet, talem primam in Christum credentium fuisse Ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur & cupiunt.* Tantorum itaque nominum auctoritate nixi, recentiores pronunciant, descriptos a PHILONE Essæos, Religiosos fuisse Christianorum, qui S. Marci ministerio, qui primus ad prædicandum Evangelium in Aegyptum missus fuerit, e Judaismo ad fidem Christi conversi, circa Alexandriam celebres habuerint sedes.

Huic autem commento se mascule opposuerunt SCALIGER in *Elenchi cap. XXIX. & XXX.* & in *Prolegomenis ad opus de emendatione temporum f.* 22. & *lib. VI. p.* 538. HOSPINIANVS *de Monachis lib. I. c. 6.* CHAMIER *Panstrat. Cath. Tom. III. lib.* 20. *c.* 22. SCVLTETVS in *medulla Patrum P. III. p.* 205. DALLAEVS *de Jejunio lib. II. cap.* 4. LIGHTFOOT *T. II. Opp. pag.* 852. BLONDELLVS *de Sibyllis lib. I. cap. VII. p.* 26 *sq.* BASNAGE *c. l. cap. XIII. p.* 558. PRIDEAVX *c. l. p.* 111. Ex Nostris quoque DORSCHEVS *Indic. iniquitat. p.* 83. THOM. ITTIGIVS *Hist. Eccles. Sec. I. cap. IV.* §. 15 *sqq.* PAVLVS HEINIVS integra, quam supra citavimus, disputatione, & FRID. CAR. ZINCK *cit. disput. Part. II. cap.* 2. quibus accedit b. IOH. ALBERT. FABRICIVS *Biblioth. Græc. Lib. IV. cap. IV. p.* 113. quin & ex ipsis Pontificiis, HENRIC. VALESIVS in *Not. ad Eusebii cit. loc. p.* 34. In ceteris, quas summo jure urgent, rationibus, prægnantissimas juxta ac evidentissimas subministrat temporum ratio, & Therapeutarum religio. Suum de illis commentarium concinnavit PHILO, imperante Claudio, quando nec Ecclesia Christiana multam jam a Domini ascensione ætatem traxerat, nec Marcus in Aegyptum adhuc migraverat, qui primus Aegyptiorum doctor omnibus habetur. Vnde ergo Christiani in Aegypto ante prodierunt, quam Evangelium de Christo ipsis annunciaretur? aut qua ratione PHILO ad veteres statorum hujus ordinis libros provocare potuit, quibus sui temporis posteri inhæserint, quando *c. l. pag.* 691. inquit: ἔςι δὲ αὐτοῖς καὶ συγγράμματα παλαιῶν ἀνδρῶν, οἳ τῆς αἱρέσεως ἀρχηγέται γενόμενοι πολλὰ μνημεῖα τῆς ἐν τοῖς ἀλληγορȣμένοις ἰδέας ἀπέλιπον, οἷς καθάπερ τισὶν ἀρχετύποις χρώμενοι, μιμȣ̃νται τῆς προαιρέσεως τὸν τρόπον. *Habent etiam priscorum commentarios, qui hujus sectæ auctores multa monumenta reliquerunt, de allegoriis ejusmodi, ad quorum imitationem posteri se accommodant.* Ad institutum autem monasticum quod attinet, Paulus Eremita, teste HIERONYMO in Viri elogio, sæva, quam Imperatores Decius & Valerianus excitarunt, persecutione adactus, circa A. C. 250. in eremum secessit, vitæque asceticæ primus iniit rationem, quem Antonius, celebritate nominis Pauli invitatus, in eodem imitatus est deserto. Quando ergo HIERONYMVS *in vita Hilarionis eremitæ*, ante Paulum Monachum in Syria visum fuisse ullum diserte negat, ut in eo genuini Monachatus natales sint quærendi, frustra jam PHILONIS ætate, in Essenis theoreticis Monachi Christiani quæruntur. In EVSEBIO confutando operam cumprimis posuit BASNAGE §. *XI. f.* 567 *sqq.* & quibus se implicaverit difficultatibus, studiose demonstratum dedit. Hunc autem EPIPHANIVS, SOZOMENVS, HIERONYMVS & ceteri cœci secuti sunt cœcum ductorem, qui in avia & abrupta ipsos deduxit. Reclamat etiam religio, vitæque institutum. Nam & septimum quemque diem, i. e. Judæorum Sabbathum, summa Therapeutas religione coluisse testatur PHILO, quod tamen apud Christianos abrogatum Paulus memorat Col.

Col. II, 16. & cum Dominica die, quæ prima eſt hebdomadis Apoc. I, 10. permutatum, ultima teſtatur antiquitas; licet Chriſtianorum aliqui ſeptimo quoque, una cum primo, ſed libere, nec ubivis locorum, feriarentur: & quinquageſimum, exactis ſeptem ſeptimanis, *προεόρτιον μεγίςης ἑορτῆς*, diem veneratos fuiſſe, ex *κακοζηλία* annorum apud Judæos remiſſionis & Jubilæorum, qui prorſus ignoratur Chriſtianis. Morem porro explicandi Scripturam Allegoricum omnino ipſis PHILO tribuit *p.* 691. *ἐντυγχάνοντες τοῖς ἱερωτάτοις γράμμασι, φιλοσοφῶσι τὴν πάτριον φιλοσοφίαν ἀλληγορῶντες, ἐπειδὴ σύμβολα τὰ τῆς ῥητῆς ἑρμηνείας νομίζωσι φύσεως ἀποκεκρυμμένης, ἐν ὑπονοίαις δηλωμένης, verſantes ſacra volumina, dant operam Philoſophiæ per manus acceptæ a majoribus, ſcrutando ejus allegorias, quoniam ſub apertis verbis latere credunt ſecreta naturæ, conjecturis explicanda probabilibus*, quæ in Judæorum Cabbalam quadrant, a Chriſtiana Sacrorum voluminum exegeſi procul abſunt: ut taceam, quæ illa, naſcentis Eccleſiæ ætate, *πάτριος* ſit *φιλοσοφία*, explicari non poſſe. Binæ quoque preces ſtatæ quotidie, mane ac ſub veſperam, reliquum tempus omne meditationi dicatum, vita eremitica, ſolitudini ac cellis incluſa, ac tot præterea *ἐθελοθρησκεῖαι*, Therapeutis uſu receptæ, quomodo de primævis probari poterunt Chriſtianis? Vinum pro veneno, dementiam afferente, habebant illi: quod tamen Timotheo, ad tuendam & confirmandam valetudinem Paulus commendat. Victus eorum carnes excludit, & *τράπεζα καθαρὰ τῶν ἐναίμων, menſa pura erat a dapibus cruentis*, pane ſolum, ſale, ac hyſſopo contenta *p.* 696. quibus tamen libere veſcuntur Chriſtiani 1 Cor. X, 25. & ad Dæmoniorum referunt dogmata, religionis obtentu cavere ſibi a cibis, quos Deus in hominum condidit & deſtinavit uſum, 1 Tim. IV, 3 ſqq. Vt taceam, quod mirari ſubit Viros doctos, qui factum ſit, ut Chriſtianorum religionem, vivendique rationem, tot tantiſque laudibus ferant Judæorum verſutiſſimi, PHILO & IOSEPHVS, ea ætate, qua Judaicæ gentis in Chriſtianam odium vel maxime gliſcebat? Quod ſupereſt, inſignis inferenda vis erit IOSEPHO, ſi Chriſtianos dicamus, quos ille ad Judæorum refert trihæreſium, Eſſenos.

Nova, ex ſuperiori, emerſit controverſia, non æque late patens, quæ, *numne Therapeutæ* PHILONIS, *Eſſæi fuerint, necne?* diſcutit & definit. Eosdem fuiſſe utrosque, ſed Theoreticos, cum Auctore noſtro affirmamus: eandemque tuentur ſententiam SCALIGER, ſupra laudatis locis, HOTTINGER. in *Hiſt. Eccleſ. N. T. Sec. I. Sect. I. pag.* 10. & *in Theſ. Phil. Lib. I. cap. I. Sect. V. pag.* 39. BLONDELLVS *loc. ante cit.* SPANHEMIVS in *vita Marci Evangel. T. II. Opp. p.* 283. & *Hiſt. Eccl. V. T. Opp. T. I. p.* 460. plurimique noſtratium. Contrarium tenent HENR. VALESIVS *c. loc. ad Euſeb. & Sozom.* qui Therapeutas Judaicæ quidem religionis cultores fuiſſe largitur, Eſſenos fuiſſe negat, & ad PHOTII in *Biblioth. Cod.* 103. provocat conſenſum, qui Judæorum Philoſophos duplicis generis memorat, Theoreticos & Practicos, quorum illi quidem Eſſeni, hi vero Therapeutæ ſint dicti. Huic acceſſit PAGIVS *Criticæ Anti-Baron. ad A. C.* 64. BASNAGE *Annal. Polit. Eccleſ. ad A. ante Dom.* 2. HANCKIVS *de Scriptoribus rerum Rom. P. I. c.* 8. *p.* 46. & hac noſtra ætate celeb. IOH. IOACH. LANGIVS in diſſertat. *de Therapeutis*, Halæ Magdeb. A. 1721. publici juris facta, qui tam Judæos fuiſſe, quam cum Eſſenis eosdem, data opera negat. Affirmantium adſertio, *&* ternario nititur hæreſium apud Judæos numero, bis a IOSEPHO diſerte adſtructo, & communi eruditorum calculo probato; *&* collatione inter Therapeutas PHILONIS & Eſſenos IOSEPHI inſtituta, quos facile agnoſces eosdem, ſi ea demas momenta, in quibus practici a theoreticis abibant in diverſum. Argumenta negantium ſunt, 1) quia PHILO *in toto illo libro de Vita Contemplativa, nusquam illos Eſſenos nominat:* Eodem vero concludendi modo conficies, Therapeutas ſectam inter Judæos nullam conſtituiſſe, quia nuspiam IOSEPHVS, in ſectarum recenſione, eos nominat. Quin ex eo ſatis conſtat,

ſtat, utrosque ad eandem pertinuiſſe velut familiam, quia promiſcue, nunc Eſſeni, nunc Therapeutæ, a Scriptoribus coævis, ejusdemque gentis, & rerum apprime gnaris, appellantur: 2) *Eſſeni quidem in Judæa tantum erant ac Palæſtina, Therapeutæ vero per omnem Græciam ac Barbariem erant diffuſi, præcipue in Aegypto circa Maræotem degebant.* Neutrum, cum excluſione ceterarum regionum, vel ex PHILONE conficies, vel ex IOSEPHO, etſi PHILO confertim in Aegypto habitaſſe, ſedemque tantum non principem habuiſſe memorat, ad quam ex Judæa & Syria confluerent ejusdem homines inſtituti: 3) *Quia* IOSEPHVS *cum de Eſſenorum ſecta duobus in locis ex profeſſo diſſeruerit, tamen de illis* θεωρητικοῖς *Eſſenis ne verbum quidem dixit.* Ejusdem hæc ratio momenti eſt, cum ſuperiore, nec ex IOSEPHI ſilentio nominis, res ipſa ſequitur neganda. Vt taceam, Therapeutarum placita non omnino ſicco præteriiſſe IOSEPHVM pede, ſed promiſcue de Eſſenis, magis tamen de Practicis, locutum, & communi utrosque Eſſenorum nomine complexum fuiſſe: 4) *Multa Therapeutis attribuit* PHILO, *quæ ab Eſſenorum ſecta longe abhorrent; qualia ſunt de mulieribus therapeuticis, & de patrimonio, propinquis & amicis ſponte relicto.* Si vero repetas, quæ de momentis diſcrepantiæ inter Theoreticos Eſſenos & Practicos, ſupra cum Auctore monuimus, res erit in vado. Vtrique Eſſeni erant, ſed in nonnullis vitæ rationibus a ſe mutuo diſcedentes, geminam quaſi ejusdem ſectæ familiam, non alienum prorſus ordinem, conſtituebant. Hactenus VALESIVS. Addit celeb. LANGIVS 5) *Cultum Numinis, qui purior erat apud Therapeutas, quam Eſſæos.* Illos ab omni idololatriæ immunes fuiſſe macula, hos verſus ſolem orientem vota patria nuncupaſſe; illos nullum templo Hieroſolymitano honorem habuiſſe, hos donaria illuc miſiſſe. Sed ab Heliolatrias labe ſupra ipſos purgavimus, de donariis templi utrorumque morem pariter ediſſeruimus: 6) *Obſervationem religioſam numeri, & quidem ſeptuplicis: quæ ſingularis fuit apud Therapeutas, & illis, ut videtur, cum Eſſæis non communis.* Cur vero non communis? quia ὑποθέσει δουλεύοντι ita videtur. Quin utrique potius, legis Moſaicæ ſtudioſi, multum ſeptenario, & plus interdum, quam par erat, tribuebant. Reliqua diſcuſſione non egent.

Idem tamen Vir Clariſſ. alii adhuc diſquiſitioni locum fecit, quando *Therapeutas Philoſophos fuiſſe cenſet gentiles, ſed Judaizantes, e variis plagæ orientalis populis, in ſectariam aliquam ſocietatem coeuntes.* Plane ſingularis eſt in eo LANGIVS, viamque inſiſtit a nemine hactenus tritam, quando Gentilibus adſcribit, quos PHILO genti ſuæ accenſet, & Moſaicæ legis perquam ſtudioſos perhibet, & inſtituta Judaica ſectantes. Admodum infirmum a Philoſophia ducit argumentum, quod eorum vita omnis in ſtudio ſapientiæ fuerit poſita, per manus a majoribus acceptæ. Nam & IOSEPHO ac PHILONI, & Chriſtianis uſu receptum eſt ſcriptoribus, Philoſophiæ nomenclatura non Paganum ſolum, ſed Judaicum quoque, immo & Chriſtianum ſapientiæ ac meditationis ſtudium deſignare. Fidem dicto faciet IOH. CASP. SVICERVS *in Theſauro Eccleſiaſt. h. v. p.* 1438 *ſqq.* ubi de ſingulis Philoſophiæ generibus loca plurima congeſſit, nobisque hic otium fecit. Nec firmiori nituntur talo, quæ ex univerſa tractationis apud PHILONEM ſerie eruere pro ſententia ſua nititur argumenta, quibus ut levioribus, brevitatis ſtudio, non immoramur. Qui autem factum eſt, ut DIOGENES LAERTIVS, & quotquot gentilis Philoſophiæ vel hiſtoriam texuerunt, vel Sectas percenſuerunt, & curatiſſimo in iis ſtudio ſunt verſati, cum pagani Scriptores, tum Chriſtiani, hanc ſectam ignoraverint, quam unus vidit LANGIVS? Vix aliunde id proveniſſe potuit, quam quod illi fidem hiſtoricam, Veterumque ſequerentur auctoritatem, hic vero nubem, quam pro Junone amplexus eſt, ornandam pingendamque ſibi duxerit pro virili. Sed hæc ſufficiant de Eſſenis.

AD

LIB. I. CAPVT XIII.

DE GAVLONITIS ET HERODIANIS.

De *Gaulonitis* pauci admodum sunt commentati, IOSEPHVS *Antiqu. lib. XVIII. cap. I.* §. 6. SPANHEM. *Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. I. Opp. p.* 463. BVDDEVS *Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. II. p.* 1217 *sq.* BEBELIVS *Antiquitat. Evang. & Jud. Art. XII. Sect. III. p.* 861. IOH. SAVBERT. *de Sacerdot. Hebr. cap. XXI.* edit. Cren. *p.* 692.

De *Herodianis* vero, post Scripturam Matth. XXII, 16. Marc. III, 6. & cap. XII, 13. EPIPHANIVS *Hæresi VII Judæor. Tom. I. Opp. p.* 45. PHILASTRIVS *in Catalogo hæresium n.* 28. *p.* 13. VALESIVS *Annotat. ad Euseb. lib. II. Hist. Eccl. cap.* II. SERARIVS *lib. de Herode tyranno cap.* 23. HARDVIN *de Nummis Herodiadum p.* 96 *sqq.* DRVSIVS *de trib. Sect. lib. I. cap.* 3, 4. & *lib. I. præteritor. p.* 45. SCALIGER *Elenchi cap. I.* & *in Animadvers. ad Euseb. p.* 163. CASAVBONVS *ad Apparat. Annal. Exerc. I. n. V. p.* 34. SPANHEM. *Hist. Eccles. Vet. Test. Tom. I. Opp. p.* 462. LIGHTFOOT. *Harm. Evangel. P. III. Sect.* 16. *Tom. I. Opp. p.* 470. & *Hor. Hebr. in Matth. XXII,* 16. *Opp. Tom. II. p.* 354. PETITVS *Var. Lect. lib. II. cap. I.* HEINSIVS *Exercit. Sacr. ad Matth. II. p.* 99. HOTTINGER. *Thes. Phil. lib. I. cap. I. Sect.* 5. *p.* 44. PELARGVS *Quæst. ad Matth. p.* 182. DILHERR. *Tom. II. Dispp. p.* 315 *sqq.* BEBELIVS *Antiquitat. Evang. & Judaic. Art. XII. Sect. III. p.* 868 *sqq.* BVDDEVS *Histor. Vet. Test. Tom. II. p.* 1217 *sqq.* STOLBERG. *Exercitat. XII. de Herodianis p.* 419. IOH. SAVBERTVS *de Sacerdot. Hebr. cap. XXV.* edit. Cren. *p.* 700. IOH. IACOB. IENSENIVS disput. *de Herodianis*, Jenæ, A. 1668. publice proposita & ventilata. Obiter quoque & *ὡς ἐν παρόδῳ*, sed solide WERNSDORFIVS disput. *de fermento Herodis* A. 1724. §. 15. *p.* 18 *sqq.*

Ad §. I. pag. 36.

(1) *Quæ improprie Sectæ vocantur*] Recte Auctor noster has duas, non tam diversas religionis sectas, Ecclesiam in doctrina turbantes, quam factiones politicas appellat, pacem publicam & quietem reipublicæ, per studia partium civilia, in discrimen adducentes. Aeque ac de Gaulanitis SPANHEMIVS pronunciat: *factio hæc potius Civilis, quam Ecclesiastica.*

Ad §. II. pag. ead.

(2) *Subinde nominatur Judas Gaulonites*] Qui Galilæus dicitur Judas Actor. V, 37. ab IOSEPHO *lib. XVIII. Antiquitat. c. I.* Γαυλανίτης ἀνὴρ, ἐκ πόλεως ὄνομα Γαμάλα, *Gaulanites homo, Gamala ortus civitate*, salutatur. Hinc LIGHTFOOTVS *Centur. Chorogr. ad Matth. cap. XCI sq.* in illam descendit opinionem, aliquam trans Jordanensis regionis partem, etiam Galilæam dictam fuisse, ac Galilæum & Gaulonitem æquipolluisse. Sic Petrum, Andream, & Philippum Apostolos, fuisse Gaulonitas, e Bethsaida oriundos, Joh. I, 45. & tamen Galilæos dictos. Verum IOSEPHVS Galilæam & Gaulanitin sollicite distinguit, quantumvis Judam seditiosum & Galilæum appellet *Antiqu. lib. XX. cap.* 3. & Gaulaniten *lib. XVIII. cap.* I. Neque tamen eapropter integras regiones loco movendas censet HADR. RELANDVS *Palæstinæ lib. I. p.* 181. sed dicendum potius, Judæ duplex, immo triplex hæsisse nomen, ab urbe natali, a loco educationis, & habitationis. Ad eundem etiam modum CELLARIVS *Geogr. Antiqu. lib. III. cap. XIII. p.* 634. conciliat, Judam illum patria fuisse Gamalensem, urbs autem Gamala Gaulanitidis erat, habitatione aut conversatione Galilæum.

Erat autem Gaulanitis extrema pars terræ Basan, trans Jordanem, vergens in meridiem, & confinis Galaditidi, quæ nomen sortiebatur a metropoli, Gaulon vel Golan dicta. Contra vero Galilæa erat septentrionalis pars terræ Canaan seu Palæstinæ, ab extremo Syrorum limite, inter Jordanem & mediterraneum mare, ultra lacum Genesareth producta; ac dividitur IOSEPHO *lib. III. de B. J. cap.* 4. *εἰς τὴν ἄνω, καὶ τὴν κάτω Γαλιλαίαν.* Judæos quoque Galilæam a regione trans Jordanem semper distinxisse probat citato loco RELANDVS, & addit: *qui contra sentit, auctores veteres proferat, qui Galilææ ullam omnino partem trans Jordanem locarunt:* ut *Lightfootianum* omnino corruat commentum. Ab hoc itaque Juda, seu Galilæo, seu Gaulonita, (utroque enim nomine venit,) appellati sunt sectatores ejus Gaulonitæ, qui etiam Galilæi Luc. XI, 1. dici censentur, non tam regionis notione, quam factionis, quod a partibus starent Judæ Galilæi.

Ad §. III. pag. 36.

(3) *Differunt tamen*] Commode, & ex vero Auctor noster geminam & distinctam statuit *ἀπογραφὴν*, eam, quæ sub ortum Christi facta, Luc. II, 1. memoratur, & illam, quæ extat Actor. V, 37. quia *α*) prior illa, Augusti jussu, circa nativitatem Servatoris, & extrema Herodis tempora, per universam, quæ Herodi parebat, regionem, non ab aliquo Magistratu Romano, singulari cum imperio misso, peracta, sed in Augusti gratiam, ab ipso Rege Judæorum Herode, instituta fuit, ut conjicit BYNAEVS *lib. I. de natali J. C. cap. III. §. IX. p.* 332. Ast posterior, decem post priorem annis, relegato Archelao, peracta est, atque intra Archelai patrimonium, & Tetrarchiam solum stetit, quæ tunc in formam provinciæ redigebatur, factaque a Magistratu Romano. Quirinus enim Syriæ summo cum imperio administrandæ Præfectus, illam moderatus est. Hinc *β*) prior illa non Romano facta est more, sed Judaico, ut quisque ad suam, patriamque tenderet urbem, nomenque suum profiteretur, nec adeo *τῶν ὄσιων ἀποτίμησις*, tributi causa instituta, sed tantum *τῶν ἀνθρώπων ἀπογραφὴ* fuit, ut de Judæorum viribus constaret, & quantum auxiliorum Augusto subministrare posset Herodes; quales descriptiones apud socios Reges, sociasque civitates, Romanis non infrequentes erant. Posterior, præter hominum numerum, facultatum quoque censum egit, ut tributum ejus incolis capitatim injungeretur, unde nata seditioni ratio & ansa. Vnde porro *γ*) prior illa silentio prætermissa IOSEPHO, quia nihil memorabile aut extraordinarium in illa contingeret, qui tamen posteriorem multis persequitur; eaque posterior simpliciter, & sine ulla adjectione, atque *κατ᾽ ἐξοχὴν*, *τῆς ἀπογραφῆς* nomine venit, quod omnibus esset notissima, & recentior, & ob adjunctum censum multo gravior, cumprimis autem memorabilior, propter redactam tunc in formam provinciæ Judæam. Quando autem de priori Lucas habet: *αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου*, laudatus supra BYNAEVS *p.* 324 *sqq.* IOH. GEORG. HARWARTVM *in Chronol. cap.* 241, 242. secutus, scite vertit, descriptionem hanc prius esse factam, quam præsideret Syriæ Quirinus, ut hoc pacto prior illa descriptio Herodiana, clare distinguatur a celebri illa posteriori, quam Præfectus Syriæ Quirinus peregit. Ita ergo capiendum, ac si diceretur: *πρώτη ἐγένετο πρὸ ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου*, ut alias apud veteres Scriptores Græcos *πρῶτος* sæpe pro *πρότερον* ponitur. Alias enim nec calculus temporum congruit, nec ordo Præsidum Syriæ, quod Herodis tempore Quirinus nemo Syriæ, Romanorum nomine præsideret. Hinc porro idem Vir doctissimus prolixe & erudite refutat HENR. VALESIVM, qui *Animadvers. ad Euseb. Hist. Eccles. lib. I. cap. V.* utramque & Lucæ, & IOSEPHI descriptionem fuisse vult unam, saltem IOSEPHVM falli, quod eam demum post relegationem Archelai contigisse existimarit. Sed ipse fallitur VALESIVS, duas diversissimas descriptiones, tempore, modo, fine, & Magistratu diversas, invicem confundens, ac pro una habens.

bens. Hinc amplissimus eruditorum virorum senatus, BEZA, IOSEPH. SCALIGER, ISAAC. CASAVBONVS, DIONYS. PETAVIVS, IOH. DRVSIVS, HVGO GROTIVS, FRIDERICVS SPANHEMIVS, & alii, pro duplici calculum tulit descriptione, utramque ab uno factam Quirino, diversis temporibus: primam superstite adhuc Herode Magno, alteram autem post Archelai exilium, cum Judæa in provinciam redacta, Syriæ attribueretur: & ad illam peragendam, Quirinum cum extraordinario imperio in Syriam, & ipsum Herodis regnum, missum, Saturninoque ordinario ejus Præsidi adjunctum, tanquam Cæsaris Procuratorem, quemadmodum Saturnino collegam datum Volumnium, idem scribit IOSEPHVS. Quod bene haberet, & proniorem textus Luc. II, 1. explicationem admitteret, modo constaret, Quirinum Herode adhuc vivente in Syriam fuisse missum. Quod cum nemo Veterum, nec ipse affirmet IOSEPHVS, quibus testibus Quirinus, Archelao relegato, demum Quinctilio Varo successit, & ordinario functus magistratu, annis post priorem decem, descriptionem hanc peregit, innumeræ hinc nascuntur difficultates, haud facile superandæ, nisi Lucæ verba ad eum, quem BYNAEVS tuetur, modum exponantur. Atque ista paulo plenius declaranda censuimus, propter insignem Interpretum dissensum pariter, ac loci dignitatem.

Ad §. IV. pag. 36.

(4) *Ita se habuit*] Hanc ita tradit IOSEPHVS *lib. II. de B. J. cap. VIII. §. 1. p.* 160. Coponio in Syriam misso, & Archelai in provinciam redacta regione, *τὶς ἀνὴρ Γαλιλαῖος, Ἰȣ́δας ὄνομα, εἰς ἀπόστασιν ἐνῆγε τȣ̀ς ἐπιχωρίȣς, κακίζων, εἰ φόρον τε Ῥωμαίοις τελεῖν ὑπομένȣσι, καὶ μετὰ τὸν Θεὸν οἴσȣσι θνητȣ̀ς δεσπότας, vir quidam Galilæus, cui nomen erat Judas, ad defectionem indigenas excitabat, ignavos dicens, si Romanis tributum pendere sustinerent, & post Deum mortales dominos agnoscerent.* Censum enim illum liberæ genti imponi, indigne ferebat Judas, servitutis Judæorum testem causatus, hinc tributa Romanis persolvenda, Cæsarem pro Domino habendum, aut pro ejus salute preces fundendas negans, ad gravissimam populum excitavit seditionem, specie quidem libertatis, reipsa autem, ut IOSEPHVS advertit, *οἰκείων κέρδων ἐλπίσι, privati lucri studio.*

Ad §. & pag. eand.

(5) *Gaulonitæ, & etiam Galilæi*] Quo sensu & respectu utrumque obtineat nomen, ad §. II. observavimus. Numne vero peculiarem Gaulonitæ inter Judæos sectam constituerint, ambigue disputatur. Liquido affirmat IOSEPHVS *Antiqu. lib. XVIII. cap.* 1. ubi præter tres istas, Pharisæorum, Sadducæorum & Essenorum memoratas a se sectas, addit: *τῇ δὲ τετάρτῃ τῶν φιλοσοφιῶν ὁ Γαλιλαῖος Ἰȣ́δας ἡγεμὼν κατέστη, τὰ μὲν λοιπὰ πάντα γνώμῃ τῶν Φαρισαίων ὁμολογȣ̃σι, δυσκίνητος δὲ τȣ̃ ἐλευθέρȣ ἔρως ἐστὶν αὐτοῖς, μόνον ἡγεμόνα καὶ δεσπότην τὸν Θεὸν ὑπειληφόσι. Θανάτων τε ἰδέας ὑπομένειν παρηλλαγμένας ἐν ὀλίγῳ τίθενται, καὶ συγγενῶν τιμωρίας καὶ φίλων, ὑπὲρ τȣ̃ μηδένα ἄνθρωπον προσαγορεύειν δεσπότην. quartam introduxit Judas ille Galilæus, hominum qui ceteroquin cum Pharisæis sentiunt, sed libertatem sic amant, ut eam mordicus tueantur, Deum unum pro rectore & Domino habentes. Varias etiam mortes subeundas, cognatorumque supplicia & amicorum nihili faciunt, dummodo hominum neminem Dominum appellent.* Vnde ultro intelligitur, nihil prorsus eos in religione innovasse, sed a Pharisæorum stetisse partibus, modo avitam tueri libertatem, Romanorumque amoliri jugum conatos, peculiarem composuisse societatem, cui venerabile Dei, ejusque imperii, prætexerent nomen. Seditiosorum itaque hominum globus potius, quam secta erat in Ecclesia. Porro *Zelotæ* nuncupati, per quos tandem pessundata fuit respublica Judæorum.

Ad §. V. pag. 36.

(6) *Quem sacrificiis ipsorum miscuit Pilatus, Luc. XIII, 1.*] Nec hoc certum adeo & exploratum est, ac tradit GOODWINVS. Sunt enim, qui de Samaritanis accipere malunt, & de tumultu ad montem Garizim excitato, de quo IOSEPHVS *lib. XVIII. Antiqu. cap. V. Nihil tamen vel hic legitur de sacrificiis, vel apud Lucam de Samaritanis*, breviter, summoque cum judicio observat SPANHEMIVS, rem in medio relinquens. Cum prioribus tamen facit RICH. SIMON *in Notis ad vers. Gallic.* Ab utrisque discedit πολυμαθέστατος WOLFIVS noster *Curis Philol. ad h. l.* homines istos non a Juda Galilæo, tanquam cœtus sui primipilo appellatos censens, sed a patria Galilæos dictos, & præter omnem suam culpam neci datos esse. Quotiescunque enim in Nov. Test. memorantur Galilæi, toties intelligi observat homines vel gente, vel educatione, vel commoratione Galilæos: Christum vero vel eo nomine nuncium de cæde eorum allatum esse, quod & ipse talis esset. Immo Servatorem nostrum vers. 2. trucidatos hos cum reliquis Galilæis comparare, qui cum de aliis accipi non possint, quam de civibus patria Galilæis, etiam istos de his interpretari fas esse ducit. BERN. LAMY *Comment. in Harmon. Evangel. lib. IV. cap. 1. p.* 300. copiose in hanc historiam inquirens, tandem concludit, istam Pilati stragem editam fuisse in viros seditiosos, Judæ Galilæi quidem sectatores, quos in ipso Templo, mactando agno paschali intentos, Pilatus occiderit, cum ceteros Judæos, ne tributa Romanis penderent, seditiosis vocibus concitarent. Verum, si paulo curatius ad circumstantias attendimus, factum hoc non fuisse patet in Judæ Galilæi seditione, in qua Pilatus nondum provinciam rexit, sed Coponius: nec in motu Judæorum, ob signa, Cæsaris effigie conspicua, Hierosolymis illata constituto, ubi non cum Galilæis agebatur, nec inter sacrificia versabantur Judæi, nec in Samaritanorum tumultu, juxta Thirathabam, cum non Galilæorum, sed Samaritanorum ista esset collectio, nec uspiam Galilæorum nomine Samaritani veniant. Fuisse ergo colligit DORSCHEVS *interpellationis c.* TRIGLAND. *p.* 220 *sq.* factum particulare, historiæ profanæ non annotatum, quo in Galilæos nonnullos, seditiosa agitantes forsitan ex vetere instinctu consilia, inter sacras operationes, Pilatus animadvertit paulo ante, quam istud Christo referebatur. IOH. REINHARDVS *Harm. Evangel. lib. V. P. I. Sect. 2. cap. XV.* post discussas ceterorum sententias, in ea demum acquiescit, quoniam Galilæi ad rebellandum magis proni erant, quam reliqui Judæi, contingere potuisse, ut hi, sceleris, quod machinabantur, ἐργοδιῶκται id ausuri, sacrificio prius oblato, Numineque velut propitio id suscipere voluerint, quod tempestive rescivit Pilatus, eosdemque jugulavit sacrificia immolantes, atque sic bestiarum hominumque cruorem miscuit. Vtraque hæc posterior jungi poterit conjectura, neque tamen ad liquidum rem perduces, cum progredi ulterius non detur.

Ad §. VI. pag. 37.

(7) *Herodianos Hæreticis accensent*] Herodianorum nota

α) Appellationem, quæ ab Herode aliquo ortum trahit, incertum autem, a quonam. Tres enim Herodes memorat historia sacra, quorum I. Herodes Magnus, & a patria Ascalonita, a facinore Infanticida dictus, filius Antipatri. II. Herodes Antipas, qui pariter Marc. IV, 14. Rex salutatur, Tetrarcha autem Galilææ, & regionis quoque trans Jordanem fuit, Ascalonitæ filius, qui Herodiadem rapuit, eaque de causa Johannem decollavit Baptistam. III. Herodes Agrippa, Herodis Magni ex Aristobulo filio nepos, qui Jacobum interemit, & Petrum carcere clausit Act. XII, 1. Qui a postremo nomen manasse censent, temporum repugnant rationi, quod illa tempestate, qua Christus ab Herodianis tentabatur, Agrippa imperio nondum esset admotus. Rectius sentiunt, qui ad Herodem Magnum, seu Ascalonitam, nominis referunt originem: & *graves*

ves causæ sunt, cur ne dubitari quidem debere putem, ab Herode M. & nomen, & originem istos habuisse, judice CASAVBONO *c. l. p.* 35.

β) Genus, quod in tres classes dispescunt doctores, ut vel gentem peculiarem, vel vitæ statum, vel religionis sectam, Herodiani designent. *Gentem* illos constituit DRVSIVS *in præterit. ad Matth. XXII*, 16. & in *Commentario poster. ad voces Novi Test. cap. XXIII.* Græcos perhibens, ab Herode, qui primus eos ex deserto ad locum habitatum traduxerit & educaverit, appellatos, qui in sectam redacti & Herodis natalem celebrarent, & eundem Messiam esse crederent. Ridiculo errore ex יוני הרדסיאות *columbis domesticis*, sive *cellaribus*, Græcos fabricans Herodianos; quo ipsum nomine copiose & graviter castigavit BVXTORFIVS *Lexic. Talmud. voce* הירדסי / הרדסי *fol.* 630 *sqq.* Nominis celebritate DRVSIVS in eundem rapuit errorem BEZAM *Not. majorib. in cap. XXII. Matth.* Vitæ *statum* hoc nomine notari censent omnes, qui vel milites Herodis, vel aulicos & ministros ejus denotari putant: de qua sententia mox pluribus dispiciemus. Qui denique *Sectam* ex illis conflarunt, varia iisdem φορτικὰ ἀκούσματα attribuerunt. א. Quod vel omnino, vel ex parte Sadducæis fuerint addicti. Ita tradunt CORN. IANSENIVS *Concord. Evangel. cap.* 64. CONSTANT. L'EMPEREVR *Annotat. in Bertram. de Republ. Hebræor. pag.* 437. BEZA *Not. major. ad Matth. XXII.* GROTIVS *in eund. loc.* & alii. Quo autem minus huic subscribamus sententiæ, cum diserta eorum a Sadducæis distinctio Matth. XXII, 16. coll. 23. tum dogmatum diversitas prohibet, quod resurrectionem Sadducæi prorsus negarent, Herodiani, teste PHILASTRIO, confiterentur.

Ad §. VI. pag. 37.

(8) *Herodem M. haberent pro Messia promisso*] Hoc ב. dogma est, quod magno Patrum ac recentiorum consensu ipsis assignatur. Ita quippe TERTVLLIANVS *de præscript. Hæretic. cap.* 45. EPIPHANIVS *supra cit.* THEOPHYLACTVS *in cap. III. & XII. Marc.* EVTHYMIVS *in Matth. XXII.* VICTOR ANTIOCHENVS *in Marc. XII.* rursusque MENOCHIVS *l. III. de Republ. Hebr. c.* 16. *p.* 325. BARONIVS *Apparat. ad Annal. Eccles. pag.* 3, 7, 8. CASAVBONVS *Exercitat. I. c. Baron. n.* 5. IOSEPH. SCALIGER *Animadvers. ad Euseb. p.* 162. GROTIVS *in cap. XVI. & XXII. Matth.* & alii. Hi omnes Herodianorum κυρίαν δόξαν existimant, Herodem M. fuisse Messiam, τὸν ἐν πάσαις γραφαῖς νόμου τε καὶ προφητῶν προσδοκώμενον, ut EPIPHANIVS habet: quod in illo Judaicorum Regum successio finem habuerit, juxta promissionem Gen. XLIX. Jacobo factam. Quin & HIERONYMVS, licet *in cap. XXII. Matth.* sententiam istam, tanquam ridiculam perstrinxisset, tamen *dialogo contra Luciferian. c.* 8. *Tom. II. Opp. p.* 170. idem affirmat: *Taceo de Judaismi hæreticis*, inquiens, *qui ante adventum Christi, legem traditam dissiparunt: quod Dositheus Samaritanorum princeps, Prophetas repudiavit: quod Sadducæi, ex illius radice nascentes, etiam resurrectionem carnis negaverunt: quod Pharisæi a Judæis divisi propter quasdam observationes superfluas, nomen quoque a dissidio susceperunt: quod Herodiani Herodem Regem susceperunt pro Christo.* Vt vero taceam, hos omnes sublestam Patrum, ab Herodianorum ætate longe dissitorum traditionem secutos, nullo firmo niti fundamento; omnem profecto superat fidem, Judæos eo prolapsos dementiæ esse, ut hominem alienigenam, nec Judæum, agnoscerent pro Messia, quem e tribu Juda, & quidem e progenie Davidis oriturum, Sacri Codicis noverant auctoritate Matth. XXII, 42. CASAVBONVS quidem & GROTIVS negant Herodem ἀλλόφυλον fuisse, quem STRABO *lib.* 16. ἄνδρα ἐπιχώριον, *hominem Judæorum popularem* dicit, & qui ipse apud IOSEPH. *lib. XV. Antiqu. c.* 14. proceres Judæorum in concione ἄνδρας ὁμοφύλους, *ejusdem secum gentis* appellat, quippe qui patrem & avum ex Idumæis Judæos factos, seu Ἰουδαϊωμένους habebat. Verum enim vero talem Proselytum pro Messia Judæi certe non expectabant, sed qui esset ex semine Davidis, &

ex radice Jessæ. Accedit, quod Herodes M. tum ob infanticidium, tum ob nimium Romanis placendi studium, tum ob exstructum templum Samaritanum, Judæis nimis esset exosus, ut pro Messia eum nunquam essent excepturi. Et quamvis aliqui ipsum, quamdiu in vivis esset, adulandi forte animo, pro Messia venditarint, omnem tamen excedit fidem, etiam post Regis obitum, hanc insedisse insaniam adulatorum animis, ut sumtus ad sacrificia, quod SCALIGER affirmat, in honorem Herodis obeunda, & ejus natalem colendum facerent, duraveritque hæc φρατρεία tam longo post ejus funus tempore, cum res ipsa satis argueret, Herodem non fuisse Messiam, siquidem omnibus tunc temporis erat persuasum, Messiam in æternum duraturum, nec morti obnoxium futurum, Joh. XII, 34.

Ad §. VI. pag. 37.

(9) *Natalem diem superstitiosis sacris & festivitatibus*] Hoc ꝫ. est, quod huic sectæ impingitur, cuique fidem facere videtur *Glossator* PERSII *ad Satyr. V. v.* 180 *sqq.* ubi in Scholiis, quæ vulgo ANNAEI CORNVTI habentur, ita commentatur: *Herodis diem natalem Herodiani observant, ut etiam Sabbathi, quo die lucernas accensas, & violis coronatas, in fenestris ponebant.* Vnde PITHOEVS *ad eund. loc. Hinc illa lucem accipient,* inquit, *quæ de Herodianis in S. historia legimus Matth. XXII. Marc. XII.* Sed Interpretem hic mentem PERSII non assecutum censet SAM. PETITVS *Var. Lect. lib. II. c.* 1. ex cujus mente Satyricus non agit de Judæorum sectariis, sed de iis, qui Romæ Judaicam superstitionem amplectebantur, & dies feriatos aut festos gentis Judaicæ religiose observabant. *Dies* autem *Herodis* dicit PERSIVS, quod Herodes Rex, una cum posteris, Romæ satis notus & longe, quam Judaici ritus, celebrior, Judæorum genti nomen notamque facile conciliabat. Vt taceam, quod scite monuit Auctor, natalem Herodis M. festo quotannis ritu, etiam post Regis fata, celebratum, universam ignorare antiquitatem, & in ὑποθέσεως gratiam frustra fingi ab ejus patronis.

Ad §. VIII. pag. 37.

(10) *Certos gnathones in aula Herodis*] Redit hic Auctor ad statum hominum, eamque proponit sententiam, quæ nobis vel maxime probabilis videtur. Fuerunt quippe Herodiani ministri Herodis, velut olim Antipatri, ita posthæc Herodis Antipæ, familiares ac domestici ejus, quo sensu alias βασιλικοὶ dicuntur Joh. IV, 46. aut οἱ ἐκ τῆς καίσαρος οἰκίας Phil. IV, 22. Et ea quidem tempestate, Matth. XXII. homines de domo Herodis Antipæ, Pharisæorum precibus locum facile dederunt, ut ad Christum una cum ipsis abirent, & si qua pote, captiosa eum quæstione illaquearent. Hinc Syro ܕܒܝܬ ܗܪܘܕܣ *qui erant de domo Herodis*, b. CHEMNITIO *Palatini Herodis* ab Aula Regis, vel Palatio dicuntur. Adeoque non secta quædam, nec factio fuit, ut Gaulonitæ, sed hominum status, ab officio, quod obibant, & ab hero, cui ministeria præstabant, nomen sortitus. Eos autem novam quandam religionem, ex Judaismo & Paganismo conflatam, molitos vel professos fuisse, quod ex nostris b. GERHARDVS *Harm. Evangel. cap. CLIV*, Belgæ *in Notis ad suam versionem Bibliorum* prioribus de An. 1589. & alii tuentur, & Auctor noster addit, neutiquam apparet, omnique Veterum suffragio destituitur.

Ad §. IX. pag. 37.

(11) *Qui dimicabant pro censu Cæsari dependendo*] Est hæc HIERONYMI, a SAM. PETITO adoptata sententia, homines hos servos fuisse, sive libertos Herodis & Archelai, qui tributis exigendis præerant. Sed minus verisimile videtur, exactores tributorum a Pharisæis ad tentandum Christum fuisse adductos, cum sic facile fraus patuisset. Præterea distinctæ ditiones Herodis & Pilati non admittunt, ut Herodis exactores tributum colligerent Hierosolymis.

ſolymis. Maxime cum de pendendo tributo Cæſari quæratur, quod ad Herodianos tamen nihil plane attinebat. Et quomodo Archelai ſervi tributis exigendis præfuiſſe potuerunt, poſtquam ipſe Viennam miſſus fuit in exilium, ejusque familia fiſco adjudicata? ut eſt apud IOSEPHVM *lib. XVII. c.* 15. Quæſtionem autem de tributo, Chriſto movent utrique, ut ſi Servator pendendum negaret, hi ſtatim ad Herodem deferrent, atque ſic Chriſtus capitis periculum incurreret, cum ditioni Herodis eſſet ſubjectus Luc. XXIII, 7. ſin autem affirmaret, Phariſæi populi Dei libertatem ei objicere, & inviſum populo reddere poſſent. Quocunque ergo ſe verteret Dominus, in caſſes ipſorum prolapſurum credebant, quos ipſe tamen pro immenſa ſua ſapientia, reſponſo prudentiſſimo feliciter eluſit.

Ad §. IX. pag. 37.

(12) *Cavete a fermento Phariſæorum & Herodis*] Duo ſunt, quæ ad h. l. monere operæ eſt pretium, alterum lectio, alterum ſenſus. Sunt, qui pro Ἡρώδου legunt τῶν Ἡρωδιανῶν. Verum & contra probatorum Codicum fidem, quod ex MILLIO conſtat, & præter mentem dicentis. Duo quippe diverſa fermenti genera caveri volebat, alterum quidem Phariſæorum in ſchola, alterum Herodis in aula; alterum in doctrina publica, alterum in conſuetudine & diſciplina privata. Ergo non Herodianorum, ſed Herodis fermentum ſuſpectum illis reddebat. Hoc autem poſterius ἀκριβέστατος WERNSDORFIVS *laudatæ ſupra diſput.* §. 34, 35. curate perſequitur, & nil aliud fuiſſe evincit, quam Indifferentiſmum, cum Pſeudo-Politiciſmo, vel Machiavelliſmo conjunctum. Enim vero religionem omnem externe ſimulare, interne omnem ridere, vel etiam ex omni religione id, quod allubeſcit, aut ſpem utilitatis præbet, eligere, nullum inter veram & falſam religionem, ſectarios & orthodoxos, diſcrimen agnoſcere, veram fidem cum ſolida pietate inſuper habere, honeſtatis tamen & ſanctimoniæ ſpeciem præ ſe ferre, ab aliisque exigere, religionem ex utilitate metiri, profundamque aliquando malitiam externæ pietatis oſtentatione obtegere, prout denique ſpes commodi ſuggerit, omnium ſeſe voluntatibus dare; id omne ſigillatim de Herodiadum moribus probaverat, & nervos atque artus eſſe demonſtrat totius Indifferentiſmi, cum Pſeudo-Politiciſmo conjuncti, & omni ex parte fermenti alicujus indolem imitari, graviſſime docet. Hoc itaque ſibi vult fermentum Herodis.



ANNO-



ANNOTATIONES
AD
LIBRVM II.
DE LOCIS.
CAPVT I.
DE TEMPLO.

Ad §. I. pag. 38.

Jubetur Moses exstruere Tabernaculum] Tria Tabernacula Sacra, cultui V. T. dicata, memorat Scriptura. α) Mosaicum prius, quod in deserto procul a castris, Moses erexerat. Hoc velut tentorium quoddam castrense, & quasi Prætorium erat, ante exstructum solenne hoc, de quo hic agimus, Tabernaculum, quod ipsum tamen pariter Exod. XXXIII, 7. אהל מועד *Tabernaculum conventus* dicebatur, quia non tantum Deus ibi cum Mose congressus est, & gloriam suam Israelitis conspiciendam præbuit, verum etiam populus eo confluebat, si quid, religionis vel justitiæ causa, cum Mose agendum foret. Post μοσχολατρείαν enim Deus populo ita irascebatur, ut in columna nubis a castris recederet, & procul a populo, in deserto quasi figeret sedem. Huc itaque Moses Tabernaculum quoque transferebat extra castra, cui incumbebat columna nubis, ex qua cum Mose loquebatur Deus, spectante & se incurvante populo coram Jehova. At in hoc tentorio neque cultus peragebatur sacrificiis, nec populus ad illud adorabat, sed Dominum consulturus huc solum conveniebat, & oracula a Mose reddita percipiebat. β) Davidicum in monte Zion, quod arcæ fœderis tetenderat David, eam ut, magno cum tripudio ex ædibus Obed Edom accitam, juxta se collocaret 2 Sam. VI, 17. & 1 Chron. XVI, 1. Hoc tentorium nihil aliud, quam arcam fœderis continebat: altare autem holocausti cum universo cultu publico & solenni, Gibeone adhuc erat, ubi Tabernaculum conventus seu fœderis subsistebat, 1 Chron. XXII, 29. ubi etiam posthæc sacrificabat, Deoque supplicabat Salomo, 2 Chron. I, 3 sqq. Vnde intelligitur, cultum publicum non tam ad arcam, & locum, quo asservabatur illa, quam ad altare holocausti, & Tabernaculum fœderis Mosaicum, fuisse affixum. Quod autem BERNARD. LAMY *lib. III. de Tabernaculo, de S. Civitate, & Templo ejus, sect. III. p.* 541. tradit, Davidem non coram arca juxta ædes suas, nec in excelso Gibeonis, ad tentorium fœderis, sed in area Arafnæ in monte Morijah, ubi postea Templum conditum est, immolasse & sacrificiis Deum placasse, id cum historia deportationis arcæ in domum suam

2 Sam.

2 Sam. VI. & 1 Chron. XVI. oppido pugnat, ubi, præter unicum illud sacrificium in Morjah, diserte memorantur sacrificia Davidis, coram arca & tentorio eidem erecto, in monte Zion oblata. Etsi ergo cultus publicus, statusque in excelso Gibeonis persisteret 1 Chron. XVII, 39. 40. dubium tamen non est, quin cultum domesticum, quoad domi & Hierosolymis esset David, in hoc tentorio & coram arca peregerit, sæpiusque ibidem sacrificaverit, donec tandem illa in recens exstructum Salomonis templum deferretur. Posthæc vero, quid de hoc tentorio Davidico sit factum, amplius non liquet. Forte & idem in thesauris templi, æque ut Tabernaculum fœderis, fuit asservatum. Privato ergo cultui Davidis & familiæ ejus, hoc Tabernaculum inserviebat. γ) Mosaicum denique, quod Tabernaculum Fœderis passim audit, & divino jussu, atque ad exemplar in monte ostensum, Moses ex voluntariis oblationibus paraverat, multaque cum pompa erexerat, quodque tempore medium est inter duo memorata; istud quia ab Auctore nostro nimis tenuiter ac frigide tactum fuit, nos paulo copiosius delineabimus. Cujus proinde notamus

I. *Appellationem & encomia.* Exod. XXVI, tot. & XXVII, 9-19. משכן *habitaculum* & אהל *tentorium* passim vocatur, cumprimis vero cum adjuncto אהל מועד *tentorium conventus*, quia eo populus ad Sacra publica convenire solebat Exod. XXX, 13. & XL, 22. etiam אהל עדות *tabernaculum testimonii*, Num. XVIII, 2. quod tabulas legis, in quibus Deus de voluntate sua testatus fuerat, contineret, ibique Deus perpetim testaretur, suaque ederet oracula. Hic subdole tricatur BERNARD. LAMY *c. l. cap. III. sect.* 3. *p.* 345. & corruptionis Hebræum Textum insimulat, ac si olim legerit אהל העדות, quia & Græca versio σκηνὴ μαρτυρίȣ, & Latina *tabernaculum testimonii* habet, at hodie in fontibus est אהל מועד. Quæ sit verior lectio, vix dijudicari posse censet, attamen putat, vetustissimam, eamque verissimam esse illam, quæ expressa sit in versionibus. Quemadmodum autem perversissimum & falsissimum de lectione Textus Sacri judicium est, quod ex versionibus, paulo aliter legentibus petitur, quod contra LVDOV. CAPPELLVM toties probatum fuit: ita, cum promiscue utramque appellationem Textus Hebræus usurpat, mirum non est, in versionibus quoque utramque promiscue adhiberi. Maxime autem ἐγκωμιαςικοὶ sunt tituli, quando Exod. XXV, 8. a Deo ipso מקדש *sanctuarium* dicitur, Græcis ἁγίασμα, in quo habitaturum Dominus pollicetur: porro קודש יהוה ἱερὸν Φοςητὸν, ut PHILO habet, tum quoque משכן יהוה *habitaculum Jehovæ*, quod veluti Rex, ibi suam aulam, שכינה sedem & thronum haberet Exod. XXV, 8. XXVI, 1. Num. XVII, 13. Quo refer elegantissimam comparationem Regiæ cum Sanctuario, ex Schem Tobh, apud GVIL. OVTRAM *lib. I. de Sacrificiis cap.* 3.

II. *Præparationem*, quæ hinc structuræ typum, hinc apparatum complectitur. Moses enim, ne quid circa illud suo indulgeret ingenio, universam ejus structuram, dimensiones & partes, curate sibi descriptas, & velut in idea & exemplari delineatas, ob oculos habuit, sollicite cavere jussus, ne a typo illo uspiam aberraret Exod. XXV, 9. 40. XXVI, 30. Vbi vero perquam est simile, Deum eo ipso tempore, quo rem quampiam faciendam verbis Mosi describebat, ejus simul oculis imaginem rei exhibuisse, hinc postquam singula, quæ facienda injunxerat, exposuisset, sub finem addit v. 40. *inspice harum rerum imagines, & omnia fac secundum exemplaria, quæ tibi conspicua facta sunt in monte.* Quæ observatio triplicem præbet usum: *Typicum*, quem Paulus Hebr. VIII, 5. docet, quod Tabernaculum universum typus foret rerum cælestium; *Moralem*, ut omnem in cultu rebusque sacris ἐθελοθρησκείαν cavere discamus, cum nec familiari Dei Mosi, nec sapientissimo mortalium Salomoni, in exstruendo sanctuario integrum fuerit, ad suum quicquam componere ingenium, sed in minutissimis instructionem & imaginem a Deo sibi communicatam, necesse fuerit sequi; *Elenchticum* contra eos, qui cum

MARSHAMO & SPENCERO existimant, Israelitas non aliud exemplar secutos in componendo sanctuario, quam templa, quæ oculis suis usurpaverant in Aegypto, aut quæ viderant apud Gentes: quam controversiam paulo post enucleabimus. Apparatum pretioso huic habitaculo præbebant voluntariæ populi oblationes, qui a Mose admonitus, ex spoliis Aegypti & suismet facultatibus, ultro copiose offerebat, quicquid ad omne hoc requirebatur negotium Exod. XXV, 1 sqq. Vndecim donariorum genera ibi recensentur, auri, argenti, æris, hyacinthi, purpuræ, cocci dibaphi, byssi, pilorum e capris, pellium e melibus seu taxis, pellium rubicundorum ex arietibus, & lignorum Sittim. Præterea quoque ad vestitum Pontificis & Sacerdotum, ad oleum unctionis, ad sacrum thymiama, ad oleum candelabri, plures adhuc requirebantur gemmarum, aromatum ac olei species, liberalitate populi large subministratæ. Accedebat indictum populo tributum, dimidium sicli sacri, Deo ceu Regi pendendum, instituto Israelitarum omnium, a nato annos XX. & ultra, censu, nemine præter mulieres, infantes, ac servos excepto. Demum ad præparationem quoque spectant artifices, quos suo Spiritu, quem Judæi שפע *virtutem & influxum divinum*, R. SALOMO quoque שכינה appellant, Supremum instruebat Numen, singula ut dextre & ingeniose elaborarent. Quin & suam conferebant operam mulieres, artis textoriæ, artis nendi & acu pingendi, tingendi, & componendi hyacinthum, purpuram, ac reliqua, apprime peritæ. Confer Exod. XXXV, 25. XXXVI, 2.

III. *Compositionem & structuram.* Componebatur hoc Tabernaculum 1) ex asseribus, auro undique obductis, & per vectes, ansulis transversim immissos, junctis, ut quoties e re erat, erigi & dissolvi commode posset: 2) ex decem cortinis byssinis, purpureis, coccineis, artificiosissime fabricatis, & per laqueolos combinatis: 3) ex tentorio superiori, quod undecim componebant cortinæ caprarum: 4) ex tegmine, e pellibus arietum rubefactis, & e pellibus taxorum constante: 5) ex velo gemino, quorum interius, פרכת inter Sanctum & Sacrosanctum distinguebat, exterius vero ostio Tabernaculi obtendebatur; Illud Paulus τὸ δεύτερον καταπέτασμα Hebr. IX, 3. dicit, cum hoc τὸ πρῶτον, prius & exterius esset, quod מסך audit: 6) ex atrio, quod cortinis byssinis, quinque cubitos in altum surgentibus, & ex columnis suspensis, cingebatur. Sic dimensio tabernaculi XXX cubitos in longitudine, XII in latitudine, & X in altitudine habebat: atrii vero longitudo C cubitis, & latitudo L protendebatur. Elegantissimam & Tabernaculi, & structuræ, omniumque partium ejus, delineationem æri incisam, oculis subjicit BERNARDVS LAMY, supra laudatus *ad col.* 355. Cui junge ADRIAN. A CATTENBVRCH, qui *in Syntag. Sap. Mos. lib. II. cap. V toto, pag.* 133. sapientissimam tabernaculi fabricam laudibus evehit, nec nisi divina ope perfectam fuisse, contra SPENCERVM tuetur.

IV. *Vindicias a criminationibus* MARSHAMI *&* SPENCERI. Hi enim, ne qua forte occasione suæ deessent sententiæ, Templi tam portatilis, quam fixi, in populo Dei originem, a Judæorum ruditate & gentium priscarum usu arcessunt: quod operose probare satagit SPENCERVS *lib. III. de Legibus Hebr. ritual. Dissert. VI. pag.* 820 *sqq.* octo cumprimis rationibus: 1) A summa inter Gentiles templorum antiquitate, Tabernaculum multo antevertente, unde opinari liceat, Deum Judæis, cultus inter Gentes recepti formam impotenter expetentibus, ex more Gentilium templum indulsisse: 2) Ab essentiali Templi conceptu, qui sit, ut Dei habitaculum & domicilium credatur. Ideo Ethnici antiquiores, ex quorum ingenio Hebræorum vulgus sit æstimandum, templa sua plurimi fecerunt, quod eorum ope Deos semper in propinquo haberent, & si usus postularet, facile ac familiariter adeundos. Quid autem Deus, aut Angelus, Dei vicem & nomen gerens, in templo manu facto habitaret, nisi ut semet ipsum accommodaret ad populi puerilis & increduli modulum, qui Deum in proximo agentem, & rebus precibus-

cibusque suis, modo sensibili præsentem, postulasse videatur? 3) E dictis Scripturæ, quibus Deus negatur templo includi posse. Ita nimirum Gentilium fuisse opinionem, quasi Deorum potentia & gratia loco alligata sit, & ipsi ædium sacrarum septis includerentur. Ne itaque populus Israel, una cum Templo, hunc Gentium adoptaret errorem, & prout Athei Deum in cælo, sic Israelitæ Deum in Templo, clausum & circumscriptum somniarent, idcirco toties protestari & negare Scripturam, Deum in templo habitare, cum cæli cælorum non capiant eum, 2 Chron. II, 6. 1 Reg. VIII, 27. Jes. LXVI, 1. Actor. VII, 47, 48. 4) E spontanea Templi utriusque erectione. Tabernaculum nullo explicato Dei jussu, sed populi præcipue studio ac voluntate esse erectum, Deumque id potius permisisse, quam præcepisse Exod. XXV, 1 sqq. Quin & Tabernaculum inter sacra illa plurima esse numerandum, quæ Deus solummodo toleraverit, & ex Aegypti ritibus in suum transtulerit cultum. Quia enim Amos. V, 26. ait: *tulistis tabernaculum Moloch*, hinc colligi, ne Israelitæ, moribus Aegyptiis addicti, tabernaculum Molecho facerent, illudque ritu gentilitio & triumphali circumferrent; ideo Deum iis permisisse, Tabernaculum struere, & in ipsius honorem circumferre: 5) A religionis ethnicæ moribus & institutis. Gentium antiquiorum religioni congruum esse, ut templa primum inter eas usum & originem invenisse censeantur. Illas quippe heroas fato functos inter Numina retulisse, templaque & simulacra dedicasse. Cum itaque gentes antiquiores heroibus suis, haud ita pridem divinitate donatis, cultum exhibuerint, hinc ipsa religionis ethnicæ principia suadere, templa e ruditate gentium initia traxisse: 6) E templi tam portatilis, quam fixi novitate. Patriarcharum quippe tempore simplex & cerimoniis vacua exercebatur religio multis sæculis: unde autem factum, quod tempore Mosis tabernaculum, & tempore Salomonis templum, tanta cum cerimoniarum pompa & copia, religioni vel cultui adjiceretur? an, quod Deus simplicem Patriarcharum cultum minoris jam æstimaret, & Regum humanorum ritu, splendido rerum apparatu & cultu, multa cum pompa præstito, demulceretur? absit, ut summa cæli majestas imaginatione tam vili & abjecta læderetur. Rationi & pietati magis consentaneum esse, credere, ut imbecillitati populi succurreret, seipsum & instituta sua ad mores receptos demisisse. Nempe Mosis tempore, Aegyptiorum & aliarum Gentium more, sic comparatum fuisse, ut Diis suis cultum, ex operosa rituum farragine constantem, exhiberent: 7) A ruditatis ethnicæ signis, in Templo conspicuis. Nam habitaculum χειροποίητον, ipsi Deo assignatum, indicio esse, illius auctores conceptus admodum crassos, & antiquioris ævi ruditatem olentes, de Deo habuisse: 8) Ex suffragiis ORIGENIS, MAIMONIDAE, & CLUVERII *German. Antiquit. lib. I. cap.* 34.

Tanti autem rationes istæ momenti non sunt, ut in assensum nos pertrahant. Nam in 1) nulla prorsus concludendi vis est. Licet enim largiamur, habuisse Gentiles & Aegyptios sua delubra ante Mosen, & exstructum ab eo Tabernaculum, א. falsum tamen & ἀντίγραφον est, Judæos hanc cultus in templis Numini præstandi & recepti formam impotenter expetivisse, ubi enim tales leguntur in Scriptura postulationes? & quo testimonio commentum hoc probabit SPENCERUS? quin, ut paulo post docebitur, Deus prius injunxit Mosi fabricam Tabernaculi, quam populus de illo cogitaret: Sed ב. nec sequitur: ergo Deus, cum sibi Tabernaculum fieri juberet, ansam huic mandato ex Gentilium delubris arripuit. Erat hoc potius adminiculum cultus publici externum, ut certum populus haberet locum, quo conflueret, sacra facturus, Deumque veneraturus; nec tam imitari, quam arcere hoc pacto Deus volebat populum a Gentilium more & ritu, cum omnia aliter ac diverse hic se haberent, quam in Gentium delubris. Et quæ demum impietas est in hac sententia, Deum conscendisse prono ad idololatriam populo, & Tabernaculum & Templum exstrui sibi jussisse, modo ut in offi-

cio contineret, cum ipse tamen sanctissimo justissimoque odio Gentilium templa abominaretur, eaque destruere, comburere & evertere serio mandarit? Num imitaretur Deus, sibique fieri curaret, quod odio habet & abominatur? 2) Parum abest a blasphemia. Numne enim Deus, quando gratiosam suam præsentiam in Symbolis sensibilibus, v. g. in columna nubis & ignis, in gratiosa super Cherubim requiescentia, unde sensibus perceptibilia edidit oracula, in fumo & nube (1 Reg. VIII, 10, 11.) &c. populo exhibuit, semetipsum accommodasse dicendus est ad populi puerilis & increduli modulum? Quando itaque Deus se probe adfuturum promisit invocantibus, vel quando Exod. XX, 24. ubicunque locorum nominis sui memoriam sit conditurus, spem fecit, ibi se ad suos adventurum, iisque benedicturum; num id omne puerili saltem accommodatione dixit? Ejusmodi promissiones fundamentum substernunt huic conceptui, de peculiari Dei præsentia gratiosa apud suos, tantum abest, ut conceptus iste a Gentilibus procedat, ut a Deo ipso potius populo sit ingeneratus. Ad 3) distingue inter præsentiam circumscriptivam & repletivam, cum Scholasticis, & res erit in vado. Circumscriptive Deus nuspiam adest, ut loco ambiatur & includatur, atque huc spectant citata dicta: Repletive autem in cælo & terra adest, teste ipso Jerem. XXIII, 24. Et quæ rursus concludendi ratio: Scriptura negat, Deum in templis habitare, ergo tentorium conventus & templum ex superstitione Gentilium & imitatione templorum ethnicorum ortum traxit? In 4) utrumque est falsissimum, & Scripturæ adversum, cum, quod proprio motu & suapte voluntate Israelitæ ad fabricam Templi animum applicuerint, tum, quod ad præcavendum tabernaculum Molechi, Deus iis permiserit, ritu Aegyptio habitaculum sibi struere. Prius abunde refutatur ex Exod. XXV, 1 sqq. ubi, populo tabernaculum quoddam ne per somnium cogitante, Deus Mosi imperat, *a*) ut voluntarias tollat e populo oblationes, vers. 1-7. *b*) ut Domino sanctuarium præparet, ipseque inter Israelem habitet, vers. 8. *c*) ne tamen quid vel suopte, vel populo arbitrio agat, monstrat ipsi תבנית ideam, & imaginem omnium parandorum, ad quam componi singula debeant: *d*) κατὰ μέρος singulas partes, vasa, & instrumenta Sanctuarii describit, tum ipsum quoque Tabernaculum ordine delineat, qua mensuras & quantitatem, materiam, qualitatem, modum & minutissimas circumstantias, voluntati divinæ ut omnia respondeant: *e*) Spiritum suum Deus eo fine largitur artificibus, ut ad nutum & consilium Numinis, neutiquam vero ad Aegyptiorum templorum exemplum, singula componant: quæ omnia Deum, totius instituti hujus auctorem, volentem jubentem innuunt, homines esse non permittunt. Posterius autem ex dextra loci vexati Amos V, 26. coll. cum Actor. VII, 43. explicatione, quam erudite & copiose suppeditat WITSIUS *Miscellan. Tom. I. Lib. II. diss. V. §. VI sqq. p.* 610. pendet. Gravissime quidem Israelitis exprobratur idololatria, quando thensas seu lecticas cum simulacris Deorum circumgestarunt; at oppositum eidem fuisse Tabernaculum conventus, nec ibidem docetur, nec per legitimam elicitur sequelam. Genuinam autem rationem, cur Deus Tabernaculum aliquod, & posthæc Templum in populo suo, sibi, nominique suo erigi voluerit, scite reddit laudatus WITSIUS *Aegyptiacor. lib. III. cap. X. §. 6 sqq. pag.* 246. In 5) nullus iterum nexus, nullus datur concludendi nervus. Pone enim, Gentilibus primam templorum exstruendorum rationem subministrasse, opinionem de heroibus suis fato functis, quorum animas oberrare credebant, iisque fanis & simulacris ejusmodi receptacula parare nitebantur, quod tamen nondum largimur; quis inde colligat, Dei quoque Templum ex eodem manasse principio, ejusque primum auctorem & inventorem non sapientissimum extitisse Numen, sed superstitione captos homines? Quæ paulo ante ex Exod. XXV. elicuimus argumenta, contrarium omnino suadent. In 6) varia rursus conglomerantur falsa: v. g. *a*) quod Patriarcharum ætate religio & cultus omni vacaverit cerimo-

cerimonia. Nonne autem a primis Ecclesiæ in cunabulis, & sacrificiorum ritum, & in oratione procumbendi, manus expandendi, aliasque cerimonias obtinuisse legimus? Nec dubium est, quin longe plures in usu fuerint ritus, quam in tanta Scripturæ Mosaicæ concisitate indicari potuerunt: *b*) Falsum quoque, cerimoniarum Leviticarum originem & causam, non ex divina voluntate & ordinatione, sed ex Gentium, Aegyptiorum cumprimis, insana cerimoniarum pompa, ortum traxisse. Diversum omnino universa docet Epistola ad Hebræos, quæ Leviticum cultum omnem repræsentandi & præfigurandi officio functum fuisse demonstrat, eam ob causam a Deo introductum & præscriptum, ut his velut rudimentis, his umbris & imaginibus, mysterium Christi & redemtionis ejus ob oculos poneretur, ipsorumque fides ad Christum, oculatius velut & manifestius, quam antehac, manu duceretur. Ejusmodi συγκαταβάσεως divinæ, qualem SPENCERUS memorat, mentio in Scripturis injicitur nulla, nec firmo ullo doceri potest argumento. 7) in Deum ipsum est injurium. Sequitur enim, Deum, quando Exod. XXV, 8. præcipit, & quidem liberrimo voluntatis suæ arbitrio, non exoratus, vel permotus a populo: *faciant mihi sanctuarium, ut inter ipsos habitem:* conceptus admodum crassos, & antiquioris ævi ruditatem, de natura divina prodere. Quod quam sit blasphemum, oppido liquet. Quicquid ergo sit, de fanis Gentilium, Diaboli instinctu, & idololatrarum consilio exstructis, ab illis tamen ad templum Judaicum, Dei jussu sanctissimisque auspiciis, sine mystico & typico erectum, colligere prorsus est nefas. 8) Veterum denique & recentiorum, in aciem a SPENCERO producta testimonia, tantum abest, ut aliquid evincant, ut multa post ortum ædium divinarum ætate subsidant; nec tam SPENCERIANI commenti veritatem, sed id solum docent, alios jam ante eum ad eandem inclinasse sententiam. Plura, qui contra eum dicta legere cupit, præter laudatum WITSIUM, BERNARDUM LAMIUM adeat *c. l. pag.* 310 *sqq.* & LEYDEKKER. *de Republ. Hebr, p.* 502 *sqq. n. XII.*

V. *Usum & historiam.* Ita quippe perfectum Tabernaculum, locum inter castra Israelis tenebat medium, a triplici latere Levitarum, a fronte autem Mosis & Aaronis tentoriis cinctum, Num. III, 23-38. Porro tres Israelitarum tribus, Zabulon, Isaschar & Juda, versus Ortum; tres vicissim, Naphtali, Asser, Dan, versus Septentrionem; tres rursus, Ruben, Simeon, Gad, versus Meridiem; demum tres ultimæ, Ephraim, Manasse, Benjamin, versus Occidentem, illud ambiebant. Atque hic ordo semper servabatur, toto XL annorum itinere, quando in statione quadam moram nectebant, & tabernaculum erigebant. Sunt quidem, qui negant, tabernaculum, mutatis in deserto variis stationibus, toties solutum fuisse & erectum. Urgent Amosi verba c. V, 25. *Num sacrificium & mincham attulistis mihi in deserto, quadraginta annis, o domus Israel?* Eum enim in finem erigebatur tabernaculum, ut sacrificiis Deus coleretur; hostiæ vero si oblatæ sunt nullæ, erigendi tabernaculi causam & occasionem suppetiisse nullam. Pronior tamen ad veritatem est sententia, quæ, ubi statio esset diuturnior, erectum affirmat, cum eum in finem pararetur & componeretur in deserto. Sane pœna, Coræ, Dathan, & Abiram coram tabernaculo fuit inflicta. Unde mens Prophetæ eo tendit, quod populus, erecto licet tabernaculo, alienum a Deo gesserit animum, & vel clam secum idola gentium habuerit, vel mente adoraverit, indignus omnino, pro quo sacrificia offerrentur. Idque pudendo comprobatum dedit documento, quando in statione ultima, a Midianitis & Moabitis, mox ad turpissima Baal Peoris seduci se patiebantur idola, mox corpora sua Diabolo prostituebant, & profanis mulieribus commiscebant. Ubi tandem, post excessum Mosis, Josua populum in terram Canaan introduxerat, prima subjugandarum provinciarum, & distribuendæ per singulas tribus portionis hereditariæ, proxima sacrorum cura fuit, ut certo ac stabili loco ac sede figeretur tabernaculum, nossetque omnis populus, quo se vertere singulis festis & alias deberet, quotiescunque

ſacra facere & ſacrificia offerre, vel publica juberet, vel privata religio. Peracta itaque terræ diſtributione, Joſ. XVIII, 1 ſq. univerſa Iſraelitarum concio ad Joſuam ſe congregavit, & ſive auſpicio divino & oraculo admonita, ſive ex communi ſaltem conſilio & conſenſu, tabernaculum Silunte erexit, ſedemque Sacrorum ibidem fixit, quo loco, ſub judicatu Eli, arcæ jacturam fecit, invito Numine in caſtra arceſſitæ 1 Sam. IV, 4. & nunquam poſthæc illuc reverſæ. Inde multo tempore poſt, in urbem Nobam traducta fuiſſe, ex 1 Sam. XXI. haud improbabiliter colligitur: atque hinc rurſus Gibeonem perveniſſe, ibique ſat longo intervallo perſtitiſſe, certo intelligitur ex 1 Chron. XXII, 29. Quin adhuc Salomonis tempore ibi fuit 2 Chron. I, 3. & haud dubie ad exſtructum usque Templum: quo demum ad umbilicum perducto, convolutum Tabernaculum ſacris inſervire deſiit, & in theſauris Templi, cum vaſis ſuis repoſitum ac aſſervatum fuit 2 Chron. V, 5. forte usque ad primam Templi vaſtationem, in qua ſimul interiit. Mirari autem ſubit, tot oppreſſionum Iſraelis, ab hoſtibus finitimis perpeſſarum, vicibus & annis, tot etiam populi cladibus, nunquam tamen legi, hoſtes gentiles tabernaculum, ſive Silunte, ſive Gibeone, aggredi & diripere fuiſſe auſos, cum tamen ſpolia opima, tot vaſis aureis ſubminiſtrare potuiſſet; inſigni providentiæ divinæ, pro Eccleſiæ conſervatione & incolumitate, invigilantis documento.

Ad §. II. pag. 38.

(2) *Delineant ſtatum Eccleſiæ militantis & triumphantis*] Spectant iſta VI. *ad Δήλωσιν ſpiritualem*, quam tabernaculum habuiſſe Paulus Hebr. VIII, 5. & c. IX, 1 ſqq. diſerte teſtatur. Quantum ex Scripturis intelligitur α) Chriſtum, ſecundum humanitatem, β) Eccleſiam militantem, & γ) triumphantem, adumbravit. Chriſtum ἐνσαρκωθέντα ſuis fore למקדש *in Sanctuarium*, promittitur Jeſ. VIII, 14. ipſeque, de frangendo, erigendoque templo locutus, περὶ τοῦ ναοῦ τοῦ σώματος αὐτοῦ diſſeruiſſe perhibetur Joh. II, 19 ſq. quin & Paulus eum tradit per majus & perfectius tabernaculum, non manu factum, h. e. non hujus creationis, introiviſſe in ſancta. Huc quoque revocandæ ſunt phraſes iſtæ, Joh. I, 14. *Verbum caro factum eſt*, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· item Coloſſ. II, 9. quæ tota Divinitatis plenitudo in Chriſto dicitur σωματικῶς habitare. Quin etiam ſigillatim velum, inter ſanctum & ſacroſanctum diſtinguens, Paulus Hebr. X, 20. affirmat Symbolum fuiſſe carnis Chriſti. Poſt hæc Eccleſiam, quæ domus Chriſti Hebr. III, 6. & domus Dei viventis 1 Tim. III, 15, ſalutatur, tabernaculum refert, variisque comparationis modis anſam ſubminiſtrat. Denique etiam de triumphante Eccleſia pronunciatur Apoc. XXI, 3. *ecce*, ἡ σκηνὴ τοῦ Θεοῦ μετὰ τῶν ἀνθρώπων, *tabernaculum Dei apud homines, apud quos ipſe habitabit* &c. idque dilucidius verſ. 22. explicatur, ubi, cum nullum Johannes templum videret in cæleſti Hieroſolyma, Dominus Deus & Agnus, Templum illius eſſe, affirmatur. Specialiorem typi hujus evolutionem, & quid ſignificaverit proprie Sacroſanctum, quid Sanctum, quid καταπέτασμα, ſeu velum &c. curate perſequitur, COCCEII tamen ὑποθέσει δουλεύων, WILHELM. MOMMA *de triplici Oeconomia Eccleſ. Tom. I. lib. II. cap. 9. §. 17 ſqq. p. 163.* quocum BIERMANNUS confer *in Moſe & Chriſto Lib. II. cap. III.* edit. Belgicæ *p. 374 ſqq.* Quin immo Judæi quoque Allegoriam hic agnoverunt, ut ex PHILONIS *lib. III. de vita Moſis* apparet, in declaratione autem Typi mirum quantum cœcutientes, quando paſſim tres Tabernaculi partes delineare cenſent orbem tripliciter diſtinctum, ita, ut Atrium hunc terreſtrem & ſublunarem, Sanctum cæleſtem, qui ſole, planetis & aſtris refulget, Sanctum Sanctorum autem angelicum mundum, adumbret, in quo Dei thronus eſt inter Cherubim, ſeu Angelos: ut R. MENASSE BEN ISRAEL, & Cabbaliſtæ copioſe nugantur.

Ad

Ad §. III. pag. 38.

(3) *Eminent tres montes*] Vnum erat atque continuum montium jugum, quod Hierosolymorum sustentabat urbem, sed variis collibus distinctum, inter quos hi tres eminebant: *Zion*, qui altissimus omnium, versus ortum spectans, arcem Davidis, sedemque regiam sustinebat, & a quo super interjacentem vallem seu hiatum pons lapideus stratus in Templum ducebat: *Morijah*, depressior paulo, sed longe amplior clivus, in quo Templum exstructum: & mons *Calvariæ*, seu Golgatha, qui extra urbis portas, interjecta valle ab utroque pariter distinguebatur, ita ut eodem copularetur jugo petroso. Accedit mons *Acra*, ab arce dictus, quam Antiochus in hoc monte exstruxit, ut Templum infestaret; quæ arx a Simone capta & solo æquata fuit, teste IOSEPHO *lib. XIII. Antiqu. cap.* 11. Mons hic inferiorem urbem sustinens, non directus, uti Zion erat, sed curvatus natura quidem excelsior, quam Morijah, a quo lata valle erat divisus, sed Simon dux & princeps Judæorum Acræ altitudinem imminuit, valle repleta, ut Vrbem Templo conjungeret & Templum eo magis emineret, teste IOSEPHO *c. l. & lib. VI. de bello Jud. cap. 6.* Ceterum de his montibus Hierosolymorum ex instituto egit RELANDVS *Palæstinæ lib. III. p.* 838, 846 *sqq.* ubi cum CELLARIO & LIGHTFOOTO contendit, & sigillatim de monte Acra, 850 *sqq.* Concisius SPANHEMIVS *in Topograph. Hierosolym. vet. Tom I. Opp. col.* 48 *sq.*

Ad §. eund. pag. eand.

(4) *Mons Tzion*] Hic *mons*, *Sanctus* & *mons Domini* dictus, ceteris excelsior, processit ab Austro in Aquilonem, in modum fere semicirculi; exporrectus vero in Ortum versus Cedron & vallem Josaphat. In hoc sita Jebus antiqua, eminentiore loco; in eodem quoque civitas & palatium Davidis 2 Sam. V, 7. quæ *Arx Zionis*, *ἀκρόπολις*, muro circumdata. Postea & in angulo Orientali, e regione Templi, fuit regia Salomonis: tum quoque structura Salomonis, *Millo* vel *Mello* nuncupata, de qua munitione commentatur *c. l.* SPANHEMIVS. Ceterum hic sustinebat *τὴν ἄνω πόλιν, urbem superiorem*, eratque in longitudinem porrectior quam Acra, quæ *τὴν κάτω πόλιν, urbem inferiorem* sustinuit, teste IOSEPHO. Cingebatur ab eo latere, quo urbem terminat ad austrum & occasum, profunda valle, sic ut ab illis partibus adiri non potuerit. Præterea murum habuit, quem *ἀρχαῖον* appellare solet IOSEPHVS, quippe a temporibus Davidis exstructum, qui a parte septentrionali conspicuus erat tribus præcipue turribus, Hippico, Phasaelo, & Mariamne, quæ & ipsæ altissimæ erant, & ob altitudinem montis Zion, cui hic murus superstructus erat, altiores videbantur: *Lib. VI. de bello Jud. cap. 6.* Ex quo hic mons sedes religionis & reipublicæ evasit, per Ps. CXXXII, 13 *sq.* CXXII, 4. symbolicam appellationem Ecclesiæ præbuit, cum Israeliticæ Rom. XI, 26. tum Christianæ Psal. II, 6, 8. Joel. II, 23. Jes. I, 27. IV, 4. II, 3. Ps. LXXXVII, 5, 6.

Ad §. III. pag. 38.

(5) *Moriam premebat Templum*] Montem Morijah 2 Chron. III, 1. distinguendum RELANDVS *pag.* 853. docet, ab ארץ המוריה a regione Moria, in qua Deus montem aliquem, qui complures erant, se monstraturum Abrahamo dicit, ubi filium suum offerat Gen. XXII, 2. Ad austrum vallem habebat admodum profundam, e qua molem lapideam eduxit Salomon, aggestaque ad quadringentos cubitos terra, planiciem vertici montis, in quo Templum exstruendum erat, æquavit, & ita factum est, ut exterior area cum solo Templi ferme æquaretur: teste IOSEPHO. Totam hanc planitiem vocarunt הר הבית *montem Templi*. Quin etiam monet, hunc montem tractu temporis ampliatum fuisse, ut ejus planities magis magisque promoveretur, ipsi promovendæ structuræ: eumque cingebat murus in declivibus ejus lateribus circumquaque.

que. Miſchna Cod. *Middoth cap. II.* §. 1. ita definit: *Mons ædis erat quadratus, ita ut ſingula latera eſſent cubitorum quingentorum. Maximum ſpacium erat ab Auſtro; proximum ei ab Oriente; tertium ab Aquilone; minimum vero ab Occidente. Eo loco, ubi majus erat ſpacium, major erat ejus uſus:* ubi confer omnino, quæ de dimenſionibus iſtis cum cura commentatur *ad h. l. p.* 36 *ſq.* CONSTANTINVS L'EMPEREVR; quocum confer LIGHTFOOTVM *Harmon. IV. Evangel. P. II. ad Joh. II,* 15. *T. I. Opp. fol.* 414 *ſq.* ubi prolixam in dimenſionibus montis Templi operam pariter ponit, in *Deſcriptione* autem *Templi Hieroſolymitani* cit. Tomo *p.* 553. capite I. de ſitu montis Moriah, ex inſtituto agit. Memoratam porro montis planitiem, non omnimode planam fuiſſe ac æqualem Rabbini tradunt, ut nulla ejus pars exuberaverit, ſed latera ferme omnia fuiſſe depreſſiora, præſertim ab Oriente, adeo ut paulatim aſcenderetur ad ipſum Templum, ejusve adytum, quo Ezech. XLII, 9. reſpicitur, ad quem locum R. SALOMO IARCHI probe annotavit: לפי שההר הולך ומשפיע לצד המזרח קורא לו ומתחת: *quia mons paulatim aſſurgit a parte orientali, ideo vocat,* locum Templo ab oriente proximum ומתחת *ab inferiori* ſcilicet parte. Juvat huc transferre ex LIGHTFOOTI laudata deſcriptione Templi Hieroſolymitani *cap. VI. pag.* 562. *b.* montis ſitum: *Ita ſitus erat mons domus Domini, ab Vrbe undiquaque incluſus, & valido atque alto muro munitus & ſeparatus a communi ſolo. Hinc erat Sion, ſedes regia, inde Hieroſolyma, habitatio populi, interjacente Templo, ejusque miniſterio, quemadmodum Miniſterium erat mediatio inter Deum & populum. Murus qui hoc circumibat, habebat octo portas, ſplendidæ & ejusdem ſtructuræ, exceptis ſeptentrionali & orientali, quibus culmen impoſitum non erat aut æque altum, aut ejusdem rationis ac ceterarum culmina. - - Ad eas ab Oriente & Occidente erat præfractus gradibus aut aggeribus ad commoditatem populi, utque facilius adduci poſſent victimæ. Ad Auſtrum adeo præfractus non erat aſcenſus, nec minus tamen ac reliqui, arte facilior & acclivior factus fuerat.* &c.

Ad §. III. pag. 38.

(6) *Monti Calvariæ*] Hic extra urbem ad occaſum erat ſitus, quo reſpexerunt turris Hippica, & portæ Vallis, Sterquilinii, ac Fontis. Syris גלגלתא *Golgoltha*, & cum eliſione literæ *Golgotha*, Γολγοθᾶ dicebatur, eamque poſteriorem lectionem vindicat & ſtudioſe aſſerit ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. III. cap. V.* §. 24. *p.* 259 *ſq.* Vnde autem nomen ſortitus ſit, ut *κρανίυ τόπος*, *cranii* ſive *calvariæ locus* diceretur, num a cranio ſeu ſepulcro Adami, primi mortalium, an quia ſepoſitus fuit pœnis capitalibus, inter quas decollatio e præcipuis erat, laudatus Vir doctus ſequ. §. 25. cum cura evolvit, rem omnem tandem in medio relinquens. *Mortis regio* quoque audiebat. Vltimis temporibus ab Hadriano deinceps intra mœnia concluſus fuit.

Ad §. III. pag. cit.

(7) *Communi nomine Tzion dicti ſunt*] Non immerito quæritur: cum Templum non in Zione, ſed in Morijah exſtrueretur, qui factum, ut Zion toties celebretur ſedes & habitatio Dei? Tres rationes tradunt Auctores: 1) quod a Davidis deductione arcæ e domo Obed Edomi, usque ad conſummatam Templi ſtructuram, arca in monte Zion, in tabernaculo Davidico quieſceret, unde haud dubie David phraſin mutuatur Pſ. CXXXII, 13 ſq. LXXVIII, 60, 67 ſq. XLVIII, 3, 4, 12. CXXXV, 21. 2) quod maximus omnium mons Zion, quia præcipua urbis pars, quia regum regnique ſedes, non modo pro tota Hieroſolymorum urbe, immo pro toto regno Mich. I, 13. IV, 11. Jeſ. III, 16 ſq. ſed etiam pro Templo, totoque cultu poneretur Jerem. LI, 10. Thren. V, 18. Pſalm. CXXXVII, 3. 3) quod Morijah conjunctus Zioni, licet valle quadam ab ejusdem altiſſimo divideretur jugo, pars Zionis haberetur: quam rationem, poſt Auctorem noſtrum, RELANDVS tuetur *Palæſtinæ lib. III. p.* 854 *ſq.*

Ad

Ad §. IV. pag. 38.

(8) *Hæc tria ſunt notatu digna*] Generalis diviſio Templi ad eundem ſe habuit modum, quo Tabernaculi fœderis, ita ut omnium interior pars verſus occaſum eſſet קדש הקדשים *ſanctum ſanctorum;* proxima קדש *ſanctum*, quod ipſam complectebatur ædem; & extima אולם vel חצר *atrium*, quod in Templo priori geminum erat, aliud Sacerdotum, Iſraelis aliud, ſeu promiſcuæ plebis, 2 Chron. IV, 9. Hoc poſterius, ſubſequente ætate, & Joſaphati, ut putatur, tempore, in duas rurſus diſpeſcebatur partes, atrium virorum, & atrium mulierum. Demum in templo poſteriori Herodes adhuc addidit atrium gentium, immundorum & proſelytorum, ita ut quatuor numerarentur atria. Præterea Templum complura cingebant ædificia & atria, de quibus poſthæc ſigillatim. De ſingulis his partibus ex inſtituto commentatur LIGHTFOOTUS *in deſcriptione Templi Hieroſolymitani T. I. Opp.* & quidem de Sancto Sanctorum *cap. XV. p.* 586. de Sancto *cap. XIV. p.* 581. & de Atriis *cap. XVI ſqq. p.* 590. Eandem ſtructuræ Templi rationem Chriſtianos obſervaſſe, ut in tres diſpeſceretur partes, *πρόναον*, ſeu *νάρθηκα*, porticum cum atriis, *ναὸν* ſeu *ἐκκλησίαν*, quæ & *ναῦς*, navem aut gremium Eccleſiæ, demum *βῆμα* & *ἱερατεῖον* ſeu *θυσιαστήριον* ſacrarium, apud Latinos *Presbyterium*, CAMPEG. VITRINGA *de Synagoga Vet. lib. I. P. III. cap.* 3. *pag.* 463 *ſq.* ſcite obſervavit, addens, *ut Hieroſolymitano Templo ſimiliora viderentur.* GVIL. BEVEREGIVS autem *Annot. ad Can. XI. Concilii Nicæni I. T. II. Synodici pag.* 71. tripartitam iſtam Templorum ſtructuram, & elegantiſſima delineatam exhibet Ichnographia, & erudito, qua ſingulas partes, commentario perſequitur, quocum conferri meretur LEO ALLATIVS pecul. tract. *de Templis Græcorum, & de Narthece*, edit. Coloniæ 1645. Diſtributionis autem iſtius rationem BEVEREGIVS ſcite reddit a triplici hominum, qui has ædes ſtatis temporibus ingredi ſolent, genere ac ordine. Nonnulli enim ſacris initiati ſunt, ac proinde eo ingrediuntur, ut muneribus ſuis fungantur, & ſacra peragant: alii non ſunt conſecrati, ſed tamen fideles, qui eo ſe conferunt, ut ſacris celebrandis interſint, & optatum exinde fructum percipiant: aliis autem fidelium cœtu interdicitur, quippe qui nondum baptizantur, vel ob graviora aliqua, quibus tenentur, crimina excommunicantur. Quamobrem, ne tres iſti perſonarum ordines confunderentur, & ſic confuſio in ipſa ſacrorum celebratione oriretur, propria loca ſingulis ordinibus aſſignentur, neceſſe eſt. Sacerdotes itaque *βῆμα*, ut ſacratiſſimum locum, ſibi vendicarunt: fideles in ipſa Eccleſia congregati ſunt: reliquis autem infima ſaltem Eccleſiæ pars, Narthex dicta, indulgetur, ut lectum Dei verbum audiant, & ſic tandem digni evadant, qui in ipſum fidelium cœtum recipiantur. Quæ ſuo modo, ad tres iſtas Templi Hieroſolymitani partes commode quoque transferri poſſunt.

Ad §. IV. pag. 38.

(9) *Sanctum Sanctorum*] Erat camera quadrata, cujus æqualis & longitudo, & latitudo viginti cubitorum ſibi reſpondebat, altitudo triginta cubitorum: ſtructa ex candido marmore, cujus tamen interiores parietes, aſſeribus ex cedro artificioſiſſime ſculptis, tegebantur, ita quidem, ut tota latera auro obducta niteſcerent. Quin etiam gemmis ſculpturæ parietum diſtinguebantur, ut totum illud conclave auro & gemmis oculos perſtringeret 1 Reg. VI, 16, 18, 29. Exterior autem facies nudum referebat marmor, tam appoſite junctum, nullum ut ullibi fiſſuræ inter diverſos lapides veſtigium appareret. Celebris hic incidit quæſtio: *an feneſtris inſtructum, lucem admiſerit?* in qua definienda variant Interpretes. In Tabernaculo feneſtris caruiſſe intimum conclave, dubio caret, unde VILLALPANDVS & CAPELLVS ad eundem modum ſe habuiſſe Sanctum Sanctorum in Templo pertendunt. Contrarium autem affirmat R. IVDA LEO *de Templo lib. II. cap.* 23. §. 213. quia Scri-

ptura 1 Reg. VI, 4. diserte affirmat חלונים *fenestras* domus, quæ toto isto Capite tam Sanctum Sanctorum notat, quam Sanctum. Sed nec vel structuræ perfectio & pulchritudo, vel usus sacer conclavis istius aliter permittit, quam ut fenestris exornatum dicamus. Accedit, quod lampadum de die extinctio, de qua paulo post agemus, liquido arguat, diurnam lucem admisisse cum Sanctum, tum Sanctum Sanctorum. Cui enim usui lucebant illæ de nocte, & extinguebantur de die, si interdiu utrumque conclave fenestris destitutum, iisdem ac noctu, tenebris obscuraretur? Quis enim credat, ut interiores solaretur tenebras, lychnuchum ardentes præbuisse faces nocti, denegasse diei, cum tamen utrobique rerum potiretur caligo? Interdiu autem, cum ob patentes fenestras nullus lampadum esset usus, mane extinguebantur, rursusque accendebantur sub vesperam, quando fenestræ collustrare conclavia non possent. Hoc non obstante, RELANDVS *Antiqu. Hebr. P. I. cap. VII. §. 10. p. 68.* tam Sanctum, quam Sacrosanctum fenestras habuisse negat, quinque urgens rationes: 1) quod, quas חלונים *fenestras* ædi sacræ fecisse fertur Salomon, eas non in Sancto, multo minus in Sancto Sanctorum, sed in *προνάῳ*, ejusque fronte locare, congruum sit: 2) tres contignationes conclavium, ædem sacram proxime cingentium, his fenestris nimium obfuerint, de quibus 1 Reg. VI, 5. 3) tenebræ majestati Numinis, quod se in tenebris habitaturum dixerat, & œconomiæ illorum temporum, optime conveniant, Exod. XIII, 22. XIV, 19. XIX, 16. 1 Reg. VIII, 11. 4) sic exactior inter Templum & Tabernaculum convenientia eluceat: 5) nec sit, quod quis in tenebris cultum sacrum peragi potuisse neget: eodem enim modo in Templo fuisse peractum ac in Tabernaculo, in quo fenestræ nullæ fuerunt. Copiosius, pro negativa sententia, hæc & alia urget VILLALPANDVS *in Ezech. Tom. II. P. II. Lib. IV. cap. 34. f. 307 sq.* quæ in compendium redegit Clar. CHRIST. SIGISMVND. GREEN in disp. Academ. *de Deo caliginis incola*, quam sub meo moderamine A. 1728. publice ventilavit Lipsiæ, §. 13. a qua tamen sententia cur nos in affirmantem posthæc discesserimus, rationes proxime indicavimus. Celebris præterea in hoc adyto lapis fuit marmoreus, in medio conclavis, trium digitorum altitudine, ex solo prominens, cui Salomo arcam fœderis, una cum arcis lateralibus, imponebat. Ita R. BECHAI *in Commentar. ad Exod. XXV, 33.* testatur: היה מן הפרוכת הארון והכפורת עם כרוביו מונח על אבן שתיה שהיתה במערבו של קדש הקדשים ולפני הארון צנצנת המן וצלוחית שמן המשחה ומקלו של אהרון שקדיה ופרחיה ובגדיו של כהן גדול: *Intra velum intimum erat arca & propitiatorium cum suis Cherubinis, posita super lapidem fundationis, qui versus occidentem Sancti Sanctorum situs erat. Ante arcam vero urna Mannæ, paropsis olei unctionis, Aaronis baculus, idem amygdalæ & flores ejus & vestes Summi Sacerdotis.* Pariter R. DAVID KIMCHI *Comment. ad 2 Chron. XXXV, 3.* אבן היתה בבית קדשי הקדשים במערבו ועליה היה הארון מונח ולפניו צנצנת המן ומטה אהרון: *In Sancto Sanctorum, versus occidentem erat lapis, super quem posita erat arca, & ante eam urna Mannæ, & virga Aaronis.* De posteriori lapidis usu Mischna testatur, Tract. *Joma cap. V. §. 2. fol. 53. col. 2.* משנטל ארון אבן היתה שם מימות נביאים ראשונים ושתייה היתה נקראת גבוהה מן הארץ ג' אצבעות ועליה היה נותן: *Ex quo abducta est arca, lapis ibi erat a diebus priorum Prophetarum, & lapis fundationis fuit vocatus; altus e terra tribus digitis, & super ipsum ponebat Pontifex Summus thuribulum.* Vnde liquet, & quo nomine venerit hoc monimentum, *lapis fundamenti* seu *positionis*, & quibus inservierit usibus sacris, in die expiationis. Integram illius texuit historiam, & peculiari comprehensam dissertatione An. 1720. edidit THEOD. HASAEVS, Theologus Bremensis, qui propriam hic fovet sententiam, fuisse hunc lapidem particulam petræ a Mose percussæ, quæ eum ob finem a Paulo *πέτρα ἀκολουθοῦσα* 1 Cor. X, 4. dicatur; unde quoque nomen שתיה potius

tius a Rad. שתה *potavit* derivari cupit, ut ſit *lapis potationis*, pars nimirum illius petræ, ex qua percuſſa Deus olim ſitientem in deſerto populum miraculoſe potavit. Quin & eundem in Templo ſecundo ſuperfuiſſe tradit, 1) ut monimentum præberet arcæ, 2) ut eſſet unicum venturi Meſſiæ ſymbolum, 3) ut Pontifici M. in die expiationis thuribulum impoſituro, inſerviret. Præterea IOH. VAN DER WAYEN *Var. Sacr. p.* 153 *ſqq.* erudite obſervat, Judæos viſibili Meſſiæ ſymbolo, arca fœderis, ſub Templo ſecundo orbatos, hoc lapide jacturam aliqua ex parte ſuppleturos, Chriſtum lapidem Eccleſiæ angularem ac fundamentalem, hieroglyphice adumbraſſe. Quas autem de eodem fabulas in Talmude ſpargunt Judæorum Magiſtri, recenſitas lege a b. patruo meo, I. B. CARPZOVIO in diſp. *quonam arca pervenerit?* §. XI. *Diſputation. Academ. p.* 85. & omnino a ROB. SHERINGHAMIO *in cit. loc. Tract. Joma p.* 103 *ſqq.*

Ad §. V. pag. 39.

(10) *Aureum Thuribulum*] Divum Apoſtolum ſequitur Auctor, qui Hebr. IX, 3, 4. diſerte perhibet: *poſt alterum velum autem erat σκηνὴ ἡ λεγομένη ἅγια ἁγίων, Tabernaculum dictum: Sancta Sanctorum, χρυσοῦν ἔχουσα θυμιατήριον, aureum complexa Thuribulum* &c. Gemina hinc emergit controverſia: א) quidnam proprie nomine θυμιατηρίου hic veniat Apoſtolo? Sunt, qui de altari ſuffitus exponunt, quorum ſententiam amplectitur & tuetur LVDOV. DE TENA *Comment. in Epiſt. ad Hebr. cit. loc. difficult. IV.* urgens cumprimis, quod non tam intra Sanctum Sanctorum θυμιατήριον fuiſſe, quam ſanctiſſimum hoc conclave altare iſtud habuiſſe Paulus perhibeat, ſcil. e regione poſitum in Sancto. Alii ita conciliant: Licet altare non in intimo adyto, ſed ante velum in Sancto, ſedem ſuam haberet Exod. XXX, 6. quia tamen iſtud velo adeo prope adſtaret, ut cit. loc. Exod. dicatur ante propitiatorium eſſe, ideo viſum fuiſſe, ad Sacroſanctum pertinere, maxime cum ex eo depromeretur ignis introrſum ferendus, ut quodammodo ipſum altare introrſum ferri videretur. Ita REIZIVS *Notis ad Auctor. noſtrum.* Sed quam hæc ſint coacta, & peregrina, quam Apoſtoli verbis adverſa, nemo non videt, qui perpenderit, eodem modo & arcam, & thuribulum habuiſſe Sanctum Sanctorum, h. e. intra ſe. Accedit quod altare ſuffitus non θυμιατήριον vocetur, ſed θυσιαστήριον, & cum addito χρυσοῦν aureum. Paulo itaque memoratum θυμιατήριον vas erat ſuffitus aureum, מחתה *Thuribulum* dictum, quocum Pontifex in die expiationis Sanctum Sanctorum ingrediebatur Levit. XVI, 12. Quæritur itaque ב) num perpetuo iſtud, æque ac arca, in Sancto Sanctorum fuerit aſſervatum? Ita opinati ſunt ex veteribus AVGVSTINVS & ORIGENES, quos ſecutus eſt OECVMENIVS, ex recentioribus AR. MONTANVS & CAR. SIGONIVS, quos altare ſuffitus in Sancto Sanctorum erronee collocantes, maſcule profligavit PET. CVNAEVS *de Republ. Hebr. lib. II. cap. IV.* Malunt itaque recentiores doctores, BVXTORFIVS *de Arca Fœderis cap. V. pag.* 76. MELCH. LEYDEKKERVS *de Republ. Hebr. lib. VIII. c. II.* & BRAVNIVS *Comment. in Epiſt. ad Hebr. c. l.* non ratione loci, ſed uſus, in Sancto Sanctorum Thuribulum hoc collocari. Verum nec iſtud ſatisfacit Ven. SALOM. DEYLINGIO, qui *Obſervat. Sacr. Tom. II. Num. XLVI.* prolixe & curate in hunc locum inquirit, & longe plura ex uſu hujus diei fuiſſe obſervat, quæ tamen Apoſtolus in Sanctiſſimo fuiſſe eapropter non memorat: ideo ad Pauli inſtitutum hic loci probe attendit, quod fuerit, oſtendere, quid erecto in deſertis Tabernaculo Moſis, Summus Sacerdos in adyto invenerit, quando intulit ſanguinem expiationis, de quo ſolo, ceu præcipuo juſtificationis inſtrumento hic laborat. Quia ergo Thuribulum, ſolenni expiationis feſto ſemel in penetrale interius illatum, tamdiu ibi relinquebatur, donec finita eſſet expiatio ſanguinum adſperſione, hinc Pontifex, cum ſanguine ingreſſus, præter arcam fœderis, etiam θυμιατήριον ibi reperit, quod paulo ante, ad præparandum

randum adytum, jussus fuit istuc delatum in eo collocare. Hoc itaque die, dum peragebatur sanguinum sparsio, Thuribulum illic perpetuo aderat, nec nisi peractis solennibus asportari solebat. Duo porro cum essent vasa, ad ministerium suffitus adhibenda, alterum כף vel בזיכא *acerra*, qua continebantur aromata, alterum מחתה רגחלים *foculus prunarum*, cui injecta aromata cremabantur, utrumque una voce comprehendisse Apostolum censent BRAUNIUS & DEYLINGIUS, ut locutio sit συνεκδοχικὴ, partem ponens pro toto. Apud utrosque etiam videas figuram Acerræ pariter ac Thuribuli, a BRAUNIO cumprimis *Select. Sacr. lib. II. cap. V. & VI.* copiose descriptam, & æri incisam ac delineatam.

Ad §. V. pag. 39.

(II) *Arca testamenti*] In describenda ea eruditam posuit operam IOH. BUXTORFIUS fil. *in historia Arcæ*, quæ *Exercitationum* prima est, in qua Rabbinorum loculos tam sollicite expilavit, & quicquid huc apud Hebræos spectat, tam larga congessit messe, ut vix spicilegio locum reliquisse videatur. Eadem in compendium misit patruus meus ὁ μακαρίτης, IOH. BEN. CARPZOVIUS, disputatione *de Arca Fœderis*, sub præsidio doctissimi FRISCHMUTHI, luci exposita Jenæ A. 1656. quæ in volumine Academicar. disputat. prima est. Eo nobis licet hic esse brevioribus. Notamus autem ejus

α) Nomen: ארון הברית *Arca Fœderis* vel *Testamenti* Jos. III, 14. 2 Chron. VI, 11. & in Novo Instrumento ἡ κιβωτὸς τῆς διαθήκης Hebr. IX, 4. quo addito cumprimis elogio, a profanis & quibuscunque aliis Arcis, longo dignitatis & sanctimoniæ intervallo discernitur. Ea enim non pignus modo erat Fœderis, quod cum gente sua, cum populo peculii, Deus pepigerat, sed tabulas etiam Fœderis Deut. IX, 9, 11, 12, 15. asservabat inclusas. Vnde alias quoque ארון העדות *Arca testimonii*, Exod. XX, 33, 34. & absolute עדות *Testimonium* Exod. XVI, 34. Lev. XVI, 13. nec non cum adjecto עדות ישראל *Testimonium Israelis*, Psal. CXXII, 4. salutatur; ubi Arcæ nomen semper est subintelligendum. Etsi de cetero hæc Arca summæ esset dignationis apud Judæos, & ארון אלהים quidem 1 Sam. III, 3. item ארון יהוה 1 Sam. IV, 6. 1 Paral. VIII, 11. quin etiam פני יהוה *facies Domini* Ps. XXVII, 8, 9. diceretur: ipso tamen essentiali, proprioque Dei nomine יהוה nusquam venit; quod quidem ex Hebræis R. IOSEPH ALBO *P. II. Ikkarim cap.* 28. & Sociniani tueri nituntur, ad loca Scripturæ Exod. XVI, 33. Num. X, 35. Psal. XXIV, 7, 8. XLVII, 6. CXXXII, 8. 1 Sam. IV, 7. 2 Sam. VI, 2. nequicquam provocantes. Sed curata locorum inspectio docet, nuspiam hoc nomen absolute Arcæ tribui, sed Deum ipsum ubivis designare, apud Arcam speciali modo præsentem.

β) Materiam, ex qua fabricata erat, nimirum עצי שטים *ligna Sittim*. Ligna erant e terra Sittim, aut ut Jes. XLI, 19. dicitur, e regione שטה *Schitta* petita, quæ in campestribus Moab tribus aut quatuor circiter miliaribus a mari mortuo distabat, in qua ultima Israelitarum cis Jordanem fuit mansio Num. XXV, 1. Jos. II, 2. Hic pronascebantur *ligna fortissima & imputribilia, & incredibilis levitatis ac pulchritudinis*, teste HIERONYMO *in Cap. XLI. Jes. & in Cap. III. Joel.* qui *similitudinem habere* tradit *arboris, quam spinam albam dicimus*. Consentit SALMASIUS *Hyles Jatrices pag.* 166. nullusque dubitat, quin Schitta Hebræorum idem sit cum *Senton* Arabum, quæ spina est Aegyptia in deserto nascens, THEODOTIONI recte ἄκανθος dicta. Alii malunt *cedrum*, quos tamen refellit HILLERUS, qui *Hierophyt. P. I. cap. XLVIII. p.* 426 *sqq.* Acaciam interpretatur. Negat rursus VITRINGA *Commentar. in Jes. XLI*, 29 *Tom. II. fol.* 410. *a.* quia spina Arabica ad eam nunquam proficiat crassitiem, ut columnæ & asseres tabernaculi ex ea confici potuerint; speciem autem cedri fuisse pronunciat, & quidem lectissimæ. Eaque sententia passim obtinuit; unde ABARBENEL quoque delectam cedri speciem fuisse perhibet, summæ

mæ denſitatis pariter ac miræ levitatis. IOSEPHVS *lib. III. Antiqu. cap. 6.* ἰσχυρὰ τὴν φύσιν vocat, καὶ σῆψιν ȣ̓ παθεῖν δυνάμενα: quod cum LXX deſcriptione convenit, cui ξύλα ἄσηπτα *ligna imputribilia* audiunt; quæ optime in cedros quadrant, tineis ac vetuſtati non obnoxias, eaque de cauſa PLINIO inter *arbores perpetuas atque immortales* relatas. Quæ Judæi de hoc ligno diſputant, vide apud BVXTORF. *Hiſt. Arcæ cap. 4. p. 47 ſqq.* & CARPZOV. *p.* 18.

γ) Formam: quæ a Moſe exacte deſcripta Exod. XXV, 10 *ſqq.* quadrangularis erat, longitudine duorum cubitorum cum dimidio, latitudine & altitudine unius cum dimidio. Tota autem introrſum & extrorſum laminis aureis obducta reſplendeſcebat, ne quid ligni in ea conſpiceretur. Aurea præterea corona, ad modum oris ſive labii, ſuper operculi planiciem elevabatur, quæ univerſam arcam, velut corona capiti impoſita, circumdabat. Tandem quatuor annuli aurei prope Arcæ angulos applicati, transmiſſos ſuſtentabant vectes duos, quibus Arca portabatur in itinere a Cahathitis Num. IV, 15. etſi extra ordinem quandoque portarent eam Sacerdotes. Hic Vener. DEYLINGIVS *cit. loc.* §. 21. *p.* 434. monet, inſigni errore, non a pictoribus modo, verum etiam a viris doctiſſimis, vectes Arcæ in ejus longitudine poni, cum in latitudine pingendi, ponendique fuiſſent. IOSEPHVS certe *lib. III. Antiqu. Judaic. cap. VI.* annulos καθ' ἕτερον τοῖχον τῶν ἐπιμηκεστέρων *ex utroque longiore latere* prominuiſſe perhibet: in qua ſententia CARPZOVIVS quoque *cit. loc. p.* 22. acquieſcit. Contradicit tamen RELANDVS *in Notis ad h. l. Joſephi*, & laudatus DEYLINGIVS cum R. IEHVDA urget, quod, ſi ſecundum longitudinem Arcæ vectes fuiſſent locati, binis viris ex hac, & binis ex altera parte Arcam portantibus, non niſi ſpatium unius atque dimidii cubiti, quæ latitudo Arcæ erat, ſuppetiiſſe: quod duobus non ſuffeciſſet viris. Porro, Arcam ſecundum latitudinem ſuam in Sacroſancto collocatam, adeo ut Summus Sacerdos adytum ingreſſurus, inter vectes Arcæ per velum prominentes, incederet, delineavit IOM TOBH *in Comment. ad* lib. Miſchnicum *de Feſto Expiationum c. V.* Verum ſi dicendum, quod res eſt, quia in Templo poſteriori Arca inter deperdita habebatur atque deſiderata, neque IOSEPHVS, nec alius quis ex Judæorum magiſtris habet, quod vel de Arcæ ſitu, vel de vectium ſede, certum tradat & exploratum. Sacer autem Codex de utroque altum ſilet. Vtraque ergo ſententia æque eſt incerta; niſi quod IOSEPHI traditio ſymmetriæ rectius reſpondeat, nec prohibeat quicquam binos utrinque bajulos juxta ſe incedentes, ſi non intra vectes, ſed ab exteriori eorum latere humeros ſubmitterent. Quando porro NACHMANIDES angulos non ſuperius, ſed inferius, Arcæ additos fingit, ut cum portaretur illa, ſupra Sacerdotum capita emineret, ſequitur hinc, quod quando reponebatur Arca, vectes in terram fuiſſent proſtrati, nec ita commode illa tolli potuerit. Sive ergo in media, ſive in ſuperiori Arcæ parte colloces vectes, vero videbitur ſimilius. Simili laborat incommodo MAIMONIDIS traditio, bajulos eam faciebus obverſis introrſum, verſus Arcam, & tergo extrorſum, tuliſſe: ubi non intelligo, quomodo priores pede retrogrado, vel etiam transverſo, procedere, absque offenſione potuerint. Inde vero, quia nec manibus contrectanda, nec curru vehenda, ſed vectibus bajulanda erat Arca Num. IV, 15. X, 21. 1 Chron. XV, 11 ſqq. æſtimare licet peccatum cum Iſraelitarum, quando Philiſtæos imitati plauſtro impoſuerunt, tum Vſæ, quando præpoſtere veritus, ne caderet, manu eam prehendere nihil dubitabat 2 Samuel. VI, 3. ſqq.

δ) Finem Arcæ: quem ABARBENEL fuiſſe ait שיתן בה העדות וכדי שלא ישתברו הלוחות: *ut in ea reconderetur lex & ne tabulæ frangerentur.* Quem proximum, at minus principalem fuiſſe largior finem. Præcipuus autem erat Typicus, quem olim Sacerdotes & Levitæ populo cum cura exponere tenebantur, hodie vero Rabbinorum doctiſſimi, ob velum ipſorum oculis oppanſum ignorant, fruſtra quic-

quicquam ut de eo in commentariis ipsorum quæras. Id quidem Magistri uno velut ore fatentur, שעיקר כל המשכן היה הארון והכרובים: *quod radix & fundamentum totius Tabernaculi fuerit Arca cum Cherubim:* Typus autem Jesu Nazareni quod fuerit, de eo altum apud ipsos est silentium. Nos infra hoc exponemus. Præterea eo spectabat, ut illustre gratiosæ præsentiæ divinæ inter Israelitas symbolum præberet, unde illa diserte כבוד & cum addito, כבוד יהוה *gloria Dei* salutatur 1 Sam. IV, 21 sq. Psalm. XXVI, 8. Jes. LXIV, 11. Porro, ut responsa inde & oracula populo suo redderet sanctissimum Numen, Exod. XXV, 22. Numer. VII, 89. Denique, ut huc conversi preces funderent Israelitæ, & vota nuncuparent. Hac fini ad Arcam mirabiles Deus edidit effectus, Israelitas pro meritorum diversitate, hinc fovens & defendens, hinc, æque ac hostes, graviter affligens, 1 Sam. IV, VI. 2 Sam. VI. Hinc a Rabbinis illa, una cum suffitu sacro, & baculo Mosis, inter illa numeratur cimelia, quæ & in beneficium, & in pœnam, populo cedebant. Confer in hanc sententiam R. BECHAI *Comment. in Legem fol.* 84. *col.* 3.

Ad §. V. pag. 39.

(12) *In ea Arca erant tria*] Pergit nunc Auctor ad Arcæ ε) Contenta, & celebrem illam dextre definit controversiam: Num Arca solas Legis tabulas, tam priores fractas, quam posteriores integras, recondiderit? An præter illas, Vrnam quoque auream cum Manna & Virgam Aaronis asservarit? Prius 1 Reg. VIII, 9. & 2 Chron. V, 10. asseritur, ubi legis: *In Arca non erat aliud* רק שני לוחות האבנים *nisi duæ tabulæ legis, quas posuerat in ea Moses in Horeb, quando pepigit Deus fœdus cum filiis Israel, cum egrederentur de terra Aegypti:* Posterius Paulus affirmat Hebr. IX, 4. ubi de Arca testatur: ἐν ᾗ στάμνος χρυσῆ ἔχουσα τὸ μάννα, καὶ ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν ἡ βλαστήσασα, καὶ αἱ πλάκες τῆς διαθήκης, *in qua* continebatur *Vrna aurea, comprehendens Manna, & Virga Aaronis, quæ germinaverat, & Tabulæ Testamenti.* Locorum horum conciliatio summa exercuit ingenia, in iisque componendis, ut innumeros taceamus alios, desudarunt ex Pontificiis, ABVLENSIS, RIBERA, DE TENA: ex Reformatis DRVSIVS *Comm. ad diffic. loca Exod. cap. XXVIII.* BVXTORFIVS *Hist. Arcæ c. V. p.* 53. LVDOVIC. DE DIEV *Animadv. in Epist. ad Hebr.* BRAVNIVS *Comment. in h. l. Hebr.* PET. IVRIEV *P. II. Histor. Crit. Cap. II. p.* 236. & HOTTINGER nepos, *Not. ad Auctorem nostrum:* ex Nostris BROCHMANDVS *Comment. in Hebr. cit. loc.* WALTHERVS *in Harm. Bibl.* IOH. MVLLER *in Judaismo,* GERHARDVS *Comment. in Ep. ad Hebr.* GLASSIVS *Philol. S. lib. III. Tract. III. can. X.* IOH. QVISTORPIVS *Annot. Bibl. in N. T. p.* 385. GEORG. KOENIGIVS *in Vindiciis sacris Loc.* 144. *p.* 709 *sqq.* CARPZOVIVS *c. l. p.* 38. DEYLINGIVS *c. l.* §. 22. *p.* 435 *sqq.* Operæ nos pretium facturos credimus, si potiores conciliandi rationes, qua licuerit brevitate, recenseamus. 1) MICH. WALTHERVS & IOH. MVLLERVS, ex Pontificiis RIBERA, relativum Apostoli ἐν ᾗ, non ad propinquum nomen, τὴν κιβωτὸν, sed ad remotius, σκηνὴν, referunt, ut ea omnia in interiori tabernaculi parte, Sancto Sanctorum, non præcise in Arca fuisse, intelligatur. Sed verborum structura & ordo hanc explicationem evertit. Per pronomen enim ἐν ᾗ id venit intelligendum, super quo expansi erant Cherubim, teste vers. 5. ὑπεράνω δὲ αὐτῆς, scilicet τῆς κιβωτοῦ, de qua hic erat sermo: at super Arca residebant Cherubim, non super tabernaculo. Vnde hæc sententia ab Auctore nostro deseritur. 2) CHRYSOSTOMVS & THEOPHYLACTVS, inter sæcula priora Salomonis, & ultima Apostoli distinguentes, illis quidem virgam & urnam Mannæ in Arca extitisse negant, affirmant autem fuisse posterioribus, quibus vixit Apostolus. Hos miror laudari a GERHARDO, postquam una cum Templo priore, incendio perierat Arca, & in posteriore inter quinque illa desiderata numerabatur. 3) GLASSIVS dupliciter Arcam considerari posse con-

contendit, vel ſtricte & proprie, pro eo ſolum corpore, quod propitiatorio tectum fuit, vel latius, ut totum *σύνολον* notet, comprehendens non ſolum ipſum arcæ corpus, ſed lateralia quoque receptacula, ſeu arculam quandam, lateri arcæ conjunctam. Habuiſſe enim arcam ad latus eiusmodi receptacula, ex Devter. XXXI, 26. & 1 Sam. VI. colligit. Priori ergo ſenſu eam 1 Reg. VIII. poſteriori vero Hebr. IX. allegari credit. Huc proxime accedit 4) LVD. DE DIEV, BRAVNIVS, QVISTORPIVS, qui ב Hebræorum non *in* tantum, ſed etiam *prope, juxta, apud,* deſignare contendunt, ut ſi minus in arca, juxta tamen illam, & ad latus exterius repoſita cernerentur illa, quæ Salomoni Paulus addit. Verum, nec iſtud Paulina permittit oratio, quæ una, in eodem receptaculo, cum tabulis lapideis, urnam quoque collocat & virgam. Hinc GEORG. KOENIGIO, IANO DRVSIO, & Vener. DEYLINGIO tolerandum non videtur, ut voces *ἐν ᾗ*, in eodem loco, una eademque orationis ſerie ac nexu, aliam atque aliam ſuſtineant ſignificationem. Rectius itaque cenſetur 5) Vrnam & Virgam, una cum Tabulis, in eadem repoſitas fuiſſe Arca; verum hanc quoque ſententiam tuentes, non eodem omnes tramite incedunt. DRVSIVS & KOENIGIVS, illa vetuſtatis monimenta, quæ Salomoni Paulus addit, in arca fuiſſe largiuntur, non tanquam præcipua *κειμήλια*, in quorum gratiam arca potiſſimum ſit fabrefacta, quæ prærogativa unis competat legis tabulis, ſed tanquam acceſſoria, per occaſionem ſaltem illata. Vt adeo רק iſtud 1 Reg. VIII. non abſolute, ſed *κατά τι*, reliqua excludat. IAC. ALTINGIVS *Comment. in h. l. Hebr.* & qui eum ſequitur, DEYLINGIVS, *de lege* nihil aliud in arca fuiſſe tradunt, quam decem præcepta in tabulis ſcripta. *Ita loca hæc ἐναντιοφανῆ percommode conciliantur,* inquit laudatus DEYLINGIVS. Quia vero de lege plane nullus eſt ſermo, ſed tantum de rebus arca comprehenſis, præſtat Auctoris noſtri ſententia: *tempore Moſis tria illa ſimul in arca fuere, Salomonis autem ævo ſolas tabulas teſtamenti arca continuit.* Nimirum, ut GOODWINI mentem paulo planius declaremus, locus 1 Reg. VIII. de arcæ contentis, quando illam templo intulit Salomo, Pauli autem teſtimonium de arca, prout tempore Moſis ſeſe habebat, accipi debet. Moſes, urnam mannæ coram teſtimonio; h. e. tabulis legis Exod. XVI, 33, 34. nec non virgam Aaronis Num. XVII, 10. ibidem collocare a Deo juſſus, tribus iſtis mnemoſynis arcam replevit, eo quidem ordine, quem Paulus docet, ut in illa, remoto operculo, primum urna mannæ, ad latus tabularum locata, conſpiceretur, deinde virga Aaronis, cum ramis ſuis, floribus & fructibus ſupra tabulas extenſa, & infimo demum loco tabulæ fœderis lapideæ, quæ fundum maxime tegebant. Poſthæc vero, quocunque forte caſu aut tempore, quod definire noſtrum non eſt, priora duo ex arca extracta, nec illuc unquam repoſita effecerunt, ut Salomonis ævo, רק tantummodo tabulæ lapideæ in arca aſſervarentur. Sic neutri Textui vis infertur.

ζ) Numerum arcæ, quem pariter ſollicitant Interpretes. Geminam enim fingunt Judæi, in Talmude Tract. שקלים *cap. VI. in En Iſrael fol.* 181. apud R. SALOMONEM *Comment. ad 1 Sam. IV.* & R. DAV. KIMCHIVM *ad eund. locum,* apud R. BECHAI *Comment. in Devter. X,* 1. aliosque paſſim, unam ſcilicet, quæ tabulas integras complecteretur, & in Sanctuario manebat, alteram, quæ fragmenta tabularum contineret, & in bellum quoque efferebatur. Tractant hanc quæſtionem BVXTORF. *Hiſt. Arcæ cap. III. p.* 32. & CARPZOV. *c. l. cap. V. §. 9. p.* 44. & pro una tantum, quam Bezaleel fabricatus eſt, calculum ferunt, alteram cum prorſus ignoret Scriptura. Ad Scripturam tamen quia provocant Judæorum Magiſtri, argumenta ipſorum paucis ſunt diluenda. Vrgent 1) Devter. X, 1, 3. ubi reliquis Sanctuarii vaſis omiſſis, tantum arcæ ſit mentio, quam arbitrantur fuiſſe eam, in quam Moſes tabulas fractas conjecerit, antequam Bezaleel alteram confeciſſet. *Reſp.* Vnde vero probabitur, præter Bezaleelis, aliam præſto fuiſſe arcam,

cam, quæ citato loco memoretur? in universa enim tabernaculi exstructione non, nisi unius fit mentio. Quam ergo Moses hic fabricasse arcam e lignis Sittim legitur, per Bezaleelem reliquosque artifices, totius structuræ architectos, parasse sibi intelligendus est. 2) Num. XIV, 44. unde ita colligunt: Si arca & Moses non recesserunt e medio castrorum, sequitur duas fuisse arcas, quia alia cum Israelitis pugnaturis educebatur. *Resp.* Israelitas arcam secum in castra deduxisse, gratis omnino, & præter fidem Scripturæ asseritur. Quin immo, quia invito Mose pugnatum contra hostes egrediebantur, arcam secum non habebant, quia *arca fœderis Domini & Moses ex castris non egrediebantur.* 3) Num. X, 33. coll. cum Num. II, 17. priori enim loco arca fœderis Israelitas via trium dierum anteivisse dicitur: posteriori autem præcipitur, ut tabernaculum in medio castrorum proficiscatur, Alia ergo arca cap. II. alia cap. X. indigitatur. *Resp.* Verba cap. X, ut recte observat ABARBENEL, non capienda sunt בכל מסעותיו *de omnibus illorum itineribus*, sed de prima duntaxat profectione illa trium dierum. Cap. II. autem de eo agit, quod ordinarie alias fieri debebat. 4) 1 Sam. XIV, 18. ubi Saul ad Sacerdotem: *fac accedere ad arcam,* inquit: & 5) 2 Sam. XI, 11. ubi Vrias ait: *arca, Israel & Juda manent in operimentis,* unde liquet, unam arcam cum exercitu fuisse, alteram in tabernaculo mansisse. *Resp.* ad utrumque: hoc saltem inde elucet, arcam fœderis sæpe bellatores, ut militibus animum adderent, secum in castris, quamvis injussu Dei, eduxisse. Simile exemplum habes 1 Sam. IV, 3 sqq. unde tamen duas exsculpere arcas non licet.

η) Vindicias ab insultibus IOH. SPENCERI. Is enim, ut suam hic quoque intrudat opinionem, *de Leg. Hebræor. lib. III. diss. V. tota, p.* 745 *sqq.* Cistas Gentilium mysticas & sacras huc refert, & magno cum eruditionis apparatu evincere conatur, ritum arcæ fœderis non Gentiles ab Israelitis mutuatos & imitatos fuisse, sed Deum a Gentilibus, per sapientissimam quandam συγκατάβασιν, acceptum in sacra sua transtulisse, & a sordibus idololatriæ atque superstitionis repurgasse. Ceterum cistarum apud gentes mysticarum originem, eandem cum idololatria ferre ætatem, cum ea cœpisse, & ex ejusdem natura ac indole ortum traxisse. Hoc ut evincat, septem instruit argumentorum classes, quas ordine lustrabimus. 1) Cistarum Gentilium antiquitatem urget, quarum quippe usus diu ante Mosis ætatem inter Ethnicos viguerit, partim quia & Aegyptios talem in Sacris suis habuisse cistam ex APVLEIO discimus, & Trojanos antiquissimos arcam quandam notæ sacratioris sibi servasse ex PAVSANIA constat, partim quia Veterum testimoniis evincitur, arcas in Græcorum, Romanorum, & Gentium pæne omnium cerimoniis obtinuisse: hinc rationem suadere arguit, ut hujusmodi religionis instrumenta legem Mosaicam antiquitate superasse dicamus. *Resp.* Nondum evicit SPENCERVS, quod probare intendit. Cum enim non APVLEII modo & PAVSANIAE, sed Trojæ quoque dirutæ tempora, Mose longe sint inferiora, nec ullus produci queat Scriptor, vel testimonium fide dignum, quod Mosis ætatem superet, potius pro nobis faciet hoc argumentum, quam pro SPENCERO. Sed nullus præterea est argumenti nexus, si colligas: gentes fere omnes, Aegyptii, Trojani, Phœnices, Hetrusci, Græci, Romani, in arcarum mysticarum usum conspirant; ergo ille legem Mosaicam ætate transcendit. Pari argumento conficeres: gentes idololatricæ omnes, etiam antiquissimæ, in victimarum cædendarum usu conspirant, ergo sacrificia Gentilium, sacrificiis in Ecclesia Dei receptis, ipsius quoque Abelis & Caini, sunt antiquiora. Quod quam sit absurdum, nemo non videt. Satanas nimirum idololatrici cultus rationem a populo Dei mutuo, vel furto potius raptam, ad gentes varias disseminavit, & pari modo cistarum ritum familiarem ipsis reddidit, quod arcam fœderis tantæ videret apud populum Dei esse dignationis. 2) Ad originem cistarum istarum provocat, quæ ab intima cultus Gentilis natura potius, quam ab imitatione Judæorum

dæorum sit arcessenda. Inventas quippe illas esse, hinc ut Sacrificuli mysteria sua a communi luce, & profano vulgi conspectu arcerent, hinc ut Numina sua defuncta illis reconderent, ut ex EVSEBII *lib. II. de Præparat. Evang. cap. I.* & *lib. X. cap. XII.* de Aegyptiis cumprimis constet. *Resp.* Vnius rei plures possunt esse fines & usus. Vtique & istud imitari nitebatur Diabolus, ut, quemadmodum arca fœderis studiose celabatur a populo, & in ea tabulæ legis nemini mortalium amplius, postquam semel illatæ essent, conspicerentur, ita pariter Gentiles aliquam inde concinnarent velut disciplinam arcani, & ad modum tabularum fœderis Dei, sua quoque mysteria, cistis inclusa, a conspectu vulgi prohiberent. Quod autem Numina, h. e. animalia sua defuncta, talibus includerent cistis, id prorsus ad superstitionem spectat gentilem, nec cum arca Dei quicquam habet commune, multo minus contra ætatem illius quicquam evincit. Quæ enim hæc est collectio: Gentiles, maxime Aegyptii, de quibus solis id constat, animalia illa, quæ pro Numinibus coluerant, defuncta cistis includebant; ergo cistarum mysticarum apud Gentiles usus Mose est superior? 3) Nomen & characterem arcæ fœderis in rem suam vertit. Vocabulum ארון & communem notat cistam, & feralem, velut Genes. L. de loculo legitur Josephi: ergo arcæ fœderis origo a cistarum duplici usu apud Aegyptios sacro derivatur. Præterea signate appellatur arca Domini, arca Jehovæ, fœderis, testimonii, arca fœderis Dei totius terræ Jos. III, 11, 13. quod non aliunde factum, nisi quod & Diis aliis suæ essent cistæ, adeoque hoc προσδιορισμῷ arca Dei veri, ab arcis Deorum Gentilium discriminaretur. *Resp.* Cum vocabulum ארון sit generale, quamcunque cistam denotans, mirum non est, illud & ad cistam sacram, sive fœderis, & ad tumbam feralem Josephi, designandam adhiberi. Idem vero nomen ad cistam quoque numariam applicatur, 2 Chron. XXIV, 8, 10 sqq.; ergone & hoc arcæ fœderis gentilem arguit originem? Nugæ hæ sunt, & tricæ. Arca Domini vero quando salutatur, non tam cistis gentilium Deorum hoc elogio opponitur, quam a præsentia speciali & gratiosa veri Numinis ad hanc arcam, celebratur. Hinc nullus denuo in argumento est nervus. Pariter enim concluderes: Hierosolyma urbs Dei, urbs sancta, urbs magni Regis appellatur; ergo hæc elogia sortita est ab urbibus, nomen suum a Gentilium deastris trahentibus, iisdemque dicatis, immo & ideo longe est recentior urbibus illis gentilibus. Quod nemo non videt absurdum. 4) Arcæ fœderis pulchritudine nititur ac splendore. Erat ex ligno pulcherrimo: tota intus & extra auro solido cooperta, limbo vel corona aurea ornabatur: operimento superbiebat aureo &c. Quod itaque Deus sub Vet. Test. non tantum pie, verum etiam splendide coli vellet, non ipsius naturæ, sed gentium mori tribuendum est, secundum quem omnia instrumenta sacra auro & gemmis, ebore & cedro splendescebant, ut eo splendoris aucupio Deorum honori & cultui lenocinarentur. *Resp.* Non arcam modo Deus, sed & Sanctuarium, atque posthæc Templum, omniaque ejus vasa, vestitum cumprimis & ornatum sacerdotalem Pontificis M. & quicquid ad Sacra pertinebat, pretiose & splendide construi & institui volebat, non ut ita Gentium sacris Sacra sua ne inferiora esse pateretur, quin adhuc redderet splendidiora; neque etiam, quasi Deus auro & gemmis, & ornatu externo, vanoque delectetur, sed ut hominum animis externo quoque apparatu magnifico, aliquam sacrorum venerationem insinuaret, cultumque suum terrenis opibus, pompæ ac splendori omni longe præstare doceret. Solent enim hominum mentes ad conspectum rerum pretiosarum attonitæ hærere, tacitaque illa veneratione prosequi. Cum itaque, quæ exteriora sunt illa cultus Levitici instrumenta, non in Dei, sed hominum gratiam sint adinventa & effecta, iis juvare sanctissimum Numen voluit mentis humanæ venerationem. 5) Momenta discrepantiæ in subsidium vocat, quibus Deus Israelis suam a Gentilium cistis disterminare voluerit. Horum quinque allegat SPENCERVS: *a*) In ar-

ca fœderis nil nisi tabulæ lapideæ asservabantur, quarum una Dei veri cultum, altera morum puritatem docuit. Ast in arcis ethnicis nihil, nisi quod magicam aut impuram superstitionis gentilis naturam saperet, recondebatur: *b*) Arca Dei a solis bajulanda erat viris, Sacerdotibus quidem ac Levitis: arcæ Gentilium nonnunquam etiam per Fœminas portabantur, docente MEVRSIO: *c*) Israelitæ ceremoniis sanctis, apertis & religioni congruis, honorem arcæ Dei deferebant: Gentiles autem arcas suas ceremoniis quibusdam magicis, & stuporem magis, quam religionem incutientibus, coluerunt: *d*) In arca Dei imagines Cherubinorum exterius impositæ conspiciebantur; in mysticis Gentilium cistis simulacrum Numinis alicujus grandiusculum, aut imagunculæ aliæ, utplurimum inclusæ tectæque servabantur: *e*) Arca Dei una tantum erat, Gentium plures & variæ. Inde colligit: cum Judæorum & Gentilium arcæ sacræ, cetera simillimæ, tot tamen insignibus circumstantiis ab invicem discreparent, satis liquere, arcam fœderis e Gentilium moribus initia petiisse, aliis tamen & sacratioribus a Deo ritibus instructam. *Resp.* Quidni vero contrarium potius inde eliciatur? cum tantum detur discrimen inter arcam illam veri Dei unicam, & plures cistas mysticas Gentilium, sequi, ab una illa ritum mutuatos Gentiles, Satanæ instinctu, suas quoque arcas instituisse, easque pro sacrorum suorum varietate & multitudine diversas, ita ut cuique superstitioni sua quoque accommodata esset arca. Israelitica enim, ceteris omnibus antiquior, imitationi haud dubie locum dedit. 6) A convenientia rursus cerimoniarum argutatur, & quod Israelitæ cerimoniis ethnicis in illius honorem uterentur: a) quod arcam Dei plaustro novo, bobus trahendo, gestandam imposuere, 2 Sam. VI, 2 sq. quo ipso Davidem mores gentium, in Deorum symbolis deferendis usitatos instituisse, manifestum est: b) quod eandem multa cum pompa & celebritate in populum quandoque ferrent, ut 2 Sam. VI, 3 sqq. item, cum Salomo arcam in templum deportaret e civitate David. *Resp.* Vtrumque factum singulare, & alio prorsus susceptum erat fine, non ut animos Israelitarum zelo Dei accenderent, qua mente circumlatas Gentilium arcas memorat SPENCERVS, sed ut ad locum stabilem & certum, & ad mansionem diu duraturam, arcam fœderis reponerent David pariter ac Salomo: plane ergo *ἀπροσδιόνυσα* sunt hæc exempla, quæ huc non quadrant. Nec sequitur: arca fœderis solenni ritu, & magna cum veneratione deferebatur in urbem David, posthæc etiam in templum Salomonis; ergo more gentili, eodemque cum cistis mysticis ritu, in populum inferebatur. Accedit, quod prior ritus a Davide adhibitus, illegitimus, nec probatus Deo fuerit, cum currui impositam arcam bobus veheret, eoque nomine divinam provocaret vindictam: in posteriori autem transportatione, Sacerdotum humeris gestata, non autem curru vecta legitur; hæc ut invita Minerva ad Gentilium morem trahatur. 7) Limbum aureum obvertit, sive coronam illam, qua cingebatur arca, quamque ex ritu Gentilium petitam tribus evincere argumentis satagit SPENCERVS. Verum quicquid est istius demonstrationis, hoc tantum probat, Gentilibus serta & coronas in sacrorum usu fuisse, quod nemo temere negaverit; illa autem serta, coronas illas, ideam & exemplar præbuisse limbo aureo arcæ fœderis, plane non evincit. Omnia in tota hac disputatione, tam lubrica sunt, tam incerta & dubia, ut mirari subeat, qua fronte SPENCERVS ea, tanquam magni momenti pondera, in rem suam vertere potuerit. Ceterum de cistis Gentilium mysticis, earumque circumgestatione, erudite commentatur BRAVNIVS *Select. Sacr. lib. IV. cap. X.* §. 145 *sq. p.* 497 *sq.*

9) Spiritualem adhuc & mysticam addimus arcæ significationem. Eam quippe in Sanctuario collocatam, Christum referre in Ecclesia, ex Apocal. XI, 19. palam est, qui 1) velut arca ex ligno & auro constabat, ex vili & pretiosa, humana quippe & divina compositus est natura: 2) Legem Dei, cujus tabulas continebat arca, in se complectitur, tanquam *τέλος νόμου* Rom. X, 4. qui

qui τὸ ἀδύνατον pariter, ac τὸ δικαίωμα τȣ̃ νόμȣ, noſtri loco implevit, Rom. VIII, 3, 4. 3) Deum ſiſtit propitium & conciliatum, omnibus accedentibus ad ipſum Epheſ. I, 6. III, 12. gratioſeque annuentem deſideriis noſtris, æque ut ſuper area reſidebat Dominus, indeque reſponſa dabat conſulentibus ſe: 4) in Eccleſia militante pariter ac triumphante, ut arca in Sanctuario inter Cherubim, in medio ſuorum præſens: 5) multis virtutibus, beneficiis & tutela ſuorum, inter ſuos æque ac hoſtes, ut arca in Iſraele, inclutus & conſpicuus. Vide latius hæc perſequentem BIERMANNUM, *in Moſe & Chriſto lib. II. cap. IV.* edit. Belgicæ *p.* 387. conciſius WILHELM. MOMMAM *Oeconom. Tempor. P. I.* §. 11. *pag.* 161.

Ad §. VI. pag. 39.

(13) *Operculum hujus Arcæ*] Attendimus ad ejus 1) Nomen. Dicitur כפרת, quam vocem pro diverſa radicis notione, diverſimode reddunt Interpretes. Qui enim ex Conjug. Kal derivant, *operculum* ſeu *operimentum* vertunt, in quibus eſt R. SALOM. ABEN MELECH, & ABARBENEL: qui ex Conjug. Pihel, *propitiatorium* dicunt, iique rectius, quia Dageſch forte in פ, media radicali, Conjugationis Pihel index eſt & characteriſticum: hinc Paulus Rom. III, 25. ἱλαςήριον vocat, quem ſecutus LUTHERUS, ubique *den Gnadenſtuhl* appellat. LXX Senes vero utramque nominis etymologiam jungentes, Exod. XXIV, 16. ἱλαςήριον ἐπίθεμα exponunt, quos Belgæ imitantur, quibus *het Verſœndekſel* audit. Si ad uſum & officium ejus attendas, utramque tuetur ſignificationem, cum & arcam tegeret, & typico expiationis ſanguine adſpergeretur, ut ita Deum, huic tegumento inſidentem, Iſraeli reconciliaret.

2) Materiam: quæ זהב טהור *aurum purum*, h. e. מוקק שבעתים *ſepties defæcatum*, ut ex Pſal. XII, 7. explicat ABARBENEL, haud dubie ob rei dignitatem, & typicum ac myſticum reſpectum: atque adeo, non ligneum erat & auro obductum, ut reliqua arca, ſed ſolidum ex auro opus. Hinc Magiſtrorum ſcitum in Talmud יבוא זהב של ישקלים הכפורת ויכפר על זהב של עגל: *veniat aurum propitiatorii, & expiet pro auro conflati vituli.*

3) Menſuram. Erat duorum cubitorum & dimidii longitudo ejus, & cubitus unus cum dimidio latitudo, dimenſioni arcæ utrinque ex aſſe reſpondens, ut intra limbum ejus prominentem immiſſum, inſtar operculi arcam undiquaque clauderet & obtegeret. De craſſitie nihil tradit Scriptura: Rabbini, apud R. SALOMONEM, טפח palmam ei aſſignant, ut quatuor digitorum latitudinem denſitate, ſive craſſitie exæquaret. Id quod ex ponderis ratione nimium nobis videtur, cum tantæ craſſitiei, longitudinis & latitudinis tabula, ex auro ſolido conflata, cum impoſitis duobus Cherubim, pariter multum ponderoſis, vix ſola, nedum una cum arca, a quatuor viris portari commode potuerit. Hinc vel unius digiti denſitas ei ſufficiat, modo tam fuerit robuſta, ut in extremitatibus ſuis ſuperimpoſitos Cherubim ſuſtentare poſſet.

4) Figuram; de qua diſſentiunt Interpretes. Chriſtianorum plurimi, & in his cumprimis Pontificii, arcuato & excavato opere, varioque ornatu, deſuper arcam in altum ſurrexiſſe hoc operculum cenſent, ad eum, quo opercula craterum, phialarum, poculorum, & aliorum ejusmodi vaſorum pretioſorum conflata ſunt, modum, quod CAIETANUS, VATABLUS, OLEASTER aliique ſtatuunt apud BONFRERIUM *Comment. in Pentat. f.* 491. & ad hunc modum æri inciſa ſiſtitur arca apud VILLALPANDUM & PRADUM, qui auctoritate ſua multos alios in erroris ſocietatem abripuerunt. Rectius PHILO *lib. III. de vita Moſis*, operimentum hoc planum deſcribit, & ſuperficiei Geometricæ ſimile, ut arcarum tegmina ſolent. Falſum præterea eſt, quod quidam Cherubinorum alis, quidam manibus eorum ſuſtentatum propitiatorium volunt, cum contiguum potius arcæ eſſet, ut recte nobiscum ARIAS MONTANUS, TORNIELLUS, RIBERA, BONFRERIUS, FOERSTERUS, & alii

 ſentiunt,

ſentiunt, quod ipſa requirit Scriptura Exod. XXV, 19. & XXVII, 8, 9. præcipiens, ut unus Cheruborum in uno, alter in altero propitiatorii latere extremo collocatus, expanderent duas alas ſuperne, iisdemque operculum obtegerent.

5) Typum. Chriſti enim Servatoris ſymbolum præbuiſſe propitiatorium, ex Rom. III, 25. liquido conſtat, qui 1) ratione Officii tegit & expiat peccata noſtra Pſal. XXXII, 1. Dan. IX, 24. 1 Joh. II, 2. 2) ratione Inhabitationis divinæ, totam in ſe habet Deitatis plenitudinem Coloſſ. II, 9. 3) ratione Coronæ, Regia ſplendet majeſtate Apoc. IV, 10 ſq. 4) ratione Ritus, aſperſione ſanguinis hilaſtici peccata populi delet ac tollit Lev. XVI, 14. Col. I, 14. 5) ratione Tutelæ ſuos obumbrat, ut ſub alis ejus habitent ac deliteſcant pii Pſal. XXXVI, 8 ſqq. Mal. IV, 2.

Ad §. VII. pag. 39.

(14) *Stabat Cherubinus*] Circa Cherubim magna rurſus inter Interpretes intercedit diſſenſio.

a) Nominis ratio ab aliis compoſita, ab aliis traditur derivata. Multi enim vocabulum componunt, ex כ ſervili, ſeu comparationis, & nomine רוב, multitudinem notante, unde hanc vocem לשון מלכות גרולה ſymbolum regni & magnitudinis eſſe cupiunt, PHILO ex Judæis, ex Patribus DIONYSIVS AREOPAGITA, CLEMENS ALEXANDRINVS, AVGVSTINVS, HIERONYMVS, ORIGENES, qui Cherubim a multitudine ſive potentiæ, ſive ſcientiæ vocatos volunt. Etſi vero improprie & metaphorice id nominis, ob eminentem dignitatem, Regi Tyri attribui videmus Ezech. XXVIII, 14. את כרוב ממשח הסוכך *tu es Cherub unctus oleo unctionis*, ut BVXTORFIVS *c. l. p.* 99. vertit, contra vero SEB. SCHMIDIVS ita reddit: *tu* (es) *Cherubus, expanſio* (magnifica) *contegentis:* hanc tamen eapropter derivationem & originem vocis, utpote coactam nimis, minime admittimus. Magis adhuc ridicule CORN. A LAPIDE *Comment. in Exod. f.* 540. ex כ ſervili componit, & רב *Rabbi*, ut כרוב idem ſit, ac ſapiens, potens, honoratus, glorioſus, ſicut Rabbi. Quæ adeo acuta eſt vocis inveſtigatio, ut ſoli remanſerit *Cornelio*, nec alium quenquam nacta ſit aſſertorem! Denique componunt Hebræi, qui ex lingua Aramæa ſeu Chaldaica arceſſunt, ex כ ſimilitudinis & רביא vel רוביא, qua voce in Babylonia *adoleſcens* vocatur, quod formam adoleſcentum, vel puerorum adultorum referrent. Atque hanc cum vocis originem, tum de figura Cherubim ſententiam, Judæi neoterici fere omnes amplectuntur. Rurſus qui hanc vocem derivant, & כ radicale ſtatuunt, alii cum ABEN ESRA volunt כרובים in genere notare צורות *formas*, cum ex Ezechiele pateat, nomen hoc eſſe generale, כולל לכל צורה *omnem figuram comprehendens.* Ezechiel enim, quam cap. I, 10. dixerat figuram bovis, rurſus cap. X, 14. faciem Cherubini appellat, ut verſ. 20. quatuor iſta, quæ viderat animalia, Cherubinos vocat. Verum obſtat, quod vox hæc ventis quoque, quibus nulla eſt figura, & nubibus tribuatur, quibus Deus vehi dicitur, pariter vehi dicitur ſuper Cherubim, iisque velut throno ſuo inſidere, Pſal. LXXX, 2. Hinc eorum nata eſt ſententia, qui a Rad. רכב *equitavit, vectus fuit*, ſive equo, ſive curru, deducunt, ut כרוב per facilem pronamque literarum *μετάθεσιν*, idem ſit ac רכוב *vehiculum*, quod Pſ. CXL, 30. de nubibus uſurpatur, quibus quaſi vehitur Deus. Neque obſtat, quod LORINVS & alii hic objiciunt, ſi hæc detur licentia, eodem jure poſſe ex כבר derivari, unde כביר *fortis, magnus.* Aliud enim eſt, pro lubitu vocem quocunque modo deducere, aliud manuducente Scriptura, eam derivare. Poſterius hic obtinere, ex 2 Sam. XXII, 11. liquet, ubi pro nubibus ponitur Cherub, וירכב על כרוב *& vectus eſt ſuper nubibus;* cum ex adverſo Angeli quoque vehiculum Dei dicantur Pſalm. LXVIII, 18. Vnde Judæi quoque doctrinam de Angelis מעשה המרכבה *opus vehiculi* appellant. Ita quoque per Cherubim quatuor animantia intelliguntur alata apud Ezechielem, quæ alis vehi & volare apparebant: unde duarum harum

rum

rum radicum affinitas & permutatio apparet. In hac itaque ſententia CARPZOVIVS *loc. cit. pag.* 34. & poſt eum IACOB. GVSSETIVS *Comment. Lingu. Hebr. h. v.* acquieſcit: Poſterior, *Deduco* inquit, *a* רכב. *Sunt nempe aut iidem, aut ſimillimi iis, quos Paulus dicit* θρόνες: *quid enim differt thronus mobilis a curru regio? Vide quid Romanis proceribus ſella curulis fuerit.* Hanc tamen literarum tranſpoſitionem, quam LVDOV. DE DIEV *Animadverſ. in Gen. III*, 24. primus, quantum memini, ſibi aliisque perſuaſit, ceu nimis violentam, recentiſſime repudiavit IAC. ODE *Comment. de Angelis Sect. I. cap. V. p.* 73 *ſq.* ac rationibus pro hac derivatione in medium allatis ſatis fecit, ipſe Cherubim ab exoleta radice כרב, *potens, validus, robuſtus fuit*, deducens, ut כרובים vi ſuæ originis ſint *potentes, validi, robuſti.* Certe apud Syros כרובא id ſignificat, & כרובותא *potentiam* ac *vires* notat. Eandem ſententiam vir laudatus rationibus confirmat, & jam ante eum Vener. DEYLINGIVS *cit. loc. p.* 443. in medium attulerat, ſuamque fecerat. Quæ cum omnium vero ſit ſimillima, in eadem nos quoque acquieſcimus. Nec minor circa

β) Formam Cherubinorum eſt diſſenſus. Primo omnium pro certo habemus, Cherubos Moſaicos arcæ impoſitos, nec non in tabernaculo ac templo depictos, diverſa omnino effigiatos fuiſſe figura a Cherubis, Ezechieli viſis & deſcriptis. Vtrorumque diſcrepat deſcriptio, & in Moſaica quidem delineatione DEYLINGIVS duo obſervat momenta: primo, quod paſſas habuerint alas ſurſum verſus, quodque alis ſuis obtexerint propitiatorium; deinde, quod facies habuerint obverſas ſibi mutuo, itemque ad propitiatorium converſas. Vnde conficit §. 36. *p.* 444. Cherubos Moſaicos fuiſſe *ζῶα πετεινὰ, animantia volucria*, teſte IOSEPHO *Antiquitat. lib. III. c.* 6. *Quæ vero reliqui corporis fuerit figura, ejus rei altum apud Moſen ſilentium eſt*, addit, *nec a nobis accurate definiri poteſt.* His præmiſſis apparet, falli ac fallere PRADVM & VILLALPANDVM, quando propitiatorii Cherubinos ejusdem prorſus figuræ fuiſſe cum Ezechielis perhibent, eosque effigie humana in corporis habitu, ore, manibus & cruribus, alis binis, jubato thorace, atque ungulis bifidis veſtitos depingunt, pro illa nimirum, quam fingendi ſibi licentiam ſumſerunt. Sed nec, quia alati ſiſtuntur, animantia volucria, toto corpore plumata, caputque corpus & pedes avis ſimiles fuiſſe cenſemus. Et quid prohibet, quo minus in potioris cum Judæorum, tum Chriſtianorum interpretum ſententiam incedamus, & formam iis tribuamus humanam? Cherubinos enim, ubicunque memorantur, Angelos notare paulo poſt conſtabit. Hi vero, quando ſe conſpiciendos præbuerunt, virorum vel adoleſcentum ſpecie hominibus ſeſe ſiſtebant Marc. XVI, 5. Act. I, 10. Luc. XXIV, 4. Dan. IX, 21. Gen. XVIII, 2. XIX, 5. Hinc Cherubinos Moſaicos adoleſcentium retuliſſe formam credimus, ſed alatorum. Illud autem oppido ridiculum eſt, quod R. BECHAI, R. SALOMO, & ex iis ARIAS MONTANVS cenſent, unum Cherubum maſcula, alterum fœminea ſpecie fuiſſe.

γ) Significationem Cheruborum Angelos ſanctos deſignare, doctiſſimus ODE *c. l.* §. *V. p.* 76. in genere demonſtrat, idemque porro *p.* 78. de Cherubis Ezechieliticis, tum quoque de Moſaicis *p.* 86. operoſe evincit, Judæorumque ac Patrum ſuffragiis *p.* 92 *ſq.* confirmat. Hinc permodeſte adverſantes refellit ſententias, *Patrum* nonnullorum, IRENAEI, HIERONYMI & AVGVSTINI, qui per quatuor animalia, ab Ezechiele & Johanne viſa, repræſentatos fuiſſe quatuor Evangeliſtas ſtatuunt *p.* 94: COCCEII, qui per Cherubinos Ezechielis, Eccleſiam ex omnibus Gentibus, per Moſaicos autem, qui arcæ fœderis impoſiti, ſeu potius continenti opere ex arca ſurgebant, fideles adumbrari exiſtimat, qui fiunt unum corpus cum Mediatore, per Spiritum ejus, *p.* 96: VITRINGAE, & qui ejus legerunt veſtigia, LAMPII ac HENR. GOTTL. REIME, qui ſymbolo animantium & rotarum deſignatos eſſe miniſtros regni gratiæ, cum extraordinarios, tum ordinarios arbitrantur, *p.* 98: IOH. HENR. VR-

SINI, qui Ezechieli repræsentatam fuisse gloriam Dei in regno potentiæ, & quatuor animalia esse omnia mundi regna judicat, ubi Dan. VII. & Zach. I. quæ ab Ezechiele Cherubini dicuntur cap. X, 20. & XXVIII, 14. Prophetamque vidisse conversiones illorum, volvente providentiæ rota, quæ & mirabili causarum serie concatenata est, & occulta fertur Dei nutu, non cœco fortunæ impetu, *p.* 101: CLERMONTII, qui Ezechieli figuratum fuisse existimat Chaldæorum exercitum, ex septentrione adventurum contra Hierosolymam, totamque Judæam instar magnæ nubis tecturum, animatum & agitatum Spiritu Dei, ut iram contra rebellem Israelis domum juste susceptam exerceret, atque ductum a consiliariis Nebucadnezaris, figuratis per faciem hominis, a Principibus regni fœderatisque ducibus, heroibus, per faciem leonis, indefessis in labore bellico per faciem bovis, & perquam celeribus in invasione atque rebus bellicis expediendis, per faciem aquilæ, figuratis, *p.* 105: denique HENRICI HVLSII, Cherubinos arcæ impositos, de duobus increatis Angelis, Filio & Spiritu Sancto interpretantis, in œconomia & missione occupatos, *p.* 106: & LIGHTFOOTI, qui per Cherubinos propitiatorii duas Christi naturas opinatus est adumbrari. Quæ huc transferre, & post curatum examen, denuo sub censuram vocare, nimis foret prolixum, tædiique plenum. Nobis, ut dicamus, quæ mens sit, Cherubi hinc Angelorum Genes. III, 24. Ps. XVIII, 11. hinc Electorum fidelium Apoc. V, 8, 9, 10. [illegible]tionem habent. In utrorumque medio Deus dominatur & habitat Dan. VII, 10. Jes. VI, 1 sqq. Apocal. I, 13. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20: utrorumque virtutes varia Cherubinorum forma refert: utrorumque, & in utroque Testamento facies in Christum, propitiatorium, unice sunt conversæ: &c.

δ) Vindicationem a spuria, quam ipsis SPENCERVS tribuit, origine. Quod enim ille de arca fœderis adeo operose asseruerat, id multo adhuc operosius *cit. loc. cap. III. p.* 763 *sqq.* de Cherubim demonstrare nititur, ab Aegyptio ritu illos, arcæ impositos, primum trahere ortum. Istud constare contendit 1) ex Nomine, cum Cherubim fortes & potentes designent Ezech. XXVIII, 14. æque ac Aegyptii Deos suos, maxime Apim, a fortitudine & potentia celebrarent, unde par fuerit, ut imagines, Deo pro sede & solio positæ, Cherubim, sive fortes aut potentes dicerentur, ut perpetua manerent potentiæ divinæ monimenta, & Israelitæ in eo, qui inter Cherubim habitavit, fiduciam suam reponerent: 2) ex eorum Figura, quam talem describit *p.* 774 *sqq.* ut Cherubim simulacra aurea dicat, eaque multiformia, quæ vultum virilem, quaternas aquilarum alas, dorsa leonum vestita jubis, & vitulorum crura pedesque habuisse, ex Ezech. X, 20. & Apoc. IV, 6, 7. contendat: at Aegyptiorum simulacra & aurea fuisse, & multiformia, & vitulinam cumprimis referentia figuram *p.* 780 *sqq.*: 3) ex Usu eorum symbolico & mystico, quo & ad Deum spectabant, qui inter Cherubim solium habebat Psal. LXXX, 1, 2. & potentissimus ita declarabatur; & ad Angelos, Dei velut apparitores, quorum etiam & scientiam, & potentiam plane singularem, forma sua varia adumbrabant; & ad Templum, in quantum sedem & solium Deo habitatori præbebant; & ad Populum, quem admonebant, solum Deum cultu religioso prosequendum, & omnem in eo fiduciam esse reponendam. Id autem manifesto a multiformibus Aegypti symbolis & hieroglyphicis originem trahere, instituta inter Hebræorum Cherubim, & Aegyptiorum hieroglyphica, collatione probare conatur *p.* 788 *sq.*: 4) ex Situ locali, quod sedem suam Cherubim, æque ut Aegyptiorum simulacra, in tabernaculo & templo perpetuo sortirentur: 5) ex Fine, secundum quem Cherubim Deo, & pro habitaculo, & pro throno vel tribunali erant, & pro vehiculo, & characteris aut signi vice fungebantur, quo Deus ille, cui templum dicatum erat, internosceretur: qui fines omnes Aegyptiam originem manifesto spirent. Ista vero omnia, ut & quæ de conjunctione arcæ & Cheruborum, apud eundem SPENCERVM *cap. VIII. p.* 802. de usu arcæ & Cheru-

Cherubim, conjunctim ſpectatorum *cap. IX. p.* 811. & de honoribus, arcæ & Cherubis conjunctim tributis *cap. X. p.* 814 *ſqq.* ſequuntur, quam ſpecioſe etiam ornentur, pro illa, quam ſuſceperat, evincenda ſententia, ne ſpeciem quidem vel umbram veri habent, perpetua laborant *ἀσυλλογιστία*, profanam de Dei veri cultu & honore mentem auctoris pariter produnt, ac lectoribus inſpirant, adeoque refutatione prolixa non egent, ſed ad rei notitiam ſolum a nobis indicantur. Quæ tamen cum in partes traxerint IOH. CLERICVM *Comm. ad Exod. XXV*, 18. hunc depexum dedit toties laudatus DEYLINGIVS *c. l.* §. 37. 38. *p.* 444. quem evolviſſe non pœnitebit.

Ad §. VIII. pag. 39.

(15) *Altare thymiamatis medium*] De eo lege Exod. XXX, 1-10. ubi plene מזבח מקטר קטרת *altare, quod ſit accendendo ſuffitui* ſacro deſtinatum. Quanquam enim מזבח a mactando & ſacrificando nomen trahat, paulo tamen generalius interdum quamcunque notabat aram; etiam *μνημονευτικὴν* illam, quam Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manaſſe, in memoriam communis religionis & communium ſacrorum ſtruxerant Joſ. XXII, 10. ad uſum tamen ſacrificiorum nunquam adhibendam v. 23. Hinc Scriptura duplicis meminit altaris, quorum alterum מזבח העולה *altare holocauſti*, in quo cremabantur victimæ, alterum מזבח הקטרת *altare thymiamatis*, in quo fiebat ſuffitus. Neque tamen ab omni prorſus uſu ſacrificiali erat remotum, quia cornua ejus ſemel quotannis, in feſto expiationis, a Summo Sacerdote ſanguine ſacrificiorum conſpergebantur Exod. XXX, 10. quod toties quoque fiebat, quoties pro Sacerdotis, aut totius populi peccato, expiatio peragebatur Lev. IV, 18. Cumprimis autem a ſuffitu cognomen ſortiebatur, ab ordinario & præcipuo quippe uſu, quia ſuffitus aromatum non modo ſolennis & anniverſarius a Pontifice M. in die Kippurim, verum quotidianus etiam, a Sacerdotibus gregariis, cum ſacrificio jugi, mane & veſperi in eo adolebatur. Demum, quia univerſa auro erat obducta, hinc *aureum* quoque altare vocatur Num. IV, 11. oppoſitum altari holocauſtorum, quod quia ære obductum, *æneum* ſalutabatur Exod. XXXVIII, 30.

Materia communis huic altari erat cum arca fœderis, & menſa propoſitionum: interior ligna Sittim, exterior aurum puriſſimum, de quibus nihil addimus iis, quæ dicta ſunt ſupra. Diſcrimen tamen hic aliquod interceſſiſſe creditur, inter Altare Tabernaculi, & Altare Templi Salomoneum. Illud præter aurum & lignum, nullam aliam complectebatur materiam: hoc autem Rabbini, & e Chriſtianis doctoribus nonnulli, intime lapidibus refertum credunt, ita ut primum Salomo lapideum ſtrueret altare, illud aſſeribus cedrinis tegeret, ac ſuperne obduceret auro. Sic ſentit R. LEVI BEN GERSOM *Comm. in* 1 *Reg. VI*, 22. אחשוב שיהיה הרצון בזה שקודם זה בנה מזבח הקטרת באבנים וצפהו עצי ארז כמו שעשה בקירות הבית שהיו של אבן וכסה אותם בארז ואחר כן צפה אותם זהב *Arbitror hic ſignificari, quod antea conſtruxerit altare ſuffitus ex lapidibus, eosque obduxerit lignis cedrinis, quemadmodum fecit in parietibus templi, qui erant ex lapidibus, texit vero eos cedro, poſteaque obduxit auro:* Conſentit R. DAV. KIMCHI *in c. l. v.* 20. & extra dubium ponit SANCTIVS *in* 1 *Reg. f.* 1043. *Hoc altare*, inquiens, *ſine dubio conſtructum erat ex lapide, alioqui cur tegeretur cedro?* Idem cenſuit b. PFEIFFER. *Dub. Vexat. de locis ſacris cap.* 7. §. 6. *p.* 424. *Altare thymiamatis in tabernaculo ligneum, in templo lapideum erat, utrumque puro auro obductum.* Fraudi ipſis fuit verbum צפה, quod in Pihel eſt, *obtexit, obduxit.* Sed rectius IVNIVS, *Belgæ*, & *Genevenſes:* pariter, ut totum ſanctum, ſic altare quoque in eo poſitum, quod ex cedro erat, obduxit auro puriſſimo. Nec ſtatus conſtructus hic requiritur, quem nec accentuatio, nec punctatio admittit, ſed ita vertenda ſunt verba: *& obduxit* quoque *altare*, quod *ex cedro* erat. Confer huc MATTH. POLI *Synopſin Script.*

ad

ad 1 *Reg.* VI, 20. Confirmat hunc ſenſum verſus 22, ubi nobiliſſimum memoratur tegumentum, quo lignum cedrinum hujus altaris fuit obductum. Vtriusque ergo materiæ fit mentio: ligni & auri, de lapide altum utrobique eſt ſilentium. Et quid cauſæ fuiſſet Salomoni, ut a ſtructura, divinitus Moſi imperata, diſcederet? aut cur lapideam altari ſubſterneret molem, quod nullum unquam ſuſtentaret onus? Alia & longe diſpar erat parietum ratio, quos lapideos tota ædis moles requirebat. Hoc ergo ejusdem cum Moſaico materiæ fuiſſe exiſtimo.

Figura hujus altaris ex quatuor compoſita partibus emergebat. Superior & I. erat גג ſeu *Tectum*, ſive tabula plana & continua lignea, ſed auro undique obducta, quæ tecti ad inſtar, inferiores tegebat partes, v. 3. Vulgata habet: *craticulam ejus*, æque ac LXX. τὴν ἐσχαρίδα, ſeu juxta Codicem Roman. τὴν ἐσχάραν, *cratem*. Verum nec vox גג cratem ſeu craticulam notat, nec altare ſuffitus eam, velut altare holocauſti habebat. Vnde LYRA, CAIETANVS, & EVGVBINVS STEVCHVS corrigendam Vulgatam cenſuerunt. Hoc male habuit Pontificios interpretes alios, quibus Authentica Vulgatæ auctoritas eſt, ut contra Textus Hebræi fidem crate diſtinctum huic altari tribuerint tectum. Ita VILLALPANDVS *in Ezechiel. Tom. II. cap.* 49. *p.* 339. *Ponamus*, inquit, *tectum altaris propter Hebraicam lectionem, & illud quidem in craticulæ modum factum fuiſſe, propter Septuaginta Interpretum auctoritatem & linguæ utriusque peritiam, ac propter ipſius altaris formam, magis ipſis perſpectam, quam aut* CAIETANO, *aut* EVGVBINO *potuerit eſſe, ac dicamus ab omni correctione immunem ſervandam inprimis eſſe Vulgatam Lectionem. Accedit hoc etiam* IOSEPHI, *teſtis oculati, teſtimonium Lib. III. Antiqu. Cap.* 7. ἐπῆν ἐσχάρα χρύσεα ὑπὲρ ἀνεστῶσα, ἔχουσα κατὰ γωνίαν ἑκάστην στέφανον. (inerat craticula aurea ſupra ſuperſtans, habens in unoquoque angulo coronam). *Latinus loci Interpres:* ſuper qua ſtabat foculus, corona aurea circumquaque cinctus. - *Craten autem ſuperſtantem dixit, quaſi altari impoſitam, cui fortaſſe conſonat Scriptorum ſententia de crate catenis e cornibus ſuſpenſa.* Conſentit BONFRERIVS *in Pentateuch. f.* 537. CORNEL. A LAPIDE *in Exod. p.* 568. TORNIELLVS *Annal. Sacr. T. I. p.* 312. aliique, quibus religio fuit, Vulgatæ in diſcrimen adducere fidem. Verum, tam contra fontium auctoritatem, quam contra indolem rei. Nunquam enim גג reticulatum opus, aut cratem ſive notat, ſive connotat; & altare ipſum quotidiano combuſtionis periculo expoſitum fuiſſet. Si enim cinis per foramina ex ſuperficie altaris Moſaici, quod intus concavum & mere ligneum diximus, ſuperiori delabi debuit, qua arte ſatis potuit caveri, ne candentes deſuper deciderent in cavitatem ligneam prunæ, lignumque adurerent aut læderent? ipſius quoque ſuffimenti quanta pars non ab igne conſumta, ſed per foramina delapſa, cineribus commiſcenda, fundum petiiſſe cenſenda eſſet? Sin vero interiorem hujus altaris partem lapideam dixeris, quod paulo ante negavimus, ne locus quidem delapſuro ſive igni, ſive cineri relinquebatur. Rectius omnino FORTVNAT. SCACCHVS *Sacror. Elæochriſmat. Myrothec. II. cap. XLVII. p.* 533. pronunciat: *Certum igitur eſſe debet, nullam hoc altare habuiſſe cratem in ſuperiori plano, in quo carbones, & thymiama in ſuffumigium imponebantur, ſed totum laminis aureis in ſuperiora coopertum, & extitiſſe in ejus medio foculum aureum, corona circumdatum, non perforatum, ſed integrum, intra quem carbones injicerentur cum thymiamate, quoties mane & veſperi offerretur: quo conſumpto, ab illo ſacro altari removebantur tam foculus, quam carbones jam extincti, qui in illo erant.* Provocat eum in finem ad IOSEPHVM, cui *lib. III. Antiqu. cap.* 7. in altari aureo ἐσχάρα χρύσεα *foculus* fuiſſe *aureus*, & quidem ſolidus, altare autem holocauſtorum δικτύῳ τὴν ἐσχάραν ἐμφερῆς, *crate pro foculo ſuperius inſtructum* perhibetur. Vnde ſimul liquet, per ἐσχάραν *focum* potius, quam *cratem* a LXX indicari, eosque gratis ſententiæ noſtræ opponi: quod IOH. CLERICVS etiam monuit. Focum autem intelligimus, locum cui ignis imponebatur,

tur, non thuribulum, seu vas aliquod sacrum, cui prunis repleto immitterentur aromata, quale SCACCHVS, aliique bene multi somniarunt. TOSTATVS *in Exod. XXX. v. 6.* verba: *adolebit incensum super eo,* ita exponit: *Non, quod poneretur immediate incensum super ejus planam superficiem, quæ cum esset cooperta laminis aureis, liquefieret aurum applicitis prunis, & pollueretur atque offuscaretur, quod inconveniens erat ad auri puritatem: sed fiebat aliter, scil. quod erat quoddam vas æneum, quod vocabatur ignis receptaculum, & aliquando nominabatur thuribulum* &c. Sic novum denuo huic altari & vas obtruditur æneum, & ministerii genus, imponendi thuribulum istud & auferendi. Miror que non CORNELIVM A LAPIDE modo, verum etiam CONRAD. PELLICANVM *in Exod. XXX.* HERMAN. WITSIVM *Miscell. Sacr. p.* 417. GVIL. GOEREE *in de Republick der Hebreen lib. I. p.* 289. FRANCISC. CARRIERE *Comment. in univ. Script. pag.* 80. LVNDIVM, & novissime BERN. SEB. CREMER. *Pœcil. Antiquit. Sacrar. Tom. I. p.* 302 *sqq.* in lapidem impegisse eundem. Liquefactionis periculum, de quo sollicitus angitur TOSTATVS, auro solido a superinjectis prunis metuendum erat nullum, & obfuscatio tecti, quam causatur, officium altaris quotidianum potius testabatur, quam ut in dedecus eidem cederet. Nobis velut in tectum continuum ac planum, & prunas injectas, & thymiama superimpositum fuisse, dubium nullum est; ita ministerii universi ratio ac ordo mox planius edisseretur.

Tecto proxime junctus erat II. זר *Limbus,* de quo v. 3. ita jubet: ועשית לו זר זהב סביב *& facies ei limbum aureum circumcirca.* Hunc in Coronam verterunt multi, eorumque aliqui non in extrema altaris ora, sed in tecti medio collocant. At aliud omnino עטרה *corona* est, aliud זר *cinctura,* a Rad. זרה quæ alias *dispergendi, ventilandi,* interdum autem per ἀντίφρασιν *cingendi* notionem habet, ut 2 Sam. XXII, 40. Ps. CXXXIX, 3. Erat itaque cinctorium, ex solido conflatum auro, quod tecto ita adhærebat, ut in extremitate illud cingeret, & prohiberet, ne quid facile ab altari in terram devolveretur. Non nego, Hebræis triplicem illum limbum, circa arcam, mensam auream, & altare suffitus, triplicis coronæ, legis, regni, & sacerdotii, symbolum fuisse. Ita R. IOCHANAN in *Gemara Joma cap. V. fol.* 72. *col.* 2. pronunciat: שלושה זירין נעשו בכלי הקדש של מזבח סימן לכתר כהונה ושל ארון סימן לכתר תורה ושל שלחן סימן לכתר מלכות שהשלחן הוא סימן לעושר מלכים *Tres efformati sunt limbi in instrumentis sacris, Altari, qui signum est coronæ sacerdotalis, Arcæ, qui signum est coronæ legis, Mensæ, qui signum est coronæ regni, quia mensa divitiarum regiarum signum est.* quæ sparsim repetita leges apud R. SALOMON. IARCHIVM *in Exod. XXV,* 25. *XXX,* 3. R. BECHAI *in Legem f.* III. *col.* 3. & R. OBADIAM DE SAPHORNO *in Legem f.* 39. *col.* 3. Ast hoc ipso זר non coronam fuisse, aut ejus retulisse figuram affirmant, sed utrumque ipsis distat ut signum, & res quæ signatur. Ceterum SPENCERVS *lib. III. de legib. Hebr. Dissert. V. cap. I. sect.* 7. edit. Londin. *p.* 757 *sq.* coronæ notionem eo arripit libentius, quod in Gentilium quoque sacris, vasis, & altaribus, tales coronas & ornamenta ejusmodi reperit, unde thesin suam confirmare satagit, hoc pariter, ut cetera in sacris Hebræorum, ex ethnico ritu acceptum, & in cultum Judaicum a Deo, sapientissimo quidem consilio, fuisse adscitum. Sed si quid ex Antiquitate clarum est, hoc certe clarissimum, Coronam vel circulum, ab illo, in Hebræorum Sacris memorato, Limbo quam maxime distare. Coronæ honoris symbolum, limbi vasorum securitatis sunt subsidium, nec eapropter, quicquid vel in circulum, vel in extremitate, corpus suum ambit, corona statim evadit. Sed fac etiam, magnam inter utrumque similitudinem intercessisse, ab Hebræis tamen hunc ritum ad Gentiles potius, quam ab his ad illos transiisse, affatim ex illis apparet, quibus Diabolum Dei simiam, perversissimumque in sacris imitatorem fuisse, viri docti dudum demonstrarunt, DILHERRVS *de Cacozelia Gentilium, T. II.*

Disputat. Acad. n. IX. p. 162. & IOH. VAN DER WAYEN *Var. Sacr. pag.* 272, 288. *in Dissertat. de Hirco Azazel.*

Ex tecto procedebant III. *Cornua*, ut Exod. XXX, 3. legitur: ממנו קרנותיו *ex ipso* erunt *cornua ejus.* Ex eadem quippe conflata materia, quin & altari adeo cohærentia, ut non adderentur demum aut affigerentur, postquam perfectum erat, sed ex quatuor ejus angulis surgerent, ac velut enascerentur. Ita R. LEVI BEN GERSOM *Comment. in Legem fol.* 109. *col.* 4. למדנו מזה שאין ראוי לעשות הקרנות לבדם נפרדים ומונחים מזבח אבל ראוי שיהיה הקרנות מגוף המזבח: *discimus inde, quod non conveniat facere cornua separatim, & altari deinde apponere, sed quod cornua debeant esse ex corpore altaris.* Circa figuram major est dissensus. De veris figuris cornuum taurinorum sive hircinorum, utriusque altaris cornua interpretatur FORTUNAT. SCACCHUS *loc. cit. Myrothec. II. cap.* 65. *p.* 633 *sq.* & in eandem sententiam pedibus incedit SPENCER. *c. l. Diss. I. lib. III. cap. IV. sect. I. p.* 562. quia novum hinc Dianæ, quam ornat, robur accedere opinatur. Ad mentem autem CAIETANI & LIPPOMANNI *super Exod. XXVII. & XXX.* & aliorum fuisse creduntur quidam velut radii, ad parvi cujusdam obelisci, vel potius balaustii acuminati, similitudinem, torno eleganter elaborati, atque ex singulis quatuor angulis decenter prodeuntes. Rursus ARIAS MONTANUS ipsosmet fuisse putat superiores altaris angulos, in acutum extra aliquantulum prominentes. Porro IOH. IAC. CRAMERUS *de Ara exteriori templi secundi p.* 65. *&* 67. altaris cornua non tam a figura denominari existimat, sed a robore potissimum, cujus cornu symbolum pariter ac instrumentum est, quod BORREMANSIUS quoque censet *Var. Lect. lib. pag.* 245. & b. THEOD. DASSOVIUS *de Alt. exteriori Hierosol. templi* §. 8. Nec multum ab his dissentire existimo VILLALPANDUM, qui *T. II. in Ezech. pag.* 335, 338. ita de illis commentatur: *Eorum formam magis expressam cuperent alii, nos eam reddidimus in imagine, quam Scriptorum probavit auctoritas.* Nam CAIETANUS, *quem laudavit* LIPPOMANNUS, *verbis hujus Textus* (*Exod. XXX,* 3.) *indicari arbitratus est, cornua hæc minime fuisse addititia, sed ex tegillis quatuor angularibus, officio pedum fungentibus, surgentia cornua quatuor in obelisci modum affabre elaborata. Ex quo fit, ut e recessibus surrexisse cornua judicentur. Asseribus enim* (*altare*) *undique cingebatur, in quorum recessibus tigna erigebantur quadrata, quibus affixi asseres continerentur, & a rectis angulis minime deflecterent. Et tigna illa, quæ instar ossium animalis, altari erant inferne pedes, & fulcra altari præstabant, desuper cornua, quæ aureis quoque condecorabantur crustis & cælaturis.* Hanc delineationem VILLALPANDI, omnium minime coactam, & ex structura altaris promanantem, in expressa cornuum imagine imitantur SAUBERTUS, WITSIUS, & recentiores alii. Quibus hoc solum addimus, prominentias quasdam angulares fuisse in altum surgentes, sed figuræ non adeo certæ, eandemque eorum in utroque altari formam fuisse, nisi quod utraque altaris sui moli responderent, & robustiora altioraque essent in altari holocaustorum, minora in thymiamatis ara. Ceterum SPENCERO, simul & SCACCHO, satisfecit CRAMERUS *cit. loc. p.* 75.

Pergimus IV. ad *Latera*, quæ asseres formabant lignei, auro exterius tecti. Num plana illa, an rerum quarundam imaginibus exornata fuerint, nostrum non est definire. Potuerunt fortasse cælaturæ nonnullæ, aut florum fructumque ornamenta, latera illa distinguere; sed tacente Scriptura, quæ cetera Templi ornamenta non omnino siluit, quis certi quid definire ausit? VILLALPANDUS quidem, eumque secuti SAUBERTUS, WITSIUS, GOEREE, aquilæ leonumque alatorum &c. signa in lateribus altaris exprimunt, magis tamen animus propendet ad latera plana, priscæ simplicitati exactius respondentia. Sed nec probamus, quam iidem in latere altaris orientali collocant fenestram, ad cineres intra altaris sinum decidentes, inde auferendos, cum nullam in tecto fissuram, multo

minus

minus craticulam, admiserimus. Aliud nos edocet Scriptura vers. 5 laterum ornamentum, *annulos aureos*, in receptaculum vectibus, quibus commode altare bajularetur. Et annuli quidem, duorum laterum angulos occupantes, ut utrinque infra limbum propenderent, ex auro solido conflati, vectes autem ex ligno erant, auro vestiti, ad eundem cum vectibus arcæ modum. Quod de Mosaico tamen altari solum capiendum docent auctores, Salomoneo autem defuisse, quod stabilem immotamque nactum sedem, istis itinerum adjumentis non indigeret.

Situm, locumque huic altari curate satis definit Deus vers. 6: ונתתה אתו לפני הפרכת אשר על ארון הערת לפני הכפרת אשר על הערת: *& pones illud ante velum, quod super Arca testimonii est: ante propitiatorium, quod super testimonio*, ubi conveniam te. In Sancto itaque, locum tenebat medium cum conclavis, tum inter mensam & candelabrum, ita tamen, ut paulo propius portæ, & a velo remotius consisteret. Hinc verba לפני הפרכת *coram velo*, ABARBENEL & ABEN ESRA כנגר הפרכת מבחוץ *e regione veli extrinsecus* recte exponunt. Neque tamen satis de eo convenit inter eruditos. Quia enim Apostolus Hebr. IX, 4. χρυσοῦν θυμιατήριον, de quo supra commentati sumus, intra velum, & in Sanctissimo collocat, multi illud de altari suffitus interpretati, hoc quoque, una cum Arca, in intimo constituunt adyto. Sic e Veteribus ORIGENES *Homil.* 8. *in Exod. &* 9. *Levit.* AUGUSTINUS *in Exod.* RUPERTUS TUITIENSIS *in Exod. lib. IV. cap.* 9. tum quoque ARIAS MONTANUS *l.* 2. *de sacris fabricis*, CONRAD. PELLICANUS *in Exod. XXX.* qui loco Arcæ Fœderis in Templo secundo, altare incensi aureum collocat, & CAR. SIGONIUS, quem PET. CUNAEUS castigavit *lib. II. de Repub. Hebr. cap.* 4. Sed & Recentiores omnes, qui in hoc caput inciderunt, confutandos sibi affirmantes sumserunt. Si enim conferas Cap. XL. Exod. 22 - 28. manifesto apparebit, extra velum hæc omnia posita fuisse, mensam, lychnuchum, & altare incensi. Argumento etiam est, quod minorum ordinum Sacerdotes, qui nunquam ingrediebantur Sanctum Sanctorum, quotidie tamen in altari illo aureo incendebant suffitum, quod Zachariæ probat exemplum, qui de octava erat Sacerdotum classe, Abiæ, & tamen adolendi ministerium obibat Luc. I, 9.

Cultus ad hoc altare præstandus, vel *quotidianus* erat, vel omnino *solennis* & annuus. Quatuor enim *quotidie*, sorte destinati, offerendo suffitui vacabant Sacerdotes, quibus manus & pedes lavandi ante erant, quam ad ministerium hoc sacrum accederent. Et primus quidem, dum mactaretur agnus sacrificii jugis, in Sanctuarium ingressus, cinerem ab altari sublatum, & vase quidam aureo exceptum, seponebat, totumque purgabat altare; hinc, mane quidem, peragebantur preces sacerdotum in לשכת הגזית *conclavi caeso* Templi posterioris, antequam ulla fieret oblatio. Mox duo alii Sacerdotes, alter ignem ex altari holocaustorum petitum, & ex argenteo in aureum thuribulum immissum ferens, alter thymiama, ad gradus porticus ex atrio junctim tendebant, dum Musicum pulsaretur instrumentum המגרפה *Migrepha* dictum. Præcedebat illos prior, quem memoravimus, collectos in vase cineres ex Sancto elaturus. Ubi ad altare pervenerant, alter thuribulum suum effundebat in tectum altaris, & diducebat prunas, & adorato Deo egrediebatur; alter, qui המקטיר / ad Præfecti sui signum & imperium thura pugillo effundebat super prunas, & discedebat. In trium horum societatem, quartus ab illo, cui suffimentum offerendum erat, ad sibi præstandam operam adsciscebatur. Tradunt præterea Magistri in *Gemara Joma cap. II.* §. 4. & R. SAL. IARCHI *in Tamid cap.* 5. *fol.* 66. *col.* 2. τῷ המקטיר non nisi semel per omnem vitam suffimentum adolere concessum fuisse, quia fortunatos rerum successus & singularem experiebantur benedictionem, qui hoc officio essent functi: hinc beneficium istud omnibus, vel certe pluribus, erat indulgendum, quos sors tetigisset. De instrumento Musico *Migrepha*, cujus

jus in Templo pulsati sonum vel Jerichunti exauditum tradunt Magistri, exponentem evolve DASSOVIUM disp. *de Altari holocaustor. exteriori* §. 20. *sub fin.* & SALOM. VAN TIL *Digt-Sangen Speelkonst der Hebreen P. III. cap. VI.* §. 8. p. 504.

Solennis autem suffiendi cultus, annuo Expiationis Festo, tum quoque septem ante hunc diem proxime antecedentibus, Sacerdoti Summo, vel ejus Vicario adeo erat proprius, ut vulgaribus, sive gregariis Sacerdotibus eum obire, integrum non esset. Vide *Mischna Joma cap. I.* §. 2. *cap. III.* §. 4. *cap. VII.* §. 4. Tum enim juncta erat suffitui, aspersio sanguinis ad altare aureum, a Summo Pontifice albis induto, cum tertia vice egressus esset Sanctissimo. Prima enim vice adolebat in illo suffimentum, secunda aspergebat sanguinem juvenci, tertia hirci. Ab hujus vero sanguinis aspersione cum exiisset, iterum asperso statim juxta velum, quod Arcæ obtendebatur exterius, primo juvenci, deinde hirci sanguine, ad altare antequam alias actiones susciperet, se conferebat. Ritus expiationis ex Lev. XVI. Num. XIX, 7. & Exod. XXX, 10. liquet; cujus tamen modum subobscure in Scripturis traditum criminatur FORTUNAT. SCACCHUS *c. l. Myroth. II. p.* 697. quem non intellexisse se testatur, nisi adfuissent veterum Gentilium monimenta, quæ in Priapeo cultu receptam docuissent aspersionem, ex galli gallinacei sanguine peractam: unde conjicit, eandem sanguinis irrorationem, quam copiose describit, apud Israelitas obtinuisse in sanctuarii, tabernaculi, altaris & reliquorum expiatione. Φεῦ τῆς ἀσεβείας! Majori cum reverentia & accuratione eum ex MAIMONIDE tradit DASSOVIUS *de Altari exterior. Hierosolymitan. Templi* §. 6. Post cornua, ad tectum quoque altaris septies aspergendum se convertebat Sacerdos Summus, postquam cineres & sordes prius removisset, ut auream laminam aspersus sanguis tangeret Lev. XVI, 19. Quæ copiosius ad ritum Festi Expiationis exponuntur. De vestitu saltem dissentiunt Interpretes. Gemino enim, cum hoc die Pontifex uteretur, hinc aureo, hinc albo, viri summi IOH. VAN DER WAYEN *Var. Sacr. pag.* 243. & BRAUNIUS *de Vest. Sacerdot. Hebr. lib. I. cap.* 5. *p.* 88. §. 80. aureis vestibus indutum hæc peregisse contendunt, sed contra fidem R. SAL. IARCHII *ad Levit. XVI*, 23. MAIMONIDIS, & Hebræorum passim, qui non in Sanctissimo tantum, sed & extra illud, in certis actionibus, cumprimis in aspersione altaris suffitus, Pontificem albas usurpasse vestes testantur.

Thymiama in hoc altari adolendum; Deus ipse curate præscripsit Exod. XXX, 34 sqq. extra quod si aliud & diversum in eo accenderetur, id profanatio altaris, & abominatio coram Deo erat. Conficiendi modum MAIMONIDES in כלי המקדש *cap. II.* §. 1 *sqq.* ita tradit: Suffimentum conficiebatur singulis annis. De quo conficiendo præceptum, quod extabat, affirmativum erat: Et tu accipe tibi aromata &c. Ac in lege quidem expresse designantur quatuor illa aromata: stacte, onyx, galbanum, & thus: Cetera aromata ad illud adhibita, sunt constitutio Mosis e Sinai; Eaque numero undecim, myrrha, casia, spicanardus, crocus, cinnamomum, cortex odoratus, sal Sodomiticum & Ciphath Jordanis (herba in littore Jordanis nascens) ac herba quædam, quæ fumum elevabat, quam non noverant, nisi viri quidam noti, penes quos fuit hæc constitutio, alteri ab altero oretenus communicata. Addit pondus cujusque aromatis, & componendi modum MAIMONIDES. Ceterum in conficiendo hoc suffimento excelluisse legitur familia *Abhtines*, in *Gemara Joma cap. III. fol.* 38. *col.* 1. & in *Schekalim cap. V. fol.* 7. *col.* 2. Ei certe curæ, inter quindecim illos rerum sacrarum in Templo ממונין *Præfectos*, unus incumbebat. Et familiæ quidem *Abhtines* soli hoc constabat artificium, ut ab ea confecti suffimenti fumus sursum versus tenderet, velut baculus; unde hanc cum aliis communicare scientiam detrectavit. Et licet evocati Alexandria essent artifices, parandi suffimenti egregie periti, horum tamen suffimentum ita fumum emi-

emisisse *ibid.* perhibetur, ut huc illuc depressus ille statim fuerit ac dissipatus.

Circa Finem demum ac scopum universi hujus in altari aureo ministerii, graviter hallucinatur MAIMONIDES, quando suffitum in eo factum perhibet, ad fœtidos victimarum odores mitigandos vel depellendos: quem dum hoc nomine graviter castigaverit R. BECHAI *Commentar. in Leg. fol.* 115. *col.* 3. *Absit* inquiens, *ut tribuamus caput fidei præcipuum, quod in mysterio suffitus est, cui similem facientem excisionis reum lex pronunciat, rationi huic imbecilli:* mirari omnino subit, sectatores nactum fuisse HVGON. GROTIVM & IOH. CLERICVM *in Exod. XXX.* qui Deum suffimentum sibi adoleri jussisse credunt, ad discutiendum nidorem ex animantibus cæsis, purgandumque aërem. Eundem errorem IOH. MARSHAMVS *in Canone Chronico Sec. IX.* edit. Lipf. *p.* 211. inculcat, suffimentum juge fuisse, ad discutiendum nidorem ex victimis necessarium. Præterea, ut persuadeat, ab Aegyptiis ad Hebræos hunc ritum transiisse, ex PLVTARCHO *de Iside* observat, sacerdotes Aegyptios ter quotidie soli adolevisse, resinam sub ortum, myrrham meridie, κῦφι circa occasum; idque ex Manethonis instituto. At enim vero altius assurgere hanc Levitici cultus partem, & altare aureum quidem Christum Mediatorem, suffitum autem in eo oblatum, preces adumbrasse sanctorum, ex Apoc. VIII, 3 sqq. & IX, 13. intelligimus: quæ loca erudite ac pereleganter illustravit laudatus supra BRAVNIVS *Select. Sacr. lib. II. cap. VI. & VII. p.* 228, 245 *sqq.* ubi multa reperies ad suffiendi ritum, ex Hebræorum disciplina, scite congesta. Vniversum autem istud latifundium egregie exhausit septem disputationibus A. 1699. *de Hebræorum altari suffitus*, Vitembergæ editis ac ventilatis, DAVID. GERTMANN, Hamburgensis; recentius adhuc BERN. SEBAST. CREMER *Antiqu. Sacrar. Poecil. T. I. p.* 297. ubi literalem, & *p.* 326. ubi mysticam, de altari suffitus, tractationem exhibuit; & recentissime CHRIST. LVDOV. SCHLICHTER *de Altari aureo Tabernaculi, ejusque mysterio*, libello singulari *Symbolis literar. Bremens. T. II. P. III. p.* 401. *sqq.* inserto, dignoque præ ceteris, qui huc conferatur.

Ad §. VIII. pag. 39.

(16) *Mensa cum duodecim panibus propositionis*]. De ea præceptum lege divinum Exod. XXV, 23 - 30. & Levit. XXIV, 5 - 9. Vbi diserte memoratur

α) Materia. Fabricata erat ex lignis Sittim, sed aureis laminis obducta, ut exacte responderet cum Arcæ Fœderis, tum altari thymiamatis, ex ligno interius paratis, sed auro undique obductis. Hinc R. SALOMONE teste, שלחן הטהור *mensa pura*, honoris causa dicta, & a reliquis mensis, quæ posthæc duodecim in Templo extitisse memorantur, longo dignitatis discrimine sejuncta fuit. Obduci enim jubetur זהב טהור *auro puro*, quod in septem auri speciebus, quas ex Gemara Hieros. *ad Cod. Joma fol.* 41. *col.* 4. BVXTORFIVS recenset *Lex. Talm. p.* 646. secundo loco ponitur, & definitur ibidem, quod in ignem conjectum, adeo defæcatum deprehenditur, ut de pondere suo nihil perdat.

β) Forma: quam hinc mensura constituit tabulæ, duos cubitos longæ & unam latæ; hinc fulcra quatuor pedum, unum cum dimidio cubitum altorum, quos clausura lignea, capitellis eorum imposita jungebat, ut rite subsisterent, & tabulam firmiter sustinerent; hinc ornatus limbi aurei, qui undique mensam cingebat in peripheria sua, eamque non modo exornabat, sed & muniebat, ne quid inde delaberetur. Jam cum duplex Hebræis cubitus esset, quorum alterum R. IEHVDA quinque, alterum R. MEIER sex palmis definiret, quorum dissidium in Cod. *Menachoth cap. XI. §.* 5. memoratur, tandem BARTENORA *in Not. ad h. l.* supputatis ex Gemara aliorum Rabbinorum suffragiis, הלכה *decisionem* communemque sententiam subjungit, qua R. MEIERI obtinuit sententia, longitudinem hujus mensæ XII, latitudinem ejus VI palmis

constitisse. Porro quatuor innixa pedibus fuisse, tabula describitur vers. 24. quorum num illa fuerit figura, quam IOSEPHVS *lib. III. Antiqu. cap.* 7. tradit, & ADRICHOMIVS ac VILLALPANDVS delineavit, tacente Scriptura definire non audemus. Ornatus geminus additur v. 25. מסגרת *clausura*, & זר זהב *limbus aureus*, quorum prior tæniam seu ligamen notat, tabulam cum pedibus ambientem & cingentem, posterior affabre elaboratam & prominentem cincturam, labii ad instar tabulam, supra tæniam, ambientem. Accedebant annuli quatuor aurei, ad extrema clausuræ pedum & labii appensi, qui transmissos ligneos, sed auro obductos, sustentabant vectes, quin &, juxta IOSEPHI descriptionem, totam conjungebant mensam.

γ) Instrumenta seu vasa, usui mensæ in Sanctuario inservientia, vers. 29. subjunguntur quatuor: I. קערות, τρυβλία, juxta LXX. h. e. non duo catini maximi, quorum singuli sex propositionum panes complecterentur, ne pulvere læderentur, aut contaminarentur a muscis, quod VILLALPANDVS fingit *Tom. II. Ezech. P. II. Lib. IV. cap.* 57. confutatus a SCACCHO *Sacror. Elæochrism. Myroth. II. cap.* 41. non acetabula, ut Vulgata reddit; non receptacula quædam, in quibus pars aliqua similæ, ex qua panes conficiebantur, Deo ad altare offerretur, ut præter verum somniat SCACCHVS: sed scutellæ, quales v. g. posthæc Num. VII, 84. principes Israelis argenteas obtulisse memorantur, sive patinæ aureæ, panibus ex asse respondentes, & singulæ singulos, in mensa repositos, recipientes: II. כפות quæ PAVL. FAGIVS *ad h. l.* vasa exponit, in quibus aromata conterebantur, ac si *mortariola* diceres, Vulgatus *phialas*, alii *thuribula*, Judæi Germani *Læffel*, æque ut PAGNINVS, MVNSTERVS, & TIGVRINI, *cochlearia* transferunt: demum vero rectissime *acerræ* thuris dicuntur, singulæ unius pugilli, quibus thus, mensæ impositum, Deo consecrabatur: III. קשות quæ perperam omnino a Vulgato *libamina*, a LXX. σπονδεῖα, a b. LVTHERO, eodem fere sensu, *Kannen*, a VILLALPANDO *opercula*, pro obtegendis æque panibus ac thure parata, vertuntur, cum juxta Judæorum sententiam, calami dimidiati fuerint aurei, inter panes sibi incumbentes interjecti, ne se mutuo contingerent, aut immediate superimpositi mucescerent: IV. מנקיות quam vocem Græci κυάθους, Vulgatus *cyathos*, VILLALPANDVS per ipsa libatoria explicat, *& fortasse*, addit, *indicare hic voluit Textus, libationem hanc vini singulis Sabbathis factum fuisse tunc, cum panes inferendi erant in Sanctum.* Alii vero penitius perspicientes, nullam plane vini oblationem circa hanc mensam fieri consuevisse, diversam vocis notionem sectantur; alii quidem secundum etymologiam, cum TREMELLIO & *Tigurinis, Instrumenta purgatoria*, cum CAIETANO *scopulas*, ad repurgandam mensam idoneas; alii ex mente Rabbinorum fere omnium, *perticas* seu *furcas*, item *portatoria* interpretantes, quibus inserti calami suffulciebantur, ne panes comminuerent. Nobis tamen etymologica illa notatio magis arridet. Nimirum, cum hinc inde ambularent Sacerdotes in Sancto, non poterat non pulvis excitari, eoque cum mensa, tum panes obrui & fœdari, ut si plane non emundaretur & purgaretur mensa, pulvere & situ obsita sordesceret. Necessaria ergo erant instrumenta purgatoria, quibus quotidie, vel singulis saltem septimanis, cum imponerentur recentes panes, verreretur & mundaretur mensa. In hac sententia, ex origine vocis propullulante, tamdiu acquiescimus, donec edoceamur firmiorem. Quæ enim Rabbini huc afferunt, non nisi ipsorum ingenio nituntur.

δ) Vsus: ut super hac mensa לחם פנים *panis facierum* coram Domino rite disponeretur vers. 30. Vbi nolim cum Rabbinis, & TOSTATO ABVLENSI, vocem פנים ad panes ipsos, eorumque aspectum referre, sed ad faciem potius Dei, in cujus præsentia & velut conspectu propositi panes, tanquam *memoriales* jacebant. Alias etiam לחם תמיד *panes sempiterni*, Num. IV, 7. לחם המערכת *panes dispositionis*, a decenti nimirum ordine, 1 Chron. XXIII, 28. & in

in N. T. οἱ ἄρτοι τῆς προθέσεως Matth. XII, 4. Marc. II, 26. Luc. VI, 4. appellantur, eodem ſenſu, quo Paulus Hebr. IX, 2. τὴν πρόθεσιν τῶν ἄρτων commemorat. Datum id erat negotii Levitis nonnullis, ut panes iſtos coquerent, qui אומני לחם הפנים *Artifices panum propoſitionis* dicebantur, ſuumque rurſus ex Levitis habebant ממונה *Præfectum*, 1 Chron. XXIII, 28 ſq. Temporibus Templi ſecundi in hoc opere præcipue excelluiſſe familiam *Garmo*, traditur in Cod. שקלים *cap. V.* §. 1. de qua præterea in Cod. *Joma cap. III.* §. 11. perhibetur, illam artis ſuæ tenacem & invidam fuiſſe, quo factum eſt, ut narrante *ad h. l.* BARTENORA, cum alios etiam ab ipſis erudiri juberet Synedrium, illi contra inſtitutionem detrectarent, ut remoti ab hoc ſuo munere, Judæis quibusdam Alexandrinis loco cedere coacti fuerint; ſed hi, partim imperitia, partim male gerendo officium, ita res ſuas curarunt, ut ſatius multo duxerit Synedrium, quibusvis potius promiſſis, familiam hanc *Garmo* ad priſca munera revocare, quam ea diutius Alexandrinis committere. Præparabantur in Bethphage, quod ædificium erat, monti Templi inhærens, diverſum omnino & aliud ab illo Bethphage, quod apud Lucam cap. XIX, 29. & Marc. XI, 1. extra muros urbis, ad radices montis Oliveti collocatur. Vide LIGHTFOOTI *Centur. Chorogr. Matthæo præmiſſam cap.* 37. Hic itaque pinſebantur & ſubigebantur panes in maſſa, atque in formas illas ferreas imprimebantur. At ipſa coctio in atrio Templi peragebatur. Nimirum, ſi quis ex atrio mulierum per portam Nicanoris tenderet in atrium Iſraelis, ad dextram illi, ſeu ad Templi extremum latus ſeptentrionale, ædificium magnum occurrebat, ad quod ut accederet, transeunda ipſi erat pars atrii ſacerdotalis, qua victimas mactare conſueverant. Dicebatur בית המוקד *domus foci,* quia perpetuus illic, noctu pariter ac interdiu, focus ſtruebatur, cujus uſus interdiu quidem erat, ut Sacerdotes nudis pedibus miniſtrantes, calefierent; noctu autem excubiis inſerviebat, quæ hic loci primariæ habebantur. Quatuor autem huic ædificio conclavia, pro quaternis ejus angulis, aſſignantur: conclave agnorum, in quo ſex agni ad quotidiana ſacrificia perpetim aſſervabantur; cui oppoſitum erat conclave, pro aſſervandis lapidibus altaris, quod Græci Reges polluerant; tum conclave balneo inſtructum, ubi abluebantur illi, qui forte caſum nocturnum erant paſſi; demum לשכת לחם הפנים *conclave panum propoſitionis*, qui illic a familia *Garmo* coquebantur. Materia panum ſimilago tritici erat lectiſſimi Lev. XXIV, 5. cujus duæ decimæ Ephæ pro ſingulis panibus, duodecim in mactris pinſebantur, & ſeparatim ſubigebantur, ita tamen, ut hinc fermentum, hinc oleum, ab hac maſſa ſolicite arceretur. Suam ſinguli panes ut figuram ſortirentur, laterum inſtar in typis atque formis fingebantur. Hanc autem figuram R. SALOMO *ad Exod. XXV*, 29. deſcribit habuiſſe ſpeciem ciſtæ apertæ in duobus lateribus, & fundum ſuum habentis inferius, ſuper quem latera, velut parietes quidam, ſurgerent in altum. Longitudo decem, latitudo quinque erat palmorum, & craſſities palmi unius, & cornua ad parietes accedebant, non tamen in altum erecta, ſed ut IOM TOBH docet, reflexa introrſum. Ita præparati, & ad debitam effícti figuram, inferebantur furno, ubi juſto tempore, ignis calore demum perficiebantur, & ad ſuam velut maturitatem perveniebant. Neque tamen ita ex furno calentes imponebantur menſæ, ſed in his formis ferreis in Pronaon Templi deferebantur, ubi per totam noctem in menſa marmorea diſpoſiti erant, nec prius auferebantur, quam poſtridie, ubi a Sacerdotibus inſerti formis aureis, in Sanctuarium ipſum inferebantur.

ε) Miniſterium circa hoc altare in auferendis panibus veteribus, & imponendis novis verſabatur. Simulac Sabbathi die quotidianus agnus, una cum extraordinariis ſacrificiis, cultum ejus diei inchoaſſet, quatuor Sacerdotes ſanctuarium ingreſſi, ad auſtrale menſæ latus conſiſtebant; tum alii quatuor, bini ſenis panibus, & bini rurſus ſingulis thuris acerris onuſti accedebant,

debant, qui in opposito mensæ latere, inter ipsam nempe, & murum Sanctuarii septentrionalem stantes attendebant, dum priores illi Sacerdotes, veteres panes adimerent, in quorum locum hi novos statim suggerebant, idque qua fieri poterat celeritate, ne mensa diu vacaret. Idem circa removendas veteres, & substituendas novas thuris acerras observabatur. Idque innui a Domino censent Judæi, quando præcipit, ut panes coram facie ejus תמיד *perpetuo*, & sine intermissione struantur Lev. XXIV, 8. Sublati veteres panes, & in atrio Sanctuarii mensæ aureæ impositi, tamdiu morabantur, donec, quæ sublata erant thura, sale tamen prius condita atque consperfa, solenni ritu, in altari holocausti concremarentur, juxta Lev. XXIV, 7. Hac peracta concrematione, panes veteres inter duas Sacerdotum classes, abeuntem alteram, & alteram advenientem, æquis partibus distribuebantur, a quibus solis, & ipso quidem Sabbathi die, in loco sancto, ad atrium Tabernaculi & Templi, erant absumendi. Jam quidem, quia versus 9. ita disponit: *panes vero Aaroni & filiis ejus cedent*, dimidia eorum pars ad Pontificem M. spectabat; is vero ultro illam Sacerdotibus cedebat, ut utraque classis sex panes acciperet. Vniuscujusque ergo classis cum amplissimus esset Sacerdotum numerus, facile hinc colligitur, quam exigua ex illis portiuncula singulis obtigerit. Ast miraculum hic jactant Judæi, eamque sacro pani efficaciam tribuunt, tempore prioris Templi, ut portionem ejus vel ad pisi quantitatem sumtam, non tantum famem omnem sedasse, sed & ad satietatem usque cibasse quemvis affirment. Comedendi autem erant die Sabbathi, nec nisi in Templo: per noctem enim conservatio panem reddebat profanum. Ceterum panum in mensa situs ita habebat, ut primus in utroque ordine, & infimus panis in sua patina aurea, secundum longitudinem suam, quæ mensæ latitudini exacte responderet, eidem immediate imponeretur, cui terni calami superimpositi, pro fundamento erant secundo pani, hujusque tres calami sustinerent tertium panem, & sic porro, usque ad sextum & supremum, qui calamis nullis opus habebat. Inter singulos panes duorum palmorum spacium intercedebat: inter ipsos autem duos panum ordines, duæ thuris acerræ constituebantur, si, quod contendunt Judæi, particula על *cit. Cap. vers.* 7. non *supra* notet, ut passim, sed *juxta* sit vertenda, ut Num. II, 20. & Exod. XX, 21. Ipsa demum mensa, ita instructa, medio in Sanctuario, si longitudinem conclavis spectes, sin latitudinem, ad latus septentrionale, erat constituta Exod. XXVI, 35.

Circa Comestionem ablatorum panum, quæstio occurrit haud proletaria: quo jure David 1 Sam. XXI, 6. aut precibus tentare Achimelechum, aut illos sibi panes vindicare potuerit, qui tamen excidii reum facerent illum, qui juris expers illis vescitur? Hic præ ceteris commodissime respondet MVNSTERVS: Non liciti erant panes illi, nisi solis Sacerdotibus, tamen מפני זכנת נפשות *propter periculum animarum*, seu vitæ, poterant etiam profani homines illis vesci, sicut Christus etiam Matth. XII, 4. docet. Cum ergo in vitæ periculo versaretur David, fame alias periturus, licite comedere de illis poterat. Ad servandum enim hominem omnia conferenda esse statuunt Judæi, exceptis tantum tribus: idololatria, scortatione, & homicidio, juxta R. DAVID. KIMCHIVM *ad loc. cit.* Si quæras ulterius: num in tota civitate Nobe, præter propositionis panes, alii adfuerint nulli? KIMCHIVS duo regerit: 1) Davidem clam adiisse Achimelechum, nec innotescere aliis voluisse: 2) Vrbem Nobe sacerdotalem fuisse, a solis Sacerdotibus inhabitatam. Horum omnium cibus erat sacer & ex Sacrificiis; at in panibus propositionis nullum committebatur sacrilegium, postquam jam thuris acerræ concrematæ essent.

ζ) Mensa hæc aurea in memoriam nobis revocat, *partim* κακοζηλίαν apud Gentiles, *partim* Mysticam ejus significationem. Nam & Gentiles hunc mensæ ritum imitati, non modo mensas, quibus cibum capientes accumbebant, sacras habere consueverant, quia Deorum statuæ, maxime in conviviis, illis inferebantur, veluti tutelæ

telæ menſarum & conviviorum Præſides, qui etiam inde θεοὶ ἐπιτραπέζιοι dicti, cujusmodi *Hercules* ἐπιτραπέζιος apud STATIVM, unde porro tanta apud veteres Scriptores ſanctitas menſæ tribuitur, ut in honeſtis verbis factisve, aut perfidia violare menſam, grande nefas eſſet; ut videre licet apud PITISCVM *Lex. Antiquitat. Roman. Tom. II. p.* 180. Verum etiam ſolennes habebant menſas, Diis religioſe paratas, in quibus cumprimis celebratur *menſa Curialis*, poſita *Junoni*, quæ *Curis* dicta eſt, a T. Tatio, ſocietate cum Romulo inita: *menſæ* quoque *Paniceæ*, in quibus libare ſolebant, Veterum monimentis decantatæ: & vel maxime *menſa Solis* in Aethiopia quondam celeberrima, de qua ex HERODOTO, POMPONIO MELA, IVLIO SOLINO, aliisque commentantem lege CAELIVM RHODIGINVM *lib. XXIX. Antiquar. Lect. cap.* 4. Sed præſtat, miſſis profanis illis, uſum menſæ Hebræorum Myſticum inveſtigare, qui hinc *ſymbolicus* eſt, hinc *typicus*. Symbolum erat inſtructa hæc menſa providentiæ divinæ, huic populo advigilantis, & de victu proſpicientis; ad quam recordarentur, quoad præteritum tempus, victus ſuppeditati in deſerto, cum Deus cælitus ipſis Manna deplueret XL annis: recordarentur in præſens, Deum eſſe ſupremum patremfamilias, qui ſterile & petroſum Cananææ ſolum frugibus tamen ornaret, ut quemadmodum pro numero XII tribuum Iſraelis, XII panes diſponebantur coram oculis Domini, ita Deus XII tribubus iſtis tam large proſpiceret, & præſtantiſſimis eas frugibus cæli, ſolis, roris & terræ, ſive vallium mactaret: recordarentur in futurum, quam vere panes in conſpectu Dei eſſent expoſiti, memoriale Iſraelis, tam vere perpetuo curaturum Dominum, ut nullo laborarent defectu. Quæ LIGHTFOOTVS *in Spicilegio in Exod. Sect. XXXIX. Tom. I. Opp. f.* 183. *a.* uberius declarat. Typicam autem involviſſe rationem, hanc etiam Sanctuarii partem, Paulus diſerte docet, Hebr. IX. ubi inter ea, quæ adumbrativa forent in veteri cultu, ſuaque virtute conſcientias emundare & perficere non valerent, καὶ πρόθεσιν τῶν ἄρτων, panes propoſitionis etiam numerat verſ. 2. Breviter & nervoſe iſta complectitur SPANHEMIVS *Obſervat. in Levit. h. l. Tom. III. Opp. f.* 706. *Adumbrarunt*, inquit, 1.) *myſtice*] *Chriſtum Jeſum, verum panem vitæ, quo nutritus totus Iſrael Dei, tota Eccleſia in duodenario illo numero repræſentata; hinc Chriſtus ſe panem eſſe de cælo delapſum, quemadmodum idem per Manna fuit repræſentatus:* 2) *Vmbra hic quædam fuit XII Apoſtolorum, quibus Deus uſus eſt in œconomia Nov. Teſt. qui ſcilicet nutrirent Eccleſiam pane vivifico Evangelii:* 3) *Verbum Dei etiam vere panis eſt, vel cibus Joh. VI. qui ſingulis Sabbathis renovatur, h. e. prædicatur, & cui adjunctum eſt thus noſtrarum precum:* 4) *Fideles ſinguli ſunt veluti panes azymi* 1 *Corinth. V,* 7. *& veluti XII tribus Actor. XXVI,* 7. *panes quaſi propoſiti coram Deo in Sanctuario, coram arca, panes facierum, h. e. ſemper præſentes Deo, quomodo Chriſtus dicitur ambulaſſe in medio candelabrorum Apoc. I.* Quæ, qui copioſe explicata cupit, adeat LVDOVICI WOLTERS, Sueci, geminam diſputationem *de Menſa & Panibus propoſitionis* ſub præſidio IACOBI RHENFERDII, Franequeræ An. 1703. ventilatam & publici juris factam, qua utraque totam rei ritusque hiſtoriam luculenter perſequitur. Diſput. II. autem *Sectione III. p.* 44 *ſqq.* myſticum totius apparatus ſenſum recludere, magno labore anniſus eſt. Poſt hunc inſignis commentarius CHRISTI. LVDOV. SCHLICHTERI *de Panibus Facierum, eorumque myſterio* prodiit Halæ in 4. An. 1737. qui de menſa & panibus, omnibusque quæ huc ſpectant, cerimoniis omnino videatur.

Ad §. VIII. pag. 39.

(17) *Lychnuchus ad alterum latus*] Candelabri ſacri notamus 1) Structuram, a Deo Moſi deſcriptam Exod. XXV, 31-39. Componebatur illud cum ex ſcapo, qui lata & ampla nitebatur baſi, cui MAIMONIDES tres רגלים *pedes* ſubjicit, tum ex ſex calamis, quorum tres ex utroque ſcapi latere prodibant, ſinguli autem tribus

ſcyphis ſeu phialis, amygdali dimidiati ſpeciem referentibus, malo oblongo, & flore lilio, cui lampas ipſa imponebatur, ornati, ad æqualem cum ſcapo altitudinem ſurgebant, ut lampades eadem altitudine & linea ſibi mutuo reſponderent. Ita Gemara exponit Cod. *Menachoth fol.* 28. *b.* & ex illa RASCHI *Comment. ad Exod. c. l.* Ex auro puriſſimo conſtabat, & quidem מקשה *opere difficili;* quod IOSEPHVS *lib. III. Antiquitat. cap.* 7. eumque ſecutus SCACCHVS *Sacr. Elæochr. Myroth. II. cap.* 46. fuſum, ſed intus cavum; LEYDEKKERVS *Lib. VIII. de Republ. Hebr. cap.* 2. *p.* 508. non concavum, ſed ſolidum; LVNDIVS *de Sacerdotio Levitico lib. I. cap.* 23. *n.* 7. *pag.* 116. ex una & continente auri maſſa malleo ductum, interpretatur. Verum, ut מקשה attenuatum in laminas, & malleo ductum aurum innuit, ita nihil prohibet, quo minus & concavum fuerit, & ex partibus ſeorſim elaboratis coagmentatum & conſolidatum, ne amplius in partes ſuas poſſet reſolvi. Ita tubæ argenteæ Num. X, 2. jubentur fieri ex argento מקשה, quas certe intus cavas eſſe oportebat. Vt potius מקשה intelligendum ſit de auro ſolido, quod non ſuperinducitur ligno aut alii materiæ, velut erat aurum altaris & menſæ, ipſiusque arcæ fœderis, ſed quod ὅλον aurum, ſive ὁλόχρυσον eſt. Circa verbum תיעשה *fiet* verſ. 31. tricantur Magiſtri: RASCHI quidem, ſine opera humana, divino prodiiſſe miraculo, & quidem מאליה *per ſeipſum: quandoquidem Moſes difficilem ſe præbebat circa illud (fabricandum); dicebat ei Sanctus Benedictus: projice talentum in ignem, atque illud per ſe fiet; quocirca non eſt ſcriptum* facies, *ſed* fiet. ABEN ESRA autem י inſertum verbo tradit innuere decem candelabra, quæ facturus eſſet Salomo, ſuo tempore in Templo. Vniverſum denique opus talento auri conſtabat, quod LEYDEKKERVS LX libris, BERNARDVS LAMY autem *lib. III. de Tabernaculo Moſaico Sect. III. p.* 384. ter mille ſiclis, h. e. centum ſeptuaginta quinque marcis, cum duabus unciis & ſeptem groſſis definit, quod pondus ſit circiter 6370. Ludoviceorum aureorum. Ceterum hæc candelabri Moſaici deſcriptio ſatis in apricum ponit, lychnuchum Romæ adhuc in arca triumphali Titi Veſpaſiani conſpicuum, multum recedere a Moſaico, quem RELANDVS *lib. de Spoliis Templi Hieroſolym. p.* 39. craſſitie & pondere, *p.* 44. numero ornamentorum, *p.* 56 baſi, & *p.* 60. figuris baſi inſculptis, ab hoc noſtro diſcrepare, erudite docuit.

2) Inſtrumenta, quæ uſibus candelabri inſerviebant, erantque lampades, forcipes, & emunctoria, ex eodem auri talento parata. Scapi enim & ramorum capitibus ſeu floribus ſeorſim imponebantur נרות *lampades*, verſ. 37. rurſusque amovebantur, prout vel itineris, vel reparandi ellychnii, aut affundendi olei, uſus poſcebat. Quod autem VILLALPANDVS vult, formam lucernarum oculo humano ſimilem fuiſſe; aut quod contendit SCACCHVS *Myrothec. I. cap. XI. f.* 56. ex traditione Hebræorum, ſeptem candelabri lucernas certis fuiſſe nominibus, Angelorum nimirum, qui adſtare coram Domino dicuntur, ſignatas, ac propterea nequaquam promiſcue candelabro impoſitas, ſed ſuo quamque ordine & loco: fidem neutrum meretur. Idem porro SCACCHVS *cap. VII. fol.* 34 *ſq.* formam amygdalinam lucernis his ſacris tribuit, manubriolumque illis a tergo adſcribit, quæ tamen non in medio, ut perperam eis affingit LAMY, ſed in acuminata & extrema ora ellychnium haberent. Facile quoque a MAIMONIDE perſuaderi mihi patior, ita fuiſſe diſpoſitas, ut utriusque lateris lucernæ verſus mediam ellychnia converterent, media autem Sanctum Sanctorum ſpectaret, eamque ob cauſam נר המערבי *lucerna Occidentis* diceretur. Porro מלקחים *forcipes* quoque aderant, quibus ellychnium prenderetur, ubi vel protrahendum illud, vel orificio lucernæ inſerendum, vel immittendum oleo eſſet. Vtplurimum quidem Interpretes emunctoria reddunt, quibus emungerentur, & a ſordibus purgarentur lampades, prout R. IEHVDA LEO *lib. III. de Templo cap.* 3. §. 11 *ſqq.* exponit, eumque ſecutus LVNDIVS *c. l. n.* 19. *pag.* 118. Sed lucem hic nobis affundit locus Jeſ. VI, 6. ubi

ubi idem vocabulum usurpatur de forcipe ignis, qua prunæ candentes depromebantur ex igne. Denique מחתות, quæ vasa pro recipiendis purgamentis supposita LYRANVS, cum aliis dicit, unde b. LVTHERVS *Löschnäpffe* interpretatur: nos, cum SCHINDLERO *in Pentaglotto*, receptacula ignis & myxi præcisi, adeoque *emunctoria* fuisse censemus; ad mundandas lucernas apprime necessaria. Addunt Rabbini, hinc *lecythos*, & vasa olearia, ut in promptu semper, & ad manus oleum esset, hinc ante candelabrum *lapidem* trium graduum, cui Sacerdos lucernas componens insistebat, & vasa quoque ac instrumenta reliqua, ad ministerium candelabri parata, imponebantur. Vid. LAMY *c. l. p.* 383. *fin.*

3) Vsum candelabri, & Sacerdotum circa illud ministeria. Ita quippe instructum, ad latus conclavis meridionale, & ingressuris in Sanctuarium ad sinistram, consistebat, e regione mensæ aureæ, ut lucem diffunderet in toto conclavi, obscuro alias futuro. Eo fine Lampades quotidie, mane ac vespere, adornabant Sacerdotes. Quod officium ABEN ESRA, Pontifici Summo tantum vendicat, fide locorum Exod. XXX, 7, 8. Lev. XXIV, 1, 2, 3. & Num. IX, 2, 3. quæ tamen non exclusive, sed cumulative Aaronem, sive Sacerdotem Summum nominare, ex Exod. XXVII, 20 sqq. intelliguntur, ubi Aaroni & filiis ejus, h. e. Sacerdotum ordini, id muneris tribuitur; quod & confirmat praxis 2 Chron. XIII, 11. An vero interdiu noctuque arserint lucernæ? ambigue traditur a Magistris. HECATAEVS ABDERITA, cujus testimonium EVSEBIVS *lib. IX. de Præparat. Evangel.* servavit, in Altari æque ac in Candelabro φῶς ἀναπόσβεστον, *ignem inextinguibilem* luxisse perhibet; æque ac Exod. XXVII, 30. lucerna תמיד *jugiter* lucere jubetur, pluraque alia suppetunt testimonia, pro perpetuo lucernarum igne. Contra vero, ex 1 Sam. III, 3. & 2 Paralip. XIII, 11. lampades sub vesperam accensas, mane extinctas fuisse, colligitur; & Exod. XXX, 7. Moses officia Sacerdotum circa lychnuchum ita distinguere videtur, ut matutino tempore adornasse solum & composuisse lucernas, vespertino autem accendisse illas credantur. Sed commode hæc conciliantur, si ex IOSEPHI mente *lib. III. Antiquitat. cap.* 9. dicamus, de die tres solum, mediam nempe, eamque perpetuam, cum duabus lateralibus illuxisse, vespere autem accensas omnes fuisse: idque inter sacrificii vespertini in altare illationem, & libaminis effusionem, statim cum incensione suffitus. Ita in Tentorio conventus. Alia vero ratio erat Templi, quod fenestris instructum, diurnam lucem admittebat, eamque ob causam diurnum lucernarum usum respuebat: quod supra jam monuimus. Media tamen lucerna, Occidentis dicta, etiam illic perpetuo lucebat, non ad usum collustrationis conclavis, sed ob dignitatem arcæ fœderis, & qui circa illam præsentem se exhibebat, Domini. Atque huc spectare credo, quæ de lumine illo perpetuo, quod ἀδιαλείπτως arderet in Sanctuario, paulo ante fuerunt allata. Atque huc pertinet, quod in Talmude Hierosolym. Tract. *Joma fol.* 43. *col.* 3. inter portenta excidii Templi & Vrbis traditur, lucernam Occidentalem, XL annis ante vastatum Templum fuisse exstinctam. Oleum præterea purissimum & maxime defæcatum Exod. XXVII, 20. Lev. XXIV, 1, 2. a Deo ipso requirebatur, oleum כתית *contusum*, ac ex contusis oleis sponte fluens, non prælo aut mola expressum, quod amurca & fæcibus plenum est. Illud nec ingratum spargebat odorem, & præstantissimum erat, & solum ad lucernam sacram aptum. Ceterum probe observat SCHINDLERVS *Lex. Pentagl. in* תקע *p.* 1987. postquam ingressi erant Israelitæ in Terram Sanctam, oleum pro candelabri usu eos ex Thekoa, civitate tribus Judæ petiisse, quod præstantissimum omnium ibi nasceretur. Sed & peculiaris prunarum ardentium strues in altari holocausti alebatur, unde carbones depromebantur cum ad adolendum incensum, tum ad accendendas lucernas; ita quidem, ut Sacerdos ellychnium, peculiari vase ad candelabrum asservatum & huic usui destinatum, forcipe prehenderet, & ad altare holocausti pergens, de strue incensi accenderet, indeque ardens

dens in Sanctuarium inferret, & reliquas lucernas sex eodem inflammaret, teste R. IVDA LEONE *lib. III. cap. III.* §. 12.

4) Candelabrum hoc aureum Christum præfigurasse, LVNDIVS contendit *cit. loc. n.* 16. *p.* 119. verum ἄτερ γραφῆς. Christus enim sol potius est Mal. IV, 2. lumenque illud catholicum Joh. I, 9. VIII, 12. Luc. II, 32. ex se splendorem & lucem habens, omnibusque impertiens, quam candelabrum, alieno ac mutuatitio lumine egens. Vnde Apoc. I, 13. inter septem candelabra medius quidem obambulat, eaque lustrat Christus, non autem ipse in candelabris numeratur. Liquido vero Scriptura typum evolvit, quando Apoc. I, 12, 20. II, 5. *septem candelabra*, inquit, *sunt septem Ecclesiæ;* & divino vati Zachariæ, sub aurei lychnuchi symbolo, Ecclesiam Novi Testamenti exhibitam ac repræsentatam cap. II, 4. testatur. Ecclesia ergo fert λύχνον, verbum nempe vitæ Phil. II, 16. Psal. CXIX, 105. immo Christum ipsum, quem prædicat, monstrat, in Verbo & Sacramentis offert, & hoc pacto lucet πᾶσι τοῖς ἐν τῇ οἰκίᾳ, Matth. V, 15. Eaque scite perquam cum candelabro, ratione materiæ, partium diversarum, & lucernarum cumprimis, confertur. Vide BIERMANN. *Mos. & Christ. p.* 414 *sqq.* edit. Belgicæ, & concisius MOMMAM *Tom. I. Oecon. Temp.* §. 15. *p.* 162.

Ad §. XI. pag. 39.

(18) *Saltem una fuit mensa* &c.] Præter quatuor ista, ab Auctore memorata, alia quoque intercedebant discrepantiæ momenta inter Tabernaculum & Templum, v. g. Tabernaculum duo habebat siparia, Templum unicum. Superabat quoque Templum Mosaicam σκηνὴν, mensura ac amplitudine, numero vasorum sacrorum, eorundemque pretio, conclavibus, atriis, & pompa atque splendore: ut quantumcunque pretiosa esset habitatio Dei portatilis, a Mose suscitata, multum tamen illa superaretur a Templo Salomonis, in typum perfectioris longe gloriæ Ecclesiæ triumphantis, præ militante, quæ peregre versatur a Domino, & fide ac spe adhuc ad majus & perfectius habitaculum Dei manuducitur. Ceterum, quod de decem mensis, lychnuchis, & labris ab Auctore memoratur, ex 2 Chron. IV, 6 sqq. petitum est. Ast Rabbini, v. g. RASCHI & KIMCHI *ad h. l.* undecim numerant, connumerantes nimirum Mosis mensam, candelabrum, & labrum, & ex utroque latere uniuscujusque vasis Mosaici, quinque similia a Salomone confecta collocantes. Verum, quia Tabernaculum cum vasis suis, excepta solum arca, in peculiari Templi conclavi asservabatur, connumerari Mosaica vasa Salomoneis non debent, quia ea solum numerantur, quorum usus erat in Templo, non æque ea, quæ in memoriam reposita asservabantur.

Ad §. XII. pag. cit.

(19) *Atrium Sacerdotum*] Dicitur עזרה ab עזר *auxiliatus est*, כי כל הבא להתפלל שם בלב שלם נעזר בי״י אלהיו *quia, quisquis eo accederet precatum sincero animo, opem consequebatur apud Dominum Deum suum,* secundum Salomonis preces 1 Chron. VI, 16. ut rationem nominis reddit R. DAVID KIMCHI. Erat autem atrium Mosaicum, area proxime ante Tabernaculum, sub dio posita, longitudine C cubitos, latitudine L patens. Cingebatur cortinis byssinis, 5 cubitorum in altitudine, quæ ab utroque latere altitudinis, id est, australi & aquilonari, ex 20 columnis, at a latere Occidentali & Orientali, columnis 10, nixis basibus æneis, suspendebantur. In medio vero lateris Orientalis, atrii patebat ingressus 20 cubitorum, qui velo, ejusdem cum velo Tabernaculi materiæ & texturæ, tegebatur. Sacerdotum dicebatur, quia Sacerdotibus munia sua obeuntibus, & precaturis etiam, destinatum erat. Neque tamen prorsus populus ab eo arcebatur, sed בשעת סמיכה ותנופה *tempore impositionis* manuum, *& agitationis* rei oblatæ, in illud pariter admittebatur. Sæpe enim legas, de manibus pecudi mactandæ imponendis ab eo, pro quo offerebatur.

ur. Porro, cujus nomine תנופה seu agitatio partium sacrificii, sursum deorsum, & versus quatuor mundi plagas peragebatur, cujusque pecus illo ritu mactabatur, is pariter coram altari se sistebat in atrio Sacerdotum. Et quidem unius solum atrii meminit Moses; verum posthæc, cum in terram Canaan perventum, & arca in Silunte reposita esset, aliud adhuc, in usum populi, atrium accessit. Ast in Templo, atrium Sacerdotum pars erat atrii intimi Orientalis, a scala Templi ad altare holocausti & amplius; dispescebaturque rursus in spacia varia, quorum proximum ad fores Templi circa scalas ab ortu ad occasum 22 cubitos, a meridie ad septentrionem 135 cubitos patebat, dicebaturque *μεταξὺ τȣ̃ ναȣ̃ καὶ τȣ̃ θυσιαςηρίȣ*, *intercapedo inter Templum & Altare*, in quo occidebatur Zacharias filius Barachiæ 2 Chron. XXIV, 22. Matth. XXIII, 35. & quorsum respicitur Joel. II, 17. ubi Sacerdotes vere pœnitentes flere jubentur בין האולם ולמזבח *inter porticum & altare*, quia dicatum erat supplicationibus Sacerdotum, ad avertenda mala epidemica. In hoc spacium, sanctissimum in atriis, nemo admittebatur, nisi soli Sacerdotes, iique puri, absque labe, & quibus obeunda erant ministeria. Alterum spacium intra altare & atrium Israelis ab occasu ad ortum, XI cubitos æquabat, ubi haud procul ab altari, versus septentrionem, pyxis rotunda lignea consistebat, cui immittebantur sortes, inter duos hircos discernentes, die expiationis. Tertium spacium circa altare erat, stationes quippe mactandarum pecudum. Hinc quatuor gradibus descendebatur in atrium Israelis, de quo paulo post.

Ad §. XII. pag. 39.

(20) *Aeneum altare, sacrificiis sacrum*] Altare holocaustorum triplex erat: Mosaicum, Salomoneum, & Templi secundi ultimum. I. Mosaicum ex lignis Sittim paratum, totumque exterius laminis æreis valide erat obductum; concavum autem interius, & explebatur, ubicunque exstrueretur Tabernaculum, vel terra, vel lapide rudi ac impolito, ubi sedes igni parabatur. Partes habebat varias: 1) ipsum Altaris ædificium quadrum, cujus longitudo æque ac latitudo quinque cubitorum, altitudo superioris partis trium erat: 2) Craticulam æneam, de qua insignis est doctorum dissensio, illam focum constituentibus aliis, cum BERNARDO LAMY *lib. III. de Tabernac. Mos. cap. VI. Sect. I. p.* 439 *sq.* & SCACCHO *Myroth. II. cap.* 71 *sq.*; aliis, cum LVNDIO *lib. I. cap. XXXIII. n.* 51. *p.* 181. in latere altaris, sub ambitum ejus medium ponentibus, ut & aerem & prospectum præberet inferiori basi altaris: 3) Circuitum, quem alii in summitate ejus, alii rursus circa medium collocant, & in quo deambulabant Sacerdotes, ministerio suo circa altare & sacrificia defuncturi: 4) Cornua, pariter ex ligno parata, & ære obducta, non ad ornatum solum, verum etiam ad usum, cum palmarium, aspergendi sanguinis, tum secundarium *ἀσυλίας*, de quo Auctor noster infra aget: 5) Annulos cum vectibus, ad portandam in itinere aram. Quibus 6) varia accedebant Instrumenta & vasa Exod. XXVII, 3. memorata, lebetes & scopæ, pelves, fuscinulæ & forcipes, quorum in ministerio altaris perpetuus erat usus.

II. Postquam autem Salomo augustiorem Domino ædem exstruebat, aliud quoque & grandius paravit Altare holocaustorum, quod viginti cubitos longum & latum, & decem cubitos altum, 2 Chron. IV, 1. VII, 7. 1 Reg. VIII, 64. non lapideum, quod cum Hebræis nonnullis contendit BIERMANN. *in Mos. & Christ. lib. II. cap.* 7. *p.* 425. sed totum fuit æneum, sive ad instar Mosaici, lignum intus contineret, sive minus, de quo Scriptura silet. Distabat a Mosaico, 1) amplitudine & mole, quo illud longe superabat, 2) opere reticulato, quo destituebatur, 3) ascensu & circuitu, qui unus in Mosaico, triplex in Salomoneo, 4) situ & loco, quem fixum habebat Salomoneum, qui idem creditur fuisse cum eo, in quo David aram quondam exstruxerat 2 Sam. XXIV, 25. toties autem mutabat Mosaicum. Ceterum de sede Salomonei incerta multa tradiderunt Judæi: v. g. in eadem Abra-

hamum ſuum exſtruxiſſe altare, in quo filium Iſaacum immolaret Gen. XXII. in eadem Noachi ſtetiſſe altare, poſt diluvium ex arca egreſſi, & ſoteria Deo offerentis cap. VIII. in eadem ſacrificaſſe Cainum & Abelem, & ante ipſos Adamum, ſtatim atque a Deo creatus erat: quin etiam in eadem conditum eſſe primum hominem. Hinc Magiſtrorum ſcitum: *Factus eſt homo ex ipſo ſuæ expiationis loco.* Quæ cum aliis leges apud MAIMONIDEM *de domo electa cap. II.*

III. Tertium denique Templi ſecundi Altare, a reducibus e Babele Judæis recens exſtructum, eadem quidem cum priori collocabatur ſede Eſdr. III, 2, 3. diverſum tamen a Salomoneo erat 1) Materia, cum illud ex ære, hoc ex lapide rudi & impolito conſtaret 1 Maccab. IV, 44 ſqq. unde quotannis bis etiam dealbabatur: 2) Quantitate & mole, qua prius ita ſuperabat, ut in infimo circuitu 32 cubitos longum, totidemque latum, & decem altum eſſet. Per clivum, ſine gradibus, adſcendebatur ad altare, qui ad meridiem ejus conſtitutus, longus erat 32 cubitos in aſcenſu, latus 16, & exiguo intervallo ab altari ſejunctus: qui autem aſcendebant Sacerdotes, ad dextram ibant, & poſtquam altare circumiviſſent, ad ſiniſtram redibant: 3) Filo rubro, quod nullum legitur de priori, at memoratur cinxiſſe poſterius, in ambitu medio, ſpargendi ſanguinis locum docens Sacerdotes. Vt alia taceamus hujus altaris memorabilia, de quibus non conſtat, an æque deprehenſa fuerint in Salomoneo, fuſius autem intelliguntur ex curata hujus altaris deſcriptione cum vetere, in Cod. *Middoth*, CONSTANTINI L'EMPEREVR curis illuſtrato, tum recentiore, in b. DASSOVII eleganti perquam diſſertatione *de Altari exteriori Hieroſolym. Templi*, Vitemberg. An. 1697. cui junge LIGHTFOOTI *Deſcript. Templi Hieroſol. cap. XXXIV. T. I. Opp. p.* 630.

Ex hoc Altari ignem omnem ſacrum petitum fuiſſe ſupra ſubinde monuimus. Triplex autem in altari holocauſtorum alebatur Ignis: 1) Sacer ille & perpetuus, οὐρανοπετὴς, quem IOH. BVXTORFIVS fil. quidem *in hiſtoria ignis ſacri cap. II. p.* 237 *ſqq.* appoſitis continuo lignis nutritum & altum negat, D. PFEIFFERVS autem *Dub. vex.* ex Lev. VI, 5, 6. *Loc. VI, p.* 254 *ſqq.* gratioſe quidem a Deo demiſſum, a Sacerdotibus autem alimentis materialibus conſervatum fuiſſe aſſerit, & contra BVXTORFIVM tuetur; & de quo quinque memorabilia Judæi in Tract. *Joma c. I. ſub fin. fol.* 21. *col. b.* tradunt: quod recubuerit in altari, ſicut leo: quod purus & clarus fuerit, inſtar ſolis: quod flamma ejus ſolida fuerit & pura: quod humida æque conſumſerit, ac arida: denique, quod nullum emiſerit fumum; & quem iidem inter quinque illa numerant, quæ abfuerunt a Templo ſecundo: 2) Ignis holocautomatum, qui ex igne cæleſti accendebatur, & appoſitis lignis fovebatur, lignis non oleæ aut vitis, quæ eidem inferre nefas erat, ſed ficuum ſylveſtrium, & aliis, quo & victimarum conſumebantur carnes, & pugillus muneris ac thuris, qui in illum conjectus adolebatur: 3) Ignis ſuffitus, e quo carbones ad ſuffitum ſolenniter faciendum, petebantur. Nulli autem dubitamus, quin ab hoc altaris holocauſtorum igne perpetuo, ritus hujus perpetui dimanarit ignis apud Gentiles, quem Virgines Veſtales apud Romanos, Perſæ item, ac aliæ gentes religioſe ſervabant; niſi a Solis cultu eum derivare malueris, quo Perſarum ignem perpetuum ſpectare, certius crediderim; quanquam illos tam a Solis cultu, quam a Pyrolatria, magno cum eruditionis apparatu, liberare ac abſolvere conetur THOM. HYDE *in hiſtor. religionis veter. Perſar. cap. I. p.* 5 *ſqq.* Denique in altari conſpiciebatur Cumulus cinerum, תפוח *pomum* altaris dictus, in media menſa aggeſtus, & in rotunditatem coacervatus, in quem quotidie cineres matutino tempore congerebantur, ut licet 5 Ephæ ſingulis diebus de eo auferrentur, maxima tamen adhuc cinerum copia ſemper reſtaret: de quo vide DASSOVIVM laudata diſputat. §. 18.

Demum hoc pariter altare myſtice Chriſtum adumbrabat, docente Paulo Hebr. XIII, 10. qui, in quantum per æternum Spiritum, ſemetipſum obtulit

obtulit Deo cap. IX, 14. & Sacerdos erat & Victima; respectu æterni autem Spiritus, sive Deitatis suæ, quæ donum sanctificat, & infinitum eidem pretium ac pondus addit, Altare est. Eodem sensu etiam Apoc. VI, 9. animæ mactatorum propter verbum Dei, dicuntur esse sub Altari; phrasi ex Levitico cultu depromta, quo pecudes victimales ad pedem altaris jaciebantur, vel victimarum certe sanguis ad pedem altaris effundebatur. Altare autem Holocausti, non, quod HAMMONDVS cum aliis tenet, Suffitus, hic loci intelligi, eoque Christum designari, scite & nervose demonstrat CAMPEG. VITRINGA *Comment. in cit. loc. Apoc. p.* 271. Velut enim triplex hujus altaris erat usus, ut victimas in odorem fragrantiæ Deo consumeret, prunas candentes suffitui in Sancto Sanctorum offerendo, & accendendis lucernis ignem subministraret, & imposita dona sanctificaret: ita Christus, robore æternæ Deitatis suæ suffultus Jes. LXIII, 5. semetipsum in odorem εὐωδίας, Deo obtulit προσφορὰν καὶ θυσίαν Eph. V, 2. nobis Spiritum gratiæ & precum suppeditat Zachar. XII, 10. omnemque illuminat hominem, venientem in hunc mundum Joh. I, 9. & omnia munera nostra, Deo oblata, nosque adeo ipsos, sanctificat Hebr. II, 11. Joh. XVII, 19. Vberiorem typi cum antitypo collationem vide apud BIERMANN. *cit. sæpius loc. p.* 428 *sqq.*

Ad §. XII. pag. 39.

(21) *Et labrum*] Labrum æneum Tabernaculi, in Atrio stabat prope Sanctuarium, cujus descriptionem lege Exod. XXX, 18 sqq. & cap. XXXVIII, 8. Vocatur כיור *labrum*, juxta LXX λουτὴρ, eo quod hoc aquarum receptaculum Sacerdotibus inserviebat, manus pedesque loturis, antequam in Sanctuarium ingrederentur: juxta IOSEPHVM περιῤῥαντήριον *asperforium.* Situm ejus definit Mischna Cod. *Middoth, cap. III.* §. 6. הכיור היה בין האולם ולמזבח ומשוך כלפי הדרום: *Labrum erat inter Porticum & Altare, ac protrahebatur versus Austrum.*

Circa labri materiam difficultatem insignem pepererunt verba capitis XXXVIII, 8. במראת הצבאות אשר צבאו פתח אוהל מועד: *De speculis exercitus mulierum, quæ in modum exercitus conveniebant ad ostium Tabernaculi conventus.* Nimirum labrum ex ære conflatum, quod toties disertis verbis proditur a Mose, originem suam debuit oblatis Domino speculis mulierum, quæ olim ænea fuisse, vel stannea ex PLINIO discimus *L. XXXIII. Hist. Nat. c.* 9. & *l. XXXIV. c.* 17. Erudite autem ex CYRILLO ALEXANDRINO observavit CLERICVS *ad h. l.* mulieres Aegyptias olim in usu habuisse, specula gestare, cum Templum adirent. Vnde colligere liceat, inter alia spolia Aegypti, multa quoque ejusmodi specula mutuo accepisse ab Aegyptiis Israelitidas, ex quibus liquefactis labrum hoc fuerit fusum. Sed fluctus in simpulo hic movet SCACCHVS *Myroth. I. cap. VIII. p.* 41. qui fieri potuerit, ut ex æneis speculis mulierum, quæ vigilabant & orabant, Deoque inserviebant ad ostium Tabernaculi nondum erecti, vas illud ad servandam aquam constructum fuerit? qua se ut expediat difficultate, asserit non ex speculis mulierum, sed ex ære, a viris sponte oblato, concham illam fuisse fusam, specula autem perfectæ jam & erectæ conchæ superimposita fuisse a mulieribus illis, quæ turmatim, religionis causa in die erectionis Tabernaculi, & per integros septem dies illuc confluebant, atque jejuniis, orationibusque, Tabernaculi ac ministrorum consecrationem prosequebantur. Vnde præfixum ב in במראת non per מן *ex*, sed *cum* exponit h. m. *Fecit concham æneam, & basin æneam cum speculis mulierum, quæ exercebant se ad portam Tabernaculi testimonii.* Verum ejusdem religionis socius BERNARDVS LAMY *Lib. III. de Tabern. Mos. Cap. VI. Sect.* 7. *pag.* 463. subtilitatem istam ridet, scrupulumque ita solvit: reipsa nondum erectum fuisse Tabernaculum, cum æneam concham pararet Bezaleel, sed antequam exstrueretur illud, & cum offerrent viri dona voluntaria, aurum, argentum, sericum &c. pias quoque mulieres specula sua obtulisse, quæ non tunc tem-

temporis, ſed poſtea, cum ſcriberet iſta Moſes, officiis pietatis vacabant ad oſtium tentorii conventus. Textui ergo inhærentes, non ex alio ære, a viris oblato, ſed ex iſtis ſpeculis, certatim a mulieribus ad apparatum ſacrum allatis, coaluiſſe credimus hoc labrum. Ex vario autem metallo antiquitus ſpecula fieri conſueviſſe, DOVGTHAEVS *Analect. Sacr. Excurſ. XLIV. p.* 124. citatis hanc in rem Veterum teſtimoniis, abunde demonſtravit. His omnibus miſſis, & tam ſpeculis, quam mulieribus exploſis, ita vertit CLEMENS, *mox citando Cap. II. §. XIII. p.* 40. *Et fecit labrum æneum, & ejus operculum æneum, cum figuris ornantibus, quæ ornabant oſtium tentorii conventus. Vt ita indicet Sacer Hiſtoriographus, quod quemadmodum illud aulæum, quod vicem januæ in Tabernaculo præſtabat, Cherubinis, aliisque figuris, quæ ornatui erant, condecoratum erat, ita & in hoc labro, juxta illud, tanquam exemplar, easdem fuiſſe ſculptas imagines.* quæ ibidem ulterius confirmat. Velut autem IOSEPHO vix tuta conſtat fides, æs illud auro pretioſius habitum fuiſſe *Antiqu. lib. VII. cap.* 6. aſſerenti; ſic pari fide figuram ex ipſo diſcimus, *lib. VIII. c.* 2. labro hemiſphæricam fuiſſe, rotundam nimirum ad modum dimidiæ ſphæræ, habuiſſe præterea baſin, aptam ad excipiendam aquam ex vaſe profluentem, per mammas quasdam & epiſtomia, pro lubitu aperienda, quæ XII fuerint, ut lavare poſſent ſimul XII Sacerdotes. Ceterum de hoc labro Moſis, de decem lavacris Salomonis, & de ejusdem mari æneo vide LIGHTFOOTI *Deſcript. Templi Hieroſol. cap. XXXVII. Tom. I. Opp. p.* 643 *ſqq.* Sigillatim *de Moſis labro æneo in Exod. XXX,* 17-21. & *XXXVIII,* 8. cum cura commentatus eſt HERM. GID. CLEMENS, Trajecti ad Rhenum, in 8. A. 1725.

Velut autem ſpeculorum uſum ad hoc labrum, inepta perquam & hebete conjectura, eo transfert SCACCHVS *Myroth. I. cap. VIII. p.* 42. ut ante cælitus delapſum ignem, ſpecula exterius circa concham ejusque baſin appoſita, exceptos ſolis orientis radios in altare holocauſtorum reflecterent, iisque ignem in altari ſuccenderent, quo cremarentur victimæ: Sic lavandi, ante ſacrificia paranda, morem e Gentilium ritu ad Sacerdotes Hebræos tranſiiſſe, æque incerte, licet ampliori cum eruditionis apparatu, adſtruere conatur SPENCERVS *de leg. Hebr. lib. III. diſſ.* 3. *cap.* 3. *ſect.* 2. *p.* 698 *ſqq.* a qua ſententia non multum recedit CLERICVS *Commentar. in Geneſ. XXXV,* 2. *p.* 230. SPENCERVS illam ita ornat: 1) quia lotiones ante ſacra, diu ante Moſen uſu fuerint receptæ, ſiquidem Gen. XXXV, 2. Jacobi familia, ſacris in Bethele perficiendis ſe præparans, lavacro ſe purgaſſe, & mutaſſe veſtes legatur; & DIODORVS SICVL. *Biblioth. Hiſtor. lib. I. p.* 63. primos Aegypti reges (Moſe utique antiquiores) ubi ſurrexerant mane, prius lavaſſe, dein veſtitos ſplendide, Diis ſacrificatum iviſſe perhibeat: 2) quia Judæis nullibi præceptum legitur, ut hac cerimonia in ſacris obeundis uterentur, quam cum nihilominus adhiberent, certum eſt, exemplo gentium didiciſſe: 3) quia lotio Pontificis die expiationis, originis ethnicæ haud obſcuros præfert characteres &c. Sed *Reſp. ad* 1). etſi non negamus, ante legem latam, & apud ipſos Patriarchas, luſtrationum ſacrarum ritum in uſu fuiſſe, potuit tamen ille a primordiis ſacrificiorum divini fuiſſe inſtituti, æque ut ſanctificatio populi, ante legis promulgationem requiſita, veſtium & corporum lotione peragi, a Deo ipſo jubebatur Exod. XIX, 10, 14. Quid autem mos privatorum, ut non accederent ad Deum, niſi aqua pura abluti, ad ſolennem illam Sacerdotum luſtrationem facit? *Ad* 2). ſacerdotali iſti ablutioni mandatum divinum temere denegari, cum diſerte iſtud citatis locis Exodi, & cap. XL, 32. legatur. Reliqui autem populi lotiones & luſtrationes, ex Exod. XIX, 10. & analogia lotionis ſacerdotalis, in ſubſequentibus autem ætatibus, ex Propheticis quoque oraculis, eliciebantur. Sed nec certo conſtat, nec probari a SPENCERO poteſt, quemlibet vulgarem Iſraelitam, Moſaicis, primisque temporibus, lavari debuiſſe, antequam ad cultum Deo præſtandum accederet. *Ad* 3). Lotiones Pontificis, in

in die expiationis, nullum quod imitari potuerit, exemplum habet apud Gentiles, sed quod SHERINGHAMIVS *Not. ad Cod. Joma cap.* 3. §. 3. probe obſervavit, quinquies hoc die Pontifex toto corpore abluebatur, quia toties veſtes ſuas aureas cum lineis, & vice verſa permutabat, eumque in finem toties luſtratione opus habebat; decies autem manus lavabat & pedes, quia ipſe ſolus omnia ſacra & ſacrificia ejus diei peragebat, atque ad decem novas obeundas miniſterii functiones, totidem præmittere lotiones neceſſe habebat. Si ergo in primam luſtrationum ſacrarum originem inquiramus, diſertum quidem, ante legem latam, inſtitutum divinum proſtat nullum; fuga tamen ἐθελοθρησκείας dubitare nos non ſinit, quin huic vel illi Patriarchæ cerimonialis ejusmodi lotio divinitus fuerit injuncta, quæ in communem poſthæc abiit ritum, donec in lege cerimoniali, tam Sacerdotibus, quam quibuslibet Iſraelitis, toties demandaretur. Inde vero, tam ante, quam poſt latam legem, ritus iſte, qui rationi etiam perquam eſt conſentaneus, tranſiit ad gentes, inter quas peregrinabantur & commorabantur Patriarchæ, & poſthæc Iſraelitæ; ab Ethnicis autem mirum non eſt, ſuſceptum ſemel, variis deinde, & ſuperſtitioſis acceſſionibus, & inſtitutis humanis fuiſſe auctum.

Remotis ita ſpuriis de uſu hujus labri commentis, pergimus ad genuinum & verum uſum, qui 1) *proximus* & *phyſicus* eſt, cum nudis pedibus incederent Sacerdotes, præterea victimis cædendis, excoriandis, diſſecandis, & altari inferendis, ligna porro & ignes ac focos in altari curando, multum huc illuc diſcurſitarent, ſordibusque, pulvere, ac ſanguine inquinarentur & conſpurcarentur, quod & contra decorum, & majeſtate ac ſanctitate cultus ac ſacrorum indignum erat, ut aquas in promptu haberent, quibus ſordes abluere, manus pedesque mundare, purosque ſe ſemper exhibere ac ſiſtere poſſent. Conjunctus huic erat 2) uſus *mediatus* & *moralis*, qui in commonefactione Sacerdotum pariter ac Iſraelitarum conſiſtebat, ut non purum modo corpus, ſed puram imprimis mentem Deo adferrent, nec peccatorum ſordibus inquinati in Sanctuarium venire, aut coram altari comparere auſint. Jeſ. I, 16. Pſalm. LXXIII, 13. 1 Tim. II, 8. Jac. IV, 8. Hinc, qui externam abluendi cerimoniam uſurpabant, ſine tamen interna animi puritate, Domino non probabantur Jer. II, 22. 3) *Typicus* demum & *ſymbolicus* hujus labri uſus, non tam immediate Baptiſma præfigurabat, quod SHERINGHAMIVS *Comm. in Joma p.* 49. perhibet, quam Chriſtum ipſum, qui venit cum aqua & ſanguine 1 Joh. V, 6. Joh. XIX, 34. & qui diſerte מקור נפתח *labrum apertum* appellatur Zach. XIII, 1. a quo & baptiſmi, & aſperſionis conſcientiæ Hebr. IX, 23. lavacrum, & fluenta Spiritus Sancti manant Joh. IV, 10 ſqq. Vide BIERMANN. *cit. loc. p.* 437.

Ad §. XII. pag. 40.

(22) *Atrium populi*] Hoc in Templo Salomonis, proxime ab atrio Sacerdotum verſus orientem ſitum, duobus cum dimidio cubitis depreſſius atrio Sacerdotum, rurſusque XI ulnis patens ab occaſu ad ortum, CXXXV autem cubitis, a ſeptentrione ad meridiem. Vide Cod. *Middoth cap. II.* §. 6. In hoc atrium omnes mares Iſraelitarum mundi, diebus Sabbathi, Novilunio & diebus Feſtis admittebantur; vocabaturque Atrium Iſraelis, eo quod in eo quotidie XXIV Iſraelitæ, Viri ſcilicet Stationarii, de quibus *Libro I.* actum, cultui aſſiſtebant, preces pro toto Iſraele fundentes. In hoc atrio VII numerantur conclavia: 1) Synedrii minoris XXIII virorum, juxta portam Nicanoris ad ſiniſtram, 2) Veſtiariorum, qui Sacerdotum excubias agentium veſtes ſervabant, 3) Synedrii magni in angulo orientali, ad latus meridionale, 4) Scaturiginis, ubi puteus, in uſum Templi, 5) Lignorum, ubi poſt examen reponebantur ligna ad uſum altaris, 6) Lavantium, cui contiguum erat conclave Sarvæ, ubi victimarum inteſtina lavabantur, & pelles earundem ſaliebantur, 7) Salis,

ubi falia ad usum Templi reposita, 8) Foci concameratum, כיפה, ut periculum abesset, ab igne dictum, ubi excubabant Sacerdotes, qui Templum custodiebant.

Ad §. XIV. pag. 40.

(23) *Suggestum æneum pro rege*] Nemini alii assidere licebat in Templo, sed aut erecti stabant, aut procumbebant in genua: quem morem imitatos Aethiopes LVDOLFVS memorat, *Hist. Aethiop. Lib. III. cap.* 6. §. 26. apud quos nulla in Templis subsellia videas, quia stare inter sacra consueverunt. Apud Judæos autem Regibus peculiare paratum erat sedile, quem tamen honorem MAIMONIDES ad solos restringit Davidicos Reges: אם נכנס לעזרה והיה מזרע דוד ישב שאין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד שנאמר ויבא המלך דוד וישב לפני ה׳: *Cum intraverit atrium Sanctuarii, si est de semine David, assidet. Neque enim sedendi locus est in atrio, nisi regibus familiæ Davidis tantum: sicut dicitur* 2 Sam. VII, 18. *Ingressus est rex David, & sedit coram Domino.* Huic fini æneum illum suggestum fieri curaverat Salomo 2 Chron. VI, 13. Vide CONSTANT. L' EMPEREVR *in Cod. Middoth pag.* 4. SCHICKARD. *in Jure Reg. Hebr. Cap. IV. Theor. XIII. p.* 235. & VITRINGA *de Synagoga vet. proœm. cap.* 4. *p.* 31 *sq.* Mensura quoque suggesti hujus loco cit. Chronic. traditur, longitudine V. cubitos, latitudine totidem, altitudine vero III. exæquantis.

Ad §. XV. pag. citat.

(24) *Fœminæ in exteriore starent*] Tum enim *Atrium mulierum* distinctum fuit ab Atrio Israelis. Nam tempore Regis Manassis non nisi duo adhuc Atria Templi memorantur, 2 Reg. XXI, 5. De eo ex instituto agit Mischna *Cod. Middoth cap. II.* §. 5. ejusque longitudo æque ac latitudo, par fuisse traditur, utraque CXXXV. cubitorum, & quatuor conclavia quatuor ejus angulis tribuuntur, ad ortum brumalem conclave Naziræorum, ubi coquerent Naziræi eucharistica sua, detonderent capillos suos, eosque submitterent ollæ; ad ortum æstivum conclave lignorum, ubi Sacerdotes immundi ligna examinarent, & submoverent omne lignum, in quo erat vermis; ad occasum æstivum conclave leprosorum; & ad occasum brumalem cella vini & olei, unde vocabatur לשכת בית שמנים *conclave domus olei.* Dicebatur autem עזרת נשים *atrium mulierum*, non quod ingressum arceret virorum, sed quod fœminæ propius accedere non permitterentur, adoraturæ vel verbum prædicatum, precesque publicas, cantusque audituræ. Confer de hoc atrio LIGHTFOOT. *Cent. Chorogr. Matth. præm. cap. XXIX. & in Descriptione Templi Hierosolym. cap. XVIII. Tom. I. Opp. pag.* 592.

Ad §. XVI. pag. cit.

(25) *Scala fuit quindecim graduum*] Ita namque pergit cit. Mischna *in Middoth: In summis lateribus læve ac planum erat atrium mulierum, sed id circumsepserunt interno podio, ut mulieres superne prospicerent, viri autem inferne, ne miscerentur.* Quod, quo sensu capiendum sit, CONSTANT. L' EMPEREVR *ad h. l.* declarat: *Et XV gradus ascendebant ex ejus medio in atrium Israelis, respondentes quindecim gradibus, qui in Psalmis occurrunt: in quibus Levitæ canebant. Non erant gradus recti, sed gyrati, instar dimidii rotundæ areæ.* Nimirum atrium hoc septem cum dimidio cubitis depressius erat atrio Israelis, decem cubitis atrio Sacerdotum, hinc ex atrio Israelis quindecim gradibus, per portam Nicanoris, descendebatur in hoc atrium. Hi gradus celebres cumprimis erant cultu festi tabernaculorum, quo Levitæ Psalmos graduales, a Psalmo CXX. ad CXXXIV. alta voce & fidibus concinebant, ita ut singulis gradibus singuli destinati essent Psalmi. Ita præter KIMCHIVM, quem citat Auctor, etiam R. SAADIA GAON, eumque secutus ABEN ESRA, RASCHI, & Rabbinos

binos secuti e Christianis HVG. GROTIVS, CONSTANT. L'EMPEREVR *ad cit. Mischn.* SAL. VAN TIL *Comment. in Psalm.* qui Psalmo CXX. peculiare de his quindecim Psalmis graduum *T. II. p.* 257. præmisit procemium, quo hanc sententiam copiose tueri annititur. Contra vero GVLIELMVS IRHOVIVS *in Conjectaneis in Psalmor. titulos* §. 86. *p.* 122. שירי המעלות vertit *cantica ascensionum, i. e. reditus, seu redituum ex captivitate Babylonica, partim videlicet in ipso exitu decantata, partim in posterum in hujusce memoriam decantanda. Erant scilicet inter ascendentes ex Babylonia & cantatores & cantatrices, & quidem numero* 200. *Esdr. II,* 65. *vel ut Neh. VII,* 67. *habetur,* 245. *ad itinerum nempe molestias molliendas, reducesque consolandos & recreandos, Deum laudandum* &c. Et postquam ad consensum Syri provocaverat, atque ex Midrasch Tehillim sententiam confirmaverat, addit: *Pluralis autem numerus* מעלות *usurpatur non adeo excellentiæ causa, quam quidem ad pluralitatem ascensionum indicandam,* quam in subjecta annotatione dilucide docet. Si summum Psalmorum interpretem, b. GEIERVM *ad Psal. CXX,* 1. conferas, sex sententiarum classes deprehendes, in quas clarissimi se scindunt Interpretes. Vt adeo exploratum certumque non sit, quod tanto cum strepitu ii contendunt, quibus Talmudistarum irrefragabilis est auctoritas. Vir doctissimus HENRIC. AINSWORTH *in Annotat. ad Ps. CXX.* cum b. LVTHERO facit, quando *Psalmum* interpretatur *elata seu altiore voce decantandum, Ein Lied im hœhern Chor,* & provocat ad 2 Chron. XX, 19. ubi Josaphatus memoratur hostes aggressurus, cum Levitis cecinisse, Deumque laudasse בקול גדול למעלה *voce magna & in altum elata:* vel excellentiæ hanc notam esse, quo sensu 1 Chron. XVII, 17. האדם המעלה *excellentissimus homo,* ipse nempe Messias dicitur. Sed ut ad chorum Musicum Levitarum, in quindecim scalis atrii mulierum revertamur, commode ᾠδεῖον cum Græcis vertit L' EMPEREVR, *p.* 71. & duplex ejusmodi observat Odeum graduale; unum inter Israelis atrium & atrium Sacerdotum, alterum inter mulierum atrium & atrium Israelis: quod suo relinquimus loco.

Ad §. XVII. pag. 40.

(26) *Capsa eleemosynaria*] Circa eleemosynarum in Templo receptacula, distingue inter Gazophylacia, & inter Capsas nummarias. *Gazophylacium* vocabatur קרבן *Corban,* quæ vox alias donum ipsum, dein thesaurum ex donariis congestum, denique locum notabat, in quo thesaurus iste asservabatur. Is geminum erat conclave: *aliud* לשכת לבדק הבית conclave, seu Corban ad restaurationem & refectionem Templi, unde sumtus petebantur, in structuram Templi & atriorum conservandam & reparandam: *aliud* לשכת לעבודת המקדש Corban ad parandum ea, quæ ad cultum divinum in Templo peragendum requirebantur, ut v. g. sacrificium juge & libamina, lignum, thura, panes propositionis, vestes Sacerdotum &c. suppeterent. Illud rursus duplex erat: Vel לשכת הכלים *conclave vasorum,* ubi reponebat, quisquis vas aliquod offerret, seu ferreum, seu æneum, seu argenteum &c. quod, si usui esse posset ad ministerium vel reparaturam Templi, in usum istum adhibebatur, sin minus, vendebatur, pretiumque ejus cedebat ללשכת בדק הבית *conclavi pro reparatione Templi:* Vel erat *Corbona nummorum,* ubi signata moneta inferebatur in usum Templi. Erat præterea aliud לשכת חשאים *conclave silentum,* vel clandestinorum, ubi viri pii obtulerunt clanculum, unde enutrirentur liberi piorum parentum, etiam clanculum. Multum enim tribuebant eleemosynis, clam aliis erogatis, adeo ut in Talm. Babyl. Tract. *Chagiga fol.* 5. *col.* 1. cum R. IANNAI aliquem videret, nummum pauperi palam dantem, ei diceret: *præstat non dedisse, quam sic dedisse.* Vid. Mischn. Cod. *Schekalim cap. V.* §. 6. & *ad h. l. Annotat.* WÜLFERI *p.* 132 *sq.* Porro *capsæ nummariæ* dicebantur שופרות *tubæ,* quod instar tubæ essent formatæ, quæ ore angustiore

 præ-

præditæ, inferius dilatabantur; in quam arcæ denominationem, & arcam ipsam, egregie commentatur denuo WÜLFERVS *ad cap. II.* §. *I. p.* 52 *sq.* Harum tredecim positæ erant in atrio mulierum, ad columnas fornicum, quarum nitidam delineationem dedit, æri incisam, RELANDVS *de spoliis Templi Hierosol. pag.* 126. Et ne promiscue immitterentur nummi, inscriptæ erant singulæ, quos nummos caperent, v. g. 1) pro siclo anni præsentis, 2) pro siclis anni præteriti, 3) pro pretio duorum turturum aut columbarum, 4) pro aliis oblationibus ex avibus &c. de quibus MAIMONIDES late exponit in שקלים *cap. II.* His cistis evacuandis peculiare destinatum erat conclave, quod κατ' ἐξοχὴν לשכה vocabatur. Atque de his capsis nummariis sermo est Luc. XXI, 1. ubi Jesus assidebat in atrio mulierum inter porticus prope tubas istas, duosque asses a vidua paupere immissas celebrabat. Nemo enim vacuus templum ingrediebatur, quin donarium aliquod secum afferret. Quem morem hodierni quoque servant Judæi, ut e Synagoga egredientes, aliquid, si vel unicus fuerit nummus, ærario sacro immittant. Confer denuo LIGHTFOOTVM *Decad. Chorograph. Marco præm. cap. III. Tom. II. Opp. fol.* 405 *sqq.* Haud procul ab illo atrio erat *Conclave cambiale*, in quo tredecim mensis assidebant collectores sicli. Postquam enim Deus Exod. XXX, 12 sqq. jusserat, ut quilibet annum ætatis vigesimum egressus, dimidium sicli penderet, jus inde invaluit, ut ab annuo isto censu nemo se eximeret, sive Israelita, seu Proselytus, sive Sacerdos, seu Levita, seu mendicus; solæ mulieres, infantes, servi ac ancillæ immunes erant, sin autem ultro offerrent, accipere non detrectabant. A Gentilibus autem non accipiebatur, licet ultro offerrent. Quin & ubicunque per totam terrarum orbem dispersi agebant Judæi, dimidium siclum conferebant, eumque ex singulis provinciis collectum, quotannis Hierosolymas mittebant, unde sumptus depromebantur לעבודת למקדש *in cultum Sanctuarii.* Vocabatur לשכת השולחנים *conclave nummulariorum*, de quo vide Mischn. *Schekalim cap. I.* §. 3. & quæ ibi annotavit WÜLFERVS *pag.* 17 *sqq.* Præterea LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad Matth. VI,* 2. *c. l. p.* 297. monet, eleemosynam Judæorum ordinariam, & extra Templum, triplicem fuisse, לתמחוי *Scutellæ,* vel canistro publico, quo colligebatur לעניי עולם *pro pauperibus mundi*, cujuscunque gentis vel regionis, Tros, Rutulusve fuat: לקופה *Cistæ eleemosynariæ*, qua colligebatur solum לעניי אותה העיר *pro pauperibus istius urbis:* Ex agro demum, vel anguli non demessi, vel manipuli relicti, vel de reliquiis vindemiarum, vel de decimis pauperum: quæ *ibidem* vide.

Ad §. XVII. pag. 40.

(27) *Totum atrium nuncupatur gazophylacium*] Ad hunc locum sufficiant, quæ LAMPE notavit *Comment. in Joh. VIII,* 20.

Ad §. XVIII. pag. eand.

(28) צדקה *eleemosyna significet justitiam*] Ita quidem Auctor noster gravissimum Judæorum errorem pingit & ornat, quando eleemosynas ipsis צדקה *justitiam* dici tradit a materia, quod ex juste partis, nostrisque adeo, non alienis, erogandæ sint facultatibus: quas tamen ab effectu potius ita nominare, quia eleemosynarum meritum justitiam nobis conciliare credunt, nos olim ex instituto demonstravimus, disputatione Lipsiæ A. 1728. *de Eleemosynis Judæorum* publici juris facta, §. 26 *sq.* Hoc passim inculcant Judæi in *Bava Bathra fol.* 10. *a. lin.* 3. asserentes, *eleemosynam eripere hominem ex morte & judicio gehennæ:* Et quando מצדיקי ex Dan. XII. *eleemosynantes*, h. e. eleemosynas copiose largientes *fulsuros sicut stellas in æternum*, *ibidem fol.* 8. *l.* 3. eleemosynam *expiare Israelem fol.* 10. *b. l.* 4. & *appropinquare facere redemtionem, ibid. col. a. lin.* 12. tradunt. In compendium hæc misit MAIMONIDES, quando in Hilch. מתנות עניים *de Donis pauperum cap. X.* §. *I.* ita rhetoricatur:

ricatur: הצדקה סימן לצדיק זרע אברהם אבינו שנאמר כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו לעשות צדקה׃ ואין כסא ישראל מתכונן ודת האמת עומדת אלא בצדקה שנאמר בצדקה תכונני׃ ואין ישראל נגאלין אלא בצדקה שנאמר ציון במשפט תפדה ושביה בצדקה׃ *Eleemosyna est insigne justi seminis Abrahami, patris nostri, sicut dictum est* Gen. XVIII, 19. *quoniam cognosco illum, quod praecepturus sit filiis suis, ut exerceant eleemosynas: nec regnum Israelis confirmabitur, nec vera religio stabilietur, nisi per eleemosynas; uti dictum est* Jes. LIV, 14. *per eleemosynam stabilieris; nec Israelitae redimendi sunt e captivitate sua, nisi per meritum eleemosynae, sicut dictum est* Jes. I, 27. *Zion redimetur per judicium, & reduces illius per eleemosynam.* Etsi enim in universa Scriptura vocabulum צדקה eleemosynae notionem non sustineat, quae gratis assumta a Judaeis, & imaginaria est; ubicunque tamen *justitia* in Codice Sacro occurrit, ad eleemosynam illi trahunt. Et quid dici posset in hanc sententiam clarius, quam quod Tob. XII, 8, 9. legitur: καλὸν ποιῆσαι ἐλεημοσύνην, ἢ θησαυρίσαι χρυσίον. ἐλεημοσύνη γὰρ ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ αὕτη ἀποκαθαριεῖ πᾶσαν ἁμαρτίαν. οἱ ποιοῦντες ἐλεημοσύνας πλησθήσονται ζωῆς. Supra tamen צדקה extollunt adhuc חסד sive גמילות חסדים *beneficentiam*, multumque disputant, quid inter utramque discriminis intercedat. Nervose perquam in Cod. Talmud. *Succa fol.* 49. *col.* 2. ita exponitur: *Tripliciter beneficentia antecellit eleemosynas. Nam eleemosynae tantum fiunt pecunia, & beneficentia quodque officiorum genus complectitur: eleemosynae tantum exercentur erga pauperes, sed beneficentia tam erga pauperes, quam divites: quin & eleemosynae non nisi apud vivos locum habent, at beneficentia tam apud vivos, quam mortuos.* Novem porro eleemosynae gradus constituunt Judaei, quos ex MAIMONIDE *cit. loc.* §. 7 *sqq.* in citata disputatione §. 30. *p.* 34 *sq.* ordine recensuimus, nec huc transferre juvat. Id saltem addimus, IACOB. RHENFERDIUM *Dissertatione I. de decem Otiosis Synag.* §. 80. acriter tueri, stipem in Synagoga erogare, & egenis distribuere, nefas fuisse, quod loci sanctitas obstaret; cum tantum tamen precium eleemosynis statuant Judaei, & e Synagoga egredientes teruncium suum in capsam pauperum immittant.

Ad §. XIX. pag. 41.

(29) *Unum pro legaliter impuris ac peregrinis*] Addit hic Auctor supra memoratis tribus, quartum scil. *Atrium Gentium*, quod VI cubitis atrio mulierum, XVI cubitis atrio Sacerdotum, & XXII cubitis ipso Templo erat depressius. Vocabatur פרבר 1 Chron. XXVI, 18. *pars exterior*, quae foras spectat, quam vocem suburbiorum exemplo, quae extra civitatem sunt, scite declarat CONSTANT. L' EMPEREUR *in Middoth p.* 46. *coll. p.* 5. nec non הר בית *mons aedis sacrae* 2 Chron. XXXIII, 15. item חול *profanum* scil. atrium, patebatque promiscue omnibus, exteris quoque ac Gentilibus, impuris & peregrinis, juxta ea, quae Salomo dixit 1 Reg. VIII, 41 sq. Area erat quadrata, 500 cubitos longitudine & latitudine explens; ac tempore Herodis quidem circumcirca splendidis ornabatur aedificiis ac basilicis, in quibus eminebat Porticus meridionalis, *Porticus regia* dicta, quod a Rege Herode esset exstructa. In eodem בית המדרש *Gymnasium*, seu Auditorium, בית הספר *Bibliotheca* publica occurrebat, & conclavia alia. Idque erat, ex quo Christus emtores & venditores ejecisse, mensasque trapezitarum evertisse memoratur Joh. II, 14 sqq. Conf. huc LAMPE *Comm. in h. l. p.* 526. Sub nomine Templi enim hoc etiam exterius atrium comprehendebatur, quia cum aedificio Templi cohaerebat, ejusque sanctitas urbis reliquae sanctitati multo erat praestantior. Ibi porticus Salomonis erat, ubi Jesus ambulans, in Templo ambulasse dicitur Joh. X, 23. Plura de hoc atrio vide in LIGHTFOOTI *Centur. Chorograph. Matthaeo praemissa cap. XXVIII.* & *in Harmonia IV. Evangel. ad Joh. II,* 15. *Tom. I. Opp. p.* 414 *sq.* Quicquid vero est istius Atrii gentium, Vir doctus *in Symbolis literariis Bremensib.*

Tom. I. Differt. III. tota p. 73. e Templo plane profcripfit, idque 1) e numero atriorum in Codice Sacro extante, 2) a defectu teftimoniorum Judaicorum, 3) a filentio IOSEPHI, 4) a fitu, ab atriis longe remoto, & 5) a forma, ab atriis valde diverfa, evincere fategit. Largitur tamen §. *III.* Gentibus locum patuiffe in הר בית יהוה *monte domus Dei*, & §. *XV.* tam Ezechielem Cap. XL, 17, 20. חצר-החיצנה *atrium exterius*, in Templi defcriptione afferere, quam Johannem Apocal. XI, 2, *αὐλὴν τὴν ἔξωθεν τοῦ ναοῦ*, *atrium exterius Templi* affirmare, quod *ἐδόθη τοῖς ἔθνεσι*, *gentibus fit indultum.* Hoc itaque præcife negat, locum extitiffe in illo Templi circuitu, cujus aditus populorum, fuæ adhuc fidei profeffioni addictorum, congregationi fuerit conceffus. In eandem fententiam Celeberr. IKENIVS, Symbolarum iftarum collector graviffimus, *Differt. IV. p.* 105. concedit, eamque ab auctoritate R. IEHVDAE LEONIS liberat, qui *Lib. II. cap.* 4. *num.* 26. הר הבית per חצר הלאומים *atrium Gentium* expofuerat. Et ne quid diffimilem, ipfe LIGHTFOOTVS, qui *loc. cit.* copiofe iftud adftruxit, in Commentario tamen, quo *defcriptionem Templi Hierofolymitani* ex inftituto tradit, *Cap. XVI. Tom. I. p.* 590 *fq.* ubi de atriis Templi agit, hoc atrium Gentium alto filentio preffit, utut paulo ante *Cap. V. fect.* 2. *p.* 559. portam Parbar ejusque fitum definierit, nulla tamen pariter atrii Gentium injecta mentione. Ita videas, CONSTANTINVM L' EMPEREVR *ad Cod. Middoth cap. I. fect.* 4. *p.* 15. tria folum atria agnofcere, illo quod Gentibus tribuitur, omiffo. Vtraque tamen fententia, affirmans æque ac negans, facili negotio componi poterit, modo attendatur, num mons domus Domini ad Templum relatus fit, nec ne? Hunc enim, laudatus CONSTANT. L' EMPEREVR latius interdum fumi *p.* 5. interdum ftrictius *p.* 11. docet; totumque ejus ambitum, in quantum tetragonum quingentorum cubitorum, feu bis mille cubitos in circuitu comprehendebat, קדוש *fanctum* fuiffe habitum, LIGHTFOOTVS *Tom. I. pag.* 554. evincit. Affirmantes itaque hoc atrium, montem fanctum univerfum referunt ad Templum; & quia Gentibus in hoc monte confiftendi, verfaque ad interiora Templi facie, preces ad Deum fundendi facultas erat facta, 1 Reg. VIII, 41 fqq. 2 Chron. VI, 32 fqq. hinc a Chriftianis, iisque gravibus ac eruditis viris, LIGHTFOOTO, BASNAGIO *Exercit. c. Baron. p.* 124. SVRENHVSIO *βίβλῳ καταλλαγῆς p.* 263, 299. aliisque bene multis, ad imitationem atriorum interiorum, in quibus recutitis locus erat, *Atrium Gentium* vocatur. Vnde non omnes omnino Judæi iftud ignorant, vel negant, fed præter R. LEON. IEHVDA, etiam R. ABRAHAM הרופא feu Medicus *in Schilte Haggibborim cap. XXV.* בהר הבית *in monte domus*, h. e. in atrio Gentium, Nummulariorum ponit conclave: cujus verba dedit, & fub cenfuram vocavit, WÜLFERVS *ad Cod. Schekalim cap. I. Sect.* 3. *pag.* 20. Negantes autem, non tam de re ipfa, quam de ftricto Templi ambitu, quem ultra feptum clathratum, & fpacium antemurale patuiffe negant, ut & de atriis hujus denominatione, quæ nec in Scriptura, nec in Judæorum monimentis a Gentibus definitur, decertant. Sic utrique fententiæ relinqui poteft locus.

Ad §. XXI. pag. 41.

(30) *Ter exftructum eft*] Duone, an tria fint numeranda Templa Hierofolymitana, eodem in loco & exftructa, & diruta? dubie difputant nonnulli, & in ancipiti ponunt. Satis tamen in fe plana eft difquifitio, & facili negotio expedienda, modo commode declaretur. Judæi tantum non omnes duo faltem agnofcunt, Salomoneum & Zorobabelicum, adeo ut tertium demum a Meffia fuo expectent, duraturum in æternum. De fingulis agemus feorfim.

I. David, quod pie inftituerat, domum ftabilem cultui, nominique Divino parare, a Deo ipfo per Nathanem Prophetam prohibitus, tantumque opus ad Salomonem filium transmittere juffus, 2 Sam. VII. nihil tamen fecit reliquum, in congerendis iis, quæ ad tantam perficiendam molem facere videbantur. Hinc & ingentem auri,

auri, argenti, æris, ferri, aliarumque operi necessariarum rerum copiam collegit, filioque ante mortem, una cum accurata ædificii ἰχνογραφίᾳ, tradidit 1 Chron. XXIX, XXX. & postremo regni sui anno, omnes gentis proselytos, quorum numerus ad 153000. assurgebat, operi applicavit. Hi strenue incumbebant labori ad quartum usque Salomonis annum, cujus mense secundo jacta sunt ædis fundamenta, cumque in numerato habebant necessaria omnia, adeo feliciter res successit, ut octavo mense anni undecimi, universa absolveretur structura, 1 Reg. VI, 38. duodecimo vero anno, mense septimo, inter solennia festi Tabernaculorum, consecraretur 1 Reg. VIII, 2. 2 Chron. V, 3. Ex his itaque undecim vel duodecim prodeunt anni, in ædificando & exornando Templo Salomonis exacti: IV. in secandis lapidibus, exasciandis lignis, & præparando ad structuram apparatu: VII. cum dimidio in perficienda æde: & I. in expolienda ac aptanda ad dedicationem, & cultum in eo ἀδιαλείπτως posthæc peragendum. Verum postquam subsequenti ætate varie spoliatum, idololatria pollutum, piorumque vicissim Regum studio repurgatum & instauratum fuisset hoc Templum, tandem anno XIX Nebucadnezaris, mense V, qui undecimus erat annus Zedekiæ, ultimi e domo Davidica Regis Judæ, per Nebusar-Adanem exustum & vastatum est 2 Reg. XXV, 8 sq. 2 Chron. XXXVI, 19. Jerem. LII, 12. Aetatem ergo tulit CCCCXX annorum, a perfectione sua ad excidium a Nebucadnezare illatum.

II. Cum vero Cyrus, juxta oracula divina, & captivo populo in patriam revertendi, & Templi restaurandi facultatem fecisset, eoque fine non modo delineationem novæ ædis, verum etiam vasa aurea, argentea, ænea, Hierosolymis olim cum captivo populo Babelem asportata, insignemque auri & pecuniarum vim reducibus dono dedisset Jer. XXIX, 10. 2 Chron. XXXVI, 22 sq. Esdr. I toto, hi primo statim anno altare refecerunt, in quo per septem menses victimas obtulerunt, donec secundo mense anni secundi fundamenta domus jacerent Esdr. III, 8. statim tamen a Samaritanis, per totum Cyri tempus, impediti cap. IV, 5. Demum sub Dario, qui Artaxerxes etiam audit, Esdr. VI, 1. VII, 1 sqq. & juxta IOSEPHVM *lib. XII. Antiquitat. cap.* 4. Hystaspis, juxta SCALIGERVM vero & FRANCISC. BVRMANNVM Nothus fuit, secundo anni regno, structura denuo inchoata, & quadriennio post, die 3 mensis Adar, anno sexto Darii, qui amplissimis donariis eam juvit, fuit absoluta Zach. I, 12. IV, 3, 5. cujus dedicationem, magno cum gaudio & larga sacrificiorum oblatione celebratam, IAC. VSSERIVS *Annal. Vet. Testam. Tom. I. p.* 161. in A. M. 3489. conjicit. Opere ad umbilicum perducto, anno Darii septimo Esdras, anno autem vigesimo Nehemias, Hierosolymas ascendit Esdr. VII, 8. Nehem. II, 11. urbemque non modo mœnibus, sed cultum etiam, plebemque reducem legibus ac disciplina, in ordinem redegerunt, unde hi tres gentis ac patriæ restauratores, trito apud Judæos proverbio, passim junguntur: *Zorobabel Templum restauravit, Esdras Religionem & cultum reddidit, Nehemias Vrbem ac mœnia reparavit.* Hinc variam hoc Templum expertum est fortunam, sub Xerxis imperio a Bagose, Regio in his terris Vicario vel Præfecto, gravissima XL drachmarum in unumquemque agnum immolandum mulcta prægravatum, sub Darii ultimi principatu, exstructo Samaritarum in monte Garizim Templo, insigni contumelia affectum, ab Alexandro M. per Jadduam Pontificem mitigato & conciliato, variis privilegiis ornatum, a Ptolemæo Lago temerario ingressu profanatum, ab Antiocho Epiphane cumprimis, Rege Syriæ spoliatum, pollutum, & indignis modis, una cum tota gente afflictum, a Juda Maccabæo, post triennii profanationem gentilem, repurgatum & solennissimo ritu consecratum 1 Maccab. IV. donec sub Romanis, Pompeji M. ingressu in Sanctissimum, profanatum, demum ab Herode M. splendidissime instauraretur ac exornaretur. Quæ Templi fata, ordine & copiose persequitur LIGHTFOOT. *in Descript. Templi Hierosol. cap. XL. Tom. I. Opp. fol.* 661 *sqq.*

III. At-

III. Atque sic ad Herodis devolvimur Templum, cujus fabricam IOSEPHVS *lib. XV. Antiquitat. cap. XI.* descripsit. Quia enim Rex idololatricorum complurium fanorum erectione, insignem apud Judæos invidiam sibi conflaverat, hanc ut amoliretur & populi gratiam iniret, de consilio Sapientum, Hillelis, Schammai, & Menachem, qui magna apud ipsum gratia pollebant, anno regni XVIII. Templum Zorobabelis reparare & ampliare instituit. Oratione itaque præmissa causabatur, filios captivitatis, Cyri ac Darii Hystaspidis mandato constrictos, ultra LX ulnarum altitudinem Sanctuarium extollere non potuisse, quæ dimidia saltem pars sit altitudinis, ad quam Salomoneæ ædis pertigit culmen. Hunc itaque defectum ut suppleret, & priori hoc posterius quam simillimum redderet, LX ulnas eidem se adhuc additurum. Ingentibus itaque sumptibus, porticus & atria Zorobabelis destruxit, ac e fundamentis splendidissime reparavit, quin & Sanctuarium ac Sanctissimum, ab inferiori contignatione de novo exstruxit, immo & ipsam inferiorem contignationem decem ulnis exaltavit, multisque magnificis exornavit portis, fornicibus, ac deambulacris, ut in miraculis mundi hæc haberetur moles, & Judæi passim in proverbio jactarent: qui Templum Herodis non viderit, eum nullum unquam splendidum vidisse ædificium. Si ergo dicendum quod res est, non novum plane ac aliud, sed ipsum Zorobabelis fuit Templum, a Judæis recte בית השני *Templum secundum* dictum, sed ab Herode magnifice reparatum ac auctum. Hinc Scriptura ipsa duo solum templa agnoscit, הבית הראשון *ædem priorem* a Salomone excitatam, & הבית האחרון *ædem posteriorem*, a Zorobabele extructam, & per adventum Messiæ in carne revelati glorificatam, quæ ipsa erat Herodis structura Hagg. II, 9. Egregie in hanc sententiam SELDENVS *de Synedriis lib. III. cap. XIII.* §. 8. inquit: *Advertendum autem,* בית שני Templum secundum *perpetuo ita vocari Zorobabelianum, ut non minus id, quod ante Antiochi profanationem stetit, & quod exinde a Maccabaicis instauratum est, quam quod postea sub Herode innovatum legimus, contineret denotaretque, idque usque ad excidium urbis templique. Neque enim Templum habebatur aliquod tertium, nedum quartum, sed primum tantum & secundum; licet Zorobabelianum hoc ita denuo dedicatum fuerit etiam, & instauratum ab Hasmonæis, atque dein reædificatum ab Herode.* Etsi igitur LIGHTFOOTVS *cit. loc. cap. X. pag.* 570. Herodem non tam instaurasse, quam denuo ædificasse Templum contendat, & SAVBERTVS *Præfat. in lib.* LEONIS IVDAE *de Templo* novum plane, ac tertium dicat, immo licet IOSEPHVS *cit. loc.* §. 3. Herodem, sublatis veteribus fundamentis, alia jecisse & nova memoret, id tamen omne de atriis, portis, deambulacris & ornamentis exterioribus, quæ majori longe ambitu, quam reduces e captivitate, descripsit, non vero vel de ipso Sanctuario, vel de Sancto Sanctorum capiendum, cujus utriusque superior structura magnifice fuit aucta, fundamenta autem inconcussa manserunt atque immota. Denuo graviter SELDENVS *cit. loc.* pronunciat: *Summa est, Herodem nihil molitum esse, quo Templum fieret jam tertium, sed ut secundum, terminis undiquaque ampliatis, & nomine, & re, sic maneret, pro eodemque haberetur, ut non omnino tertii nomen indueret:* quod ex ipsius Herodis apud IOSEPHVM verbis demonstrat. Quin & viros doctos, IOSEPHI circa magnificentiam hujus Templi fidem non immerito sollicitare, observat SPANHEMIVS *Hist. Eccles. Vet. Test. Epochæ IX. Sect. X. Tom. I. Opp. p.* 469. quod destructo pridem Templo, cum hæc scriberet, impune exaggerare potuerit gloriam ejus, ut & gentis Judæorum, pro more suo, gloriam extolleret, & Romanorum, qui evertissent, celebraret potentiam. Ceterum Herodes interioris Templi structuram mensibus XVIII, exteriora & connexa ædificia annis VIII, perfecisse fertur.

Ad §. XXII. pag. 41.

(31) *Quadraginta & sex annis ædificatum est hoc Templum*] Recte Auctor noster hæc verba

verba ad Herodis Templum refert, & calculos ponit. A cœpta Templi ſtructura, anno Herodis XVIII. vixit ille ad A. C. XVI. Hinc computatis annis circiter XXX. ad tempus illud, quo Judæi verba hæc ad Chriſtum habuerunt, ante primum Paſcha publici miniſterii, exſurgunt anni XLVI completi. Verba itaque ſic veniunt vertenda: *A quadraginta ſex annis inde extructum eſt:* h. e. *Seint 46 Jahren iſt dieſer Tempel erbauet, und wird noch täglich daran gebeſſert, und du wilſt ihm in dreyen Tagen aufrichten?* Sive, ut LIGHTFOOT. *in Hor. Hebr.* exponit: quadraginta ſex annis jam extitit hoc Templum in ædificando; quotannis enim nova quædam addebantur ornamenta. Hanc interpretationem LAMPIVS *ad h. l.* pluribus declarat & munit. Altera, quæ XLVI annos ad Zorobabelis Templum refert, & quam FRANC. BVRMANNVS *Comment. ad Eſdr. VI. p.* 328. & *in Hiſtor. Eccleſiaſt.* eidem ſubjuncta *cap. XI. p.* 501. tuetur, variis calculi laborat incommodis, quæ laudatus LAMPIVS *in Annotat.* Commentarii ſui in apricum poſuit. Quando autem mendacii & erroris Evangeliſtam ex iſtis verbis arguere nititur R. ISAAC in חזוק האמונה *cap. XLIII.* quia Herodes XXXVII tantum annis imperaverit, Templum autem hoc VIII annorum ſpacio exſtruxerit: dextre eum confutavit IAC. GVSSETIVS *ad h. l. pag.* 401. errorem hunc Judæis impingens, non Evangeliſtæ, ut ſi maligne tempus auxerint, quo Chriſti dictum magis ſuggillarent, hoc ipſorum fuerit mendacium, non Evangeliſtæ peccatum, qui ex vero referat, quæ illi, ſive vere, ſive falſo, ogganniebant. Ipſe tamen GVSSETIVS poſthæc, de Zorobabelis ædificio, Judæorum verba interpretatur.

Ad §. XXIII. pag. 41.

(32) *Superatum autem eſt a templo priore*] Salomoneæ ædis præ poſteriore excellentia, tam ex numero operarum æque ac annorum, quibus utraque fuit excitata, quam ex impari auri copia facile colligitur. In priori namque Templo parietes & ornamenta omnia, auro gemmisque fulgebant, nec niſi aurea adhibebantur in miniſterio vaſa 1 Reg. VI, VII. 1 Chron. XXII, 14, 29. 2 Chron. III. in poſteriore fruſtra hoc quæſieris, & vaſa erant ænea. Accedit exterior facies, quæ LX cubitorum altitudine ſuperabatur a priore, antequam ad parem magnificentiam eveheretur ab Herode; unde Hagg. II, 3. Deus ipſe hanc ædem כאין *nihili* reputari in oculis eorum, qui priorem adhuc viderant, teſtatur. Confer IOH. FRIED. MIEGII Diſp. *de gloria Templi ſecundi* §. 3, 4. quæ repetita legitur *in Theſauro novo Philol. Theol. Tom. I. p.* 1071.

Ad §. & pag. eand.

(33) *Quinque rebus, quæ fuerunt ſub templo primo, defeceruntque ſecundo*] De iſtis prolixa eſt & anceps omnino diſputatio, paucis hic repetenda. I. variat traditio; nec eodem modo quinarius iſte a Magiſtris recenſetur. In *Gemara Babylon. Maſſechet Joma cap. I. fol.* 21. *col.* 2. ita legitur: זה אמר רב שמואל בר איניא מאי דכתיב וארצה בוואכבר וקרינו ואכברה מאי שנא דמחוסר ה״י אלו חמשה דברים שהיו בין מקדש ראשון למקדש שני ואלו הן ארון וכפורת וכרובים אש ושכינה ורוח הקדש אורים ותומים: *Dixit* RAF SAMVEL BAR ENIA: *Quare* (in verbis iſtis Prophetæ Hagg. I, 8.) *& delectabor in ea, & glorificabor: ſcriptum eſt* ואכבר (absque He finali) *legitur tamen* ואכברה (cum He paragogico?) *quid docet deficiens He? quinque res, quæ fuerunt in Sanctuario primo, & non fuerunt in Sanctuario ſecundo, nempe, arca cum propitiatorio & Cherubim, ignis cæleſtis, præſentia majeſtatis divinæ, Spiritus Sanctus Vrim & Thummim.* Hanc majorum traditionem repetit ABARBENEL *Comment. in Hagg. fol.* 277. *col.* 4. *Fol. ſequenti* autem *col.* 1. his adhuc addit candelabrum, menſam, ac omnia vaſa Sanctuarii, cum aulæis, tabulis, & reliquis rebus, quas Moſes fecit in deſerto, urnam item mannæ, baculum Aaronis & oleum unctionis, quæ omnia in priori Templo abſcondita credit,

 nec

nec reddita in domo ſecunda. Viciſſim in *Gemara Hieroſolymitana Cod. Maccoth Cap. II. fol.* 32. *col.* 1. loco שכינה *præſentiæ majeſtatis divinæ*, שמן המשחה *oleum unctionis* inter deſiderata numeratur. Vtramque Gemaram conciliare ſtudet SELDENVS *lib. II. de Succeſſ. in Pontific. cap. IX. p.* 245. ita, ut in arca fœderis amiſſa, ſubintelligatur hoc oleum ſacrum, quod in vaſe ſuo penes arcam aſſervabatur, & cum illa periit, nunquam reſtitutum; unde quoque nulla ex oleo ſacro unctio locum habere potuerit ſub Templo ſecundo. Sic tamen Hieroſolymitani omittunt שכינה, & Templo ſecundo largiuntur, quam eidem denegant Babylonici. Rurſus RASCHI *ad c. l. Hagg.* Vrim & Thummim ſeorſim numerans & pro duobus ſumens, arcam omittit. Ceterum, num defectus literæ ה apud Haggæum defectus hujus probationem ſuppeditet, an pro סימן *ſymbolo memoriali* tantum habendum ſit? diſputari vide apud SCHICKARDVM *in Jure Regio*, & CARPZOV. *ibid. p.* 29. DILHERRVM *Diſpp. Tom. I. p.* 728. & MEIERVM *contra Claſingium p.* 41. Tanti enim hæc inquiſitio non eſt, ut huc transferatur. Pergimus ad traditionis

II. Veritatem, quæ varie impugnatur, licet diſpari ſcopo. Pontificii doctores, RIBERA, TORNIELLVS, alii, ut librorum Apocryphorum fidem tueantur, deperdita iſta Chaldaicam cladem evaſiſſe, perhibent. Noviſſime omnium BERN. SEBAST. CREMER *Antiquit. Sacrar. Pœciles Tom. II. p.* 5 *ſqq.* quinque res iſtas ſub priora Templi ſecundi tempora, eidem adfuiſſe exiſtimat, poſt exceſſum autem ultimorum Prophetarum, ab Antiocho Epiphane direptas & ablatas, & nunquam illuc reſtitutas fuiſſe, unde theſin generalem ita format: *Quinque memoratas res immo vero defeciſſe ſub Templo ſecundo poſt tempora Malachiæ, aut circa tempora Antiochi Epiphanis, neutiquam vero circa initia renovatæ religionis & reipublicæ.* Quæ ipſa eſt R. ASARIAE EDOMAEI *in Meor Enajim lib. III. cap.* 51. ſententia. Atque iſta quidem media incedit via, & fundamentis nititur imparis quidem roboris, nec tamen omnino rejiciendis, hinc paulo altius expendi meretur. Quia vero inſignis circa res illas intercedit differentia, de ſingulis ſeorſim erit agendum. Sequitur ergo earum

III. Examen. Et α) de Arca quidem cum propitiatorio mitto fabulas, quibus ea *vel* ex 2 Maccab. II, 4 ſqq. a Jeremia abſcondita, *vel* a Joſia una cum unguento ſacro, baculo Aaronis, reſiduo Mannæ & oraculo Vrim & Thummim, in loco quem Salomo his uſibus paraverit, abdito ac ſecreto, ſub humum occultata, nec niſi tempore Meſſiæ revelanda ac reſtituenda, juxta *En Iſrael P. I. fol.* 166. *cap.* 2. DAV. KIMCHIVM *Comment. in* 2 *Chron. XXXV*, 3. ABARBENELEM, & alios, *vel* demum Romam in ultimo triumpho abducta perhibetur, prolixe in aciem productas & ſub cenſuram vocatas a BVXTORFIO, *Hiſt. arcæ fœder. cap. XXII, XXIII.* & IOH. BENED. CARPZOVIO, pecul. diſp. *quonam arca pervenerit?* in Volum. Diſpp. Academ. *p.* 48 *ſqq.* Nobis vero videtur ſimillimum, quod & Babelem a Nebucadnezare, in deportatione Jehojakimi, abducta, & inde a Cyro reſtituta, ac a filiis captivitatis, una cum ceteris vaſis ſacris, Hieroſolymas reportata, ac in Templi ſecundi adyto collocata fuerit. Hoc ſuadet locus, quem in Gemara *ad Cod. Joma cap. V. fol.* 53. *col.* 2. R. ELIESER in hanc ſententiam allegaſſe fertur, ex 2 Chron. XXXVI, 10. ubi Nebucadnezar Jehojakimum abduxiſſe memoratur Babelem אם כלי חמדת בית יהוה *cum vaſis deſiderii domus Domini.* Velut autem *terra deſiderii*, deſiderabilis ac præſtantiſſima Pſal. CVI, 24. Jer. III, 19. Zach. VII, 14 *ager deſiderii*, omnium optimus ac præcipuus, Jerem. XII, 10. & ipſe quoque ſponſus ſpiritualis כלו מחמדים *totus deſideria*, exoptatiſſimus & ſumme amabilis Cant. V, 16. audit, ita pariter *vaſa deſiderii* ſunt pretioſiſſima omnium & vel maxime expetita, in quæ omne fertur deſiderium. In ejusmodi Templi vaſis, quis arcam cum Cherubim, quis menſam auream, quis altare incenſi referri, immo primo loco haberi negaverit? Vnde quando hoc ipſum dictum *in Seder Olam Rabba cap. XXV.* edit.

MEIERI

MEIERI *p.* 72. in medium adducitur, ſtatim additur explicatio, זה הארון per inſtrumenta deſiderabilia domus Domini *intelligitur arca.* Vndecim ergo ante annos, quam cremaretur ſub Zedekia Templum, arca & vaſa illa domus Domini præſtantiſſima Babylonem abducta fuerunt, ut cum incendio periret Templum, illa una perire non potuerint, quod præſto non amplius eſſent. Iſta vero Babele non abolita, non in alios converſa uſus, ſed ut trophæa de Deo Iſraelis ejusque populo, in Templum Regis Babelis tranſlata, ibique aſſervata manſerunt, donec Cyrus reducibus ea omnia redderet, Hieroſolymas in novum Templum transferenda Eſdr. I, 7-11. VI, 5. Nec obſtat, quod obvertit MVNSTERVS *in Joſeph. Gorionidis lib. I. cap.* 17. & repetit BVDDEVS *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. Tom. II. p.* 631. diſertam arcæ, nec in ablatione, nec in reſtitutione vaſorum Templi, mentionem fieri, quia inſtitutum ſacrorum Scriptorum id non ferebat, ut nominatim vaſa omnia recenſerent ac deſcriberent, ſed communi indicio illa complecti ſatis habebant. Qui enim omnia dicit, ille præcipua ejus generis e cenſu omnium neutiquam excludit, ſed vel primo loco intelligi cupit. Ita conſtat de reſtitutione, & præſentia in Templo ſecundo. Jam in peremptoriam & irreparabilem eorundem direptionem eſt inquirendum. Temporibus autem Maccabaicis, & ſequentibus, usque ad Romanam vaſtationem, in æde ſecunda non adfuiſſe ex Jerem. III, 16, 17. CREMERVS *loc. cit. p.* 17 *ſqq.* copioſe demonſtrat, IOSEPHI quoque ac TACITI teſtimoniis confirmat, quin & Antiocho Epiphani iſtam Templi ſpoliationem tribuendam eſſe, ex Daniel. VIII, 11, 12. XI, 32, 36-39. & IOSEPHI narratione *lib. XII. Antiquit. cap.* 7. evincit: quæ cum erudite ab ipſo ſint confecta, in iis acquieſcimus, Lectorem eo remittentes. Spem denique Judæorum recentium, in quam R. ABARBENEL *Comment. in Dan. IX,* 24. *fol.* 64. *col.* 1. ſuos erexit contribules, fore ut arca, cum ceteris vaſis Sanctuarii, in Templo tertio, ſub Meſſia reſtituatur, evertit omnino & proſtravit FRISCHMVTHVS Diſp. in Jerem. III, 14 ſqq. *de non ſperanda arcæ fœderis reſtitutione*, digna quæ in hoc argumento præ ceteris conſulatur. Pergimus

β) ad Ignem ſacrum ac cæleſtem, in altari holocauſtorum perpetim in æde prima conſervatum & nutritum; circa quem eo minus nobis laborandum eſt, quo evidentius ille, cum deſtructione altaris & plenaria oblationum ceſſatione, in vaſtatione Templi primi ceſſaſſe colligitur. Etſi vero hunc quoque abſconditum vel ſub Manaſſe, vel ante Babylonicam deſtructionem, rurſusque protractum e puteo, & reſtitutum altari ſecundo fabulantur Judæi 2 Maccab. I, 18 ſqq. in Maſſechet *Joma cap. IV. ſub init.* & apud IOSEPHVM GORIONIDEM, fatetur tamen ABARBENEL *ad Hagg. I,* ubi eandem adoptaverat traditionem, in dedicatione Templi ſecundi de novo cælitus non deſcendiſſe, quod perinde fuerit, ac ſi nullus adeſſet. Teſtimonia qui κατὰ τὸ ῥητὸν legere cupit, BVXTORFIVM adeat *in Hiſt. ignis ſacri cap. III. p.* 246 *ſqq.* CREMERVS equidem *c. l. p.* 77 *ſqq.* hunc ignem ſub Templo ſecundo pariter obtinuiſſe tuetur, ad Antiochi Epiphanis perſecutionem, qua penitus defecerit. Negat enim ignem cælitus delapſum, ſolum eſſe ſacrum, ſed quemcunque ignem, ad cultum jugem adhibitum, & ad conſumenda holocauſta & victimarum adipes, ad adolendum ſuffitum & accendendas lucernas, ad coquendos panes propoſitionis, in altari perpetuo nutritum, hoc nomine venire, quia ignis iſte ab altari ſanctificetur, & a miniſterio ſacro ſit inſeparabilis *p.* 87. Hinc, quoties v. g. ab Achazo 2 Chron. XXVIII, 24. a Manaſſe 2 Chron. XXXIII, 4 ſqq. & ab Ammone verſ. 21 ſqq. cultus veri Dei aboleretur, extinctum quoque ignem ſacrum fuiſſe, quoties autem cultus denuo ab Hiskia cap. XXIX, 4 ſqq. & Joſia cap. XXXV, 3. 2 Reg. XXIII, 1 ſqq. reſtauraretur, toties ignem quoque ſacrum incepiſſe tradit. Pariter ſe rem habuiſſe in deſtructione altaris prioris, & initiatione poſterioris Eſdr. III, 2 ſqq. Sed quod pace Viri docti dixero, ignem ἱερὰ ὀπετῆ, vel ex שכינה & glorioſa Dei nube pro-

rumpentem, nec alium facrum ac æternum appellari, & Lev. VI, 1 fqq. innui, ex Tabernaculi juxta ac Templi Salomonei initiatione Levit. IX, 24. 2 Chron. VII, 12. cum univerfa teneo & credo antiquitate, tam Judaica, quam Chriftiana. Talis itaque cum in Templo fecundo, nullo plane indicio vel documento demonftrari queat, hac prærogativa illud orbatum citra hæfitationem pronuncio. Quando vero Deus eum in cultus, five prioris, five pofterioris Templi, reparatione populo non amplius indulgebat, ea tamen propter non profana erant facrificia, ex communi accenfa igne, fed quia victimarum fanctificatio fidei Hof. VI, 6. Hebr. XI, 6. in acceptis eft ferenda, non five altari, five igni, quandocunque fide offerebantur illa, ignis rite adhibitus, licet ex cælefti origine derivatus non amplius fuppeteret, Deo acceptus habebatur: hinc grata Deo facrificia in Templo fecundo poterant offerri, licet igne cælefti deftituerentur. Sequitur

γ) שכינה, five Symbolum gratiofæ Dei præfentiæ, quam pariter in Templo pofteriori defideramus. Non uno fenfu hoc Sanctuarii *ἀυχημα* accipitur. Tantum enim abeft, ut gratiofam Dei præfentiam & inhabitationem ædi fecundæ denegent Judæorum magiftri, ut vel hodienum, duobus legi divinæ pie operam dantibus eam largiantur, juxta illud R. CHANINAE fil. TERADION effatum: שנים שיושבין ויש בניהם דברי תורה שכינה שרויה ביניהם *duo qui una fedent, & inter eos funt colloquia de lege, Schechina quiefcit fuper eos*, id quod ex Malach. III, 16. probare fatagit: *in Pirke Abboth cap. III.* §. 2. quocum confer Chrifti dictum Matth. XVIII, 20. Hic autem, de præfentiæ divinæ externa in fymbolo nubis manifeftatione, vocem fumimus, qua & in Tabernaculi Exod. XL, 34. & in Templi Salomonei 1 Reg. VIII, 10 fq. inauguratione, confpicuam fefe reddebat. In Templi autem pofterioris dedicatione, Efdras & Nehemias hanc gloriam alto filentio premunt, qui tamen, accurati reftitutæ Ecclefiæ Scriptores, hoc, quod ad fummum fuorum ac pofterorum folatium valuiffet, ficco non præteriiffent pedes, fi adfuiffet. Nec vola ejus rei nec veftigium in æde fecunda, apud quenquam occurrit Scriptorum. Laudatus CREMERVS denuo *p. 35 fqq.* Schechinam, una cum arca, Babelem migraffe ex Ezech. I. Jerem. XXIV, 1. eandem cum populo Dei ex Babele reverfam fuiffe ex Hagg. II, 2-9. Jerem. XXXIII, 6-9. Mich. II, 12, 13. Jef. XLVIII, 14, 17. Zach. II, 5-17. Efdr. VIII, 21 fqq. demum vero Antiochi Epiphanis tempore difparuiffe, ex arctiffimo ejus cum arca nexu, evincere fatagit, qui videatur.

δ) De Spiritu Sancto difpiciendum porro eft. Hunc, fi cum SELDENO *lib. I. de Synedriis cap. XIV.* eundem plane feceris cum שכינה, nihil eft, quod feorfim de illo maneamus, poftquam de ifta mentem noftram aperuimus. Verum qui curatius, ex mente Judæorum utrumque diftinguunt, & per Schechinam, præfentiam divinam, certo fymbolo fe manifeftantem, per Spiritum Sanctum autem donum prophetiæ inferioris ordinis, quo tertia claffis librorum Vet. Teft. כתובים dictorum, exarata Judæis creditur, intelligunt, hoc fenfu utrumque in Templi pofterioris diftincte numerant defideratis. At enim vero Prophetas domus fecundæ, Haggæum, Zachariam, Malachiam, dono prophetiæ gavifos fuiffe, in confeffo eft apud omnes, & fub aufpicia Novi Fœderis hoc dono fideles complures, v. g. Zachariam, Luc. I, 67. Simeonem fenem cap. II, 26, 27. Agabum Act. XXI, 10. quin immo Pontificem etiam incredulum & impium, ratione officii tamen Joh. XI, 51. inftructos fuiffe conftat: ut de eo fententiam ferre fit in proclivi.

ε) De Vrim & Thummim eo minus dubitamus, in æde pofteriore defeciffe, cum ne in priore quidem ultima attigiffe tempora, valido probari queat documento. Poft regnum enim divifum, nullum leges exemplum refponfi ex pectorali, unde pius Jofias Deum de recens inventa lege confulturus, non pectorale Pontificis, fed Huldam prophetiffam requirere neceffe habebat,

bat, 2 Reg. XXII, 14. 2 Chron. XXXIV, 22. Templo itaque posteriori oraculum hoc in solidum denegamus, quicquid IOSEPHVS *Antiqu. lib. III. cap. IX.* ogganniat, qui ducentis ante suam ætatem annis, responsa non amplius reddidisse perhibet. Etsi vero vestes aureas in Templo secundo, vestibus prioribus æmulas, Pontifici paratas, iisdemque pectorale cum duodecim gemmis pariter appensum, non nego, hic tamen non de instrumento, sed de oraculo in pectorali, nobis est sermo. Vrgent, qui secus sentiunt, Esdræ & Nehemiæ auctoritatem, qui Sacerdotibus nonnullis de sanctis comedere prohibitum fuisse dicant, *donec Sacerdos consistat cum Vrim & Thummim* Esdr. II, 63. Neh. VII, 65. Sed enimvero contrarium omnino produnt verba, & defuisse tunc temporis Pontificem, τῷ Vrim & Thummim instructum, liquido testantur: quod ipsum quoque largitur CREMERVS *p.* 139. licet & postliminio hoc restitutum oraculum, & circa Antiochi Epiphanis demum furores ablatum fuisse, magno molimine tueatur. Ne quid faciamus reliquum, subjungimus adhuc

ζ) Oleum sacrum, quod memoratis quinque rebus Gemaram Hierosolymitanam addere, supra monuimus. Postquam enim Moses, divino jussu, istud confecerat, nunquam ab alio quoquam in posterum reficiendum Exod. XXX, 32. vase conditum, cum reliquis cimeliis ad arcam asservabatur, & cum in itinere per deserta dissolveretur tabernaculum, curæ Eleazari concredebatur Num. IV, 16. Ita & in tentorio 1 Reg. I, 39. & in Templo 2 Chron. XXIII, 11. custoditum, ut quoties usus postularet, Pontifici ad manus esset, paria tandem fata cum reliquis Templi cimeliis experiebatur; & quia lecythus unguenti hujus, tanti non erat pretii, ac vasa aurea, neglectim forte habita, in Chaldaica Templi vastatione periit, nec Babylonem fuit deportata. Denuo itaque parari, quia sub gravi comminatione erat interdictum Exod. cit. loc. vers. 32, 33. facili negotio inde colligitur, quod plane abfuerit a Templo secundo. Hoc ipse largitur CREMERVS *p.* 114. §. 17. aliud tamen, ut in locum Mosaici, rite confectum & usurpatum evincat, verba interdicti restringit *p.* 106. *ad privatum usum, aut usum viri extranei.* Verum, si ad verba Mosis curate attendamus, distincte illa ac seorsim, primo iteratam confectionem, deinceps usum alienum ac privatum vetant, ut in gratiam adoptatæ hypotheseos, prius cum posteriori misceri & confundi, haud obscure appareat. Demum rursus sub Antiochi Epiphanis tempora, unctionem sacram desiisse censet, quia primi, qui ab Antiocho Epiphane Pontificatum ingenti pecuniæ summa redemerunt, Jason & Menelaus, idque cum plena a Mose apostasia, & introductione Hellenismi, unctionem & inaugurationem Mosaicam parum curasse, videntur, proximi Pontifices, viri Maccabæi, non erant e Pontificali genere, deinde jus in Pontificatum a Regibus accipiebant, & hinc solenni unctionis & inaugurationis ritu facile carebant. Quæ bene se habent, modo probatum dedisset, primos a reditu, aut ab exstructione Templi secundi Pontifices, oleo sacro rite ac licite fuisse initiatos, quod demonstrari valide nequit. Josua sane, vestibus sacris indutus, & cidari munda ornatus, immo egregio a Filio Dei elogio mactatus, at oleo sacro inunctus non legitur Zach. III, 1 sqq. Manet ergo ratum, istud post primi Templi cladem, inter desiderata fuisse, nec unquam posthæc restitutum.

IV. Frustra speratam adhuc harum rerum restitutionem, in Templo tertio sub Messia, subnectemus. Auctor enim ספר אבקת רוכל *libri pulveris aromatarii,* quem ANTON. HVLSIVS *in Theolog. Jud.* Latine conversum, eruditis illustravit pariter ac confutavit annotationibus, *lib. I. P. I. p.* 152. diserte promittit fore, ut quinque res istæ, quæ cum priori Templo perierant, ac in posteriori defecerunt, non restituantur modo, verum etiam quinque aliis prærogativis præclare augeantur, nimirum 1) luminis solaris incremento plane miraculoso, quia Messiæ adventu solis jubar trecenties quadragies ter splendidius illucescet, juxta Jes. XXX, 26. in Targum

gum IONATHANIS: 2) ſplendore juſtorum, ad eundem numerum, per Jud. V, 31. apud eundem Chaldæum: 3) corona Moſis de monte Sinai per Exod. XXXIII, 7. 4) tympanis tripudiantium per Jer. XXXI, 4. 5) annonæ abundantia & vilitate.

Ad §. XXIII. pag. 41.

(34) *Per* בת קול *filiam vocis*] Tradit hæc Auctor fide Rabbinorum, qui in Gemara *Sota cap. IX.* apud WAGENSEIL. *p.* 1069. traditionem allegant: משמתו נביאים האחרונים חגי זכריה ומלאכי נסתלקה רוח הקדש מישראל ועדין היו משתמשין בבת קול: *Prophetis posterioribus, Haggæo, Zacharia, & Malachia mortuis, receſſit Spiritus Sanctus a Judæis; adhuc tamen Cæleſti Eccho fruebantur.* Juxta hos itaque, id genus revelationis ſub Templo ſecundo viguiſſe, & in locum Spiritus Prophetici, ab Iſraele ablati, ſucceſſiſſe creditur. Verum quia etiam in V. T. locum interdum habuiſſe traditur, & Job. IV, 16. ac maxime 1 Reg. XIX, 11. huc refertur, præterea Paraphraſtes Chaldæus ejus jam ad Num. XXI, 27. & Deut. XXVIII, 15. meminit, & R. SALOMO IARCHI *ad* 1 *Sam. I,* 23. illam, de nativitate & meritis Samuelis vaticinantem; *ad* 1 *Sam. XII,* 5. rurſus *ad* 1 *Sam. XX,* 16. ubi diviſio regni Davidi prænunciabatur, ſic *ad* 2 *Sam. XXI,* 6. et Cod. Talm. *Jevammoth fol.* 79. *col.* 1. item *ad* 1 *Reg. III,* 27. allegat; hinc longe altius alii aſſurgunt, in quibus DRVSIVS illam reſpectu Vrim & Thummim, quæ erat vox ex propitiatorio miſſa, dici exiſtimat, quod in illius locum ſucceſſit, & iccirco *filia* ſive *ſucceſſor vocis* dicatur. In quali conſtiterit ſono? &, quomodo ſeſe habuerit? varie rurſus diſputatur. Mihi hæc ſe maxime probat explicatio: quia קול nomini Jehovæ juncta, in Scripturis *tonitru* notat Pſal. XXIX. & alias, Deusque per tonitrua & fulgura majeſtatem ſuam ac præſentiam ſæpe manifeſtare volebat, Exod. XIX, 16. Pſal. LXXXI, 8. hinc, quando poſt tonitru audiebatur vox aliqua, quæ ut Echo aures feriebat, vocabatur בת קול *filia vocis*, quia vocis repercuſſæ inſtar habebat. Quando tonitru, nulla alia voce aut repercuſſione comitatum, audiebatur, קול ſimpliciter erat, at vero quando ſubmiſſa vox, inſtar Echo poſt tonitru inſonabat, tum בת קול cenſebatur: quod dilucide ex Joh. XII, 28, 29. Act. IX, 3, 4. & Apoc. X, 3. intelligitur. Hanc itaque vocem vel compoſitam dixerim, quando præceſſit tonitru, vel ſimplicem, quando absque tonitru, articulata vox de cælo auditur, ut Matth. III, 17. XVII, 5. coll. 2 Petr. I, 17. Act. X, 13. XI, 7. ELIAS LEVITA poſt recenſitam communem Magiſtrorum ſententiam, ſubnectit: ובעלי הקבלה אומרים שהוא קול של מדה אחת הנקראת קול ואולי כן הוא: *Qui periti ſunt artis Cabbaliſticæ, dicunt, quod ſit vox cujusdam virtutis divinæ, quæ vocetur* קול*, & fortaſſis ita eſt.* Ita ignorantiam ſuam profitetur. Vera itaque & genuina Filia vocis, eſt ſpecies revelationis divinæ, a prophetica revelatione diſtincta, quæ aſſa voce de rebus, quas hominibus patefacere Deus inſtituerat, edebatur. *Illa in uſu erat durante Templo ſecundo,* ut P. FAGIVS *in Paraphraſ. Chald. Exod. XXVIII. circa fin.* commentatur, vel potius ſub auſpicia Novi Fœderis, *præludium & ſignificatio quædam veræ illius vocis divinæ ac cæleſtis, jamjam orbi imminentis ac revelandæ,* immo jam miſſæ, *quæ ſcilicet erat Jeſus Chriſtus, Dominus noſter ac Servator, cui & Bath Kol teſtimonium dabat Matth. III. & XVII. item Joh. XII.* Atque ſic ad earum originem delabimur & auctoritatem, quam prorſus omnem proſcribit & conculcat LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad Matth. III,* 17. *Tom. II. Opp. p.* 275 *ſq.* & hanc vocem partim pro fabulis habet Judaicis, partim pro præſtigiis Diabolicis. In eandem pedibus incedit ſententiam DAV. KNIBBE *Hiſt. Prophet. lib. II. cap.* 6. §. 10. *p.* 353. & recentiſſime MVNSTERVS, auctor diſputationis, ſub præſidio DANZII anno 1716. Jenæ, *de Filia vocis, nefanda divinæ æmula* editæ, §. 27. *p.* 47. Velut autem Pſeudo-Prophetarum impoſturæ ac fraudes non omnem evertebant, etiam genuinorum Dei internunciorum

ac

ac vatum revelationem ac vaticinandi facultatem, ita nec Judæorum hinc impiæ, hinc ridiculæ de Bath Kol traditiones, revelationem omnem, distincta voce editam, in dubium plane adducunt aut e medio tollunt. Elumbe ſane contra illam argumentum ſtruit LIGHTFOOTUS, vir cetera in ſuo genere ſummus, quando: *credamne ego,* inquit, *Deum populo, tam dira apoſtaſia laboranti, ita indulgentem, ut e cælo cum iis familiariter colloqui dignaretur, atque iis oracula tam ſublimia exhibere, tamque frequentia, ut non paria Prophetis?* Atqui vero Deus populo, tam dira apoſtaſia laboranti, adeo ſe indulgentem præbuit, eidem ut Filium ſuum, humana carne indutum, mitteret, qui integro triennio & verbis ſuaviſſimis ac ponderoſiſſimis, & prodigiis ac miraculis plane inſignibus, gratiam ac regnum Dei offerret. Nonne hoc multo ſublimius quid & majus erat omni prophetica revelatione? Præterea animadvertas quoque, celebriores vix ullos in V. T. ad populum Dei miſſos fuiſſe Prophetas, quam Eliam ac Eliſam, cum in exulceratiſſima prolapſum eſſet regnum Iſrael tempora. Plane aberrat hæc collectio a divina œconomia, quæ perditiſſimis hominibus interdum maximas indulget bonitatis & clementiæ divinæ divitias, Rom. II, 4 ſqq. Ea tamen propter non Judæorum adoptamus nænias. Inſanus ſit, nec Chriſtiano nomine dignus, qui fabularum de Bath Kol patrocinium ſuſceperit, easque tueri aut pro veris obtrudere fuerit auſus. Recte obſervavit Vir Celeberr. D. DANZIUS, in præmiſſa diſputationi laudatæ ad Reſpondentem epiſtola, Judæos tot Filias vocis de cælo, vel monte Horeb, aut Sanctiſſimo templi Hieroſolymitani, vel etiam aliunde intonantes finxiſſe, *non alio fine, quam ut efficaciam vocis cæleſtis ad Chriſti baptiſmum, & glorificationem in monte excelſo peractam, cælitus delapſæ, eumque Dei Filium proclamantis, infringant, omnique privent auctoritate. Quaſi res foret quotidiana, nullius momenti, ad quam nemo mortalium attendere debeat: nedum, ut fidem adhibeat iis, quæ voce hujusmodi promulgantur, quoties ſuis parum conveniant dogmatibus.* Talmudica enim בת קול nunc Deo indigna tradit, ut in Cod. *Berachot fol.* 3. *col.* 1. ubi Dei nomine, de vaſtato Templo & populi exilio, conqueſta legitur, & in *Megilla fol.* 3. *col.* 1. ubi cum Jonathane Vzielide de translatione Chaldaica expoſtulavit; nunc ad dirimendas lites, inter doctores Schammæanos & Hillelianos, audita perhibetur, licet utrorumque verba ſint Dei viventis, ſtandum tamen eſſe effatis Hillelianis, in Cod. *Erubhin fol.* 13. *col.* 2. & *Berachot fol.* 51. *col.* 2. *circa fin.*; nunc non veritatis cauſa, ſed tantum ad honorem hujus vel illius Rabbini conſervandum, egreſſa fertur, v. g. in confirmationem ſententiæ R. ELIESARIS in *Bava Mezia fol.* 59. *col.* 2. & in honorem R. PERIDAE in *Erubhin f.* 54. *col.* 2. cumprimis quando illa, totum mundum propter R. CHANINAM nutriri publicavit, in *Taanith fol.* 24. *col.* 2. nunc incredibilia & fabuloſa pro certis v. g. de diſtantia cæli a terra, in Cod. *Peſachim fol.* 94. *col.* 1. prodit: unde Rabbini ipſi interdum ad Filiam vocis attendendum eſſe negant in *Bava Mezia fol.* 59. *col.* 2. Iſta quidem omnia, & his ſimilia, ad nugas referimus Judæorum; nihil tamen impediunt, quo minus vere quoque interdum divinitus audita vox fuerit, quam teſtimonia N. T. ſupra citata abunde confirmant, nec video, quid obſtet, quo minus iſtud revelationis divinæ genus Filiam vocis vocare poſſimus. Removeatur abuſus, & res ipſa, idoneis aſſerta teſtibus, in ſalvo ponatur. Sed, qui plura de illa cupit, adeat præter laudatam diſputationem, BUXTORF. *Lex. Talmud. voce* בת *p.* 320. HOTTINGER. *Theſ. Philol. p.* 509. LIGHTFOOT. *cit. loc.* GALAEUM *Diſſertat. de Sibyllis p.* 237 *ſq.* WITSIUM *Miſcell. Sacr. Tom. I. p.* 17 *ſq.* DAV. KNIBBE *Hiſt. Prophet. lib. II. cap.* 6. §. 8. *p.* 350 *ſqq.* NIC. GÜRTLER. *Syſt. Theol. Prophet. cap. II. pag.* 26 *ſq.* IOH. BENED. CARPZOV. *Notis ad Schickardi Jus Regium cap. I. Theor.* 2. *pag.* 23. Cumque de ea diligenter & cum cura ſe acturum ad Maſſechet *Purim*, pollicitus ſit nunquam ſatis laudandus Præceptor quondam noſter, magnus WAGENSEILIUS *in Sota p.* 1071. ex animo

mo dolemus, insignem illum in Purim Commentarium, quem ad umbilicum se perduxisse plus vice simplici memorantem audivimus virum summum, post ejus tamen fata disparuisse, nec ab heredibus inter λείψανα fuisse repertum.

Ad §. XXIV. pag. 42.

(35) *Qui verificetur prophetia Haggai cap. II, 9.*] Vt Templi posterioris præ priori dignitas & eminentia plane intelligatur, cum dicti sensus ex contextu eruendus, tum subnectendæ vindiciæ sunt adversus Judæos. Postquam Propheta, surgente templi ædificio, senes illos advocasset, qui prius templum viderant, & hoc, quod exstruebatur, nullius instar esse pronunciasset, indeque acerbissimus optimorum virorum luctus obortus fuisset, tandem ut eos solaretur, Haggæus fore prænunciat, ut Templum, quod jam vilissimum in oculis adspicientium compareret, ad splendorem maximum, gloriamque summam emergat, priusque Salomoneum multis post se parasangis relinquat. Hoc ut evincat, 1) magnificum præmittit exordium, dum brevi cælum ac terram, mare & continentem, signis undique conspicuis commovenda prædicit; 2) fore enim, ut in hac perturbatione gentes quoque, ex omni terrarum angulo, plurimum commoveantur, atque tum חמדת כל הגוים *desiderium omnium gentium* exhibeatur: de qua commotione LVDOVIC. CHRIST. MIEGIVS, disput. *de venturo, post commotiones externas, internas, desiderio gentium Hagg. II, 6, 7.* copiose commentatus est, quæque in laudato *Thesauro novo Tom. I. p.* 1076. inserta legitur: 3) tum itaque gloriam, in hoc ipso, quod modo erigebatur, Templo orituram, ומליתי את הבית הזה כבוד *& hanc ipsam domum gloria implebo,* per memoratum desideratissimi omnium gentium solatii adventum: 4) hanc vero gloriam auri & argenti fulgore, pondere & copia, non absolvi, quæ quidem sint in manu Dei, sed viliora, quam quæ splendorem huic domo concilient vers. 9: 5) longe quippe majorem posterioris hujus Templi gloriam futuram, præ priori, quod auro & gemmis abundabat, גדול כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון dum eum in carne exciperet manifestatum, in quo omnis gloria, felicitas, & dignitas sit, δόξα, ὡς μονογενοῦς παρὰ πατρὸς (Joh. I, 14.) immo in quo κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς (Col. II, 9.) unde 6) pax spiritualis per universam diffundatur Ecclesiam, ובמקום הזה אתן שלום. Ne enim temporalis intelligatur, eventus obstat, cum pax in Templo posteriori fere nulla fuerit, certe non perpetua & constans. Spiritualem autem, שר שלום *princeps pacis,* cælestis Salomo, erat allaturus Jes. IX, 6. Psalm. LXXII, 7. Vnde liquido constat, quod major hujus ædis gloria in eo consistat, quod ille sit adventurus, & αὐτοπροσώπως in illo docturus, qui spes erat ac desiderium omnium gentium; quam Messiæ circumscriptionem ipse quondam R. AKIBA, celebratissimus inter veteres Judæos doctor, teste Scholiasta *ad Sanhedrin cap.* II. agnovit & fassus est. Cum ergo prioris ædis dignitas in eo potissimum fuerit sita, quod suam Deus præsentiam symbolo visibili & externo, cum nubis & ignis, tum oraculi ad quæsita respondentis, in ea manifestaret; quid augustius & magnificentius de hac posteriori poterat prædici, quam veram & substantialem Filii Dei in carne revelati præsentiam præsto eidem futuram, quam tot seculis expectassent, tot votis ac suspiriis expetiissent? Hanc etenim Templo posteriori gloriam, ceu apicem omnis eminentiæ ac dignitatis, prænunciabat quoque posthæc Malachias cap. III, 1 sqq.

Judæi, ut lucem ac robur hujus vaticinii eludant, varie contra illud insurgunt. I. Ad tertium Templum, sub venturo Messia ædificandum, hoc testimonium spectare contendunt R. ISAAC ARAMA, ABARBENEL, aliique recentiores. Sed omnino contra Prophetam, qui הבית הזה hanc, quæ ob oculos versabatur, ædem exserto velut digito monstrabat, quam struebat Zorobabel, Judæi tanquam nihili habebant, seniores deflebant. Immediatam quippe &

& luculentam inter Templum hoc Zorobabelium, הבית הזה האחרון / & inter prius Solomoneum oppositionem instituit Haggæus, & huic quidem externæ, illi autem spiritualis & internæ gloriæ majorem attribuit gradum.

II. De Herodiani Templi magnificentia oraculum exponit R. SALOMO BEN MELECH in מכלל יופי *ad h. l.* præeunte Talmude in loco mox citando. Verum *α*) refragatur textus, qui de eo agit Templo, in quo pacem Deus sit daturus. Ast sub Herodiano Templo, neque pacem Judæi, neque libertatem habuerunt, sed stragibus, minis, variisque concussionibus, tum ab Herode, ejusque progenie, tum a Romanis Judææ Præfectis misere fuere divexati. Velut ergo pacem spiritualem, ita spiritualem quoque gloriam divinus vates canit, quam splendore externo Herodes huic ædi conciliare non poterat. Sed & *β*) Herodianum omnino Templum erat, quod suo Messias adventu & præsentia illustrabat. Hinc vero spiritualis redundabat gloria, quæ ad omnes sese diffunderet gentes, eapropter commovendas.

III. De duratione Templi posterioris hanc gloriam intelligendam cupiunt Talmudici, qui in Cod. *Baba Bathra cap. I. fol.* 3. *col. a.* ita tradunt: *Major erit gloria domus hujus præ priori: disputatum ea de re inter* RAF *&* SAMUELEM; *seu, ut volunt alii, inter* R. IOCHANAN, *&* R. ELIESEREM; *ille gloriosius fore* בבנין *in structura: hic* בשנים *in annis*, seu duratione statuit. Eodem provocat SAL. BEN MELECH *cit. loc.* qui ex Scholiaste in cit. loc. Talmud. prodit, *prius* 410 *annis* solum, *posterius* 420 *stetisse*. Sed ipse R. ISAAC *in Chissuk Emunah* hoc argumentum explodit: *Horum sententiæ*, inquiens, *obstat, quod Scriptura non ait, amplior erit fabrica hujus domus, aut duratio hujus domus, verum*, major futura est gloria domus hujus: *nec enim, quod domus postrema annis decem diutius stetit quam domus prima, ea tanta gloria erat, ut Propheta ideo in ea verba erumperet, quæ expressit. Amplius, si maxime domus secunda sæculo integro diutius stetisset, quam domus prima, atque etiam structura ejus duplo fuisset magnificentior præ Templo priore, quomodo eam ob causam Scriptura dicere potuisset, majorem futuram gloriam posterioris domus præ priore? cum gloria, quæ in Templo priore habitaverat, non habitarit in secunda?* quæ hactenus recte se habent. Decennii enim discrepantia tanti non erat, ut Deus cælum, terram, mare, aridum commoturus prædiceretur. Sed nec recte calculus subducitur, cum & ipsum Salomonis Templum, 420, immo 427 annis stetisse, SCALIGER & CALVISIUS probatum dederint.

IV. Absurdus denique est R. ASARIAS in *Meor Enajim fol.* 160. quando Templi secundi gloriam in eo collocat, quod reges exteri, Persæ & Medi, sacrificiis & oblationibus suis illud honorarint, tum & inprimis Alexander M. cum omnes gentes armorum suorum strepitu commovisset, Hierosolymam veniens pacem eo attulerit, Templo ac Pontifici honorem exhibuerit. Hinc Alexandrum *desiderium Gentium* esse perhibet. Velut autem priori Templo rex Tyri, regina Arabiæ, aliique exteri thesauros suos obtulerunt, ita, quod sæpius jam monuimus, non in externo, sed spirituali ac interno splendore, gloria Templi ponenda est. Quo autem jure Alexander M. desiderium gentium audiat, qui earum potius exitium, & Dei inter illas flagellum dici mereatur, & quem *infortunium hominum* Arabes appellant? Confer post MARCKIUM, aliosque in h. l. Commentatores, IOH. FRID. MIEGIUM *de gloria Templi secundi*, in *Thesauro Novo T. I. p.* 1071. IAC. GUSSETIUM *adverf. Chissuk Emunah P. I. cap.* 34. *p.* 233. IOH. HILPERTUM, Sanctæ Linguæ Prof. Publ. Helmstadiensem, in disput. *de gloria posterioris Templi*, Helmstadii An. 1653. ventilata, & HIERON. WIGAND BIEL disp. *de Templi posterioris præ priori gloria*, Vitemb. An. 1715. publicata.

Ad §. XXV. pag. 42.

(36) *Nec unquam cum Hierosolymitano restaurari potuit*] Postrema Templi eversio, quia

quia cum Romano Vrbis excidio conjuncta, a multis tradita, & in vulgus nota, concise descripta legitur ab HERMANNO WITSIO in elegantissima Hierosolymorum historia, *P. II. Miscell. Sacr. Exerc. XI.* §. 75. cui nihil est, quod addamus. De prohibita tamen restauratione hæc repeti merentur. IVLIANVS Apostata, ut & ægre faceret Christianis, & vaticinia Christi de nunquam instaurando Templo Hierosolymitano mendacii convinceret, Judæis Templum ædificandi non copiam modo fecit, sed mandato etiam injunxit, sumtus operi ex publico præberi jubens. Inter hæc vero, dum rebellis turba fundamenta jacere molitur, noctu ingens terræ motus exortus, lapides ex veteris Templi ruinis avulsos sursum excussit, & cunctos una cum contiguis ædificiis disperdit. Terror ex eo non mediocris invasit Judæos; famaque ejus miraculi plures exciti, ex longinquis regionibus eo loci convenere. Hinc aliud accidisse fertur prodigium, testibus quamplurimis confirmatum. Ignis enim cælitus demissus cuncta opificum instrumenta consumsit. Itaque cernere erat, malleos, scalpra, serras, secures, ascias, cuncta denique ad opus faciendum necessaria, flammis absumi. Et ignis quidem toto die hæc omnia depascebatur. At cum ne sic quidem ab instituto desisterent, tertium successit miraculum: quippe sequenti nocte *σφραγῖδες σαυρῦ ἀκτινοειδεῖς signa crucis radiantia* in illorum vestibus impressa apparuerunt, quæ orto die conspicati, frustra abstergere aut eluere conabantur. Sic Templum, quod moliebantur reficere, funditus eversum est. Testes rei, non Christiani modo sunt, SOCRATES *lib. III. Histor. Eccles. cap.* 20. SOZOMENVS *lib. V. XXI.* CHRYSOSTOMVS *Orat.* 3. *contra Judæos*, GREGORIVS NAZIANZENVS, Imperatori *σύγχρονος Orat. II. invectiva*, sed & e Judæis R. DAVID GANZ in *Zemach David P. II. fol.* 36. *num.* 368. & ex Gentilibus AMMIANVS MARCELLINVS *lib. XXIII.* non longe ab initio. Horum fide fusius ea exponunt laudatus WITSIVS *Exerc. XII.* §. 32. *p.* 374. OSIANDER *Hist. Eccles. Cent. IV. p.* 342. BASNAGE *lib. VI. Hist. Jud. cap. XIV. Tom. IV. pag.* 1257 *sqq.* Seculo sequente A. 530. IVSTINIAN. Imperator spendidissimum Templum Hierosolymis Virgini Deiparæ exstruxit, quod PROCOPIVS *de ædific. Justin. Orat. V.* copiose persequitur: eandem tamen cum Judaico Templo obtinuisse sedem, non perhibet. Contra vero A. C. 636. Hierosolyma post biennii obsidionem a Saracenis capta, Homar, a Muhammete tertius, eodem in loco, ubi Templum a Tito dirutum fuerat, Muhammeticæ religionis fanum ædificari jussit. Quod feliciter, ex animi sententia consummatum, opulentis possessionibus ditavit, ut ad sarta tecta conservanda, ad luminaria ceterumque cultum abunde semper esset. Extant vero in eodem Templi ædificio, intus & foris, ex opere Musaico Arabici idiomatis literarum vetustissima monimenta, quæ illius temporis esse creduntur, quibus & auctor, & impensæ, & cœpti absolutique operis tempus, declaratur. WITSIVS §. 39. *pag.* 380. & recentissime SIMON OCKLEY *Hist. expugnationis Syriæ P. I. in vita Omar Alwakidi* edit. Belgicæ *p.* 254 *sq.* Confer etiam EVTYCHII *Annal. Tom. II. p.* 287. Quomodo autem pœnitentia ductus Deus, lacrimetur, & super se exclamet Væ! quod permiserit vastationem Templi, ex Judæorum testimoniis prodit, & refellit GEORG. ELIEZ. EDZARDVS *in Berachoth cap. I. Not.* 10. *p.* 152 *sqq.*

AD

AD

LIB. II. CAPVT II.

DE SYNAGOGIS, SCHOLIS, ΠΡΟΣΕΥΧΑΙΣ.

Ad §. I. pag. 42.

Vocabulum Synagoga] Vox *συναγωγὴ* eſt *ἀπὸ τȣ̃ συνάγειν*, *congregare*, *colligere*, & apud ATHENAEVM quidem & HESYCHIVM, in ſtrictiori ſignificatu accipitur, ut *συνάγειν* ſit *τὸ μετ᾽ ἀλλήλων πίνειν*, *invicem compotare*, & *συναγώγιον* ſit *τὸ συμπόσιον*, *convivium*. Aſt apud alios auctores latius patet, ut *συνάγειν* idem ſit ac *συναθροίζειν* *aggregare*, *congregare in unum*, & *συναγωγὴ* notet *πάντα συναθροισμὸν*, *omnem congregationem & coacervationem plurium* in unum, quo ſpectat Auctoris noſtri generalis vocis explicatio. Denique apud auctores Græcos ſpecialiter, omnis hominum cœtus, qui ex inſtituto eſt, ſive judiciorum, ſive publici conſilii, ſive rerum ſacrarum gratia, hoc nomine venit. Præterea obſervatur, τȣ̀ς LXX ita inſtituiſſe, ut Hebræam vocem עדה per *συναγωγὴν* transferrent, paucis Textibus exceptis. עדה autem deducta vox *ἀπὸ τȣ̃* יע[illegible] *condicere*, *convenire facere*, qualemcunque notat hominum cœtum aut congregationem, ſive totius multitudinis ſive partis illius. Immo, non hominum tantum, verum etiam animantium. Jud. XIII, 8. examen apum in cadavere leonis dicitur עדת דבורים, *τοῖς* LXX *συναγωγὴ μελισσῶν*. De hominum tamen ad ſe accedentium conventibus proprie & ordinario uſurpatur hoc vocabulum, aſt ita, ut nulla habeatur ratio conditionis hujus conventus, ſitne bonus an malus, ſacer an civilis. Sane David Pſalm. XXII, 17. meminit עדת מרעים *συναγωγῆς πονηρευομένων*, *ſocietatis malignantium*, & Moſes factionem Coræ, Dathan & Abiram diſerte vocat עדת הנועדים על יהוה *cœtum eorum, qui conſpiraverant contra Jehovam*, Num. XXIII, 3. Falſus autem omnino eſt in eo AVGVSTINVS, quando *in enarrat. Pſalmi LXXX.* congregationem Judæorum ſolum vult Synagogam dici, Chriſtianorum vero Eccleſiam, & *in Pſal. LXXVII.* ſcribit: *noſtram Apoſtoli nunquam dixerunt Synagogam, ſed ſemper Eccleſiam.* Evolvat Jac. II, 2. ubi Chriſtianorum cœtum *συναγωγὴν* vocat. Et Patrum, in eadem notione vocem uſurpantium, IGNATII cumprimis & CLEMENTIS ALEXANDRINI teſtimonia, exhibuit SVICERVS *Theſauro Eccleſ. h. v. p.* 1106. Apud Rabbinos, quod Græce dicitur *συναγωγὴ*, exponitur per קהל & קהילה / inter quæ tamen aliquid intercedere diſcriminis obſervat ELIAS LEVITA *in Tisbi* v. קהל / ut קהל idem valeat ac צבור congregatio populi, cœtus, Eccleſia, קהילה vero urbem deſignet; in qua commoratur קהל ſeu Eccleſia. Quod vereor, ut uſu vocis comprobetur. Cum enim in titulis librorum Rabbinicorum nihil frequentius legatur, quam בק״ק פארואה / ויניציא *in civitate ſancta Paduana, vel Venetiana*, certum eſt, Judæos non urbem Chriſtianam ſanctitatis ornare elogio, ſed cœtum ſuum ibi habitantem. De vocibus קהל & עדה commentantem lege CAMP. VITRINGAM *de Synagoga vet. lib. I. P. I. cap. I. p.* 78 *ſqq.* qui porro *cap. IV. p.* 116. ſollicite inculcat, paria cum illis facere vocem כניסה / כנסת & כנסיא / ita tamen, ut כניסה multitudinem collectam in unum, conventum ſacrum, aſt בית הכניסה & in Plur. בתי כנסיות domum congregationis, ſeu loca ſtata notet, in quæ convenire ſolent ad ſacra facienda. His accedit tertia vocis Synagogæ notatio, quam ex creberrimo ſcriptorum Chriſtianorum uſu, ſcite obſervavit SAM. MARESIVS *Syllog. Diſput. Select. P. II. p.* 704. ubi ex inſtituto, ſed conciſe, de Synagogis agit, §. 9. ita inquiens: *Vt autem Synagoga in Scripturis, modo cœtum, modo locum ei deſtinatum ſonat, ita apud ſcriptores Eccleſiaſticos, ſæpe ſignificat gentem Judaicam, legalia ſectantem & profitentem, oppoſite ad Eccleſiam Chri-*

ſtianam,

stianam; quæ fruitur luce Evangelii; haud plane absimili modo, quo Paulus Gal. IV, 22. & sqq. opponit montem Sinai veræ Sioni, Agarem Saræ, & Hierusalem terrestrem cælesti. Huc facit inter Opera AVGVSTINI *Tomo VI. libellus elegans, quem tamen negant eruditi, Augustinianum esse, qui inscribitur: De altercatione Ecclesiæ & Synagogæ.* Verum ista vocis significatio hujus loci non est.

Ad §. II. pag. 42.

(2) *Tempus, quo cœperint Synagogæ*] Obscuram & implicatam de Synagogarum origine disquisitionem operose instituit laudatus VITRINGA *c. l. lib. I. P. II. tota p.* 271 *sqq.* Nos distinguendum censemus inter locum statum conventus publici ad sacra peragenda, & inter Synagogas Judaicas presse dictas. Ille sane ab ortu Ecclesiæ & propagati generis humani arcessendus est, atque eo spectat testimonium Gen. IV, 26. *tunc cœptum est invocari nomen Jehovæ,* scil. in solenni cœtu, cum hactenus sacris domesticis Patres familias fuerint contenti; nec dubium, quin Abraham & ceteri Patriarchæ certum destinarent locum, sacris publice peragendis, quod haud obscure proditur Gen. XIII, 18. donec exstrueretur jussu divino tabernaculum in deserto. Verum loca ista non erant proprie dictæ Synagogæ Judæorum. Istas enim necesse est ad ea solum referas tempora, quibus locus solennis & status sacrorum, primo Tabernaculum, postea Templum jam esset exstructum. Quando autem, post occupatam & sorte divisam terram promissionis, tribus Ruben, Gad & Manasse, in partibus trans-Jordanensibus suas repetebant sedes, nec sacra publica in tentorio conventus cis Jordanem aliter posthæc frequentabant, nisi diebus festis, ea ut supplerent, in ditionibus suis, oppidatim haud dubie consecrabant loca stata, in quibus singulis Sabbathis ad lectionem legis populus conflueret, & communes funderet preces. Oratoria certe erant, in quibus populus vacabat sacris & e verbo Dei erudiebatur: quæ si Synagogas dixeris, sat antiqua earum erit origo. Huc spectant etiam posteris temporibus loca illa, in quibus, post scissionem regni Israelitici, pii Israelitæ μοσχολατρείαν Jerobeamicam detestantes, cum Hierosolymas ad sacra facienda tendere, Regum tyrannide prohiberentur, Sabbathis & noviluniis coibant in cœtum, ut sincera divini cultus & mysteriorum doctrina a Prophetis imbuerentur; quo fine captivus quoque populus ad Ezechielem conveniebat cap. XXXIII, 30 sq. Acroateria ista interdum eadem cum Scholis Prophetarum & Gymnasiis, interdum alia ab iis, & distincta erant; ut paulo post videbimus. Bene quidem memini, Virum apprime doctum & in hac inquisitione valde sollicitum, CAMP. VITRINGAM *toto cap. IX. p.* 380. id agere, ut Synagogas sub Regibus Judæis, usque ad captivitatem Babylonicam, cognitas & receptas fuisse neget, *cap. XII.* autem, *p.* 413. in eo esse, ut demonstret, post reductionem Judæorum ex captivitate Babylonica, Synagogas in Canaane natas esse, tempore tamen incerto: sed nimis anguste ille Synagogarum nomenclaturam coarctat, perpetuo ac moderno quoque illarum usu reclamante. Certe IOH. MARCKIVS *Sylloges Dissert. in N. T. Exerc. XVI. p.* 447. in locum, ex Actis mox citandum, ex instituto inquirens, Synagogarum ortum *ad tempora quæque post Mosen prima* refert §. *VII. p.* 455. *quibus ejus Pentateuchum nacti, per urbes a Cananæis occupatas habitarunt Judæi, & Sabbata sua observarunt, & iisdem conventus sacros in locis ad hos aptis habuerunt:* rursusque §. *XI. p.* 462. novem argumenta, quæ pro recentiori origine Synagogarum adducuntur, solide refellit, totumque istud latifundium haud proletaria opera exhaurit.

Testimonium Act. XV, 21. ab Auctore in partes vocatum, abunde quidem docet, Synagogas, ea certe tempestate, multorum jam sæculorum ætatem tulisse, temporis tamen articulum, quo cœperunt, in medio relinquit. Recte de eo VITRINGA *p.* 272. pronunciat: *Dubium tamen hactenus manet, a quo tempore hæ γενεαὶ ἀρχαῖαι*

ἀρχαίαι, antiquæ ætates initium ducant, si ad earum primum principium respicias. *De eo enim in sanctis literis & profanis nihil ita accurate definitum est, ut absque sollicita hæsitatione, & metu pænitentiæ possis respondere.*

Alterum ex Psal. LXXIV, 8. testimonium VITRINGA *Cap. X. p.* 396. sub incudem vocans, haud gravatim largitur, post AQVILAM, qui h. l. כל מועדי אל per *πάσας τὰς συναγωγὰς ἰσχυρῦ* reddidit, viros doctos, DIODATVM, *Belgas*, COCCEIVM, LVTHERVM, & inprimis FVLLERVM, disertam Synagogarum mentionem hic deprehendisse, ipse tamen *θέσιν φυλάττειν* cupidus, *p.* 403. primo quidem cum ABEN ESRA & IARCHIO de Templo, ejusque variis conclavibus interpretatur: *Licebit igitur*, inquit, *per* כל מועדי אל omnia loca conventus Dei, *intelligere augustissimum Templum, cum splendidissimis atriis, & magnificis structuris exedrarum, ut a Salomone ingentibus sumtibus paratum est. Hæc erant* מועדי אל בארץ loca conventus in terra Canaan, *quippe quibus Deus se præsentem exhibebat populo suo:* posthæc vero sensum vocum longius extendens, per מועד אל talem locum hic denotari censet, in quo Deus se singulari modo solitus erat manifestare. Hujusmodi autem loca fuisse, in quibus Deus Patriarchis aliisque sanctis viris, etiam extra Tabernaculum apparuit, & in quibus titulum, sive altare ponere, usu erat receptum, quo prætereuntes commonefierent, ibi potius Deum adorare quam alibi. *Atque hæc loca omnino intelligi posse censeo per* מועדי אל *loca conventus Dei*, concludit. Verum, quam frigida, quam aliena, quam peregrina hæc sint omnia, quis non primo statim intuitu intelligit? De vastatione eorum locorum Psaltes conqueritur, in quibus ordinarie congregationes sacræ instituebantur. Quis autem vel fando accepit, in loco v. g. ubi Jacob cippum posuit Bethele, & posthæc altare struxit, vel ubi Moses, post devictos Amalekitas, aram erexit, vel ubi Gideon suum struxit altare &c. posthæc confluxisse populum, ut faceret sacra? Necesse ergo est, ut Synagogas cogitemus. Postquam enim vers. præc. 7. מקדש Sanctuarium Dei, & משכן habitaculum nominis Ipsius, igne combustum deplorasset David, nunc ad reliqua מועדי אל *loca publica cultus divini*, & quidem בארץ *in tota terra* Israelis progreditur; quæ erant Synagogæ. Hinc Anglicana quoque translatio, Synagogarum vocem adhibuit. Vide SIMEON. DE MVIS *in hunc locum.*

Ad §. III. pag. 43.

(3) *Continebat* 480 *Synagogas*] Ita diserte Talm. Hierosol. Cod. *Megilla ad cap. III. fol.* 73. *col.* 4. ארבע מאות ושמונים בתי כנסיות היו בירושלים *quadringenta & octoginta Synagogæ fuerunt Hierosolymis.* Alibi quidem Talm. Babyl. Cod. *Cetuvoth fol.* 105. *col.* 1. numerus variat, magnus tamen ubique, & fidem excedens. VITRINGA *Proleg. cap.* 4. *p.* 28. ita componit, quod, cum Hierosolyma non minus esset sapientiæ sedes, quam gentis metropolis, plura ibidem, satis magno numero extructa fuerint Gymnasia, quæ adjunctam sibi habuerint Synagogam, in qua תלמידים *Scholares*, unius quidem gentis, sed diversis oriundi locis, cum popularibus suis, si qui forte adesse cuperent, sacra sua matutina & vespertina celebrarunt. Nec mirum, tot Hierosolymis tribui Synagogas, cum in urbe Bitter, quæ celeberrimam, post excidium Vrbis, Academiam complectebatur, 400 memorentur Synagogæ & velut Collegia, quæ sub Hadriano, in cruenta Vrbis vastatione, omnes fuerint eversæ, de quibus legere est in Cod. *Gittin fol.* 58. *col.* 1.

Ad §. IV. pag. 43.

(4) *Dicitur συναγωγὴ Λιβερτίνων Act. VI,* 9.] Operose in hunc locum commentatur VITRINGA *lib. I. P. I. cap. XIV. p.* 253 *sqq.* ubi tria expedire satagit: 1) An tot Synagogæ, quot hic memorantur gentium nomina, an vero unica tantum hic indigitetur Synagoga, Libertinorum nimirum, qui Libertini e Cyrenaica, Alexandria,

Cilicia & Asia originem traxerint? ubi prius contra SELDENUM tuetur, quia copula καὶ posteriori interpretationi obicem ponit: 2) Utrum Synagogæ stricte sic dictæ, seu Oratoria intelligantur, an Gymnasia integra & Academiæ? ubi posterius amplectitur, tum quia Judæi, Synagogis singulis Hierosolymitanis junctam fuisse tradunt בית מדרש *Academiam*, tum quia adversarii, cum Stephano congressi, ex disciplina scholastica potius prodiisse censendi sunt, quam simpliciter ex Synagoga: 3) Quinam sint illi Libertini, quorum Synagoga hic recensetur? ubi Libertinos gentem notare negat, libertos autem proprie dictos designare statuit, qui e servitute manumissi erant in libertatem. Hos, cum HUG. GROTIO, fuisse existimat Judæos origine, qui in Italia, aut Romæ, Gentilium servitiis addicti, & ab illis libertate donati erant, & cum iis libertos Romanos aut Italos, Judaismo, ut Proselytos justitiæ initiatos. Probat sententiam α) ex nomine Λιβερτίνος, a Luca adhibito: β) ex combinatione horum cum Alexandrinis, Asianis, Cyrenæis, Cilicibus, quos constat omnes fuisse Judææ gentis homines, sed extra Judæam oriundos, vel habitantes, qui tamen sua Hierosolymis habuerunt Gymnasia. His juncti Libertini, ejusdem cum illis generis fuisse censentur, manumissi Romani vel Itali, qui tamen, etsi procul abessent, charitatem religionis hoc certo demonstrare voluerunt argumento, ut Gymnasium sui nominis Hierosolymis haberent: γ) ex testimoniis PHILONIS, IOSEPHI, TACITI, qui ejusmodi Libertinorum Romanorum exertam faciunt mentionem. Eandem tenet sententiam FRID. SPANHEMIUS *Miscellan. Sacræ Antiquitat. lib. III. Tom. II. Opp. fol.* 320. qui tamen posthæc, nimis indulgens ingenio, in Textu mavult legi Λιβυστίνων, non de Libyis Africanis, sed de Judæis intelligens, qui Iberiam, Colchidem ac vicina loca frequentes incolerent, quibusque esset sua Hierosolymis Synagoga. Quam tamen in Textum licentiam, etiam in IAC. GOTHOFREDO *in Cod. Theodos. Tom. III. p.* 221. castigavit b. WOLFIUS *Curis Philol. in h. l.* ipse VITRINGAE accedens, multasque recentiores alias in medium afferens, & rejiciens opiniones. Nobis ea se probat conjectura, non adeo multum a VITRINGAE mente deflectens, Libertinos fuisse posteros eorum, quos Pompejus M. Hierosolymis captis, in captivitatem abduxerat, quique postea ab heris suis fuerunt manumissi, & libertate donati. Hi, cum per suam, vel parentum aut majorum servitutem, viderentur excidisse jure & privilegiis civium Hierosolymitanorum, quibus solis Templum erat pro Synagoga, sibi suisque, sub Latino Libertinorum nomine, non immemores prioris suæ calamitatis, hanc specialem Synagogam exstruxerant, ut in eo vacarent, ritu patrio, cultui divino.

Ad §. V. pag. 43.

(5) *In aliis urbibus & tractibus terræ*] Immo vero, non in variis, sed & in omnibus oppidis, villis & locis, ubi plures Judæorum familiæ sedes suas fixerant, Synagogas quoque suas habuisse dixerim. Hinc, quando LIGHTFOOTUS *in Centur. Chorogr. Matthæo præmissa cap. XCVIII. num.* 3. rursusque *in Horis ad Marc. I,* 38. *n.* 2, 3. urbibus magnis saltem, vel munitis, Synagogas largitur, villis & pagis denegat, vehementer eo nomine vapulat IACOB. RHENFERDIO *Dissert. I. §. XVII. p.* 272 *sqq.* ubi tam villarum, quam oppidorum Synagogas luculentis evincit Judæorum testimoniis, quibus villarum Synagogas vendi posse, oppidorum vero, quia publicæ sint, nullo modo posse vendi, edicunt Magistri.

Ad §. & pag. eand.

(6) *Ubi saltem decem viri Israelitæ commorentur, opus sit Synagoga*] LIGHTFOOTUS *Hor. Hebr. ad Matth. IV,* 23. ubi *de Synagogis* commentatur, allegato MAIMONIDIS, quod Auctor noster pariter citat, testimonio, de י״ בטלנין *decem otiosis Synagogæ* ex instituto agit, eosque ita ordinat: *Tres* priores summum habue-

habuerunt imperium, & vocabantur בּ״ד של שלשה *conſeſſus triumviralis*, quorum erat, de litibus inter membra Synagogæ emergentibus determinare, & de rebus pecuniariis, furtis, damnis, reſtitutionibus, de virgine rapta, de homine virginem alliciente, de admiſſione Proſelytorum, χειροθεσία, variisque aliis, ſententiam ferre: iique erant Ἀρχισυνάγωγοι, qualis Jairus Marc. VI, 22. *Quartus* & *quintus* erant Profeſſor Theologiæ, ejusque Interpres. Singuli enim Doctores aſſignatum ſibi habebant Interpretem, cui ille ſubmiſſe & voce leni ſuſurrabat in aurem; quæ Interpres, clara voce, collegio vel populo in terra ſedenti, ediſſerebat: quo a quibusdam refertur locus Matth. X, 27. ὃ εἰς τὸ οὖς ἀκούετε, κηρύξατε ἐπὶ τῶν δωμάτων. *Sextus* fuit Miniſter Synagogæ publicus, שליח צבור *Nuncius Eccleſiæ*, ἄγγελος τῆς ἐκκλησίας, ut Apocal. II. & III. dictus: nec non חזן הכנסת *Epiſcopus congregationis*, quia ipſe non prælegit, adſtitit tamen legenti, ſumma cura obſervans, ne quid falſo aut incongrue legeretur, revocansque & corrigens, ſi quid lapſum: *Tres ſequentes* erant פרנסים διάκονοι, penes quos cura pauperum erat, ac eleemoſynarum, quas duo per civitatem colligebant, שני גבאי צדקה *duo exactores eleemoſynæ* dicti, tertius qui diſtribuebat. *Decimus* tandem Profeſſor linguarum, ſive תורגבין / qui vel ſingula verba e fontibus Hebræis populo exhibebat vernacula, vel aliquando etiam in Chaldaicam paraphraſin exſpaciabatur. Ita LIGHTFOOTUS, eumque ſecutus SAUBERTUS *Palæſtræ Theol. Philol. p.* 379 *ſq.* qui nonnulla, ab illo prætermiſſa, ſupplevit. Iſta vero anſam ſuppeditarunt controverſiæ, vergente ſuperiori ſæculo, in Belgio agitatæ. Cum enim CAMPEG. VITRINGA, Theologus Franequeranus, An. 1685. *Partem II. Obſervationum Sacrar.* ederet, in tractatu *de Archi-Synagogo* rejiciebat recenſitam LIGHTFOOTI decem otioſorum explicationem. Hunc itaque refutans Collega, IACOB. RHENFERDIUS in diſſertationibus ſuis *de X. otioſis Synagogæ*, Franequeræ editis A. 1686. non modo in iis, quæ communia cum LIGHTFOOTO habet, erraſſe VITRINGAM, verum novis etiam erroribus LIGHTFOOTI παροράματα cumulaſſe, tradebat. Reſpondit VITRINGA, edito A. 1687. libro ſingulari *de Decem Viris Otioſis, ad ſacra neceſſaria veteris Synagogæ curanda deputatis:* cui ſtatim anno ſequenti RHENFERDIUS reponebat *Specimen animadverſionum in V. Cl. Decemviros Otioſos.* Inde vero VITRINGAE, qui re curatius expenſa, nonnihil de ſua ſententia immutaverat, ſubnata eſt occaſio, doctiſſimum conſcribendi commentarium *de Synagoga vetere,* A. 1696. quem, in hoc cumprimis capite, non ſine inſigni emolumento, ubivis conſulimus. Sed, ut & audiatur altera pars, RHENFERDIUS *Diſſert. I. de X. Otioſis Synagogæ §. XX.* poſt coacervata Hebræorum omnia de hoc argumento teſtimonia, ſequentes inde elicit, & LIGHTFOOTO ac VITRINGAE opponit, concluſiones: א. Hos decem otioſos omnes ejusdem ordinis & dignitatis fuiſſe, eandem omnium rationem, idem officium, neque ulla ratione inter ſe diſtinctos: ב. Illos nulla negotia tractaſſe, artem nullam exercuiſſe, nihil denique egiſſe, quo ſibi victum quærerent, & familiam ſuſtentarent: ג. Fuiſſe addictos Synagogæ, in qua ſtatio illis aſſignata fuit, & ipſi munere ſuo functi ſunt, adeo ut extra illam, nihil illis agendum, curandumve eſſet: ד. Munus autem illorum nullum aliud fuiſſe, quam ut ſeſe quotidie, mane & veſperi, tempore precum in Synagoga præſentes ſiſterent, ad numerum denarium, qui legitimum demum cœtum conſtituit, conficiendum: ה. In ſpecie vero, debuiſſe primos & aſſiduos ſemper eſſe in Synagoga, ut ſimul alius quisquam etiam ſolus ingrederetur, legitimum cœtum inveniret, cum quo preces ſuas ad Deum funderet: ו. Fuiſſe autem Synagogæ ſtipendiarios, ſeu ære publico ad id conductos, & liberaliter ſuſtentatos: ז. Porro fuiſſe probos & pios homines, qui rebus omnibus relictis, precibus tantum, & lectioni Scripturarum vacarent: ח. Tandem denique, hos decem בטלנים fuiſſe proprios urbibus magnis, adeo ut in minoribus oppidis, pagisve non invenirentur. Hinc demum colligit Vir exactæ

actæ diligentiæ, nullum eorum, quos ex Judicibus, Ministris Synagogæ, Diaconis, Interpretibus, vel denique Professoribus, ad Decemviratum hunc supra protraxit LIGHTFOOTUS, numero בטלנים comprehendi, verum ab Otiosis istis longe fuisse distinctos. Nec diffitendum, potiores RHENFERDIO constare rationes, quam sequacibus LIGHTFOOTI, quas laudatis dissertationibus, quæ in ejusdem *Operibus Philologicis*, Trajecti ad Rhenum An. 1722. junctim editis, *p.* 254 *sqq.* recusæ leguntur, exposuit & solide confirmavit, iis ut omnino standum censeamus. Ultimas tamen VITRINGAE curas, in hos decem otiosos Synagogæ viros, prioribus castigatiores, lege in ejusdem *de Synag. Vet. Lib. II. cap. VI sqq. pag.* 530. Nobis his immorandum non est, nisi quod

I. ratio sit reddenda, propter quam decem isti ad Synagogam oppidanam requirantur? Nimirum, quod quasdam preces, quæ ad sanctificationem Nominis Divini pertinent, cujusmodi sunt *Kaddisch* & *Barechu*, absque numero decem hominum recitare non liceat, quia scriptum est: *Sanctificabor* בתוך *in medio filiorum Israel*, Lev. XXII, 32. Vox תוך *medium*, ajunt Magistri, ad congregationem cœtus spectat, notatque hic numerum denarium: nam id vocabulum alibi junctum reperitur cum voce עדה, quæ cœtum notat. Dicitur enim Num. XVI, 21. *separate vos* מתוך העדה הזאת *e medio hujus cœtus.* Cœtus vero עדה / notat homines numero decem, quia decem exploratores terræ Canaan, Josua & Calebo exemptis, vocantur עדה Num. XIV, 27, 28. Tot fidiculis opus erat, ut Scripturæ extorquerentur decem viri otiosi. Testimonia in re tam futili allegare supersedemus, cum eadem larga manu dederit VITRINGA *lib. I. P. I. cap. XII. p.* 234. Sed &

II. hinc colligimus, *cum*, quot millia otiosorum hominum una Hierosolymorum urbs, vel Bitter, vel alia paulo grandior, pro numero tot centenarum Synagogarum, aluerit, si unaquæque earum decem requisiverit: *tum*, quam immanes sumtus in cultum Judaicum fuerint impensi, tot sustentandis Sacerdotum, Levitarum, virorum stationariorum, otiosorum, aliorumque in Templi & Synagogarum ministerium necessariorum, familiis; ut decimas taceam, primitias, censum annuum sacrum, victimas porro cum statas, tum temporarias, ligna quoque comparanda, donaria & vota voluntaria, ceteraque id genus innumera, quæ in rem sacram conferebantur, ut haud paulo minoris constitisse videatur pretii, quam hodie cultus Pontificius, ubi vel maxime viget.

Ad §. VII. pag. 43.

(7) *In Synagogis mulieres separatæ a viris sunt*] Hæc in cultu publico reverentia, non Essenis modo usu erat recepta, de quibus PHILO *de Vita contemplativa p.* 691. exponit: τὸ δὲ κοινὸν τοῦτο σεμνεῖον, εἰς ὃ ταῖς ἑβδόμαις συνέρχονται, διπλοῦς ἐστι περίβολος. ὁ μὲν εἰς ἀνδρῶνα, ὁ δὲ εἰς γυναικωνῖτιν ἀποκριθείς. *Id commune sacrarium, in quo septimo quoque die conveniunt, septo clauditur duplici, separatis virorum & mulierum cœtibus* &c. Sed in quibusvis servabatur Judæorum Synagogis, ex lege veterum, quam ex Talmud. Cod. *Succa fol.* 51. *col.* 2. BUXTORFIUS *in Synag. Jud. cap. XIV. p.* 291 *sq.* his verbis allegat: *Peculiarem habent mulieres Ecclesiam, quæ a virorum Ecclesia clathratis fenestris separatur. Huic rei hanc in Talmude dant causam: olim convenisse viros & mulieres eodem in loco, ita ut mulieres in sedilibus ad parietes affixis sederent, viri in inferioribus: cum hinc variæ levitates orirentur, constituisse, ut mulieres interius, viri exterius essent; sed cum nec hac ratione fibula poni posset, ordinasse, ut mulieres exterius, viri intus congregarentur: cum ne sic quidem huic malo medelam afferri viderent, tandem hoc remedium invenerunt, ut mulieres seorsim, & viri seorsim orarent. Idque confirmarunt ex Propheta Zacharia* (cap. XII, 12-14.) *plangetque terra, familiæ singulæ seorsum: familia domus David seorsum, & mulieres eorum seorsum* &c. *nempe in separata & distincta Ecclesia; idque modestiæ, pudicitiæ & castitatis causa: facile enim in pravas incidunt cogitatio-*

gitationes, si omnes promiscue steterint. Agit nimirum Gemara de gaudio festi Tabernaculorum, & a minori argumentatur ad majus: quod si enim in planctu separatio virorum a mulieribus est necessaria, quo tempore tamen pravæ cupiditates hominibus minimum dominari solent, quanto magis eadem in lætitia erit necessaria, ubi pravæ libidines in homine utplurimum rerum potiuntur. Nec dubium, quin hodiernus Judæorum mos hinc fluxerit, porticibus Synagogas intus cingendi, quæ locum mulieribus, cultui sacro interesse cupientibus, a viris sejunctum præbent: de quo legatur LEO MVTINENSIS *de cerimoniis Judaicis cap. X.* §. 4.

Ad §. VIII. pag. 43.

(8) *Christus in iis docens consedit*] Testibus Evangelistis, Matthæo, cap. IV, 23. *obivit totam Galilæam Jesus*, διδάσκων ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν, καὶ κηρύσσων, *docens in Synagogis ipsorum & prædicans Evangelium regni.* Luca, IV, 16 sqq. de Synagoga Nazarethana, Johanne, VI, 59. de Capernaitica, idem affirmantibus. Cum enim ad docendum, quicunque eruditionis aliquam famam aut fiduciam habens, admitteretur, quod VITRINGA *de Synag. Vet. lib. III. P. I. cap. VII. p.* 725 *sq.* evicit, Christo celeberrimo doctori, qui tanta apud omnem populum & auctoritate, & gratia oris pollebat, denegare istud hostes ejus non debebant, quantumvis Magistri axioma, per χειροθεσίαν Doctorum Judaicorum, non esset consecutus. Hinc non in Synagogis modo, verum etiam in Templo se docuisse profitebatur Joh. XVIII, 20. ἐγὼ παῤῥησίᾳ ἐλάλησα τῷ κόσμῳ· ἐγὼ πάντοτε ἐδίδαξα ἐν τῇ συναγωγῇ, καὶ ἐν τῷ ἱερῷ, ὅπȣ πάντοθεν οἱ Ἰȣδαῖοι συνέρχονται &c. Sic & Matth. XXVI, 5. *quotidie vobiscum sedi*, διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ, sive in Synagoga Templi, sive in Atrio mulierum, quo confluere solebat multitudo, sive alibi locorum in Templo, prout ferebat occasio, ut Joh. VIII, 20. X, 23. Confer Matth. XXI, 23. XXIII, 1. coll. cap. XXIV, 1. Luc. XIX, 47. XXI, 37. Vnde nec Apostoli in Synagogis docere prohibebantur, ut Lucas in Actis, cap. XIII, 5, 15. & alias persæpe, testatur. His enim usibus dicatæ erant Synagogæ 1) precibus ad Deum publice fundendis, 2) sacræ lectioni Mosis & Prophetarum, Actor. XV, 21. 3) explicationi Scripturæ, & concionibus ad plebem habendis: ut uberius docuit MARESIVS supra laudatus §. *XVII. p.* 706 *sq.*

Ad §. VIII. pag. 43.

(9) Ἀρχισυνάγωγος, *Synagogæ Princeps*] Pergit Auctor ad Præfectos & Ministros Synagogæ, in quos de industria inquisiverunt duumviri laudatissimi, VITRINGA *de X. Otiosis cap. XIX. p.* 236. & RHENFERDIVS *in investigatione Præfectorum & Ministrorum Synagogæ, Opp. Philol. p.* 480. Primas in his tenuit ראש הכנסת, Chaldaice ריש כנישתא ἀρχισυνάγωγος, vel ἄρχων τῆς συναγωγῆς, *Synagogæ Princeps*, alias etiam ראש צבור item ראש הקהל: interdum quoque חבר העיר *Doctor civitatis* dictus, cujus erat, singulis in Synagoga suum impertire munus, ac decernere, quis Prophetas explicaret, quis exponeret super lectione Schema, quis descenderet coram arca, precesque præiret, ut concise, at recte eum definierit R. SALOMO IARCHI *ad Megilla fol.* 27. *col.* 2. *princ.* fuisse, המתעסק בצרכי צבור *qui procurat negotia cœtus.* Observat autem RHENFERDIVS §. 29 *sq. p.* 502. hodie nomen illud ראש הכנסת tantum non exolevisse, cum aliis ejusdem dignitatis nominibus permutatum, & quia idem plerumque rectoratus in Academia munere fungitur, sæpe ראש ישיבה *caput* vel *Rectorem Academiæ* dici, quia interdum litigantibus jus dicit, אב בית דין *Præsidem judicii*, quia nonnunquam de licito & illicito, de impuritate &c. & de casibus conscientiæ respondet, דיין *Judicem* salutari. Horum in Synagoga vetere plures, cumprimis autem tres fuisse, contra RHENFERDIVM, VITRINGA contendit *c. l. p.* 240 *sqq.* quem vide. Idem, jam ante VITRINGAM, asseruit MARESIVS, *c. l.* §. 23. *p.* 708. ubi: *nec singulis Synagogis,*

gis, inquit, *finguli praerant Archifynagogi, fed fimul plures: ut plures ἀρχιερεῖς fub Summo Sacerdote, five Magno Pontifice in Templo miniftrabant Matth. II, 4. XVI, 21. & alibi fæpius. Etenim Jairus, qui ὁ ἀρχισυνάγωγος appellatur, Luc. VIII, 49. εἷς τῶν ἀρχισυναγώγων dicitur, Marc. V, 22. & plures ἀρχισυνάγωγοι ejusdem Synagogæ Antiochenæ commemorantur Actor. XIII, 15. & Synagogæ Corinthiacæ Archifynagogi duo nominantur, Crifpus & Softhenes, quorum plures adhuc alii Lucæ innominati, collegæ effe potuerunt.*

Ad §. VIII. pag. 43.

(10) *Aedituum Synagogæ*] חזן & שליח צבור ὑπηρέτης Luc. IV, 20. Minifter eft Synagogæ, diferte exponente IARCHIO *ad Megilla Cap.* בבני העיר/ ubi inquit: חזן הכנסת שמש הצבור *Chazan hakkenefeth eft Famulus cœtus,* לענות אמן שהיה שליח והיה שלפני התיבה גומר ברכתו והן לא היו יכולין כולן לשמוע קולו: *ad refpondendum Amen. Quod Minifter* (cœtus) *qui eft ante pluteum, abfolveret benedictionem fuam, neque omnes vocem ejus poffent audire.* Et ELIAS Levita *in Tisbi* voce *Chazan:* מצאתי ששליח הציבור ר״ל שמש הקהל נקרא חזן: *inveni legatum cœtus, i. e. Famulum cœtus vocari Chaffan.* Vocis originem non a verbo חזה *vidit*, quod cum Hebræis LIGHTFOOTVS cupit, qui *Infpectorem* & Ἐπίσκοπον inde procudit, fed ex Arabifmo derivat RHENFERDIVS *Opp. Phil. p.* 323 *fq.* ut primo & proprie *Cuftodem* notet, cujus fidei atque curæ aliquid eft commiffum, & in fpecie cui loca cuftodienda concreduntur, ut horti, urbes, & loca publica, unde quoque Hebræis per שומר explicetur. Hinc officium hujus æditui, feu miniftri Synagogæ conftituit in eo, ut ftatis temporibus eam aperiat & claudat, ejus libros ac tapetes, & quæ funt reliqua fupellectilia vel ornamenta, depromat, recondat, atque omni fide ac diligentia affervet, & fimilia per omnia obeat munia, qualia æditııus curat in Ecclefia Chriftiana. At enim vero paulo amplius procedit VITRINGA *de Synagoga Vet. Lib. III. P. I. cap. I. pag.* 890. & tempora diftinguens, τὰς חזנים antiquis temporibus viliora modo in Synagoga obiiffe minifteria largitur, claufiffe & reclufiffe Synagogas, librum legis ex arca depromfiffe, & in eadem recondidiffe, Synagogam mundaffe, luminaria accendiffe, tubas inflaffe, lecturos evocaffe, & fudario agitato monuiffe cœtum, ut refponderet Amen (quod prolixe evicerat RHENFERDIVS *p.* 508. & 511.) fed τὰς שליחי צבור *Legatos Ecclefiæ* olim fuiffe, qui Ecclefiæ præibant in fundendis recitandisque precibus. Aft cum tempore invaluiffe confuetudinem in multis Synagogis, eamque fatis antiquam, ut ipfis illis Chaffanim actus honoratiores illi precum recitandarum commiffi fint, & hi Chaffanitis fubordinati fint in celebrioribus Synagogis alii quidam minoris ordinis miniftri, שמשים vocati, quafi tu *Hypodiaconos* dicas, quibus viliora hæc minifteria mandata fint. Atque fic procedente tempore dignitatem Chaffanitarum creviffe: inter שליחי צבור itaque, & חזנים interceffiffe difcrimen, quod *p.* 891 *fq.* probat: rurfusque *p.* 905. recentiori ætate, utramque appellationem promifcue ufurpari docet.

Pergit in ordine Præfectorum Synagogæ RHENFERDIVS *Cap. II. p.* 525 *fqq.* & proximum ab Archifynagogo locum affignat τοῖς זקנים *Senioribus*, qui fingulari honoris titulo etiam ממונים על הצבור *conftituti fuper cœtum* audiant, ad quorum curam ea pertineant, quæ ordinem & falutem totius Synagogæ fpectant. Hi enim cum Archifynagogo de fumma rei deliberant; hi cum fapientibus edicta, quæ univerfos obligent, promulgant; hi primum, & a ceteris diftinctum locum in Synagoga occupant. Iidemque, poftquam lingua Syriaca inter Judæos invaluit, פרנסים *Paftores* nominabantur *p.* 539 *fq.* quin & טובי העיר *boni civitatis*, aut addito numero שבעה טובי העיר *feptem boni civitatis*: interdum גדולי העיר vel גדולי הקהל *majores civitatis*, aut *majores cœtus*: quos omnes eosdem effe, qui una cum Archifynagogo commiffum fibi cœtum gubernant, Vir doctus *p.* 544 *fq.* evincere fatagit. Rurfus VITRINGA de

זקנים

זקנים quos cum Presbyteris Ecclesiæ confert, *lib. III. P. I. cap. I. p.* 613 *sq.* de פרנסים seu Pastoribus *Cap. II. p.* 621. & de ממונים seu *Præfectis Cap. III. p.* 645. sententiam dicit. In quo autem officium & auctoritas Presbyterorum horum Synagogæ constiterit, RHENFERDIVS, fide Judæorum, *Cap. III.* edisserit *p.* 557 *sq.* & cum VITRINGA acriter contendit: quos mutuo conferre juvabit. Nobis enim prolixioribus hic esse non licet.

Ad §. IX. pag. 43.

(11) *Differunt Scholæ a Synagogis*] Hanc inter בתי כנסיות *Synagogas*, & בתי מדרשות *Academias* seu Scholas publicas differentiam copiose iterum discussit VITRINGA *Lib. I. P. I. cap. V. p.* 133. ita quidem, ut celebrioribus Synagogis junctum fuisse Gymnasium, seu בית מדרש censeat, in quod viri docti ad docendum aut disputandum convenerint; quæ scholæ, ut Synagogarum appendices, hoc ipso nomine Synagogæ aliquando signatæ sint. Fallor, aut hoc ipsum est, quod in Talmude Hierosol. ad Cod. *Chetuvoth fol.* 53. *col.* 3. asseritur, Hierosolymis unamquamque Synagogam habuisse domum libri, & domum doctrinæ, בית ספר למקרא ובית תלמוד למשנה *domum libri pro* lectione *Scripturæ, & domum doctrinæ pro traditionibus.* Conf. LIGHTFOOT. *Centur. Chorogr. Matthæo præmiss. cap.* 36. *Tom. II. Opp. p.* 197. Huc pariter spectat distinctio, qua in Mass. *Schabbat fol.* 3. *col.* 1. Synagoga dispescitur in כנישתא עלייתא *superiorem*, quæ sacris destinata & quasi Templum erat, & in *inferiorem*, quæ בית המדרש audit, in qua doctores publice profitebantur, & ad discussionem difficilium quæstionum homines confluebant. Probabile tamen existimat VITRINGA, locis minus frequentibus unum idemque ædificium, tam communibus exercitiis religionis, quam institutioni scholasticæ inserviisse, cum non licuerit Judæis ubique ita esse beatis, ut Gymnasium sibi habuerint a Synagoga distinctum. Cum vero מדרש *allegorica* sit *expositio*, בתי מדרשות *domus disquisitionum*, non tam ab hoc modo subtiliore commentandi practico, quam a recepta consuetudine disputandi, sive etiam explicandi textum, per modum quæstionum & responsionum, aut accuratiore sensus Scripturæ Sanctæ investigatione, hoc nomen suum sortitas esse credit *pag.* 139. Porro *pag.* 140. discrimen observat inter בית רבנן *domum Doctorum*, seu Academiam, & בית רבן *domum Magistri*, h. e. scholam trivialem. Hic temperare mihi non possum, quin ex MAIMONIDE, scitum veterum, de necessitate scholarum trivialium, adscribam. Ita autem ille *Hilchoth Talm. Torah cap. II.* §. 1. מושיבין מלמדי תינוקות בכל מדינה ומדינה בכל פלך ופלך ובכל עיר ועיר וכל עיר שאין בה תינוקות של בית רבן מחרימין את אנשי העיר עד שמושיבין מלמדי תינוקות ואם לא הושיבו מחרימין את העיר שאין העולם מתקיים אלא בהבל פיהם של תינוקות של בית רבן: *In omni ditione, omni vico, & urbe denique omni, constituere solent, qui pueros doceant. In quacunque autem urbe non sunt pueri, qui ludum literarium frequentent; illius incolas anathemate feriunt, donec constituant ludimagistros. Quod si vero ne tum quidem illos instituant, locum illum vastant; quia mundus non subsistit, nisi propter halitum puerorum scholæ.*

Num judiciis quoque locus fuerit in Synagoga? ambigue disputatur. Affirmat LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad Matth. X,* 17. ut & *in Chronic. temporum & ord. Text. Nov. Test. Tom. II. Opp. p.* 85. fideque Cod. *Sanhedrin cap. I. hal.* 2. confirmat, ubi flagellatio בבר של שלשה auctoritate consessus seu judicii triumviralis in Synagoga peracta dicitur. Hoc judicium in unaquaque Synagoga obtinuisse tuetur, ad quod spectaverit cognitio & sententia de rebus pecuniariis, de furtis, damnis, restitutione, mulctis & rebus aliis, exceptis tamen criminalibus seu capitalibus. Jus enim vitæ & necis ipsis non competebat, verum supplicium solum corporis afflictivum, ut flagellatio verberum XXXIX. Hinc illustrat LIGHTFOOTVS verba Salvatoris Matth.

X, 17. Marc. XIII, 9. *in Synagogis flagellabunt vos*, & quando Paulus 2 Cor. XI, 24. quinquies fuit cæsus. Hoc ipsum quando negat RHENFERDIVS *Differt. I. de X. Otiosis Synagogæ* §. 30 *sqq.* Opp. Philol. *p.* 285. & ex Talm. Babyl. Cod. *Chetuvoth fol.* 105. *col.* 1. distincte recenset בתי דינין *domos judiciorum*, בתי כנסיות *Synagogas*, & בתי מדרשות *Academias* seu Gymnasia: ita utramque partem facile componi posse arbitror, alteram recte negare, quod judices triumviri ex Otiosis fuerint Synagogæ, & in conclavi ab Oratorio seu Synagoga distincto, juri dicundo vacaverint; nec minus recte alteram affirmare, & unamquamque Synagogam celebriorem hoc instructam fuisse magistratu, & in eodem seu communi Synagogæ ædificio locum & conclave huic judicio fuisse distinctum, pœnasque in atrio inflixisse, quod Nov. Test. testimonia liquido affirmant.

Ad §. IX. pag. 44.

(12) *Inter domum Sammai, & domum Hillelis*] Ad celeberrimam Scholarum inter Judæos distinctionem devolvimur, בית הלל *domum Hillelis*, & בית שמאי *domum Schammai*, quæ utraque Herodis M. tempore insigni famæ pariter celebritate floruit, ac frequentia auditorum. Hi enim duo fuerant, qui cum Herodes & Antonius Hierosolymas obsiderent, populo persuaserunt, ut Herodem reciperent, in urbem introducerent, Regemque constituerent; unde Rex ipsos honoravit & in amicis suis habuit, cum ceteros omnes, qui odium adversus eum prodiderant, totumque adeo Synedrium, gladio jugularet; teste IOSEPHO GORIONIDE *lib. V. cap. XIII. init.* & *cap. XXIV. circa fin.* Idem porro Schammæum discipulum facit Hillelis שמאי תלמידו של הלל הזקן nempe / alii contra tenent Schammai præceptorem, Hillelem discipulum fuisse, sed cum magistrum suum multo superaret, ad evitandam invidiam Babylonem se contulisse, ibique summa cum celebritate docuisse, donec fatis concessisset Schammai. IAC. ALTINGIVS *in Schilo lib. IV. cap.* 7. *T. V. Opp. fol.* 78. *b. sq.* Hillelis historiam ex Talm. Cod. *Pesachim cap. VI. fol.* 66. *col.* 1. & R. DAV. GANZII *Tzemach David ad A.* 3728. ita contexuit: Hillelem patria fuisse Babylonium, imbutum eo doctrinæ genere, quod in Babylonia vigebat, quum quadragenarius demum inde discesserit. Hierosolymam postquam appulisset, nullo fere fuisse loco, utpote qui totos quadraginta annos legem docuerit ex egestate, ut vitam toleraret; doctorem fuisse non publicum, cui id muneris demandatum foret auctoritate publica, sed privatum, qui extra Academiam ejusque Collegia (quæ filii Bethiræ moderabantur, defunctis Schemaja & Abtaljone) nonnullorum institutioni vacabat: adeoque, ut plures alliceret discipulos, sibique lautiorem pararet fortunam, novum illud doctrinæ genus, Babylone allatum, in δευτερώσεσι consistens, prurientibus ad nova, minusque obvia juniorum ingeniis, instillasse: hac arte paulatim nomen sibi & æstimationem aliquam parasse inter suos, perque ipsos innotuisse Academiæ Doctoribus summis, quibus nihil de ipsius nomine, vel patria, vel conditione, videtur ante constitisse. Ab istis arcessitum, rogatumque de quodam ritu, respondisse quidem prompte & accurate, sed magna cum arrogantia, & Doctorum istorum contemptu. Atque hoc pacto summum obtinuisse in schola Hierosolymitana locum, non tam a filiis Bethiræ, dignitate & munere motis, quam a discipulis, aliisque novitatis studio, aut opinione sapientiæ, ipsi conciliatis. Adeptum tantum fastigium, unice operam dedisse, tum ut prædecessoribus, filiis Bethiræ, & omnibus sapientibus Hierosolymitanis detraheret, & exprobrata ipsis pigritia, ignorantiæ matre, institutionem ipsorum in odium, aut saltem fastidium adduceret, tum ut in suæ sapientiæ admirationem omnes raperet, ceu qui non sine Numine Babylone venisset, ad solam legis notitiam, proximorum Doctorum socordia obliteratam, postliminio restituendam, tum denique, ut traditionum auctoritatem assereret, & in arce collocaret; quo scopo primum Scriptura non est usus ad confirmationem, nisi

quatenus ratiunculis quibusdam a se suffulta esset &c. Rursus idem ALTINGIVS *in Histor. Academiar. Hebræar. cit. Tom. Opp. fol.* 244. *b.* concisius ita de eo refert: Hillel potissimum a frequentia auditorii commendatur, cui aliquot discipulorum millia adscribunt, & ex his octoginta magni nominis; agmen quidem ducente Jonathane *Vzielide*, paraphraste Prophetarum, claudente vero Johanne Zacchæi filio, Magistri in rectura scholæ, una cum ejusdem filio Simeone, qui Christum puerum in templum delatum, ulnis suis excepit, successore: quemadmodum utrique, ac parenti Simeoni inprimis, Gamaliel Senior, Apostoli Pauli præceptor, surrogatus fuit. Hæc dignitas mansit in familia Hillelis usque ad excidium urbis. Quod de claris ejus discipulis memorabatur, in Sepher *Juchasin* & ex Gemara apud BVXTORF. *Lex. Targ. Rad.* הלל plenius ita legitur: *Hilleli fuisse octoginta* (ex præcipuis nimirum) *discipulos: triginta ex illis fuisse dignos* שתשרה עליה שכינה כמשה *ut quiesceret super ipsos divina præsentia, sicut Moses: triginta alios fuisse dignos* שתעמד להם חמה כיהושע *quorum causa consisteret sol, ut propter Jehosuam. Viginti autem fuisse mediocres, quorum maximus fuit Jonathan Vzielis filius, & minimus Rabban* יוחנן בן זכאי *Jochanan ben Saccai.* Quantæ ergo dignationis fuerit horum omnium Magister? Ceterum quando ABARBENEL *in Daniel. fol.* 22. *col.* 3. aliique cum Judæorum, tum Christianorum, doctores passim hunc Hillelem seniorem מבית דוד *de domo Davidis* oriundum asseverant, id ita restringit R. NISSIM *in historiolis Talmudicis fol.* 58. *col.* 1. הלל היה מזרע דוד מאמו ולא מאביו *Hillel fuit de semine Davidis per matrem suam, & non per patrem suum.* Quin potius ex Benjamine ortum duxisse, demonstrat ALTINGIVS *Schilo cap. XV. lib. III. pag.* 65. *b.* Temporis rationes, quibus Hillel floruit, studiose composuit LIGHTFOOTVS *in Chronic. temporum & Textuum Nov. Testam. Sect. VIII. Opp. Tom. II. pag.* 5 *seq.* & in *Hor. Hebraicis ad Matth. II,* 1. *eodem Tom. p.* 256 *sq.* ita, ut ascenderit Hierosolymas, & cathedram capessiverit centum annis ante excidium Vrbis, teste Talm. Cod. *Schabbath fol.* 15. *col.* 1, quadraginta annis rexerit Academiam, diemque obierit circa annum Christi duodecimum aut decimum tertium. Ex centum istis annis, si demas annos 32 & dimidium vitæ Christi, & 40 annos intercedentes inter mortem Christi, atque Vrbis excidium, supersunt anni 27 Hillelis ante natum Salvatorem. Natus est ergo Christus circa annum 27 præsidatus Hillelis in Synedrio. Adeo pauper fuisse fertur primis XL annis, ut quotidiano manuum labore victum sibi acquireret, partique pretii dimidium in studia sua juvanda, dimidium in sui suorumque sustentationem impenderet, ut proverbio locum daret: עני היית יותר מהלל *numquid fuisti pauperior Hillele?* Cod. *Joma cap. III. pag.* 35. *b.* ut & effato in *En Israel P. I. p.* 103. *col.* 4. *num.* 27. הלל מחייב את העניים *Hillel pauperes dijudicabit* & condemnabit, si nimirum paupertatis obtentu studium Scripturæ neglexerint. Ipse enim cum esset pauperrimus, ut legem audiret & addisceret, dimidiam mercedis partem insumebat. Hinc vocem quoque auditam fuisse super Hillelem, שראוי לשכינה שתחול עליו *quod dignus sit, ut super eum habitet præsentia divina*, in *Juchasin p.* 55. *col.* 2. Et ne dubites de summa & incomparabili Hillelis sapientia & eruditione, en in *Massechet Sopherim cap. XVI. halacha* 9. testimonium, seu fide, seu exceptione omni majus: *Dicunt de Hillele: non reliquit ullum verbum sapientum, quod non didicerit. Didicit omnia genera linguarum, etiam locutionem montium, collium, & vallium: locutionem lignorum & herbarum: loquelam ferarum & jumentorum: locutionem dæmonum, & omnes parabolas didicit. Omnia ista cur? propterea quod dictum est* (Jes. XLII, 21.) *Dominus voluit propter justitiam suam, magnificabit legem, & illustrabit.* Ad Rectoratum Academiæ Hierosolymitanæ, quo pacto, exorta lite, *an Pascha impellat Sabbathum, nec ne?* cum Doctorum nullus respondere posset, ipse vero prompte ac solide pro affirmativa sententiam

ferret,

ferret, communi omnium calculo evectus fuerit, prolixe expositum lege in Gemara Cod. *Pesachim cap. VI. p. 66. in princ.* Idem constituit & ordinavit פרוזבול *Perozbol,* quod, quid sibi velit, copiose explicavit BARTOLOCCIVS *Biblioth. M. Rabb. artic.* הלל *Tom. II. fol.* 787 *sq.* qui multas etiam Hillelis sententias confertim exhibet *pag.* 791 *sq.* quas vide. Idem postea *pag.* 797. Hillelem hunc seniorem caute distinguendum docet ab הלל הנשיא *Hillele* juniore *principe,* qui decem ab isto generationibus distat, & EPIPHANIO teste *lib. I. contra hæreses Tom. II. p.* 127. *num.* 4. edit. Parisiensis A. 1622. morti proximus fidem Christi suscepit, & sub medicinæ specie, ab Episcopo Tiberiensi, in cubiculo baptizatus memoratur. Tempore Constantini M. Imperatoris obiisse fertur, circa A. C. 320. Nihil illi cum nostro seniore, de quo jam agimus. Huic in Academiæ præfectura Collega dabatur מנחם / vir doctus, quem Spiritum Propheticum habuisse dicunt, quo Herodi M. & jam puero, regiam dignitatem, & accepto regno, triginta regiminis annos prædixit. Verum non ita multo post, relicta Academia, in aulam Herodis se contulit, in cujus locum suffectus est שמאי *Schammaj.* Hillel Nasi seu *princeps* erat, Schammai אב בית דין *pater domus judicii,* seu primarius in decidendis litibus Senator. Hinc uterque apud Judæos semper junguntur, sed oborta inter eos æmulatione, scholam scholæ opposuerunt. Dissensio inter utramque scholam incepit die 9 Adar; ad quam diem Judæi in Calendario suo anniversarium jejunium indicunt. Hine in decidendis de cerimoniis legis, & controversiis religionis, in partes adversas & ipsi discesserunt, & magis adhuc discipuli eorum, nec ulla inter eos ratio inveniri potuit, qua discordantes sententiæ componerentur. Quin ad sanguinis usque profusionem sævitum est inter utrosque, usque dum Bath Kol ediceret: *Et hæc, & illa verba sunt Dei viventis: Hillelis tamen sententia standum esse,* Cod. עירובין *cap. I. p.* 13. *post med.* & Talm. Hieros. Cod. *Berachoth fol.* 3. *col.* 1. Hine priusquam prodiret Bath Kol in Jafne, ex æquo amplecti licuit alterutrius scholæ decreta: at exinde, quicunque transgressus fuerit decreta scholæ Hillelianæ, reus erat mortis. At tantum abest, ut diremtæ fuerint dissensiones atque acrimoniæ inter utramque scholam, ut acerrime potius illæ fuerint per aliquot sæcula continuatæ, sæpiusque ad cædem & sanguinem ventum. Præcipua dissensionum capita aliis ad numerum ternarium, aliis ad octodecim referuntur momenta, de quibus lege SVRENHVSIVM *Præfatione ad P. IV. Mischnæ,* Tract. עדיות *de testificationibus* 1. *col.* 2. ubi XVIII differentiæ, & XVIII consensus momenta inter utrosque, ordine recensita videbis. Confer etiam de hoc dissensu HACKSPANIVM *ad Lipmanni Nizzachon p.* 288 *sqq.* Attentionem cumprimis meretur effatum Hillelis, quo in Gem. *Sanhedrin cap.* חלק venturum Messiam negat: אין להם משיח לישראל שכבר אכלוהו בימי חזקיה מלך יהודה: *Non futurus est Israeli Messias, qui ipso modo potiti sunt temporibus Ezechiæ regis Judæ.* Hinc concludit R. IOSEPH ALBO, si sententia MAIMONIDIS vera esset, fidem de futuro Messia esse legis fundamentum, numerandus esset hic Hillel inter apostatas, & deficientes a religione, quibus non est pars in sæculo venturo: Idem tamen ipsum excusat in *Ikkarim orat.* 1. *cap.* 1. *Non credidit R. Hillel futurum Messiam, sed tamen ideo inter apostatas recensendus non est, quia Messiæ adventus Mosaicæ legis fundamentum non est, uti scripsit* MAIMONIDES, *utpote quæ sine eo consistit.* Confer huc ANTONII HVLSII *Theologiæ Jud. P. I. p.* 12 *sq.* Porro referendus huc esset *Codex Biblicus* Hillelis, qui normam olim præstitit corrigendis Codicibus reliquis, quemque Hilleli seniori CVNAEVS tribuit *lib. I. de Republ. Hebr. cap.* 18. & SCHICKARDVS *de jure regio Cap. II. Theor.* 5. *p.* 100. Sed quia potiori fide BVXTORFIVS illum ad Hillelem הנשיא, seu Juniorem refert, qui Sæculo IV. post N. C. floruit in Judæa, & nepos fuit R. IEHVDAE sancti, missum illum hic facimus. Vide de eo CARPZOV. *in Not. ad cit. loc.* SCHICKARDI. De domo seu schola Hillelis autem

tem & Schammaj, post allegatos ALTINGIUM, BARTOLOCCIUM, LIGHTFOOTUM, vide SERARIUM *in Minervali lib. IV. cap.* 7. & *in Rabbin. II. scrup.* 6. IOH. HENR. OTHONEM *in Hist. doctorum Mischnicorum p.* 76 *sqq.* edit. Amstelodam. novae notisque auctae: RHENFERDIUM disp. *de fictis Judaeorum haeresibus* §. 22 *sqq. Operum Philol. p.* 86. HOTTINGERUM denique *Thesauri Philol. p.* 42, 43.

Ad §. X. pag. 44.

(13) *Scholas colliculis incumbentes habuit*] Quemadmodum scholae Prophetarum saepius, vel in locis desertis, ut 2 Reg. VI, 1. vel in montibus, locisque excelsis, qui contemplationi & meditationi rerum divinarum optime conveniunt, sive in urbibus, sive extra urbes exstruebantur, quod HIERONYMUS *Epist. ad Rusticum, p.* 16. *Tom. I.* & *ad Paulinum fol.* 37. jam observavit, unde Elias & Elisa, celeberrimi suae aetatis, & miraculis clari Prophetae, multum agebant in monte Carmel, 2 Reg. II, 25. IV, 25. 1 Reg. XVIII, 20, 21. nec dubium, quin eo respexerit Salomo, Prov. IX, 2, 3. testatus, sapientiam domum suam aedificasse, & vocasse quosque praetereuntes בגפי מרומי קרת *in pinnaculis celsorum urbis*, eo quod tunc temporis cultores literarum edita urbium aut agrorum loca elegerint, in quibus scholas suas aperuerunt: Ita posthaec, in exstruenda Synagoga, hoc inprimis praeceptum inculcarunt Magistri apud MAIMONIDEM *Hilcoth Tephilla cap. XI. §. XI.* כשבונין בית הכנסת אין בונין אותה אלא בגבהה של עיר: *quando Synagogam extruunt, non extruunt eam, nisi in alto civitatis*, idque probant ex Prov. I, 21. *in summo celebrium urbis locorum sapientia clamat:* ומגביהים אותה עד שתהא גבוהה מכל חצרות העיר: *Perducunt autem aedificium ad illam altitudinem, ut altior sit omnibus istius urbis conclavibus:* quod denuo probant ex Jes. IX, 9. *&* *ad exaltandum domum Dei nostri.* Unde scitum Doctorum in Gem. Cod. *Schabbath cap. I. fol.* 11. *col.* 1. *princ.* כל עיר שגגותיה גבוהים מבית הכנסת סופה חריבה: *Omnis civitas, cujus tecta altiora sunt aedibus Synagogae, finis illius est vastatio.* Rationes hujus moris habuerunt 1) reverentiam sacrorum: tantum enim venerationis deberi censuerunt suis Oratoriis, ut illa eminerent supra ceteras civitatis structuras. Facit quippe ad decus aedis divinae, ut altior ac excelsior sit structura aedificiis quibuscunque humanis: 2) imitationem Templi. Cum enim Synagogas suas Templo quam simillimas reddere studeant, mirandum non est, ipsos Synagogis spectabilem assignasse altitudinem, cum Templum aedificatum esset in monte, cujus vertex supra universam emineret civitatem. Confer, de Scholis & Synagogis in agris, LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. IV*, 23. *Tom. II. Opp.* 280. & VITRINGAM *de Synag. Vet. lib. I. P. II. cap.* 7. *p.* 351. de earum altitudine eundem VITRINGAM *cap. II. pag.* 213 *sq.*

Ad §. XI. pag. 44.

(14) *Dicti sunt dare*] Hoc jam GLASSIUS noster observavit *Phil. Sacr. lib. III. Tractat.* 3. *Can.* 15. *pag. marg.* 273 *sq.* ubi in locum, ab Auctore ex Prov. IX, 9. citatum, erudite commentatur. Addimus exemplis ab eo productis, adhuc Joh. XVII, 8, 14. ubi Deus verba sua Christo, & Christus eadem dedisse discipulis legitur, quando Christus eis tradidit doctrinam, a Patre acceptam. Idem quoque *accipiendi* vocem in notione *discendi* ibidem excutit, & ex Prov. I, 3. probat: לקחת *ad accipiendum eruditionem intelligentiae.* Hinc לקח *doctrina*, Deut. XXXII, 2. Prov. IV, 12. Referenda praeterea huc sunt verba מסר *tradidit*, & קבל Kibbel *accepit*, recepit, manibus, vel mente, unde duplex doctrinae Judaicae genus nomen sortitum est, Masora & Kabbala; de quo hic dicendi locus non est: nominis tamen rationem evolvunt GLASSIUS *lib. I. Tr. I. p.* 19. & *lib. II. P. I. Tract. II. Sect. III. Art. VII. p.* 302. & HOTTINGER. *Thes. Philol. lib. I. Cap. III. Sect. IV. p.* 396. & *Sect. V. p.* 434. & multi alii.

Ad

Ad §. XII. pag. 44.

(15) Προσευχαὶ *differant ab ipsorum Scholis vel Synagogis*] Προσευχὴ idem est, ac οἶκος vel τόπος τῆς προσευχῆς, *domus aut locus precationis*, quod convenit cum Hebræorum בית תפלה *domo orationis*, seu προσευκτηρίῳ seu *oratorio*, quo sensu Christus ait: ὁ οἶκός μου οἶκος προσευχῆς κληθήσεται *domus mea domus precationis vocabitur* Matth. XXI, 13. Princeps hic quæstio est: *Utrum Proseuchæ Judæorum idem cum Synagogis fuerint, an diversa ab his, sive loca, sive ædificia?* Nihil definire audet GOODWINUS noster, æque ac HENR. VALESIUS *Annotat. ad Euseb. pag.* 27. Alii vero in alterutram liquido descendunt sententiam; utrarumque differentiam statuentibus IOH. DRUSIO *Annot. ad Act. XVI*, 13. DAN. HEINSIO *Exerc. Sacr. ad cit. loc. p.* 305. IOH. HOORNBEECKIO *Miscell. Lib. I. p.* 288. utrasque autem pro eodem sacro loco habentibus, HUG. GROTIO *Annot. in Act. XVI*, 13. & *ad Matth. IV*, 23. PAULO ARINGHIO *Tom. I. Romæ Subterraneæ lib. II. cap. XIII. p.* 232. DOMINICO MACRO *Hierolex. fol.* 500. & HERM. CONRINGIO *Antiqu. Academ. pag.* 124. Nobis posterior, nec absque causa, placet sententia, quam probamus 1) ex communi tam Synagogæ quam Proseuchæ descriptione, a PHILONE Judæo data. Ille enim *lib. III. de vita Mosis, p.* 530. τὰ γὰρ κατὰ πόλεις προσευκτήρια τί ἕτερόν ἐστιν ἢ διδασκαλεῖα φρονήσεως καὶ ἀνδρείας, καὶ σωφροσύνης, καὶ ὁσιότητος, καὶ συμπάσης ἀρετῆς, ᾗ κατανοεῖται καὶ κατορθοῦται τά τε ἀνθρώπινα καὶ θεῖα· *Destinata enim oppidatim sacris precationibus loca, quæ Proseuchas vulgo nominant, quid aliud sunt, quam scholæ, in quibus prudentia, fortitudo, temperantia, justitia, pietas, sanctitas, omnisque virtus discitur, quæcunque ad humana, divinaque negotia requiritur.* Rursus *lib. de legatione ad Cajum p.* 801. eandem de Synagogis dat delineationem, celebrans, vetuisse Augustum Imperatorem, necubi Judæi prohiberentur εἰς τὰ συναγώγια συνέρχεσθαι· μὴ γὰρ εἶναι ταῦτα συνόδους ἐκ μέθης καὶ παροινίας, ἐπὶ συστάσει, ὡς λυμαίνεσθαι τὰ τῆς εἰρήνης, ἀλλὰ διδασκαλεῖα σωφροσύνης καὶ δικαιοσύνης, ἀνδρῶν ἐπιτηδευόντων τὴν ἀρετὴν, *in Synagogis convenire: non enim hæc esse Bacchanalia, vel seditiosorum conventicula, turbandæ pacis causa: sed scholas justitiæ temperantiaque, in quibus studium virtutis floreat.* En easdem pietatis ac virtutis scholas, cum Proseuchas, tum Synagogas. Parem vocum ἰσοδυναμίαν viri docti apud PHILONEM multis locis observant, quæ huc transferre nimis esset prolixum: 2) Ex iisdem in utraque sacris, quæ prælectione ac interpretatione legis Mosaicæ, precibus ac votis, eodem prorsus modo, utrobique peragebantur, ut descriptio sacrorum cum in Synagogis Act. XV, 21. tum in Proseuchis cap. XVI, 13 sq. & apud PHILONEM passim demonstrat: 3) Ex diserta appellatione MAIMONIDIS, qui *Hilch. Tephilla cap. II. §.* 1. ita habet: כל מקום שיש בו עשרה מישראל צריך להכין בה בית שיכנסו בו לתפלה בכל עת תפלה ומקום זה נקרא בית הכנסת: *Ubicunque sunt decem ex Israele, ibi necesse est, ut ædificetur domus, ad quam se recipiant ad orationes, tempore precum* (en Proseuchas!) *& domus hæc vocatur Synagoga.* Nunc, quid discriminis repererint viri docti inter utramque, dispiciemus. α) HENR. VALESIUS illud ex frequentia & paucitate Judæorum, ibi habitantium, derivat, *nec nisi majores & illustriores Proseuchas, dictas fuisse Synagogas* admittit. *Unde beatus Lucas Synagogam quidem Judæorum ait fuisse Thessalonicæ: Philippis autem Proseucham, propterea quod pauculi ibi essent Judæi. De majoribus & illustrioribus Proseuchis locus est apud* PHILONEM *in legatione ad Cajum.* Atqui hoc est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Si enim Synagoga idem est cum Proseucha, quod demonstravimus, Lucas idem quoque de Thessalonicensium ac de Philippensium Oratorio, dispari licet nomine, affirmavit. Potius PHILO locis allegatis testatur, Judæis κατὰ πόλεις, *singulis civitatibus*, immo πανταχόθεν τῆς οἰκουμένης, *ubique in toto orbe* suas esse Proseuchas: licet non negaverim, eas pro loci, cœtusque Judaici amplitudine, vel conditione opum,

orum, ſplendidiores alias, alias tenuiores fuiſſe. Hinc, evidentia rei adactus, VALESIVS addit: *non negaverim tamen, Proſeuchas poſſe etiam dici Synagogas.* β) IOH. DRVSIVS *lib. V. Præterit. p.* 183. aliam differentiæ rationem reperiſſe ſibi videtur, quod Synagogæ in urbibus eſſent, Proſeuchæ extra mœnia. Huc reſpicit Auctor noſter, quando hoc nihil probare obvertit. Synagogas enim in agris olim exſtructas fuiſſe LIGHTFOOTVS *in Matth. ſupra cit.* ex Gloſſa Talmudica ad Cod. *Beracoth fol.* 2. *col.* 1. & ex RABBENV ASCHER in eundem Tractat. *fol.* 69. *col.* 3. docuit. γ) Novam, eamque tantum non ridiculam, rationem diſcrepantiæ DRVSIVS *l. I. Præterit. p.* 44. & SCALIGER in Epiſt. ad BVXTORFIVM *Lib. III. Epiſtol.* 244. ex Inſcriptione vetere, quæ ita habet: P. CORFIDIO. SIGNINO. POMARIO. A. PROSEVCHA. eruere ſatagunt, Judæos in Proſeuchis ſuis poma vendere conſueviſſe, unde huic nomen *Pomario* hæſerit. Sed funditus figmentum iſtud evertit CHRIST. BORNITIVS *de Synagogis veter. Hebræorum, Diſſert. III.* §. *XI.* neque emtionem ac venditionem in Synagogis vel Proſeuchis locum habuiſſe, ex MAIMONIDE docens, neque hanc Inſcriptionem in Judæum, Romanis inſignitum nominibus quadrare, liquido demonſtrans. Idem viſum fuit circa hanc Inſcriptionem STEPH. LE MOYNE *Var. Sacr. P. II. p.* 75. licet ipſe ſub dio Proſeuchas Judæorum eas quidem, quæ ante urbes frequentabantur, fuiſſe arbitretur. Demum δ) SAM. PETITVS *Var. Lect. lib. II. cap. XI. p.* 170 *ſq.* cauſatur, Judæorum Proſeuchas fuiſſe ἐν τόπῳ ὑπαιθρίῳ. Supponunt hæc verba locum ex EPIPHANIO, qui diſerte de Neapoleos Samaritanorum proſeucha loquitur. At quantum inter utroſque interceſſerit circa ſacra diſcrimen, nemini non eſt obvium & perſpectum. Præterea EPIPHANII verba, ἐν ἀέρι καὶ αἰθρίῳ τόπῳ, non tam loca aperta ſub dio, ſed in aprico notant, ita ut ſolitaria ruri eſſent, aliaque non contingerent ædificia. Hinc EPIPHANIO ἔξω τῆς πόλεως, ἐν τῇ πεδιάδι, & ἐν ἀέρι καὶ αἰθρίῳ τόπῳ paria faciunt. Et quid demum hæc omnia ad Judæorum Synagogas, de quibus nullus eſt ſermo? Hinc corruit IACOBI GOTHOFREDI conjectura, quam *Commentar. ad lib. XVI. Cod. Theodoſ. Tit. VIII. de Judæis, Cœlicolis & Samaritanis Leg. XIX. p.* 236. his verbis exponit: *Scimus ſane, Judæos aliquando militiæ cæleſti aras erexiſſe & dedicaſſe, quos etiam Sophonias & paſſim Prophetæ ob hanc idololatriam reprehendunt, quod eorum Proſeuchæ eſſent* ἐν ὑπαίθρῳ ἀέρι, *ſeu preces funderent ſub dio in aperto. vide* EPIPHANIVM *in Maſſaliana hæreſi,* TERTVLLIANVM *de pudicitia, cap.* 16. *cujus rei ratio repetenda ex* 1 *Reg. II. vide & exemplum in Daniele cap.* 6. Velut autem Judæos ex Babylonia reduces, cum idololatria majorum ante captivitatem, nihil habuiſſe commune, liquido conſtat, ita cælicolarum opprobrium, modo Judæis, modo Chriſtianis, incerto æque indicio, ac immerito impactum fuiſſe, erudite docet CHRIST. KORTHOLTVS *in Pagano obtrectatore, lib. II. cap. II. p.* 273. ubi in cælicolas & Vranolatriam ſtudioſe inquirit. Sane ſi ob Proſeuchas ἐν ὑπαίθρῳ ἀέρι exſtructas, idololatriæ rei fuiſſent Judæi, nunquam certe Paulus talem locum, ad ſacra peragenda, cum comitibus frequentaſſet, & vel ſpeciem ſaltem idololatriæ præbuiſſet, aut ſuſpicioni locum dediſſet. Sed iſta ſufficiant: cetera minoris ſunt momenti. Hoc autem obſervaſſe operæ pretium exiſtimo, eundem cum Proſeuchis apud primos Chriſtianos uſum habuiſſe τὰ ὑπερῷα, *cœnacula* ſuperiora Act. 1, 13. ut auſcultationi verbi & precibus ibi vacarent. Et in memorato quidem Lucæ ὑπερῴῳ ſuo tempore tradit CYRILLVS Hieroſolym. *Catecheſ. XVI.* extitiſſe τὴν ἀνωτέραν τῶν Ἀποςόλων ἐκκλησίαν, *ſuperiorem Apoſtolorum Eccleſiam.* Quin & illa ſacris uſibus apud Judæos deſtinata ſemper fuiſſe, perhibet IOH. PEARSONIVS *lect. I. in Act. Ap.* §. 7. *Opp. Poſth. p.* 31. unde ſapientes quoque ſuos בני עליה *filios cœnaculi* appellarint.

Ad §. XIV. pag. 45.

(16) *Ad fores harum* προσευχῶν *confluxiſſe*] Quia hic §. cum præc. XII. immediate cohæret,

 dividiæ

dividiæ non fuerit, eum quoque §. XIII. præmittere. Sunt enim, qui Proſeucham de tugurio interpretantur, ubi ſtipem efflagitabant mendici, & in hunc ſenſum citata ab Auctore verba IVVENALIS capiunt THOMAS FARNABIVS in ſuo *ad Juvenalem Commentario*, IANVS LAVRENBERGIVS *in Antiquario p.* 361. nec admodum repudiant conjecturam IOH. HOORNBEECK *Miſcell. lib. I. p.* 288. & CHRIST. BORNITIVS *Diſſ. III. de Synagoga vet. Hebr.* §. *XI.* Vtrumque autem vocis προσευχῆς ſignificatum conciliare nititur ADR. TVRNEBVS *Adverſar. Lib. I. cap. XIX.* quod mendici fores, velut Templi, ſic Proſeucharum interdum occuparent, in eisque cubarent, unde Proſeuches nomen in contemptum abiiſſe. In eandem fere ſententiam abit STEPH. LE MOYNE *Var. Sacr. P. II. p.* 74 *ſq.* In conciliationem iſtam VITRINGA *lib. I. P. I. cap.* 4. *p.* 119. curatius inquirens, IVVENALIS forte verba eo trahi poſſe largitur, ita tamen, ut nunc viros doctiſſimos conſentire fateatur, Proſeucham Judæorum notare Oratorium. Pluribus de illa agens Vir doctus, *p.* 122. locum Luc. VI, 12. & *p.* 124. alterum illum Act. XVI, 13. cum cura excutit: quo remiſiſſe Lectorem, ſufficiat. Noſtri enim uterque non eſt inſtituti. Quin & in poſteriorem ſollicite inquiſivit BALTH. STOLBERGIVS diſput. *de Proſeuchis Judæorum*, Vitembergæ A. 1682. publice propoſita, cui alteram junge WILH. ERN. TENZELII diſputat. *de Proſeuchis Samaritanorum*, ibidem, eod. anno, publici juris factam.

Ad §. XIII. pag. 44.

(17) *Stando, genua flectendo, ſedendoque precari*] Circa geſtus precantium, non una & conſtans inter Judæos obtinuit ratio. Stando precatos fuiſſe, recte obſervat Auctor, unde quoque עמירה *ſtatio* pro precibus, in adagio allegato, & alias paſſim, uſurpatur, & in Talm. Cod. *Beracoth fol.* 26. *col.* 1. Abrahami exemplo probatur, de quo Gen. XIX, 27. legitur: *ſurrexit Abraham mane ad locum, ubi ſteterat coram Domino:* ואין עמירה אלא תפלה *ſtare autem nihil aliud ſignificat, quam orare.* Et pr[illegible] LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. in Matth. VI, 5. T. II. Opp. fol.* 298. ex MAIMONIDE hæc obſervat requiſita: 1) ut ſtet orans, 2) ut faciem Hieroſolymam verſus convertat, 3) ut caput operiat, 4) ut oculos figat deorſum. Hinc R. MOSES MIKKOTZI in *libro præcept. magno, Hilc. Tephilla, fol.* 100. *col.* 3. ex effato R. IOSE requirit: העומד בתפלה נותן עיניו מלמטה כאילו הוא מביט לארץ ויהיה לבו פנוי מלמעלה כאילו הוא עומד בשמים כעניין שנאמר נשא לבבינו את כפים אל בשמים ואומר שויתי ה׳ לנגרי תמיד: *Qui ſtat in oratione, demittet oculos ſuos deorſum, ut qui intuetur terram: cor autem ejus converſum ſit ſurſum, tanquam conſiſteret in cælo, q. d. Attollamus corda noſtra cum manibus ad Deum in cælo.* (Thren. III, 41.) *& rurſus: propono Dominum mihi aſſidue,* (Pſal. XVI, 8.) Idque quia ibidem inter requiſita orantis ponitur, לעמוד באימה וביראה *ſtare in tremore & timore.* Porro MAIMONIDES in *Hilc. Tephilla cap. V. num.* 3. ita præcipit: *Qui conſtitutus eſt extra terram Iſraelis, convertat faciem ſuam verſus eam, ſicubi orat. Qui degit in ea, dirigat faciem Hieroſolymam verſus. Qui Hieroſolymæ eſt, verſus templum. Qui in templo, verſus Sanctum Sanctorum.* Ritum illum ſervaſſe quoque Danielem, conſtat ex cap. VI, 10. Sed & quomodo manus pedesque in ſtatione iſta componere debeant precantes, præcipere neglexerunt. R. MOSE MIKKOTZI *cit. loc. Qui orat, debet diſponere pedes ſuos unum juxta alterum, inſtar Angelorum, q. d. & pedes eorum pes rectus* (Ezech. I, 7.) *Senſus ſimpliciſſimus eſt: duo pedes videntur unicus eſſe. Et hoc moris eſt, ut reponat manus ſuas ſuper cor, unam penes alteram.* Porro MAIMONIDES *c. l. cap. V. num.* 5. *Ne quis oret cum pera,* ולא בראש מגולה *neque capite retecto, neque nudis pedibus, ſi nempe mos popularium illius loci ſit, ut non ſtent coram magnatibus, niſi pedes calceati.*

Humiliationis religioſæ in precibus triplex erat apud Judæos ritus: קדה *Kidda*, inclinatio capitis

capitis & humerorum, הכריעה incurvatio ad genua, quæ erat quasi geminatio seu duplicatio corporis, denique השתחואה prostratio toto corpore facta, cum expansione manuum & pedum. Atque huc referunt verba Davidis Psal. XCV, 6. *venite* נשתחוה ונכרעה נברכה *prostratione adoremus, & incurvemus nos: genua flectemus coram Deo creatore nostro:* ubi, omissa Kidda, quartus venerationis religiosæ ritus additur, cujus nomen, *geniculatio*, obviam mihi factum non est, verbum autem demissam genuum flexionem notat. Judæi namque Templum ingressi, in bene mundato pavimento, ex quo nulla vestium inquinatio erat metuenda, prostrati, expansis manibus in terra adorabant versus Sanctum Sanctorum, deinde stantes orabant, & tandem ultimo devotionis actu, ad genua se flectebant, aspiciendo semper ad Sanctuarium, & mox retrorsum cedendo exibant, & deinde lateraliter, facie interim in Sanctuarium intenta: posteriora enim illuc obvertere nefas erat. Conf. Talm. Cod. *Schebhuoth fol.* 16. *col.* 2. & Cod. *Megilla fol.* 22. *col.* 2. Loco prostrationis in ingressu sæpe adhibebatur tantum הכריעה *incurvatio ad genua:* prostrationi autem præmittebatur קדה inclinatio capitis & humerorum, unde sæpe legitur ויקד וישתחוה ליהוה *& inclinavit caput, & prostravit se Deo.* Nam quamvis Kidda erat levior capitis inclinatio, & a profundiori reverentia remotior, aliquando tamen ea profundiorem illam reverentiam immediate præcedebat, & ad illam ferme extendebatur, ut Exod. XXXIV, 8. Ast in prima templi dedicatione a propiori הכריעה in proximam profundiorem reverentiam descendebatur, in totam longitudinem procidendo, 2 Chron. VII, 3. *& incurvarunt se faciebus in terram super pavimento, & adorando prostrarunt se*, i. e. ad medium corporis incurvarunt se, & deinde super pavimento lapideo Templi se prostrarunt adorando, ita ut quasi duplex esset actus, sed quasi junctim præstitus, ut scite exponit vir eruditissimus THOMAS HYDE *in Hist. religionis veterum Persarum cap. I. pag.* 8. In incurvatione illa primum ad latus sinistrum corpus deprimebant, postea ad dextrum: inde rursus caput, & sese elevantes. Ritum hunc nuncupabant תן שלום *dare pacem.* Vbi autem quinta vice כריע peregerant, movebant sinistrum pedem, dextro sequente, & sic tres passus retrocedebant, ita locus fiebat השתחויה seu *prostrationi*, a qua ipsa etiam oratio ita fusa, nomen sortita, נפילה *prostratio* dicebatur. Vide MAIMONID. *cit. loc. num.* 10, 11. Distinctionem inter *Kidda* & *Hischtachavaah* fuse quoque exponit AINSWORTH *Comment. in Exod. IV*, 31. Huc spectat inter decem templi miracula relatum, quod in *Pirke Abhoth cap. V. num.* 5. concise memoratur: עומדים צפופים ומשתחוים רוחים: *stabant coarctati, & adorabant dilatati.* Nimirum, quando in diebus festis solennioribus, maxime in die Expiationis, universa confluebat Israelis multitudo, in capacissimo Templi Atrio tanto numero aderant, ut stantes se mutuo comprimerent, quando autem in terram prosternebantur, peccatorum confessionem recitaturi, tantum omnibus & singulis suppetebat spacium, ut alter ab altero quatuor cubitis distaret, ne quis alterius confessionem intelligeret. Idem in Cod. *Joma* quoque traditur. Ceterum præcipua & perquam ambigua, circa השתחויה *adorationem-prostrationis* controversia hæret. Quia enim, eodem fere ritu externo, hæc veneratio principibus, aliisque in dignitate constitutis deferebatur hominibus, ut Gen. XLII, 6. 2 Reg. IV, 37. distinctionem quidem inde, inter adorationem divinam & civilem intellexerunt, in quo autem illa momento sit sita, aut quo indicio externo una ab altera discriminaretur, in dubio est, cum idem utrobique vocabulum legatur, idem corporis situs conspiciatur. Aliqui Judæorum omnem in mente adorantis tantum sitam fuisse existimant distinctionem: verum ita spectatoribus adhuc dubium hæsisset. Attamen R. SALOMO IARCHI *Comment. ad Lev. XXVI*, 1. ita glossatur: השתחואה בפשוט ידים ורגלים היא ואסרה התורה לעשות כך חוץ מן המקדש: *Prostratio religiosa fit cum expansione manuum & pedum: unde* pro-

prohibet lex sic facere extra Sanctuarium seu Templum. Judæi mentem ejus ita exponunt, prohiberi solum ejusmodi prostrationem, coram אבן משכית *lapide effigiato*, & picto, sive deaurato, nisi in Templo, in quo erant tales lapides cælati & cæsi, ubi & Cherubim; & tamen prostratio adhibebatur coram illis, non ad illos: nam in Templo non erat metus idololatriæ, ut in aliis locis. Verum hoc pacto scrupulus non evellitur, quia promiscue ubivis locorum homines quoque prostratione venerabantur. Mihi ergo, si recte capio IARCHIVM, distinctio in eo videtur fuisse sita, quod religiosa adoratio cum פשוט-ידים ורגלים *expansione manuum pedumque* esset conjuncta, civilis ea destitueretur. Confer denuo THOMAM HYDE *c. l.* 6 *sqq.* ubi tamen nihil certi definit.

In genua procubuisse adoraturos, quod paulo ante tetigimus, frequentissimis Scripturæ testimoniis & exemplis confirmatur, Salomonis 2 Chron. VI, 13. 1 Reg. VIII, 54. Esdræ c. IX, 5. Danielis c. VI, 10. Pauli Eph. III, 14. & de cultu, Messiæ vero Deo, exhibendo legitur Ps. XXII, 30. Jes. XLV, 23. coll. Rom. XIV, 11. Phil. II, 10. quin & de cultu idololatrico Jes. XLIV, 15 sqq. XLVI, 6. De sessione autem inter precandum, vix suppetit exemplum, præter Davidis ab Auctore allatum, de quo multi adhuc dubitant Interpretes, illudque וישב permanendi, perseverandique sensu, Davidem mansisse coram Jehova, notare malunt cum SERARIO & SANCTIO. Judæi apud R. DAV. KIMCHIVM *in 2 Sam. VII*, 18. contra sessionem Davidis dubium movent, ab Angelorum exemplo, qui stantes Deum celebrasse leguntur. SEB. SCHMIDIVS peculiari quæstione hanc phrasin excutiens, *Comment. in h. l. p.* 350 *sq.* in propria sedendi notione acquiescit, sedentemque coram Deo Davidem orasse, & cum eo quasi collocutum fuisse, eo lubentius concludit, quod & idem sedendi verbum 1 Chron. XVII. de ipso repetitur, & Moses orasse sedens super lapide in monte Exod. XVII, 22. perhibetur: moram tamen in precibus hic connotari existimat. Mosis sessionem admittit R. SALOMO *ad loc. cit.* miratus saltem, quod non super culcitram ac pulvinar, sed super lapidem consederit: dixisse autem eum: Israelitæ constituti sunt in angustiis, hinc & ego cum ipsis ero in angustiis. Et de genuflexione orantium, etiam apud Gentiles usu recepta, conferri meretur SANCTIVS *Comment. in III. Reg. c. VIII. v.* 54. *not.* 57. *f.* 1095 *sq.* In genere autem de precantium gestibus ex instituto egit IOH. SAVBERTVS cap. III. dissertat. *de ritu precandi veterum Hebræorum,* quæ in *Palæstra Theol. Philol. p.* 89 *sqq.* exhibetur. Quicquid autem ex omni antiquitate gentili huc facere videtur, studiose congessit MATTHAEVS BROVERIVS DE NIEDEK JCtus, *de populorum veterum ac recentiorum adorationibus*, Amstelædami in 8. anno 1713.

Ad §. XIII. pag. 44.

(18) *Notat prædicationem, non precationem*] Conciones in sacris publicis, apud Judæos, ad populum habitas, & exempla Scripturæ testantur, Nehem. VIII, 4, 8. Luc. IV, 23. Matth. XXVI, 5. Act. XIII, 5. XV, 21. &c. ut Prophetas taceam, toties a Deo concionari jussos Jes. XL, 1, 2, 6. LVIII, 1. &c. & doctorum Judaicorum libri, ex דרשות *homiliis* publice in Synagoga recitatis, conflati. Totum hoc argumentum occupavit VITRINGA, & tantum non exhausit, ut quicquid huc spectat, haurire inde liceat, *lib. III. de Synag. Vet. P. I. Cap. V. p.* 669. de concionum Synagogicarum indole & natura, ex nominibus illarum דרשות / אגרות / & דברי כיבושים æstimanda; de earum circumstantiis, loco, tempore, & occasionibus, *cap. VI. p.* 685. de personis, quibus vel debitum, vel concessum fuit, concionari *cap. VII. p.* 695. denique de adoptione hujus ritus in Ecclesia Christiana *cap. VIII. p.* 712. magno cum eruditionis apparatu agens. B. patruus meus, IOH. BENED. CARPZOVIVS *Introduct. in Theolog. Judaicam*, præmissæ RAYMVNDI MARTINI pugioni fidei, *cap. X. §.* 9. *p.* 81. de Homiletica Judæorum Theologia pariter tractat, & apparatum huc conquiri observat

obſervat ex omni Theologiæ genere, ne Kabbaliſticis quidem myſteriis exceptis, quibus exornare ſoleant homilias illi, qui captata populari aura laudem profundioris doctrinæ aucupantur. Potiſſimum vero e mythica Theologia mutuo materiam dicendi arripere tradit τὸς דרשנים *concionatores*, quod non valere conciones exiſtiment, niſi Talmudicis fabulis & portentoſis narrationibus ſint refertæ. Quem morem ne ſanioribus quidem Judæis probari, R. MOSIS MAIMONIDIS teſtimonio confirmat.

Ad §. XV. pag. 45.

(19) *Triplex Amen ab eo, ſed male, uſurpari*] De triplici hoc *Amen* vitioſo, Judæorum effatum, ex Cod. Talm. *Beracoth fol.* 47. *col.* I. repetit BVXTORF. *Lex. Targ. h. v. col.* 115. אמן חטופה *Amen acceleratum* eſt, quod accelerate & feſtinanter effertur, quaſi cum A breviſſimo, & accentu in ultima: vel quod ante abſolutam orationem præmature reſpondetur: אמן קטופה *Amen amputatum*, a quo ultima litera Nun in pronunciatione quaſi ſucciſa & amputata eſt, ac ſi diceretur Ame. אמן יתומה *Amen pupillare*, ſive *orbum*, quod præcedente benedictione, ceu patre, caret, quando ſcilicet quis inconſiderate & animo aberrante reſpondet Amen, non ad præviam Sacerdotis benedictionem vel orationem, ſed ad murmura populi. Nec impune laturos, qui vitium hic fecerint, veteres Hebræi hac *c. l.* addita gnome confirmant: כל העונה אמן יתומה יהיו לו בנים יתומים/ חטופה יתחטפו ימיו/ קטופה יתקטפו ימיו׃ כל המאריך באמן יאריכון לו ימיו ושנותיו׃ *quicunque reſpondet Amen pupillare, ejus liberi erunt pupilli: acceleratum, accelerabuntur* vel celeriter tranſibunt *dies ejus: qui vero prolongat* ſive diu moratur in pronunciatione *Amen, prolongabuntur dies ejus & anni ejus.* Non nimium tamen morari debebat populus in productione Amen, id enim pro ſuperſtitioſo errore reputatum fuit. Vnde in cit. Tract. *Beracoth fol.* 57. *col.* I. pronunciant: כל העונה אמן יותר מדאי אינו אלא טועה *quicunque reſpondet Amen magis, quam ſatis eſt, id nil niſi error eſt.* Contra vero, quicunque & firma mentis fiducia, & vocis contentione, Amen dicit, magnam conſequitur mercedem, ut eſt in libro *Muſar cap. IV. fol.* 42. כל העונה אמן בכל כחו פותחין לו שערי גן ערן *quicunque dicit Amen omnibus viribus ſuis, ei aperiuntur Portæ paradiſi:* ſicut ſcriptum eſt: & ingredietur gens juſta שומר אמונים h. e. qui dicunt Amen omnibus viribus ſuis, omni intentione & devotione, Jeſ. XXVI, 2. Ceterum poſt BVXTORFIVM, LIGHTFOOTVS quoque *Hor. Hebr. ad Matth. VI,* 13. *Tom. II. Opp. p.* 302. & SHERINGHAMIVS *Not. ad Tract. Joma cap. III. §. 8. p.* 63. ex Maſſ. Joma c. l. & ex Gemara Hieroſol. Tr. *Beracoth fol.* 13. *col.* 3. obſervant, non reſponſum fuiſſe Amen in domo Sanctuarii, ſed poſt recitatam confeſſionem Sacerdotis, in feſto Expiationis, tum quoque poſt alias precum formulas, והן עונין אחריו ברוך שם כבוד מלכותו *reſpondebant illi: benedictum ſit nomen gloriæ regni ejus:* idque, quia Sacerdos Summus nomen Dei τετραγράμματον ſuismet literis protulerat. Conſtituiſſe autem Moſen, ut cum ipſe ſacrum Dei nomen recenſeret, populus benediceret: quod R. SALOM. IARCHI *ad Deut. XXXII,* 3. ita probat: כשאקרא ואזכיר שם יי׳ אתם הבו גדל לאלהינו וברכו שמו מכאן שעונין ברוך שם כבוד מלכותו אחר ברכה שבמקדש *Cum ego protulero nomen Domini, vos magnificate Dominum, & benedicite nomen ejus, atque hinc eſt, ut* poſt pronunciatum Dei nomen *reſpondeant: Benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus, poſt benedictionem in Sanctuario:* Doxologiæ autem huic pro more addiderunt: לעולם ועד *in ſæculum & in æternitatem.* Inde concludit LIGHTFOOTVS: *Prout Amen non omnino publicis precibus in Templo reſponderunt, ita raro etiam ſubjunxerunt precibus privatis. In Synagoga quidem a populo reſponſum eſt Amen, ad preces fuſas a Miniſtro; itemque domi, patrifamilias benedicenti aut oranti: at rarius, aut nunquam quidem, privatim quis orans, hoc ſuis precibus ſubjunxit:*

 quod

quod tamen nondum satis video probatum; cum vel maxime postremis temporibus usu esset receptum, ut ad preces alterius cœtus responderet Amen, per 1 Cor. XIV, 16. Sed nec Paulum a ritu patrio & Judaico multum recessisse arbitror, quando suasmet preces vel δοξολογίας, voce Amen obsignavit Rom. IX, 5. XI, 36. XV, 33. XVI, 27. 2 Cor. XIII, 13. Gal. I, 5. VI, 18. 1 Tim. VI, 16. &c. De legitimo autem Amen pronunciandi modo, lege cautelas Magistrorum apud VITRINGAM *lib. III. P. II. cap.* 18. *p.* 1093 *sqq.* Plura qui de voce *Amen*, ejusque usu & significatione cupit, adeat GOMARVM *Opp. Tom. II. pag.* 83. *&* 127. IAC. ALTINGIVM *in Jerem. XXVIII*, 6. *T. I. Opp. p.* 828. *b.* DILHERR. *Elect. p.* 288 *sqq.* & omnino LAMPE *in Johan. I*, 52. *Tom. I. Comm. p.* 490 *sqq.* SVICERVM *Observ. Sacr. cap. XI. p.* 291 *sqq.* HEIDEGGERVM *Dissert. Tom. I. Diss. XVII.* §. 32. & quos larga manu exhibet ACOLVTHVS *de Aquis amaris Cap. III. p.* 299 *sq.* Num vero juramentum præstet hoc vocabulum, varie disquisiverunt viri docti, & contra negantem FVLLERVM *lib. I. Miscell. Sacr. cap.* 2. asseruerunt WAGENSEILIVS *in Sota p.* 379. EL. VEIELIVS peculiari dissertatione, & novissime IVSTVS CHRISTOPH. DITHMARVS *Annotat. ad Maimonidis Hilcoth Schevuoth cap. II. p.* 53. E nostris, post GLASSIVM, confer PFEIFFER. *in Quinquagena locor. Hebraicor. & Exoticor. Nov. Test. Loco XLIII.*

AD

LIB. II. CAPVT III.

DE PORTIS HIEROSOLYMAE.

Ad §. I. pag. 45.

Portæ in circuitu Hierosolymæ novem fuere] Has non eodem omnibus sive ordine, sive situ & loco, sive nomine recenseri, nemo mirabitur, qui illas pro iterata Vrbis hinc destructione, hinc reparatione, varias subire potuisse vices, secum perpenderit. Apud Nehemiam Capp. III. & XII. vel novem, vel undecim in toto ambitu numerantur. I) שער הצאן *Porta ovium*, seu gregis, τοῖς LXX προβατικὴ dicta, quia prope adjacebat pecorum forum, vel in usum sacrificantium, juxta SPANHEMIVM, vel potius in domesticum & communem usum, juxta HOTTINGERVM, cum, quæ sacrificiis destinarentur pecora, in montem Templi adducebantur Matth. XXI, 12. Joh. II, 15. Circa situm non convenit inter Auctores. SPANHEMIVS *in Topograph. Hierosol. Opp. Tom. I. p.* 50. ad Ortum locat; LIGHTFOOTVS *Harmon. IV. Evangel. ad Joh. V*, 2. *Tom. I. Opp. p.* 531. versus Meridiem; HOTTINGERVS nepos *Not. ad hunc locum Auct. p.* 394. ad Occasum, & *ea quidem parte, quæ meridiei propinqua. Hanc enim situm ordo Portarum nominatarum poscere videtur Neh. III*, 12. Hanc SPANHEMIVS eandem censet cum Porta, quam *Gennath* horti vel hortorum IOSEPHVS *lib. VII. ἁλώσ. cap.* 6. dixit; HOTTINGERVS vero eam, quam idem *lib. VI. cap.* 6. Portam Ἐσσηνῶν, non sane Essenorum, sed ipsam Portam הצאן, vocat. FRANCISCVS MONCAEIVS, paulo post citandus, hanc fuisse existimat, de qua Jerem. cap. XVII, 19 tradit, *Portam filiorum populi* audivisse, *per quam ingrediuntur Reges Judæ & egrediuntur.* Destinatam quippe fuisse solenni fere Regum Judæ in urbem ingressui, sive inaugurationis in regnum, sive nuptiarum, sive victoriæ, sive qua alia publicæ festivitatis causa instituto. Quo scilicet modo Francorum Regibus primum initiatis, etiamnum usitatum quoque sit, per Dionysiacam Portam Parisiis ingredi, per eandemque, cum mortui sunt, efferri.

Hinc

Hinc porro colligit, Christum, omnium Regum Judæ maximum, eadem illa porta, palmarum triumphali pompa, magnaque populi, festis eum acclamationibus excipientis celebritate, in Vrbem invectum fuisse, Matth. XXI. Hinc ad eandem, & Davidem digitum intendere, Psal. XXIV, 7, 9. & Zachariam vatem cap. IX, 9. Et ne temere se hoc amplecti videatur: *Cur id credam,* addit, *facit, quod Christum ex Evangelistis didicerim, ab Jericho, quæ urbi Jerusalem Orientalis erat, profectum venisse Bethaniam, mox Bethphagem prætergressum, per montem oliveti, in urbem solenni illa pompa intromissum fuisse. Quod per eam Portam omnino factum oportuit, quæ Orientem versus, atque ideo ad urbem Jericho, iter haberet.* Probaticam autem Portam paulo ante ita collocaverat, ut a meridie propius ad Orientem vergeret. Hanc porro Portam Gregis vere totius urbis augustissimam & principalem fuisse, auguratur *p.* 98. *b.* ex illo, quod in urbis instauratione per Nehemiam, cum ceteræ urbis Portæ, aliis atque aliis restituendæ & ædificandæ cesserint, hanc Magnus Pontifex Eliasib, solam sibi, suisque fratribus, Sacerdotibus peculiariter instaurandam receperit: quodque sola omnium, ab Summo illo Pontifice & Sacerdotibus sanctificata fuerit Neh. III, 1. Quæ pro ingenii fœcunditate ulterius ornat MONCAEIVS: evicta enim non dedit. II.) שער המזרח *Porta Orientalis* Nehem. III, 29. dicta quoque *Aurea:* quam tamen SPANHEMIVS Templi Portam verius fuisse largitur, quæ in porticum Orientalem, hinc in atrium Israelis, ab Oriente duxit. De qua ad §. sequ. dicendi erit locus. III.) שער המים *Porta aquarum,* a Porta fontis distinguenda Neh. III, 13, 26. XII, 37. ducens ab ortu Regiæ Salomonicæ ad stagnum Salomonis, & Rogel, priori australior. Hinc aqua in Templum ducebatur. LIGHTFOOTVS vero *in Disquisitione Chorograph. Johanni præmissa, cap. V.* §. 5. *Opp. Tom. II. p.* 590. dictam mavult, quod aquæ ex Templo superfluæ, descendentes in vallem interjacentem inter Templum & Hierosolymam, per istam sese Portam evacuarint & effluxerint. Hanc nonnulli cum Porta Siloë faciunt eandem. IV.) שער הסוסים *Porta equorum,* Neh. III, 28. & sæpe alias, plerisque ad Orientem Regiæ & Templi collocatur, ducens ad Cedron & aquas, media inter duas superiores; aliis, sed male, ad Septentrionem, cum Orientem versus locet Jeremias cap. XXXI, 40. Nomen sortita vel a propinquo equorum foro, vel, quod mavult SPANHEMIVS, quod regios equos hac aquatum ducerent in torrentem Cedron. V.) שער הדגים *Porta piscium* Neh. III, 3. Diversimode iterum locatur: aliis ad Septentrionem, inter Portam Benjamini & Veterem, prope forum piscarium; aliis vero bene multis, & per 2 Chron. XXXIII, 14. potiori jure, ad Occasum in civitate Davidis, qua parte murum instauravit Manasses. *Et pisces copiosi commodius ex mari magno, ab Occasu, quam ex remotiore lacu Galilææ inferebantur,* inquit SPANHEMIVS, qui in genuinum ejus situm sollicite inquirit. VI.) שער הישנה *Porta vetus,* quæ antiquissimis diebus exstructa, & a Babyloniis non omnino diruta fuerat Neh. III, 6. Inter Occasum & Septentrionem sita, Cæsaream, Tyrum, & Sidonem duxit, unde etiam inter Portam piscium & illam Ephraimi collocatur Neh. XII, 39. quæ posterior ad Septentrionem. Eadem Adrichomio, quæ *Porta Judicii,* ducens ad Golgotham, seu Calvariæ locum, unde per eandem ad crucis supplicium eductus Salvator Matth. XXVII, 31 sqq. *Porta Jebusitarum* quoque vocatur. VII.) שער הגיא *Porta vallis,* Neh. III, 13. HOTTINGERO ad Ortum sita videtur, SPANHEMIO contra in Occidentali Acræ parte, seu ducens ad profundam vallem inter Vrbem & Golgotha; seu proxima valli, quæ Vrbem utramque discrevit; seu verius, ad vallem Raphaim, quæ ab hac parte fuit. VIII.) שער האשפות *Porta sterquilinii* c. l. 14. Hæc denuo HOTTINGERO Orientalis videtur, quia ad Ortum vallis Hinnom erat, in quam sordes exportabantur ex Vrbe; SPANHEMIO ad Occasum spectans, quia media inter Portam vallis, & Portam fontis, Neh. II, 13, 14. III, 13, 14, 15. Atque hanc eandem facit Vir summus cum Porta Esseno-

Essenorum, cujus supra ex IOSEPHO meminimus; quæ ab occidua primi muri parte erat. IX.) שער העין *Porta fontis*, itidem ad Occasum, procedendo scil. ad Austrum; qua parte fons Gihonis erat, & aquæductus regii, ut diserte legitur 2 Chron. XXXIII, 14. X.) שער הפנה *Porta anguli*, sæpe in historia Sacra citata, 400 cubitis distabat a porta Ephraimi, qua parte Joas Israelis ruinam fecerat 2 Reg. XIV, 13. 2 Chron. XXV, 23. XI.) שער אפרים *Porta Ephraimi*, haud longe a turri Psephina, ad Boream, ducens in regionem Ephraim, urbi aquilonarem. Neh. VIII. & XII. & in libb. Regum & Chronicorum. XII.) שער בנימן *Porta Benjamini*, sita ad angulum inter Ortum, & Septentrionem. Duxit ad sylvas Benjamini, unde ligna inferebantur, & in regionem ipsam, urbi partim ad Ortum, partim ad Septentrionem. *Inferior* quandoque appellata, ne confunderetur cum שער בנימן העליון *Porta Benjamini altiore* Jerem. XX, 2. quæ SPANHEMIO una ex Portis Templi fuisse videtur. Præter has memorantur in Scripturis aliæ, Porta nempe *Mandati*, vel *Visitationis*; Porta *Carceris*, Porta *ferrea*, Porta *pluviæ*, Porta *fictilis*, Jerem. XIX, 11. De his in genere SPANHEMIUS: *Portæ Orientales ducebant ad montem olivarum, ad Jordanem, ad mare mortuum, & Hierichuntem. Ita Australes in Judæam Australem, Idumæam, Aegyptum: Occidentales in regionem maritimam: Septentrionales in Samaritida, hinc in Galilæam, Syriam Damascenam* &c.

Ad §. I. pag. 45.

(1) *Natatoria Bethesda*] In etymologiam nominis Bethesdæ curiose inquisivit LAMPE *Comment. in h. l.* variasque *in Notis* aliorum in medium protulit sententias. Ipse, cum Syro, *Beth-Chesda*, sive בית חסד *locum misericordiæ* dictam fuisse censet; cui tamen HOTTINGER. *in h. l. Auctor.* illam præfert, quæ hoc nomen idem esse ac בית שיתא *locum ovium*, tradit. Sane, si prior obtineat vocis origo, ætatem ultra cœpti miraculi initia ferre non potuit, ut admodum recens tunc temporis fuerit. Præterea oves mactandas in hac κολυμβήθρᾳ lotas fuisse, quod Auctor existimat, prolixe negat LIGHTFOOTUS *Hor. Hebr. ad h. l.* qui nihil tale circa bestias immolandas observatum, unquam se legisse apud Hebræos meminit, quin homines potius immundos in Bethesda lavari solitos credit, ut per ablutionem purificarentur. Hinc quinque Porticus, tot fuisse ait introitus, per quos immundi descendebant in aquas, & in quibus ante ablutionem vestes deponebant, & post resumebant, ut semper protecti essent a pluviis. Et forsan in tot introitus & descensus distributi sunt immundi, pro diversitate immunditiarum, ut eadem immunditia polluti, in eandem Porticum convenirent. Idem porro LIGHTFOOTUS *in Harmonia IV. Evangel. P. III. Tom. I. Opp. p.* 532. hanc piscinam cum eandem esse putat cum piscina Salomonis, IOSEPHO memorata, tum aquam hausisse ex fonte Siloam. Hunc etenim ad meridionalem Vrbis plagam situm, duabus piscinis aquam suppeditasse, quarum altera sita fuerit ad Occidentalem Sionis plagam, dicta Siloam; altera ad Occidentalem urbis Hierosolymitanæ plagam, dicta a fundatore *Salomonis*, & nunc a miraculo *Bethesda*. De miraculo, ægrotis ibidem præstito, vir doctissimus utrobique fusius differit, qui evolvatur; junctis iis, quos & in Biblioth. Bremensi *Class. VII. pag.* 83. HASAEUS, & laudatus supra LAMPIUS *ad h. l.* citavit. Hodiernam hujus lacus faciem IOH. COTOVICUS *Itiner. Hierosolym. & Syriac. p.* 258. ita describit: *Est quadrata oblonga, ex lapidibus quadratis, æqua fere mensura concisis & politis, constructa, profundissima quidem, & tot ædificiis circumsepta, ut conspici nequaquam possit, præterquam ab ea parte, qua Orientem spectat, ubi per murum altum pedes quinque, & fundum, & situm omnem, facile intuearis. Aquis hodie caret, estque partim sterquilinium, & immunditiarum receptaculum, partim cucurbitis, & oleribus culta, viridarii loco habetur: cujus longitudo CL. plus minus passus, latitudo triginta continet. Et quin-*

que

que porticibus, olim apertis, & multitudine languentium, qui sanitatis causa expectabant aquæ motum, continuo refertis, duæ tantum hodie ab Occidente patent, reliquis ad Aquilonem obturatis, ædibusque plurimis desuper constructis. Conspirat cum eo HENR. MAVNDRELLI delineatio *in Itinerario Hierosol.* edit. Gallicæ *p.* 181. data, nisi quod tres adhuc ostendi porticus a latere Occidentali superstites memoret, ipsamque piscinam, hodie siccam, ex altero latere portæ S. Stephani, ex altero areæ Templi contiguam tradat.

Ad §. II. pag. 45.

(3) *Quod attinet Portas Templi*] Has ordine exponit LIGHTFOOTVS *in Descript. Templi Hierosol. cap.* 2 *sqq. Tom. I. Opp. p.* 556. ex quo hæc dare operæ pretium fuerit. I.) *Porta Orientalis*, supra quam picta erat urbs Shushan, regia sedes monarchiæ Persicæ, unde porta ipsa nomen trahebat, שער שושן dicta. Super hanc consessus erat viginti triumviralis. Vocatur eadem *Porta Regis* 1 Chron. IX, 18. quia rex Salomo eam ædificaverat, ut & murum, qui in eo latere erat, immenso quidem labore & sumptu, constructo fundamento immanibus lapidibus, ex ima parte profundissimæ vallis, quæ monti subjacebat. Et per hanc portam Christum & discipulos ejus e Templo egressos statuit LIGHTFOOTVS, sedisse in monte Oliveti e regione hujus portæ, & prospexisse magnificam Templi structuram, Christumque ex ea occasione de ejus ruina disseruisse Matth. XXIV, 1 sqq. Sacerdos vaccam rufam mactans in monte Oliveti, directe ante Templum, cum sanguinem spargeret, hanc portam intuebatur. Hinc, ne prospectum ejus versus Sanctum Sanctorum impediret, non eadem, cum reliquis portis Templi, altitudine eminuit, sed quatuor cubitis depressior erat. Confer *Disquisit. Chorograph. Johanni præmissam, cap. VI. §. III. Tom. II. Opp. p.* 591. II.) שערי חולדה *Portæ Huldæ* binæ in latere Templi meridionali, quod respiciebat Hierosolymam, ita erant sitæ, ut a se invicem & utrinque a duobus angulis muri ex æquo distarent, Orientali nempe & Occidentali. Nominis ambigua est & obscura origo, utrum ab חולדה / quod *mustelam* notat, vel ex חול רא *hoc est commune solum*, vel ex Prophetide Hulda dicatur, cujus tanta fuit apud Judæos dignatio, ut dicant, neminem unquam seu virum, seu feminam, sepultum fuisse intra mœnia Hierosolymæ (si excipias domum David) præter hanc solam. III.) *Porta* שלכת *Schallecheth* 1 Chron. XXVI, 16. fuisse perhibetur prope viam ascendentem; quæ ascensio est celebris illa Salomonis, ad Templum venientis 1 Reg. X, 5. 2 Chron. IX, 4. Dicebatur *Porta egestionis*, propter viam, quæ ex lata & profunda valle aggesta fuerat ad Regis palatium: erat enim hæc ordinaria Regis ad Templum via. Tempore autem Herodis vocabatur שער קיפנוס *Porta Coponii*, a Coponio Præside Romano, qui Magister Equitum, una cum Cyrenio, ab Augusto missus fuit, ut cum illo præesset Judææ. De via autem, a Regia ad Templum per hanc portam ducente, narrant Magistri, quercubus & tiliis utrinque consitam fuisse, ut & sustentarent aggestam humum viæ, ne deflueret, & umbram atque amœnum Regi ambulacrum præstarent. Huc trahunt verba Jes. VI, 13. *erit decimatio, & redibit, & comedetur, ut tilia vel ut quercus prope Schallecheth*, i. e. ut ordines arborum, ad latera aggestæ hujus viæ. IV.) *Porta* פרבר *Parbar* 1 Chron. XXVI, 18. ad Occidentem sita, & portæ Schallecheth vicina. Nomen vel כלפי בר *exteriorem plateam* notat, ut multi volunt Judæi, vel idem ac פרור *suburbium* 2 Reg. XXIII, 11. quia ducebat εἰς τὸ προάστειον, ut habet IOSEPHVS. Hanc autem designari urbis partem censet LIGHTFOOTVS, quæ vocatur Millo, eratque vallis ad Occidentem montis Morijah, in qua Hierosolyma & Sion concurrebant, & quæ completa fuit ædificiis a Davide & Salomone 2 Sam. V, 9. 1 Reg. XI, 27. & pars habita suburbiorum Sionis, distincta per murum a Sione, quamvis pars Sionis, & ad eandem pertinens. V.) *Porta* טדי *Thedi*, vel *Thadde*, in medio muro Septentrionali una, æque distans ab Orientali

 angulo,

angulo, & ab Occidentali. Rationem nominis geminam reddit LIGHTFOOTVS. Habet significationem הצנע *obscuritatis*, aut *pudoris*, & vel eo refertur, quod Sacerdotes, qui gonorrhœam noctu passi fuerant, illuc exibant ad balneum, non sine pudore & dejectione vultus: vel ad Actores & Poetas, quando dicitur: טיורי ופיוטי רגילי בהו קמי ריש גלותא *Tragœdi & Poetæ utebantur ea ante initium captivitatis.* Duæ erant notæ, quibus hæc a ceteris omnibus porta distinguebatur, 1. quod superiora ejus ornamenta & conclavia non æque pulchra essent, ac reliquis, sed tantum supra illam murus emineret, murique pinnæ: 2. quod non esset ordinarius & communis omnibus transitus, sed quibusdam in casibus tantum. Atque hæ sunt quinque illæ Portæ muri exterioris Templi, de quibus Mischna Tract. *Middoth cap. I. §. 3.* חמשה שערים היו להר הבית שני שערי חולדה מן הדרום משמשין בניסה ויציאה קיפונוס מן המערב משמש כניסה ויציאה טרי מן הצפון לא היה משמש כלום שער המזרחי שבו רואה כהן גדול שורף את הפרת *Quinque erant in Templi ambitu Portæ: duabus nomen Chuldæ, quas ab Austro ad ingrediendi egrediendique usum statuerant: porta autem Kiponos, ab Occidente sita, eodem spectabat: porta vero Teri* (LIGHTFOOTO Thedi) *ab Aquilone nulli erat usui; porta denique Orientalis, per quam intuebatur Sacerdos, dum combureret vaccam.* Porro, murus interior septem continebat portas, ut ibidem §. 4. Mischna exponit: *Septem erant Portæ in atrio magno: tres ad Aquilonem; tres ad Austrum, una in Oriente. Ad Austrum erat* שער הדלק *porta ardoris; huic succedebat* שער הקרבן *porta oblationis; tertia ordine erat* שער המים *porta aquarum. In Oriente erat* שער נקנור *porta Nicanor; quæ duo habebat conclavia: unum a dextra, alterum a sinistra: unum erat conclave Pinchasi vestiarii, alterum conclave τῷ ταγηνίζοντι, sive Crustulario destinatum. §. 5. Ad Septentrionem erat* שער הנציץ *porta prominentiæ, forma pergulæ cujusdam, supra quam ædificatum erat cœnaculum, ita ut Sacerdotes superiori loco excubias agerent, Levitæ vero inferiori. Eidemque ostium erat, quo ad spacium intermurale pergerent. Huic succedebat* שער הקרבן *porta oblationis; tertia dicebatur* בית המוקד *locus incendii.* De singulis commentantem lege, si plura cupis, CONSTANTINVM L' EMPEREVR *Notis ad ll. cc.*

Ad §. III. pag. 45.

(4) *Portæ munitissimæ fuerunt*] Vt ingressum hostium arcerent, præcipuas in Portis munitiones struxerunt Veteres, unde non modo pro munimentis portæ ponuntur, sed & *portæ chalybeæ & vectes ferrei* Psal. CVII, 16. coll. Jes. XLV, 2. dicuntur; etsi nonnulli phrasin hanc a portis carcerum depromptam malunt. *Possidere portas inimicorum suorum*, solennis olim benedicendi formula erat Genes. XXII, 17. XXIV, 60. quæ notabat, hostes vincere, imperium in eos obtinere, munitas eorum civitates occupare, hinc jus ipsis dicere, legesque ferre. *Portæ mortis*, & *Portæ sepulchri* pro potestate mortis ac sepulchri ponuntur: Psal. IX, 14. *exaltare aliquem ex mortis portis*, est a summis periculis eum eripere, per quæ in potestatem mortis certo redigendus videbatur: Psal. CVII, 18. *ad mortis portas pertingere* dicitur ille, qui jam in mortis redigendus est potestatem. *Portæ inferni* pro tota Satanæ potentia sumitur Matth. XVI, 18. *Portæ sæculi* sunt Reges & Magnates, qui potentia & auctoritate excellunt, Psal. XXIV, 7, 9. Confer GLASSIVM *Rhet. Sacr. Tr. I. cap. XII. p. 390 sq.* Hinc porro pro ipsis civitatibus, aut pro urbis incolis accipiuntur Portæ, ut Devter. XVI, 5. Psal. IX, 15. LX, 18. LXII, 10. CXXII, 2. Vide denuo GLASS. *c. l. p.* 464.

Ibidem.

(5) *Fora judiciaria erant*] Prope Portas in populo Dei locum solennem fuisse ac publicum, judiciis destinatum, ut sententiæ promulgatæ in omnium venirent notitiam, exeuntium illac & ingredientium, ex Scriptura affatim liquet,

quet, v. g. Amos. V, 15. *constituite in porta judicium:* Zach. VIII, 16. *veritatem & judicium pacis judicate in portis vestris*, h. e. in locis tribunalium: Devter. XXI, 19. *producent illi filium immorigerum ad Seniores civitatis ejus, & ad portam loci sui*, h. e. ad Senatum Vrbis: Cap. XXII, 15. *producent virginitatem puellæ ad Seniores civitatis, ad portam:* Jud. V, 11. *tunc descenderunt ad portas populus Domini*, h. e. tunc iterum judicia administrata fuerunt. Job. V, 4. XXIX, 7. XXXI, 21. Thren. V, 14. Psal. CXXVII, 5 &c. Prov. XXIV, 7. XXII, 22. ubi reprehenduntur *conterentes pauperem in porta*, i. e. in judicio, atque adeo, specie juris. *In porta sedentes* sunt Judices, aliique viri primarii, & Senatoria dignitate conspicui. Quando autem David 2 Samuel. XVIII, 24. בין שני השערים *inter duas portas* urbis consedisse memoratur, SEB. SCHMIDIVS *Comment. in h. l.* de Porta urbis, & de Porta judicii, intelligendum mavult, quam cum SANCTIO, de urbis propugnaculis, eorumque portis introrsus & extrorsus, exponere. *Nam locus judicii*, quod recte addit, *prope portam urbis esse solebat, & inde Porta etiam dicebatur.* Super portam Templi Orientalem consessum fuisse Senatus viginti triumviralis, supra observavimus *Annot.* 3. *n. I.* Cumprimis vero FRANCISCVS MONCAEIVS, qui ex controversia de Vitulo Aureo Aaronis celebris est, in hoc argumentum erudite & cum cura inquisivit, *in Appendice* ad paraphrasin Cantici Canticorum, Parisiis in 4. editam A. 1587. ubi *p.* 88 *sqq. de portis civitatum Judææ, & de fori, judiciorumque in iis exercendorum antiquo more, rebusque aliis ad portarum in universum historiam spectantibus*, copiose disseruit. *Erant autem in hunc usum*, inquit *p.* 100. *a. præter amplissimas porticus, adjacentes ipsis portis, subdiales plateæ, sive areæ latissimæ: qualem ad portam gregis pertinuisse illam modo diximus, quæ area & platea Orientalis vocabatur: qualis item platea portæ aquarum, & platea portæ Ephraim censendæ sint, de quibus in libro Nehemiæ mentio est.* Verum plateæ istæ, non tam Senatum afferunt portis, quam introeuntibus in Vrbem viam pandunt. Hinc exactius huc spectat, quod in aciem posthæc produxit, utrumque, cum ex Ruth. IV, 1. tum ex Genes. XXIII, 18. exemplum, quorum posterius, inter vetustissimas quoque gentes hunc morem, judiciorum in portis, viguisse probat. Quando vero *Lothum sedentem in porta civitatis Sodomæ* Genes. XIX, 1. judicem egisse opinatur, ut *si quis, sive peregrinorum, sive civium, ejus patrocinio, ab aliorum oppressione & injuria, in tanta populi iniquitate, opus haberet, sua omnes sedulitate atque opera, domo denique, opibusque adjuvaret*, in eo vereor, ut doctorum virorum impetret consensum. Vesperi enim in porta sedens, vix juri dicundo vacasse credendus est, nec temere & proprio ausu judicis invasisse partes dici potuisset, quod homines nefarii eidem exprobrabant vers. 9, si pro officii & dignitatis ratione tale quid fuisset molitus. Conciones porro in portis, in ipsisque adeo portarum foribus, veteri illo ævo haberi consuevisse, *p.* 104. probare satagit, quin & turrium vocabulo portas ipsas nonnunquam designari *p.* 105. *b.* tuetur. &c.

AD

LIB. II. CAPVT IV.

DE LVCIS ET EXCELSIS.

Ad §. I. pag. 46.

Nulla templa struxerunt] Ante Tabernaculum, divinis auspiciis a Mose exstructum in deserto, prisci ævi fidelibus Templum, vel ædem quandam, in sacrorum usu fuisse, & altum silet Scriptura, & uno fere ore viri docti negant. Ante diluvium, templum aliquod, sive semini

ſancto, ſive idololatris & Cainitis cultum fuiſſe, ne hariolandi quidem ſupereſt locus. Noachus, ut gratam Deo mentem teſtaretur, cultumque veri Numinis inter ſuos reſtauraret, altare quidem, nullum autem templum erexiſſe legitur Geneſ. VIII, 20. idque ſecuti exemplum poſteri, Abrahamus cumprimis & Jacobus, ſolis altaribus contenti, templo condendo animum nunquam adjecerunt. Jacobum quidem, in voto Numini Bethele nuncupato, tale quid mente volviſſe colligi poſſet ex ejus verbis Geneſ. XXVIII, 22. *& lapis hic, quem cippum ſtatui,* יהיה בית אלהים *vertetur a me in domum Domini;* verum eo ſenſu, quo ſubdialem locum, in quo ſomnum ceperat, pariter בית אלהים *domum Domini,* & שער השמים *portam cæli* affirmaverat verſ. 17. Recte igitur ABEN ESRA, מקום קבוע לתפלה *locum fixum precibus* exponit. Quo ſenſu Targum ONKELOSI quoque vertit: *& lapis iſte, quem poſui in titulum,* תהי דאהי פלח עלה קודם יי *erit, ſuper quem ſerviam, coram Domino.* Hinc redux ex Meſopotamia, exſtructo ibidem altari, oblatisque ſacrificiis, absque æde ſacra, voti religionem exſolvit c. XXXV, 7. Hoc ſequiorum temporum fideles, ex majorum Theologia, & catecheſi πατροπαραδότῳ hauſiſſe, ſtatuit ABRAH. HEIDANUS *lib. VI. de origine erroris cap. IV. p. 308. Nam Adamum monuiſſe Deum, ne ſibi ædem aliquam ſtrueret, cui hoc univerſum, & magnum illud cælum, omnia a ſe condita intra ſe complectens, eſſet Templum. Inde pronepotes ejus, quibus mens melior, eandem ſententiam, & ex eodem fonte, aliarum quoque gentium ab initio Theologos, eundem ritum, colendi Deum ſine templis & imaginibus hauſiſſe. Unde illud Zenonis, Theodori, aliorumque Græciæ Sapientum,* ἱερὰ θεῶν μὴ οἰκοδομεῖσθαι. Quin & ex eadem origine, vetuſtiſſimorum Celtarum, ſive Germanorum morem derivat, de quibus TACITUS in libro *de Germania: Neque cohibere parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* Hinc, ante exſtructum Tabernaculum, nullum toto orbe cognitum viſumque fuiſſe Templum, multa cum fiducia aſſerit PETRUS IURIEU *Hiſtor. Crit. dogmat. & cultuum, P. II. cap. I. p.* 201. Moſen obſervans, quando Deut. VII, 4, 5. & XII, 1, 2. populum jubet, Gentilium evertere ſtatuas, altaria & lucos, nihil prorſus addere de delubris, quæ certe non tacuiſſet, ſi præſto fuiſſent. Nec gentilis templi prius in Scriptura mentionem fieri monet, quam Jud. XVI, 23 ſqq. & 1 Sam. V, 2. ubi de eodem utrobique templo apud Philiſtæos agitur Dagonis. Ex his itaque colliges: primam ædium ſacrarum originem a tabernaculo Moſaico eſſe arceſſendam, quam poſthæc, trita ſibi κακοζηλίᾳ, ad idololatrica quoque ſacra tranſtulerunt Gentiles. Atque iſtam quidem ſententiam omni carere dubio crederem, niſi par doctorum in Anglia intercederet virorum. Alter horum, EDMUNDUS DICKINSONUS *in Phyſica Veter. & veræ cap. XIX. §. XXIV. p.* 297. Jacobum patriarcham ſtatuit, ubi terram Joſen, in Aegypto incolendam, gratia Pharaonis acceperat, non ſolum altare propediem ſtrui, in quo ſolitas victimas immolaret, ſed & tabernaculum ſive templum fabricari curaſſe, in quo Dei nomen publice atque ſolenniter invocaret. Quod quanquam Moſes haud commemorat, attamen credendum eſſe, Iſraelitas multo ante ſervitutem ſuam templa vel ædes ſacras exſtruxiſſe, tum rei ſuæ publicæ firmitate, tum Aegyptiorum ſimul & Idumæorum, qui vicini & cognati fuerunt, uſu & exemplo: hinc porro Joſephum, multitudinis auctæ habita ratione, plures inter ipſos ædes ſacras erexiſſe: demum Iſraelitas, poſteaquam divites & opulenti fierent, & ad immenſum numerum creverint, primarium quoddam Templum condidiſſe, quod Deus innuebat ſe habitaſſe ante aſcenſum filiorum Iſraelis ex Aegypto, 2 Sam. VII, 6. Ubi tot legis figmenta, quot ſomniat ille templa. Ex divina, Abrahamo Gen. XV, 13 ſqq. facta, revelatione, affatim conſtabat Jacobo, ſemen ſuum non ſtabiles & manſuras ſedes, firmamque rempublicam in Aegypto nacturum,

ſed

ſed & inde olim egreſſurum, & interea temporis dura perquam ſervitute premendum, ut de exſtruendis templis cogitaſſe eum, credibile certe non ſit. Porro, cum nec Aegyptiis, nec Idumæis ea tempeſtate templa eſſent, horum uſu & exemplo, ad paria molienda, incitari non poterant Iſraelitæ. In libro Jobi enim, ad quem, quoad Idumæos provocat DICKINSONVS, nec vola templi nec veſtigium comparet. In Aegypti quoque idolis vindictam ſe exerciturum minatur Deus Exod. XII, 12. delubra autem filet, quia nulla erant. Joſephum complures ſtruxiſſe ædes Deo vero ſacras, plane ex ingenio effingitur: & 2 Sam. VII, 6. tantum abeſt, ut Deus in Aegypto, in primario quodam ſe habitaſſe templo aſſerat, ut potius neget, ſe cum illo, tum poſtero tempore, in templo quodam fuiſſe cultum. Alter eſt IOH. SPENCERVS, qui *lib. III. de legib. Hebræor. ritual. Diſſert. VI. cap. I. pag.* 820 *ſqq.* in ſuſceptæ hypotheſeos patrocinium, ex inſtituto tuetur, Ethnicos in ædibus quibusdam ſacris, templorum nomine donatis, Deos ſuos coluiſſe, diu antequam Salomonis templum, aut Moſis tabernaculum ſtrueretur. Quod ut evincat, cum ad divina, tum ad humana provocat teſtimonia. Poſterioris generis longe ſunt recentiora, quam quæ ad Moſis aſſurgant ætatem, aut rem reddant confectam. In prioris claſſis argumenta inquiſivit BVDDEVS *Hiſt. Eccleſ. Vet. Teſt. per. I. Sect. III. p.* 387 *ſqq.* eademque ſolide retudit; Lev. XXVI, 30. per חמנים non templa Soli dicata, ſed ſtatuas ſubdiales, Num. XXXIII, 52. per משכית lapidem effigiatum intelligi debere contendens: *Beth Peor* tamen omiſit, e cujus regione Moſi ſepulchrum obtigit Deut. XXXIV, 6. Ponamus vero, ædem idololatricam deſignari, nihil tamen coget, ut antiquior illa credatur tabernaculo, jam ante 39 annos excitato ad montem Sinaj. Tot luſtrorum ætate ſubſequente, Iſraelitarum morem imitari potuerunt Moabitæ, & Baal Peori ſuo quandam pariter ædiculam parare. Vt taceam, pericopam iſtam poſt fata Moſis, a recentiori, licet θεοπνεύςῳ, manu adjectam, regionem illam deſcripſiſſe a facie illius temporis, quo colophon imponebatur Pentateucho, minime vero ab illa tempeſtate, quæ erectum tabernaculum Moſaicum anteceſſit. Reliqua *Spenceriana* longe ſunt recentiora, quam ut ſententiam noſtram infringant.

Ad §. II. pag. 46.

(2) *Hi montes ſacri ſunt Celſa iſta*] במה pl. במות loca editiora, montes atque colles in genere, ut 2 Sam. I, 19, 25. notant. Quia vero non Noah modo, in montanis Ararath Geneſ. VIII, 4, 20. & Abrahamus, divinis auſpiciis, in monte Morijah cap. XXII, 2. ſacrificiis Deum coluerant, verum poſthæc etiam priſca religio colles & montes paſſim ſacris dicaverat, factum hinc eſt, ut במות cumprimis delubra deſignarent, cum vero Deo, ut 1 Reg. III, 2, 3. tum idolis conſecrata. Ante conſtructum Tabernaculum, impune in montibus ſacra faciebant fideles, æque ac in lucis, exemplo Abrahami Gen. XIII, 18. & Moſis Exod. XXIV, 4, 5. poſt conflatum autem altare æneum, diſerte caverat Deus Lev. XVII, 3, 4. ne alibi, quam אל פתח אוהל מועד *ad oſtium tabernaculi conventus* victima juguletur. Interdum tamen divinam hic interceſſiſſe videmus diſpenſationem, poſtquam jam inhabitabant terram promiſſionis, ut præter Tabernaculum, aliis quoque in locis ſacrificia rite offerrent. Gideon, ubi excelſa deſtruxerat & lucos, divino juſſu ſacrificium obtulit in ſummitate petræ, & quidem ex lignis luci, quem ſucciderat, Jud. VI, 26. & Samuel in Mizpa holocauſtum ferebat Domino, cum ſolennis ſacrorum locus in Kirjath Jearim ea tempeſtate conſtitutus eſſet, 1 Sam. VII, 1, 2, 7, 9. pariter Bethlehemi 1 Sam. XVI, 2 ſqq. Judæi, teſte R. SALOMONE IARCHIO *Comment. in Deut. XII,* 8. hoc dubium ita ſolvunt, ut partim votiva & ſpontanea, quæ pro lubitu Deo ſacrabant, in excelſis rite oblata cenſeant, minime vero ſacrificia ſtata, & quæ ex lege & debito erant mactanda: partim excelſorum uſum interea temporis obtinuiſſe cre-

credant, dum tabernaculum certam, fixamque non haberet sedem. Hinc licita fuisse excelsa primis quatuordecim ab ingressu in Canaan annis, quibus subacta & divisa fuit terra; porro, ex quo tempore vastata fuit Schilo; rursus, ex quo in urbe Nob & in Gibeon commoratum est tabernaculum, permissam fuisse oblationem in excelsis, ut idem IARCHIVS notat *ad cit. loc. v.* II. & *ad* I *Sam. IX*, 13. post extructum autem Hierosolymis templum, excelsa penitus fuere interdicta, juxta Eund. *ad* 2 *Chron. VI*, 2. Quando autem populus æque ac ipse Salomon Gibeone sacrificasse legitur I Reg. III, 2, 4. eo quod hoc esset excelsum præclarum & magnum; laudatus R. SALOMO במה de altari accipit, & explicat מזבח, Deo, cuicunque lubuerit, ædificasse altare in summitate tecti sui aut atrii, commentus: *excelsum* autem *magnum* dicit altare æneum esse, quod fecerat Moses in deserto, ac fixum erat primo in urbe Schilo, posthæc ætate Eli, in urbe Nob, demum tempore Saulis, Gibeone. His gemella tradit ABARBENEL *in h. l.* Sed manifesta est loci detorsio, nec comma 2. patitur, במה commate 4. pro altari æneo poni. Rectius habet Hebræorum regula apud DAVID. KIMCHIVM: *Licita fuerunt excelsa, ex quo devastata est Schilo, usque dum ædificata est domus perpetua*, seu Templum. Vnde SEB. SCHMID. *Comment. in* I *Reg. III*, 2. a reatu omni liberat ac absolvit eos, qui ante exstructum Templum sacra fecerunt in excelsis. Hoc satis inde liquet, non ejusdem omnia excelsa generis fuisse: alia licita, in quibus citra omne idololatriæ commercium, pii Israelitæ ante exstructum Templum, sacrificiis & cultui vacabant, ut cit. loco; alia ubi idolis cum peregrino cultu sacra fiebant, qualia tempore Achasi, Manassæ & aliorum regum impiorum. Hinc utrumque de pio Josaphato legas, & quod abstulerit excelsa, alienis scilicet Diis sacra 2 Chron. XVII, 6. & quod non abstulerit, in quibus nempe Deo vero sacrificaretur cap. XX, 33. Idque vel maxime stante ac vigente Templi cultu. Vbi tamen inficiandum non est, in vitio hoc poni Asæ, aliisque quibusdam regibus probis, quod seu metu popularis offensionis, seu neglectu accuratioris disciplinæ, excelsa tolerarint, certe abolenda. Vnde Siracides cap. XLIX, 4. πλημμέλειαν appellat, tolerantiam excelsorum, qua omnes se obstrinxerint reges Judæ, præter Davidem, Ezechiam & Josiam, qui illa dissiparunt 2 Reg. XVIII, 4. XXIII, 8. Quando autem Elias in monte Carmelo sacrificavit I Reg. XVIII, 23. dubium nullum est, quin Deo annuente, immo jubente id sit factum. Quando vero Jerobeam 2 Reg. XII, 31. excelsa constituit in Dan & Bethel, ad manifestam ea spectabant apostasiam, nec Deo poterant non esse invisa & exosa.

Ad §. III. pag. 46.

(3) *Mos initiandi Montes & Lucos*] Lucorum religio pariter templa antecessit, & cum montibus sacris utplurimum fuit conjuncta. Frequentissimus quippe mos ferebat idololatrarum, ut idolo erecto, sylvam lucumque plantarent, aut ultro oblatum rei divinæ rite peragendæ dicarent. Sed &, ubi aberat idolum, nunquam lucus sine religione & metu, ob præsentes Deos, Heroumque animas, *lucis habitantes opacis*, ut habet VIRGILIVS, adibatur. *Si tibi occurrit, vetustis arboribus, & solitam altitudinem egressis, frequens lucus, & conspectum cœli densitate ramorum, aliorum alios protegentium submovens, illa proceritas sylvæ, & secretum loci, & admiratio umbræ, in aperto tam densæ atque continuæ, fidem tibi Numinis facit:* ait SENECA *Epist. XLI.* Hinc talia nemora Diis sacrata, arisque & statuis exornata, quin & a Diis nomen fuere sortita. Sic apud LIVIVM *lucum Ferentinæ, lib. VII. cap. XXV.* legis: & *lib. XXIV. cap. III.* ubi de urbe Crotone: *Sex millia aberat ab urbe nobile templum, ipsa urbe nobilius, Laciniæ Junonis, sanctum omnibus circa populis. Lucus ibi frequenti sylva, & proceris abietis arboribus septus, læta in medio pascua habuit, ubi omnis generis sacrum Deæ pascebatur pecus, sine ullo pastore: separatimque egressi cujusque generis greges, nocte*

nocte remeabant ad stabula, nunquam insidiis ferarum, non fraude violari hominum, magni igitur fructus ex eo pecore capti: columnaque inde aurea solida facta & sacrata est: inclitumque templum divitiis etiam, non tantum sanctitate fuit. Rursus *lib. XXXV. cap. LI.* circa templum Apollinis Delium, fanum lucumque memorat ea religione, & eo jure sanctum, quo sunt templa, quæ *Asyla* Græci appellant. In originem hujus religionis si inquiras, ad *κακοζηλίαν* redeundum erit Diaboli, sive Abrahami pietatem, lucum Deo vero consecrantis Gen. XXI, 33. sive priscum morem veterum depravantis, quo templis nondum exstructis, sub dio & arboribus orabant & sacra peragebant. Jam Gen. XIII, 18 in quercubus Mamre, quæ sunt in Hebron, Abrahamus cultui divino altare struxisse fertur, qui locus diu post Christum natum, ab Ethnicis, Judæis & Christianis, precum causa adiri solitus, memoratur SOZOMENO *lib. II. Hist. Eccles. cap.* 4. donec a Constantino M. exturbata superstitione sive Gentili, sive Judaica, templum vero Numinis supremi cultui, juxta Ecclesiæ leges, ibi consecraretur. Perversa igitur Patriarcharum piorumque veterum imitatione, Gentiles ritum adoptarunt, de quo PLINIVS *lib. XII. Hist. Nat. cap.* I. de arboribus verba faciens: *Hæc* inquit, *fuere Numinum templa, priscoque ritu simplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicunt. Nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus. Arborum genera Numinibus suis dicata perpetuo servantur, ut Jovi esculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus. Quin & Sylvanos Faunosque, & Dearum genera sylvis, ac sua Numina, tanquam & cælo, attributa credimus.* Aliam præterea rationem jungunt viri docti, quia cum idololatria fœdæ utplurimum spurcæque conjunctæ erant libidines opacas arbores sylvarumque densarum umbras electas fuisse *εἰς φιλοσαρκίας ἀφορμὴν ad occasionem lasciviæ*, ut S. CYRILLVS observavit, ut sub specie religionis eo tutius concupiscentiis carnis litarent. Demum etiam fabulabantur, arbores ejusmodi Nymphas olim fuisse a Dæmonibus adamatas: quales *Hamadryades*, quercubus congenitæ, parique cum illis fato, aut florentes, aut caducæ, ut est apud NATALEM COMITEM *in Mytholog. lib. V. cap. XI.* Vide IOH. HENR. VRSINI *Sacror. Analect. Vol. II. c. XXIX. p.* 99 *sq.* Israelitæ vero, quia cum idolomania finitimarum gentium, lucorum quoque abominationes adsciscebant, severis Deus legibus prohibuit, lucos ejusmodi vel plantare, vel tolerare, Exod. XXXIV, 13. Deut. VII, 5. XII, 3. XVI, 21. Hoc non obstante, cum populus rebellis in istius communionem sceleris tamen rueret, tot adversus se cum querelas Prophetarum, Deique minas, tum justas provocavit pœnas Jes. LVII. Ezech. XVI, 13. Os. IV, 13. Confer huc IOH. CVNR. DIETERICI *Antiquitat. Bibl. pag.* 266. & 275.

Ad §. III. pag. 46.

(4) *Arbores sacrari*] Ista, quia ab instituto nostro sunt aliena, legantur apud GER. IOH. VOSSIVM *lib. V. de Idololatr. cap.* 45, 47. CAELIVM RHODIGINVM *in Lection. antiquis*, & alios.

Ad §. V. pag. 47.

(5) *Idolum subinde sumit nomen Luci*] Erudite hanc observationem illustrat & probat SELDENVS *de Diis Syris Syntagm. II. cap. II.* & liquido evincunt dicta 2 Reg. XXI, 7. ubi Manasse in domo Domini simulacrum vel sculptile האשרה posuisse legitur, h. e. idolum in luco cultum: 2 Reg. XXVII, 10. ubi statuæ & luci erecti dicuntur in omni colle excelso, & super omnem arborem frondosam: Os. IV, 13. Ezech. VI, 13. Jes. LVII, 5. Jud. VI, 25, 28. In quibus singulis non tam nemora, quam idola lignea intelligenda veniunt. Scite in hanc sententiam commentatur IOH. OWENVS *Theologum. lib. V. cap. VI. §. 6. Lucorum duo genera fuere:* naturales *scilicet erant nonnulli ex arboribus consitis, quibus longe lateque per totum terrarum orbem in sacris suis usi*

usi sunt idololatræ. Talis erat lucus iste, quem excidit Gideon, Jud. VI, 28. qualesque in excelsis plantare, mos erat. Fuere etiam artificiales *luci, seu naturalium imagines & similitudines fictæ; quæ sedibus sacris intulerunt, & in cultu religioso aliquo modo usi sunt. Talis ille lucus erat, quem e domo Dei extraxit & combussit rex Josias, 2 Reg. XXIII, 6. quod hic vocatur simpliciter* האשרה *lucus, cap. XXI, 7. dicitur* פסל האשרה sculptile seu imago luci. Loca autem, quæ de excindendis vel excisis lucis agunt, eatenus solum intelligenda esse monet CALOVIUS *Bibl. Illustr. ad Jud. II,* 13. qua se profanatio extendebat, h. e. qua sub formali cultus idololatrici spectantur. Loca enim ipsa materialiter considerata, luci, excelsa, & similia, non diruebantur, sed idola, simulacra, statuæ, & quicquid ad cultum spectabat idololatricum. Ideoque modo Numen aut idolum & simulacrum ista vox per metonymiam, quia in lucis colebatur, modo lucos ipsos, denotasse videtur.

AD

LIB. II. CAPUT V.

DE ASYLIS.

Ad §. I. pag. 47.

Hæc Asyla] Nomen Asylorum prius evolvendum est, quam ad rem veniamus. Dicuntur I. Hebræis ערי מקלט *urbes receptus*, vel *refugii*, ad quas supplices homicidæ eum se in finem recipiebant, ut ultori sanguinis, vindictæ cupido, subducti, vitæ & saluti suæ prospicerent. Apud Josuam cap. XX, 9. ערי המועדה *urbes publice constitutæ nuncupantur*, h. e. exponente RASCHIO, ההזמנה היעודות לכך *urbes præparationis, quæ ad id constitutæ* erant & præparatæ, ut scilicet involuntarium reciperent homicidam: quocum DAV. KIMCHI consentit: שהיו נועדים שם כל מכה נפש בשגגה *eo quod congregarent se ibi omnes occidentes hominem per errorem.* II. Græcis τοῖς ἑβδομήκοντα, nunc πόλεις φυγαδευτηρίων, *civitates refugiorum,* nunc φυγαδεῖα Num. XXXV, 15. rursusque vers. 27, 28. πόλεις καταφυγῆς audiunt, sensu ubivis eodem. Apud profanos, Græcos æque ac Latinos, loca illa ἄσυλα, *Asyla* appellantur, ἀσυλίαν seu *immunitatem* & jus præstantia, quo quis, ob loci sanctitatem & religionem, ita fruebatur, ut nullam vim, vindictam, aut injuriam pateretur. HIERONYMUS demum Num. XXXV, 6. *oppida in fugitivorum auxilia separata,* vers. 11. *præsidia fugitivorum,* vers. 13. *urbes ad fugitivorum subsidia,* vertit. Duplex autem vocis traditur originatio: vel a σύρειν *trahere*, ut ἄσυλον sit velut ἄσυρον, locus unde nemo abripi vel ad supplicium trahi possit; vel a σύλη, *spolium*, quia eo qui confugissent, hos spoliare non liceret. Vide BARTHII *Adverf. lib. IV. cap.* 12. GYRALDI *Syntagm. Deor. cap. XVII. p.* 474.

Ad §. I. pag. 47.

(2) *Differunt ab Asylis gentium*] Recte hoc discrimen observat Auctor. Quamvis enim ab Hebræis ad Græcos, ab his ad Romanos, Asylorum transiit institutum, dispar tamen utrobique ratio erat. Apud Græcos, primum omnium Cadmum ferunt, dum Thebas conderet, Asylum aperuisse, ad quod fugientes sine discrimine, servi aut liberi, ab omni pœna erant immunes. Malunt tamen alii ab Herculis arcessere nepotibus, veritis insidias eorum, quos avus afflixerat, hinc Athenis primo Templum Misericordiæ in medio foro constituisse, unde nullus

nullus poſſet abduci; teſte SERVIO *ad lib. VIII. Aeneidos:* poſt quod in Rhœteo littore fuit Aſylum Ajacis, & in Sigæo Achillis, ut eſt apud STRABON. *lib. III.* ALEX. AB ALEXANDRO *genial. dier. lib. III. cap.* 20. POTTERVM *Archæolog. Græc. lib. II. c. II.* Id imitatus gentis Romanæ conditor, de quo LIVIVS *lib. I. cap. VIII. Aſylum aperit Romulus: eo ex finitimis populis, turba omnis ſine diſcrimine, liber an ſervus eſſet, avida novarum rerum, perfugit.* Callido id egit Romulus conſilio, ad multiplicandam gentem, ut quisquis advena illuc confugiſſet, reciperetur in civitatem, inter Capitolium & arcem, loco qui *inter duos lucos* dicitur, ut *c. l.* LIVIVS habet. Differunt autem Aſyla Gentium ab Hebræis, cum exulum genere, tum immunitatis jure. Apud Romanos tribus hominum generibus erat perfugium: ſervis, obæratis, maleficis. Omnes complectitur TACITVS *Annal. lib. III. cap.* 60. *Complebantur templa peſſimis ſervitiorum: eodem ſubſidio obærati adverſum creditores, ſuſpectique capitalium criminum receptabantur.* Confer de ſervis & maleficis PLVTARCH. *de ſuperſtit. p.* 166. de obæratis, eundem *de vitand. uſur. p.* 828. ubi de Diana Epheſina, præſidium debitoribus præſtante, affirmat. Apud Hebræos ſolis illa patebant occiſoribus involuntariis. Apud Gentiles, Romanos cumprimis ab initio V. C. citra ulteriorem ſive criminis inquiſitionem, ſive reorum pœnam, recipiebantur omnes, modo ut numerus gentis creſceret; hinc LIVIVS ſuperioribus addit: *idque primum ad cœptam magnitudinem roboris fuit.* Apud Judæos, curate inſtituto cædis examine, & ſi judicio Senatus, a ſanguinis reatu innocentes perfugi pronunciarentur. Etſi non nego, ſequioribus temporibus, in cauſas perfugii inquiſitum pariter fuiſſe apud Gentiles, ut vel punirentur rei, vel dederentur, aut certe amoverentur; quod copioſe probavit H. GROTIVS *de Jure B. & P. lib. II. cap. XXI.* §. 5. Quod ad Auctorem noſtrum obſervandum, quando ſub finem paragraphi, ſacella, ſeu ſacra loca omnia, tam reis, quam innocentibus patuiſſe affirmat. Sed de Ethnicorum Aſylis vid. SAM. PITISCVS *Lex. Antiqu. Roman. h. v. p.* 194. & quos larga manu ibidem citavit, auctores alii; item WILHELM. GODELEVAEVS, aliique *in Annotation. ad loc. cit.* LIVII.

Ad §. II. pag. 47.

(3) *Per errorem, aut incaute, aut fortuito*] Fundamentum, cui univerſum Aſylorum jus innititur, cædes eſt involuntaria, ab homicidio deſtinato caute diſtinguenda. Vnde Hebræi cædem aliam fieri dicunt בצריה *cum venatione*, vel de induſtria, בזרון *cum protervia*, בכוונה *cum intentione;* aliam autem בשגגה *cum errore*, & בלא כוונה *ſine intentione.* Vtramque erudite perſequitur IOH. IAC. CRAMER *Theol. Iſrael. lib. III. de Goële, cap. I. p.* 342. quem huc evolviſſe, non pœnitebit. Involuntarii homicidii rationem explicat ABARBENEL *Comment. in Legem fol.* 373. *col.* 3. זה אופנים מהשגגות אשר בעבורם יהיה פטור מן המיתה ביאר כאן בדרך כלל שנקרא שוגג אשר יכה את רעהו בבלי רעת ולפי שהרעת הוא בלב הארם ועקוב הלב מכל ואנוש הוא מי ירענו לכן נתן עליו האות המורה על אמתתו והוא אמרו ולא שונא לו מתמול שלשום כי בהיורת שאינו שונא ירענו שהכהו בבלי רעת: *Modos homicidii involuntarii deſcriptos* (Numer. XXXV, 22, 23.) *in quibus occiſor liber eſt a morte, hic* (Deut. XIX, 4, 5.) *generaliter comprehendit ſub errante, qui percutit ſocium ſuum absque ſcientia* (verſ. 4.) *Quoniam vero ſcientia ſedem habet in corde hominis, cor autem fraudulentum ſupra omnia, & mortiferum eſt, quis cognoſcat ipſum?* (Jer. XVII, 9.) *Eapropter dedit Deus ſignum, quo de veritate ejus conſtat, quando addit* (verſ. 4.) *& non oderit eum heri & nudius tertius. Colligimus enim, ſi quis eum odio non habuerit, percuſſiſſe absque ſcientia, ſive per errorem.* Ad innocentiam itaque percuſſoris duo requiruntur: 1) ignorantia, qua percuſſor occiſum in periculo verſari, ſeu adſtitiſſe, ſeu iri tactum, plane ignoravit, quod volunt phraſes בבלי רעת *abs-*

que scientia, בפתע *inopinato*, & similes; 2) absentia odii, ut facta sit cædes בלא איבה *sine odio, inimicitia, & insidiis*, qua si percussor careat, dolorem post facinus, non gaudium percipere eum oportet. Addit CRAMERVS §. *XIII. p.* 352. ad omnimodam excusationem, 3) ut occisor sit in vocationis suæ exercitio, ut Deut. XIX, 5. casus formatur. Neque tamen eapropter homicida involuntarius omni plane culpa vacabat. Velut enim aut incuriæ aut imprudentiæ, vel negligentiæ vel alius erroris culpam admisit, ita injuste talis, ad Pontificis M. obitum usque, exilii daret pœnam, si ab omni plane labe coram Deo innocens haberetur ac purus. Mavult quidem ABARBENEL *cit. loc.* in beneficium & protectionem vertere hoc exilium, sed rectius R. BECHAI in pœnæ loco habet, quanquam mitioris: unde Judæi, apud CRAMERVM §. *XVII. p.* 356 *sqq.* caute definiunt, quo casu exulare teneatur ejusmodi occisor, h. e. pœnæ sit obnoxius, quo minus; quas tamen consectari minutias, nostri non est instituti. Qui de cæde involuntaria, diversisque ejus speciebus, plura cupit, adeat SELDENVM *de jure N. & G. juxta disciplinam Hebræor. Lib. IV. cap. II.*

Ad §. II. pag. 47.

(4) *Concessum confugere ad altare*] Recte Auctor noster colligit utrumque, & ante urbium refugii constitutionem, tutum talibus homicidis receptum præbuisse altare, &, quia unum in universa terra solum prostabat altare, quod assequi non omnibus miseris, in remotioribus Palæstinæ oris, datum erat, hinc urbes delectas, & per totam terram distributas fuisse complures, *ἀσυλίας* privilegio munitas, quæ promtum facilemque præberent accessum. Et de altari quidem, loca Exod. XXI, 14. 1 Reg. II, 25, 28. 2 Reg. XI, 15. juxta Targum, dubitare non sinunt: hinc diserte MAIMONIDES *Hilc.* רוצח *cap. V.* המזבח קולט שנאמר בהורג בזדון מעם מזבחי תקחנו למות מכלל שההורג בשגגה אינו נהרג במזבח לפיכך הורג בשגגה וקלטו מזבח והרגו שם גואל הדם הרי זה נהרג עליו כמו שהרגו בתוך עיר המקלט: *Altare locus erat refugii legitimi, quia dicitur de homicida proterve agente* (Exod. XX, 14.) *ab altari meo tolles illum, ut moriatur. Vnde eliciendum plane, homicidam ex errore, ad altare interficiendum neutiquam esse. Quare si homicidam ejusmodi, qui ad altare confugerat, ibi occiderat vindex sanguinis, is ejus nomine morte plectendus erat, perinde ac si in urbe refugii eum occidisset.* Vbi quidem varia monent Magistri: 1) non præbuisse altare tutelam, nisi Sacerdoti, in ipso altaris tecto sacra operanti; 2) nec vel cornua altaris, vel tactum laterum, multo minus viciniam aliquam, securitatem aliquam præstitisse, nisi tectam, vel superficiem ejus superiorem; 3) nec moram ibi trahere permissum fuisse occisori, sed traditis ei custodibus, traductum eum fuisse in urbem refugii, ei idoneam: ut SELDENVS habet *cit. loc. p.* 491 *sq.* edit. Argentoratensis. Quæ Rabbinorum commenta, ut præter Scripturam excogitata, merito explodimus: contra vero censemus, jus confugiendi ad altare, ante constitutionem urbium refugii magis viguisse, post illas autem constitutas, valde limitatum fuisse ac restrictum. Prope Tabernaculum enim aut Templum, & in ipsis Hierosolymis, si quis cædis reus fieret, illuc confugere potuisse, probabile est. Inter Christianos mos iste, licet serius obtinuit, cujus rei exemplum lege apud GREGORIVM NAZIANZEN. *Orat. XX. in laudem Basilii M. Tom. I. Opp. f.* 353. edit. Paris. 1630. de muliere, contra vim intentatam, ad sacram mensam, tanquam ad Asylum confugiente; constitutionem autem THEODOSII, in Edicto, *de his, qui metus causa ad Ecclesiam,* ubi a simili argumentatur Imperator: *Si statuæ complexus*, inquiens, *propter regiam majestatem, tantum præsidii miseris conciliat, quantum opus debet esse paratum, qui salutis causa ad sacrosancta altaria confugiunt? Pateant proinde trepidis magni Dei templa, famulos fugientes communis suscipiat ara* &c. *Nobis igitur moderantibus imperium, sacrosancta altaria miseris Asylum con-*

constituimus ac definimus. Plura de ἀσυλία templorum, altarium, locorumque sanctorum in jure cum civili, tum ecclesiastico, Pontificio maxime leguntur, quorum abusum gravi & prolixa confutatione retundit IOH. HOORNBEECK *Theol. Pract. P. I. Lib. III. cap. I. pag.* 252 *seq.* edit. Lipsiens. 1698.

Ad §. III. pag. 47.

(5) *Horum Asylorum sex erant.*] Ad urbium numerum quod attinet, non convenit inter doctores. MAIMONID. in Hilc. *Rotzeach cap. VIII.* & qui, ex Hebræis pariter ac Christianis, eum sequuntur, SELDEN. *cit. loc. cap. II. pag.* 488. REIZIVS *in Not. ad Auctor.* & alii, præter sex istas, ceteras XLII. Levitarum urbes æque homicidam in tutum recepisse tradunt, sed cum triplici discrimine, nimirum 1) quod sex istæ excludere homicidam non potuerint, potuerint vero ceteræ: 2) istæ percussori immune dederint domicilium, in his vero patri familias commorationis pretium pendere exul debuerit: 3) istæ, gnaros & nescios juris, qui se securitatis, vel alia de causa eo receperant, admiserint, hæ autem nescios juris non protexerint. Verum infirmo admodum tibicine hæc nititur assertio, & triplex illud discrimen plane ex ingenio Rabbinorum est confictum. Quia enim, post definitas urbes refugii, pergit Scriptura Num. XXXV, 6. *& ultra has, dabitis quoque quadraginta duas civitates*, perperam argutatur MAIMONID. הקישין הכתוב כולן זו לזו לקלוט *ita pares fere facit Scriptura universas simul sibi invicem, quantum ad jus Asyli.* Qua refugii enim privilegium, sex priores a XLII posterioribus Textus segregat & distinguit, aggregat vero & comparat utrasque ratione habitationis, quod illæ pariter cum his, Levitarum habitationi dicatæ fuerint ac destinatæ. Vt *fallacia* committatur a MAIMONIDE, quæ apud Logicos *compositionis & divisionis* appellatur. Eandem nobiscum sententiam tuetur, & sex tantum urbes refugii agnoscit CRAMER. *cit. loc. cap. III.* §. 26. *pag.* 418. Sex autem istarum, quæ haud dubie jure illo gaudebant, tres trans, ac totidem cis Jordanem erant sitæ. Trans-Jordanenses erant: בצר *Bezer*, interdum quoque בצרה *Bozra* dicta, ex tribu Ruben, trans Arnonem fluvium, longiusculo intervallo, in Moabitidis planitie sita, caute distinguenda a Bozra Idumæa Jes. XXXIV, 6. ראמות *Ramoth* in Gilead, XV miliaribus a Philadelphia versus Occidentem, distinguenda a רמות *Ramoth* Austri 1 Sam. XXX, 27. sita in Δαρώμα, sive australi parte tribus Judæ, eadem atque *Ramath Negeb.* Nostram, quia Syris Damascenis eripere tentarint reges Samariæ 1 Reg. IV, 22. conjicit RELANDVS *lib. III. Palæstinæ p.* 967. inter Damascum & Samariam fuisse sitam. גולן *Golan*, quæ Jos. XXI, 27. גלון scribitur, urbs in Basan, data dimidiæ tribui Manasse, Deut. IV, 43. & sacerdotalis, & Levitica, & refugii. EVSEBIVS suo tempore villam prægrandem in Batanæa, Gaulon dictam, memorat: IOSEPHVS vero Batanæam a Gaulonitide distinguit, cujus urbem primariam Γαυλάνην dicit *lib. I. de B. Jud. cap. IV.* Ab hac enim urbe, tota circumjecta regio Gaulonitis, vel Gaulonitica dicta fuit, cujus pars superior, inde a Libano monte, ad lacum Gennesareth usque, inferior autem a littore Gennesareth ad Gadaram urbem vulgo definitur. Cis Jordanem, in ipsa Palæstina, prima in tribu Naphtali erat קדש *Kadesch*, urbs magna & munita, & ob agri adjacentis ubertatem affluens annona: distinguenda a Kadesch Judæ Jos. XV, 23. Media שכם *Sichem*, in montanis Ephraim sita Jos. XX, 7. XXI, 21. Hanc quando EVSEBIVS *Onomast. ad voc.* Τερέβινθος, a Neapoli distinguit, alii utramque faciunt eandem, RELANDVS *cit. loc p.* 1004 *sq.* ita conciliat, ut Sichemi partes alias periisse, alias novas accessisse credat, donec Neapolis, ab loco antiquæ Sichem, aliquo intervallo distans, emerserit. Vltima חברון *Hebron*, in media fere tribu Judæ sita, & a Patriarcharum commorationibus, a Davidis regia, priusquam imperium in totum Israelem obtineret, aliisque antiquitatis documentis, illustris. Juxta eam

quercus Mambre Gen. XIII, 18. vallis Chebron cap. XXXVII, 14. dicta olim Kirjatharbe Gen. XXIII, 2. Jos. XV, 13. Integro septennio ante Tzoan, urbem Aegypti condita Num. XIII, 22. data fuit Calebo Jos. XIV, 13. Quin & HIERONYMUS *Comment. ad Matth. XXVII.* illuc collocat Adami sepulchrum. Tres priores per Mosen Num. IV, 43. posteriores per Josuam, cap. XX, 7. in hos usus separatæ fuerunt & constitutæ, eo tamen usu, quem definit Mischna Mass. *Maccoth cap. II. sect.* 4. donec ternæ istæ in terra Israel nondum essent electæ, ternas illas ultra Jordanem non recepisse fortuitum occisorem: ex quo vero ternæ illæ constitutæ fuerunt in Palæstina, has quoque priores juris exercitium fuisse indeptas. Præterea in Gemara *ad h. loc. fol.* 9. *col.* 2. observant Magistri, dispositas fuisse utrasque, *uti duæ series in vinea. Scilicet Chebron in Juda, e regione Betzer in solitudine, Sichem in monte Ephraim e regione Ramoth in Gilead, Cadesch in monte Naphtali e regione Golanis in Basan.* Ampliori emolumento gaudet observatio laudati supra CRAMERI *cap. III.* §. 25. Deum Asyla constituisse non extra terram Israelis, sed בתוך *in medio ejus* Deut. XIX, 2. idque duplici de causa, 1) ne remota nimis extra patriam fuga, homicidam anxium facilius vindici objiceret; 2) ne in discrimen religionis incideret ille, si vitam a vero cultu remotus, inter idololatras agere coactus fuisset, & expulsus, ne hereditati Jehovæ adhæreret; & cui quasi injunctum fuisset, *abi, servi Diis alienis*, 1 Sam. XXVI, 19. Sapientissime ergo Deum prospexisse, ut Levitarum urbes Asyla præberent, ex quorum ore cultum legemque assidue haurire potuit, quique legis divinæ custodes, sanctius præstituri erant, accuratiusque, quæ Dei lex circa homicidas profugos, & Asyla, voluit observata.

Ad §. IV. pag. 47.

(6) *Deut. XIX, 3. parabis tibi viam*] Velut oppida illa fere cuncta, in montibus erant sita, ut e longinquo conspici possent, sic viam ad ea ducentem his verbis Deum instrui jussisse credunt Magistri, ut nulla fugienti remora objiceretur. Si forte humilior alicubi terra, vel torrente, aut fluvio aliquo intercepta erat, pontem sternere tenebatur magistratus, ne fugitivus hæreret percussor, ac præter spem, a vindice sanguinis occuparetur. Viæ latitudinem non minorem XXXII cubitorum fuisse, COCCEIUS ad Mischnæ Mass. *Maccoth cap. II. sect.* 5. perhibet, & ubicunque ista in bivia scindebatur aut trivia, properantis fugam איסטליות / *στύλες*, *Hermas*, quibus conspicuo charactere, מקלט / מקלט / *Refugium, Refugium*, inscriptum erat, direxisse. Addit MAIMONID. *cit. loc.* quod singulis annis, quarta decima mensis Adar, qui Februario nostro ex parte respondet, emissi fuerint, qui vias illas, hyemalibus corruptas imbribus, repararent, pontesque reficerent, tempestatum injuria labefactatos aut excussos. Quæ ab Auctore nostro probe sunt annotata. Præterea referenda erant ad Asyla, Suburbia, mille cubitorum intervallo ab istis distincta, ita quidem, ut ulterius hæc, per duo cubitorum millia, versus quamque orbis plagam procurrerent. Probat hoc ex Num. XXXV, 4, 5. IOH. CHRISTOPH. WICHMANSHAUSEN disput. *de præsidiariis Levitarum urbibus* §. *V. p.* 11. ubi locum rite explicatum vindicat, & contra CLERICUM cumprimis tuetur.

Ad §. V. pag. 48.

(7) *Duo aut tres sapientes*] Hæc rursus fide MAIMONIDIS Auctor tradit, in Hilc. *Rozeach cap. V.* §. 8. ubi ita sancitur: Quando occisor involuntarius ex Asylo ducebatur ad forum delicti, rursumque audita causa reducebatur in Asylum, duo discipuli sapientum illi adjungebantur, qui arcerent ultorem sanguinis, ipsique errorem exponerent, ne in illum involaret, aut in itinere eum perimeret. Asserit hæc MAIMONIDES ex sententia Mischnæ Mass. *Maccoth cap. II.* §. 5. Ista vero commode cum Scripturæ effatis cohærere, valde dubitat CRAMERUS

loc.

loc. cit. cap. III. §. 22. *p.* 415. Antequam enim homicida Asylum est assecutus, vindex eum impune occidit, neque aliter saluti ejus prospici potuit, quam celeri fuga, aut Magistratus interventu. Cum vero a Senatu retraheretur, factoque judicio reduceretur, nequaquam vindex ipsum aggredi fuit ausus, quoniam Magistratus jam se interposuit, cujus auctoritatem insuper habere nefas fuit. Ministri itaque publici vindicem arcere satis potuerunt, ut eruditorum suadela opus non esset. Pari fide nituntur, quæ MAIMON. *cap. VII.* §. 1. habet: Discipulo migrante in Asyla, migrare quoque debet ipsius Magister cum eo, quia dicitur Devter. XIX, 4. *& vivet.* Faciunt itaque, ut vivat, vita autem Sapientum & sapientiæ studiosorum absque doctrina legis, ut mors reputatur. Ita quoque cum Doctore exulante, transfertur ipsius schola in Asylum. Quæ ingenium sapiunt Rabbinicum.

Ad §. V. pag. 48.

(8) *Vindici, percussorem insequenti*] Cum universum Asylorum privilegium ad retundendam spectarit Goelis violentiam, prohibendamque innoxii sanguinis effusionem, pauca de hoc sanguinis addimus ultore. Dicitur גואל הדם *Vindex sanguinis,* eratque proximus agnatus, כל ראוי לירושה הוא גואל הדם *qui hæres est legitimus, is Goel est sanguinis.* Vbi plures erant sanguine juncti & hæredes, omnibus quidem officium incubuit, ut de vindicta cædis essent solliciti, non tamen omnibus, ut homicidam persequerentur; quod contra secus sentientes tuetur, & unum solum Goelem asserit, CRAMER *cap. II.* §. 3. *p.* 363. Officium ejus situm in eo erat, ut homicidam cum voluntarium, tum involuntarium persequeretur, eumque apprehensum extra refugii civitates, impune occideret. Magistratus vero auctoritate intercedente, qua occisor coram judicio sisti debuit, vel homicida ad Asylum confugiente, & innocentiam obtendente, negotium Goel urgere, accusatoris partes agere, & homicidam ad pœnam & condemnationem quærere debebat. Hoc enim Goeli ex officio incubuisse, ex Num. XXXV, 31, 32. ex instituto probat CRAMER §. 20 *sqq.* Rite porro condemnatum homicidam, & pro voluntario declaratum, Judices in potestatem tradiderunt vindicis, ut occideretur Devter. XIX, 12. Hunc sive manu interfecit vindex Num. XXXV, 19. sive occidendum aliis tradidit, ex Goelis auctoritate sententiam exequentibus. *Si nolit* autem *vindex, aut non satis idoneus sit ad occidendum homicidam, aut nullus occiso sit vindex, Senatus homicidam,* exigentibus id facti circumstantiis, *gladio interficit*, ait MAIMONIDES Hilc. *Rozeach cap. IV.*

Ad §. VI. pag. cit.

(9) *Modus inquisitionis ita se habuit*] Processus integer circa talem fugitivum, ex Num. XXXV. Devter. XIX. & Jos. XX. ad hunc modum eruitur: Goeli cum ex veteri lege jus esset, homicidam, ubicunque locorum eum deprehenderet, citra intervenientem judicis condemnationem, occidendi, citatis ille passibus, suscepta ad urbem præsidiariam fuga, vitæ & saluti suæ consulebat. Delatus ad eam, stans ante portam Jos. XX, 4. Senioribus pro tribunali sedentibus, causam suam perorare, & quibus de causis innocentem se reputaret, urbisque privilegio fruiturum se censeret, exponere tenebatur. Recte *ad cit. loc. Josuæ* observat ABARBENEL: ועם היות שאנשי העיר לא ידעו האמת אתר אם לא צו״ה שיאספו אותו העיר וכאשר ירדוף גואל הדם אחריו לא יסגרוהו בירו *Licet quoque viri urbis illius (Asyli) nesciant, vera an falsa (profugus) protulerit, præceptum tamen est, ut in urbem eum reciperent, &, si vindex eum persequatur, ne ipsum in hujus manus concluderent.* Senatus ergo asyli, audita causa, homicidam, sive sontem, sive insontem tutabatur & recipiebat, donec a Senioribus fori delicti repeteretur, a quibus, actore vindice, & adhibitis testibus, causa omnis curate & summo studio disceptabatur. Ab his, si mortis censetur reus, occidendus traditur vindici, aut per superius di-

 cta,

cta, a magistratu capite plectitur; si exilii, eo reducitur, ut habitet ibi, donec moriatur Sacerdos Summus Num. XXXV, 28. Equidem R. SALOMO IARCHI verba de absolutione ab exilio exponit, & vult sisti eum coram judicio, ut יפטר מגלות *liber pronuncietur ab exilio*, vel יתחייב גלות *reus exilii censeatur*: verum res ipsa loquitur, reum cædis ad mortem traditum, innocentem vero exilio fuisse mulctatum. Quin immo, non honorifice tantum exceptum a Senioribus Asyli, sed sede quoque ac habitatione gratuita, absque ullis suis sumtibus ac mercede, innocentem fuisse locatum apud KIMCHIVM *in Jos. XX*, 4. tradunt Magistri, quia diserte dicitur h. l. *& dabunt ei locum*, nimirum gratis: præterea Seniores Asyli prospiciebant ei de artificio, quo se honeste sustentaret, vitamque toleraret, ut ex Devter. XIX, 4, 5, elicitur. Victum enim in exilio ipse sibi parare debebat occisor; maritus tantum uxori exulanti cibum procurabat, non item herus servo, qui sibi manuum labore eum comparabat, & quicquid lucrabatur præterea in exilio, non sibi, sed Domino acquirebat. Hæc MAIMONIDES *c. l.* qui quando *cap. VII.* addit: *discipulo migrante in Asylum, migrare quoque debet ipsius Magister cum eo, quia dicitur* Devter. XIX, 4. & vivet. *Faciunt itaque ut vivat, vita autem Sapientum & sapientiæ studiosorum, absque doctrina legis, ut mors reputatur. Ita quoque cum Doctore exulante, transfertur ipsius schola in Asylum:* vix fidem inveniet apud alios, qui non cœca traditionum veneratione sunt fascinati. Occisor vero innocens, a Judicibus fori delicti salvus & incolumis Asylo redditus, intra pomœria & agrum suburbanum, ad Sacerdotis Magni usque mortem, tutum se continebat, quem tamen ex descriptis limitibus egressum, vindex sanguinis invadere & impune perimere poterat, per Num. XXXV, 26, 27.

Ad §. VIII. pag. 48.

(10) *Morte præsentis Pontificis terminatum sit*] Probe observat HACKSPAN. *Not. Philol. ad Num. XXXV*, 25. *P. I. p.* 503. Judæos in Talm. Hierosol. Tract. *Joma* perperam ex c. l. Num. colligere, mortem Pontificis expiasse homicidium per imprudentiam admissum, quia mors Pontificis, exilii tantum terminus, non homicidii expiatio, statuitur in Scriptura. Alia typi est adumbratio, quam statim indicabimus, quæ tamen typo ipsi vim antitypi non conciliat. Tricantur porro Judæi in persona Pontificis, eaque designari tradunt 1) את כוהן גדול המשוח בשמן המשחה *Sacerdotem Magnum, unctum oleo unctionis*, cui Scriptura hoc privilegium largitur, 2) את המרובה בבגדים Pontificem *auctum* seu initiatum *vestibus* octo Sacerdotis Summi, qui idem est officio ac dignitate, cum præcedente, tempore saltem diversus, cum a Josiæ regis tempore perierit oleum sacrum, ut non unctione amplius, sed sola vestium inductione inaugurari posset, 3) את כוהן גדול תעובר *Sacerdotem Magnum ministrantem*, qui vices obiit Sacerdotis Magni in die Expiationis casum nocturnum passi, 4) הכוהן שעבר *Sacerdotem*, qui loco Pontificis, propter maculam forte contractam, ad ministerium tantisper inepti, *ministraverat;* qui uterque solum ad tempus ministerio fungebatur, Vicario nomine, nec nomine τῦ כוהן גדול unquam insignitur. Apud MAIMONIDEM tamen *c. l. cap. VII. quivis horum quatuor, si moriatur, reducit homicidam* in patriam; cui, quod ad posteriores duos attinet, calculum denegamus. Hujus vero mortem, exulanti homicidæ facultatem, impune redeundi in patriam fecisse, Scriptura testatur Numer. XXXV, 32. Jos. XX, 9. adduntque Rabbini, sive aliquot in Asylo exegerit annos, sive unum saltem diem ibi vixerit; quin & eo legem extendunt, ut si moriatur Pontifex, antequam in exilium deportatus sit homicida, liber sit ab exilio, verum si ante sententiam dictam mortuus fuerit Pontifex, ejusque in locum alius suffectus, & postea sententia demum pronuncietur, homicidæ non nisi post mortem novi Pontificis redeundi locus fuerit, quia judicium, eo jam electo, fuerit finitum; apud MAIMONIDEM *c. l.* Sed & tales fingunt

casus,

casus, quibus nunquam redire potuerint occisores, si v. g. homicidæ causa absolvatur, nec eo tempore adsit Sacerdos Magnus; vel si Sacerdotem Magnum interimat, nec alius jam fuerit constitutus; vel si ipse Pontifex per casum fortuitum homicida evadat, nec alius sit Pontifex &c. Ne tamen precibus exulantis homicidæ mors Pontificis forte acceleretur, לפיכך אימותיהן של כהנים מספקות להן מחיה וכסות כדי שלא יתפללו על בניהן שימותו *propterea Sacerdotum matres illis victum & amictum sufficiunt, ne filiorum suorum mortem precibus accelerent*, ut est in Massech. *Maccoth cap. II.* §. 6. Alii tamen in Gemara *ad h. l. fol.* 11. *col.* 1. id a Sacerdotum matribus factum autumant, ut homicidæ pro vita Pontificis orarent, absque quo enim fuisset, Sacerdos fuisset mortuus, cum pro sæculo suo Deum rogare, ne tristes hujusmodi casus immitteret, debuisset. Vide COCCEIVM *in Excerpt. Gemaræ ad c. l.* §. 5.

Sed majus operæ pretium est, causas proferre, propter quas mors Pontificis exilio finem imponeret, eumque patriæ, bonisque suis restitueret. Has reddunt varias, utplurimum lubricas & leves, Judæorum Magistri, confertimque exhibet ABARBENEL *in Leg. fol.* 321. *col.* 1. R. DAV. KIMCHI *in Jos. XX, 6.* R. BECHAI *in Leg. fol.* 203. *col.* 3. & ex Christianis SIMEON DE MVIS *Var. Sacror. ad Num. XXXV*, 28. Adde MAIMONIDEM *in More Nebhochim lib. III. cap. XL.* Christianorum meditationes vide apud Interpretes, & in his apud CORN. A LAPIDE, ANDR. MASIVM *in Jos.* aliosque. Non nego, ad cædis humanæ immanitatem declarandam hoc pertinuisse, ut homicida, tanquam impurus, intra Asylum delitesceret, quin & ad iræ & vindictæ mitigationem apud occisi propinquos: princeps tamen causa typicus est ad Magni Pontificis nostri, Christi mortem respectus, qua & nostra expiavit peccata, & libertatem nobis omnimodam peperit, & in bona, peccatis nostris deperdita, restituit & reduxit. Hunc nemo, quod sciam, copiosius ac solidius declaravit citato sæpius CRAMERO *Theolog. Isr. P. I. Lib. II. Cap. V. p.* 454 *sqq.* digno, qui præ ceteris omnibus evolvatur.

Istam denique, de urbibus refugii, tractationem, ex instituto peregerunt ex Judæis Talmud. Tract. *Maccoth*, quem observationibus suis, & ex Gemara excerptis, præter versionem Latinam, illustravit IOH. COCCEIVS; & MAIMONIDES *in P. IV. Jad Chasaka lib. XI.* Hilcoth *Rozeach Vschemirath Nephesch*, Interpretes quoque Judæi ad Num. Deut. & Jos. loc. cit. passim allegati: Ex Christianis, præter laudatum toties CRAMERVM, qui hic utramque facit paginam, HOORNBEECK *Theol. Pract. lib. III. cap. I.* SELDENVS *de J. N. & G. lib. IV. cap. II.* quibus adde HVG. GROTIVM *in Num. XXXV*, 15. *& Deut. XIX.* atque PETR. CVNAEVM *de Republ. Hebr. lib. I. cap.* 7. IOH. BIERMANNVM *in Mose & Christo lib. I. cap VIII. p.* 191. edit. Belg. E nostris vid. LVNDIVS *in Jüdischen Heiligthümern* suo loco: RITTERSHVSIVS pecul. tract. *de Asylis & eorum juribus*, IOH. CHRISTO. WICHMANSHAVSEN Disp. *de præsidiariis Levitarum urbibus*, Vitembergæ, An. 1715.



ANNO-



ANNOTATIONES
AD
LIBRUM III.
DE DIEBVS ET TEMPORIBVS.
CAPVT I.
DE DIEBVS, HORIS, SEPTIMANIS ET ANNIS.

Ad §. I. pag. 49.

De distributione dierum, horarum, septimanarum] In hanc de industria inquirit PAVLVS SHERLOGVS, Jesuita Hibernus, in *Antiquitatum Hebraicar. Dioptra lib. II. Differt. I.* cujus *Sect. III. p.* 220 *sqq.* de tempore differit in genere: *Sect. VII. p.* 238. de diei initio, ex variarum Gentium ritu: *Differt. IV. Sect. IV. p.* 346. de Judæorum anno cum lunari, tum solari: *Sect. V. p.* 352. de mensibus apud Hebræos, annoque sacro & profano. Magis adhuc commendari hic meretur LEONIS ALLATII *de mensura temporum antiquorum, & præcipue Græcorum*, Exercitatio, a BARTHOLD. NIHVSIO, Coloniæ Agripp. An. 1645. in 8. edita, quæ quicquid de dierum & noctium, de mensium porro ac annorum divisionibus, denique de horologiis, clepsydris, deque aliis temporum dimetiendorum regulis, notatu dignum est, erudite discussit & explanavit. Alia quidem methodo ac ratione, sed & curatius longe id egit WILHELM. LANGIVS *de annis Christi, lib. I toto*, cujus *cap. II. p.* 8. de tempore, ejusque mensura, *cap. III. p.* 17. de die, ejusque varia divisione, & horis, *cap. IV. p.* 39. de hebdomadibus cum Judæorum, tum Christianorum, de feriis quoque, fastis, profestis, comitialibus diebus, *cap. VI. p.* 61. de anno, *capp. seqq.* de cyclis &c. magno cum eruditionis apparatu tractavit. Ex nostris adde b. AEGID. STRAVCHII *breviarium Chronologicum*, quod *lib. I. cap. II.* de horis, *cap. III.* de vigiliis, *cap. IV.* de diebus, *cap. V.* de mensibus, *cap. VI.* de annis &c. concise, sed magna cum accuratione instituit. Conferri quoque poterit BERN. LAMY *de Templo Hierosolym. lib. VII. cap. VII. p.* 1261 *sqq.* quo de temporum mensuris apud Hebræos, de dierum, mensium, annorum, initio, duratione, renovatione, agit. Quin & IOH. SELDENI *de Anno Civili veterum Judæorum* dissertatio huc spectat, Lugduni Batav. anno 1683. in 8. recusa.

Ad

Ad §. II. pag. 49.

(2) *Dies duplex fuit: Naturalis, & Artificialis*] Recte Auctor noster diem dispescit in *Naturalem*, qui totum νυχθήμερον, seu spacium 24 horarum complectitur, quo sensu hebdomadem septem, mensem vero triginta, vel triginta & uno, annum 365 diebus circumscribimus: & in *Artificialem*, qui illud præcise spacium designat, quo sol finitorem nostrum illuminat, & nocti opponitur, qua sol sub horizontem demersus, lucem nobis denegat, & tenebras inducit; hinc pro diversitate mensium, nunc ampliori, nunc angustiori ambitu definitur. *Prior* vicissim, vel secundum computationem ecclesiasticam accipitur, vel secundum civilem. *Ecclesiastice*, secundum dispositionem legis Divinæ in celebratione festorum observandam, putabatur dies a vespera unius diei ad vesperam alterius Lev. XXIII, 32. Hoc primum & antiquissimum est diei exordium inde a creatione Genes. I. Sed præter Judæos, Arabesque, veteres quoque Athenienses, ab occasu solis ad occasum, diem censebant, teste MACROBIO *lib. I. Saturnal. cap. III.* A. GELLIO *lib. III. Noct. Attic. cap. III.* & CENSORINO *de die Nat. cap. XXIII.* Quod etiam de Gallis IVL. CAESAR *lib. VI. de bello Civ.* & de Germanis TACITVS *de Mor. Germ.* affirmat. *Politice*, juxta computationem civilem, in vita communi observari solitam, dies naturalis incipiebat a media nocte, ut sic vespera sequens esset pars, videlicet clausula diei præcedentis, cum juxta computationem ecclesiasticam prima esset pars, videlicet initium diei sequentis. Hac adhibita distinctione, summus Theologus IOH. GERHARDVS *Harm. Evangel. cap. CLXIX. p.* 376. edit. Genevens. dubia solvit loca Scripturæ, α) Exod. XII, 18. *Die decima quarta mensis primi, ad vesperam comedetis azyma.* & Lev. XXIII, 6. *Die decima quinta mensis primi solennitas azymorum est*; æque ac IOSEPHVS *lib. III. de B. J. cap. X.* ait, *Festum azymorum per septem dies celebrari*, rursus *lib. II. cap. V.* dicit, *octo esse azymorum dies.* β) Lev. XXIII, 27, *Decimo die hujus mensis septimi erit dies expiationum celeberrimus, affligetis animas vestras in eo* &c. & mox versu 32. *affligetis animas vestras die nono mensis septimi.* Nimirum, quia vespera diei festi in Scriptura modo attribuitur diei antecedenti, juxta computationem civilem, modo festo diei subsequentis, juxta computationem ecclesiasticam. Ex quibus locis eorum refellitur opinio, qui existimant Judæos, tempore Christi in terris versantis, computationem civilem ex more Romanorum, sub quorum imperio gemebant, & de quibus A. GELLIVS *lib. III. cap. II.* idem affirmat, hausisse, cujus tamen vestigia jam in Lege Mosaica, & dudum ante V. C. occurrunt. *Artificialem* vero diem, quam mora solis supra horizontem definit, seu, ut Neh. IV, 21. dicitur, *ab ascensu auroræ, donec egrediantur astra*, ita dictum existimant, quod serviat artificibus, vel potius, quod ejus spacium artificialis sphæræ usu addiscatur. Ceterum probe monet laudatus AEGID. STRAVCHIVS *Brev. Chron. lib. I. cap. IV. quæst.* 2. quem in Chronologicis operis naturalem vocamus diem, eundem Astronomos artificialem appellare; & quem nos civilem dicimus, eundem penes Astronomos naturalem vocari: quod in sequentibus quæstionibus illustrat. Vnde apparet, appellationes istas promiscue usurpari, pro argumenti, quod quisque tractat, diversitate.

Ad §. & pag. eand.

(3) *Nonne sunt duodecim horæ diei*] Horæ istæ diei, initium suum cum ortu solis, finem cum occasu habebant, quo noctis horæ auspicium capiebant. Hinc, pro incremento vel decremento dierum, nunc augebantur quantitate sua, nunc minuebantur, & inæquales erant, majores æstivo, minores hiberno tempore; unde Rabbini eas commode זמניות *temporales* appellant: æquinoctiali autem die conveniunt ubique. Scite hoc observarunt Judæi, qui *in Glossa* ad MAIMONIDIS Tract. *Kiddusch Chodesch cap. VI.* §. 2. ita commentantur: השעות על

 שני

שני פנים שעות שוות ושעות עקומות ונקראות זמניות· השעות השוות ישתנה מניינם ולא ישתנה שיעורם והשעות הזמניות בהפך לא ישתנה מניינם אלא ביום או בלילה יב״ שעות לא פחות ולא יותר אבל שיעורם משתנה: *Horæ sunt duum generum, horæ æquales, & horæ obliquæ, seu* inæquales, *quæ temporales dicuntur. Et horas quidem æquales quod attinet, mutatur numerus earum, sed non mutatur mensura; at, quod concernit horas temporales, seu* inæquales, *vice versa non mutatur numerus earum, siquidem interdiu æque ac noctu duodecim horæ sunt, non pauciores, neque plures, verum mensura earum mutatur.* Hinc adagium fluxit R. IOSVAE, vel R. IVDAE, filii BABAE, in Mischna יבמות *cap. XVI.* §. 3. לא כל ארכם ולא כל המקומות ולא כל השעות שוין *non omnes homines, nec omnes loci, nec omnes horæ sunt æquales.* Vnde vero, hæc diei civilis partitio in XII partes æquales, originem hauserit, erudite inquirit LANGIVS *cap. III. p.* 33. eamque ex Lunæ cum Sole conjunctione arcessit. Antiqui enim, cum viderent, lunam interea, dum sol circulum suum absolvit, duodecies cum sole conjungi, & ab eodem recedere: circulum solis in XII partes diviserunt, quas Græci postea δωδεκατημόρια vocarunt. Et quodlibet horum menstruo spacio solem absolvere crediderunt. Quoniam vero menstruum spacium XXX dierum erat, quo luna cursum suum absolvere videbatur, quodlibet dodecatemorium, juxta dierum rationem, in partes XXX diviserunt. Hinc circulus solis in partes CCCLX, & post illum omnis circulus, dispescitur. Partem quamlibet gradum vocabant, quod tantum diurno spacio sol progrederetur. Juxta hanc rationem lunæ itidem circulus in partes 360 divisus fuit, quem XXX diebus, juxta antiquos absolvebat. Quovis ergo die XII gradus, sive partes conficit. Et sane tantum in 11 primis & 27 secundis &c. errarunt. Cum igitur quovis die 12 gradus luna pergeret, diem in duodecim quoque partes distribuerunt. Quam demonstrationem ibidem ab objectionibus eorum, qui exactam esse negant, vindicat: easdem porro *p.* 35 *sq.* Græcis & Romanis asserit horas. Sed de horis disserendi, Auctor noster, paulo post §. *V sqq.* occasionem subministrabit.

Ad §. III. pag. 49.

(4) *Profestus - Festus*] De hac dierum apud Romanos distinctione ita habet MACROB. *lib. I. Saturnal. cap. XVI. Numa, ut in menses annum, ita in dies mensem quemque distribuit: diesque omnes aut festos, aut profestos, aut intercisos vocavit. Festi Diis dicati sunt: Profesti hominibus ob administrandam rem privatam publicamque concessi: Intercisi Deorum hominumque communes sunt. Festis insunt sacrificia, epulæ, ludi, feriæ: Profestis, fasti, comitiales, comperendini, stati, præliales: Intercisi in se, non in alia, dividuntur. Illorum enim dierum quibusdam horis fas est, quibusdam fas non est, jus dicere* &c. ubi posthæc de divisione festorum & profestorum dierum latius & ex instituto, exponit. Apud Hebræos veteres, dies festos quoscunque מקרא קדש *indictio Sanctitatis* præcedebat, qua per Præconem renunciabatur, ne quid operis illis diebus fieret, vi legis Divinæ Lev. XXIII, 2. *dic Israelis posteris: festa solennia Domini* (מועדי יהוה) *quæ proclamabitis indictionibus Sanctitatis, hæc ipsa sunt* &c. in quorum recensione identidem illud repetitur vers. 7, 8 sqq. *indictio Sanctitatis, nullum opus facietis.* De hac vero indictione Sanctitatis, Sabbathis & Festis singulis præmissa, copiose, immo scrupulose nimis, commentatus est VITRINGA *de Synagoga Vet. Lib. I. Part. II. cap.* 2. *p.* 287, & *p.* 291. negat, indictionem Sanctitatis eo tetendisse, ut populus commonefieret, illum diem sancte & religiose esse transigendum, eamque quandam quasi invitationem populi, ad solennia & stata religionis exercitia, isto die frequentanda, celebrandaque fuisse; rursum tamen *p.* 295 *sq.* Sabbathi otium indictum, Judæos ad preces, laudes Dei, meditationes sacras, & alia pietatis exercitia, cum publica, tum privata, fortiter impulisse contendit: quæ ibidem videantur.

tur. Nos addimus, similem indicendi & proclamandi ritum, a Gentilibus quoque adoptatum, tradi MACROBIO *loc. cit. Et ideo per præconem* (seu, ut MEURSIUS emendat, & legere jubet, *per præciam*) *denunciabatur, ne quid tale ageretur* (diebus scilicet festis, quod profestis fas erat:) *& præcepti negligens multabatur. Præter multam vero affirmabatur, eum, qui talibus diebus imprudens aliquid egisset, porco piaculum debere; prudentem expiare non posse, Scævola Pontifex affirmabat.* Sed de otio, ac celebratione Sabbathi ac Festorum, alias ex instituto dicemus, suo loco.

Ad §. IV. pag. 49.

(5) *Nocturnæ vigiliæ*] Vigilias apud Judæos non agnoscit Auctor, nisi quatuor, quarum tamen gemina obtinuit, pro temporum diversitate, ratio, ut nunc tres numerarent, nunc quatuor. Vetustissima est divisio tripartita, quam DAVID KIMCHI confirmat *in Psal. LXIII*, 7. ואשמורות הם עתות הלילה שארם מקיץ בהן משנתו והם שלשי וכן וארז״ל שלשה משמרות היו הלילה: *Et vigiliæ sunt tempora noctis, quibus homo a somno evigilat: suntque tres: Atque ita Rabbini nostri felicis memoriæ dixerunt: tres sunt vigiliæ noctis.* Huc facit etiam tritum illud: אשמורת שלישי היא של לילה: *Vigilia est tertia pars noctis.* Harum prima a vespertino crepusculo pertingebat ad noctem mediam Job. IV, 13. Thren. II, 19. secunda a nocte media ad gallicinium primum Jud. VII, 19. tertia ab hoc gallicinio ad ortum usque solis, quæ dicta est אשמורת הבקר / *vigilia matutina*, qua Dominus prospiciebat e columna ignis ad castra Aegyptiorum Exod. XIV, 24. Quando vero per Pompejum Romanis subjugati erant Judæi, more illorum quatuor vigilias sive sponte, sive coacte numerarunt Matth. XIV, 25. Marc. VI, 48. quarum 1. fuit ἡ ὀψὲ, quæ finiebatur nona vespertina. 2. *μεσονύκτιον*, quæ duodecima. 3. *ἀλεκτρωφωνία*, quæ tertia matutina. & 4. *πρωῒ*, quæ hora sexta absolvebatur Marc. XIII, 35. Ita HIERONYMUS *Comment. in c. l. Matth. Stationes*, inquit, *& vigiliæ militares in terna horarum spacia dividuntur.* Et AUGUSTINUS *lib. IV. quæstion. super Numeros, quæst.* 4. *Quas φυλακὰς* (cap. III. vers. 6.) *Græcus dixit, has nostri Interpretes alii custodias, alii excubias interpretati sunt. Sed mirum, nisi vigiliæ melius dicantur; quæ solent in castris ternarum horarum observationem habere. Unde scriptum est: quarta autem vigilia noctis venit ad eos, ambulans super mare, hoc est, post nonam horam noctis; post tres videlicet vigilias.* Etiam THEOPHYLACTUS *in cit. Matth. loc.* ad militarem originem, quæ Romanorum fuit, hanc vigiliarum dispensationem refert: *εἰς τέσσαρα διαιρεῖται ἡ νὺξ παρὰ τοῖς φυλάσσουσιν ἐκ διαδοχῆς στρατιώταις, ἀνὰ τρεῖς ὥρας ἐχούσης ἑκάστης φυλακῆς· in quatuor nox partes apud excubantes ex successione milites distribuitur, ut unaquæque vigilia tres horas accipiat.* Acquiescit in hac, ex more Romano hausta, quadripartita divisione, CAROLUS MARIA DE VEIL *in Explicat. literali Evangel. Matth. cap. I.* & AEGID. STRAUCHIUS *Breviar. Chronol. lib. I. cap. III.* ubi de vigiliis ex instituto, *quæst. IV. p.* 47. inclinationis politiæ Judaicæ tempore, Romanorum morem, in vigiliis ordinandis, Judæos imitatos fuisse largitur. LIGHTFOOTUS quidem *Hor. Hebr. in Matth. c. l.* jam ab antiquo, Judæos in quatuor partes noctem divisisse contendit, nec tamen nisi tres numerasse, quod quartam partem aut vigiliam, non tam pro nocturna, quam pro matutina æstimarent. *Erant ergo*, inquit, *revera quatuor noctis vigiliæ, at tres tantum profundæ noctis. Cum ergo dicatur, Gedeonem Midianitas invasisse vigilia noctis media Jud. VII, 19. intelligendum est de vigilia ista, quæ erat quidem totius noctis secunda, at profundæ noctis media; a finita scilicet vigilia prima ad mediam noctem.* Quod vellem, auctoritate Judæorum muniisset. RASCHI enim *in h. l.* tres saltem vigilias militares ea ætate observat, inquiens: שכן דרך בני ניסות להעמיד שומרים אלו ישמרו שליש הלילה הראשון ואלו שליש השני ואלו שליש האחרון:

:האחרון *Ita quippe fert mos militum, ut constituant vigiles, istos quidem, qui custodiant primam tertiam noctis partem, alios, qui secundam tertiam partem, alios, qui ultimam tertiam.* Paulo luculentius adhuc R. DAV. KIMCHI *in h. l.* cujus solum dabimus versionem: *Dividebant vigilias noctis in tres partes. Custodes ab initio noctis vigilabant ad tertiam partem noctis, quæ finis erat vigiliæ primæ, & initium vigiliæ mediæ: tum custodes primi cubitum ibant, & alii surgebant de somno suo ad custodiam. Atque hoc sibi vult Textus, cum ait: Cum constituendo constituerent custodes, tum venit Gideon ad castra.* Gideonem itaque invasisse castra hostium existimat, eopse, quo stationes vicesque permutabant vigiles, momento, sub initium vigiliæ mediæ, proxime ab hora noctis duodecima, ut nos putamus. Potior certe Judæis semper fuit tripartita vigiliarum divisio, quod & genti esset propria, ac a majoribus tradita, & quarta vigilia a Romanis obtrusa, nimisque matutina. Sed de Romanorum vigiliis castrensibus, cum cura commentatus est LIPSIVS *lib. V. de militia Romana Dial. IX.* De vigiliis autem Christianorum sacris, cum Sabbathicis, tum festivalibus, vide TOB. PFANNERI *Observation. Ecclesiastic. P. II. Observ. II. p.* 97 *sqq.* Præterea elegantem, doctamque *de Vigiliis & lucubrationibus Veterum* dissertationem CHRISTOPH. CELLARIVS edidit, Halis Magdeb. A. 1699. in qua de Judæorum noctis divisione parcius, de Romanorum copiosius disseruit, omnium autem copiosissime de lucubrationibus, & deputanda studiis parte quadam noctis egit, ad calcem quoque pauca, de Christianorum & festorum dierum vigiliis, subjecit.

Ad §. V. pag. 50.

(6) *In quatuor partes*] Diem Judæis in horas XII æquales, quæ minores dicebantur, dispesci, supra monuimus *Annotatione* 3. Nunc ad quadrantes diei pergit Auctor, Scripturæ non ignotos, quando Neh. IX, 3. רביעית היום *quadrantem diei* memorat. Duodecim enim diei horæ, a solis ortu ad occasum, in quatuor partes æqualiter distantes distribuebantur, quarum singulæ nomen trahebant ab illa hora, ad quam unaquæque immediate sequebatur, sic ut *prima*, a sole Oriente diceretur ad horam tertiam, quæ nobis nona est, *tertia* proxime a nona, ad duodecimam, *sexta* post duodecimam, ad tertiam pomeridianam, *nona* post tertiam, ad solis occasum. Ad hos quadrantes Christum quoque in parabola Matth. XX respexisse, facile largior, verum ita, ut primus quadrans ἅμα πρωΐ, secundus περὶ τὴν τρίτην ὥραν, tertius περὶ ἕκτην, & ultimus περὶ ἐννάτην, dicatur. Quæ autem versu 6. de hora XI leguntur, ad horam minorem potius referenda esse censeo, quam ad quadrantes. Hanc equidem, quadrantes diei putandi & appellandi, rationem flagellat Auctor noster §. *sq. VI.* in TOLETO, sed vereor, ut satis solide, & cum ratione. Nam quod contendit, eos, qui nobiscum sentiunt, horam primam facere, non invenire, in eo frustra est GOODWINVS. Sane, qua primum vice conduxit pater familias operarios, & in vineam misit, ea haud dubie prima est hora, non quarta, quod ille ait, noctis vigilia. Vnde operarii illi non modo οἱ πρῶτοι vers. 10. dicuntur, verum etiam sese, τὸ βάρος τῆς ἡμέρας (minime vero τῆς νυκτὸς) καὶ τὸν καύσωνα pertulisse conqueruntur vers. 12. Recte vero ista hora πρωΐ vocatur a Servatore, quia cum diei initio cœpit. Horam porro undecimam non excludimus, quod præter verum causatur Auctor, sed secundum computationem horarum diei minorem efferri dicimus. Auctor ex adverso, horam tertiam cum primo quadrante coincidere ratus, primam ablegationem, cum secunda vers. 2. 3. temere confundit, vel plane absorbet, novumque fingit quadrantem, qui nunquam obtinuit, horam nempe undecimam. Porro, cum quinquies facta memoratur conductio, ex quinque vicibus quatuor exsculpere quadrantes, invita Minerva allaborat. Hinc se torquet circa operarios horæ undecimæ, & explicationem profert, quæ in mentem non venit Salvatori. Vt taceam, postremos hos operarios minime

nime ultimum diei quadrantem, ſed *μίαν* ſolum *ὥραν* laboraſſe, verſ. 12. Bona itaque cum venia Auctoris, ſtamus recenſione ſub initium facta, quam ante nos cum alii plures tenuerunt, tum laudatus ſupra CAR. MARIA DE VEIL *ad h. l. Matth.* & e noſtris IOH. REINH. RVS *Harmon. Evangel. lib. V. P. I. Sect. 3. Cap. 21. T. II. p.* 1006. Juvat hic ex BVSBEQVIO audire, quo indicio & modo Turcæ, quibus horæ nullæ ſunt, diem in quadrantes dividant. Ita autem ille *Epiſt. I. Legat. Turc. pag.* 26. Taliſmanos *habent, hominum genus, templorum miniſterio dicatum. Hi menſuris utuntur ex aqua, quibus, poſtquam adventare auroram cognoverunt, clamorem tollunt e celſa turri in eum uſum conſtructa, quo homines ad venerandum Deum hortantur & arceſſunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum ſolis & meridiem; & item inter meridiem & occaſum: poſtremo, ſole occidente, voce utuntur acutiſſima, eam non injucunda modulatione vibrantes, quæ longius, quam credi poſſit, exauditur. Sic totus dies Turcis in quatuor ſpacia dividitur; majora aut contractiora, ut anni fert tempus.*

Ad §. VII. pag. 51.

(7) *Conciliantur Evangeliſtæ, circa paſſiones Salvatoris noſtri*] De hora crucifixionis Chriſti adeo diſſentiunt, ob hæc diverſa Evangeliſtarum teſtimonia, ſumma ingenia, ut CASAVBONVS *contra Baronium Exercitat. XVI. cap.* 110. expectandum eſſe Eliam pronunciet, qui *τὰ ἄπορα* Scripturarum ſolvat, atque interim verbi divini certitudinem, tam in iis, quæ non capimus, quam in iis, quæ capere videmur, humiliter eſſe adorandam. Summa tamen ſententiarum huc redit, ut I. *alii* textum Johannis corrigant, cumque Johannes ſcripſerit: *ὥρα δὲ ὡσεὶ ἕκτη*, legendum velint: *ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη*, ut hoc pacto ex aſſe conſpiret cum Marco. Ita legere Codicem pervetuſtum Cantabrigienſem, qui THEOD. BEZAE fuit, MILLIVS *in Not. ad Joh. XIX*, 14. perhibet, nec non IOACHIMI CAMERARII, ut ipſe teſtatur *Not. ad Marc. XV*, 25. Ita pariter legiſſe in ipſo *αὐτογράφῳ* Johannis, in Eccleſia Epheſina aſſervato, auctor tradit Chronici Alexandrini: quod tamen commentum, æque ac prætenſam notarum arithmeticarum Γ' cum ς' permutationem, laudatus MILLIVS ſtrenue confutat. Adſtipulantur tamen correctioni huic Johanneæ THEOD. BEZA, IOH. BOISIVS, PAVLVS COLOMESIVS, & cumprimis ANTON. BYNAEVS *lib. III. de morte Chriſti, Cap. IV. §.* 43. *p.* 187. Ex veteribus quoque cum iis facit NONNVS, ita *παραφράζων· ἦν δὲ τιταινομένη τριτάτη θανατηφόρος ὥρη, erat autem protenſa tertia letifera hora:* ab HEINSIO jure caſtigatus *in Ariſtarcho.* Viciſſim WILHELM. LANGIVS *lib. II. de annis Chriſti cap. XI. p.* 433. Marcum in mendo jacere cauſatus, cum pro E, extritis lineis binis inferioribus, Γ irrepſerit, *ὥρα πέμπτη* pro *τρίτη* legendum eſſe, inſolita hactenus licentia comminiſcitur. II. *Alii* vero utramque lectionem ſartam tectam ſervant, mutuoque componunt, ſed modo haud uno. *α.* LVDOVICO DE DIEV *ad cit. loc. Marc.* eorum placet ſententia, qui ſextam horam Johannis accipiunt Romanorum, addo & noſtro, more, tertiam vero apud Marcum, Judæorum. Exiſtimat ergo, accuſationes Sacerdotum duraſſe a ſummo mane, ad horam fere Romanorum ſextam, quæ Judæorum prima erat. Inde usque ad Judæorum tertiam, quæ Romanorum nona erat, contigiſſe ea, quæ crucifixionem antegreſſa ſunt: ipſa tertia fuiſſe crucifixum. Inde usque ad ſextam, quæ Romanorum XII eſt, contigiſſe, quæ poſt crucifixionem, tenebras dicit anteceſſiſſe. Inde fuiſſe tenebras usque ad nonam. *β.* IACOB. LYDIVS *in florum ſparſione ad paſſ. J. C. p.* 194. utrumque Evangeliſtam locutum fuiſſe exiſtimat de hora Judaica, Marcum de tertia, Johannem de ſexta, ſed non utrumque de uno ac eodem actu. Marcum accipiendum de actus crucifixionis initio, cum Judæi *ςαύρωσον* ſuum ingeminarent, & Pilatus Chriſtum virgis cæderet, Johannem autem de ipſa patratione & in crucem actione. Illud enim hora tertia Judæorum, h. e. nona Romanorum, hæc vero, ſexta Judæo-

 rum,

rum, h. e. duodecima Romanorum contigisse. Eandem quoque Auctor noster viam insistit. Denique γ. cum NICOL. DE LYRA asseruisset, apud majores suos consuetudinem obtinuisse, dividendi diem in quadrantes quatuor, quorum singuli tres horas complectebantur, eaque ratione factum, ut rite hora dicatur tertia, quæ etiam sexta fuerit: CAESAR BARONIVS, Cardinalis, hanc amplexus sententiam *Annal. ad A. C. XXXIV. n.* 157. prolixe perorat, tandemque concludit: *Quod igitur Johannes ait, horam fuisse quasi sextam, cum Pilatus sententiam in Christum jam dicturus esset, sic accipiendum est, ut ultima hora primæ diei partis, quæ tertiæ dicta est, jam cœpta esset, & proxime jam inchoanda foret secunda pars diei, quæ sexta est nominata; sicque merito ab Evangelista dictum, fuisse tunc horam quasi sextam, nondum videlicet tertia absoluta. Ac ita eandem novissimam horam primæ partis diei fuisse terminum ejus jam desinentis, & secundæ partis, quæ sexta dicta est, jam proxime incipientis, qua ipsa hora Dominus noster a Pilato sententiam mortis accepit, ac paulo post cruci affixus est.* Ita vero horas, cum diei quadrantibus, Evangelistas in tanti momenti narratione, invicem commiscuisse, eoque ipso obscuritatem adeo insignem historiæ intulisse, vero perquam absimile videtur. Nos itaque a partibus stamus LVDOVICI DE DIEV, ita, ut ceteros Evangelistas in horarum numero Judæorum, Johannem autem Romanorum morem sequi dicamus. Sexta enim Romanorum desinens, erat Judæorum prima incipiens. Vnde eodem recidit, sive dicas, Christum in Prætorio Pilati condemnatum fuisse ad mortem, hora sexta Romanorum jamjam finita, sive id factum fuisse asseras circa ortum solis, cum Judæis instaret hora diei prima; πρωΐα enim erat, quando Christus in Prætorium deducebatur Joh. XVIII, 28. Fueruntque adeo tres integræ horæ elapsæ a spacio illo, quo Christus in Prætorio Pilati ad mortem fuit condemnatus, usque ad initium crucifixionis. Nec mirum, quod Johannes horarum computum secundum Romanos hic loci instituat. Versatur enim in narratione rerum, in Prætorio Romano, ac a Præside Romano, gestarum; conveniebat ergo, ut cum Romanis calculum duceret horarum. Confer, in hanc sententiam GEORG. ELIEZ. EDZARDVM *in Cap. I. Tract. Berachoth not.* 91. *pag.* 256.

Ad §. VIII. pag. 51.

(8) *Horæ templi, sive horæ precationis*] Fuse & ex instituto has exponit MAIMONIDES *in Jad Chas. Lib. II.* Hilc. *Tephilla Vbirchat Cohanim.* Preces nempe privatas, oblationibus Templi, veteres Judæi coordinarunt, erantque tres ordinarie, 1) שחרית / *matutina*, cujus tempus est, ab ortu solis, usque ad horam diei quartam: 2) מנחה / respondens vespertinæ oblationi quotidianæ; ad horam nonam cum dimidia: 3) ערבית / *vespertina*, ab initio noctis, usque ad primum auroræ radium. Sabbathis autem, noviluniis, & festis diebus, accedebat 4) מוסף / *addita*, cujus tempus est post precem matutinam, ad horam usque diei septimam: die denique jejunii, seu propitiationum, adjiciebatur adhuc 5) נעילה / q. d. *occlusoria*, quod tum occluduntur & velut obserantur cæli portæ super solem, qui absconditur, ejusque tempus est circa solis occasum, sic ut ante perficiatur, quam sol occidat. Priores tres indicatas credunt a Davide Psal. LV, 18. Hæc *cit. loc. cap. III.* §. 1-6. *cap. I.* §. 8 *sqq.* & MAIMONID. qui tamen *cap. I.* §. 1. probe observat, licet oratio ipsa sit de necessitate, & מצות עשה *præceptum affirmativum*, attamen אין מנין התפלות מן התורה *neque numerus precum de lege est*, ואין משנה התפלה הזאת מן התורה *neque obligatio ad hanc vel illam precem*, ואין לתפלה זמן קבוע מן התורה *nec tempus certum & definitum precum.* Porro *cap. III.* §. 2. observat, orationem illam, quæ *Mincha* dicitur, esse vel ordinariam, מנחה קטנה *Mincha minor* dictam, vel extraordinariam, quæ מנחה גדולה *Mincha major* audiebat, quando scilicet vespera Paschatis incidebat in vesperam Sabbathi, cujus tempus erat ab hora sexta & dimidia,

midia, usque ad nonam cum dimidia. Hinc liquet, orationem, cujus gratia Petrus & Johannes in Templum ibant Act. III, 1. Mincham minorem fuisse, quæ respondet oblationi vespertinæ, בין הערבים *inter duas vesperas*, h. e. medio tempore inter meridiem, & solis occasum, quando sol incipit inclinare, & recedere a linea meridiana, idque tempus medium erat hora nona completa juxta Judæos, tertia vero pomeridiana juxta nostram computationem.

Ad §. IX. pag. 51.

(9) *Derivatæ sunt horæ Canonicæ*] Memoratas precandi horas Judaicas, PETRUS COMESTOR *Hist. Scholast. cap. IX. de visionibus Danielis*, cum horis in Papatu Canonicis ita confert: *Tribus horis orabant Judæi in die, scilicet, hora tertia, sexta, & nona: In tertia orabant, quia tunc eis datus est decalogus in Syna; in eadem orat Ecclesia, quia tunc est datus Spiritus Sanctus super Apostolos: In sexta orabant, quia tunc erectus est serpens æneus in deserto; in eadem orat Ecclesia, quia tunc est Christus suspensus in ligno: In nona orabant, quia tunc dedit petra aquam in Cades; in eadem orat Ecclesia, quia tunc de Christo lanceato exivit sanguis & aqua.* Quas Judæorum orandi rationes, unde hauserit COMESTOR, plane me fugit, nisi ex ingenio confinxerit suo. Ceterum PAUL. SHERLOGUS *Antiqu. Hebr. Libr. II. diss. I. Sect. 7. p.* 242. operose inquirit, num septem, an vero octo definiendæ sint horæ Canonicæ, ita nimirum, ut matutina cum laudibus, duas conficiat? calculum tamen fert pro numero septenario, qui respondeat tribus diurnis apud Judæos precibus, & quatuor vigiliis nocturnis. Sed & BARTHOLOM. GAVANTUS *in Thesauro sacror. rituum* de horis Canonicis multa subjicit, & *T. II.* quidem *Sect. IV. p.* 44. de proprio ritu singularum horarum Canonicarum, *Sect. X. p.* 181. de cerimoniis ad horas Canonicas adhibendis, præcipit: *p.* 303. dubium, de recitandis horis Canonicis, solvit: & *in Enchiridio p.* 129. regulas miscellas de horis Canonicis, ex omni jure Pontificio congessit, unde hauriat, cui ea cognoscere volupe est. Huic, qui plura cupit, GISBERT. VOETIUM jungat, *Select. Dispp. P. III. p.* 1056, 1068. & ANDR. RIVETUM *Cathol. Orthod. Tr. II. qu.* 35. *pag.* 543 *sqq.* Ad nostrum enim institutum non faciunt directe.

Ad §. X. pag. 51.

(10) *Horologia Solaria*] Horologiorum 1) incomtior modus antiquissimus ille erat, qui pedibus umbram admetiebatur, nempe horam sextam putandam, cum ad sex pedum longitudinem umbra protendebatur &c. cujus totum schema habes *Tom. I. Opp.* BEDAE circa finem, tractatu *de mensura horologii.* Hinc apud SUIDAM δεκάπους σκιά, *decempes umbra* celebratur, pro hora diei decima, nostræ respondente pomeridianæ quartæ, qua ordinarie epulatum est a priscis, docente ERASMO *Chiliade III. Cent. IV.* adagio: *decempes umbra.* Quanquam ea tempestate, horas in Græcia cognitas adhuc fuisse, operose neget CLAUD. SALMASIUS *Plin. Exercit. in Solinum p.* 445 *sqq.* PLINIUMque, quando Anaximandrum horologia sciatherica primum invenisse perhibet, sinistra τῶν σκιοθήρων interpretatione deceptum, refellat. Quando itaque apud veteres Græcos diei ratio sic inibatur, ut ἑξάπους σκιά, diceretur, ἑπτάπους, ὀκτάπους, ἐννάπους, δεκάπους, ἑνδεκάπους, δωδεκάπους, & sic deinceps partes diei numerarentur ab umbræ mensura, pedibus comprehensa, eos non horas collegisse vult SALMASIUS, ex umbrarum magnitudine, verum id tantum didicisse, quantum diei a mane ad meridiem superesset, quantum a meridie ad vesperam itineris restaret, soli faciendum. Largitur tamen illos, eadem fere ratione, umbrarum modulis diem partitos fuisse, ut postea horis dispertitus est: horarum saltem observationem nondum receptam fuisse, aut cognitam. Ab hac rudiori temporum dimensione, transitum & perventum est 2) ad Horologia culti operis, quæ horarum spacia styli in medio fundo sui proceritate discriminabant. Stylus ille γνώμων dicebatur, a quo in subjectam tabulam,

lam, ſive æneam, ſive marmoream, duodecim lineæ ducebantur, literis, numerorum indicibus, terminatæ: Α. Β. Γ. Δ. Ε. ς. Ζ. Η. Θ. Ι. ΙΑ. ΙΒ. Quamcunque ergo lineam umbra gnomonis tangebat, ea diei hora intelligebatur eſſe, literæ numero ad lineam appoſito indicata. Quando ergo AVSONIVS *in Ephemeride verſ.* 95. inquit: *Soſia, prandendum eſt, quartam jam totus in horam Sol calet, ad quintam flectitur umbra notam:* per *notam*, literam intelligit lineæ adjunctam, numerumque horæ indicantem. Priores ſex horæ, usque ad meridiem, rebus agendis dabantur; reliquæ vero, poſt meridiem, corpori curando. Hinc eo, quo ſequuntur, ordine, ac ſerie, vocem ζῆθι efficiunt, quo admonemur vivere, hoc eſt, genio indulgere. Tale Romæ, quod primum horologium ſtatutum eſt, alii in Capitolio, nonnulli in æde Dianæ, poſitum fuiſſe volunt. In foro poſtea aliud conſtitutum conſtat, quod ex Sicilia advectum fuit, quo uno tota urbs diu contenta fuit. 3) Demum, quoniam horologia, ad ſolis curſum directa, diebus nebuloſis atque per noctes, ſuum denegabant officium, clepſydræ uſus invaluit, vaſis nimirum, e quibus interpoſitæ aquæ ſic deſtillabant, ut horarum incrementa docerent. De his vide CASSIODORVM *lib. I. Variar. formula* 45. & 46. HENRICVM SALMVTH *in P. II. memorabilium Pancirolli tit.* 10. *de Horologiis:* SALMASIVM *loc. cit. pag.* 450. ubi ſimul, quid inter clepſydram, & horologium hydraulicum diſcriminis intercedat, edocet. Hanc diſcrepantiam LEO ALLATIVS etiam *de menſura temporum cap. VI. p.* 50 *ſqq.* prolixe exponit, poſthæc etiam *pag.* 56 *ſq.* Oratores ad clepſydram declamaſſe demonſtrat, unde apud Latinos, *aqua hæret*, & *aquam perdere*, in proverbio dicatur. 4) Horologia autem rotata, quæ campanæ ſtrepitu ſonoro, etiam diſtantes admonerent, quænam diei hora percurreret, veteribus omnino incognita fuiſſe, inde patet, quod SENECAE, PLINII, IVVENALIS, aliorumque veterum Scriptorum teſtimoniis conſtat, quod potentiores ex ſervorum grege, dominæ ex ancillarum turba, certis id darent negotii, ut horologia crebro viſitarent, & quam umbræ facerent horam, denunciarent. Immo inter regii palatii Miniſtros erat, quem de horis diei & noctis referre oportebat. Hinc ad noviſſima usque tempora Sinas, ejusmodi horologiorum uſu caruiſſe, ex ſocietatis ſuæ, qui legationes illuc obiere, narratione, teſtis eſt PAVL. SHERLOGVS *cit. loc. pag.* 245. ubi, in primam harum machinarum inventionem & auſpicia, curioſe inquirit. Turcas pariter, ut horologia in publico haberent, ſua ætate nondum adduci potuiſſe, refert AVGER. GISLEN. BVSBEQVIVS *Epiſt. III. p.* 159. quod, ſi publicus & vulgaris eorum eſſet uſus, aliquid de æditorum ſuorum reditibus, & priſci ritus auctoritate, diminutum iri arbitrentur.

Ad §. X. pag. 51.

(11) *In Solario Achazi*] Ad Achaſi ſolarium quod attinet, α) ſunt, qui cum CAIETANO, ARIA MONTANO, MARIANA, & Auctore noſtro, cenſent, vicem ſtyli ſeu gnomonis gradus præbuiſſe, totam vero machinam dimidii orbis, dimidii cylindri inſtar habuiſſe, ita quidem, ut ſingulis horis umbra ſingulos gradus aſcenderet ante meridiem, poſt meridiem deſcenderet: SHERLOGVS ſæpius nobis laudatus *pag.* 248. non horas modo integras, ſed & ſemihoria, vel ſesquihoras ſingulis lineis fuiſſe notatas cenſet, adeoque cum non per X horas, ſed per X gradus retroceſſiſſe umbra dicatur, retro ſolem converſum fuiſſe quinque horis juſtæ menſuræ, quæ X requirebat gradus, vel lineas: miraculum porro, non in umbra ſolum, verum in ipſo quoque retrocedente ſole, eveniſſe: β) SALMASIVS *loc. cit.* ſententiæ ſuæ inhærens, quod ea ætas horologia ſciotherica adhuc ignoraverit, Achaſi ſolarium æquinoctialibus ſolum diebus, in XII partes dividendis, inſerviiſſe tradit: qua ratione, velit nolit, verum ac genuinum horologium ſolare largitur: γ) IOSEPH. SCALIGER *in Prolegom. ad Canones Iſagog. Chronologiæ* gradus palatii Achaſi ſignificari contendit: horologium autem

autem hic loci fruſtra commentos eſſe Judæos. Et huc fere accedit ſententia Doctoris cujusdam Anonymi, in *Biblioth. Brem. Tom. I. fol.* 840 *ſqq.* non gradus ſciatherici, ſed gradus ſcalæ, ex arce Sionis in Templum tendentis, indigitari, ab Achaſo & metu Aſſyrii regis deſtructæ ac remotæ, & ab eodem, ceſſante periculo, reparatæ, unde κατ' ἐξοχὴν gradus Achaſi dicantur. Vmbram itaque Templi decem tunc impleviſſe pontis, aut ambulacri regii gradus, ſive plures fuerint, ſive minus, unde colligere licet, poſt meridiem ſignum iſtud & prædictum, & editum fuiſſe. Vniverſum tamen miraculum ita eludit, ut ſenſum verborum Prophetæ hunc faciat: ſequenti die, redeunte iterum umbra in eundem locum, ſuperſtitem adhuc Regem futurum. Ita nimirum inſtituit: *Promiſſio divina erat clara:* Regem perendie in Templum reverſurum. *Hæſitabat Rex, vel morbi acerbitate compulſus, vitam ſibi eousque propagatum iri dubitans. Symbolum igitur Divinæ ſponſionis in re tam difficili, a Propheta præ ſollicitudine exquirens, a Propheta accipit, redeuntem diem craſtinum. Quam certo dies craſtinus redeat, & quam certo die craſtino, circa idem tempus, umbra illuc revertatur, & quam certo, tempore illo redeunte Rex ſit ſuperfuturus, tam certo perendie illum in Templum reverſurum, ac per gradus illos in domum Domini denuo commeaturum. Quam ſit Deo facile, diem revocare, ut redeat, ut in eundem locum, ubi pridie hæſerat, umbra revertatur, tam facile eſſe Deo, reddere Regi ſanitatem, ut cum redeunte valetudine in Templum perendie revertatur.* Quo ſane pacto egregie illuſiſſet Regi Propheta, iſtud definiens ſignum, quod erat in quæſtione. Scire Rex avebat, num craſtina luce ſuperſtes adhuc ſit futurus? reſponſum autem ferebat, futurum omnino, ſi poſtero die redeuntem in eundem ſcalæ locum, ſub hoc ipſum tempus, umbram videret: quod adeo eſt elumbe, ut Viro docto, ne miraculum agnoſceret, in mentem venire potuiſſe, miraculum fere ſit. Expetebat Rex אות miraculum, omnes naturæ vires longe excedens, *ſignum* recuperandæ valetudinis, 2 Reg. XX, 8. quale אות Achaſo ipſi quondam obtulerat & denunciaverat Deus Jeſ. VII, 14. Immo tale אות *ſignum*, quod non indicium modo præberet denunciatæ valetudinis, ſed quod etiam המופת *prodigium*, & miraculum ſit futurum, divinam cum Prophetæ miſſionem, tum oraculi originem & fidem confirmans, uti diſerte appellatur 2 Chron. XXXII, 31. Reſpondet Propheta, ſignum fore, ut retrahat Deus umbram graduum, quæ deſcendit in gradibus Achaſi, retrorſum decem gradus, ותשב השמש עשר מעלות במעלות אשר ירדה: *ut retrocedat Sol decem gradus, in gradibus, per quos deſcenderat* Jeſ. XXXVIII, 8. Quo neſcio, quid clarius & ſignificantius dici potuiſſet. Qualenam autem prodigium in eo erat ſitum, ſi umbra craſtino die in eundem, ſtato tempore, rediret locum, quem hodie tenuerat? Et quo demum documento Rex confirmabatur de veritate promiſſionis divinæ, de qua ſibi hodie conſtare cupiebat, ſi craſtino demum die eam erat experturus? Vt taceam, craſtini diei, cui tota hæc ſuperſtructa incumbit interpretatio, nec volam in Textu, nec veſtigium comparere. Sed quanto ſtudio picta hæc & exornata ſententia, tanta contentione & fide refutata legitur a Viro candido BERNH. PETR. KARLIO *Tom. IV. Biblioth. Bremenſ. p.* 635. Auctor denique iſtius interpretationis juxta, ac diſſertationis, HERMANNVS VON DER HARDT proditur a Vener. Abbate MOSHEMIO *in Annotat. ad Auguſtini Calmeti diſquiſit. Biblicar. P. IV. p.* 325. ubi ſimul ſententiam Auctoris ſuccincte & perſpicue exponit, ita tamen, ut ſuum ab illa diſſenſum haud obſcure ſignificet. *δ*) Hac itaque ratione devolvimur ad mentem laudati CALMETI, qui prolixa diſſertatione, magno cum doctrinæ apparatu in hoc inquiſivit argumentum, rejectisque aliorum opinionibus, ipſe demum *p.* 320. in ea acquieſcit, quod umbra in ſolario Achaſi, decem lineis, miraculoſo modo, ad preces & oraculum Prophetæ retroceſſerit, nec opus eſſe, ut modus rei geſtæ uberius declaretur. *ε*) IOH. CLERICVS *Comment. in 2 Reg. XX,* 9. quicquid

de gradibus vel solarii, vel aliis quibuscunque, afferri consuevit, in medio relinquit, & id unum solum, non sine stomacho, & conjectis in Interpretes conviciis, urget, miraculi quicquid hic evenerit, in sola quærendum esse umbra. In eandem, ante eum, sententiam, quanquam ambigue, & nihil certi definiens, de umbræ miraculo disputat GER. IOH. VOSSIVS *de Orig. & Progr. Idolol. lib. II. cap. IX.* ζ) Doctissimus VITRINGA *Comment. in Jes. XXXVIII, 9.* rem omnem ita complectitur: 1) Partitionem diei in horas καιρικὰς, sive populares, qua lucem cujusque diei in XII partes seu uncias secabant, satis esse antiquam, ut ad Achasi ætatem omnino ascendere queat. quod HERODOTI testimonio probat: 2) Gradus tamen istos Achasi, qualescunque fuerint, non fuisse sciotherici in XII partes, sive horas divisi, quia Propheta optionem dedit Regi, num umbram velit ascendere, vel descendere per gradus: si itaque in medio tunc umbra constiterit, habuisse tamen X gradus ante & retro, eoque necesse esse, gradus hos ad captandam solis umbram destinatos, numerum vicenarium excessisse: 3) Hos itaque Achasi gradus usui Astronomico inserviisse, quem ab Assyriis vel Babyloniis perceperat Achas, ad metiendum solis profectum, vel discernendas temporum inæqualitates ordinatos. Ceterum in dubio relinquit, cujus generis sciothericum fuerit, an videlicet medio gnomonis, conversionem, ascensionem, descensionem, & altitudinem solis, per umbræ conversionem & longitudinem demonstraverit? num vero ædicula fuerit, in hunc usum parata, soli se ab Oriente ad Occidentem convertenti obversa, in qua gradus qualescunque alii, solis ascensum & descensum exhibentes, dispositi essent? Propendet tamen in hanc sententiam, fuisse genus sciotherici, sive heliotropii gnomonici, quia quod hic dicitur de graduum ascensu vel descensu, ex eo clarissime intelligi potest: licet sciothericum illud in multo plures divisum fuerit gradus, ac horaria nostra. 4) Tandem quando ad τὸ κρινόμενον, & caussæ caput venit, in suspenso hæret, nec definire audet, num effectum hoc editum fuerit in motu telluris (sive ejus respectu in motu solis) retroacto, an solum in umbra, quam sententiam in reverentiam, quam Verbo Dei debemus, incurrere negat. Quin eo demum inclinat, ut Prophetam, qui veram hujus retrogradationis caussam ac indolem probe perspectam habuerit, miraculum tamen hoc, populari modo κατὰ τὸ φαινόμενον explicare potuisse, salva rei veritate, perhibeat; qui tamen popularis modus, quantum a genuina rei gestæ indole recedit, tantum detrahit auctoritati Scripturæ. η) Mea denique sic fert ratio, א. scalarum quarumcunque potius, quam sciotherici, intelligendos esse gradus, cum vel horarum, vel solarii, in utroque loco nulla, & ne minima injiciatur mentio, ut mirari satis nequeam, quo fascino hæc opinio viros graves & eruditos abripere potuerit. Ipse fatetur HIERONYMVS *in Jes. XXXVIII, 8.* se primum a SYMMACHO inductum, in eam incidisse sententiam, in quam deinceps pedibus fere omnes incesserunt. *Datur signum, ut sol X gradibus revertatur: quos nos, juxta* SYMMACHVM, *in lineas & horologium vertimus, qui gradus intellexit in lineis, ut manifestiorem sensum legentibus faceret.* Et sane *in Hexaplis* MONTFAVCONI *ad h. l. Jes.* במעלות SYMMACHVS vertit ἐν ὡρολογίῳ. Non ortum urgebo & ætatem sciathericorum recentiorem, in qua demonstranda multæ sunt tenebræ, longæ ambages: sed silentium Scripturæ, quæ iteratis vicibus graduum, horarii vero cujusdam, aut graduum tempori dimetiendo destinatorum, nullibi mentionem facit. ב. Solem declinantem ad occasum, decem scalarum istarum gradibus induxisse umbram, hinc a scalæ situ, hinc a Templi monte oriundam, & mox progressuram amplius, ni miraculum intervenisset: ג. Solem vero, insolito prorsus ac miraculoso Dei nutu ac imperio, iter, quod emensus jam eo die fuerat, retrorsum fecisse, ut umbra ab obscuratis gradibus, per solis redeuntes radios, depelleretur. Hoc ipsa Jesaiæ verba loquuntur, quæ ita verto: הנני משיב את־צל המעלות *ecce ego avertam*, removebo, *umbram* gra-

graduum, אשר ירדה במעלות אחז בשמש אחרנית עשר מעלות *quæ descenderat in gradibus Achasi, per solem retrorsum* retractum, seu retrogradum, *decem gradibus.* ותשב השמש עשר מעלות במעלות אשר ירדה: *Et reversus est sol decem gradibus, in gradibus istis, per quos* dudum *descenderat*, eosque luce sua destituerat. Verbum enim שוב non *revertendi* modo, & *redeundi*, sed & *avertendi*, *discedendi*, *abscedendi*, & in Hiphil, *removendi* notionem sustinere, ex Psal. IX, 4. Jes. XLIII, 13. Thren. I, 13. & Lexicis atque Concordantiis liquet. Ita plana fluunt omnia, nec dubio relinquitur locus: nisi unum hoc obvertas, mirum videri, idem verbum שוב bis repetitum in Textu, oppositam, *redeundi* quippe, & *amovendi*, significationem nancisci. Verum, velut in Scriptura hoc non infrequens est, ita sensus uterque ex rei natura & indole, hic manifesto evincitur. Sole enim redeunte, gradusque X quos descendendo deseruerat, denuo illustrante, non potuerunt tenebræ antegressæ, prioresque umbræ non dispelli & removeri. Nec officit, quæ forte in contrarium urgeri poterat, facta Regi optio, num descendere umbram, an ascendere malit? Descendere enim, si Rex elegisset, naturale fuisset, nec מופת futurum. Istud autem ut probe intelligebat Hiskias, quod responsione prodit: *facilius est umbræ, ut pergat X gradibus: non; sed regrediatur umbra retrorsum X gradibus:* sic omni tamen non caruisset miraculo, si justo celerius per gradus istos descenderet umbra. ד. Miraculum ergo in retroacto solis cursu contigisse censemus, cui diserte tribuit Scriptura: *& reversus est sol decem gradibus;* ut humani quid passus videatur vir summus, VOSSIVS, quando *cit. loc.* pronunciat: *nec in Regum libris, nec in Propheta Jesaia, legere est, solem retrocessisse, sed umbram:* per umbram autem cedentem ac dispulsam, retroacti solis effectum solum indicatum fuisse. ה. Ista vero lucis redeuntis collustratio scalarum sive graduum, quamvis successive sit facta, neutiquam tamen vel X vel V horarum indiguit mora, nec diem duplo ceteris reddidit longiorem, in quo multi desudant nodo solvendo, sed vel unius horæ, & contractiori forte spatio, peragi potuit. Quicquid autem vel a CLERICO, vel apud CALMETVM, immutato ac inverso solis itineri, ex rationibus physicis objicitur, eadem omnipotenti manu, qua patratum fuit miraculum, inhiberi & averti potuit, ut nulla totius machinæ cælestis metuenda fuerit confusio sive inversio: æque uti, ex diei in duplum productione, apud Josuam cap. X, 13. ejusmodi incommodum emersit nullum.

Ad §. XI. pag. 52.

(12) *Hebdomas diaria, Hebdomas annalis*] שבוע *Hebdomas*, 1) proprie est spatium septem dierum, quod inde ab orbis incunabulis inter homines observatum, & haud dubie ex creationis hexaëmero ortum est, unde Auctor libri *Cosri p.* 26. & 89. edit. Buxtorf. derivat, omnesque gentes citra ullam dissensionem in septimanam septem dierum conspirare tradit. Vocatur alias septimana dierum Dan. X, 2, 3. & cum fit mentio festi שבעות *septimanarum* Exod. XXXIV, 22. Deut. XVI, 9, 10, 16. Interdum quoque a Sabbatho, cujus causa cyclus hebdomadicus primum institutus est, hæ hebdomades שבתות *Sabbatha* vocantur Levitic. XXIII, 16. Deinde 2) datur quoque Hebdomas annorum, id est, septem annorum intervallum, cujus perspicuam descriptionem subministrat Moses Lev. XXV, 18. *numerabis tibi septem hebdomades annorum, septem annos, septem vicibus, & erunt tibi dies septem hebdomadum annorum novem & quadraginta anni*, quibus exactis annus quinquagesimus Jobelæus erat. Idem voluit VARRO apud GELLIVM *lib. III. Noct. Attic. cap.* 10. quando se jam duodecimam annorum hebdomadem ingressum esse affirmat, h. e. octogenario se majorem dicit. Eadem vocis acceptio, idemque calculus obtinet Dan. IX, 20. ad quem locum, cum Commentatores, tum Chronologi, omnes suas explicuerunt opes, quorum omnium inire censum, & supervacaneum foret, & nimis prolixum.

lixum. Conferri tamen poteſt STRAVCH. *breviar. Chronol. lib. IV. cap.* 29. *p.* 824. & WILH. LANGIVS *de annis Chriſti Lib. II. cap. IX. p.* 416. qui ab aliis vel copioſe tradita, vel ambigue diſputata, in epitomen redegerunt.

Ad §. XII. pag. 52.

(13) *Menſes Solares*] Ad difficiles, de Judæorum menſibus, annis, emboliſmis, & putandi ratione, nunc devolvimur nugas, quas in compendium mittere, & quantum licebit, clariori perfundere luce, nitemur. Ex menſibus annus enaſcitur & pendet, quorum cumprimis notandum eſt diſcrimen. חרש לבנה *Menſis Lunaris* eſt temporis ſpacium, quod ad revolutionem lunæ in proprio orbe; vel a ſynodo, ſeu conjunctione cum ſole, in ſynodum; vel ab apparentia lunæ poſt hanc ſynodum, usque ad apparentiam poſt alteram ſynodum, elabitur. Hinc Menſis lunaris triplex æſtimatur: Periodicus, quo luna integrum ſuum orbem abſolvit, a puncto Zodiaci excurrens, & per reliqua ſigna permeans, ad idem punctum revertitur; ſynodicus, inter duas luminarium conjunctiones proximas interceptus, cum a ſole proficiſcitur, & ad eundem redit; & Illuminationis, primum ſcilicet apparentis lunæ, poſt duas ſynodos proximas. חרש השמש *Menſis Solaris*, eſt ſpacium, quo ſol integrum Zodiaci ſignum, motu proprio, ab occaſu nempe ad ortum, abſolvit. Denique *Menſis Civilis* eſt ſyſtema dierum, quod in uſu civili variæ gentes diverſimode, & nonnunquam pro arbitrio obſervant. Aliæ enim aliis uſæ ſunt, hæ quidem lunaribus, illæ ſolaribus, ut paucæ admodum, non gentes modo, ſed & civitates, in ſtatuendis menſibus conſentirent. Apud Judæos ab antiquo obtinuit, ut menſes lunares in uſus ſuos converterent, quorum ſinguli cum 29 diebus, horis 12 & חלקים ſeu *punctis* minutis 793 conſtent, duplicis generis menſes ſtatuerunt, alios חסרים *cavos*, qui 29 ſunt dierum, alios מלאים *plenos*, qui *triginta*, alternis vicibus unum alterum excipientes. Quo ELIAE BEN MOSIS, Karraitæ, ſpectat effatum, apud SELDENVM *de Anno Civ. Jud. c. IV. p.* 21. pronunciantis: שאין חרש פחות מכ״ט יום ולא יתר על שלשים *non eſſe menſem, cui pauciores, quam dies* 29, *nec cui plures, quam* 30. Vnde anni lunaris 354 dies, cum horis octo, & חלקים 876 emergunt, cum ſolaris 365 ſit dierum cum ſex horis; obſervante MAIMONIDE in Hilcoth *Kidduſch Hachodeſch* ſeu *de ſanctificatione Neomeniæ cap. VI.* §. 4. Ne vero, qui in lunaribus deficiunt anno ſolari dies, confuſionem pariant, & turbatam temporum ſeriem reddant, medelam adhibuerunt Judæi, & annum lunarem ad ſolaris revocare agreſſi ſunt formam modumque, interkalando interdum menſem integrum, qui menſem Adar proxime excipit, indeque ואדר *alter Adar* appellatur. Hinc ipſis enata diſtinctio inter שנה פשוטה *Annum Communem*, & שנה מעוברת *Annum Interkalarem*, quæ efficit, ut univerſo annorum calculo nihil decedat, etiamſi ſingulorum annorum variet forma. Idque Hebræi dicunt סור העיבור *ſecretum* ſeu arcanum *emboliſmicum*, a Deo Adamo traditum, & ab eo propagatum ad ſera Patrum tempora, ut fuſe exponitur in Jalkut *Paraſcha I. num.* 4. §. *iſte eſt liber generationis:* quocum confer פרקי R. ELIESER *cap. VIII.* Fallor, an huc reſpexit MAIMONIDES, quando *c. l. cap. I.* §. 1. Judæis menſes lunares tribuit, annos autem ſolares, inquiens: חרשי השנה הם חרשי הלבנה שנאמר עולת חרש בחרשו ונאמר החרש הזה לכם ראש חרשיכם כן אמרו חכמים הראה לו הקב״ה למשה במראה הנבואה דמות לבנה כזה ראה וקדש והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה שנאמר שמור את חרש האביב: *Menſes anni ſunt menſes lunæ, prout dicitur: holocauſtum novilunii in menſe ſuo: Et alibi dicitur: menſis hic erit vobis initium menſium. De quo ita ſciſcunt Magiſtri: Sanctus ille benedictus monſtravit Moſi in viſione Prophetica ſpeciem lunæ, prout apparet, quando ſanctificatur. Anni vero, quibus computamus, ſolares ſunt. Ita enim dictum eſt: obſerva menſem Abib,* ſive frugum matureſcentium, a quo porro Feſtum ſeptimana-

rum,

rum, הקציר *Festum messis* dictum, & Tabernaculorum, quod est האסיף *collectionis frugum* pendet. Hinc ABEN ESRA *in Exod. XII.* ubi contra R. IVDA PERSAM disputat, diserte pronunciat: והשנה באמת היא לשמש לבדה כי הוא המוליד זמני קור וחום וקיץ וחורף שהם ד' תקופות השנה *Et annus vere est solius solis, quoniam ipse producit temporum varietates, hyemem, æstatem, autumnum, ver, quæ sunt 4 revolutiones anni.* Licet itaque a luna sol mensium accipiat divisionem, cum ipsa per singulos menses lumine renovetur, eosque ad se invicem secernat, annus tamen a sole constituitur; ut recte pronunciat MAIMONIDES, menses anni esse lunares, annos vero Judæis computari solares. Hinc per embolismum anni lunares quoque ad solarium normam revocantur. Quod autem, post annum lunæ interkalarem, temporis residuum adhuc superest, adeo ut intra 19 annos, septem fiant interkalares, quibus exactis, omnes lunationes ad eandem horam redeant, in qua prius fuerant; inde fit, ut spacium intra 19 annos comprehensum, Hebræi cyclum faciant decennovennalem, quem מחזור dicunt, in quo septem annos embolismicos, & duodecim statuunt communes. Hoc pacto lunares anni ad solares rediguntur. Vniversum interkalandi modum, in septem annos in tabulam redactum, ob oculos posuit SELDENVS *c. l. cap. VI. p.* 31. copiosissime autem definivit citandus mox BARTOLOCCIVS §. 3. *p.* 404 *sq.*

Auctori autem nostro non damus, quod contendit, Patriarchas veteres ante Aegyptiacam μετοικεσίαν, menses solares adhibuisse, post egressum autem, lunares: quo ipso computus sacer in discrimen adduceretur. Annis enim solaribus in computatione uti Judæos mox audivimus, licet in Festorum Sacrorumque ordine, ac celebratione, lunæ moderamen sequerentur. Atque huc argumentum spectat, ex historia diluvii petitum; æque ac alterum illud SCALIGERI, quod David & Salomo XII tantum Præfectos Militum & Annonæ, in aula constituerint, non tredecim, quot lunarium mensium numerus interdum posceret. Vtrumque enim hoc ad annum solarem pertinet, qui duodecim solum numerat menses, triginta singulos dierum, cum 5. ἐπαγομένοις. Quam quidem alias tetigimus controversiam *Introd. ad libb. Vet. Test. P. I. cap. II.* §. 7. Quod superest, integrum & uberrimum qui in hunc §. commentarium cupit, IVLIVM BARTOLOCCIVM adeat, qui *Biblioth. Rabb. Tom. II. p.* 392 *sqq.* de anno Hebræorum solari & lunari, ejusque mensibus cavis & plenis, copiose præcipit, cyclorum & Neomeniarum rationem exponit, quin & integrum Judæorum Calendarium, plenis explicatum annotationibus *p.* 551 *sqq.* exhibet; quale in compendio quoque SELDENVS *c. l. cap. VII,* explicatius autem & curatissime SPANHEM. *Tom. I. Opp. Chronol. Sacr. P. I. cap. XII. p.* 47 *sqq.* tradit.

Huc denique quæstio spectare videtur: Quales in vetustissima & prima ab O. C. historia memorentur anni? Quia enim per multa sæcula Patriarcharum protenditur ætas, quod fidem excedere videbatur, hinc alii menstruos statuerunt annos cum Aegyptiis, refutati LACTANTIO *lib. II. Instit. Divin. cap. XIII.* alii annum solarem in duos, demum in quatuor alii secarunt annos. Ita PLINIVS *lib. VII. cap. XLIV.* refert, idque inscitiæ temporum tribuit: *annum enim alii, æstate unum determinabant, & alterum hyeme: alii quadripartitis temporibus, sicut Arcades, quorum anni trimestres fuere: quidam lunæ senio, ut Aegyptii: itaque apud eos aliqui, & singula millia annorum vixisse produntur.* Sed & istas profligavimus nugas *c. l. Introd. cap. IV.* §. 5. & ante nos LEO ALLATIVS *de Mens. Tempor. cap. IX. p.* 83 *sqq.* ubi data opera GEORGII HERVARTI explodere satagit opinionem, qui quadrimestres tuetur annos, sed in Græcorum cumprimis computi rationem excurrit, quem vide: sunt enim hæc ab instituto nostro aliena.

Ad §. XIII. pag. 52.

(14) *Post reditum ex Babylone*] Quod Auctor tradit, mensibus Hebræorum nomina sua,

 eaque

eaque Chaldaica, poſt captivitatem demum Babylonicam acceſſiſſe, in eo fidem ſequitur ABEN ESRAE, ſed minus tutam. Ille nimirum, paulo poſt ſuperius citata verba, ita habet: ומשה לא הזכיר בתורה שנספר י״ב חרש או י״ג רק אמר בחרש שנמצא אביב בו נחל לספור והוא יקרא ראשון בין שתהיה השנה מ״ב חרש או י״ג וככה כתוב בחרש השני בחרש השלישי וכלם על דרך הזה וניסן ואייר סיון וכל שמות החרשים אינם לשון קרש כי אם לשון כשרים על כן לא תמצא במקרא כתוב אחר מהם ולא בכל המקרא רק בנבואת זכריה דניאל ועזרא ומגלת אסתר שהיו בגולה וככה פירוש בחרש הראשון שיקרא ניסן בלשון כשרים *Et Moſes non commemoravit in Lege, quod numeraremus 12 menſes, aut 13, ſed tantum dicit: In menſe, quo invenitur Abib* (ſpica) *incipietis numerare, & ipſe vocabitur primus, tam ſi ſit annus 12 menſium, quam ſi ſit 13. Et ſic ſcriptum eſt: in menſe ſecundo, in menſe tertio* &c. *Sed Niſan, Ijar, Sivan, & omnia nomina menſium, non ſunt nomina Hebraica, ſed Chaldaica, idcirco non invenies unum ex eis ſcriptum in ſacris literis, ſed tantum in vaticiniis Zachariæ, Danielis, Eſræ, & voluminis Eſther, quæ fuerunt* (ſcripta) *in captivitate. Sic itaque explicabis: in menſe primo, qui vocatur Chaldaice Niſan.* Eadem inculcat R. BECHAI *Comment. in Legem f.*74. *col.*3. Sed probe memor ABEN ESRA, quam parum hæc reſpondeant libris Regum, ſeipſum veluti corrigens, ſtatim ſubjicit: רק מצאנו בלשון הקרש שנקראו ג׳ חרשים בררך אחרת ירח זיו בירח האיתנים בירח בול *verumtamen invenimus in lingua ſancta tres menſes alio modo vocatos fuiſſe, nempe menſem Ziv, menſem Ethanim, menſem Bul.* Si Sacrum Codicem evolvimus, utrumque deprehendimus, & ex ordine eos, tam in primis, quam ultimis Scripturæ libris, vocari: menſem primum Geneſ. VIII, 13. Exod. XL, 2, 7. ſecundum Geneſ. VII, 11. Num. IX, 11. tertium 2 Chron. XV, 10. quartum Jer. LII, 6. quintum Jerem. c. l. verſ. 12. ſextum Hagg. I, 1. 2 Chron. V, 3. ſeptimum Gen. VIII, 4. 2 Chron. V, 3. octavum 1 Reg. XII, 32. nonum 1 Chron. XXVII, 12. decimum Geneſ. VIII, 5. undecimum Devter. I, 3. duodecimum 2 Reg. XXV, 27. & peculiaribus inſigniri ſingulos nominibus, ita ut appelletur I. ניסן *Niſan* Nehem. II, 4. Eſther. III, 1. qui idem ac *Abib* Exod. XIII, 4. reſpondens ex parte noſtro *Martio:* II. אייר *Ijar*, qui & *Ziv*, 1 Reg. VI, 1, 37. noſtro *Aprili:* III. סיון *Sivan* Eſther. VIII, 9. noſtro *Majo:* IV. תמוז *Tammuz*, noſtro *Junio:* V. אב *Abb*, noſtro *Julio:* VI. אלול *Elul* Nehem. VI, 16. noſtro *Auguſto:* VII. תשרי *Tiſri*, qui & *Ethanim*, 1 Reg. VIII, 2. noſtro *Septembri:* VIII. מרחשון *Marcheſvan*, qui & *Bul*, 1 Reg. VI, 38. noſtro *Octobri:* IX. כסלו *Caslev*, vel *Ciſlev*, Nehem. I, 1. Zach. VII, 1. noſtro *Novembri:* X. טבת *Thebeth* Eſther. II, 16. noſtro *Decembri:* XI. שבט *Schebbath*, noſtro *Januario:* XII. אדר *Adar*, Eſth. III, 7, 13. noſtro *Februario* maximam ſui partem adæquandus. Vnde liquet, nonnulla eorum, ut Abib, Ziv, Tiſri & Ethanim, Marcheſvan & Bul, & forte alia quoque, Moſis & Salomonis non ignota fuiſſe ævo.

Ad §. XIV, pag. 52.

(15) *Suum annum auſpicabantur*] Quicquid ſit de eo anni tempore, quo conditus eſt mundus; habita nimirum illius climatis ac regionis ratione, quam protoplaſti incoluerunt; ſive ortus ejus in æquinoctium autumnale conjiciatur, ſive in vernale, quod ſententiarum divortium, ex Judæorum mente IVL. BARTOLOCC. *loc. cit. p.* 436 *ſqq.* & IOH. MEYERVS *de Temporibus & Feſtis Hebræor. P. I. cap. I. pag.* 4. ex Chriſtianorum ſententia GVIL. SALDENVS *Otior. Theolog. lib. II. Exerc. I. p.* 213. exponit; ſive denique in æſtatem, quæ GERARDI MERCATORIS opinio, a IOH. GERH. VOSSIO *Iſagog. Chronol. Diſſ. II. p.* 4. diſcuſſa & profligata eſt: certum ſatis hoc ac exploratum eſt, duplex apud Judæos anni obtinuiſſe initium, vetuſtiſſimum a menſe Tiſri ſeu Septembri, recentius, poſt egreſſum ex Aegypto, a menſe Niſan ſeu Abib, qui nobis Martius eſt, a Deo ipſo inſtitu-

tum

tum Exod. XII, 2. De qua nova anni forma laudatus commentatur MEYERVS *c. l. cap. VI. p.* 35. qui etiam *cap. VIII. p.* 41. de noviſſima anni Judaici forma, a *R. Hillele Hannaſi* introducta, erudite præcipit. Hinc eſt, quod multi Chriſtianorum geminum Judæis annum tribuant: *Politicum* a menſe Tiſri incipientem, in Jobelæi celebratione, nundinationibus, rebusque civilibus obſervatum, & *Eccleſiaſticum*, qui menſe Niſan cœperit, juxta quem omnes feſtivitates celebratæ ſint; ille forum, hic templum moderabatur, ut habet LEVSDENIVS *Philol. Hebræo-Mixt. Diſſ. XXXIV. p.* 236. OVTREIN *de clangore Evangelii Diſſ. XI. p.* 207. IAN. DRVSIVS *lib. I. Obſervat. cap. XIII.* ita paucis rem complectitur: *Annum Hebræi duplicem habent; unum, qui a Niſan incipit, alterum, qui a Theſri: hunc vulgarem appellant, illum ſacrum. Vulgarem Aegyptii, ſacrum Moſes inſtituit. Hujus anni initium eſt Niſan, ut diximus; quo menſe Hebræi egreſſi ſunt ex Aegypto. Quocirca Moſes eum voluit eſſe caput menſium. Sacrum autem ideo vocant, quod in ſacris, iisque, quæ ad rem divinam pertinent, eo utantur. Qua de re locus inſignis extat apud* IOSEPHVM *Origin. lib. I. cap.* 4. *ad quem ſi adibis, cognoſces, ex eo, annum vulgarem in foro ſemper uſitatum fuiſſe. Quapropter nonnulli annum civilem eum vocant.* &c. Judæi certe ad hunc diem Calendaria ſua a menſe Tiſri inchoare ſolent.

Ceterum Talmudici tract. ראש השנה ſtatim in fronte *Cap. I. Miſchna I.* ita præcipiunt: ארבעה ראשי שנים הם באחד בניסן ר״ה למלכים ולרגלים באחד באלול ראש השנה למעשר בהמר״ה רבי אליעזר ורבי שמעון אומרים באחד בתשרי באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין וליובלות ולנטיעה ולירקות באחד בשבט ראש השנר״ה לאילן כדברי בית שמאי בית הלל אומרים בחמשה עשר בו: *Quatuor ſunt annorum principia: primo die menſis Niſan, Regum, & Feſtorum, principium anni eſt; primo die menſis Elul, novus annus eſt pecoris decimandi.* R. ELIESER *&* R. SIMEON *in primum Tiſri incidere ſtatuunt; primo die menſis Tiſri eſt caput anni ad figendos annos, & intermiſſiones, & Jubilæa, ſimulque novus annus eſt plantationis omnium arborum, & herbarum. Quartum denique anni principium incidit in primum menſis Sebat, quod eſt pro arboribus, ſecundum ſententiam ſcholæ Schammææ, Hillelis vero ſchola decimo quinto die ſtatuit.* Prolixe in hanc Miſchnam commentantur BARTENORA & MAIMONIDES, Judæi, ac HOVTINGIVS, Chriſtianus. Summa vero huc redit: 1) *Annus Regum* eſt, a quo Judæi ſupputabant annos Regum ſuorum, ut ſi v. g. in Januario electus Rex eſſet, proximo tamen Martio ſecundus regiminis inciperet annus; ſiquidem ſtante florenteque republica, in more habebant poſitum Judæi, in ſuis Contractibus, Diplomatibus, & omnibus publicis inſtrumentis, annum Regis addere, ab eoque ſupputare; unde hæc Aera quoque שטרות *Contractuum* appellatur. Idem quoque eſt *Annus Feſtorum*, ſeu Eccleſiaſticus, quod ab hoc menſe ſolennitates Feſtorum numerare incipiebant, ſcil. 14. luna menſis primi ſeu Niſan erat Paſcha, hinc poſt 50 dies Feſtum ingruebat Septimanarum; ſeptimo a Niſan menſe, die X erat feſtum Expiationis, die XV feſtum Succoth ſeu Tabernaculorum &c. Vnde liquet, quo jure, quave injuria, doctores ſupra laudati, annum ſacrum a civili diſtinguant, cum utriusque juxta ea, quæ dicta ſunt, idem ſit principium: 2) *Annus decimandi pecoris* eſt novilunium Auguſti, a quo Judæi numerabant annos & menſes, quibus novum pecus natum erat, ut decimas rite penderent: 3) *Annus annorum*, quo cum orbe condito anni & tempora cœperunt; Annus *dimiſſionis*, quo poſt ſex γεωργίας annos, agri & vineæ ſeptimo relinquebantur incultæ; Annus *Jobelæi*, quo poſſeſſiones ad Dominum redibant, & ſervi Hebræi manumittebantur Lev. XXV. Annus *plantationis* arborum & herbarum, a quo ſupputabant tempus, quo teneræ arbores & herbæ plantatæ fuerant, ut annum impuritatis rite numerarent: nam arbor per tres annos immunda cenſebatur, ערלה *præputiatum* quaſi proferens fructum, quo veſci nefas erat Lev. XIX, 2: iſte, inquam, omnis a Tiſri capiebat

bat auſpicium: 4) *Annus arborum* erat auſpicium germinationis arborum, ante vel poſt diem XV Januarii, unde judicium fiebat de licito vel illicito fructuum eſu. Quod capiendum eſt de arboribus, quæ bis quotannis fructus proferunt, ubi de fructibus, quæ ante Januarium matureſcebant, decimam dabant pro anno elapſo, neque in ea decimatione comprehendebantur fructus, qui poſt Januarium matureſcebant, ut ſunt citri, poma aurea, & ſimilia acidorum genera fructuum. Quas autem Judæi de anni principio fabulas ſpargunt, de Deo pro tribunali ſedente, & tres luſtrante libros, non malo, quod ego cenſeo, animo, ſed ea fini confictas, ut homines ab impietate ad meliorem frugem, & a ſecuritate ad ſeriam conſcientiæ curam revocent, quo ſepulchreta viſitandi mos ipſorum pariter ſpectat; eas qui cognoſcere avet, LEVSDENIVM conſulat *c. l. p.* 239. & cumprimis BVXTORFIVM, qui *Synagogæ Jud. cap. XXIII.* copioſe iſta perſequitur, & *cap. XXIV.* univerſum Judæorum ritum, quo ineuntis anni feſtum celebrent, ex inſtituto exponit.

Atque iſta quidem de Annorum auſpicio, ex Judæorum diſciplina. Aliter ſenſerunt gentes aliæ, de quibus CENSORINVS *de die natali cap. XXI.* perhibet, quod *aliis a novo ſole, i. e. a bruma, aliis ab æſtivo ſolſtitio, plerisque ab æquinoctio verno, partim ab autumnali æquinoctio, quibusdam ab ortu Vergiliarum, nonnullis ab earum occaſu, multis a Canis exortu, incipere Annus naturalis videatur.* Diſcuſſit hoc argumentum LEO ALLATIVS *c. l. cap. XVI.* ibique Athenienſes poſt ſolſtitium æſtivum, Aegyptios ad Caniculæ ſidus exortum, quo Nilus ingruere conſuevit, annum inchoaſſe, erudite docet.

AD

LIB. III. CAPVT II.

DE FESTIS ET CONVIVIIS.

Ad §. II. pag. 53.

Convivia ordinaria vocabantur ארוחה] Duo genera conviviorum Auctor facit: ארוחה, quod tenuius, atque משתה quod lautius. Prius, ab ארח *iter fecit*, Jer. XXXIV, 8. vi originis & etymologiæ, *viaticum* notat, ſive cibarium, quod itineris cauſa vel datur, vel capitur; velut Jeremiæ, carcere ſoluto, militiæ Princeps dabat ארוחה *cibaria*, & munuſcula, & dimiſit eum, Jerem. XL, 5. ubi cibus non ad præſentes epulas apponebatur Prophetæ, ſed dabatur auferendus, & in quotlibet prandia dividendus in itinere, bene monente GVSSETIO *in Comment. L. Hebr. ad h. v.* Porro victum tenuem, & facile parabilem deſignat, quo ſenſu Prov. XV, 17. legitur, טוב ארוחת ירק *præſtat ferculum oleris præ bove ſaginato.* Denique, pro ordinario cibi demenſo, Joachimo e vinculis liberato, a Rege Babelis deſtinato 2 Reg. XXV, 30. & Jerem. LII, ult. uſurpatur, & ארוחת תמיד *victus perpetuus*, ſeu quotidianus & ordinarius appellatur. Vix ergo deprehendes, convivium, quamvis tenue, hac voce notari, niſi ex ſenſu verbi Rabbinico ארח derivaveris, quod interdum *prandio excipi*, obſervante BVXTORFIO *in Lex. Targum. h. v.* ſignificat. Ad mentem Auctoris forte magis appoſite, cum ארוחה vocem סעודה permutaveris, quæ in Scriptura quidem exulat, apud Rabbinos & Talmudicos autem frequentiſſime occurrit, quibus בעל הסעודה *Dominus convivii*, *Convivator* audit. Hinc Magiſtrorum ſcitum in *Beracoth fol.* 43. כל המקיימים שלש סעודות בשבת ניצול משלש פורעניות *quicunque ſervat tria prandia* (licet privata, ſolito tamen lautiora, & convivio non

non absimilia) *in Sabbatho, liberatur a tribus pœnis*, scil. a doloribus Messiæ, a judicio Gehennæ, & a bello Gog & Magog. Origo vocis סעד *fulcivit, cibo refecit*, de convivio extemporaneo, quo Abraham Angelos cum Filio Dei excepit Genes. XVIII, 5. de conviviolo valedictorio, quod Levitæ abituro socer paraverat, Jud. XIX, 8. de oblato, sed a Propheta recusato, cibo Jeroboami 1 Reg. XIII, 7. legitur. Vnde intelligis, derivatum סעודה epulum omnino, & convivium, sed minime opiparum, designare.

Ad §. III. pag. 53.

(2) משתה *convivium, compotatio*] Bene habent, quæ Auctor de hac voce annotavit. Spectat huc observatio R. SALOMONIS IARCHII *ad Esther. V*, 5. כל סעורה נקראת על שם היין שהוא עיקר *omne convivium vocatur vini nomine* (משתה compotatio a bibendo) *quia illud est præcipuum*, seu res primaria convivii. Splendida utplurimum, & solennia convivia notat; qualia in diebus natalitiis, ut Pharaonis Genes. XL, 20. in diebus ablactationis filiorum, ut Isaaci Genes. XXI, 8. in pangendis fœderibus, velut Abimelechi Genes. XXVI, 30. & ad ostentandam magnificentiam & opes, ut a Salomone 1 Reg. III, 15. & cumprimis ab Ahasvero Esther. I, 3. & Vasthi vers. 9. parabantur. Maxime nuptialia convivia septem protrahebantur diebus, ut ex nuptiis Jacobi cum Lea Genes. XXIX, 22, 27. & rursus cum Rahele vers. 28. constat, ubi RASCHI ex Talmudis Hierosolymitani Tract. *Moëd Katon*, ad verba שבוע זאת bene observavit: והן שבעת ימי המשתה *fuerunt autem isti septem dies convivii* nuptialis. Quod & Simsonis nuptiæ probant Jud. XIV, 17. ubi diserte exponitur: *& flevit coram ipso* sponsa, שבעת הימים אשר היה להם המשתה *septem diebus, quibus* celebrabatur *ipsis convivium*. Hinc ex Rabbinorum effato, שבעה למשתה *septem ad convivium*, & שבעה להספד *septem ad luctum* destinati sunt dies; posterius quidem propter Genes. L, 10. & Job. II, 13.

Ad §. IV. pag. cit.

(3) *Hæc vocarunt* חג *festum*] Dubium rursus est, num, ex sententia Auctoris, epulum festivum & sacrificiale, חג vocatum sit. A verbo חגג *circumactus, motus in gyrum fuit, tripudiavit, subsiliit*, est חג *festum, festivitas*, Exod. X, 9. 2 Chron. XXX, 13. Amos. VIII, 10. & alias passim; notatque *partim* Tempora solennia, quibus religionis causa populus confluebat, & beneficia Dei corde ac ore celebrabat, qualia Pascha, Tabernaculorum solennitas &c. *partim* Sacrificium, in die festo offerri solitum, ut Exod. XXIII, 18. חלב חגי *adeps festi mei*, h. e. sacrificii, tempore festivo mihi oblati. Hinc Vener. MARPERGER. *de Agno, ad aræ cornua ligando cap. IV*. §. 3 *sqq. p.* 377 *sq*. verba Psal. CXVIII, 27. ita exponit: *ligate Agnum funibus ad aræ usque cornua*, חג *Festum*, reddens *Agnum*, præcipuum festi Paschatis sacrificium: secutus VALENT. SCHINDLERVM, qui *in Lexico Pentagl. h. v. p.* 523. hanc Rabbinorum interpretationem allegat: *afferte Agnum ligatum funibus, donec adducatis illum ad cornua altaris, ut mihi immoletur*. Quamvis autem Judæi, Deo præcipiente, non tantum sacrificia in loco sancto offerrent, sed & partem Pacificorum, quæ ad offerentes pertinebat, ibi comederent, velut de decimis Devter. XIV, 26. de primogenitis cap XV, 19. de agno paschali cap. XVI, 9. præcipitur; unde, eodem observante SCHINDLERO, Judæi diem XXIV Tisri, quo celebrant convivia & consumunt reliquias Festi Tabernaculorum, quod præcesserat, nec non die 22 Nisan, post Pascha celebratum, חג appellabant: ipsum tamen convivium hoc nomine venire, nullibi legisse me memini, nec ab Auctore nostro produci potuit locus, qui hanc vocis notionem evinceret ac probaret. Erant itaque convivia illa festis juncta, Festum autem seu חג nunquam dicta. Ceterum Judæos sacrificia sua conviviis finivisse, maxime diebus festis, cum ex Divina institutione liquet Lev. VI, 16, 26. XXIII, 34. Devter. XVI, 10, 11, 13. Esther. IX, 17. tum ex exemplis Exod. XVIII, 12. 1 Sam.

IX, 19, 22 sqq. XVI, 3, 5. 2 Sam. VI, 19. 1 Reg. VIII, 65. liquet. Ritum autem gentilem, sacrificialia celebrandi convivia, jam in Aegypto, Exod. XXXII, 6. & apud Moabitas Num. XXV, 2. conspicuum & receptum, IOH. GVIL. STVCKIVS *in Convivalibus*, tum & *de Sacris sacrificiisque Gentilium p.* 145. *b. sq.* tradit.

Ad §. IV. pag. 53.

(4) *Primævæ Ecclesiæ Christiani suas Agapas*] Agapæ Christianorum an ab hac origine sint derivandæ, dubium multis visum. Sunt enim, qui Christianos has epulas instituisse credunt, exemplo a Gentilibus tracto, qui sacrificiis peractis convivari quondam solebant, idque ad mutuam civium concordiam, benevolentiamque firmandam, unde mensam quoque sacram habebant, eique Jovem Ξένιον, *Hospitalem*, & Herculem Τραπέζιον, *Mensarium* præfuisse censebant. Profanum itaque hunc ritum in melius transfudisse Agaparum institutum, primos Christianos SEDVLIVS SCOTVS perhibet *in Collectaneis ad 1 Cor. XI.* ERASMVS *in Schol. Epistolæ Hieronymi ad Eustochium*, IVSTELLVS *ad Canon. XI. Concil. Gangrensis:* quin & Faustus Manichæus, *Christianos sacrificia Paganorum vertisse in Agapas*, dicebat apud AVGVSTINVM *lib. XX. contra Manich.* Mos tamen Agaparum, quia primum tenuit Hierosolymis, apud Christianos novitios, qui, quanta poterant animi contentione, se a cerimoniis impiarum gentium disjunxerunt, ideo rectius omnino a Judæis primordia Agaparum capiuntur, quibus cumprimis Christi auctoritas & exemplum accedit, qui sumta cum discipulis suprema cœna, charitatem ipsis hoc præcipue charitatis argumento, Joh. XIII. commendavit. Mos itaque epulandi post peracta sacrificia, primo omnium Divino jussu inter Judæos viguit, ab his transiit ad Aegyptios, ab his porro ad alios populos gentiles. Agapæ autem ex eodem derivari poterunt Divinæ in Vet. Test. institutionis fonte, per piam scilicet imitationem, accedente hinc Christi auctoritate, charitatem commendantis, hinc Ecclesiæ exigentia & rei necessitate, cum partim non haberent Verbi Ministri, unde victum peterent, partim nec Ecclesia, unde tot pauperibus, captivis item, & exulibus propter nomen Christi, subsidia vitæ surrogaret. Hinc factum est, ut ad mensam sacram, cibum potumque afferrent ditiores, a Ministris Verbi, exulibus, pauperibus, ipsis denique Sacræ Cœnæ convivis absumendum. Cum Agapis conferre liceat veterum Romanorum Charistia, de quibus ita commentatur VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. I.* §. 8. *Convivium etiam solenne majores instituerunt, idque* Charistia *appellaverunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur: ut si qua inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus concordiæ adhibitis, tolleretur.* Sed de Agapis, qui plura cupit, consulat BEBELIVM *Antiquit. Eccles. Sæc. I. Art. II.* §. 14. *pag.* 28. & *Sæc. III. Art. IV.* §. 1. *p.* 837. GABR. ALBASPINAEVM *lib. I. Observat. Eccles. XVIII.* ubi illas cum Sacra Cœna conjunctas fuisse operose negat, BALTH. STOLBERGIVM *Dissert. V. in Volum. p.* 280. SCHVRZFLEISCHIVM Diss. *de veteri Agaparum ritu* An. 1690. ITTIGIVM *in Enneade Exercitat. Theologic. Dissert. VI.* §. *LII. p.* 433. & *in Theologia Ignatiana Thes. LI.* HOORNBEECK. *Vet. & Nov. P. I. p.* 587 *sqq.* & ante omnes IOSEPH. BINGHAMVM, qui *Origin. Eccles. Lib. XV. cap. VII. Vol. VI. p.* 500 *sqq.* ex instituto de Agapis tractat, §. *VII sq.* in earum tempus, §. *IX.* in abrogationem, Conciliorum decretis factam, (de qua Idem conferri poterit *Vol. III. p.* 337. & *Vol. IX. p.* 150 *sqq.*) denique etiam §. *X.* in Gentilium, propter easdem, jactas in Christianos calumnias, erudite inquirit, dignus omnino, qui evolvatur.

Ad §. VII. pag. cit.

(5) *Salutatio aut verbis fiebat*] Salutationes Judæi veteres solennibus quidem & conceptis verbis, sed non iisdem ubique, efferebant. Hinc mox dicebant: יהוה עמך *Dominus tecum* Jud. VI, 12. & si plures compellarentur, יהוה עמכם

עמכם *Dominus vobiscum*, cui respondebatur: יברכך יהוה *benedicat tibi Dominus*, Ruth. II, 4. hinc Angelus ad Mariam Luc. I, 28. ὁ Κύριος μετὰ σȣ: mox, אתה שלום quod idem est, ac שלום לך *pax tibi*, 1 Sam. XXV, 6. Jud. VI, 23. XIX, 20. 2 Sam. XX, 9. 1 Chron. XIII, 18. Luc. XXIV, 36. Joh. XX, 19. XXI, 26. unde quoque in literis, a pacis voto auspicium capiebant, ut Esdr. IV, 17. שלם וכעת quod vel maxime Apostoli in Epistolis suis observarunt: mox, ברכת יהוה אלכם *benedictio Domini super vos*, ad quod responsum ferebant: ברכנו אתכם בשם יהוה *benedicimus vobis in nomine Domini*, Psal. CXXIX, 8. Et in illam quidem formulam: *Pax tibi*, & χαῖρε, prolixe commentatus est ANTON. BYNAEVS *de Natali J. C. lib. I. cap. I. §. XVI. p.* 49 *sqq.* in alteram: *Dominus vobiscum*, in Ecclesia Christiana quoque receptam, & apud nos in Reformatione retentam, ac servato Romanæ ecclesiæ termino, *Salutatio* dictam, SERARIVS *in c. l. Ruthæ quæst. XII. fol.* 46. CELADA *fol.* 197. SEVERIN. BINIVS *Tom. IV. Concilior. ad Concil. Braccarense I. provinc. f.* 424. IOHAN. BONA, *de Divina Psalmodia, cap. XVI. §. XVII.* & *in Rebus Liturgicis lib. II. cap. V. p.* 344. cumprimis PETR. DAMIANVS integro libro *de Dominus Vobiscum* conscripto, qui in opusculis ejus est XI. Quamvis autem Judæi *in Zennorenna fol.* 335. *col.* 1. & *in Medrasch Ruth Rabba fol.* 45. *col.* 2. salutationes inter tria illa referant, quæ in inferiori & terrestri judicio decreta, rata habeat judicium superius ac cæleste; quin & ad illam pronus quilibet esse debeat, juxta monitum RIBBI MATHIAE filii CHARASCH *in Pirke Avoth cap. IV. n.* 15. הוי מקדים בשלום כל אדם *prævenias salutatione omnes homines*: immo Gemara *Berachoth cap. I.* apud EDZARD. *ad h. l. p.* 59 *fin.* illum, qui salutatus non resalutat, prædonem declaret ex Jes. III, 14. mirari tamen subit, qua de causa & Elisa ministro Gehasæo 2 Reg. IV, 29. & Salvator discipulis Luc. X, 4. obvios salutare prohibuerit, idque cum ad promtam celeritatem, tum ad sacram ἐχεμυθίαν, seu taciturnitatem, refertur apud IOH. HENR. VRSINVM *Analector. Sacr. lib. I. cap. XIII. p.* 13 *sq.* Conf. ad hunc Lucæ locum BALDVINI WALAEI *Comment. p.* 652. Porro formulam, in Scriptura Sacra sæpius obviam: *interrogare aliquem de pace*, scite exponit DRVSIVS *Annot. ad Jud. XVIII,* 15. eamque pariter ad salutationes recte refert.

Ad §. VII. pag. 53.

(6) *Deosculatione pedum*] ἐβραϊκώτατος WAGENSEILIVS *Comment. in Sota p.* 286. ubi varia Judæorum oscula discussit, tandem subdit: *Quod pedibus datur osculum, subjectionis & devotissimi cultus signum est, eoque* R. AKIBAM, *cum XXIV millibus discipulorum, ex Academia reducem, ab uxore & socero exceptum legimus in Cetuboth fol.* 63. *a. Nec minus* R. ACHAM *concionantem, cultu hoc humillimo, ipse malus dæmon affecit, si fides iis, quæ traduntur in Bava Batra fol.* 16. *a.* Et ejusmodi quidem venerationis τεκμήριον, pedum osculo significatum, non insolitum fuisse inter Judæos, LIGHTFOOTVS *in Hor. Hebr. ad Matth. XVIII,* 9. tradit, utut multum verear, ut exempla ab ipso allata, ex Matth. c. l. & 2 Reg. IV, 27. istud evincant, cum tangere & amplexari pedes, ab osculo pedum, merito distinguatur. HOTTINGERVS potius *ad h. l. Auctor.* & RVS *Harm. Evang.* paulo post citandus hunc morem aut nunquam, aut rarissime, casu prorsus extraordinario, apud Judæos obtinuisse censent. Eo magis mirari subit, scriptores quosdam Pontificios eo usque procedere audaciæ, ut præter omnem Scripturæ ac Veterum fidem, Christum lotos discipulorum pedes Johan. XIII, 5. etiam deosculatum fuisse perhibeant. Testem ejus rei NOVARINVS *in Johanne expens. pag.* 164. b. Veronicam allegat, quam divinitus id cognovisse, ex vita ejus refert. Neque dubitavit LAVRENT. IVSTINIANVS *de triumphali Christi agone cap. III. p.* 431. cum lotione pedum, & extersione, etiam eorundem exosculationem conjunctam fuisse. Immo tam fortiter Christi oscula discipulorum pedibus impressa

pressa nonnulli narrant, ut adhuc illorum notæ in Apostolicorum pedum reliquiis videantur: velut RAYNAVDVS *optim. vit. fin. pess. cap. IX. pag.* 660. de pede Bartholomæi, Aquis Sextiis apud Salyos in Parthenone asservato, testatur: quas nænias explosit THOM. ITTIGIVS *Ennead. Dissert. IV.* §. *XVI. p.* 218. Ceterum Romanorum Imperatorum nonnulli pedum osculum admiserunt, immo postularunt. De Caligula & Diocletiano id ex DIONE & SENECA observavit LOHMEIERVS *Dier. genial. Dec. I. Diss. X. pag.* 368. idemque Maximini Junioris arrogantiæ, *in vita cap. XI.* tribuit CAPITOLINVS: *in salutationibus*, inquiens, *superbissimus erat, & manum porrigebat, nonnunquam etiam pedes:* additque, id nunquam passum esse Seniorem Maximinum, sed dixisse: *Dii prohibeant, ut quispiam ingenuorum pedibus meis osculum figat!* Plura ejusmodi cultus civilis, per osculationem pedum, Imperatoribus ac Principibus exhibiti, exempla produxit CHRIST. BECMANNVS *Notit. Dignit. Illustr. Diss. VI. Cap. II.* §. 7. *pag.* 170. Idem vero §. V. & VI. pedum osculum, quod Pontifex Romanus deferri sibi requirit, discusserat, originem hujus ritus in prætenso vicariatu Christi & successione Petri collocari observans, & ideo crucem crepidæ Papali intextam docens, ne Pontifici adeo, quam cruci id honoris fieri videatur. Quem Papæ fastum a Protestantibus toties objici, indigne ferens GRETSERVS *Comment. in* CODINI *cap. XIV. de Officiis Ecclesiæ & Aulæ Constantinopol. p.* 256. perquam frigide diluit, exemplo Imperatoris Turcici, cujus togam, ultimamque vestium oram deosculari, tam *Gerlachius* Theologus Lutheranus, quam Legati Belgici non detrectaverint. Jam, ut e diverticulo in viam redeamus, ad osculum pedum, quod peccatrix Luc. VII, 38, 45. Jesu figebat, IOH. REINHARDVS *in Harmon. Evangel. lib. IV. cap. XII. Tom. I. p.* 978. probe quidem annotavit: *deosculabatur porro ex vera humilitate pedes Jesu, ardentem adversus Jesum amorem & reverentiam, cujus causa solebant Veteres aliorum pedibus oscula figere, testatura:* sed nondum satisfacit. Hoc ipso enim peccatricem non civilem, sed Divinum omnino cultum, detulisse Christo arbitror, quem Messiam Servatorem mundi, & peccatorum perfugium, vera fide agnovit. Hunc *καρδιογνώστην* venerabatur, cui contriti cordis sui, cum serius de admissis dolor, tum ardens in promissum, atque nunc exhibitum Messiam, fiducia, probe sint perspecta, qui intima prostratæ mentis suspiria & desideria intelligeret, & cui soli jus competeret veniam indulgendi. Id enim omne, fidei ejus præconium, & gratiosa Christi absolutio vers. 50. supponit. Velut ergo piæ fœminæ, a resurrectione Dominum sibi obviam factum, prosternendo se in terram, & amplexando pedes ejus, religioso & fiduciali prosequebantur cultu Matth. XXVIII, 9. quidni idem dicamus de osculo peccatricis, pedibus Christi libato?

Ad §. VII. pag. 54.

(7) *Plerumque osculo ordinario*] Osculorum diversitatem *vel* ex occasione & causa, qua libabantur, *vel* ex modo & loco, quo figebantur, æstimamus. *Priora* ex DRVSIO recenset Auctor paragr. sequ. & paucis comprehensa leguntur in *Bereschith Rabba ad Genes. XXIX*, 11, 12. *Sect.* 70. כל נשיקה להפלות בר מן תלת· נשיקה של גדולה/ נשיקה של פרקים/ נשיקה של פרישות *omnis osculatio est ad fatuitatem* (lascivum, unde in Glossa explicatur per פריצות proterviam seu lasciviam) *exceptis tribus*, quæ sunt: *Osculum magnificentiæ* & dignitatis, quale 1 Sam. X, 1. *Osculum compitorum*, i. e. occursus, quale Exod. IV, 27. & *Osculum separationis* vel discessus: ut Ruth. I, 14. Genes. XXXI, 8. Additur ibidem, R. TANCHVMAM adjecisse quartum, נשיקה של קריבות *Osculum propinquitatis*, quale Gen. XXIX, 11. & XLV, 15. BVXTORFIVS *in Lexic. Targum. h. v. p.* 405. DRVSIVM notat, qui perperam *Osculum precum* seu precationum addit, perversa vocis תפלות lectione deceptus. Addam tamen ego his tribus 4) Osculum exploratorium Genes. XXVII, 26. 5) Idololatricum, quod

quod commode ad fatua referas, 1 Reg. XIX, 18. & 6) nefandum illud proditorium Matth. XXVI, 48. Luc. XXII, 47, 48. cui adde 2 Sam. XX, 9. Et idololatrica quidem oscula Gentilium, post SANCTIVM *Comment. in* 3 *Reg. XIX*, 18. *n.* 60. erudite persequitur LOHMEIER. *paulo ante citat. p.* 339. qui porro Osculum venerationis & homagii *p.* 362. (ubi in locum Psal. II, 12. *osculamini filium* in transitu commentatur,) & Osculum lasciviæ & fatuitatis *p.* 372. & *p.* 382 *sq.* illustrat. *Posterioris* generis exempla ex Talmude collegit, & in ordinem digessit WAGENSEILIVS *loco supra cit.* observans, *Capiti* impacta *oscula*, affectus esse, quo parentes, liberos suos, præceptores, discipulos suos, aut socii socios excipere consueverint: *Manus osculum* honoris esse & reverentiæ, quin modestiam quoque indicare, unde quibusdam in locis receptum, ut quovis Sabbatho ineunte, liberi matrum manus osculentur: *Oris osculum*, quod פה על פה στόμα πρὸς στόμα fit, proprie tantum sponso & sponsæ convenire, aliis vero tam familiaribus esse non licere. Quo pertinet observatio R. ABRAH. ABEN ESRAE *in Gen. XXVII*, 26. & R. MOSE BEN NACHMAN *fol.* 26. *col.* 2. verbum נשק & נשיקה constructum cum ל, notare osculum in manu, humero, vel collo: at cum ב, osculum in ore: quod tamen non ubivis locum habere, Concordantiæ docent.

Ad §. VII. pag. 54.

(8) *Osculum sanctum, osculum amoris, osculum pacis*] Hæc Christianorum veterum sunt oscula publica & solennia, de quibus concise DILHERRVS commentatur *lib. II. Elector. c. IV.* copiose autem TOB. PFANNERVS *P. II. Observ. Eccles. III. p.* 131. qui eorum rationem §. *VI.* modum §. *VII.* & varietatem tradens, §. *XII.* peractis precibus, §. *XIII.* in accessu ad S. Cœnam, §. *XIV.* post eam peractam, §. *XXI.* & post Baptismum, libata exponit, §. *XXV.* osculum Codicis Evangelii, §. *XXVI.* quin & vinculorum martyrum, §. *XXVII.* januarum quoque templi subjungit; cur autem, & quibus diebus ante Pascha, illud omissum fuerit, §. *XVI.* docet, & contra ALBASPINAEVM evincit. Ista enim allegasse sufficit, cum nostri non sint instituti. Conferri quoque poterit SAGITTARIVS *Hist. Passion. p.* 390 *sqq.* HOORNBEECK *Vet. & Nov. lib. I. cap. X. p.* 305. & *cap. XVIII.* §. 10. *pag.* 534. ubi moris istius abrogatio simul *p.* 537. notatur. Addit præterea, IOSEPH. BINGHAMVS *in Origin. Eccles.* osculum in ordinatione Episcoporum *Vol. I. pag.* 169. in ordinatione Presbyterorum *Vol. I. p.* 290. & *Vol. II, p.* 187. in sponsaliorum solennitate *Vol. IX. p.* 321. usitatum, demumque observat, Conciliorum auctoritate, corruptam dandi mortuis osculum pacis, rationem correctam & sublatam fuisse, *Vol. X. p.* 66. Hic in mentem venit recordari moniti Judæorum *in Baal Chasidim n.* 236. vivos tantum osculandos esse, non mortuos: לאדם שמת לו בנו או בתו אל נשק אותם ואל יניח אשתו לנשק אותם כי מקצרי ימי בניהם ובנותיהם: *Nemo demortuum filium aut filiam osculator, aut uxori suæ id facere concedat: hæc enim res reliquis quoque liberis prœmaturæ mortis causa est.* Forte tamen liberis integrum fuit, parentibus defunctis oscula infigere, qualia pietas Josepho in patrem indulsit Gen. L, 1. de quo exemplo vide CARPZOVIVM *Not. ad Schickardi Jus Reg. cap. VI. theor.* 19. *p.* 410 *sq.*

Ad §. IX. pag. ead.

(9) *Lotio pedum ante discubitum*] Usu hoc adeo erat receptum, ut propter neglectum istud humanitatis officium, Christus Pharisæum, Simonem, publice redargueret Luc. VII, 44. Hinc Gen. XVIII, 4. Abraham, & cap. XIX, 2. Lothus, inter cetera hospitalitatis munia, adventantibus peregre hospitibus aquam offerunt, pedibus lavandis: & Jud. XIX, 21. Levita, liberalis senis in urbe Gibea ædes ingressus, pedes ante lavabat, quam cibum caperet. Geminam hujus ritus causam reddit HOTTINGERVS Nep. *ad h. l. Auctoris*, 1) quia calceos cavos, tibialia non gestabant Veteres, sed tantum soleas, unde iter facientium pedes pulvere admodum consper-

ſpergebantur, 2) æſtus proficiſcentes valde delaſſabat, quare ad reficiendum, aqua nihil gratius iis erat. Sed adhuc aliam 3) addit SCALIGER *lib. VI. de Emendat. Temp. p.* 534. quia in lectis diſcumbentes epulabantur, propterea prius depoſitis ſoleis lavabant, ne ſcilicet pulveroſis pedibus ſtrata inquinarent. Sed diverſa hic agitatur quæſtio, probe diſcernenda: *altera:* num peregre adventantibus ex via, aqua fuerit ad pedilavium exhibita? *altera:* num pedum lotio diſcubitum & cœnam ordinarie præceſſerit? Priorem allegata hactenus exempla docent: poſterior, quam Auctor affirmat, dubio adhuc Marte diſceptatur inter eruditos. Morem Judæis ordinarium fuiſſe, pedes ante accubitum lavare, tuentur IOSEPH. SCALIGER *loc. citat. p.* 570 *ſq.* CASAVBONVS *Exercit. XVI. c. Baron. n.* 22. & e noſtris QVISTORPIVS *Annot. Bibl. in Joh. pag.* 157. Negat autem BVXTORFIVS *diſſertat. de cœna Dom. pag.* 302 *ſq.* in Judæorum libris, hujus moris nec volam nec veſtigium reperiri notans, & SCALIGERO, ad teſtimonia nonnulla provocanti, ſatis faciens: cumque poſthæc, SCALIGERVM vindicaturus LVD. CAPPELLVS *in Animadverſ. ad Buxtorf. de Cœna Exercitat. pag.* 206. adverſus ipſum inſurgeret, BVXTORFIVS tamen *in vindiciis diſſertationis ſuæ de S. Cœna p.* 373 *ſq.* negativæ adhuc inhæſit, eamque ab inſultibus adverſarii ſtrenue liberavit. Sane ſi ex Judæorum ſuffragiis ferenda ſit ſententia, a BVXTORFII omnino partibus erit ſtandum. Cum quo LAMPIVS etiam facit *Comment. in Joh. XIII,* 4, 5. *Tom. III. p.* 13 *ſq.*

Ad §. IX. pag. 54.

(10) *Per ſervos, & per viliſſimos domus*] Etſi ad affundendam manibus aquam, הכל כשרין *omnes ſunt idonei*, etiam ſurdus, ſtultus, & minorennis, immo vel ſimia, ex MAIMONIDIS ſententia apud BVXTORF. *cit. loc.* §. 32. *p.* 406. alia tamen ποδονιψίας ratio eſt, ubi lavandi pedes & fricandi opera in miniſtros redundabat, quod & Chriſti docet exemplum Joh. XIII. ejusque explicatio comm. 13 ſqq. & humillimæ ſubjectionis formula, qua ſuam inſerviendi promtitudinem probare ſatagebat Abigail 1 Samuel. XXV, 41. Atque huc referre quoque malim factum Abrahami Geneſ. XVIII, 4. aquam ſolum afferri curantis, pedilavii autem miniſterio non defungentis, quam cum SEB. SCHMIDIO *in h. l.* Patriarchæ iſtud tribuere humilitati, indignum ſe æſtimantis, ut tantorum hoſpitum pedes ipſe tangeret, quemadmodum Johannes baptiſta ad Chriſti majeſtatem, animi oculos attollens, indignum ſe cenſuit, qui corrigiam calceamenti ejus ſolveret. Annon enim longe fuiſſet indignius, ſervis lavandos eos tradere, quos ſublimiores crediſſet, quam ut eos tangere ſibi fas eſſe cenſeret? Quin patrem familias agebat, qui ejusmodi miniſteria hoſpitibus procurabat, non ipſe obibat. Vix enim crediderim, eum ſtatim primo conſpectu hoſpites iſtos, peregre adventantes, qui fuerint agnoviſſe, cum neſcius Angelos hoſpitio excepiſſe, a Paulo prædicetur Hebr. XIII, 2. Vix etiam prandium apparaturus videtur Filio Dei ac Angelis, quos naturali cibo nec indigere, nec veſci, probe intelligebat. Vna obſtare videtur compellatio verſ. 3. ארני cum (ָ) quod in nominibus Deo propriis numerari largior: ſed dubium tollit DRVSIVS, forte (ָ) in (ַ) verſum contendens, propter Rebhiah, Accentum majorem: ut omnes tres compellaſſe viros dicatur: *Domini mei.* Quæ ſi cui minus ſatisfaciant, facile ſuo quemque abundare ſenſu ſinam. Ad Abigailis verba, quæ ex R. LEVI BEN GERSOM, & MAIMONIDE notavit HOTTINGERVS *h. l. Auctoris*, uxoris fuiſſe officium, mariti faciem, manus, pedes lavare, & quæ LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Joh. XIII,* 5. addit, idem miniſterium a filio patri, & a ſervo heris præſtitum fuiſſe, bene quidem habent in ſe, menti tamen & ſcopo fœminæ non reſpondent, quæ non ſervis Davidis, ſed hero ſe nupturam pollicebatur. Eſt ergo in verbis iſtis ἐξουθενισμὸς, forte non infrequens iſta tempeſtate. Nam proverbiali locutione abjectiſſima obſequia per

pedum

pedum lotionem indicabantur, velut PLVTARCHVS *in vita Pompeji, Tom. I. Opp. pag.* 658. de Favonio refert, quod haud destiterit Pompejo inservire, ut dominis servi, *μέχρις νίψεως ποδῶν, usque ad pedem ablutionem.*

Ad §. X. pag. 54.

(11) Τὸν νιπτῆρα *vertimus pelvim*] Vtrumque notat ὁ νιπτὴρ, tam pelvim, seu malluvium, ut hic loc. liquido probat, & SVICERVS *in Thes. h. v. p.* 410. & voce λετὴρ *p.* 276. edocet, quam ipsam pedum lotionem, ut ex IAC. GOARI *Euchologio Græc. p.* 745 *sq.* constat, ubi ἀκολεθία τε̃ θείε καὶ ἱερε̃ νιπτῆρος, *officium divini & sacri pedilavii* exhibetur. Hebræis עריבה & ספל *pelluvium* dicitur, de quo *hic loci* in annotationibus disputat LAMPE *p.* 16. cujus materiæ fuerit? & postquam apud homines tenuioris fortunæ, fictilia in usu fuisse docuerat, horum quidem morem Servatorem nostrum secutum fuisse, CLEMENTEM ALEXANDRINVM ipse secutus affirmat.

Ad §. XI. pag. cit.

(12) *Hydriæ, quæ memorantur Joh. II,* 6.] Quæ de hydriarum istarum materia, capacitate, figura, ceterisque circumstantiis ambigue disceptantur apud Interpretes, loci hujus non esse censentes, procul habemus, de illarum solum solliciti usu. Positas memorat Evangelista, *κατὰ τὸν καθαρισμὸν τῶν ἰεδαίων, secundum* seu ad *purificationem Judæorum.* Non sane ad Baptismum Proselytorum peragendum, quod perperam contendit IAC. ALTINGIVS *Dissert. Phil. hept. VII.* 7. §. 32. confutatus IOH. ANDR. DANZIO *de baptismo Proselytor.* §. 35.; nulla enim in nuptiis initiandorum Proselytorum cura locum habebat: Nec ad purificationem sacram & religiosam hominum legaliter immundorum, quod BERN. LAMY censet, *Comment. in Harm. Evang. Lib. II. cap. X. p.* 109 *sq.;* illa namque nec honestati respondet, cum in propatulo hydriæ prostarent, ubi in conspectu convivarum immundo fas non erat, sese exuere, & aquis immergere, nec vasorum capacitati, quæ tanta non erat, ut totum hominem caperet: Sed ad καθαρισμὸν civilem & domesticum, ut inde depromta aqua, vasis minoribus adferretur, ad purgandas subinde manus, calices, & utensilia alia. *Earum usus esse solet,* inquit ARIAS MONTANVS, *in conviviis Judæorum, ad lavandum manus, & calices, & vasa omnia diligenter: idque maxime observabatur in nuptialibus conviviis, quæ ad lætitiam pertinebant, quod puritas lætitiæ comes sit.*

Ad §. XII. pag. cit.

(13) *Moab est olla lotionis meæ*] Adagialiter dictum in eos, quos ad vilissima adhibemus servitia, velut pollubrum, pedibus lavandis substratum, ut post HENRIC. AINSWORTHVM, noster exponit GEIERVS *hoc loco.* Pariter DEL RIO *Adag. Sacr. P. II. adag.* 82. *p.* 71. qui sensum facit: tam vilium servitiorum loco futuri sunt mihi Moabitæ, quam sunt vasa, quibus pedes abluo. Paulo arctius sensum restringit FORTVNAT. SCACCHVS *Sacr. Elæochrism. Myroth. I. cap. XXXV. pag.* 177. cui, *Moab olla pelvis meæ,* idem est, ac: Moab vas calefaciens aquam lavacri mei, sive, Moab solium lavacri mei, quod nimirum ab his aqua in soliis ministraretur. Insignem enim mancipiorum ex Moabitis copiam tunc temporis inserviisse credit Israelitis, qui uterentur illis ad aquam ferendam in urnis, soliisque balneariis, quales olim Josua Gibeonitas constituerat in populo Dei. Operam porro ludit uterque, in concilianda vel pallianda Vulgatæ lectione vitiosa: *Moab olla spei meæ:* castigata a SIXT. AB AMAMA *Antibarb. pag.* 784. §. 941. Longius ab his recedit SAL. VAN TIL *Comment. in h. l.* de devicta Moabitarum regione exponens, in qua impura e gentibus devictis mancipia, veluti sordes, deponenda & congreganda sint, ita ut illa immundorum, profugorum, & vilissimorum hominum, perditissimam & infimam fecem, in Terræ Sanctæ gremio non tole-

tolerandam, complectatur. Sed prior expositio simplicior est, minusque coacta.

Ad §. XIII. pag. 55.

(14) *Effusio olei*] Judæi convivas excipientes honoratiores, vel balsamo, vel unguentis fragrantibus capite perfundebant, ut olfactus non minus, quam gustus reficeretur, & variorum nidor ciborum, vel molestia quoque, ex graviori hospitum frequentium exhalatione, oriunda dispelleretur, ac omne demum fastidium abstergeretur. Quod enim ante laudatus GEIERVS *Comment. in Cohel. IX,* 8. probe observat, nobis septentrionalibus hæc pinguedo capiti illita magis haberetur pro sordibus, quam ornamento quodam, aut amœnitate: verum illi meridionales populi, ob sudores graveolentes crebros, causasque alias, crebro etiam suaveolentibus utebantur oleis ac balsamis, quæ guttatim in capita convivarum stillabant, quo sic cerebrum ac spiritus jucunda reficerentur fragrantia. Hinc ad exhilarationem quoque facere censebatur, cum suavi odore spiritus mirabiliter excitentur. Frequentia ritus istius vestigia exhibent Sacræ literæ, quando v. g. David Psalm. XXIII, 5. divinam celebrat clementiam, qua velut balsamo quodam, in caput suum destillante, reficiatur: Salomo quoque Coh. IX, 8. deprompta inde locutione, ad hilarem mentis in Deo quietem, gratumque temporalium usum, hortatur: Amosus porro cap. VI, 6. luxum & carnalem suorum securitatem, delineat: æque ac Sap. II, 7. mollities sæculi istius hac phrasi describitur. Et in Novo Instrumento, Matth. XXVI, 6. pia fœmina isto honoris genere Christum prosequebatur, qui Luc. VII, 44. neglectum sui ac vilipendium, ex omissa unctione, exprobrat Simoni. Quin etiam jejunantes Christus jubet ἀλείφειν τὴν κεφαλὴν Matth. VI, 17. ne suam aliis jactare videantur pietatem, sed hilares appareant, nullamque sibi denegantes corporis curam. Nec caput modo, sed & pedes Christi inunctos lege Luc. VII, 38. Joh. XII, 3. Egit de hac unctione convivali, paulo ante excitatus SCACCHVS *Myrothec. I. cap.* 37. *pag.* 185 *sqq.* ex nostris DILHERRVS *Disput. Academ. Tom. I. Disp. XIII.* §. 2. *p.* 403 *sqq.* Gentilium autem ritum copiose exposuit STVCKIVS *lib. II. Antiqu. Conviv. cap.* 25. & *lib. III. cap.* 15. COELIVS RHODIGINVS *lib. XXVII. Antiqu. Lect. cap.* 24. & 26. Romanorum, PLINIVS *lib. XIII. Hist. Nat. cap.* 1. & 3. DEMPSTERVS *ad Rosini lib. V. Antiqu. p.* 867 *sq.* Persarum, BRISSONIVS *lib. II. de Reg. Pers. p.* 217. Pedum quoque unctionem apud Græcos usitatam, ATHENÆVS testatur *lib. XV. Deipnosoph.*

Omisit Auctor noster nonnullas conviviorum cerimonias, quas suis locis inserere, dividiæ non fuerit. Ad præparationem pertinet etiam *Ordinatio ad accubitum.* Hanc interdum ipse procurabat convivator, velut Josephus locum dabat cuique fratrum, juxta ætatis annos vel majores vel minores, Gen. XLII, 33. & sicut Samuel primum locum assignat inter convivas Sauli, 1 Sam. IX, 22. quandoque vero ipsi convivæ eligebant πρωτοκλισίαν Luc. XIV, 7. antequam disponeret ipsos convivator, Matth. XXII, 11. Luc. XIV, 9.

Ad §. XIV. pag. 55.

(15) *Transeunt ad gratiarum actionem*] Postposuit hic Auctor benedictionem ciborum. Postquam enim accubuerant, precibus & gratiarum actione panem consecrat pater familias, vel qui vices ejus obibat, sic ut inter lotionem manuum & consecrationem, nihil dicat ille, tangat, aut agat. Sane in conviviis solennibus, populus non solebat prius comedere, quam Samuel cibis benedixisset 1 Sam. IX, 13. quem morem Judæi inter tria præclara referunt inventa Mosis, Deut. VIII, 10. notante CASAVBONO *Exerc. XVI. n.* 63. Verba quidem Mosis gratiarum actionem post cibum sumtum præcipere videntur, Judæi autem de benedictione ante cibum exponunt, copulam ו in verbo וברכת *postquam* reddentes, hoc sensu: *& comedes ac satiaberis, postquam benedixeris Dominum Deum tuum*

tuum &c. Nempe Mosen hæc juſſiſſe, ut nihil cibi vel potus aſſumatur, niſi antecedente precatione, quod nusquam alibi in Lege præſcriptum ſit. Docent enim Magiſtri, quicunque ulla re creata fruitur ſine præcedente benedictione, furtum committere. Deum autem eſſe Dominum omnium, neque quicquam citra ejus veniam contrectare & uſurpare fas eſſe, furis & raptoris hoc eſſe. Sed precatione antecedanea peti a Deo licentiam, ut de ſuo patiatur alimenta conſequi. Confer in Deut. VIII, 10. IAC. ALTINGIVM *Commentar. Tom. I. Opp. pag.* 368. Hinc conceptæ ipſis formulæ ſunt recitandæ, non ſolum cum panem & vinum comeſturi ſunt, ſed etiam, cum fructus & bellaria. Cum præſtantius vinum apponitur, habent ברכת טוב והמטיב; cum aromata afferuntur, recitant ברכת המוגמר; cum ſuave odoramentum, ברכת המושק; cum obſonia & varia ciborum genera, ברכת הפרפרת. Idem in hiſtoria Evangelica obſervare licet, ubi Chriſtus panibus in manus ſumtis, oculisque in cœlum levatis, devotis precibus benedixit Marc. VIII, 6. Matth. XIV, 19. Joh. VI, 11. Magiſtrum poſthæc imitatus eſt Paulus, quando cum ſociis in navi cibum capere inſtituebat Act. 27, 35. ceteraque Chriſtianorum cohors 1 Cor. X, 30. 1 Tim. IV, 4. *Non enim diſcumbitur, priusquam oratio ad Deum prægustetur*, TERTVLLIANVS de ſui ævi fidelibus inquit, *Apologet. cap. XXXIX.* Quando autem Auctor ברכת היין *benedictionem vini* hoc §. præmittit, & ברכת הלחם *benedictionem panis* ſeu cibi §. ſequ. ſubjungit, certæ regionis vel gentis ſequitur morem. In Germania enim poculum epulis præmitti, in Italia vero benedictionem vini convivium claudere, obſervat WAGENSEILIVS *in Sota p.* 809. indeque pugnantes invicem, BVXTORFIVM atque LEONEM MVTINENSEM, conciliare ſatagit: ex quo transferre huc liceat elegans monitum R. IOSVAE, filii LEVI, quod in Gemara *Sota ad Cap.* 7. *excerpt.* 27. legitur: אין נותנין כוס של ברכה לברך אלא לטוב עין: *Non traditur poculum euchariſticum ad benedicendum, niſi ei, qui ingenui vultus eſt*, quod ex Prov. XXII, 9. probatur. Morem Judæorum hodiernum, & benedictionis formulas, BVXTORF. ediſſerit *Synag. Jud. cap. VII. & XII.* PAVLVS FAGIVS cum in libello *precation. Judæorum*, tum in *Commentar. in Targum Deuter. VIII,* 10. LEO MVTINENSIS *de cerimon. Jud. P. I. cap.* 9. SCALIGER *lib. VI. de Emend. Tempor. fol.* 536. DILHERR. *lib. I. Elector. cap. XII.* Quin & Gentilibus hoc uſu receptum fuiſſe, teſtis eſt ATHENAEVS *lib. VI. Deipnoſoph.* Naucratitas etiam, cum jam diſcubuiſſent, ſurrexiſſe rurſus in genua, ſacrorum miniſtro preces patrias recitante, nec non Calecutanos, aliasque gentes id pietatis genus obſervare, docet STVCKIVS *lib. II. Antiqu. Conviv. cap.* 36. Quorſum libationem vini referunt, de qua vide LIPSIVM *Antiqu. Lect. lib. III. p.* 153.

Sicco quoque pede præteriit Auctor *ciborum diſtributionem*, cujus obſervatio varia Scripturæ loca illuſtrat. Mos enim fuit antiquus, certas ciborum, potulentorumque portiones ſingulis convivis apponi. Confer HEIDEGGERI *Hiſtor. Patriarch. P. II. Exercit. XX. §. XXIII. pag.* 658. ubi ex hoc ritu, locis Scripturæ Luc. X, 42. & Pſal. XVI, 5. lucem affundit. In convivio Joſephi, quo nondum agnitus, fratres in Aegypto excepit, apponunt ipſi ſeorſim, & fratribus ſeorſim; & Joſeph accepit משאות *partes*, ſive fercula ex iis, quæ ſibi appoſita habebat, miſitque ad illos, & multiplicavit partem Benjamin, quinque partibus ſupra reliquorum fratrum fercula Geneſ. XLIII, 32 *ſqq.* Ejusdem moris Orientalium, qui poſthæc Græcorum quoque fuit & Romanorum, meminit DRVSIVS *ad Cohel. V,* 17. & *ad Jobi XX,* 29. & *cap. XI,* 2. Ita Samuel mandat coquo, ut המנה *portionem* illam, ſeu armum apponeret Sauli convivæ honoratiori 1 Sam. IX, 23. Sic Elkana in convivio ſacro, Peninnæ filiisque ejus dat partes, Hannæ vero dat partem unam delectam, 1 Sam. I, 4, 5. Et Chriſtus ipſe tam panes, quam piſces ἐμέριϛε Marc. VI, 41. Huc forte referas אשפר portionem illam carnis, quæ in publico Davidis convivio, populo diſtributa legitur 2 Sam. VI, 19.

& 1 Chron. XVI, 3. nec non מנות seu fercula ista, e conviviis missa egenis Neh. VIII, 10. & Esth. IX, 22. Confer huc, quæ CASAVBONVS *ad Theophrasti Charact. p.* 362. allegavit, de donis amicis absentibus, e conviviis mitti solitis. Sed de ritu *missuum* quoque HEIDEGGERVS commentatur, paulo ante citatus.

Ad §. XV. pag. 55.

(16) *Dicitur* הבוצע *concisor, fractor*] Post ea, quæ REIZIVS ad Auctorem *h. l. not.* 10. de oraculi Davidici Psal. X, 3. detorsione attulit, observare liceat, verbum בצע apud Rabbinos communiter adhiberi de prima scissione panis integri in prandio, ejusque distributione, quæ fit cum speciali benedictione, & certis cerimoniis, de qua ita sciscunt Magistri: בעל הבית בוצע כדי שיבצע בעין יפה *Pater familias primus scindit panem, ut scindat oculo bono*, in *Beracoth fol.* 46. *col.* 1. Vide BVXTORF. *Lexic. Targum. h. v.* &, quæ *in Synag. Jud. cap.* 12. huc faciunt.

Ad §. XVI. pag. eand.

(17) *Condiunt bonis comparationibus & similibus*] Pergit ad colloquia mensalia Auctor, quæ, ut plurimum & de jure, vel ingenium sapiebant, vel pietatem instillabant. Etsi enim, inter edendum, dum cibus adhuc manditur, mutuo colloqui vetant, ne quid in asperam arteriam decidat, & suffocationis periculum immineat, unde nec sternutantem salvere jubent, ut est in *Orach Chajim num.* 170. מאן דעטיש בגו מיכליה אסיר למימר ליה אסותה מפני סכנה: *sternutanti inter edendum non dicere licet: Asutha, Salus, propter periculum:* muta tamen non erant convivia, sed piis, acutisve sermonibus condita. Prophetam enim Eliam epulis semper interesse, & singulos homines peculiarem Angelum habere, qui apud mensam perpetuo assideat, & auscultet, qua ratione preces concipiantur, quid dicatur, & quis denique in mensa modus servetur, Judæi existimant. Si de verbo Dei, & sacrosancta lege sermo habeatur, ab illorum latere non discedit, sed cum illis manet, & suavem salubremque experiuntur cibum: si vero garriant, & futilibus fabulis tempus terant, recedit ab illis, & in locum illius malus angelus succedit, qui variis illos inter se jurgiis committit, pugnas, immo pugnos ciet, in morbos a cibo capto conjicit &c. referente BVXTORFIO *cit. loc. p.* 252. Huc sane pertinent saluberrima Servatoris nostri monita, in conviviis sparsa Matth. IX, 12 sq. XXVI, 10 sqq. Luc. VI, 31 sqq. VII, 40 sqq. XIV, 3 sqq. Joh. XIII, 12 sqq. & alia, quæ memoriæ prodita non sunt. Eodem vero num referenda sint *Proverbia Salomonis*, dubium adhuc videtur. Ita quidem contendit FERDIN. QVIRINVS DE SALAZAR, qui *in Isagoge, Commentario in Proverb. præmissa*, magno & verborum, & doctrinæ, rerumque apparatu, demonstrare contendit, Salomonem, pro veterum more, convivales hic descripsisse sermones. Ita enim priscis usu fuisse receptum, ut convivia sua non ferculorum tantum varietate, sed eruditis quoque sermonibus, ænigmatis, parabolis, & quæstionibus condirent, ex ATHENAEO probat, eumque in finem ad PLATONIS cumprimis, XENOPHONTIS, & PLVTARCHI *συμπόσια* provocat, quæ etiamnum doctorum hominum manibus teruntur. Isti ut fidem conciliet commento, tum sermonis indolem & rationem urget, quod totus Proverbiorum liber ex ejusmodi contextus atque conflatus sententiis videatur, quæ in Sapientum cœnis jactari consueverunt, videlicet ex parœmiis, strophis, parabolis, & ænigmatibus; tum seriem ac ordinem libri. Postquam enim prioribus novem capitibus exhortationem ad perdiscendam sapientiam complexus, thesin libri proposuit Salomon, apposite perquam sapientiam per prosopopœiam quandam inducit, cap. IX, 1 sqq. convivium exhibentem, & viros sapientissimos ad dicendum proferentem. Tres autem collocutores facit, Salomonem cap. X--XXIX, Agurem cap. XXX. & Lamuelem cap. XXXI. &, ne nimium exerce-

scat

ſcat Salomonis ſermo, poſt cap. XXIV. ſtatim Aguris & Lamuelis ſententias collocat auctor: quibus denique cetera Salomonis dicta, a cap. XXV. ad XXIX. ſubnectit. Inſcriptionem cauſatur capitis XXV eum ordinem ſuadere, qua ſequentia Salomonis dicuntur Proverbia, quæ tranſtulerunt, h. e. loco ſuo moverunt, & alio collocarunt, viri Ezechiæ. Poſt hunc, easdem tibias inflavit IACOBVS LYDIVS *in Cœna Domin. literatorum*, quæ inſerta legitur *Crenii faſciculo opuſcul. X. num. XLVI. pag.* 442 *ſqq.* ubi Proverbiorum librum recte appellari poſſe perhibet *Convivium*, aut *Cœnam Salomonis*, in qua audire liceat ſacros δειπνοσοφιστὰς, Salomonem, Agurem, Lamuelem, parabolas ſententiasque omnigenas proferentes. Reliqua ad SALAZARIS modum inſtituit. Illum vero nos ſub cenſuram vocavimus *in Introduct. ad Libr. Biblic. Vet. T. P. II. cap. IV.* §. 5. *p.* 178 *ſqq.* ubi, ſi placet, vide. Ceterum, Græcos, inter fercula philoſophari, conſueviſſe teſtatur MACROBIVS *Saturnal. lib. VII. cap. I. Agathonis*, inquiens, *convivium, quia Socrates, Phædros, Pauſanias & Eriſymmachos habuit, ſic & cœna, quam Callias doctiſſimus dedit, Charmadam dico Antiſthenem & Hermogenen, ceterosque his ſimiles, verbum nullum niſi philoſophum ſenſit:* contra vero indigne fert, *Iſocratem* Græcum oratorem, *cum in convivio a ſodalibus oraretur, ut aliquid in medium de eloquentiæ ſuæ fonte proferret, hac venia deprecatum fuiſſe: quæ præſens, inquit, locus & tempus exigit, ego non calleo; quæ ego calleo, nec loco præſenti ſunt apta, nec tempori.* Ipſe porro modum, & cancellos velut definit, intra quos ſermones ejusmodi eruditi continere ſe debeant in cœna. Egregie POLLVX *lib. VI. cap. XIX.* ubi de variis conviviorum circumſtantiis: τῶν μέν τοι συμποτικῶν, αἴνιγμα καὶ γρῖφος· τὸ μὲν παιδείαν εἶχεν, ὁ δὲ γρῖφος καὶ σπουδήν· καὶ ὁ μὲν λύσας, γέρας εἶχε κρεῶν τινα περιφοράν· ὁ δὲ ἀδυνατήσας, ἅλμης ποτήριον ἐκπιεῖν· ἐκλήθη δὲ ἀπὸ τῶν ἁλιευτικῶν γρίφων: *Inter convivalia ſunt, ænigma & griphus, & illud quidem ludum, hoc vero & ſerium quid habebat. Qui ſolviſſet, præmium referebat carnium quoddam ferculum, qui vero non potuerat, poculum muriæ ebibere neceſſe habebat. Dictus eſt autem a griphis piſcatoriis.* Hinc intelligis, addita ænigmatibus fuiſſe præmia in conviviis, ſi qui acu rem tangerent, & pœnas in eos, qui ſolvere nequirent. Romanos præterea Anagnoſtas adhibuiſſe menſis, & bibliothecis inſtruxiſſe triclinia, teſtis eſt SENECA, qui *lib. I. de tranquill. vitæ cap. 9. Plerisque*, ait, *ignaris etiam ſervilium literarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* De quibus uberius præcipit IOSEPHVS LAVRENTIVS *de conviviis Veterum p.* 169. *Tom. IX. Antiqu. Græcar. Grævii.*

Ad §. XVII. pag. 56.

(18) *Prolixam appendens orationem*] In gratiam eorum, quibus libelli precationum Judaici ad manus non ſunt, orationem hanc apponemus integram, ſed ex verſione ſolum Latina: Hebraicam qui cupit, P. FAGIVM adeat ſupra citatum. Poſt verba enim: ברוך הוא וברוך שמו *benedictus ſit ipſe, & benedictum ſit nomen ejus*, in hanc ſententiam pergit: *Benedictus ſit Dominus Deus noſter, Rex mundi, qui paſcit totum mundum bonitate ſua, gratia, miſericordia, & miſerationibus. Ipſe eſt, qui dat cibum univerſæ carni, quoniam in æternum miſericordia ejus, & propter bonitatem ejus magnam, nunquam defuit nobis, neque deerit cibus in æternum & ultra, propter nomen ejus magnum; quoniam ipſe cibat & alit omnes, benefacit omnibus, atque parat cibum omnibus creaturis ſuis, quas creavit: benedictus ſis tu Domine, qui paſcis omnia. Gratias agimus Tibi Domine Deus noſter, eo quod hereditare feciſti patres noſtros terram deſiderabilem, bonam & ſpacioſam: & pro eo, quod eduxiſti nos, Domine Deus noſter, de terra Aegypti, ac redemiſti nos de domo ſervitutis: pro fœdere item, quod obſignaviſti in carne noſtra: atque pro lege tua, quam docuiſti nos: pro ſtatutis quoque tuis, quæ nota feciſti nobis: proque vita, gratia & miſericordia, qua propitius es nobis: atque pro eſu*

cibi, quo tu cibas & pascis nos jugiter, omni die, omni tempore, omnique hora. Pro omnibus, inquam, Domine Deus noster, gratias agimus tibi & benedicimus te. Benedictum sit nomen tuum, in ore omnis viventis semper, in æternum & in perpetuum, sicut scriptum est: cum comederis & satiatus fueris, benedicas Domino Deo tuo, in terra bona, quam dedit tibi. Gratias itaque agimus nomini tuo magno, Selah! in veritate: benedictus sis tu Domine, pro terra & pro cibo.

Miserere, Domine Deus noster, nostri, Israelis scilicet populi tui, Hierusalem quoque civitatis tuæ, & Zion tabernaculi gloriæ tuæ, regni item domus David, Messiæ tui, atque domus magnæ & sanctæ, pro qua invocatur nomen tuum. Deus noster, pater noster, rex noster, pastor noster, cibator noster, gubernator noster, sustentator noster, & refocillator noster. Respirare nos fac Domine Deus noster cito, ex omnibus tribulationibus nostris. Ne obsecro, Domine Deus noster efficias, ut necesse nobis sit, vel munus, vel mutuum accipere a carne & sanguine, sed sufficiat nobis manus tua plena, aperta, sancta & ampla, ut non erubescamus & confundamur in æternum & ultra. Reædifica quoque Hierusalem civitatem sanctam, cito in diebus nostris. Benedictus sit Dominus, qui extruit per misericordias suas Hierusalem, Amen. Benedictus sis tu Domine, Deus noster, rex mundi, Deus pater noster, rex noster, dominus noster, creator noster, redemtor noster, formator noster, sanctificator noster, sanctificator Jacob, pastor noster & pastor Israelis, rex bonus ille, qui benefacit omnibus. Deus, qui omni die benefecit, benefacit, & benefaciet nobis. Ipse est, qui retribuit nobis: ipse est, qui etiam retribuet nobis in perpetuum, gratiam, misericordiam & miserationes, refocillationem quoque, liberationem, prosperitatem, benedictionem, salutem, consolationem, alimoniam & sustentationem, misericordiam, vitam, & pacem, atque omne bonum, ita ut nullo bono egeamus. Misericors ipse regnabit super nos in æternum & ultra. Misericors ipse benedictus sit in cælis & in terra. Misericors ipse laudetur in generationem & generationes: glorificetur a nobis in æternum & in perpetuum. Celebretur a nobis perpetuo in sæcula sæculorum. Misericors ipse gubernet nos cum gloria. Misericors ipse confringat jugum gentium a collis nostris: ipse ducat nos erectos in terram nostram. Misericors ipse mittat nobis benedictionem copiosam super domum istam, & super mensam, de qua comedimus. Misericors ipse mittat nobis Heliam prophetam, memor sit boni, & benedicat nos unumquemque ex nobis nominatim. Misericors ipse benedicat patrem meum, dominum meum, patrem familias istum, matrem meam, dominam meam, matrem familias istam, ipsos inquam & domum eorum, & semen eorum, omniaque, quæ habent: sicut benedicti fuerunt patres nostri, Abraham, Isaac & Jacob, omni genere bonorum, sic quoque benedicat nos omnes simul benedictione perfecta: unde dicamus, Amen. In excelso docebunt pro eo, & pro nobis meritum, ut sit in custodiam pacis. Capiamus ergo benedictionem a Domino, & justitiam a Deo salutis nostræ, inveniamusque gratiam & intellectum bonum in oculis Dei & hominum. Misericors ipse dignos nos faciat diebus Messiæ, & vita sæculi futuri, magnificans salutes regis sui, & faciens misericordiam Messiæ suo, David & semini ejus, usque in sæculum. Qui facit pacem in excelsis suis, ipse faciat pacem super nos, & super universum Israel: unde dicite, Amen. Circa ultima verba, quando benedicens incipit: *capiamus ergo benedictionem* &c. dextram manum, qua poculum tenet, in altum elevat. Quæ §. *sequ.* Auctor tradit, ad verbum ex FAGIO depromta sunt, nec habent, ad quod aliquid moneatur.

Ad §. XIX. pag. 56.

(19) *Quibus, tanquam pars altera S. Sacramenti N. T. consecratur.*] Hoc pariter a FAGIO didicit Noster, qui S. Cœnæ institutionem & verba, ex ritu Judaico passim derivat; magni nominis sectatores nactus, IOSEPHVM SCALIGERVM, qui in illustri opere *de temporum emendatione* non tam probat sententiam, quam pro more, dictatoria imperat auctoritate, *libro* cumprimis

primis *VI.* LVDOVIC. CAPPELLVM, HVGONEM BRVGTHONVM, HVGONEM GROTIVM in differt. *de Commun. S. Cœnæ, ubi non eſt Paſtor*, *p.* 21. edit. Londin. An. 1683. cumprimis vero IOH. BVXTORFIVM fil. *Differt. VI. p.* 282. qui licet SCALIGERVM, ex Poſtcœnio paſchali Sacram Cœnam exſculpentem, convellat, cœnamque Chriſtianam, poſt penitus peractum epulum paſchale, inſtitutam evincat, in eo tamen totus eſt, ut dicta & geſta Servatoris in Sacra Cœna obvia, v. g. fractionem panis *p.* 312 *ſqq.* ex Judaico ritu arceſſat. Quod vero ipſis non largimur. Licet enim Servator unam vel alteram benedictionem adhibuerit, patriis gentis moribus haud abſimilem, longe tamen auguſtius eſt Sacræ Cœnæ myſterium, quam quod a Judæorum hauſerit inſtituto. Ipſe Dominus καινὴν διαθήκην appellat, Matth. XXVI, 28. Conf. Hebr. IX, 15. Vbi vero Teſtamentum Novum, & certis ritibus ſancitur, ibi ritus ipſos non pridem receptos, ſed nove introductos eſſe conſequitur. Accedit, quod μετὰ τὸ δειπνῆσαι, poſtquam cœnaſſet, totamque abſolviſſet cœnam paſchalem Chriſtus, Sacri epuli Sacramentum inſtituiſſe memoretur Lucæ cap. XXII, 20. & Johanne cap. XIII, 2. teſte, δείπνε γενομένε, *cœna peracta* diſcipulorum pedes laverit, ſic ut lotio iſta inter cœnam Paſchalem & inter cœnam Dominicam media fuerit interjecta. Vnde liquido patet, fruſtra eſſe GOODWINVM, quando benedictione ultimi de cœna paſchali calicis, partem alteram Sacramenti Nov. Teſt. conſecratam fuiſſe contendit. Denique cum Cœna Chriſtiana, ad finem ſæculi perennatura, in Paſchatis locum ſucceſſit 1 Corinth. V, 7, 8. facili negotio colligitur inde, quod ante, quam facta & tranſacta fuerant omnia, quæ ad celebrationem paſchatis requirebantur, locum habere non potuerit ſurrogatio iſta. Novum enim Sacramentum, niſi vetere abrogato, non conditur. Quibus, & aliis, rationum momentis, conſummatiſſimus Theologus GOTTLIEB WERNSDORFIVS, in diſſertatione, qua *recentiores de Cœna Domini controverſias*, A. 1710. Vitembergæ ſub cenſuram vocavit, a §. 21-33. ſolide evicit, cœnæ noſtræ originem mere divinam eſſe, unde quoque τράπεζα Κυρίε, & δεῖπνον κυριακὸν Paulo ſalutetur, quæque non ab inſtituto quodam, vel ritu, hominum voluntate invecto, ſed in ſolidum ac ſimpliciter, a ſapientiſſima Chriſti ordinatione ſit deducenda.

Ad §. XX. pag. 56.

(20) *Cantant Hymnos & Pſalmos*] De Judaico pſallendi poſt cœnam paſchalem ritu, quem obiter & ὡς ἐν παρόδῳ tetigerat FAGIVS, erudite præcipit BVXTORFIVS §. 84. *p.* 324 *ſq.* PAVLO BVRGENSI accedens, Hymnum h. l. notari, qui a Pſalmo CXIII. ad CXVIII. incluſive, continua ſerie pergit, & Judæis הלל *Hymnus* κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur. Hunc notat, in duas dividi ſectiones, ita ut prior ex Pſalmo CXIII. & CXIV. recitetur ante cibum, poſterior ex Pſalmis quatuor reliquis, canatur poſt comeſtum agnum, exhauſto poculo cœnæ paſchalis quarto & ultimo; cui aliam præterea precationem, quam ברכת שיר *benedictionem carminicam* dicunt, ſubjungant; de qua confer, quæ HOTTINGERVS in hunc Auctoris paragraphum monuit. Quantumvis autem Chriſtus Sacram ſuam Cœnam, poſt eſum agni demum inſtituerit, fieri tamen potuiſſe exiſtimat, ut ſolitam Hymni illius decantationem diſtulerit ad abſolutam quoque cœnam ſuam; quia, cum in Plurali dicatur ὑμνήσαντες, probabiliter hinc intelligatur, ipſos una Hymnum aliquem omnibus notum ceciniſſe. Spectat huc etiam, quod CLEMENS ALEXANDRINVS *Pædagogi libro II. cap.* 4. ubi de Chriſtianorum pſallendi poſt convivium diſciplina egerat, *paulo ante finem* addit: ἀλλὰ καὶ ἐν τοῖς παλαιοῖς Ἕλλησι, παρὰ τὰς συμποτικὰς εὐωχίας, καὶ τὰς ἐπιψεκαζέσας κύλικας, Ἑβραϊκῶν κατ᾽ εἰκόνα ψαλμῶν, ᾆσμα τὸ καλέμενον σκολιὸν ᾔδετο· κοινῶς ἁπάντων ἅμα φωνῇ παιανιζόντων· ἔσθ᾽ ὅτε δὲ καὶ ἐν μέρει περιελιττόντων τὰς προπόσεις τῆς ᾠδῆς· οἱ δὲ μεσικώτεροι αὐτῶν, καὶ πρὸς λύραν ᾖδον. *Ceterum apud Græcos quoque veteres, in conviviis ad compotandum comparatis,*

& rorantibus poculis, ad Hebraicorum Psalmorum similitudinem, canticum quod appellabatur σκολιὸν, canebatur, communiter omnibus voce simul Pæana clamantibus, & nonnunquam etiam per cantici vices propinationem circumagentibus. Qui autem erant ex eis Musicæ paulo peritiores, etiam ad lyram canebant. Propius huc facit, quod de Christianis TERTVLLIAN. *Apologet. cap. XXXIX.* postquam de precibus ante discubitum verba fecerat, superius allata, testatur: *Post aquam manualem & lumina, ut quisque de Scripturis sanctis, vel de proprio ingenio potest, provocatur in medium, Deo canere: hinc probatur, quomodo biberit: æque oratio convivium dirimit.*

Ad §. XXI. pag. 57.

(21) *Sine qua nullus Proselytus*] Quæ de Proselytorum Baptismo, dudum ante Christiani baptismi institutionem, Judæis recepto, in causæ subsidium vocat Auctor, supra discussa sunt *ad Libum I.* ubi de Proselytis; nec ad probandam Cœnæ originem Judaicam faciunt quicquam.

Ad §. XXII. pag. cit.

(22) *Est illorum positura sive situs*] De Veterum accumbendi ad triclinia more, copiose commentati sunt viri docti. De Hebræis sigillatim BVXTORF. *cit. loc.* §. 23 *sqq. p.* 306. & ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. I. cap. III.* §. 21 *sqq. pag.* 204. De Romanis & Græcis, HIERON. MERCVRIALIS *lib. I. de arte gymnastica cap. XI. p.* 33. LIPSIVS *lib. III. Antiqu. Lection. p.* 144 *sq.* CIACCONVS *de Triclinio p.* 99. THOMASIN. *de tesseris hospital. cap. XIX.* ALSTORPHIVS *de lectis Veter. p.* 107 *sqq.* CASALIVS *de Conviviis veter. p.* 140. Nos ea delibabimus, quæ nostri censebimus esse instituti. I) quær. *Vtrum ab antiquo accubuerint mensæ Hebræi, an assederint?* Posterius citra hæsitationem affirmamus cum DRVSIO *ad Genes. XXXVII,* 25. ADRIANO A CATTENBVRCH *Synt. Sap. Mos. lib. V. cap. II. Sect. I.* §. 2. *p.* 262 *sq.* quia passim sedisse leguntur cibum capientes Gen. XXVII, 19. XXXVII, 25. XLIII, 33. Exod. XVI, 3. XXXII, 6. Jud. XIX, 6. Ruth. II, 14. 1 Sam. XX, 5, 24 sq. XXV, 34. 1 Reg. XIII, 20. Prov. XXIII, 1. Jerem. XVI, 8. Ezech. XLIV, 3. Hinc PHILO *in lib. de Josepho p.* 376. ad historiam Genes. XLIII, 33. scite observat: *μήπω τῶν ἀνθρώπων ἐν ταῖς συμποτικαῖς συνουσίαις κατακλίσει χρωμένων, nondum recepto more ab hominibus ejus ætatis, accumbendi in conviviis.* Secus quidem sentit ISAAC. CASAVBONVS *c. Baron. Exerc. XVI. cap.* 22. accubitum in gente Dei usque viguisse, ex Amos. II, 8. & Ezech. XXIII, 41. demonstrans, quibus addi præterea posset Prov. VII, 14, 16. & Esther. I, 6. ubi de reclinatoriis aureis; item cap. VII, 7. 1 Sam. XXVIII, 23. Amos. VI, 4. ubi væ dicitur accumbentibus in lectis eburneis, qui extendunt se super spondis suis, & comedunt agnos pingues: sic Judith super pellibus humi stratis recumbit, cap. XII, 15. Sed rectius longe HVGO GROTIVS *ad Matth. XXVI,* 20. pronunciat, apud Judæos accubitum in lectis haud dubie serius cœpisse, Assyriorum, ut credibile est, exemplo, quin Græcorum, ac postremo Romanorum exemplo increbuisse. Hinc nostra sic fert ratio, accumbendi ritum in gente sancta, ante Reges ortos plane ignotum, sub Regum imperio ab Assyriis, Persis aliisque gentibus adscitum, apud delicatulos & molles homines obtinuisse, donec tandem post reditum ex Babele, & sequiori ætate in communem consuetudinem abiret. Hinc apud Evangelistas verba, *ἀνακεῖσθαι, κατακεῖσθαι, συνανακεῖσθαι,* itemque *ἀνακλίνειν* & *κατακλίνειν,* quæ accubitum notant, passim leguntur, ubi de conviviis est sermo. Et clarissimum Hebræi perhibent testimonium, quando in *Tosephoth Berachoth fol.* 42. *col.* 1. pronunciant: ישיבה שלנו הוי קביעות לנו כהסבה דידהו *sessio est nobis hodie consueta, ut accubitus olim illis.* II) quær. *Quomodo composuerint se cœnantes in accubitu?* Curate satis modum delineavit Auctor in hoc §. In cœnaculo mensa collocabatur, vel quadrata, vel rotunda, quæ aut uno saltem pede fulciebatur, aut duobus, frequentius

vero

vero tribus. Circum mensam lecti erant, מטות a reclinando dicti, quos *tricliniorum*, sive *tricliniares*, aut etiam *discubitorios* appellabant, ut a *cubiculariis*, in quibus somnum capiebant, discriminarent. Fiebant forma varia, sed plurimum quadrata, longi paulo amplius, quam statura sit hominis. Insternebantur porro aulæis, purpura, aut alia veste stragula, pro copia aut inopia convivatoris. His stragulis injiciebantur *pulvini tricliniares*. In iis accumbebant, reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente; capitibus quidem semper introrsum ad epulas, pedibus vero extrorsum porrectis. Quin inclinatio in brachium sinistrum adeo erat recepta, ut הסיבת ימין אינה הסיבה *accubitus in dextram non censeretur accubitus* apud BVXTORF. §. 34. Situs autem iste neque erat plane jacentis, neque plane sedentis, sed partim sedentis, partim jacentis; unde Hebræis quoque הימב *accumbere*, & ישב *sedere*, promiscue de illo usurpatur. Primus decumbebat ad caput lecti, cujus pedes porrigebantur pone dorsum secundi: secundus vero occiput obvertebat ad umbilicum primi, pulvillo interjecto, pedes jacebant ad tergum tertii: & sic deinceps tertius, sic quartus. Saturati pariter interdum unum in latus, nonnunquam supra dorsum supini, sæpe more sedentium se componebant. Judæorum testimonia lege apud BVXTORFIVM §. 33. qui §. 37. quoque observat, olim singulos accubuisse in lecto suo seorsim, & ad mensulam suam peculiarem, posthæc vero omnes cinxisse mensam unam & communem. III) quæritur, quia Marc. XII, 39. πρωτοκλισίας in conviviis sit mentio, *Quinam honoratior inter accumbentes fuerit locus?* De Romanis ita pronunciat LIPSIVS *p.* 146: Si tres convivæ in uno lecto, medius dignissimus: proximus honore, summus. Si quatuor, medium censeri arbitror, proximum a summo: si duo tantum, dignissimus summus fuit. De Judæis Gemara *Berachoth cap. VII.* tradit: *Quomodo se habebat accubitus? quo tempore erant duo lecti, præcipuus accumbebat primo loco, & alter infra eum: quo tempore erant tres lecti, præcipuus accumbebat primo loco, secundus supra illum, tertius infra illum, ut jaceret ad ejus genua.* Paria habet MAIMONID. *Berachoth cap. V.* Hinc itaque de cœna Servatoris ultima BARONIVS conjicit, Christum & Apostolos tribus lectis accubuisse: in uno cubuisse ipsum cum Johanne & Petro: reliquos in duobus jacuisse quinos. Id improbat CASAVBONVS, & putat, illis quatuor potius assignandos, quod quisque lectus trium convivarum capax fuerit. Vterque suæ indulget conjecturæ. Ceterum peculiari dissertatione *de Accubitu ad agnum paschalem Hebræorum*, ex instituto egit DASSOVIVS, Vitembergæ, 1698. quam huc contulisse non pœnitebit. De honoratiore autem loco, pro diversitate gentium, diversimode pronunciat, ex SALMASIO, BALDVIN. WALAEVS *ad Joh. XIII*, 23. & ADR. A CATTENBVRCH *c. l.* §. 3. *p.* 263. IV) quær. *An, quæ virorum, eadem & mulierum in accubitu ratio fuerit?* MERCVRIALIS *p.* 34. existimat, apud Romanos, a Pompeji M. ætate usque ad Galieni, atque etiam Constantini Imperatoris tempora, omnes fere, atque etiam mulieres cœnantes simul accubuisse, quod ex OVIDIO probat; apud Græcos vero, CICERONE teste, nunquam mulieres accubuisse; quin & apud Romanos, diverso situ mulieres a viris accumbentes cœnasse existimat: non solum, quod honestatis atque dignitatis utriusque ratio ita postulasse videatur, sed quia in Romanis Lapidibus, in quibus mulieres cum viris accumbentes repræsentantur, illæ certe figura quadam ab ipsis aliquo modo diversa, quasique sedentes, & nulli alteri rei cubitis innixæ accumbentes, & edentes conspiciuntur. Et ad eum modum intelligendus est VALERIVS MAXIMVS *lib. II. cap. I.* quando de Romanis, *cum viris cubantibus*, inquit, *sedentes cœnitabant fœminæ.* De Judæis autem PHILO, quando mulieres senes in conviviis festivis una cum viris epulatas fuisse memorat, ita pergit: διανενέμηται δὲ ἡ κατάκλισις χωρὶς μὲν ἀνδράσιν ἐπὶ δεξιά, χωρὶς δὲ γυναιξὶν ἐπὶ εὐώνυμα, *discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dextrum*

trum latus, feorfim mulieres finiftrum teneant. Lib. de Vita contemplativa p. 695. Qui tamen mos Effenis proprius, vereor, ut ceteris Judæis fuerit communis. Mulieres vero in conviviis interdum admiffas, liquet ex Jobi I, 4. ubi forores fuas femper in conviviis fecum habebant filii: interdum ab iis exclufas fuiffe, ex 1 Sam. XXV, 18 fqq. coll. cum verf. 36. colligitur, ubi a mariti Nabalis convivio abfuiffe Abigail videtur. De epulo pafchali MAIMONIDES in Hilchoth *Chamez Vmazza cap. VII.* §. 8. ita tradit: אשה אינה צריכה הסיבה ואם אשה חשובה היא צריכה הסיבה *fœmina non obligabatur, ut accumberet; fi tamen effet fœmina honorata, accumbere debebat.* Porro in Hilchoth *Korban Pefach cap. II.* §. 4. ita perhibet: *Non conftituebant fodalitium* pafchale *ex fœminis, & fervis, aut infantibus, & fervis, ne leviter inter fe agerent: fed conftituebant fodalitium ex meris fœminis, etiam in pafchate fecundo, & ex meris fervis.*

Ad §. XXIII. pag. 57.

(23) *Johannes in finum Jefu*] Nimirum accumbentium alter ad alterius genua pertingebat, ut R. SALOMO IARCHI ad Gemar. *Pefachim cap. X. fol.* 108. *col.* 1. notat: כל אחד נשען על ברכי חבירו *quilibet innitebatur genubus alterius.* Hinc qui infra alterum cubabat, accumbere dicebatur in illius gremio vel finu. De hac phrafi juvabit audire SALMASIVM apud WALAEVM *paulo ante cit. Vxores vel amicæ apud Romanos femper in finu mariti vel amatoris difcumbere folitæ, hoc eft, infra ipfum. Nec enim aliter potuit ex ratione difcumbendi, qua in finiftrum latus jacuere.* IVVENALIS: *Et gremio jacuit nova nupta mariti: H. e. infra maritum. Quem maxime amabant, five mafculus, five mulier effet, eum infra fe femper collocabant, i. e. in finu ipfo. - - Hinc* ἐπιςήθιος *pro amico intimo Græcis, & qui quafi in finu recumbit. Non dignioris hic locus & magis honorati, fed magis dilecti.* Vnde intelligis, quo pacto arctio inter Jefum & Johannem familiaritas ex hoc fitu cognofcatur. Fruftra autem eft HIERONYMVS, quando *lib. I. adv. Jovinian. cap.* 14. tenerioris dilectionis caufam in *virginitate Johannis* quæfivit. Aliter fenfiffe videtur *Comment. in Cap. ult. Zachar.* ubi ita pronunciat: *Idcirco amatur a Domino, quia optimum habebat profundum, & recubuerat fuper pectus Jefu, & haufèrat fapientiam.* Sed de hoc fingulari Jefu in Johannem amore confer, quæ commentatur GERHARDVS *in Harmon. Evang. cap. CLXXII.*

Ad §. XXIII. pag. 57.

(24) *In finu Abrahæ*] De finu Abrahæ ex Patribus Græcis copiofe commentantem vide SVICERVM *Thef. Ecclef. h. v. p.* 138 *fq.*

Ibidem.

(25) *In finu Patris*] Huc rurfus confer, quæ SVICERVS ex CHRYSOSTOMO cumprimis *cit. loc.* de finu Patris affert, & LAMPE *in h. l.* Cumprimis GERHARDVS mox citatus notat, in finu Patris dici Filium 1) propter arctiffimam ipfius cum Patre cognationem, 2) propter æternam a Patre generationem, 3) ardentiffimam dilectionem, 4) pleniffimam omnium participationem, 5) fecretiffimorum communicationem: quem vide, cum ifta explicare hujus non fit loci.

Ad §. XXIV. pag. cit.

(26) *Menfæ perfecte circulares fuerunt*] Contra vero, Hebræorum menfas, fi non omnes, maximam tamen partem, fuiffe quadratas, DASSOVIVS *cit. Difp. Thef. V. p.* 21 *fq.* docet; qui & Auctori noftro, licet non nominet, curate fatisfacit *Thef. I.* §. 2. *p.* 5. quia voces הסיבה & מוסב, non tam præcife circuitum & ambitum circularem indicant, fed æque ac ipfum nomen סביב de circuitu quadrato etiam adhibentur, quando fanguis dicitur fpargendus circum altare holocauftorum, quod tamen quadratum erat, & corona dicitur circa menfam panum facierum facienda, quæ menfa itidem non rotunda, fed quadran-

quadrangula erat. Tandem concludit DASSOVIVS: *licet accubitus circularis in usu fuerit fortassis, non tamen videtur tam fuisse communis, quam accubitus quadratus.* Apud Gentes autem varias mensarum figuras exhibent STVCKIVS *lib. II. Antiqu. Conviv. cap. XVI. sqq.* ROSINVS *lib. V. Antiqu. Rom. cap. XXVI.* & DEMPSTER. *Notis ad eund.* LIPSIVS *lib. III. Antiqu. Lect. p.* 144 *sq.* Circulares vero mensas apud Romanos, IACOB. SPONIVS delineavit *in Miscellan. erud. Antiquit. Dissert. de Tripodibus, Figura* 5. & 7. *p.* 118. Pedibus quoque innixæ, tantum erant a terra elevatæ, ut locus sub iis esset canibus Marc. VII, 28. immo & Regibus devictis Jud. I, 7. nostris tamen mensis longe depressiores, altitudine cubitus unius cum dimidio, qualis mensa erat sacra Exod. XXV, 23. Cubitus autem facer sex constabat palmis, h. e. 24 digitis: adeoque commode ad hujusmodi mensas accumbebatur, inprimis cum & lecti essent humiles, & sine fatigatione conscenderentur.

Omisit Auctor *Cœnacula*, quæ ὑπερῷα dicebantur Act. I, 13. IX, 37. XX, 8. nec non ἀνώγεον Marc. XIV, 15. Luc. XXII, 12. quia in superiore ædium parte erant, ita ut scalis eo ascenderetur. Hinc Hebræis עליה quasi *ascensus*, audiebat *cœnaculum* 2 Reg. IV, 11. 2 Sam. XIX, 1. 1 Reg. XVII, 19, 23. 1 Chron. XXVIII, 11. Sed & חדר המטות *orcus lectorum* 2 Reg. XI, 2. Talmudicis vero בית המטות *locus lectorum*, & Græca voce טרקלין τρίκλινον nominatur, quod plures contineret lectos. BVXTORF. *cit. Diss.* §. 35. *p.* 308. Confer Jerem. XXII, 13, 14. & Jud. III, 20 sqq. ubi cœnaculi speciosi fit mentio, amplis fenestris instructi, ventisque pervii; & superius contectum vides, ita ut supra tectum erigi potuerint aræ 2 Reg. XXIII, 12. immo & cancellos tectum habuisse, ut lumen diurnum eo copiosius penetraret, ex Achasiæ exemplo patet, qui per cancellos ejusmodi in cœnaculum delapsus memoratur 2 Reg. I, 2.

Ad §. XXV. pag. 58.

(27) *Mos detrahendi calceos*] Hunc morem, Christo quoque usu receptum, probat ANTON. BYNAEVS *de Calceis Hebr. lib. II. cap. I.* §. 8. ex Luc. VII, 38. ubi pœnitens fœmina lacrimis rigasse pedes ejus, & capillis capitis sui tersisse, & osculata fuisse pedes ejus, & unxisse unguento legitur; quæ non in calceatos, sed nudos quadrant pedes: tum quoque ex pedilavio Christi, Joh. XIII, 4, 5. quod Apostolorum, mensæ accumbentium, nudos omnino requirebat pedes. Cur autem Pascha, per Exod. XII, 11. calceatis pedibus comedendum fuerit, magno cum doctrinæ apparatu idem discussit Vir eruditissimus *citato loco* §. *I. p.* 155, iis plura adjicere ut opus non sit. Ad primum sane & Aegyptiacum pascha hoc pertinebat, æque ac sanguinis ad postes forium ædis allinendi præceptum, extra Aegyptum, & in Terra Sancta nunquam repetendum. Sed & LIGHTFOOTVS ex Rabbinorum monimentis *Hor. Hebr. in Matth. XXVI*, 20. hunc morem, ut discalceati mensæ accumberent Judæi, pluribus exposuit. Romanis quoque, ac ceteris gentibus id familiare fuisse, ut cœnaturi soleas deponerent, post cœnam vero reposcerent atque resumerent, idque ipsam requisivisse munditiem, ne soleis inquinatis lectum conspurcarent, LIPSIVS docuit *lib. III. Antiqu. Lect. p.* 145. Hinc PETRVS CIACCONVS *de Triclin.* & FVLVIVS VRSINVS tabulas marmoreas æri incisas ob oculos ponunt, in quibus pueri visuntur, qui calceos cœnaturis detrahunt, & convivæ, qui nudis pedibus accumbunt.

Omisit porro Auctor *Lotionem manuum post cibum sumtum*, de qua ita præcipit MAIMONID. in Hilchoth *Berachoth cap. VII.* §. 11, 12. *Si desinerent edere, removebant mensam, & everrebant locum, ubi comederant; deinde lavabant manus suas. Fortassis enim relictæ ibi erant micæ, olivæ habentes quantitatem, quæ conculcari non debebant, nec super illas lavari. Sed micæ non haben-*

tes olivæ quantitatem, poterant manu perdi. Cum allatæ essent illis aquæ ad lavandum, quicunque benedictionem post cibum recitabat (præcipuus conviva) *lavabat manus suas primo loco, ne accumberet præcipuus manibus sordidis* (& expectaret), *donec alius lavisset; postea reliqui convivæ suo ordine lavabant demum, neque in eo quærebant honorem, nec in pontibus, nec viis* (uter præcederet).

Ad §. XXVI. pag. 58.

(28) *Paterfamilias, Dominus convivii*] Commode Auctor distinguit inter בעל הבית οἰκοδεσπότην seu herum, & inter בעל משתה ἀρχιτρίκλινον, qui lecticis, cibis, potui, & reliquis ad epulum necessariis, recte curandis & distribuendis præerat, *Magister convivii, & Strategus* Latinis dictus: ut apud PLAVTVM *Stich. Act. IV. Sc. IV. Strategum te hodie facio huic convivio:* Ad *Plauti Persam Act. V. Sc. I.* GRVTERVS: *quod,* inquit, *apud Romanos & Græcos obtinuit, ut in conviviis Magister aliquis crearetur, Hebræis quoque fuisse usitatum, colligo ex Jesu Sirach, cap. XXXII.* Si summus convivii magister es constitutus, ne te supra alios efferas, sed quasi unum ex illis præbeas; habeto curam eorum, atque ita confide. Et cum tuo munere perfunctus fueris, commendationem adeptus, quiesce: ut læteris eorum causa, ornamentique gratia coronam accipias. *Vbi & hoc animadvertito, solitam dari coronam, rei bene administratæ signum* &c. Quod idem tamen in MALDONATO acerrima censura mox citandus perstringit CASAVBONVS. Hic leges bibendi præscribebat, & VARRONI *Modimperator*, HORATIO *Arbiter*, PLAVTO *Dictator*, Græcis Συμποσίαρχος, Βασιλεὺς, Στρατηγὸς appellabatur. Hæc autem Magisteria, seu *regna vini* sortiebantur & eligebant talis in omni convivio, ubi jactus *Veneris* proprius fuit Magistro creando: unde HORATIVS: - - *quem Venus arbitrum Dicet bibendi.* Vide LIPSIVM sæpius citatum *p.* 149. Num vero Symposiarcha ille, & Modimperator idem sit cum Architriclino, dubitatum video a nonnullis, nec immerito. Architriclinus enim ministerium obibat, Arbiter ille legebatur ex hospitibus. Sane ab Architriclino CASAVBONVS *Exercit. XIII. adv. Baron. cap. XIX.* Præfectum morum distinguit, qui in nonnullis civitatibus publice apponi solitus convivis in solennioribus epulis. Apud Græcos id obtinuisse, & censores istos ὀφθαλμὸς dictos fuisse, ex ATHENAEI *lib. X.* probat, GAVDENTII autem de more Judæorum eodem commentum explodit. Hunc liquido sequitur Auctor noster.

Ad §. XXVII. pag. eand.

(29) *Antiqui Judæi hospitales erant*] Primam hospitalitatis laudem in Scriptura meretur Melchisedek, qui Abrahamo ejusque exercitui, e prælio reduci & fesso, panem & vinum attulit, eosque refecit Genes. XIV. Hunc ipsemet secutus est Abrahamus ac Lothus cap. XVIII, XIX. qui data opera viatores, ut illos exciperent, ad ostium expectabant, commendati hoc nomine, & in exemplum imitationis propositi a Paulo Hebr. XIII, 2. Hos alii deinceps multo numero secuti, velut senex ille in urbe Gibea, ignotum excipiens Levitam Jud. XIX, 17, 20. Hinc suo velut jure poscebat David, ut de opiparo, quod paraverat Nabal, convivio, sibi & comitibus largiretur partem 1 Sam. XXV, 4, 8 sqq. Vnde posthæc inter pietatis exercitia atque τεκμήρια fidei plus vice simplici Christianis commendata legitur φιλοξενία Hebr. XIII, 2. Tit. I, 8. 1 Petr. IV, 9. Sed & inter monita Judæorum in *Pirke Avoth cap. I. §. 5.* laudatur IOSE filii IOCHANANIS sententia, qui solitus sit dicere: יהי ביתך פתוח לרוחה *esto domus tua aperta ad plateam*, h. e. interprete BARTENORA, similis domui patris Abrahami, cujus domus aperta erat versus quatuor plagas mundi, ut undecunque adventantibus hospitibus aditus pateret, nec ostium quærere quis necesse haberet. In *Bava Bathra fol. 93. col. 2.* laudatur mos Hierosolymis receptus: *Mappa expansa erat in loco publico: quamdiu mappa illa erat strata, viatoribus licebat ingredi; si sublata esset, non ingrediebantur.*

tur. Celebris ille SCHAMMAI pariter in *Pirke Avoth cap. I. §. 15.* inculcabat discipulis suis: הוי מקבל את כל אדם בסבר פנים יפות *excipe quemvis hominem aspectu vultus pulchri*, h. e. vultu sereno & benigno.

Ad §. XXVII. pag. 58.

(30) *Ex illo trito*] Plenius hæc leguntur in BUXTORFII *Florilegio Hebr. p.* 114 *sqq.* ubi Judæos hodie communiter conclavibus suis hos rhythmos inscribere tradit: ביום ראשון אורח *die primo hospes:* ביום שני טורח *die secundo onus:* ביום שלישי סרח *die tertio fœtor:* ביום רביעי בורח *die quarto fugitivus esto:* ביום חמישי עלה קרח *die quinto: abi calvaster:* ביום ששי מר צרח *die sexto amare clamat* scil. hospes. Addit BUXTORFIUS tria priora olim tantum fuisse usitata: sed his postremis temporibus fuisse aucta.

Ad §. XXIX. pag. 59.

(31) *Canoni illi Laodicensis Concilii*] Canon XXVII ita habet: *ὅτι ȣ̓ δεῖ ἱερατικȣ̀ς, ἢ κληρικȣ̀ς, ἢ λαϊκȣ̀ς, καλȣμένȣς εἰς ἀγάπην, μέρη αἴρειν, διὰ τὸ τὴν ὕβριν τῇ τάξει προστρίβεσθαι τῇ ἱερατικῇ, quod non oportet Sacerdotes, vel Clericos, vel Laicos, ad Agapas vocatos, partes tollere, eo quod ignominia inuratur ordini sacerdotali.* Quod BALSAMON ita exponit: Quoniam ex iis, quæ erant in convivio apposita, quidam accumbentes partes sumebant, & per luxuriam domum auferebant, & hinc eorum, qui convenerant, condemnatio profecta est, sæpe etiam contentio inter eos excitata, Patres definierunt, ne hoc amplius fiat, ad sacerdotalis Ordinis contumeliam. Addit ZONARAS, esse id hominis abdomini dediti atque improbi argumentum: ejusmodi autem esse, fideles, sacratos præsertim, haud decere. Quæ longe alia & diversa est ab iis, quas Auctor allegat, sanctionis ratio.

Ad §. XXX. pag. cit.

(32) *Judæi cœnam sub vespera - - lautissime pararunt*] *Jentaculum* adeo in usu non erat Judæis, ut in vitio ponatur Principi, mane comedere Cohel. X, 16. & compotatoribus, mane potum redintegrare Jes. V, 11. Hinc Petrus satis valide ex matutino tempore abstinentiam a vino probat Actor. II, 15. Nisi forte pueros excipias, nec non mercenarios ac servos, quibus summo mane dispertiri cibum materfamilias perhibetur, forte tamen serius ab illis absumendum Prov. XXXI, 15. & laborantibus per noctem discipulis, summo mane Christus paraverat epulum Joh. XXI, 3, 9, 12. Etsi vero Judæi hodierni valetudini conducere ducunt, prius aliquid edere, quam matutino tempore suum aggrediantur opus; tribus enim, ajunt, & sexaginta morbis fel infestatur, quibus omnibus panis bucella, & cyathus vini, jentaculi loco medeatur; quibus vero vinum desit, aquæ sufficere cyathum apud BUXTORFIUM *in Synag. Jud. cap. XI. p.* 232. ante tertiam tamen matutinam, quæ nobis nona est, religioni ducebant, cibum capere, quod eousque sacrificium matutinum durare censebatur. Hinc Targum cit. ex Cohel. locum ita effert: *Principes tui mane comedunt panem, antequam offerant sacrificium juge matutinum:* Et paulo post ad vers. 17. ita habet: *Postquam obtulissent juge sacrificium, in tempore edebant panem* &c. *Prandium* porro ipsis omnino erat usitatum, unde ad prandium Josephus invitat fratres Genes. XLIII, 16, 25. probantque loca 1 Reg. XX, 16. Actor. X, 10. ubi circa horam sextam Petrus *γεύσασθαι* appetivit. Sic Judæi ad vesperam jejunasse dicuntur Jud. XX, 26. 2 Sam. III, 35. unde ordinarie pransos fuisse liquet. Hinc ex Talmud. Tract. *de Sabbatho cap. I. fol.* 10. *col.* 1. monitum BUXTORFIUS observat citato loco, ut hora quinta, quæ undecimæ nostræ respondet, prandium sumatur: si quis retardetur, morbum facile & debilitatem concipit. Corpus enim alimentum suum in

 tempore

tempore naturaliter postulat; quod si non consequatur, suis ipsius membris pascitur, perinde ac ursus hyeme, esca deficiente, proprias manus pedesque sugit. Denique manifesta in Nov. Test. *ἀρίστου καὶ δείπνου* distinctio Luc. XIV, 12. cap. XI, 37. Actor. X, 9, 10. satis edocet, eo tempore & circa meridiem, & circa vesperam, cibum capere solitos fuisse Judæos. *Cœna* denique post sacrificium juge vespertinum adornabatur, ut a Sacris redeuntes, cibo se reficerent. Hinc 3 Maccab. V, 12. media hora decima adfuisse ad cœnam regiam invitatos, perhibetur. Etsi serius quoque cœnabant operarii: sic rure demum rediens servus, cibum capit Luc. XVII, 8. immo circa undecimam conducti, unam laborant horam, ac tum demum, domum reduces, ad cœnam se componunt Matth. XX, 9 sqq. De legitimo cœnæ tempore apud Atticos & Romanos, confer SALMASIVM *in Solin. p.* 456. *b. E.* Velut autem Græci ac Romani, meridianum cibum soli & seorsim, eumque levem & facilem sumebant, ut de Plinio Majore COECILIVS *lib. V. Epist.* 3. & de seipso SENECA *Epist.* 83. testatur, vespere autem tum majori epularum apparatu, tum in familiarium ac amicorum convictu, lautius largiusque se excipiebant apud PLINIVM *lib. III. Epist. V.* sic Judæos idem in more positum habuisse Auctor cum aliis tradit, quod tamen vereor, ut idoneis edoceri queat documentis. Prandio namque excipiebatur Christus a Pharisæorum principe Luc. XIV, 1. Cœna enim si fuisset, intempestive quæstionem, de violatione Sabbathi, movisset Salvator vers. 3. & convivia meridiana memorantur in Scripturis & apud Judæos. Nisi quod exeunte Sabbatho, pro more gentis lautiores fuisse cœnas, LIGHTFOOTVS ex MAIMONIDE memorat *Hor. Hebr. in Johan. XII*, 1.

Ad §. XXXI. pag. 59.

(33) *Poculorum istorum trium*] Paulo aliter recenset THOM. GATAKERVS *Adversarior. Miscellaneor. Posthum. cap. V. Opp. Tom. I. p.* 442. de calice Tribulationis, *cap. VI. p.* 466. de calice Consolationis, & *cap. VII. p.* 469. de calice Salutis ac benedictionis, multo cum lectionis ac doctrinæ apparatu agens. Nos Auctorem sequemur. כוס ברכה *Ποτήριον τῆς εὐλογίας*, est poculum, quod apud Judæos in festivis & solennibus epulis, postquam paterfamilias illud libasset, omnes in mensa præsentes gustabant. In libro כל בו *num.* 25. *fol.* 21. *col.* 4. אחר ברכת היין שותה כל אחר מהם מכוס של ברכה מלא לוגמיו: *post consecrationem vini bibit unusquisque accumbentium ex poculo benedictionis haustum.* Longe tamen aliam hoc poculum rationem habebat in Conviviis Judæorum, ut per illud consecratio fieret totius epuli, aliam in Sacra Cœna, ut nimirum interveniente per verba institutionis benedictione Divina, efficax illud fit medium *μεταδοτικὸν* & exhibitivum sanguinis Christi, ad remissionem peccatorum. Vt frustra sit, cum Auctore nostro, GATAKERVS, quando verba Pauli 1 Cor. X, 16. huc trahit. Ipse, licet Calvinianus, nobiscum facit BVXTORFIVS differt. *de Sacra Cœna Domini §. XLVI. p.* 310. *Dubitandum non est*, inquiens, *Christum hic nequaquam vulgari & Judæis sueta* (*aut saltem non sola*) *sed sua singulari, & quidem antehac ab ipso non usurpata εὐλογίᾳ, atque ad rem præsentem accommodata, usum fuisse, per quam Symbola Sacramentalia sanctificavit, atque ab usu communi ad usum novum & mysticum separavit, constante ex precibus, & gratiarum actione.* Et postquam §. *XLVII. p.* 311. *εὐλογίαν* & *εὐχαριστίαν* apud Evangelistas promiscue usurpatam, *συνωνύμως* hic accipi demonstraverat, quod Hebræum ברך utrumque significet, & quod unius sacræ actionis duæ sint partes, precatio scilicet & gratiarum actio, porro subjicit: *Ita, cum duobus his verbis promiscue utuntur Evangelistæ, ideo procul dubio factum, quod Christus in hac* ברכה *& gratias egerit Deo pro instantis redemtionis beneficio, & per gratiarum actionem, adjunctis cum ea precibus, symbola benedixerit, h. e. sanctificarit, & ad mysticum usum separarit.* Hinc ista omnia, quæ de poculo benedictionis in Sacra Cœna Chri-

Christianorum copiose commentatur GATAKERVS, abs τῷ כוס הברכה Judæorum sunt aliena.

כוס תנחומים *Poculum Consolationis* apud Jerem. XVI, 7. legitur, ubi post gravissimas Judaico populo denunciatas calamitates, subjicitur, neminem futurum, qui mortuos sepeliat, aut superstites soletur. *Non frangent eis panem super luctum, ad consolandum eos super mortuos, neque Poculum consolationis propinabunt eis ob patrem matremve ullius eorum defunctam.* Quod enim Romanis & Græcis, ritu licet dispari, usu receptum erat epulum ferale, id nec ab Hebræorum moribus erat alienum, unde HIERONYMVS *ad cit. loc. Jerem.* monet, *moris esse, lugentibus ferre cibos, & præparare convivium, quæ Græci περίδειπνα vocant; & a nostris vulgo appellantur parentalia, eo quod parentibus justa celebrantur.* Hinc videas, quod post funeratum Abnerum convenerint, qui convivium funebre inirent cum Davide, quod ipse tamen distulit ad occasum solis usque 2 Sam. III, 35. & Ezech. XXIV, 17. לחם אנשים exponitur cibus afflictorum, ob mortem alicujus funestam. Huc Salomonis quoque verba trahuntur Proverb. XXXI, 6. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt animo* &c. Sic IOSEPHVS *lib. II. de B. J. cap. I. Tom. II. pag.* 147. auctor est, Archelaum defuncto patre Herode, ἐπιτάφιον ἑςίασιν πολυτελῆ, *lautum epulum funerale* populo parasse; additque morem gentis, ἔθος δὲ τῦτο παρὰ Ἰȣδαίοις πολλοῖς πενίας αἴτιον, διὰ τὸ πλῆθος ἑςιᾷν ȣ̓κ ἄνευ ἀνάγκης, εἰ γὰρ παραλίποι τὶς, ȣ̓χ ὅσιος· *hic autem mos multos apud Judæos ad inopiam redegit, quod necessitate tenerentur, populum convivio adhibendi: id enim qui omitteret, pro impio habebatur.* Et solent vulgo Judæi lugentibus ob mortuum, primo die mittere cibum, & convivatum ad ipsos venire, ut aliis quoque se curæ esse videant, quando ob luctum obliviscuntur pane suo vesci. Sed de epulo isto ferali erudite commentatur GEIERVS *de luctu Hebræor. cap. VI. §.* 20 *sqq.* Quo tamen cum GATAKERO *p.* 467. referre convivium Jobi cap. XLII, 11. haud abs re dubito, quia necessarii & familiares convivatum eum convenientes, gratulatione potius, quam consolatione defungebantur. Ita perperam huc trahit poculum, quod morti addictis, & ad supplicium prodeuntibus propinatum aut porrectum, fusius prosequitur. Ceterum, qui lugenti ab amicis porrigebatur, Consolationis Calix dici consueverat.

כוס ישועות *Poculum Salutis* celebratur Psal. CXVI, 13. quod GATAKERVS cum כוס הברכה seu *Poculo benedictionis* temere confundit, quin & *Calicem gratulationis* interpretatur. Illud vero, cum SIMEONE DE MVIS, maxima Interpretum pars de poculo libaminis exponit, quasi diceret David: solenniter Deo gratias agam in conventu sacro, ubi persolutis, instructisque epulis eucharisticis, libabo in honorem Dei poculum salutis consuetum, quo profitear, me non humana ope, sed solius Dei virtute ac præsidio mirabiliter salvatum esse. Alludi ergo ad ritus sacrificiorum Pacificorum, in quibus vini pars quædam libabatur Deo, reliquum sacrificantibus cedebat: quod tamen valide probari nequit. Hinc intelligere mavult DILHERRVS *lib. I. Elector. cap. XII. p.* 71. de conviviis solennibus, in atrio templi celebrari, votivisque & eucharisticis sacrificiis jungi solitis; in quibus calix gratiarum actionis, salutum calix audierit, ad quem Divinus respiciat Psaltes. SALOM. VAN TIL *ad h. l.* ad salutem, Christi redemtione partam refert, phrasin autem petitam pariter censet a calice conviviorum sacrificialium, quem cum consueta gratiarum actione, & beneficiorum Dei celebratione tollere consueverint: ut calix salutum sit poculum, super quo Deus salutis cum gaudio celebratur. Ista tamen interpretatio b. GEIERO *ad h. l.* minus probatur, quia nulla calicis ejusmodi eucharistici libatio alias occurrit in Scriptura; unde poculi vocabulum figurate potius accipiendum docet, ut Psal. XXIII, 5. pro affluentia bonorum omnium a Deo præceptorum. Pariter GLASSIVS de calice gratiæ & amoris, sive solatii Divini; ESTIVS de calice confessionis ac laudis, figurate exponit. Huc

vero num *poculum geniale*, *boni ominis*, & *cum voto salutis* in conviviis noſtris conjunctum ſpectet, merito dubitatur. Morem illum in univerſum ſerio improbat, & rationibus impugnat GISB. VOETIVS *Diſpp. Select. Tom. III. p.* 1216 *ſqq.* vindiciasque ſententiæ ſuæ adornat *p.* 1220. quin & *Tom. IV. p.* 500. eam denuo tuetur, & *p.* 503. appendice, ad Diſputat. de Ebrietate a ſe editam, pluribus munire nititur. Ethnicam quidem ſoteriorum originem docet DANHAVER. *Hodoſ. Phænom. X. p.* 1220. edit. de A. 1666. & abuſum improbat *Lact. Catech. P. II. pag.* 446. hunc tamen a moderato & licito uſu caute diſtinguendum, nec ritum iſtum in ſe, velut damnabilem & vitioſum, proſcribendum alii contendunt. Abominabilis autem nonnullorum in Veteri Eccleſia fuit conſuetudo, qua poculis in nominibus & ſalutem Angelorum atque Sanctorum ſe mutuo inebriarunt, caſtigante AVGVSTINO *Serm. CXXXII. de tempore, T. X. Opp. p.* 1102. *B.* & CAESARIO *Homil. VI. p.* 46. edit. Baluzii, cujus *in h. l.* conſule notas *pag.* 124 *ſq.* Sed hæc obiter, cum directe huc non ſpectent. Inter pocula, in Scripturis memorata, occurrit etiam

כוס היין החמה *Calix vini furoris*, ſeu calix tribulationum, de quo David Pſal. LXXV, 9. canit: *Siquidem calix in manu Domini, & vinum turbidum in eo, cujus abundat miſtio:* & Jeremias vaticinatur cap. XXV, 15 ſqq. coll. Job. XXI, 20. Jeſ. LI, 22. ubi ſenſu metaphorico, confluxus & abundantia ſuppliciorum omnium ſignificatur; quo loca de calice paſſionum Chriſti Matth. XX, 22. Luc. XXII, 42. pariter ſunt referenda. Scite in locum Jeſaiæ LI, 17. VITRINGA: *Vinum, poculo contentum, atque adeo ipſum poculum, ſignificat mala, calamitatesque graviſſimas, aptas hominem de ſtatu mentis dejicere ac deturbare, animumque ejus redigere in ſtatum ſtuporis, ἀνοησίας, inſenſualitatis: qui effectus eſt gravium judiciorum, æque ac vini meri, inprimis toxicati ac fæculenti, ex magno poculo hauſti. Emblema recepti uſus eſt in ſcriptis tam Novi, quam Veteris Fœderis.* Quod ſupereſt, qui de varia calicis in Scriptura ſignificatione, diſtinctione & deſcriptione cognoſcere plura cupit, adeat WILH. ERN. EWALDI *Emblem. Sac. Lib. III. Exercit. I.* ubi multa huc facientia, ſtudioſe congeſſit.

AD

LIB. III. CAPVT III.

DE SABBATHO.

Ad §. I. pag. 59.

Vox שבת / *a quo noſtrum Sabbath*] Etymologiam vocis Sabbathi *vel* inſulſam ac peregrinam, *vel* genuinam & tritam, obſervarunt doctores. *Prior* APIONIS Judæi eſt, qui teſte IOSEPHO *lib. II. contra Apion. cap.* 2. *T. II. f.* 470. (edit. Haverkamp.) ex Aegyptiaca lingua arceſſit, in qua vox inguinis morbum notet. *Exactô enim*, inquit, *ſex dierum itinere, inguinum ulceribus affecti ſunt, & hac de cauſa ſeptima die quieverunt, incolumes conſtituti in regione, quæ nunc Judæa vocatur: & appellaverunt eam diem Sabbathum, ſervata Aegyptiorum voce, τὸ γὰρ βουβῶνος ἄλγος καλοῦσιν Αἰγύπτιοι Σαββάτωσιν*, vel juxta SPANHEMII lectionem Σαββῶ, *nam inguinis dolorem Aegyptii vocant Sabbatoſin:* quam traditionem ibidem paulo poſt abſurditatis arguit IOSEPHVS, & quam ante σαββάτωσιν dixerat, σαββῶ appellat. Nec multum hinc abludit IVSTINI *lib. XXX. cap. I.* & TACITI *lib. V. Hiſt. cap. I.* fabula, Sabbathum dictum & jejunio

con-

consecratum, quoniam illa dies majoribus Judæorum famem, erroremque finierit. Denique PLUTARCHUS *lib. IV. συμποσιακῶν problem.* 5. Sabbathum a σάβος, Græco Bacchantium epitheto, deducit. *Posterior* ex Hebraismo petitur, ubi a verbo שבת *quievit, cessavit*, & שבת *cessatio, requies*, & hinc *Sabbathum*, dies cessationi ab operibus destinatus, ipso Mose docente Gen. II, 2, 3. Exod. XX, 8-11. שבתון Exod. XVI, 23. & Lev. XXIII, 39. quam vocem LXX Interpp. adoptantes, numero plurium plerumque σάββατα efferre consueverunt.

Varie autem Sabbathi vox accipitur: 1) Proprie & originaliter, pro Cessatione ab opere. Ita KIMCHI *in lib. Radic.* שבת inquit, ענין הבטלה והפסק הדבר *significationem cessationis* habet, *cum res desinit:* & IOSEPHUS *lib. I. Antiqu. cap. I.* §. 1. edit. cit. hoc modo: δηλοῖ δὲ ἀνάπαυσιν, κατὰ τὴν Ἑβραίων διάλεκτον, *vox:* Sabbatum, *requiem, Hebræorum lingua notat.* Vocatur idem 2) pro Tempore quietis, quod in orbem perpetuo recurrens, cessatione ab opere consecratum est: idque vel dies est, vel annus. Sabbathum diei vel cujuscunque hebdomadæ est, dies ejus ultimus seu septimus Exod. XX, 10 sq. vel certi mensis, quod solennibus festorum feriis divinitus Lev. XXIII. est præfinitum. Sabbathum anni est septimus quisque annus, quo & a debitis, ab Israelita exigendis Deut. XV, 1. & ab iis in servitute retinendis vers. 12. & a terræ cultura, erat cessandum Lev. XXV, 4. 3) per Synecdochen pro tota Septimana, ut Luc. XVIII, 12. νηστεύω δὶς τοῦ σαββάτου, h. e. qualibet septimana. Notionis rationem reddit R. MOSES BEN NACHMAN *Comment. ad Lev. XXIII.* כי בעבור שיש בכל שבעה ימים שבת אחת וחשבון הימים ממנו יקרא שבוע אחר שבת אחר: *Quia unicuique septimanæ unum est Sabbathum, & dies hebdomadis ex eo incipiunt numerari, inde factum est, ut primum Sabbathum diceretur septimana prima.* 4) pro Requie vitæ æternæ, ubi Sabbathum a Sabbatho celebrabitur Jes. LXVI, 23. verusque agetur σαββατισμὸς τῷ λαῷ τοῦ Θεοῦ, Hebr. IV, 9. De origine Sabbathi, quam sicco Auctor noster præteriit pede, graviter hallucinatur MARSHAMUS in *Canone Chron. ad sæc. IX.* edit. Lips. *p.* 196 *sq.* & SPENCERUS *de Legibus Hebr. Ritual. lib. I. cap. IV. Sect.* 11, 12. ex Aegyptiorum, vel Gentium institutis, uterque solennitatem ejus arcessens. *Ille* quidem, Aegyptios vetustissimos temporum artifices, primos omnium hominum invenisse menses & annos, orbemque dierum hebdomadicum a planetarum numero derivasse censens, verosimile esse judicat, sacrum septimi cujusque diei cultum, lege Mosaica institutum, hinc in religionem Hebraicam publice receptum esse. *Hic* vero, Deum sibi diem aliquem consecrari voluisse contendit, quod hæc institutio moribus olim receptis conveniret, & nihil in se haberet, quod nimia sua insolentia rudem populum irritare posset. Sabbathum igitur ad idololatriam eradicandam institutum fuisse, & huic usui variis rationibus inserviisse. Deum autem, ætate creationem & diluvium sequente, Sabbathum non instituisse, quod ætate illa crimen idololatriæ non vigeret, & homines propter recentem creationis & diluvii memoriam, unum Deum mundi creatorem colerent, nec opus haberent Sabbatho, quod creationis memoriam restauraret. Utrumque pro merito castigat IOH. MEYERUS *de temporibus sacris & festis Hebr. cap. IX. p.* 174. rectiusque Sabbathi originem, hinc ex opere creationis, per Exod. XX, 11. hinc ex opere redemtionis, per Deut. V, 15. derivat. Non longe hinc discedit summus WAGENSEILIUS, quando *in confutatione carminis Lipmanni p.* 558. prolixa de Sabbatho Judaico disquisitione commentatur, ac de origine ejus ita præcipit: Deum æternum, postquam septimo die finem creationis fecisset, enixe voluisse, ut tanti operis memoria inter mortales conservaretur. Quamobrem rei hujus symbolum, septimam diem, primos homines in pretio habere, atque illo, cessando paulisper ab aliis negotiis, mundi creationem animo recolere, quin & ad idem faciendum, ex sese nascendos & minores exhortari, præcepisse. Dum vero Aegyptiaca pressi servi-

ſervitute Iſraelitæ, magna laboris penſa, citra ullam quieſcendi veniam, quotidie cogerentur abſolvere, tum quidem omnem Sabbathi cultum penitus intercidiſſe, eamque unam Judæorum curam fuiſſe, ut die & noctu opus continuando, ſæva Aegyptiorum verbera effugerent. Quamobrem cum Deus ex hoc ergaſtulo ipſos eduxiſſet, ſuique juris poſtliminio redderet, mox ſimul plane obſoletam & antiquatam inter Judæos de Sabbatho colendo legem in uſum reduxiſſe. Qua occaſione ſimul viſum ei fuerit, augere veterem legem, eamque nunc, præter creationis hujus univerſi, jam amplius ipſius ex Aegypto eductionis, ſymbolum inſuper facere; ut poſthac, celebrando Sabbathi diem, Judæi in mentem aſſidue ſibi revocarent, tum illam Dei poſt finitum creationis opus quietem, tum ſuam quoque a ſervilibus in Aegypto laboribus quondam liberationem. Quod ex Exod. XXXI, 16, 17. & Deut. V, 19 ſqq. probat, & utramque feſtivitatis hujus rationem ſcite connectit.

Ad §. I. pag. 60.

(2) *Sabbathum magnum Joh. XIX, 31.*] שבת הגדול dicebatur proprie, quod proximum eſt ante Paſcha, ut ex *Orach Chajim num.* 430. docet BVXTORF. *Lex. Targum. h. v. pag.* 2323. Hinc in *Schülchan Jor. fol.* 33. *col.* 2. שבת שלפני פסח קורין שבת הגדול *Sabbathum, quod ante Paſcha, Sabbathum magnum appellatur:* idque propter miraculum, quod accidit patribus ipſorum in Aegypto. Sed & magnum dicebatur Sabbathum, quod in primum diem feſti alicujus ſolennis incidebat: duplicabatur enim ſolennitas concurſu Feſti & Sabbathi in unum eundemque diem, ſimulque ratio ceſſandi ab opere ſervili propter Sabbathum, & propter Feſtum; quin & מקרא קדש *ſacra panegyris* eo erat frequentior & ſanctior. Hinc rationem reddunt paſſim Interpretes, cur dies, mortem Chriſti excipiens, μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνȣ τȣ̃ σαββάτȣ *Sabbathum magnum* Johanni audiat Joh. XIX, 31. Concurrebant enim duo Sabbatha, cum hebdomadale, tum paſchale, ſive dies paſcharis primus, qui æque ac ultimus, vel maxime habebatur ſanctus Lev. XXIII, 11, 15. Quanquam enim Joh. VII, 37. ultimus Feſti tabernaculorum dies pariter dicatur μεγάλη ἡμέρα τῆς ἑορτῆς, quia עצרת ſeu dies congregationis ſanctæ erat: expreſſa tamen, in loco noſtro mentio τȣ̃ σαββάτȣ, Sabbathum requirit in diem primam azymorum incidens. Equidem IOH. REINH. RVS *Harm. Evang. Tom. III. P. I. p.* 516. & *Tom. III. P. I. p.* 1345 *ſq.* cum LIGHTFOOTO, & qui hunc ſequitur, ANTON. BYNAEO, Sabbathum intelligit, quo Dei juſſu manipulus primitialis ſolenniter offerebatur Lev. XXIII, 10 ſqq. quos tamen HOTTINGERVS *Not. ad h. l. Auct.* & LAMPIVS cumprimis *in Joh. cit.* jure refellunt, quia manipuli oblatio verſ. 11. die profeſto, proximo nempe a Sabbatho peragebatur, eoque die domum ex Feſto abire cuivis, ſi luberet, fas erat. Vt taceam, ſi ſententia LIGHTFOOTI firmo ſtaret talo, illum diem, quo Chriſtus actus in crucem eſt, primum Paſchatis fuiſſe, nec paraſceven Sabbathi magni, ſed feſtum, ſumma religione colendum, cum tamen Johanne cap. XVIII, 28. teſte, eopſe die vererentur Judæi Prætorium intrare, ne polluerentur, & a comeſtione agni paſchalis arcerentur.

Ad §. II. pag. 60.

(3) *Tempus inter duo Sabbatha, vel interjectum inter Sabbathum*] HOTTINGERVS *in Not. ad h. l. Auctor.* 1) lectionem citati Textus Act. XIII, 42. ſollicitat, & vocem εἰς expunctam cupit, quam tamen tantum non omnes habent Codices: 2) Non tam ſpacium inter duo Sabbatha interjacens, quam ſequens Sabbathum interpretatur, *a*) auctoritate interpretum Syri, & Vulgati, qui habet: *rogabant, ut ſequenti Sabbatho loquerentur: b*) quia verſ. 44. eventus hunc ſenſum confirmat: τῷ δὲ ἐρχομένῳ σαββάτῳ κ. τ. λ. *c*) quia, obſervante LVDOV. CAPPELLO, μεταξὺ interdum pro μετόπισθεν, vel μετέπειτα ſumitur, ut ex IOSEPHO *lib. VI. de B. J. c.* 6.

c. 6. conſtet. Nec ERASMVM modo habet conſentientem, verum etiam recentiſſime MILLIVM, qui *in Prolegom. ad N. T. num.* 1364. *εἰς* quidem retinet, auctoritate & conſenſu Codicum motus, ceterum nil aliud hic intelligi contendit, quam proxime ſequens Sabbathum, unde *in Var. Lect. ad h. l.* ex Scholiis exponit, *εἰς τὸ μεταξὺ, τουτέστιν, εἰς τὸ ἐσόμενον.* Verum obſtat vox *μεταξὺ*, quæ non ſubſequentis, ſed interjecti ſignificationem habet: & *τὸ σάββατον* hic non diem ſeptimum, ſed Synecdochice totam ſeptimanam notat, ut Luc. XVIII, 12. Petierunt igitur, ut in ſubſequentem ſeptimanam, quæ inter Sabbathum illius diei, & inter ſequens Sabbathum interjecta imminebat, hæc verba Gentilibus clarius exponerentur. Vnde recte vertit LVTHERVS: *Zwiſchen-Sabbaths:* recte quoque Auctor complexum dierum profeſtorum, *τὸ μεταξὺ σάββατον* vocari tradit. Accedit, quod nec Judæis illo tempore, diebus ſeptimanæ profeſtis, ſecundo nimirum & quinto, ſive Lunæ & Veneris ad lectionem publicam legis convenire, inuſitatum eſſet, ut eſt in Cod. Hieroſol. מגלה *fol.* 75. *col.* 1.

Ad §. III. pag. 60.

(4) *Sabbathum confertur Reginæ*] Quæ de veſtibus pretioſioribus, Sabbatho ſoli deſtinatis, ad h. l. notavit REIZIVS, ex BVXTORFII *Synag. Jud. cap. XV. pag.* 298. ſunt petita. Quia enim Jeſ. LVIII, 13. de Sabbatho præcipitur: וכברתו *& honorabis eum* diem, modum honoris habendi in Talmud *Schabbath fol.* 113. *col.* 1. exponunt: שלא יהא מלבושך של שבת כמלבושך של חול *ne veſtimentum tuum Sabbathinum ſit ſicut veſtimentum tuum profanum,* vel quotidianum. Judæi enim ditiores peculiares habent veſtes, quas extra Sabbathum non induunt. Sabbathum enim מלכא *reginam* appellaverunt: ſi vero veſtes regiæ alio tempore induantur, quam ubi coram regina comparetur, dedecus admittitur, & regina ludibrio habetur. Hinc R. CHANINA, veſpera Sabbathi decenter ornatus ſtabat, & dicebat: *venite, egrediamur in occurſum Sabbathi reginæ.*

Ad §. IV. pag. 60.

(5) *Incipit hora ſexta veſpertina pridie*] Proprios Sabbathi limites, a ſole occidente ad ſolem occidentem, definit LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. VIII,* 16. recteque monet, pridie Sabbathi nemini licere opus aliquod incipere, niſi idem quoque perficere queat מבעוד יום *dum adhuc eſt dies,* i. e. אם השמש *dum adhuc ſol nondum occidit.* Veſpera Sabbathum præcedente, ſi quis conſpecta una ſtella laborare pergit, liber eſt a reatu, (nam adhuc dies eſt) ſi vero, conſpectis duabus, laborem continuet, reatum contrahit (tum enim dubitatur, an dies ſit) ſi expectat, donec conſpiciantur tres, tunc plane peccat (quia haud dubie nox eſt) juxta Talmud Hieroſ. Tract. *Berachoth fol.* 2. *col.* 2. Hic ergo tria obſervanda ſunt temporis momenta: ערב השבת *veſpera Sabbathi*, ab hora tertia pomeridiana Paraſceves, ביאת השבת *introitus Sabbathi*, ab hora veſpertina ſexta vel ab occaſu ſolis, & בין השמשות ſpacium inter ſolis occaſum, & noctem interjectum, *inter ſoles* dictum, quo dubium eſt, num tempus illud ſit de die, an de nocte: de quo *cit. loc.* LIGHTFOOTVS pluribus agit. Poſt veſperam itaque externum opus nullum amplius peragunt, ſed mature Sabbathum inchoant, aliquid illi de præterita hebdomade concedentes, Synagogam adeunt, preces fundunt, præparationem agunt, expectantes ita ביאת השבת *ingreſſum Sabbathi.*

Ad §. IV. pag. ead.

(6) *Præparatio Sabbathi*] Ex hodierno Synagogæ more, BVXTORFIVS *cit. loc.* quinque ad præparationem Sabbathi momenta requirit: 1) ciborum ad uſum Sabbathi præparationem & inſtructionem: 2) menſæ aptationem: 3) lotionem, ſi minus totius corporis, faciei tamen, manuum ac pedum, aqua calida; quo barbæ

tonſura & unguium refectio (non absque ſuperſtitione peragenda, quam *ibidem p.* 297. legas) pertinet: 4) veſtium Sabbathinarum induitionem: 5) lucernarum Sabbathicarum accenſionem & adornationem: quæ huc transferre ſuperſedemus. Quia vero lotionem vix tribus verbis attigit, liceat ex R. IEHVDA LOEW, fil. ISAAC הנהגת האדם *de officiis hominis c. XXIII.* ubi obſervatio officiorum Sabbathi deſcribitur (edit. Fürth. A. O. 451. h. e. C. 1691. in 12.) addere, lotionem in veſpera Sabbathi, שיהיה הטבילה סמוך לשבת *ita ut Sabbathum proxime antecedat*, peragendam eſſe geminam, alteram quando exuit veſtes quotidianas, alteram ut augmentum Sabbathi ſibi conciliet; addendam quoque eſſe immerſionem tertiam, ſi impuritatem forte ex caſu nocturno contraxerit, quin immo ſi בעל תשובה in agenda pœnitentia ſit occupatus, יטבול י״ד טבילות quatuordecim immerſionibus eſſe abluendum.

Ad §. V. pag. 60.

(7) *Appellant Cœnam Puram*] Meminit hujus Cœnæ Puræ AVGVSTINVS *Tract. CXX. in Joh. Tom. IX. fol.* 554. inquiens: *Acceleratam vult intelligi ſepulturam, ne adveſperaſceret: quando jam propter Paraſceven, quam cœnam puram Judæi, Latine uſitatius apud nos vocant, facere tale aliquid non licebat.* Vbi tamen ex CASAVBONI *Exercit. XVI. c. Baron. cap. CVI.* obſervamus α) non tam ex antiquitate Judaica, quam gentili, hanc appellationem promanaſſe, qua Latini Patres nonnulli, imitatione Gentilium, προσάββατον, ſeu Judæorum Paraſceven vocarunt cœnam puram, ut adeo, quod Rabbinis ערוב / Græcis παρασκευὴ dicitur, idem illud Patribus nonnullis Latinis dicatur Cœna Pura: β) Quamvis autem promiſcue uſurpentur vocabula, in re ipſa tamen ingens fuiſſe diſcrimen. Nam in ritibus Paganorum cœna pura appellabatur cœna, illis apponi ſolita, qui *in caſto* (nempe Cereris) erant, quod Græci dicunt ἁγνεύειν vel προαγνεύειν. Erant autem, pro diverſitate ſacrorum, ritus diverſi, & multiplex ciborum obſervatio. (Addimus hic CASAVBONO, quod cœna pura illis eſſet, quæ animalium carnibus careret, oleribus tantum, & terræ natis contenta, quam ideo Græci, *cœnam ſine ſanguine*, PLAVTVS *Capt. I. 2. v. 86. cœnam terreſtrem* appellant; quod APVLEIVS innuit, *ſub finem Aſclepii* inquiens: *hoc optantes, convertimus nos ad puram, & ſine animalibus cœnam:* & eodem alludit SPARTIANVS *Did. Juliani cap.* 3. *Sæpe nulla exiſtente religione, oleribus, leguminibusque contentus, ſine carne cœnavit.* Vid. VRSIN. *ad Ciaccon. de triclin. p.* 189. SCALIGERVM *de Emendat. Temp. VI. p.* 569. BVLENGER. *de Conviv. lib. I. cap. II.*) Contra vero in Hebræorum ritibus nihil ejusmodi fuiſſe legimus. Habuerunt ſane etiam apud hos Paraſcevæ magnarum feſtivitatum ſuas obſervationes, ſed delectum aliquem ciborum fuiſſe, ultra legem Moſaicam, quæ omnes ex æquo adſtringebat, non legimus. γ) Adeoque ex his liquet, Paraſceven Judæorum a Latinis Patribus, TERTVLLIANO, AVGVSTINO, IRENÆI Interprete veteri, & aliis, nec non ab iis Judæis, qui AVGVSTINI tempore in Africa erant, Cœnam Puram fuiſſe dictam, appellatione translata e ritibus Gentilium, ἀναλόγως, ſecundum analogiam, non quia eædem eſſent obſervationes. Addo teſtimonium TERTVLLIANI *lib. I. ad Nationes cap. XIII. Vos certe eſtis, qui etiam in laterculum ſeptem dierum ſolem recepiſtis, & ex diebus ipſum prælegiſtis, quo die lavacrum ſubtrahatis, aut in veſperam differatis, aut otium & prandium curetis: quod quidem facitis exorbitantes & ipſi a veſtris ad alienas religiones. Judæi enim feſti, Sabbatha, & cœna pura, & Judaici ritus lucernarum, & jejunia cum azymis, & orationes litorales, quæ utique aliena ſunt a Diis veſtris.* Confer præterea DV FRESNE *Gloſſar. Latinit. h. v.*

Ad §. VI. pag. 60.

(8) *Nefas fuit, Judicibus conſidere*] Ita Miſchna *Sanhedrin cap. IV. §. 1. ſub fin.* definit, quia

quia in capitalibus judiciis sententia condemnatoria non nisi postridie perfertur, לפיכך אין דנין לא בערב שבת ולא בערב יום טוב: *Idcirco nec pridie Sabbathi aut festi exercentur: nam* alioqui, ut rationem addit Gemara, decisio judicii in Sabbatho existeret. Quod apud MAIMONIDEM Hilc. *Sanhedrin cap. XI.* §. 2. uberius declaratur, sententiam capitalem in Parasceve non ferri, quia executio ejus non detur die sequenti, sive Sabbathi, sive festi. Afflictionem autem judicii ejus, & dilationem post Sabbathum prohiberi. Ita posthæc quoque Imperatores Christiani, die Dominica vel Festo, causas cognoscere, sententiam ferre, aut judicia exercere, nefas pronunciarunt, Cod. IVSTIN. *lib.* 3. *tit.* 12. *de feriis*, *l.* 3. & Cod. THEODOS. *lib.* 2. *tit.* 8. *de feriis l.* 1.

Ad §. VI. pag. 60.

(9) *Opificibus illicitum fuit operari*] Ita KIMCHI *in Michlol fol.* 221. e Mischna decisum affert: היתה מן אומנות שלש אמניות עושין מלאכה בערבי פסחין עד חצות: *Ex omnibus artibus tres artifices exercent artem in parasceevis paschatum ad medium ipsius parasceves:* nimirum חיטים *sartores*, רצענים *cerdones*, *calceolarii*, & ספרים *scribæ*. His tamen CASAVBONVS *Exercit. XVI.* §. 17. addit חנונים *caupones*, qui tabernas ac popinas exercent, ex *Juchasin p.* 26. unde colligit, aliis quoque artificibus integrum fuisse, artem suam exercere in Parasceve.

Ad §. VII. pag. 61.

(10) *Præparationem Sabbathi suis manibus promovere*] Repetit hoc, & inculcat citatus supra R. IEHVDA LOEW *de officiis hominum cap. XXIII.* haud procul ab initio, quemvis virum licet honoratum & in dignitate constitutum, ipsum tamen res necessarias domi suæ לכבוד שבת *in honorem Sabbathi* præparare debere, sive ad accendendam lucernam, sive ad sternendam mensam, sive ad lecti compositionem pertineant, quantumvis servis abundet. Quod ex Talmudis Tract. *de Sabbatho fol.* 119. & Tract. *Kidduschin cap.* 2. uberius declarat BVXTORFIVS *Synagogæ cap. XV. pag.* 296. *pium Rabb Chasdam olus minute concidisse, doctissimos Rabbam & Rabb Josephum ligna fidisse, Rabbi Siram ignem accendisse, Rabb Nachmanem domum everrisse, & totam mensæ supellectilem præparasse* &c.

Ad §. VIII. pag. cit.

(11) *Tinnitu tubæ vel cornu*] De hoc ritu, post Gemaram Tract. *Schabbath fol.* 35. *col.* 4. fusius egit MAIMONIDES in Hilc. *Schabbath cap. V.* §. 18, 19, 20. cujus verba, quia prolixiora sunt, Latine reddidisse sufficiat: *In omnibus provinciis atque urbibus Israelitarum, vespera Sabbathi sexies clangebant: clangebant autem loco excelso, ut sonum omnes homines ejus regionis & suburbii percipere possent.* (Nimirum, ut in Gemara, & Glossa R. SALOMONIS traditur, in altissimo civitatis loco *tectum fuit planum*, & in ipso templo מכך השבת *tectum Sabbathi* 2 Reg. XVI, 18. ad id paratum, ut ex illo Minister Synagogæ buccinam inflans, Sabbathum indicaret.) *Quando primum clangebatur, tum illi, qui in agris reperiebantur, ab aratione, sarritione, atque aliis agrestibus operibus, prohibentur. Qui urbi propinquiores, non licentiam illam intrandi habent, priusquam remotiores accesserunt, quando una omnes urbem intrant. Tum adhuc tabernæ apertæ, & tabulæ mercatorum locis suis relinquebantur. Quando vero altera vice clangebatur, remotæ sunt tabulæ & clausæ tabernæ: hactenus tamen cibi calidi, & ollæ super foco relinquebantur. Clangore tertio edito* (ollæ) *removebantur, &* (favillis) *obtegebantur cibi, atque lucernæ incendebantur. Tum expectat tantum, quantum requiritur ad minutum piscem assandum, aut ut panis in furno coquatur: &* (tribus illis clangoribus, tres alios superaddit, atque tum) *sonum æqualem, fractum, denuo æqualem edit, cessatque. Primus clangor edebatur in Mincha tertia parte elapsa, quando sol jam occidebat. Ita quoque Sab-*

 batho

batho exeunte, ſtellis ortis, eum in finem clangebatur, ut quisque ad opera agenda licentiam acciperet. Clangendi autem officium τοῦ חזן *Miniſtri Synagogæ* fuiſſe, *ibidem* aſſeritur.

Ad §. VIII. pag. 61.

(12) *Notificant per æditum*] Non clangore tubæ, ſed indictione publica ante ædes, & proclamatione, ut ſinguli a labore ceſſent, ſeque להכנסת כלה *ad ingreſſum ſponſæ*, h. e. ad Sabbathum, formoſæ ſponſæ inſtar adveniens, honorifice excipiendum componant, teſte BVXTORFIO *Synag. cit. loc. p.* 299 *ſq.* Vbi quidem REIZIVS *ad h. l. Auctor.* ſæpius ſe obſervaſſe monet, æditum tum circumire, & inſtar Romani ῥαβδούχου ſeu lictoris, fores percutere, ἐκεχειρίαν autem proclamare, nunquam audiviſſe. Nil tamen prohibet, quo minus, pro locorum & regionum diverſitate, varii quoque inter Judæos obtineant ritus. LEO MVTINENSIS certe *de cerimon. Judæor. modern. P. III. cap. I.* §. 12. vel clamore, vel ſigno alio, intimari Sabbathum tradit.

Ad §. IX. pag. cit.

(13) *Ibi ſuperſtitioſi, hic ſacrilegi ſunt*] MAIMONIDES quidem in fronte *Hilcoth Schabbath*, quinque ſolum præcepta allegat, quibus religio hujus diei contineatur, duobus affirmantibus: 1) לשבות בשביעי *die ſeptimo eſſe quieſcendum:* 2) לקדש את יום השבת בזכירה *diem Sabbathi cum recordatione eſſe ſanctificandum:* & tribus negativis, 3) שלא לעשות בו מלאכה *nullum opus eo die eſſe faciendum:* 4) שלא לצאת חוץ לגבול *ultra terminum itineris Sabbathi non eſſe progrediendum,* 5) שלא לענוש *neminem mulcta eſſe afficiendum.* Maleſana tamen Magiſtrorum ſolertia, in infinitas fere obſervationes illa excreverunt, quarum ſat amplum dedit ſpecimen ANTON. HVLSIVS in *Theol. Jud. P. I. p.* 240 *ſqq.* ex MAIMONIDIS *loc. cit.* pariter, ac ex *Orach Chajim*, ſuperſtitiones Rabbinorum arceſſens: v. g. *Num liceat aliquid calefacere die Sabbathi?* quod ad focum fieri licitum negant, ad ſolem affirmant: *Num liceat educere jumentum in locum publicum in Sabbatho?* ubi licitum pronunciant educere jumentum freno ligatum, cuique jumento proprio, eique cuſtodiendo, apto; prohibitum, ſi jumentum ducatur freno, quod ipſi non convenit, vel ineptum eſt ad illud cuſtodiendum, v. g. ſi os equi ligetur fune, vel aſinus catena equi, aut felis loro; quia, quod cuivis proprium & accommodatum non eſt, id oneris loco cenſetur, quod ferre jumentum hoc die prohibetur: *Num fricare aut atterere manibus veſtimentum aliquod liceat, quod poſt lotionem exſiccatum obriguit?* ubi מותר *licitum* dicunt, ſi intentionem aliam non habeant, quam ut illud mollefaciant, אסור autem, ſeu *illicitum*, pannum linteum, quia hunc qui fricant, nitidum efficere intendunt, quod opus eſt dealbantis, Sabbatho prohibitum: *Num abſtergere lutum liceat hoc die, quod adhæret pedi?* licitum credunt, ſi fiat inter terram & parietem, illicitum ad parietem propter ædificium, & ad terram, ne foveam implere videatur, quod Sabbatho prohibetur: quæ ratio etiam vetat, ne in Sabbatho, ventrem quis exoneret in agro recens proſciſſo, quia multæ ibi ſunt foveæ. Graviſſima cumprimis eſt diſceptatio: *Num capere & elidere pulicem, aut pediculum liceat in Sabbatho?* ubi definiunt, pulicem aut pediculum de terra aut de veſtimento tollere אסור illicitum eſſe, ſed ſi cuti adhæreat & mordeat, venari quidem licere, necare tamen non licere: ubi tamen excipiunt, כינה מותר להורגה *pediculum impune necare licere*, idque ideo, quia pediculi capiti inſultant, ubi pulices non reperiuntur. In gratiam tamen pulicum, parcendum quoque pediculis, ne veſtes ſuas excutiens, occidat pediculum, & eadem opera occidat pulicem. Hinc R. ELIESER pronunciat, ההורג כינה בשבת כאילו הורג גמל *qui pediculum elidit in Sabbatho, ſimilis* qua reatum *eſt illi, qui occidit camelum*, ſi ſcilicet hoc non de capitis, ſed veſtimentorum pediculis intelligatur. Similes hujus furfuris Judæorum ſuperſtitiones lege apud

BVX-

BUXTORFIUM *Synag. Judaic. cap. XVI. p.* 350 *ſqq.* At enim vero ipſas incantationes Sabbatho fieri permittunt Judæi apud EDZARDUM, *ad Avoda Sara cap. II. p.* 337.

Ad §. X. pag. 61.

(14) *Iter Sabbathicum*] De itinere Sabbathico, ſeu ut Talmudici vocant, תחומי השבת *intervallorum Sabbathicorum terminis*, CASP. WASERUS *lib. I. de menſuris Hebr. cap. XII.* & poſt hunc prolixius commentatus eſt SELDENUS *lib. III. de Jure Nat. & Gent. cap. IX. p.* 317 *ſqq.* curatiſſime omnium FRISCHMUTHUS pecul. diſput. *de via Sabbathi*, cui MICHAELEM WALTHERUM Sen. junge, pariter *pecul. Diſſert.* Vt Interpretes taceam, qui *σαββάτȣ ὁδὸν* Actor. I, 12. paſſim illuſtrarunt. Eſt autem via Sabbathi locorum ſpacium, quantum licuit Judæis, ſine peccato, tempore Sabbathi conficere. Duplex obtinuit hujus itineris menſura, major, quæ Moſaica ſancita creditur auctoritate, & minor, quæ ex Scribarum ſcitis promanavit. Prior XII milliarium fuiſſe perhibetur, quia totidem complexa ſint Iſraelis in deſerto caſtra, extra quæ egredi prohibuit Moſes: poſterior, bis mille cubitorum. Vtramque complectitur & ediſſerit MAIMONIDES *c. l. cap. XXVII.* §. 1. היוצא חוץ לתחום המרינה בשבת לוקה שנאמר אליצא איש ממקומו ביום השביעי· מקום זה הוא תחום העיר ולא נתנה תורה שיעור לתחום זה אבל חכמים העתוקו שתחום זה הוא חוץ לשניבם עשר מיל כנגר מחנה ישראל· וכך אמר לחם משה רבנו לא תצאו חוץ למחנה· זמר ברי סופרים שלא יצא ארם חוץ לעיר אלא ער אלפים אמה אבל חוץ לאלפים אמה אסור שאלפים אמה הוא מגרש העיר: *Qui egreditur extra limites provinciæ die Sabbathi, vapulat, quia dicitur* (Exod. XVI, 29.): *nemo egrediatur e loco ſuo, die ſeptimo. Ille locus eſt terminus urbis* (ſeu ſpacium, intra terminum illum, protenſum). *Nulla vero lex definit hunc terminum, attamen Sapientes ſtatuerunt* (ex legis interpretatione) *ut terminus ſit XII milliaria, juxta menſuram caſtrorum Iſraelis. Nam & ſic juſſit Moſes Magiſter noſter: Non egrediemini e caſtris. Verum ex Scribarum ſcitis* (manavit illud) *quod non liceret homini urbe exire ultra bis mille cubitos, nam ſpacium illud pro ſuburbio habetur* Num. XXXV, 4 ſqq. Alii, quos ſequitur Auctor noſter, ad Joſuam referunt, qui cap. III, 4. præcipit: *Spacium erit inter vos & inter arcam, quaſi bis mille ulnarum in menſura; non appropinquabitis ad illam* (propius) *ut ſciatis viam* &c. ad quæ verba R. DAV. KIMCHI gloſſatur: שתהיו יכולין לילך ולהתפלל בשבת לפניו *ut poſſitis ire, & orare ante arcam in Sabbatho*, futurum enim, ut in obſidione Jerichuntis diem Sabbathi ſint acturi, ut ex Tanchuma myſticam affert expoſitionem. Iſtud tamen refutat ABARBENEL, bene monens, per כאלפים אמה non menſuram præſcribi definitam, ſed indefinitam, non tam cubitis, quam oculis dimetiendam. Atque iſtam quidem, pro itinere Sabbathi, menſuram tantum non omnes, Judæi pariter ac Chriſtiani, tenent, unde Targum *in Eſther. I,* 16. אתפקרנא למטר שביא ויומי טבא ברירל רלא להלכא בר מתרין אלפין אמין *mandatum nobis eſt, obſervare Sabbatha & dies feſtos, adeo, ne ultra bis mille cubitos ambulemus.* Sic ELIAS Levita *in Tisbi voc.* תחם pariter ex Joſ. c. l. definit: תחום שבת הוא מהלך אלפים אמה *terminus Sabbathi eſt iter bis mille cubitorum:* quod tamen ita moderantur Talmudici, ut urbis ſpacium non computetur, ſed iter extra urbem intelligatur. Totam enim urbem licere peragrare homini in Sabbatho, etiamſi fuerit ampliſſima, etiam ut Ninive; idque ſive muris cincta eſſet, ſive minus. Ita pariter fas eſſe, ex urbe egredi, per bis mille cubitos in quamlibet plagam; ſaltem non ultra. In varie autem dimetienda urbe, pro diverſo ejus ſitu, & computando itinere Sabbathi, tricas Judæorum enodavit, & iconibus illuſtratas oculis ſubjecit, laudatus ſupra SELDENUS. De diſtantia porro montis oliveti ab urbe Hieroſolymorum, præter WASERUM, cum cura egit LUDOV. DE DIEU *ad Act. I,* 12. ubi hunc locum quoque

cum Johan. XI, 18. erudite componit. Confer præterea, DRUSIUM *lib. II. Obſervat. cap.* 9. & *lib. III. cap.* 12. LIGHTFOOTUM *Comment. in Act. Tom. II. Opp. p.* 753 *ſq.* coll. cum *Hor. Hebr. in Act. I,* 12. *p.* 688. ERASM. SCHMIDIUM *Not. ad Act. I,* 12. & CARTWRIGHT. *Not. ad Exod. XVI,* 29.

Ad §. XII. pag. 61.

(15) *Sabbathulum, ita vocarunt additamentum*] Dicitur Rabbinis שבות / & in eo conſiſtit, ut de diebus profanis, ſexto nempe & primo, ipſi Sabbatho aliquid adjiciatur, ne Sabbathum lege Divina ſtatutum, violetur. Hoc ordinarie & ratione ſitus, Tiberienſibus & Zephorenſibus Judæis obtigit, illis in valle, his in monte ſitis. Inde dictum Rabbi JOSE: יהי חלקי עם מכניסי שבת בטבריא ובמוצאי שבת בצפורי *ſit pars mea cum ingredientibus Sabbathum in Tiberiade, & cum egredientibus a Sabbatho in Zephore.* In libro *Muſar f.* 88. *col.* 2. ratio dicti additur: *Tiberias ſita erat in valle, ita ut non conſpiceretur ipſis amplius ſol, quaſi dimidia hora ante occaſum ejus, idcirco lucente adhuc ſole Sabbathum inchoabant, & adjiciebant ad ſanctum* (nempe partem diei communis). *Zephore urbs ſita erat in vertice montis, ut ſolem adhuc conſpicerent lucentem, dum aliis occideret, ideoque longius protrahebant Sabbathum, quam alii, & adjiciebant de profano ad ſanctum* (i. e. partem diei ſequentis ad Sabbathum). Idem tamen, vi traditionis majorum, incumbebat omnibus, ut aliquid quietis de profanis diebus, & in auſpicio, & in egreſſu, Sabbatho adjicerent. Id autem in gratiam fieri defunctorum impiorum, quorum animæ ex inferis ad Sabbathi quietem quoque veniunt, BUXTORFIUS docuit *Synag. Jud. cap. XV. p.* 305. & *cap. XVI. p.* 336. quem vide. Ab illa autem Sabbathi prolongatione diſtingue מוסף לשבת *additamentum Sabbathi,* quod certis ritibus & precibus abſolvitur, ordinario & ſtato cultui Sabbathi matutino ſuperadditis, de quibus legatur HULSIUS *Theolog. Jud. lib. I. P. II. p.* 314.

Ad §. XIII. pag. 62.

(16) *Nullis cibis parandis eodem die*] Interdictum de non coquendo cibo, ad tempus Mannæ tantum pertinuiſſe, & perperam a Judæis ad omnia æva fuiſſe extenſum, Auctoris ſententia eſt, a REIZIO æque ac HOTTINGERO *in Not. ad h. l.* atro carbone notata. Etſi enim ad hoc interdictum Exod. XVI, 23. Mannæ ſolum ſit mentio, quia alium Iſraelitæ, in deſerto vagantes, cibum non habebant, partim tamen nullum poſthæc in Sacris literis veſtigium deprehendo legis illius poſt ingreſſum in Canaan ſublatæ, partim generalis eſt legis ratio, quia coquere cibum labor eſt, qui turbat quietem Jehovæ, unde h. l. additur: *quies, quies ſancta erit Jehovæ die craſtina, quod cocturi eſtis, coquite* &c. Sive ergo Manna coquatur & ad cibum paretur, ſive carnes aut eſculenta alia, eadem inde emergit turbatio quietis ſacræ. Accedit, interdictum de non accendendo igne in die Sabbathi, etiam in terra Canaan viguiſſe, nec eapropter coqui potuiſſe cibos.

Ibidem.

(17) *Die Sabbathi jejunare*] Hunc Gentilium errorem recte reprehendit Auctor, ejusque geminum oſtendit fontem, quorum prior ad rem propius accedit, quam poſterior. Dicti enim ex Nov. Teſt. vix tanta conſtitit Ethnicis notitia, inde ut enata videri queat opinio, die Sabbathi Judæos jejunare. Nihil autem minus in uſu eſt Judæis, quam jejunium Sabbathicum, cum hoc die vel maxime genio indulgere & comeſſari ſoleant, immo partem feriationis Sabbathi haud poſtremam in eo ponant, quod laute vivant. Idque ne absque Scripturæ auctoritate facere videantur, provocant ad Jeſ. LVIII, 13. *Sabbathum vocabis* ענג *delicias, Sabbathum deliciarum,* nempe, ut deliciis omne genus repleamur. Quæ verba licet commode interpretetur ABEN ESRA, קראת שבת ענג שלא תעשה בו מלאכה ושתה ענג הנפש בשמוע דברי תורה *vocabis Sabbathum delicias, ne in eo opus facias.*

facias, sed anima potius delicietur audiendo verba legis: in alia tamen omnia detorquet R. DAV. KIMCHI: מצות עשה לענג הגוף ביום השבת במאכלים ערבים טובים: *Præceptum affirmativum* hoc est, *ut corpus die Sabbathi delicias agat, optimis cibis vescendo.* Sic quando Deut. XVI, 14. dicitur: *lætaberis in festivitate tua, tu & filius tuus, & filia tua, & servus tuus, & ancilla tua* &c. id de edendo & bibendo exponunt, ita tamen, ut omnia in Dei fiant honorem. Licet ergo hoc die laute vivere, sed eo saltem animo, ut meritum Sabbatho honorem deferas; non vero ultra facultates, quia hinc futurum sit, ut Sabbatho tecum reputes, longe tenuiores fore diei sequentis epulas, ac proinde mœrore afficiaris, nec in Sabbatho læteris; ut habet BUXTORF. *Synag. c. l. p.* 312. Hinc MAIMONIDES in Hilc. *Schabbath cap. ult.* statim *ab init.* quatuor die Sabbathi observanda inculcat: זכור *memento,* Exod. XX, 8. שמור *custodi,* Deut. V, 12. כבוד *honorem* Sabbathi, & עונג *voluptatem:* tandem §. 12. observat: אסור להתענות ולזעוק ולהתחנן ולבוקש רחמים בשבת *prohibitum est, Sabbatho se affligere* (jejunio) *clamare, precari, implorare Dei misericordiam: etiam in maximis angustiis, propter quas alias totus cœtus jejunat & clangit, nemo jejunat & clangit in Sabbatho, nec in diebus festis.* Exceptionem tamen addit: *præterquam urbis causa, quam gentes obsederunt, vel ob inundationem fluvii, vel navis causa, quæ naufragium patitur, propter quæ clangunt in Sabbatho, ut auxilium illis feratur, & precantur, & implorant misericordiam Dei super ea.* Alium præterea casum observat BUXTORF. *c. l. p.* 332. in quo die quoque Sabbathi, ad vesperam usque, cibo abstinere & jejunare licet, si nimirum quis triste somnium viderit, utpote librum legis ardentem, domus, trabes, & coassationes collapsas, dentes excussos, & id genus alia somnia, infortunium portendentia; quia tale somnium mœstitiam causatur homini, quam minuit jejunium, dum cogitat, omne malum, quod somnium ipsi portendit, merito jejunii sublatum iri. Unde Rabbini dicunt: יפה תענית לחלום כאש לנעורת אפילו בשבת *pulchrum est jejunium post somnium malum, ut ignis stipulæ, etiam in Sabbatho.* Verum ad delicias Sabbathicas ut redeamus, MAIMONID. *c. l.* §. 7. eas ita exponit: אי זהו עונג זה שאמרו חכמים שצריך תבשיל שמן ביותר ומשקה מבושם לשבת הכל לפי ממונו של אדם *Quænam sunt deliciæ? hæ, cum dicunt Sapientes, necessarium esse præparare esculenta quam maxime opipara, atque potulenta aromatibus condita propter Sabbathum, omne hoc pro cujusque facultate. Et omnis,* pergit, *qui multus est in expensis Sabbathicis, inque apparatu multorum atque lautorum ciborum, ecce hic laudandus est.* Hinc tria convivia per Sabbathum quilibet celebrare tenetur, etiamsi pauper sit, nocturnum nempe, nocte Sabbathi, post solis occasum; matutinum, die Sabbathi post horam XII, Judæis sextam; & vespertinum, post horam tertiam pomeridianam, Judæis nonam; §. 9. Quæ ne gratis instituta censeantur, præmium addunt Magistri: כל המקיים שלש סעורות בשבת ניצול משלש פורעניות *quicunque servat tria convivia Sabbathi, liberabitur a tribus pœnis,* nimirum a doloribus Messiæ, a judicio Gehennæ, & a bello Gog & Magog. Abstinendum insuper inculcant a multo cibo ac potu בערב השבת *in vespera Sabbathi,* die Veneris, ab hora tertia secundum MAIMONIDEM, juxta alios vero per totam diem, *ut majori aviditate cibum capiant Sabbatho.* Quin immo juxta §. 14 *sqq.* תשמיש המטה מעונג שבת הוא *concubitus maritalis pars est deliciarum Sabbathicarum:* adeo quidem, ut תלמידי חכמים הבריאים משמשין מלילי שבת ללילי שבת *eruditi sani ἔυνοιαν γαμικὴν præstent a diebus Sabbathi ad dies Sabbathi,* seu quovis Sabbatho. SELDENUS itaque, quando in hanc Gentilium criminationem incidit, *de Jure N. & G. lib. III. cap. XV. p.* 369 *sq.* hanc ejus rationem reddit, quod Romani omnes Judæorum festivitates, adeoque jejunia quoque solennia, acceperint pro Sabbathis, quia hoc nomen tritissimum erat, ex qua Neomeniarum, Jejuniorum, & Sabbathorum confusione evenisse censet, ut Judæos crederent, diebus Sabbathi jejunare. Ceterum *de luxu*

Sabba-

Sabbatario, ad illustranda quædam loca Scripturæ, Mischnæ, & Patrum ecclesiæ, erudite disserit Vir apprime doctus, & Collega mihi conjunctissimus, HENRICUS SCHARBAV *Observat. Sacr. P. III. num. VII. p.* 541 *sqq.* Adde, quæ de illo congessit SPENCERUS *de Legibus Hebr. Lib. I. cap. IV. Sect. X. n.* 3. *p.* 75. & EDZARD. *ad Berachoth cap. I. n.* 32. *p.* 192 *sq.*

Ad §. XIV. pag. 62.

(18) *Solum ignem pro operibus Tabernaculi*] Hic iterum vapulat utrique Glossatori suo Auctor, & jure merito, cum illa legis προσθήκη: *in omnibus habitationibus tuis*, diserte ad privatas Israelitarum ædes, non ad Sanctuarium spectet. Recte itaque Judæi, cum ad omnem ignem privatum, tum ad ignem punitivum sceleratorum, referunt, ut quantumvis comburii sententiam quis tulerit a judicibus, Sabbatho tamen cremandus non sit, ut est apud MAIMONIDEM *c. l. cap. XXIV.* §. 7. Bene FRANCISC. IVNIVS verba legis παραφράζει· *eo die cultui meo tantum incumbite, ac ne cibos quidem vobis necessarios parate:* vide *cap. XVI*, 24. Accedit, quod nullum opus in Sanctuario, ex Rabbinorum scito, Sabbathum violet: hoc enim die Sacerdotes ligna imposuerunt altari, sacrificia mactarunt, excoriarunt & obtulerunt, aliaque peregerunt opera satis molesta & laboriosa, citra violationem Sabbathi, ut paulo post §. XVII. ipse largitur Auctor, quia hæc omnia ad cultum, & ad ipsum Sabbathi faciunt honorem: quidni eadem fini ignem accenderent in Tabernaculo? In privatis vero ædibus, tempore frigoris, si vel propter infantes, vel senes, igne vel hypocausto calefacto opus habent, Christianum aliquem ad id conducunt, vel pridie ita præparant & disponunt, ut sponte accendatur, ne violent hoc præceptum.

Ad §. XV. pag. 62.

(19) *Pulicem elidere, vel venari*] De his, & aliis hujus furfuris superstitionibus, supra *Annot.* (13.) jam egimus. Fusius illa prosequitur R. MOSES MIKOTZI *in lib. Præceptorum magno, præcepto negativo LXV.* unde addimus sequ. *Non ambulandum super herbam, ne pedibus eam evellas, nec conscendenda arbor, aut aliquid suspendendum in eam, ne ramum aliquem frangas. Poma Sabbatho decerpta comedi non debent, præsertim si circa caudam pomi aut piri aliquid arboris remanserit. Non ascendendum in equum, aut aliud jumentum, ne arrodatur.* - - *Sinapi die Sabbathi non commiscendum aqua aut vino, nec ponendum pomum ad ignem, ut illud asses. Non lavandum corpus Sabbatho, præsertim aqua calida, sicut & sudor prohibetur abstergi, sed vespere manus, pedes & facies lavari possunt: Sabbatho autem nec manus lavari debent. Et quicquid publice fieri prohibetur, id nec in conclavi licitum est.* - - *Reptilia, quæ mordent & interficiunt, ut sunt muscæ, crabrones, scorpiones, serpentes, canes furiosi, Sabbatho occidi possunt, præsertim si ferantur in hominem: secus, si quieti sedeant, aut fugiant hominem. Prohibitum est legere apud lucernam, nisi duo simul legant.* - - - *Si incendium Sabbatho incidat in atrium, nihil eripiendum est præter cibum, qui eo die necessarius est, & præter vasa atque vestes, quibus Sabbatho opus habuerint. Potest & theca auferri, in qua sacer liber est, nec curandum, si etiam in eadem theca pecunia fuerit, & illam simul asportaveris. Sabbatho navi abire non permittitur, cum natatoris speciem præ se ferat. Si autem triduo ante Sabbathum illam ingressus fueris, non opus est, ut Sabbatho egrediaris. Curru quoque Sabbatho vehi prohiberis, non obstante, quod gentilis agat jumentum.* - - *Prohibitum est, auferre sellam ab equo vel asino, sed solvere poteris cinctorium, & si tunc abjecerit sellam, tua non interest.* - - *Si gentilis propter Israelitam fecit ignem, aut accendit lampadem, non poterit Israelita uti lumine illo & igne illo, & habere commodum ex eo, per quod Sabbathum est violatum. Secus, si gentilis propter se illa fecisset. Et si gallina edat in die solenni ovum, non licet comedere illud eo die.* - - *Prohibitus est lusus omnis instrumentorum, quin & non licet*

percutere

percutere tabulam, aut ludere cum nuce, aut tinnire cum nola, vel puerum a fletu compescas. Lectus Sabbatho non est sternendus &c. Confer etiam, quæ SCHICKARDVS *de Jure Regio cap. V. Theor. XVIII.* & ad hunc locum CARPZOVIVS notavit *p.* 385 *sq.*

Ad §. XVI. pag. 62.

(20) *Die Sabbathi vim vi repellere*] Castra sequi, & cum sedes suas armis tueri, tum alienas terras invadere & occupare, integrum fuisse Judæis, ex Vet. Test. historia affatim liquet. Eos porro apud Gentiles quoque stipendia mereri, nisi adversus cives bellum geratur, licite potuisse, H. GROTIVS compluribus exemplis probatum dedit *Annot. ad Luc. III*, 14. Sic de stipendiis militum Hebræorum, prolixe commentatum lege MENOCHIVM *lib. VI. de Republ. Hebr. cap. XIV toto, fol.* 591 *sqq.* Sed quia prius Sabbathi religione prohibebantur arma tractare, hinc factum, ut hoc die victi, bis præda hostium evaderent, ut ex IOSEPHO Auctor noster exponit; cui adde 1 Maccab. II, 34 sqq. Hinc rebus suis cautius consulere edocti, bellum gerere Sabbatho, si necessitas postulet, nulli dubitarunt. Mattathias certe suis persuasit, & mansit inde apud illos, *καὶ σαββάτοις, εἴποτε δεήσειε, μάχεσθαι, etiam Sabbathis, ubi necessitas postularet, bellare*, ut est apud IOSEPHVM *Antiquit. lib. XII. cap. VI.* §. 2. edit. Haverkamp. Ita quoque Jonathas, Bacchidi die Sabbathi se adorienti, *ὡς οὐ μαχόμενον ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, διὰ τὸν νόμον, tanquam eo die non pugnaturum, propter legis reverentiam*, armis gravem intulit cladem *lib. XIII. cap. I.* §. 3. Vnde MAIMONIDES Hilc. *Melachim cap. VI.* §. 12. definit: *Obsident urbes gentium etiam Sabbatho, & præliantur cum illis Sabbatho, quia dicitur* (Devter. XX, ult.) donec illa descendat; *ubi perinde est, sive bellum sit legale, sive ultroneum:* quæ verba cum cura excutit, & cum contraria videantur iis, quæ idem MAIMONIDES in Hilc. *Schabbath* protulerat, mutuo componit CARPZOV. *ad Schickard. Jus Reg. cap. V. Theor. XVIII. p.* 387 *sq.* Huc nimirum res omnis redit: 1) quamvis pro se, & pro tutela vitæ, si ab hostibus impetantur, pugnare concesserint, ipsi tamen hostem adoriri, vel etiam munimenta, quæ illo die is strueret, deturbare aut demoliri nefas habebant: 2) in obsidionibus, ubi bellum esset ultroneum, tribus minimum diebus ante Sabbathum, obsidionem incipiebant, & si intra triduum non occupetur illa, etiamsi Sabbathum incidat, illam continuabant, quia Deut. XX, 20. dicitur: usque ad occupationem ejus, continuo urgendam esse: in legali autem & demandato bello nullum dubium fuit, quin Sabbatho geri possit, exemplo Jerichuntis, ut *Seder Olam Rabba cap. XI. fol.* 11. *col.* 2. testatur: ר׳ יוסי אומר יום השבת היתה מלחמתה של יריחו ושל עי ושל גבעון R. IOSE *ait, die Sabbathi fuisse prælium Jericho, & Aj, & Gibeonis.* Ad quem locum vide, quæ annotavit IOH. MEYER *p.* 369. De Judæorum militia Sabbathi, quoque confer HOORNBEECK *de convin. Jud. lib. VII. cap. V. p.* 508.

Ad §. XVII. pag. cit.

(21) *Christus sanavit die Sabbathi*] Et sic adhuc docent Judæi in *Jalkut Rubeni fol.* 123. *col.* 2. *Conservatio vitæ Sabbathum pellit, idque ex hac ratione. Nam vita nostra est instar maris, & lex instar fœminæ. Jam vero notum est, quod fœmina mari subdita sit, adeoque lex obligata est, ut faciat, quod vitæ Israelitarum conservandæ conveniens est. Et sic quoque dicitur* (Ezech. XX, 11.) quæ faciet homo, & vivet per illa. In *Tanchuma fol.* 27. *col.* 4. R. ELIESER *concludit a minori ad majus: si enim circumcisio, quæ ad unum tantum hominis membrum spectat, Sabbathum pellit, quanto magis periculum vitæ, quod ad totum hominem spectat, pellere potest Sabbathum:* ומרפאין אותו בשבת *adeoque hominem Sabbatho sanare licet.* Plura in hanc sententiam congessit CHRIST. SCHOETTGEN. *Hor. Hebr. ad Matth. XII*, 10. & confer quæ huc attulit BVXTORF. *Synag. cap. XVI. p.* 365. nec non EDZARD. *ad Avoda Sara cap. II. p.* 51 *sq.* 368.

Ad §. XVII. pag. 63.

(22) *Opera absolutæ necessitatis*] De defensione sui, & propulsatione intentatæ necis, ita definiunt Magistri in *Tanchuma fol. 76. col.* I. *Quem milites vel latrones persequuntur,* מחלל את השבת *is profanare potest Sabbathum, ut eripiat animam suam.* De imminente autem pecudi mortis periculo, idem statuisse veteres Judæos, Christus testis est Matth. XII, 11. nec erat, qui mendacii aut falsi eum argueret, donec R. LIPMANN *in Nizzachon* criminaretur, *quod juri ipsorum contraria & consuetudini ipsorum repugnantia ipsis affinxerit.* Posthæc certe secus statuerunt in Talmude, unde MOSES MIKOTZI *loco supra cit.* diserte affirmat: *Si pecus in foveam ceciderit, manibus educi non debet, sed pasce illud ibi, donec transierit Sabbathum.* Sed BUXTORFIUS *cit. loc. p.* 353. probe monet, posterioris ætatis Judæos, ad invidiam Christo conciliandam ita statuisse, cui etiam sententiæ GUSSETIUS inhæret *ad Chissuk Emunah cap. XLV. p.* 331. *b.* quos vide.

AD

LIB. III. CAPUT IV.

DE PASCHATE ET FESTO AZYMORUM.

Ad §. I. pag. cit.

Vox ea, origine Hebraica est] Circa etymologiam vocis α) errarunt Patrum nonnulli, qui ex Græca arcessunt origine, ac si descenderet a verbo πάσχειν, in quibus est CHRYSOSTOMUS *Homil. V. in Epist. I. ad Timoth.* Πάσχα λέγεται, ὅτι τότε ἔπαθεν ὁ Χριστὸς ὑπὲρ ἡμῶν, *Pascha dicitur, quia Christus illo tempore pro nobis passus est:* ex Latinis TERTULLIANUS *lib. adv. Judæos, cap. X. sub fin.* Adjecit, inquiens, *Pascha esse Domini, id est, passionem Christi.* Hanc autem derivationem merito reprehendit AUGUSTINUS *Epist. CXIX.* β) Recte opinati sunt, qui ab Hebræo פסח Græcum πάσχα derivarunt. Sed nec hi eodem omnes tramite incedunt. Rabbanistæ enim vocem פסח in *transeundi, transiliendi,* notione accipientes, *transitionem* interpretantur, quod Angelus vastator transierit domos Israelitarum, eas relinquens intactas. Quod respondet verbis Exod. XII, 13, 17. Karræi autem in *condonandi* significatu acquiescunt, cum saliendi notio in פסח non cadat, bene autem miserendi, quod ex Jes. XXXI, 5. probant, ubi פסוח והמליט *condonando & eripiendo.* Sic R. AARON BEN ELIAHU in ס' מצוות MSCto, Tract. *de Paschate,* apud IOH. GOTHOFR. SCHUPARTH *de Secta Karræor. cap. IV. §. XIII. p.* 133 *sq. Sunt, qui dicant, de significatione τοῦ* פסח *eam ob causam, quod fuerint Aegyptiorum domus Israelitarum ædificiis permixtæ, saltum fecisse devastatorem a domibus Israelitarum ad domus Aegyptiorum. Verum hoc minus probabile est, quod res hæc vocetur saltus: saltus enim non cadit in vocem* פסח, *sed significatum habet condonandi atque miserendi, eundem quem* (Jes. XXXI, 5.) condonando atque eripiendo: *quia condonavit primogenitis Israelitarum, conspecto sanguine super superliminare, & super duos postes, neque permisit ingredi devastatorem in domos ipsorum, ut percuteret.* Quin & Rabbanistæ non omnino omnes absunt ab hac significatione, teste R. ABENDANA *in Supplem. Comment.* R. SAL. BEN MELECH *ad Exod. XII. f.* 18. *col.* 2. Istudque פסוח ABARBENEL *ad cit. Jes. loc.* exponit: שירחם עליהם וימלט *misericordia sua atque auxilio illis aderit.* Sed prævalet trita, & propria verbi notio, ex qua Deus ipse hoc vocabulum explicat, allegante Auctore

Auctore nostro. Curate ita definit SEBAST. SCHMIDIUS *de Pasch. P. III. cap. I. pag.* 275. *Pesach* in Festi significatione non transitum ipsum notare; a transitu tamen nomen sortitum esse, & quidem primario a Sacrificio Præterirefico, quo Dominus motus, peccata comedentium agnum paschalem præteriit, cui appendicis loco accesserit in Aegypto, ea nocte, qua Deus domos Israelitarum, sanguine Paschatis signatas, sine cæde præterivit.

Ad §. II. pag. 63.

(2) *Sumitur in Sacris Literis*] Vel enim *proprie* accipitur, & Sacrificium notat Præterireficum Exod. XII, 27. quo phrases spectant: facere Pascha Domino, mactare Pascha, ut Num. IX, 2, 3. facient filii Israel Pæsach in tempore suo: *decimo quarto die mensis hujus inter duas vesperas facietis illud suo tempore; juxta omnes ritus suos, & juxta omnes cerimonias suas facietis illud.* Vnde liquet, ipsum Sacrificium, in Aegypto oblatum, quod effecit, ut præteriret Angelus percussor, primam & propriam esse vocis significationem. Vel *improprie*, ubi 1) Festum designat, quod Azymorum dicebatur, septemque diebus integris durabat, ut Exod. XXXIV, 25. & Luc. XXII, 2. appropinquabat autem Festum Azymorum, ἡ λεγομένη πάσχα· Joh. II, 13. VI, 4. quæ metonymica vocis usurpatio est, ab adjuncto, & sub initium festi celebrato Sacramento: 2) Agnum paschalem, per metonymiam materiæ, quia sive agnus, sive hædus, sacrificio Paschali destinata materia est, ideo ipsius Sacrificii nomine venit: 3) Sacrificia festalia pacifica, quæ primo Paschatis die, ad lætandum in Domino, offerebantur, ut Devter. XVI, 2.

Patribus Christianæ Ecclesiæ, Pascha pro festivitate sumtum, aliud Judæorum est, aliud Christianorum. Illud Διαβατήριος Ἑορτή vocabatur, ut GREGOR. NAZIANZ. *Epist. LIV.* τὴν ἁγίαν τοῦ πάσχα ἡμέραν τῶν ἐκεῖθεν ἀγαθῶν, οἶδα μυσταγωγίαν, ἑορτὴν οὖσαν διαβατήριον, *Sanctum Paschæ diem futurorum bonorum symbolum esse scio, ut qui transitus festum sit.* Hoc Πασχαλία Ἑορτή, ut in notatione temporis frequenter legitur, τῇ πασχαλίᾳ ἑορτῇ, *Festo Paschatis.* Duplex autem Christianis Pascha est, unum σταυρώσιμον, quo Christus in crucem est actus, alterum ἀναστάσιμον, quo resurrexit ex mortuis; de quo utroque copiose commentatur post LEONEM ALLATIUM *de Dominicis & hebdomadibus Græcorum*, CASP. SVICERUS *Sacrar. Observation. Cap. III. p.* 61 *sqq.*

Septem autem Paschata præcipua, a Mose ad Christum, memorat Scriptura: 1) in Aegypto, ad primam ejus institutionem Exod. XII, 21 sq. 2) in deserto Sinai Num. IX, 2. 3) quod Josua instituit in Canaan Jos. V, 10. 4) tempore Regis Hiskiæ, in publica Ecclesiæ reformatione 2 Chron. XXX, 1. 5) sub Josia 2 Chron. XXXV, 1. 6) a reducibus ex captivitate Babylonica, celebratum in novæ urbis templi restauratione Esdr. VI, 19. 7) quod Christus ea nocte edit, qua fuit proditus Luc. XXII, 8 sqq.

Ad §. III. pag. cit.

(3) *Circa vesperam decimi quarti diei mensis primi*] Tempus celebrati Paschatis geminum est: *Ordinarium*, dies XIV mensis Nisan, qui & Abib dicitur, atque principium anni Ecclesiastici constituit, ut ex Exod. XII, 6. patet: vel *Extraordinarium*, quod non nisi in certo casu, suum habet locum, definitum a Deo Num. IX, 11. ubi ii, qui immundi, vel in via longinqua extra Palæstinam abessent, jubentur mense secundo, die decimo quarto & sequentibus Pascha, cum Azymorum Festo, post celebrare, secundum omnes leges ac cerimonias, ac si mense primo id agerent cum tota multitudine. Vnde simul concluditur, quod ultra mensem secundum differri Pascha non potuerit, ob quascunque demum caussas. Erat enim mensis secundus indulgentiæ datus, quam ultra, quam fas est, protendere non licet. In his itaque duobus temporum momentis, si Pascha celebrari non potuit, homo excusatus videtur in annum inte-

 grum.

grum. Quando itaque Hiskias 2 Chron. XXX, 2, 15. mensis secundi eodem die, hanc solennitatem egit, frustra est ABARBENEL, *Diss. de principio anni* caussatus, annum fuisse interkalarem, ubi Rex, loco gemini mensis Adar, duplicem statuerit mensem Nisan, alteroque mense Nisan Pascha celebraverit, ut hoc pacto nihilominus illud in statum incideret tempus. At enim vero mensis secundus solum in Textu memoratur, absque ulla nominis facta mentione; duplicem autem Nisan altum silent cum Divina, tum Rabbinorum monimenta. Fuit ergo indultus a Deo Festi terminus in casu extraordinario, quem Scriptura diserte versu 3. allegat.

Ad §. III. pag. 63.

(4) *Secundum ipsorum Sacramentum*] Sacramentumne, an Sacrificium Pascha fuerit? magna animorum contentione, inter Nostrates ac Pontificios doctores fuit disceptatum. Sane in Scriptura זבח *Sacrificium* diserte appellatur Exod. XII, 27. XXXIV, 25. Istud tamen quia ab omnibus reliquis sacrificiis multum abit, & Sacramentum Veteris Fœderis alterum (prout stylo Ecclesiastico, media illa gratiæ oblativa & exhibitiva appellari consueverunt) constituit, hinc doctores nostri *Sacrificium Sacramentale*, vel *Sacramentum Sacrificiale*, genus in Paschatis definitione constituunt, quo & a ceteris Vet. Test. sacrificiis distinguatur, & in ordinem simul, classemque Sacramentorum collocetur, denique & e censu Sacramentorum Nov. Test. eximatur, cum in Nov. Test. aliud nullum, præter id, quod Christi morte semel peractum fuit, Sacrificium locum habeat, teste Epist. ad Hebr. VII, 27. IX, 28. Quia vero Pontificii assertionem istam in rem suam vertere, & pro sacrificio Missæ illam allegare, irrito licet conatu aggressi sunt, hinc nostratium alii sacrificium dicere Pascha simpliciter recusarunt. AVG. VARENIVS disp. *de agno paschali, concl.* 24 *sqq.* ad calcem Comment. in Exod. *p.* 446 *sq.* agnum paschalem זבח fuisse, sub notione mactationis solennis, admittit: non tamen fuisse זבח contendit, sub notione speciali sacrificii, proprie dicti; unde ad nullam sacrificiorum classem, quas ordine recenset, posse referri. Pariter b. DORSCHEVS in disp. *de agno paschali*, quæ *Mysariæ Missæ* ejusdem legitur subjuncta, §. 50. *p.* 406. aliquam agni paschalis celebrandi actionem sacrificialem fuisse, contra Pontificios operose negat, quia 1) agnus ille sacramentalis, non a Sacerdotibus, ut ad unum omnia sacrificia proprie dicta, sed a patribus familias mactabatur: 2) ejusdem oblatio nullum requisivit altare: 3) circa illum consecrandum nullus adhibitus est ritus sacrificialis: 4) nullum sacrificium verum, legitimum, Deoque placens, in Aegypto fieri potuit, per Exod. VIII, 26: 5) sacrificiis, ex animalibus Deo factis, adeoque agnis etiam matutinis & vespertinis, imponebantur peccata populi, & hoc ritu expiabantur; quod ab agno paschali aberat: 6) sacrificiis ignis profanus non competebat, sed sacer ac cœlitus delapsus; agnus paschalis autem culinari igne assabatur. Satisfacit etiam objectionibus illis, quæ a denominatione Paschatis petuntur, quando קרבן, nec non *θυσία*, זבח *προσφορά* salutatur. קרבן enim in commune *δῶρον*, sive id notare observat, quicquid vel Deo, vel hominibus donatur, & locis quamplurimis ad res non sacrificatas accommodari: זבח autem quamcunque *σφαγὴν*, *mactationem* designare, unde verbum זבח etiam Pythonissæ tribuitur 1 Sam. XXVIII, 24, quando Sauli convivium ex vitulo paravit. Interim admittit, agnum paschalem aliquas similitudinis conditiones cum sacrificiis communes habere, licet proprie dictum sacrificium non sit. Vt taceam, rationes DORSCHEI fere omnes, ex Paschate depromptas Aegyptiaco, in Pascha sæculorum non quadrare: novem enim discrepantiæ momenta פסח מצרים מפסח דורות *Pascha Aegyptiacum a Paschate sæculorum*, in terra Canaan celebrato, distinguere, Magistri alias observarunt; de quibus suo loco. Hinc negativam sententiam ita mitigat SEB. SCHMIDIVS *de Pasch. P. III. cap. II. p.* 283. ut inter Sacrificium *proprie* dictum, & inter

ter Sacrificium *stricte* dictum, curate distinguat. Prius Paschati largitur & affirmat, idque definit mactationem sacram, & religionis causa susceptam, sub certis quibusdam ritibus, divinitus præscriptis: Posterius negat, istudque tradit illas sacrificiorum species complecti, quas sacrificia, de quibus carnis aliquid atque adipis super altare ponebatur, & offerebatur Domino, pro impetratione bonorum spiritualium, aut ecclesiasticorum simul, constituebant. Hujusmodi sacrificium Pascha non fuisse, ejus affatim docet institutio. Nihil enim de carne, nihil de adipe, (in Paschate Aegyptiaco) nihil de visceribus, altari imponebatur, aut Domino offerebatur; tota vero pecus paschalis, tanta quanta fuit, cum capite, pedibus, cauda, visceribus assabatur & comedebatur. *Proprie* tamen dictum Sacrificium fuisse, probat α) ex nomine זבח, quod in Scriptura nuspiam, nisi de sacrificio proprie dicto, mactationis sacræ & religionis causa susceptæ, usurpatur. Velut ergo proprie dicitur זבח התורה *sacrificium eucharisticum* seu confessionis Lev. VII, 12. זבח שלמים *sacrificium pacificorum* Levit. III, 1. ita pariter זבח פסח *sacrificium præteritionis* Exod. XII, 27. β) Ex actibus sacrificialibus, qui sunt mactatio sub devota aliqua formula atque intentione, usus sanguinis, seu illinendo postes, seu effundendo ad fundum altaris: γ) Ex ratione typi. Negari enim nequit, quod Sacrificium Paschale typus fuerit verissimi ac vel maxime proprii sacrificii Christi, quod pro nostra obtulit salute. Inde Joh. XIX, 36. non erat frangendum sacrificio redemtorio os ullum, quia in sacrificio paschali typico, ne os ullum frangeretur, cautum erat. Huc refer quoque 1 Cor. V, 7. Nescio, an multo sit accuratior distinctio MARPERGERI *de agno ad aræ corn. lig. Cap. IV. §. IV. not. p.* 474 *sq.* ubi eandem tractat quæstionem, sed inter sacrificium *verum* dispescens, & *merum*, prius affirmat, posterius negat. Neque tamen quicquam inde lucratur BELLARMINVS, pro Missæ sacrificio sic argumentatus: Celebratio agni paschalis figura expressa erat celebrationis Eucharistiæ: Sed illa immolatio quædam erat victimæ Deo oblatæ: Ergo celebratio Eucharistiæ immolatio esse debet victimæ Deo oblatæ, ut sic figura respondeat figurato. Sed distinguendum hic est inter actum sacrificii, ejusdemque materiam. Sacrificii actus etiam in celebratione Paschatis non constitit in oblatione Deo facta; totus enim agnus cedebat in cibum Israelitarum, unde hoc a sacrificiis stricte dictis longo discriminatur intervallo. Vti autem materia illius erat pecus sacrificialiter mactata, cujus sanguis spargebatur in remissionem peccatorum, ita materia Cœnæ est τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, καὶ τὸ αἷμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον Luc. XXII. Datur ergo convenientia figuræ cum figurato, sed quæ non ex indole sacrificiorum stricte dictorum, sed ex natura sacrificii paschalis tantum promanat, quæ sola hic requiritur. Ex Reformatis, sacrificium fuisse negat REIZIVS *Not. ad h. l. Auctor.* utrumque fuisse affirmat HOTTINGER. *Not. ad h. l.* Media nobis videtur via, si dicatur, non fuisse Sacrificium ordinarium, ex ordine scilicet sacrificiorum reliquorum, pro peccatis oblatorum, sed Sacramentum, attamen pro indole ac natura Veteris Testamenti, sacrificialibus ac umbraticis cerimoniis ornatum, & indutum. Ipsi sane Judæi Agnum hunc inter Sacrificia minoris sanctitatis referunt, & in eadem cum oblatione animalis decimati, & animalis primogeniti classe collocant, juxta MAIMONID. *de oblation. cap. I.* §. 17.

Ad §. IV. pag. 64.

(5) *Quibusvis in locis habitationum suarum*] Hinc agnum paschalem inde ab Vrbis & Templi desolatione, mactare amplius non audent, quia Deut. XVI, 2. diserte præcipitur: *Non poteris immolare Pascha in qualibet urbium tuarum, sed in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, ut habitet nomen ejus, ibi immolabis Pascha, vespere ad solis occasum.* Vnde nec isti Judæi, qui terram Canaan, & Hierosolymas incolunt, hodie ibi agnum paschalem comedunt, quia de-

 structum

ſtructum eſt Sanctuarium & Altare, ut nullam plane amplius victimam offerant. Contra vero azyma ubivis terrarum comedunt, nec illa paſchali alligata eſſe credunt agno. Vnde denuo patet, agnum illum, præter Sacramenti indolem, rationem quoque obtinere ſacrificialem. Sacrificia enim a Templo pendent Hieroſolymitano, nec offerri hodie poſſunt, niſi in illo: contra vero Sacramenta mere ac pure talia extra Terram Sanctam adminiſtrantur, ut exemplo eſt Circumciſio. Quod ſi ergo Agnus paſchalis non eſſet, niſi Sacramentum, ut circumciſio, tum æque extra Terram Sanctam quam intra illam, locum haberet.

Ad §. V. & VI. pag. 64.

(6) *Ritus & ceremoniæ uſurpatæ*] Quatuor cyathorum, ceterorumque rituum ordinem & modum BVXTORF. expoſuit *Synag. Jud. cap. XVIII. p.* 408. SEB. SCHMID. *de Paſch. P. II. p.* 239 *ſqq.* ubi ex Schulchan Aruch *Sect.* 469 *ſqq.* præcepta Judæorum Latine reddidit, & ex recentioribus LVNDIVS, aliique ſuis locis, ut iis deſcribendis ſuperſedere poſſimus. Sunt enim iſta recentioris inſtituti, & Magiſtrorum placitis magis, quam Scripturæ auctoritate ſuffulta. Cumprimis BARTOLOCCIVS *Biblioth. Rabbin. P. II. p.* 736 *ſqq.* curatus & copioſus eſt in percenſendis primo vetuſtis, hinc quoque recentioribus Judæorum ritibus, in Cœna Paſchali uſurpatis.

Ad §. VIII. pag. cit.

(7) *Paſchalis pecus, vel agnus, vel hædus*] Equidem PAVLVS BVRGENSIS *in Exod. XII,* 5. agnum tantum admittit, hædum illicitum pronunciat, *partim* quod Chriſtus cum agno quidem comparetur, ſed nunquam cum hædo, quin, quod indignum ſit, eum cum hædo conferri, *partim* quod Exod. XII, 5. non utriusque pecudis licentiam faciat, ſed ſumendam eam dicat, agnum nimirum, מן *ex* agnis & hædis, h. e. ex promiſcuo utrorumque grege, agnum paſcentem cum agnis & hædis; ut de loco potius, quam de ſpecie intelligatur. In ſocietatem erroris abripuiſſe videtur ille magnum GERHARDVM noſtrum, quando in *LL. Theol. Loc. XXII.* §. 31. contra LYRANVM tuetur, *non hædi, ſed agni, & quidem ſolius, uſum in hoc Sacramento fuiſſe receptum.* Sed BVRGENSEM hoc nomine notavit SEB. SCHMID. *de Paſch. P. I. cap. I. p.* 48. & *P. III. cap. IV. p.* 315 *ſq.* nec tanti ſunt illius rationes, iis ut aſſurgamus. Inſtitutio quippe divina, primo commune ponit vocabulum שה *pecus parva*, quod mox ad duas diſtinctas reſtringitur ſpecies, ſive ſit agnus, ſive hædus: ubi phraſis ipſa BVRGENSI refragatur, quæ non habet: *de agnis & hædis*, in uno ſcilicet grege unitis aut permiſtis, ſed שה *pecus parva*, מן הכבשים *de agnis*, ומן העזים *& de hædis*, aut disjunctive potius, ſeu de agnis, ſeu de hædis, ut diſtincti adeo innuantur greges. Et praxis ipſa reclamat, quando 2 Chron. XXXV, 7. diſerte legitur: *Joſias largitus eſt filiis populi ſui pecudes gregales, agnos & filios caprarum, in uſum Paſchatum.* Nec typica obſtat ratio, cum Chriſtus a Paulo 1 Cor. V. nec agnus appelletur, nec hædus, ſed πάσχα ἡμῶν, pro nobis immolatum, ut tam agni, quam hædi typo locus detur. Hircus autem uterque, Expiationis die Lev. XVI. typum præbebat Chriſti, ut de aliis, ex hircis aut capris, ſacrificiis nihil dicam. Quidni ergo hædus anniculus, cum hirco non comparandus, Chriſtum potuerit adumbrare? ut contra SPENCERVM recte colligit IOH. MEYER. *de tempor. & feſtis Hebr. P. II. cap. XII.* §. 49. *p.* 284. Judæorum autem nugas, a SPENCERO in ſcenam revocatas, ideo præceptum fuiſſe Iſraelitis, ut oves & hædos tantum, in ſolennitate Paſchatis uſurparent, quod Aegyptii ab utrisque, ovibus autem præcipue, religioſe ſibi temperarent, quin immo menſe Niſan vel maxime lætarentur & ſacrificarent ſigno Arietis, idem ſolide diſcuſſit & profligavit MEYERVS *cit. loc.* §. *VIII ſqq. p.* 258.

Ad

Ad §. VIII. pag. 64.

(8) *Tota communitas vocabatur φρατρία*] Hebræis חבורת appellatur, *sodalitium*, quod numerum complectitur hominum, comedendo uni agno destinatum, quem IOSEPHVS *lib. VI. de bell. Jud. cap. IX.* §. 3. edit. Haverk. *pag.* 399. recte definit, ὀκ ἔλασσον ἀνδρῶν δέκα (μόνον γὰρ ὀκ ἔξεςι δαίνυσθαι) πολλοὶ δὲ καὶ σὺν εἴκοσιν ἀθροίζονται, *ex hominibus nunquam paucioribus decem (solum enim epulari non licet) sæpe etiam viginti conveniunt.* Ille vero numerus ante constituendus erat, quam agnus mactaretur, quia Exod. XII. dicitur: *pro ratione pecudis numerabitis*, juxta MAIMONID. in קרבן פסח *cap. II. ab init.* Plures tamen poterant sodalitates in uno conclavi Pascha comedere, saltem ut distinctum unaquæque occupet locum, nec una cum altera temere confundatur, *ibid. cap. VII.* §. 3. Istud vero sodalitium constare non poterat, simul ex feminis, & servis, neque ex infantibus & servis, neque ex solis infantibus, neque ex solis ægris, neque solis senibus, neque solis lugentibus, neque solis proselytis, licet ex solis feminis, & solis servis constare posset, licet etiam ægroti, senes ac lugentes & proselyti interesse societati paschali possent. Poterant etiam esse tot personæ in uno sodalitio, ut quælibet tantum ad olivæ quantitatem: (qui tamen numerus vicenarium longe excederet:) poterant porro, qui nomina sodalitio dederant, discedere ab illo ante mactationem agni, non vero post illam: immo, si quem in sodalitio tolerare nollent, v. g. si esset epulo, partem ipsi divisam ac seorsim dabant: fide MAIMONID. *cit. cap. II.* Si, qui ad sodalitium pertinebant, tardius accederent, modo tres adessent, poterant cœnam paschalem auspicari, juxta Lexicon *Aruch fol.* 43. *col.* 3.

Ad §. IX. pag. 64.

(9) *Masculus*] *Partim* ob sexus præstantiam, qui femininum antecellit, velut in omni fere viventium genere, quod cibo idoneum est, masculus feminæ præfertur: præstantiora autem Deo sunt offerenda, nisi aliud lex jubeat: *partim* ob convenientiam typi cum antitypo, non tam ratione sexus, alias enim ea in omnibus obtinuisset sacrificiis, secus tamen factum in vacca rufa Lev. XIX. quæ insignis fuit typus Christi, nulla habita sexus ratione; sed in præstantia cibi sitam. Quemadmodum enim pecus mascula solidum, præstantem, & gratum cibum præbet, sic Christus præstantissimus animarum nostrarum est cibus. vid. SEB. SCHMID. *c. l. p.* 324. Falsum autem prodere SPENCERVM, quando masculum institutum esse perhibet, quod Gentilium plerique, etiam Aegyptii, generis feminini victimas immolarint, solide docuit ex HERODOTO MEYERVS *cit. loc.* §. 13. *pag.* 263.

Ad §. X. pag. 65.

(10) בן שנה *filius anni*] Quam Auctor noster distinctionem observat inter בן שנה, cui jam annus impletus est, & בן שנתו, qui agit annum primum, licet nondum absolverit, eam ex sententia R. IESVAE in medium profert ABEN ESRA, sed & confutat, vix autem solido satis fundamento. Tutius ad Num. VII. provocatur, ubi sæpius בן שנתו repetitur, & annus tamen intelligitur completus.

Ad §. X. pag. cit.

(11) *Illud exponunt sic*] כל שנתו קרוי בן שנה מלומר שנולד בשנה זו *Toto anno suo*, primo nimirum, licet nondum compleverit, *dicitur anniculus, ac si diceret* Scriptura: *qui natus est anno illo*, juxta RASCHIVM *ad Exod. XII*, 6. Hinc appellationem illam ab octavo a partu die, ad annum usque Judæi extendunt, sed reclamante rei veritate. Paucarum enim hebdomadum agnus non est filius anni, seu annum natus. Rectius itaque alii censent, agnum notari, qui jam annum implevit, tantum tamen anno primo nondum addidit, ut pro secundo reputari possit. Quod institutio probat. Vult ea, ut si domus aliqua

aliqua minor ſit, quam quæ agno comedendo ſufficeret, pater familias vicinum ſuum ſibi adjungeret. Iſta vero ſodalitii amplificatione quid fuiſſet opus, ſi pecus paſchalis ab octavo die usque ad annum ſuffeciſſet? Commodius fuiſſet, ſi agnum decem aut duodecim dierum ſumſiſſent, qui a paucis hominibus conſumi potuiſſet. Sunt tamen, qui hoc reſtringunt ad annum pecoris. Quod enim ſupra docuimus, prima dies menſis Elul (qui in noſtrum ingruit Auguſtum) Judæis caput fuit anni, ad decimanda animalia. Quodſi ergo agnus aliquis ante Auguſtum ſuperioris anni eſſet natus, h. e. ante annum pecoris, juxta hanc ſententiam idoneus fuit habitus ad Paſcha. Talem quippe agnum, ante octo menſes jam natum, ejus certe fuiſſe magnitudinis, ut a duobus, tribus, quatuorve hominibus, niſi valde voracibus, abſumi non poſſet. Sed quoniam iſta ætatis ac annorum ſupputatio plane eſt inuſitata, rectius agnus *filius anni* ille cenſetur, qui a nativitate ſua annum impleverit, & XII jam vixerit menſes. Vnde quoque factum, ut Talmudici Doctores ſocietati paſchali non pauciores, quam decem homines adſcribant. Iidem autem, quando agnum, qui annum jam exceſſit, פסול לקרבן פסח *illegitimum ad oblationem paſchalem* pronunciant, in Cod. *Sevachim fol.* 25. *col.* 2. & Cod. *Bechoroth fol.* 12. *col.* 1. ſuperſtitioſe nimis literam premunt. Hanc autem ætatem Deum ſtatuiſſe exiſtimant, ob cibi perfectionem. Ita nempe nec nimis tenera & flaccida eſt caro, nec condenſata nimis, ſed juſtam nacta conſiſtentiam ſuam, & velut in flore conſtituta, ad cibum gratiſſima. Quod noſtrates ad antitypum Chriſtum, ſcite referre ſolent.

Ad §. XI. pag. 65.

(12) תמים *Perfectus, integer*] H. e. ut ABEN ESRA & RASCHIVS exponunt בלא מום *abſque nævo* & defectu. Requiritur ergo *a*) Sanitas, ut non ſit morbida pecus, ſed ſana & læta. Præterquam enim, quod morbidarum pecudum caro ingrata hominibus eſt, turpe cenſetur, res abjectas Sacris dicare, quo nomine male audiunt Judæi Mal. I, 8. quod offerrent חולה ægrotum ſeu languidum. Quin, quod omnium maxime ejusmodi pecus minus foret idonea, repræſentando agno Dei immaculato, Chriſto: *b*) Integritas membrorum & perfectio corporis, ne ex ipſo partu, defectu aliquo in membris ſuis laboret: *c*) Abſentia omnis defectus, per caſus alios, aut externam vim illati, ne membrum aliquod diſtortum ſit aut detruncatum: *d*) Vt ſit ejusmodi, quales optimæ ſunt & vendibiles, in quibus ne emtor quidem, aut ut eſt apud Malach. princeps, cui muneri offeratur, deſiderare quid aut culpare jure queat. In inſtituti rationes inquirit SEB. SCHMID. *c. l. p.* 321.

Ad §. XII. pag. 65.

(13) *Vsque ad decimum quartum ejusdem menſis*] משמרת ſive *cuſtodia* agni per quatriduum, diſerte præcipitur Exod. XII, 3, 6. & quidem ad בקור *inquiſitionem: opus quippe habebat* agnus, *ut perquireretur de nævo, quatuor diebus ante mactationem*, inquit *ad verſ.* 6. RASCHIVS. Verum, quia multi peregre accedebant Hieroſolymas, non ita diu ante Paſcha, ita ut multi die decimo menſis nondum adeſſent, ſufficiebat ſeparatio cujuscunque diei, quæ mactationem Paſchatis antecedebat. Ipſa quippe ſeparatio, præcepto divino neceſſaria erat; aſt temporis determinatio in hominis arbitrio ſita, quando commode fieri ea poterat. Conf. MARPERG. *de agno ad aræ cornua lig. Cap. III. Not. ad §. VII. p.* 264 *ſqq.* Addiderunt Judæorum Magiſtri *deſtinationem* certo ritu & conceptis verbis peractam, ſeparari pecudem in ſacrificium paſchale; & manifeſtandum erat domeſticis, ne circa agnum iſtum committerent quid, quod non deceret. Atque iſta eo valuit deſtinatio, ut non liceret pecudem deſtinatam cum alia quadam permutare, aut aliam in ejus ſurrogare locum. Immo ſi caſu eveniret, ut pecus deſtinata amitteretur, & alia in ejus locum deſtinaretur, nihilominus ſi prior inveniretur, præferenda ideo erat,

erat, quia prior destinata. Sin vero agnus destinatus, nomine Paschatis mactari non posset, sanctificabatur tamen, nec in profanum convertebatur usum.

Ad §. XIII. pag. 65.

(14) *Inter duas vesperas*] Quidnam sibi velit phrasis Exod. XII, 6. בֵּין הָעַרְבָּיִם varie explicatur, cum a Judæis interpretibus, tum a Christianis, ita ut fateatur ABEN ESRA, esse hanc מלה קשה *vocem difficilem* intellectu. RASCHI notare dicit illas horas, quæ sunt בין עריבת *inter commixtionem diei ac noctis.* Istam vero commixtionem diei, incipere ab initio septimæ horæ (quæ nobis prima post meridiem) quia Jer. VI, 4. dicitur, *umbræ vespertinæ inclinarunt:* commistionem autem noctis à principio noctis putandam, siquidem ערב dicat caliginem & tenebras, per Jes. XXIV, 11. Hunc refutans ABEN ESRA, angustius longe spacium definit, quia ערב & הערבים passim in Scriptura, quin & de ipso Paschate promiscue dicatur. In Duali autem dici ערבים, quia duæ sint vesperæ: una Solis, quæ est tempus occasus ejus infra terram, altera occasus lucis ejus, quæ in nubibus apparet. Inter eas vero intercedere *spacium horæ & trientis fere.* Tunc redibat casum nocturnum passus in castra: tunc accendebat Aaron lucernas; quæ loca antea obverterat R. SALOMONI. Istud vero temporis intervallum, quod mactandis tanto numero agnis non sufficeret, hinc traditionem ferre, ut inciperent mactare a momento, quo planum esset unicuique homini, solem declinasse ad latus occidentale; dici tamen בן הערבים *propterea, quod pleraque tamen Paschata tum mactata sint, & hic sit terminus temporis, ut nemo expectaret usque ad vesperam lucis solis.* Quo pacto, quod una manu eripuerat, altera rursus largitur. Ex Christianis, ANDR. RIVETUS *Comment. ad h. l.* tam vespere, quam mane dici observat ratione solis, quem sequitur & antecedit. Sicut autem mane vocatur pars prima diei, etiam post ortum solis; ita vesperam appellari, partem postremam diei, etiam ante occasum solis. Cum ergo sol, decursa magna parte diei, ad occasum vergit, v. g. sub horam tertiam a meridie, quæ nona Hebræis dicebatur, vespera vulgo dici solet, quæ prior est juxta stilum Scripturæ. Posterior autem vespera sequitur occasum solis, sicut aurora illius ortum antecedit. Ergo inter duas vesperas, h. e. inter solem ad occasum vergentem, & solem occiduum, debuit agnus immolari. Quod, ni fallor, idem est ac ערב בין השמשות *vespera inter duos soles*, qua ante Sabbathum primum decem res creatas memorant Magistri in *Pirke Abhoth cap. V. §. 6.* ad quem locum digitum intendit Auctor noster. In eodem temporis articulo acquiescit AVGVST. VARENIVS *Disp. de agno paschali §. 16.* subjuncta Comment. in Exod. *p.* 441 *sq.* postquam præmissas Judæorum excusserat sententias, tandem definiens, primam vesperam incipere ab hora Judæorum nona, h. e. ab exacta tertia postmeridiana; alteram, ab undecima exacta. Hoc autem intervallum esse *inter duas vesperas*, seu כבא השמש, quod & alias ערוב, item ἑσπερισμὸς dicitur. SEB. SCHMID. *de Pasch. P. I. p.* 53 *sqq.* copiose in hanc phrasin inquirens, primo ex Judæorum sententia observat, mactatos esse agnos paschales statim post sacrificium juge, istudque sacrificium eo citius, hora scilicet octava, quæ nobis pomeridiana secunda est, perfici potuisse, ut sat temporis pro paschalibus pecudibus mactandis superesset. Porro: phrasin illam, בין הערבים, partim vi Partic. בין tempus intermedium inter duas vesperas designare tradit, ceu duobus terminis interclusum, partim illud præcise notare spacium, quod est a sole inclinante, & terminatur in ipso noctis initio. Hoc itaque pacto definiri extremam partem diei decimi quarti, usque ad ingruentem diem XV mensis Nisan, cujus initium a nocte ingruente putandum sit. Tandem *p.* 65. concludit, *inter vesperas* h. l. imperare, mactationem suscipi debere ante occasum solis, assignando illi, ab occasu solis retro numerando, tot horas, quot mactatio commode peragenda requirat, & quot necess-

necessarias esse ipsa Ecclesia deprehenderit & judicaverit; quin si casus poscat aliquis, ultra anteriorem terminum vesperæ, tempus mactationis & in partem meridiei extendi queat, non autem ultra solis occasum differri, cum in honorem XV diei festalis, satius sit anticipare, quam differre. Istas quidem sententias fere omnes, ex prolixo Talmudici Tract. *Pesachin* loco *fol.* 55. *ab init.* scite illustrat EDZARDVS *ad Tract. Avoda Sara, cap. II. Not.* 33. *p.* 236 *sq.* & licet sensum phraseos ad certum horæ momentum non restringat, confert tamen horam mactationis agnorum paschalium, cum hora mortis Christi. Hinc itaque liquet, de tempore satis convenire inter omnes; quod IOSEPHVS diserte *lib. VI. de B. J. cap. IX.* §. 3. definit, *θύουσι μὲν,* inquiens, *ἀπὸ ἐννάτης ὥρας μέχρι ἑνδεκάτης, a nona quidem hora ad undecimam* agnos *mactant:* ancipites solum hæsisse de commoda phraseos explicatione, & dando idoneo temporis spacio, quod ad mactanda & præparanda tot agnorum millia sufficeret. IOSEPHO enim *ibid.* teste, sub Cestio Procuratore, ducenta & quinquaginta sex millia, & quingentas numeravere hostias paschales, eo temporis articulo mactatas: quantam pecudum hominumque copiam, nec tempus capere potuisse, nec in atrio templi locum, multis fuit visum. Sed ex ista se difficultate scite expedivit IOH. MEYER. *c. l.* §. 43 *sqq.* ex Talmud. Tract. *de Paschate cap. V. Mischna* 5, 6, 7. observans, Pascha fuisse mactandum juxta tres classes, sive turmas aut catervas. Si intrasset prima caterva, & impletum esset atrium, clausisse portas atrii, dum omnes absolvissent: post ejus discessum, ingressam esse catervam secundam; & post hanc, demum tertiam. Quod ibidem uberius declaratum vide. De ipsa vero mactatione, & excoriatione, atque viscerum repurgatione consulantur SEBASTIAN. SCHMID. *P. III. cap. IV.* §. 2. *pag.* 332 *sq.* & MARPERGER. tractat. *de agno ad aræ cornua ligando cap. IV.* §. 23. *pag.* 435. & *Annotat. pag.* 574 *sqq.*

Ad §. XV. pag. 66.

(15) *Comedi cum herbis amaris*] Mandatum divinum habet Exod. XII, 8. על מרורים אכלוהו *cum amaritudinibus comedent illud.* Quænam autem sint amaritudines istæ, varie definitur. Longius a tramite discedit AMBROSIVS, quando amaritudinem animæ intelligit: cibo enim corporali junguntur, ore manducandæ. Nimis etiam late vertit b. LVTHERVS: *bittere Salsen*, quod retinuerunt Belgæ, addentes in margine, *cum amaris herbis vel rebus.* R. SALOMO, omnem herbam amaram hoc nomine venire tradit. VARENIVS supra laudatus §. 32. *pag.* 452. respondet, herbæ amaræ, in Aegypto satis notæ, ubi sub crasso aere, & in soli, ab exstagnante Nilo humore, embammata amarissimarum herbarum, etiam in pauperculi cujusque apponebantur mensa, in quæ tingebatur panis buccella. Judæi uno ore passim tradunt, in tryblio acetarium ex intybis, lactucis agrestibus, & aceto facto embammate, locum bellariorum tenuisse, & cum his embamma aceti, in quod azyma, & amara illa olera intingebantur. MAIMONIDES *de fermento & azymo cap. VII.* §. 12 *sq.* nominat lactucas, hederam, raphanum, petroselinum, chærephyllum & nasturtium: sive autem quis omnes illas herbas amaras ederet, sive aliquam tantum earum speciem, perinde fuisse. Singularis autem hic est SEB. SCHMIDIVS *de Pasch. P. I. cap. I. p.* 78 *sqq.* & postquam observaverat 1) vocem hanc in universa Scriptura nullibi gratam notare amaritudinem, aut in cibo hominibus usitatam, contra vero afflictissimos conqueri, se amaritudinibus saturari, ut Thren. III, 15. Job. IX, 13. hinc eos calculum non mereri, qui de lactucis accipiunt, aliisque herbis, in cibo, aut cum cibo usitatis: 2) contra vero hoc vocabulum cum cognatis sæpissime *fel* notare, v. g. Job. XX, 14, 25. XVI, 13. inde tandem concludit, quod in manducatione agni paschalis felle etiam debuerint vesci; non puro quidem, sed aceto, aut alio liquore permisto. Nec

Nec absurdum esse dicere, ipsum pecudis paschalis fel fuisse sumendum. Idque exemplo potionis illustrat, in passione Domini, Salvatori oblatæ, ubi acetum felle mixtum propinabant, ut illuderent ipsi, eumque torquerent. Satis ista quidem SCHMIDII sententia, & ab ingenio se commendat, & a novitate, nec habet, quod ei obvertatur, nisi quod ab omni prorsus antiquitatis calculo destituitur. Forte dixerit quis, fel ad excrementa referendum potius, quam ad edulia, indeque a ciborum genere excludi. PLINIVS certe *l. XI. H. N. cap.* 37. ubi de felle: *est autem nihil aliud, quam purgamentum pessimi sanguinis, & ideo in materia ejus est.* Vbi in edit. Gronovii A. 1669. ad marginem notatum legitur: *fel, æque optimi, atque pessimi sanguinis, excrementum est.* Vnde herbam amaram, ob saporem cum felle comparandam, & vel nomen inde sortitam, intelligere malim. Lactucam agrestem intolerabili fere amaritudine gaudere, Botanici tradunt, rursusque PLINIVS *lib. XIX. cap. VIII.* ubi varia lactucæ genera recenset, *pessimum autem genus*, inquit, *cum exprobratione amaritudinis, appellavere πικρίδα.* Sane Judæos hodienum, ubi agnum paschalem, extra Terram Sanctam, domumque electam comedere nefas est, videas in epulo paschali acetarium apponere, e lactucis, hedera, raphano, petroselino, chærephyllo, nasturtio, & juxta patellam cum aceto collocare, in memoriam herbarum amararum, cum quibus majores ipsorum agnum paschalem comederunt. Ita vetusta gentis fert traditio & consuetudo.

Ad §. XVI. pag. 66.

(16) *Quod vocabant* חרוסת] Pulmentum *Charoseth* constabat ex pomis, pyris, amygdalis nucibus, ficubus, malis citreis & aliis, quæ cum vino & aromatibus coquebantur, juxta MAIMONID. *de fermento & azymo cap. VII.* Fusius istud describit BVXTORFIVS dissert. *de Cœna Domini §. XIV. n. 6. p.* 291. *& Synag. Jud. cap. XVIII.* edit. 1661. *p.* 407. Quæ autem de pulmento isto, inter ipsum & CAPPELLVM, disceptata sunt, lege *in Vindic. Exercit. de Cœna Dom.* §. 44. *pag.* 367 *sqq.* Huc enim ea transferre, nostri non est instituti.

Ad §. XVII. pag. 66.

(17) *Nempe Festum azymorum*] Conjunctum quidem fuit initium hujus Festi cum epuli paschalis solennitate, quæ non nisi in Azymis perfici potuit, in se tamen ab illa distinguebatur. Supra jam §. III. & IV. Auctor noster, duo distinctionis membra in medium protulit, cui tertium adde, quod Festum istud agni paschalis adjunctum sit, sed separabile, quia primum in Aegypto Pascha comestum fuit, sed absque Festo, quod egressi Israelitæ in itinere celebrare non potuerunt; probe observante SEB. SCHMIDIO *de Pasch. P. III. pag.* 412 *sq.* coll. *pag.* 116. Cur autem septem dierum esset feriatio, varias afferunt rationes. ABEN ESRA ait, per septem dies Deum azyma imperasse, *ut azymum comederent, a die quo egressi ex Aegypto, usque ad diem, quo mare sint ingressi.* ABARBENEL, Deum hac ratione populum docuisse testatur, recolendam esse memoriam miraculi, quod Deus Israelitas eripuerit a percussione primogenitorum: primum diem azymorum Israelitis egressum ex Aegypto, septimum vero diem lacerationem maris Suph in memoriam revocasse, quando Aegyptii sunt submersi: si vero diem unum duntaxat celebrare jussisset, non fuisse rem perceptam, quum multi homines unum diem, aut biduum transigere queant, sine pane, aut casu aliquo panem non comedere. Ideo Deum septem dies instituisse, integrum scilicet dierum circulum, ut si eo continuarent fermenti remotionem, & azymorum comestionem, cognoscerent, hoc esse festum Domino. Et hac de causa putat, singulis diebus azymorum Deum septem agnos offerri voluisse, pro numero septem dierum Festi. Alia causatur MAIMONIDES in *More Nevoch. P. III. cap.* 43. nec non R. BECHAI *in Legem fol.* 179

col. I. quos vide. Primo & ſeptimo Feſti hujus die, qui ex æquo erant feſti, ſancta convocatio indicta, & opus ſervile prohibitum fuit Levit. XXIII, 7. 8. Deut. XVI, 8. Hodie præterea, ob ספק החודש *dubium Kalendarum*, ſecundus & octavus dies primo & ſeptimo æquiparantur, & reliqui dies intermedii, tertius, quartus, quintus, ſextus vocantur חולי המועד *dies profeſti ſolennitatis*. Vide IOH. MEYER. *cit. loc.* §. 40 *ſqq. p.* 280.

Ad §. XVIII. pag. 66.

(18) *Gradus præparationis ad feſtum*] De Fermenti Abolitione ex inſtituto egit MAIMON. in Hilc. *Chametz Vmazza*, ſeu de fermentato & azymo, ex quo potiora delibabimus momenta. I.) Quia Exod. XII, 15. expurgatio fermenti ex ædibus, primo die injungitur, MAIMONIDES *cap. II.* §. I. ex traditione majorum illam cenſeri docet XIV Niſan, quæ una in hebdomade azymorum includitur. Hinc lucem fœneratur phraſis Evangeliſtarum, qui Matth. XXVI, 17. Marc. XIV, 12. *primo die azymorum*, de parando Paſchate diſcipulos Chriſtum perhibent conſuluiſſe. II.) Poſtquam ergo ingruit dies XIV, prima ſtatim nocte fermentum perquirunt, per omnes ædium angulos, ubi nimirum ſolitum eſt aſſervari. In ceteris, ubi alias fermento non eſt locus, v. g. infra pavimentum, ſupra tectum, in bovili, paleario, cellis, promtuario, macello &c. non inquirunt, vel ſuperficialiter tantum, ſi aliqua ſubſit dubitatio. Iſta vero ne fruſtra fieri videatur inveſtigatio, ſi domi ſciant panem fermentatum non adeſſe, de induſtria in reconditas domus partes, micas aliquot veteres & duras ſpargere conſueverunt, ut habeant, quod inveniant, & ſic præcepto ſatis faciant. Iſtam autem inquiſitionem, non ad ſolis lumen, aut lunæ ſplendorem, aut facum flammam, ſed ad lucem candelæ peragunt, cum illa ipſæ quoque rimulæ domus colluſtrari queant, quod radiis ſolis aut lunæ plerumque denegatur, & ſine incendii periculo rimis applicari: *cap. II.* §. 3. 4 *ſq.* Initium autem inquiſitionis fit cum hac oratiuncula: *Benedictus ſis, o Deus & Rex noſter æterne, qui ſanctificaſti nobis præceptum de repurgatione fermenti.* III.) Si decima quarta menſis Niſan incidat in Sabbathum, præmittunt perquiſitionem fermentati ad veſperam tertiæ decimæ lunæ, & relinquunt ſufficientem portionem pro cibo usque ad horam quartam Sabbathi. Quodſi poſt prandium aliquid de fermentato ſuperſit, mente iſtud annihilant, poſtea recondunt in vaſe, cooperiunt diligenter, & cuſtodiunt usque ad exitum primi diei feſti Paſchalis, poſtea comburunt. IV.) Peracta inveſtigatione, omne, quod repererunt, fermentatum reponunt in capſa, aut alio loco tuto, ne a muribus corrodi poſſit; reſervatur autem, pariter in loco muribus inacceſſo, tantum panis fermentati, quantum ſufficiat familiæ ad veſcendum, usque ad quintam horam diei XIV; tum paterfamilias Chaldaice infit: כל חמירא דאיכא ברשותי דחמיתיה ודלא חמיתיה ליבטל ולהוי כעפרא דארעא: *Omne fermentatum, quod in mea poteſtate eſt, quod vidi, aut quod non vidi, nullum ſit, vel ſit veluti pulvis terræ.* V.) Die ſequenti hora quinta comburunt illud, iterumque dicunt: *Omne fermentatum, quod eſt in mea poteſtate, quod vidi aut quod non vidi,* דבערתיה ודלא בערתיה *quod ſuſtuli, aut quod non ſuſtuli, nullum ſit, & reputetur ſicut pulvis terræ. Cap. III. & IV.* VI.) Ne autem odor quidem fermenti domi remaneat, generalem inſtituunt ablutionem omnium vaſorum & utenſilium domus, געלת כלים *expurgationem vaſorum* dictam. Biduo namque ante Paſcha quam diligentiſſime abluuntur omnia vaſa culinaria, ex ligno, ſtanno, ære, ferro; immo quæ tranſire poſſunt per ignem, igne magno ſuccenſo, in eo igneſcere faciunt, & ſic purgant, reliqua, ignis impatientia, in aqua fervente, in aheno magno, bene defricata eluunt. VII.) Fermentatum denique, in lege prohibitum provenire tradunt ex tritico præſtantiſſimo, vel ex hordeo, vel ex ſpelta, vel ex avena, vel ex ſecali; itaque ex quinque iſtis frumenti ſpeciebus azymum quoque panem confici volunt.

Ad

Ad §. XIX. pag. 67.

(19) *Animæ excisio ex Israele*] Circa Pœnam כרת seu Excisionis e populo Dei, tantum occurrit sententiarum divortium, ut hæsitarint multi, cuinam tuto calculum adjicere debeant parti. Ex Pontificiis BELLARMINVS *de Sacrament. l. I. cap.* 17. forensem censet pœnam & judicialem, refutatus a CHAMIERO *Panstrat. Tom. IV. lib. III. cap. III. num.* 17 *sqq.* Idem tamen cum illo tuetur PISCATOR in *Comment. ad Gen. XVII*, 14. quia eo sensu, quod morte plectendus sit transgressor, phrasis hæc alias sumitur Exod. XXX, 33, 38. XXXI, 14, metaphora ab arboribus sumta, quæ exstirpatione & excisione e terra, deleri consueverunt. Ita quoque primum sentiebat CHRIST. THOMASIVS *in Jurisprud. Divina lib. III. cap. VII.* §. 137 *sq.* at mutata posthæc mente, cum in altera ejus libri editione, tum in *Observat. Halens. XXVII.* §. 51 *sq.* recte quidem ex Genes. XVII, 14. colligit, τὸ *exscindere* non semper capitis pœnam inferre, simul autem frigide existimat, excisione designari vel occultum Dei judicium, vel rationem naturalem, qua homo adeo luxuriosus, ut nullam legum matrimonialium observet, plerumque ineptus sit ad generandam sobolem, & mortem sibi ultro acceleret, argumento Lev. XX, 20, 21. Demum in *cit. Jurisprud. Div.* §. 140. *Not. b.* anceps hærens, concludit, ulteriorem disquisitionem hanc controversiam mereri. Contra vero maxima Judæorum turba excisionem בידי שמים Divina manu infligi censet, dispari tamen pœnæ genere & modo. Rabbinorum hac de re sententias, ex ABARBENELIS differt. *de Excidii Pœna*, in *Comment. ejus ad Legem Num. XV*, 32. (quam Latine conversam in BVXTORFII Tract. *de Sponsal. & Divort.* sub calcem, legere licet) in compendium misit, unoque obtutu exhibuit HOTTINGER. *in Jure Hebræor. p.* 340 *sqq.* Alii in morte præmatura & ϑεηλάτῳ; in orbitate alii, ac resultante hinc deletione nominis ac posteritatis in populo Dei; alii demum, cum MAIMONIDE, in morte temporali simul ac æterna ponunt: postremo alii de exclusione civili e republica, aut excommunicatione Ecclesiastica exponunt, cum quibus Auctor noster facit, excisionis pœnæ æquipollere censens phrasin Novi Fœderis τὸ ἀποσυνάγωγον ποιεῖσϑαι, Joh. XVI, 2. Nec abnuit SEB. SCHMIDIVS Tract. *de Circumcisione p.* 191. qui, licet largiatur, primariam excisionis rationem, in spirituali, æternaque pœna constitisse, necessarium tamen consequens, & externum velut ejus signum fuisse existimat, exclusionem civilem atque sacram: siquidem nec Ecclesia ad communia sacra admittere potuerit, quos extra communionem noverat gratiæ, hæreditatisque cælestis; nec respublica Civilis utique, quæ in Theocratia Judaica cum Sacra tam arcte uniretur, tolerare ut civem, qui legibus, institutisque Divinis vivere detrectaret. Pœnam itaque complectitur spiritualem & æternam, quæ contemtores mediorum gratiæ & Sacramentorum manet, & consistit in privatione gratiæ Divinæ ac vitæ æternæ, quæ haud dubie exterius promulgabatur per excommunicationem Ecclesiasticam. Cui si accederet ex justo Dei judicio mors ϑεήλατος vel immatura, aut etiam sterilitas, & nominis ac familiæ deletio, pœna accessoria potius censeri debebat, quam ordinaria & semper cum כרת conjuncta. Vide, post SELDENVM, SIXTIN. AB AMAMA, BVXTORFIVM, HOORNBEECKIVM, LEYDEKKERVM, & alios, patruelem meum, haud ita pridem vita pie functum, D. FRIDER. BENEDICT. CARPZOVIVM diss. *de Pœna Excisionis, jure positivo universali in incestas nuptias statuta*, Vitembergæ An. 1738, qui recentissime, & cum cura in hoc argumentum inquisivit.

Ad §. XX. pag. cit.

(20) *Hic tria quæri*] Vt ad quæsita ista dextre respondeatur, præmittenda est trita Judæorum distinctio inter פסח מצרים לפסח דורות *Pascha Aegyptiacum & Pascha Seculorum*, seu sequentium ætatum, quam Mischna Cod. פסחים *cap. IX.* §. 5. MAIMONIDES *in fine Hilc.*

Hilc. פסח / ABARBENEL *Comment. in Legem fol.* 150. *col.* I. & Magiſtri reliqui, omnium autem copioſiſſime & evidentiſſime ELIAS BYZANTINVS tradit in *Adderet Elijahu, de Paſchate cap. I. & IX.* cujus ſolum verſionem damus, ex MEYERI *c. l.* §. 38. *p.* 278 *ſq. Paſcha Aegyptiacum & Paſcha generationum in novem rebus diſcrepant:* 1) *Quod Paſcha Aegyptiacum decimo die menſis, Paſcha vero generationum die quarto decimo demum fuerit præparatum:* 2) *Quod ſanguis Paſchatis Aegyptiaci fuerit impoſitus ſuperliminari, & duobus poſtibus, ſanguis autem generationum affuſus ad altare:* 3) *Non indicavit nobis Scriptura, quid egerint cum adipe Paſchatis Aegyptiaci, quem forte comederunt, quia hactenus non ſunt admoniti de comeſtione adipis. Aſt generationum Paſcha impoſitum eſt altari:* 4) *Paſcha Aegyptiacum fuit comeſtum a puris & impuris; ſed Paſcha generationum a ſolis puris fuit comeſtum, juxta illud Num. XVIII,* 11. *Quisquis mundus erit in familia ſua, comedet illud:* 5) *Paſcha Aegyptiacum debebat comedi a viris & mulieribus, ſicut ſcriptum in Maſſecheth Nephaſchoth, ſed Paſcha generationum comedi debebat a viris adultioribus, ſicut dicitur Exod. XXIII,* 17. *Deuter. XVI,* 16. *Compareto omnis mas tuus:* 6) *Paſcha Aegyptiacum comedebatur in feſtinatione, juxta illud Exod. XII,* 11. *Ita vero comedite eam, lumbis veſtris ſuccincti* &c. *Sed Paſcha generationum in tranquillitate:* 7) *In Paſchate Aegyptiaco non erat Halleluja vel Canticum; ſed Paſcha generationum celebrabatur cum Hymno, juxta locum Jeſ. XXX,* 29. *Illud canticum futurum eſt vobis, ut noctis, qua ſanctificatur feſtum:* 8) *Paſcha Aegyptiacum non celebrabatur cum convocatione ſancta, generationum Paſcha celebrabatur cum convocatione ſancta:* 9) *Paſcha Aegyptiacum mactabatur & comedebatur in loco profano, Paſcha generationum vero in loco electo, quemadmodum ſcriptum Deuter. XVI,* 5, 6. *Non poteris mactare Paſcha intra aliquam e portis tuis, quas Dominus Deus tuus dat tibi: ſed ad locum illum, quem Dominus Deus tuus elegerit* &c. Rurſus vero in his conveniebat Paſcha Aegyptiacum cum Paſchate Sæculorum: 1) Vtrobique comedi poterat a pluribus familiis ſimul junctis: 2) In utroque agnus debebat eſſe a grege deſumtus, maſculus, absque ullo vitio, & annum unum ſolum habere: 3) Fermentatum in utroque excuti debebat: 4) Paſchata utraque debebant non absque gaudio celebrari.

Ad §. XX. pag. 67.

(21) *A Sacerdotibus*] Ita quidem, vi loci allegati, cenſet Auctor, & nonnulli e Pontificiis, ut CASP. SANCTIVS, & NICOL. SERARIVS, ſed contra Scripturam & conſenſum Judæorum. Quando enim 2 Chron. XXX, 16. & c. XXXV, 11. Sacerdotibus & Levitis mactatio tribuitur, ratio diſerte additur: *quia multi erant in cœtu, qui non ſanctificaverant ſe, idcirco Levitæ erant ſuper mactatione Paſchatum* NB. *pro omnibus immundis, ad ſanctificandum Jehovam.* Excuſatur ergo factum hoc extraordinarium; ut taceam, neutrum ex his locum Sacerdotibus mactationem, ſed ſanguinis ſolum adſperſionem, quæ actio erat ſacerdotalis, tribuere. Rectius itaque exiſtimatur, patremfamilias cum proprie dictum, qui familiam ſuam ſecum habebat, & cum ea Paſcha celebrabat, tum locum-tenentem, quem conjunctæ quædam familiæ ſibi præfecerant, mactationem peregiſſe. De Paſchate Aegyptiorum id palam eſt ex Exod. XII, 3 ſqq. ubi promiſcue Iſraelitæ, qui agnum ſeligere & cuſtodire, eundem quoque mactare jubentur, ſanguinemque poſtibus illinere; maxime cum verſ. 7. præcipitur: *& mactabunt eum tota congregatio Iſraelis* &c. De Paſchate Sæculorum hoc ipſum tuetur LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. in Matth. XXVI,* 19. qui traditionem Magiſtrorum adducit: *Iſraelita mactat, & ſanguinem recipit Sacerdos, & proxime aſſiſtenti dat, & ille proximo, qui phialam plenam* (ſanguine) *recipiens, vacuam ei dat.* Nec dubium eſt, in ultimo Chriſti Paſchate, agnum mactaſſe diſcipulos, qui nec Levitæ erant, nec Sacerdotes. Vnde liquet, patribusfamilias non excluſive hoc demandatum fuiſſe miniſterium, quin eodem alii ex domeſticis & ſociis defungi

fungi quoque potuerint, modo ritus satis essent periti.

Ad §. XX. pag. 67.

(22) *In Atrio Templi*] Scilicet in Paschate Sæculorum. Huc spectabat הרכבתו *impositio agni in humerum*, decantata in Mass. *Pesachim Cap. VI.* §. 1. quando Die Azymorum primo, supra a nobis notato, innumeri fere agni, funibus pedes colligati, humeris patrumfamilias, vel quibus id datum negotii erat, in Atrium Templi deferebantur, ut ab Israelitis, in tres catervas distributis, ibidem mactarentur. Vide MARPERGER. *de agno ad aræ cornua lig. cap. III.* §. 13. *p.* 211 *sq.* coll. cum *p.* 302.

Ibidem.

(23) *Comedit in privata domo*] Locus assationis & comestionis, privata domus erat cujusque patrisfamilias aut societatis. Vbi quidem diversas societates in iisdem ædibus, quin & in eodem conclavi, comedere potuisse, supra monuimus: idque Hierosolymis necessitas postulabat, ubi innumera Judæorum multitudo, ex universa, ubicunque terrarum degeret, confluebat gente. Aedes autem privatas, velut prima institutio Exod. XII, 46, ita Christi probat exemplum.

Ad §. XXI. pag. cit.

(24) *Duabus cœnis, altera alteram immediate insequenti*] Est hæc controversia, quam contra IOSEPHVM SCALIGERVM copiose & erudite peroravit BVXTORFIVS fil. *in Historia Cœnæ Domin.* §. *XIV sq. p.* 286 *sq.* & contra insultus LVDOV. CAPPELLI uberius declaravit *in Vindiciis Exercitat. de Cœna Domini p.* 338 *sqq.* Vniversam paucis recensebimus:

I. SCALIGER *lib. VI. de Emendat. Temp.* ita sentit: α) Duplici Cœna functos fuisse Judæos, in ritu agni paschalis. In priore hostiis immolatis vescebantur, eaque appellabatur חגיגה *festivitas*, eratque Sacrificium illius diei; in altera canebantur quædam εὐχαριστικὰ, eaque dicebatur סעורה מפסקת / δεῖπνον ἀπολυτικὸν, cœna *dimissoria.* In hac offerebatur in tryblio acetarium, ex intybis & lactucis agrestibus, ex quibus affuso aceto embamma conficiebatur, in quod azyma, & amara illa olera intingebantur. Vocabatur חרוסת. Primam offam azymam paterfamilias in illud intingebat, & devorabat. Mox cuilibet convivæ tortæ azymæ frustum ordine porrigebat, qui pariter intingebant, & sub certa ברכה comedebant. β) censet, Cœnam illam ἀπολυτικὴν, quasi in suam cœnam commutasse Christum. Primam ergo cœnam fuisse, esum agni; alteram, azymorum, tanquam mensarum secundarum, & ἐπικώμων cœnæ paschalis. In hac posteriori institutum esse a Christo Sacramentum Cœnæ.

II. Regerit BVXTORFIVS, de Duplici Cœna in ritu agni paschalis, altum esse apud Scriptores Judæos silentium. Et largitur quidem, sed alio modo ac ordine, duplicem cœnam, cum Judæi Paschatis vespera, antequam agnum comederent, primo ordinariam cœnam peregerint, in qua חגיגה / seu sacrificium Festi comedebatur; deinde agnum paschalem cum azymis & herbis amaris absumserint, quia non nisi saturis agnum sibi comedendum esse tradunt Judæi; immo post agnum paschalem nihil amplius gustare licebat, quo suavitas carnis agni tanto diutius palato inhæreret, & per eam quoque memoria præceptorum & beneficiorum Dei. Sed omnia ista fercula in una cœna & mensa simul apponebantur, saltem ut ordo in vescendo observaretur. Quæ porro de acetario & חרוסת / de bellariis quoque cœnæ dimissoriæ habet SCALIGER, ea ad meliorem ordinem revocat, & accurate tradit BVXTORFIVS *p.* 291 *sqq.* Istud nempe embamma חרוסת non oleribus amaris spissabatur, quod vult SCALIGER; sed res ita habet: statim ab initio epuli paschalis apponebatur quoddam pulmentum, e pomis, pyris, nucibus, ficubus, amygdalis, malis citreis, & aliis similibus confectum, cui vinum vel acetum immiscent & incoquunt, cum multis aromatibus, quibus illud spissa-

ſpiſſabant, ut lateris ſpeciem præ ſe ferat: cinnamomum quoque, zingiber ac ſimilia, craſſe contuſa ſuperinjiciunt, ut paleam & lutum referat. Hoc ſibi pacto in memoriam revocant, majores ſuos in Aegypto palea & luto laboraſſe, lateresque confeciſſe: idque eſt חרוסת. Deinde acetarium e lactucis, hedera, raphanis, petroſelino, chærephyllo, naſturtio &c. apponunt: huic addunt patellam cum aceto, ut in eam herbas illas intingant, & ſibi in memoriam revocent, majores ſuos agnum paſchalem cum herbis amaris comediſſe.

Hinc utriusque ſententiæ differentia elucet: 1) quia non diſtinctæ cœnæ, Agni, & Azymorum, ſed una fuit & conjuncta: 2) quia agnus non primo, & ab initio cœnæ, ſed in fine ejus comeſtus eſt, poſtquam præmiſſo cibo Chagigæ, fames jam expleta & depulſa eſſet: 3) poſt cœnam agni, nulla amplius menſa vel convivium agitabatur, ſed addito poculo gratiarum actionis claudebatur: 4) quia nulla ἐπίκωμα, ſeu bellaria appoſita ſunt in Cœna Paſchali.

Quod itaque ad inſtitutionem Cœnæ Dominicæ attinet, cenſendum utique eſt, quia Agnus in cœna paſchali claudebat menſam, ita ut nihil cibi amplius poſt Agnum capere liceret, Salvatorem immediate poſt cœnam paſchalem, eamque plene abſolutam, plane novo ritu ac inſtituto ſuam Sacram Cœnam ſanciviſſe, ut ita Novo Sacramento abrogaret Vetus: atque huc ſpectant verba apud Lucam, Johannem & Paulum, μετὰ τὸ δειπνῆσαι; adeoque neque menſas ſecundas convertiſſe in ſuam cœnam, neque cœna paſchali adhuc durante, inſtituiſſe Sacramentum Cœnæ, ſed poſtquam cœna paſchalis tota eſſet peracta, δείπνȣ γενομένȣ ſurgit Dominus e cœna paſchali, & ad pedilavium diſcipulorum ſe accingit Joh. XIII, 2. & verſ. 12. poſtquam eorum pedes lavit, veſtesque ſuas reſumſit, iterum accumbebat ad Sacram Cœnam inſtituendam, ut adeo inter Cœnam Paſchalem, & inter inſtitutionem Cœnæ Dominicæ interjecta fuerit lotio pedum diſcipulorum, a Chriſto peracta. Ita BVXTORFIVS.

Contra vero ea, HOTTINGERVS nepos, *ad h. l. Auctoris noſtri Not.* 23. Cœnam, Johanni cap. XIII, 2. memoratam, una cum pedilavio, Paſcha anteceſſiſſe credit, 1) cum nullam agni paſchalis faciat mentionem, quam tamen ceteri Evangeliſtæ non omittunt; 2) cœna illa habita dicatur πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ πάσχα verſ. 1; 3) qua ratione colligere poterant diſcipuli, Chriſtum ad Judam dixiſſe: ἀγόρασον, ὧν χρείαν ἔχομεν εἰς τὴν ἑορτήν. Verum, ut e ſilentio Evangeliſtæ concludere non licet, cum nec Sacræ Cœnæ mentionem injiciat Johannes, quam tamen ceteri celebrant omnes; ita, ſi ſententiam amplectaris, quam Noſtratium fere omnes tenent cum GERHARDO *in Harmonia Evangel.* quod Chriſtus uno die Judæorum Paſcha anticipaverit, vel quam SEB. SCHMIDIVS *Tract. de Paſch. P. III. p.* 398 *ſqq.* tuetur, quod duobus diebus ante Judæorum Paſcha, Chriſtus ſuum Paſcha anticipando celebraverit, agnumque paſchalem feria 5. ſub veſperam mactari fecerit, cum ſuos Judæi die 7, ſeu Sabbatho ſub veſperam mactaverint; reliquæ duæ, ab HOTTINGERO allatæ rationes, nihil ſolidi evincent. Hanc autem Cœnam, Johanni verſ. 1. memoratam, cum ultima Domini Cœna Paſchali eandem fuiſſe, aut certe in eandem incidiſſe veſperam, LAMPIVS *Comment. in Joh. XIII,* 1. ſolide evincit, diſcuſſis, quæ in contrarium moveri ſolent, argumentis. Sacræ Euchariſtiæ porro originem ex ritu Judæorum paſchali repetendam non eſſe, erudite demonſtravit SALOM. DEYLING. *Obſervation. Miſcellan. Tom. IV. Exercit. IV. p.* 221 *ſqq.* ubi, quæ ad BVXTORFII quoque ſententiam monenda erant, modeſte expoſuit.

Ad §. XXII. pag. 68.

(25) *Judæis proverbium eſt*] Huc refer, quæ magnus GLASSIVS de προλήψει hiſtorica *Grammat. Sacr. lib. IV. Tract. II. obſerv. XXVIII. p. marg.* 753. rurſusque de prolepſi nominum propriorum *Tract. III. obſerv. X. p.* 798. inculcavit. Quocum conferri poteſt SANCTIVS *Comment. in*

in 2 *Sam. XII. n.* 52. *pag.* 708. Affinem autem huic, canonem Judæorum alium, tradit & exponit SVRENHVSIVS in βίβλῳ καταλλαγ. *lib. I. Thes. LIII. pag.* 33.

Ad §. XXIII. pag. 68.

(26) *Dimittendi captivum quemdam tempore Paschatis*] Tria controversiæ momenta circa hunc ritum ventilari solent: I. *Numne hic mos Festo Paschatis proprius, an vero omnibus solennibus Festis fuerit communis?* Quoniam Matthæus, Marcus, & Lucas, in genere & absque restrictione ajunt: κατὰ δὲ ἑορτὴν, unde Syrus reddidit ܒܟܠ ܥܐܕܐ *in omni festo*, æque ut Arabs, quos secutus THEODOR. BEZA, vertit: *singulis Festis*, scilicet solennioribus, Paschatis, Pentecostes, & Tabernaculorum. Ita quoque COCCEIVS, & CASAVBONVS *contra Baron. Exerc. XVI. cap.* 19. E nostris pariter ERASMVS SCHMIDIVS *ad Matth. XXVII,* 15. qui eam ob causam Articulum omissum causatur, quia κατὰ distributionem notat, ut in καθ' ἡμέραν, *singulis diebus*, κατ' ἐνιαυτὸν, *quotannis*, κατὰ πόλιν, *oppidatim* &c. At enim vero ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. P. III. p.* 94. LIGHTFOOTVS *in Hor.* HENR. MVLLERVS *in Jesu patiente cap. XCVI.* de solo Paschate intelligunt, nec immerito. Nam α) Johannes, cap. XVIII, 39. diserte ad hoc Festum restringit, ἐν τῷ πάσχα, β) quia ἑορτὴ, κατ' ἐξοχὴν de Paschate dici consueverat, quod caput erat Festorum omnium, sub anni principium primo mense feriari solitum.

II. *Num a Romanis, an vero a Judæis hic mos ortum traxerit?* HVGO GROTIVS a Romanis hoc esse censet, quoniam LIVIO teste, *lectisternii indicti diebus, vinctis dempta vincula; religioni deinde fuisse, quibus eam opem Dii tulissent, vinciri.* Ad hoc exemplum ab Augusto hanc gratiam concessam fuisse populo Judaico existimat, idque mandatis Procuratorum fuisse comprehensum. Aeque ut Christiani Imperatores, Valentinianus, Theodosius & Arcadius, generali lege Judicibus mandarunt, ut primo die Paschali, omnium in carcere clausorum, nisi ob certa crimina, quæ lex enumerat, vincula dissolverentur. In eandem sententiam pedibus incedit GERH. IOH. VOSSIVS *Harm. Evangel. lib. II. cap. V.* §. 4, 5. Rursus e nostris IOH. HENR. VRSINVS *Vol. I. Analect. Sacr. Lib. I. cap. XLI. p.* 52. eumque secutus HENR. MVLLERVS *c. l.* a vicinioribus Græcis aut Ionibus, hanc consuetudinem arcessit. In Græcia enim religionis causa capitis damnatos pœnæ exemptos, vinculisque exsolutos fuisse, ex ACHILLE STATIO, PLATONE, & PAVSANIA constat. ANTON. BYNAEVS *c. l. p.* 99. in dubio relinquit, a Romanisne manaverit, an a Judæis, quoniam de consuetudine ea, tam apud FLAV. IOSEPHVM, quam Scriptores alios, qui de moribus Judaicis & institutis agunt, nihil omnino reperitur. Sed sufficit reperiri in Sacris literis: unde demum rectius GERHARDVS *in Harm. Pass. cap. XI.* CALOVIVS *Bibl. Illustr. ad Matth. XXVII,* 15. aliique nostratium, ex Johanne, Judæorum hunc fuisse ritum, evincunt. Ita quippe Johannes ἐστὶ δὲ συνήθεια ὑμῖν, ἵνα ἕνα ὑμῖν ἀπολύσω: unde liquet, hanc consuetudinem a Judæis ipsis ortam, aut certe, ante subactionem Romanorum, passim usurpatam, & a Romanis indultam ac Cæsaris decreto confirmatam fuisse; unde Lucas ἀνάγκην appellat, ex Cæsaris privilegio Procuratori incumbentem.

III. *Quæ ritus hujus ratio fuerit, & quid significaverit?* Vbi ultima Auctoris nostri causa potissimum obtinet, a LVDOV. DE DIEV, & CALOVIO probata, ut memoriam liberationis suæ ex Aegyptiaca servitute, ubi velut in domo carceris conclusi fuerant, eo evidentius hoc Festo recolerent Judæi. Dimissio ergo captivi, educti olim ex captivitate Aegyptiaca populi, monimentum erat. Improbant tamen hunc ritum Interpretes, ut impunitas daretur malefico, capitis reo, atque hoc pacto peccandi licentia inveheretur, contra Proverb. XVII, 15. Lex Mosis quidem fuit χωρὶς οἰκτιρμῶν, Hebr. X, 28.

 ut

ut nec ex Lege, nec a Deo profectus, satis inde appareat.

Ad §. XXV. pag. 68.

(27) *Primo die Azymorum*] De hoc primo Azymorum die, supra diximus *ad* §. *XVIII. Annot.* 18. *Num. I.* LVDOV. DE DIEV *ad Matth. XXVI*, 17. hoc dubium: Quomodo dies Parasceves, qui ex lege erat XIV mensis Nisan, quo non edebatur, sed mactabatur agnus paschalis, vocetur primus Azymorum, quum certum sit, septem tantum ex lege fuisse Azymorum dies, quorum primus erat decimus quintus, postremus vigesimus primus? cum cura excutiens, post allegatas duas BEZAE rationes, tandem in SCHINDLERI nostri observatione acquiescit, qui *in Lex. voce* ערב ait, Talmudistas id ita interpretari, ut jubeant id fieri ab initio horae decimae, & deinceps, hoc est, duabus horis ante solis occasum. Recte ergo & septem tantum dies dicuntur fuisse celebrati, & diverso respectu octo. Septem dies integri, octo vero, si duarum etiam illarum horarum ratio habeatur: quae quum ad diem XIV pertinerent, is eo respectu Azymorum primus bene dicitur. Quod fortassis voluit IOSEPHVS, qui *Antiqu. lib. II. cap. V.* Azymorum Festo dies octo attribuit. Sed quicquid sit de duabus istis horis, mallem ego affirmare, quod septem dies feriati, & quibus azymis tantum vesci licebat, fuerint: octo, quibus cum azymis parandis, & expurgando fermento, ipsis res erat. Sic nulla ejusmodi opus est elabendi rima.

Ad §. XXVI. pag. cit.

(28) *Concessum fuerit secundum Pascha*] De hoc ita praecipit Mischna Tract. *Pesachim cap. IX.* §. 3. *Quid discriminis est inter Pascha primum & secundum? Primum obligavit ad* τὸ *non-videbitur, neque invenietur* (fermentum in domo): *sed Secundum comeditur quidem cum azymo, potest tamen fermentatum cum eo esse in domo. Primum obligatum est ad Hallelujah magnum, dum comeditur; Secundum autem non obligatum est ad Hallelujah magnum, dum comeditur. Vtrumque tamen obligatum est ad Hallelujah magnum* בעשׂ יותך *dum fit; & comeduntur assata cum azymo & amaroribus, & solvunt Sabbathum.*

Ad §. XXVII. pag. 69.

(29) *Analogia inter Paschalem agnum & Christum*] Vniversum hoc Festum Judaei ad memoriam referunt liberationis, Patribus ex Aegypto factae, & ad spem similis ex praesenti captivitate liberationis, gloriosaeque in Terram Sanctam reductionis; sed alium longe scopum ei fixit Scriptura, sub Agno paschali Christum, sub Azymis sinceritatem sanctimoniae ac pietatis adumbrari 1 Cor. V, 6 sqq. Ceterum duae hic notandae, ac probe discernendae sunt theses: א. Agnus paschalis typice Christum referebat; quam post WILH. MOMMAM *Oeconom. temp. Lib. II. cap. IV.* §. 10 *sqq.* & BIERMANNVM *in Mose & Christo lib. IV. cap. II.* egregie & ex instituto declaravit cum EDZARD. *ad Tr. Avoda Sara cap. II. Not.* 33. *p.* 234 *sqq.* tum SALOM. DEYLING. *Observat. Sacr. Tom. IV. Exerc. XVI tota p.* 838 *sqq.* ב. Celebratio agni paschalis, ejusque comestio non erat typus Sacrae Coenae. Hoc quidem contendit BELLARMINVS, & pro sacrificio Missae ita argumentatur: celebratio agni paschalis figura expressa erat celebrationis Eucharistiae; sed illa immolatio victimae erat, Deo oblatae; ergo celebratio Eucharistiae, immolatio victimae Deo oblatae esse debet, ut figura respondeat figurato. Verum solide respondet SEB. SCHMIDIVS *de Pasch. p.* 291. *partim* quatuor esse terminos in argumento, cum in Majore celebratio agni paschalis pro epulo paschali, cumprimis pro comestionis actu, cum connexis; in Minore, pro mactatione agni, cum immediate connexis, accipiatur. Nam ratione mactationis non erat figura expressa Eucharistiae, & ratione comestionis, non est immolatio victimae, Deo oblatae: *partim* negando, quod comestio agni fuerit

fuerit typus disertus comestionis sacramentalis in Cœna. Distingue enim inter comestionis actum, & objectum. Objectum illius, agnus paschalis typus utique erat objecti Eucharistiæ, corporis & sanguinis Christi: at non ipse actus, quorum ille corporali, hic sacramentali comestione absolvitur, adeoque toto genere differunt.

AD

LIB. III. CAPVT V.

DE FESTO PENTECOSTES.

Ad §. I. pag. 70.

Vocatur Πεντηκοστή] Tradit Auctor festi hujus I. *Denominationem* Græcam, cui consonat Hebraica appellatio, חג חמישים יום *Festum quinquaginta dierum*, a festo Paschatis numerandorum. Plures tamen apud Judæos, præeunte Scriptura Sacra, nactum fuit titulos insigniores. Vocatur enim חג השבועות *Festum septimanarum*, quia septem septimanas a die altero Paschatis, h. e. a die 16 Nisan numerabant, quæ in summam coactæ, 49 dies conficiunt, quibus exactis, die 50 hoc Festum celebrabatur. Idem dicebatur חג הקציר *Festum messis*, quia finita messe celebratum, Deoque gratiæ agebantur pro benedictione frugum terræ, Exod. XXIII, 16. Lev. XXIII, 10. Judæis Hebraizantibus passim salutatur עצרת *interdictum*, *detentio*, *convocatio*, quod vocabulum *strictioris observantiæ diem* indicans, cum in Lege, Levit. XXIII, 36. Numer. XXIX, 35. de festis Azymorum & Σκηνοπηγίας tantum legatur, a Magistris tamen Pentecostes Festo singulariter appropriatur, respectu Paschatis, a cujus die 2 sive die 16 Nisan numerari jubentur Devter. XVI, 9, 10. 49 dies, quarum עצרת sive *clausulam* constituit dies 50, quæ Pentecostes est. IOSEPHVS *Antiqu. lib. III. cap. X.* §. 6. *ἀσαρθὰν* Hebræis dici notat, explicationem statim addens, σημαίνει δὲ τοῦτο Πεντηκοστήν, *significat autem id nominis Pentecosten*. Ceterum de hac *Azereth* nomenclatura, evolvatur MEYER *de festis dieb. Hebræor. cap. XIII.* §. 2 *sqq.* & *cap. XVI.* §. 15 *sq.* & doctissimi BERNARDI annotatio ad IOSEPHI *loc. cit. edit. Haverkamp. p.* 178 *sq.* ubi copiose de hac voce commentatur.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Secunda dies Paschatis*] Pergit Auctor ad II. *Computationem*, quam recte & commode instituit. Mandaverat quippe Deus, ut *a crastino Sabbathi*, qui erat 16 dies mensis Nisan, sibi numerarent septem Sabbatha, sive quinquaginta dies. Quintus decimus dies Nisan, erat *Sabbathum* festi Paschalis, religione Sabbathica transigendum. Die proximo 16 extante segete, demetebant manipulum hordei maturi, qui in Sanctuario coram Domino a Sacerdote agitabatur. Antequam hæc esset oblatio manipuli facta, in segetem non licuit immittere falcem, nec spicam viridem, nedum igne tostam comedere. Ab illo die sexto decimo, qui crastinus erat primi diei Paschatis, sive Sabbathi Paschalis, numerabantur septem Sabbatha, seu septem Hebdomadæ, quarum primus dies iste fuit sextus decimus. Tot septimanis instituta fuit messis, illico post manipulum agitatum, primum hordeacea, dein triticea, quæ erat expedienda, & fructus in horrea convehendi, ante illarum septem Hebdomadum finem. Ex hac dierum supputatione, laudatus MEYERVS rationem arcessit instituti, illudque sanctissimo Numini vendicat. *c. l.* §. 9. postquam §. 6 *sqq.* contra SPENCERVM disputaverat, qui *de Leg. Rit. lib. I. cap. XXVI. Sect. III.* &

& *lib. III. cap. VIII. Sect. II.* licet nullum, quod Feſtis tribus ſolennioribus Judæorum reſpondeat, veſtigium apud profanos Scriptores reperire potuerit, aliquam tamen Gentiliſmi labem, ut ſeptimanarum ſolennitati adſpergeret, leviſſima certe argutatur conjectura, *Sabbatha Judæorum omnia, vel tempora ſolennia, numero ſeptenario definita, ad idololatriam exſtirpandam apprime fuiſſe accommodata.* Eoque cumprimis refert *Sabbathum ſeptimanarum, aut Feſtum Pentecoſtes, poſt ſeptem a Paſchate ſeptimanas obſervandum.* Cui recte opponit MEYERVS, ſolum Deum arbitrum eſſe temporum, qui adeo accurate definivit menſes, ſeptimanas & dies, Pſal. LXXIV, 16. Dan. II, 21. Act. XVII, 26. Hujus itaque ſolius in voluntate nobis eſt acquieſcendum.

Addimus, quam Auctor noſter ſicco pede præteriit, III. *Feriationem* hujus ſolennitatis. Erat quippe Feſtum יום אחד *unius diei*, docentibus Magiſtris in Cod. *Menachoth fol.* 65. *col.* 1. & in *Bereſchith Rabba fol.* 114. *col.* 3. in captivitate tamen, & regionibus extra Palæſtinam, ubi de dierum computo non adeo certi erant, factum eſt שני ימים *duorum dierum* Licet itaque magno cum gaudio, & cultu ſingulari celebraretur, non tamen, velut Paſcha & Scenopegia, per 7 dies integros durabat, ſed uno die, ad ſummum biduo, abſolvebatur. Vir πολυμαθέστατος, BERNARDVS *ad* IOSEPHI *loc. cit.* ita definit: *Vnicus dies felicitas hæc fuit, quicquid Viri docti in contrarium diſſertant, donec ſæculo altero poſt ſcriptam Miſchnam, Judæamque derelictam, Computiſtarum Rabbanicorum ſuſpicio, aut ignorantia biduum adſeveraſſet. Vide Colbo fol.* 58 *b. c. & Menachoth fol.* 65. *T. Bab.* & paulo poſt, hanc ſuſpicatur cauſam fuiſſe tranſlati tituli Azereth, a reliquis Feſtis in Pentecoſten, *quod unicum diem ea celebritas ſumeret, cum Paſchalia & Scenopegia ſeptimanam totam, aut ſupra explicarent.*

Ritus autem atque Sacrificium Feſti 1) *novum* requirebat *Pacificum*, reſpectu nempe habito ad illud Pacificum, quod feſto Paſchatis fuerat oblatum. Abſolvebatur iſtud *duobus panibus agitationis*, ex duobus decimis unius Ephæ, de novis fructibus terræ. Vnde hoc Feſtum quoque *Feſtum primitiarum*, Num. XXVIII, 26. *Feſtum meſſis* Exod. XXIII, 16. & *Feſtum primitiarum meſſis triticeæ* audit. Conf. RASCHI *ad Num. cit. loc.* Panes iſti ad altare quidem offerebantur, & coram altari a Sacerdote agitabantur, ſed, quia fermentati erant, non imponebantur altari, ſed toti cedebant Sacerdoti. Quemadmodum enim primitiæ hordeaceæ meſſis per manipulum conſecrabantur, Domino in Paſchate oblatum, ante quam falcem immittere ipſis in ſegetem eſſet integrum: ita hi duo panes, confecta meſſe, Deo offerebantur in primitias, ut iis univerſa peracta meſſis Deo conſecraretur. Etſi enim meſſis jam peracta erat, & frumentum in horrea collectum, nemini tamen licebat quicquam inde comedere, antequam hi duo panes agitati eſſent coram Domino. Ipſam תנופה ſeu *agitationem* factam fuiſſe tradit RASCHI *ad Lev. XXIII,* 11. elevatione ac demiſſione, motioneque antrorſum & retrorſum, ſurſum ac deorſum, confecta: antrorſum quidem & retrorſum, ad cohibendum malignos Spiritus: ſurſum vero ac deorſum, ad umbras terrificas prohibendas: quæ Rabbinorum inanis eſt ſuperſtitio. 2) Vltra ſtata Neomeniæ Sacrificia, requirebatur bos juvencus, duo arietes, ſeptem agni, duo agni alii, cum ſuis pacificis & libaminibus, ac hircus demum in Propitiatorium Levit. XXIII, 18 ſq. Num. XXVIII, 27 ſqq. quæ omnia juxta legem rite mactanda, & hinc adolenda, hinc a Sacerdotibus comedenda erant. Cerimoniæ autem Feſti ita habebant: *a.* Tubarum illud clangore intimabatur & ſanctificabatur, quo ſic convocaretur cœtus: *b.* Nullum hoc die ſervile aut moleſtum opus fieri fas erat, ſed ſacris ſolum exercitiis, & cultu publico peragebatur, æque ut Sabbathum Lev. XXIII, 21. *c.* Magno cum gaudio & tripudio totius populi celebrabatur, Devter. XVI, 11. Gaudio, non carnali & mundano, ſed religioſo, cujus materia Deus gratioſus erat, quo inſimul recordari debebant, ſe fuiſſe ſervos in Aegypto verſ. 12. Etſi enim hujus rei memoriam refricabant quovis Feſto Paſchatis, quamdiu tamen Deus ipſos

non

non deduxerat usque ad montem Sinai, ibidemque in fœdus adſciverat, ut ſibi forent populus peculii, nondum videbantur habere alios legitimos dominos, præter Aegyptios. Sed fœdere illo publicato die Pentecoſtes, & decem verbis promulgatis, nullum Regem & Dominum amplius agnoſcebant, præter unum Deum ſummum, quod beneficium non poterat non magnum excitare gaudium.

Ad §. IV. pag. 70.

(3) *Et oblatio eucharistica fuerunt, & ſignum collectæ meſſis*] Pertinent iſta ad IV *Cauſam & Finem* inſtituti feſti. Hunc equidem MAIMONIDES in *More Nevachim P. I. cap. XLI.* legislationem fuiſſe cauſatur. Pentecoſte enim ipſa dies eſt, qua Lex de monte Sinai data. Hinc, quia viſio illa manifeſtati Dei, non niſi unum diem duravit, ideo & memoria ejus quotannis per unicum ſaltem diem celebrabatur. ABARBENEL autem *Comment. in Legem fol.* 262. *col.* 3. haud gravatim quidem largitur, quod in Feſti Septimanarum die Lex ſit lata, Feſtum tamen in ejus præciſe memoriam inſtitutum eſſe negat. Veram enim ejus cauſam eſſe initium meſſis tritici. Quemadmodum enim Feſtum Tabernaculorum circa finem collectionis proventuum agebatur, ſic initio collectionis eorum Feſtum Septimanarum, ut in utroque laudes celebrarent ejus, qui panem dat omni carni. Sed quid obſtat, quo minus unum finem alteri jungamus, ut primario quidem pro felici meſſe, terræque ubertate gratam teſtarentur mentem, hinc etiam ut Legis recordarentur, patribus olim hoc die latæ? Chriſtiani certe doctores poſterius hoc cumprimis tenent & urgent. Ex quibus tamen duumviri Hebraice doctiſſimi, WOLFGANG. FRANZIVS *de Interpret. Script. Orac.* 121. & SALOM. GLASSIVS *Exegeſ. in Epiſt. Pentecoſt. Act. II,* 1. *Part. III. p.* 454. caute monent, ne quis vel in Feſti Pentecoſtes celebratione Legem eſſe promulgatam, vel in recordationem promulgatæ Legis Pentecoſten fuiſſe inſtitutam & celebratam, exiſtimet, cum vera hujus Feſti cauſa finalis fuerit Minchæ novæ oblatio ad celebrandum Jehovam pro beneficio ſuſtentationis corporalis &c.

Ad §. V. & VI. pag. 70.

(4) Δευτερόπρωτον σάββατον, *Luc. VI,* 1.] De vero difficillimæ hujus vocis, cui אין חבר במקרא *non alia ſimilis eſt in ſacris,* & quæ ἅπαξ λεγομένη, etymo & ſenſu, tres præſto ſunt diſſertationes, IOH. FRISCHMVTHI, HENRICI MVLLERI, & SEB. SCHMIDII, quæ & ſententiarum circa illam divortium pandunt, & univerſum rei latifundium exhauriunt. Primus horum, Auctori noſtro adſtipulatur, & *cap. II.* §. 2 *ſqq.* interpretationem iſtam, quam primus indagavit & prodidit SCALIGER, perſpicue declarat, ac Rabbinorum ſuffragiis munit. Deus quippe Lev. XXIII, 10. præcepit, ut manipulum frugum offerat populus ממחרת השבת *poſtridie Sabbathi*, h. e. diei primi Paſchatis, quod ſæpius jam fuit monitum. Ab illo vero die ſecundo Paſchatis, quo falx, oblato manipulo, in meſſem mitti incipiebat Deut. XVI, 9. ſeptem שבתות ſeptimanæ erant numerandæ, donec Feſto Septimanarum novum munus, triticeæ nempe primitiæ, offerretur. Inde factum eſt, ut omne tempus inter duas concatenatas illas ſolennitates, Paſchatis & Pentecoſtes intercedens, memoriam illius diei ſecundæ Paſchatis ſecum ferret, & Hebræi calculum ineundo illius facerent mentionem. Illud itaque Sabbathum, quod ab illo ſecundo die Paſchatis proximum erat, δευτερόπρωτον audiebat, ſecundum δευτεροδεύτερον, tertium δευτερότριτον, & ſic amplius. Notat ergo hæc vox, πρῶτον ἀπὸ τῆς δευτέρας τȢ πάσχα, Sabbathum primum poſt Omer, vel manipulum, poſtridie Paſchatis oblatum; quo tempore ſpicas in agro fuiſſe idoneas, quæ manibus friarentur, regionum iſtarum conditio neminem ſinit dubitare. Diſcedit quidem ab hac ſententia BERNARDVS *loco ſupra cit.* ſed inter varias fluctuans interpretationes, nec inveniens, ubi pedem figat.

Ad §. VII. pag. 71.

(5) *Differentiam inter ipsorum messem & nostram*] Hæc faciunt ad retundendam IOH. MALDONATI φλυαρίαν, qui *Comment. ad Luc. VI*, 1. fictum arbitratur, in Palæstina eo tempore, propter vehementem calorem, segetes solitas fuisse maturescere. Quia enim sub æquinoctium Sol, cum in Arietem ingreditur, vertici Palæstinorum, utpote Aequatori multo viciniorum, fere tam propinquus est, quam nobis tempore Solstitii, adeoque eis tunc calor non minor, quam nobis, ipsis diebus canicularibus, nihil causæ est, cur id confictum criminetur Jesuita. Consentit ABARBENEL, qui *Commentar. in Leg. fol.* 262. *col.* 2. diserte pronunciat, ita tulisse indolem terræ Israelis, cujus fructus erant præcoces, ut messis hordeorum postridie Paschatis inchoaretur. Addimus

V. Festi hujus *translationem in Ecclesiam Christianam*, per solennem Spiritus Sancti effusionem Act. II. ubi lex fidei egressa est e Zione, & verbum Domini ex Hierosolymis Jes. II, 1. Inde primitiæ Spiritus effusæ sunt in Sanctos, totaque sanctificata messis. Quemadmodum etiam die XVI Nisan, qui ipse est dies resurrectionis Christi, manipulus primitiarum Domino offerebatur; in N. T. hoc ipso die docebatur, Christum primitias esse dormientium 1 Cor. XV, 20. messemque universam velut inchoasse & aperuisse sua resurrectione, ipsum ut sequeretur omnis fidelium turba &c. Confer BIERMANNVM, eosque, qui typos V. T. ex instituto interpretati sunt. Quanto autem in pretio primitiva Ecclesia hoc Festum habuerit, ex EVSEBII constare poterit testimonio, qui *lib. IV. de vita Constantini cap. LXIV.* Constantinum, ultimo hujus festivitatis die, mortalium numero exemptum memorans, eam τὴν μεγίστην ἑορτὴν τῆς δὴ πανσέπτου καὶ παναγίας Πεντηκοστῆς· ἑβδομάσι μὲν ἑπτὰ τετιμημένης, μονάδι τ' ἐπισφραγιζομένης, *maximam solennitatem* vocat, *venerandæ & sacratissimæ Pentecostes: quæ septenario hebdomadum numero decorata, unitate obsignatur.*

AD

LIB. III. CAPVT VI.

DE FESTO TABERNACVLORVM.

Ad §. I. pag. 71.

Vocabulum Græcum - - Hebraice dicitur] Appellatio Festi est חג הסכות *Festum tentoriorum*, structorum ex ramis frondentibus, quæ Israelitæ religionis causa, & jussu Divino, septem diebus quotannis incolebant. In N. T. vocatur Σκηνοπηγία, Joh. VII, 2. seu Tabernaculorum exstructio. Origo & ratio cum denominationis, tum festivitatis ipsius, a Deo ipso traditur Lev. XXIII, 42. Aegypto quippe egressi Israelitæ, ex Ramesses, urbe Aegypti (Genes. XLVII, 11.) Succothas pervenerunt, in vicum Aegypto vicinum, a Tabernaculis ita vocatum, quorum istic materia fuit copiosa. Hic primum Israelitæ, ædibus carentes, opere levissimo ex arborum frondibus tentoria sibi exstruxerunt, & in illa se receperunt. Exod. XII, 37. Vocatur etiam juxta nonnullos, Exod. XXIII, 16. חג הקציר *Festum messis*, quod post omnium proventuum terræ, olivarum, vini, & frumentorum collectionem, celebraretur: etsi rectius alii ad Festum Pentecostes id nominis referant, ut *Cap. præced.* §. *I.* notavimus. Sed hoc nostrum alias quoque חג האסיף בצאת השנה *Festum collectionis in exitu anni*, & Exod. XXXIV, 22. חג האסיף תקופת השנה *Festum collectionis in revolutione anni* appellatur, quia in Tekupha,

pha, seu revolutione anni civilis, cum vetus finiret, & novus inciperet, die 15. mensis Tisri sqq. celebrabatur. Cur tamen ita dicatur, quærit & excutit MEYERVS *de temp. sacr. & festis Hebr. P. II. cap. XVI.* §. 9. cum die decimo quinto novi anni, seu medio mense Tisri, non in fine unius, & initio alterius, fuerit celebratum, longeque convenientius dixisset Scriptura: בראש השנה *initio anni?* rationemque reddit, quod Tekupha seu conversio anni illud notet punctum, in quo præcise annus solaris definit, quod non est idem cum primo novilunio, seu die I Tisri. Demum Talmudistis κατ᾽ ἐξοχὴν חג *Festum* salutatur, quia nullum apud Judæos festum tanta cum celebritate ac hilaritate observatum fuisse tradunt. Vnde hoc inter tria illa רגלים *Festa anniversaria* maximo illis loco habetur, cujus summa præ ceteris esset exultatio.

Ad §. II. pag. 71.

(2) *Quantum ad hæc Tabernacula*] Præcipuum hujus Festi requisitum erat, Tabernaculorum cum exstructio, tum per octiduum inhabitatio. *a*) Materia eorum erant *spathi palmarum, & rami arboris densæ, & salices torrentis,* juxta legem Lev. XXIII, 40. quibus Nehem. VIII, 15. *folia olivæ, & folia ligni oleagini* seu resinosi, *& folia myrti, & folia palmarum, & folia ligni umbrosi*, adduntur. Vbi tamen inter Tectum tentorii, ejusque Parietes caute distinguunt Magistri. Parietes quippe ex quibuscunque poterant compingi ramis, sed in Tecto construendo admodum sunt superstitiosi, distinguentes inter סכך כשר *tectum legitimum*, & סכך פסול *tectum profanum*. In Talmude Massech. *Succa cap. I.* §. 4. hanc ponunt הכלל *regulam generalem: Omni eo, quod immunditiei obnoxium, neque a terra productum est, non tegunt: rebus autem immunditiei non subjectis, & e terra provenientibus, tegere permissum est:* Hanc fuse interpretatur, simulque controversiam, quæ Rabbanitis cum Karraitis hic intercedit, edisserit IOH. IAC. CRAMER, *in Not. ad h. l.* quas integras suo in hunc Codicem Talmudicum commentario inseruit FRIDER. BERNH. DACHS. MAIMONIDES Hilc. *Succa cap. V.* §. I. circa materiam Tabernaculorum requirit, שנעקר מן הארץ ואין ריחו רע ואינו נושר ואינו נובל תמית: *Vt sit avulsa a terra, non male olens, nec ex ejusmodi genere, cujus folia cito solvuntur ac defluunt.* β) Structura eorum, nulla quidem lege divina, ast Magistrorum male sedula cura restringitur, & definitur, quod ultra viginti cubitos non assurgere, nec infra X palmos deprimi, quod non intra domum, neque sub arbore frondosa, sed sub dio erigi, tectumque ita construi debuerit, ut non nimis compactum vel crassum, pluviis, radiisque solaribus liberum permittat transitum; ut cap. I. & II. Cod. Succa præcipitur. Quæ eo spectabant, ut testarentur, se, posthabitis iis omnibus, in quibus alias homo fiduciam suam collocare solet, puta domo valida, omnibusque ad vitam necessariis bene prospecta, in pauperculum nunc commigrare tugurium, sola protectione atque sustentatione Divina fretos, ac proinde eandem cum piis olim patribus, absque omni sede fixa in deserto palantibus, fidem profiteri. Quæ Rabbinorum testimoniis confirmat laudatus DACHS *in Cod. Succa p.* 527. γ) Incolatum in his tentoriis ita paucis complectitur MAIMONID. in Hilc. *Succa cap. V.* §. 5. *Præceptum de incolendo Tabernaculo quid exigit? ut quis edat, bibat, ac commoretur in Tabernaculo per integrum septiduum, die noctuque, eo plane modo, quo domi suæ ceteris anni diebus facere consuevit. Per integrum itaque septiduum homo domum suam non nisi pro sede accidentaria, Tabernaculum vero pro fixa habeat oportet, quia dicitur: in Tabernaculis commorabimini septem diebus*, Lev. XXIII, 42. Hoc fine supellectile omnis generis, vasaque pulchra Tabernaculo inferunt Judæi; ne quid tamen nimis hac parte fiat, R. ISAAC BEN ARAMA in *Comment. in Legem f.* 198. *col.* 2. cavit: *Vulgo* in Tabernaculum nil transferunt præter *lectum, mensam, scamnum atque candelabrum: id quod miram nobis suppeditat admonitionem, ne scilicet homo*

mo nimium studeat adaugendis opibus suis. Sufficere enim ei possessionem rerum maxime necessariarum tantum, per totum illud tempus, quo in hujus mundi vestibulo, quod non nisi habitaculum accidentarium est, degit &c. Nec otio vel luxu diffluendum ipsis erat in Tabernaculis, sed in Legis studio, seriaque beneficiorum Divinorum meditatione tempus collocandum. Tria cumprimis pietatis exercitia in tentoriis erant peragenda: 1. gratiarum actio, pro convectis frugibus, 2. commemoratio beneficiorum, quæ in deserto, populo Israelitico contulerat Deus, 3. admonitio conditionis humanæ, quod in terris peregrini sumus, patriam in cælis habituri manentem. *δ*) Duratio hujus solennitatis septem dierum ambitu continetur. Hinc die septimo, prandio finito, supellectilia convasare, atque in domum denuo referre Judæi incipiunt: & licet tentorium non penitus dissolvant, deferunt tamen, minuunt & spoliant, ut majori cum lætitia novum Festum, שמיני עצרת dictum Lev. XXIII, 36. Num. XXIX, 35. excipiant. Nam שמיני רגל בפני עצמו *dies octavus Festum singulare est*, definiunt in Gem. Babyl. *Succa fol.* 48. *col.* 1. Etsi nihil dubitat DACHS *cit. loc. p.* 530. hunc diem pro clausula festi Tabernaculorum accipere, unde nomen עצרת / quod LXX eleganter ἐξόδιον vertunt, adeptus est, quia Festum, eo usque deductum, coercet & claudit. Eandem Auctor noster sententiam tenet *infra* §. *IX.* Confer Vener. DEYLINGII *Observat. Miscellan. Exercit. XX. pag.* 877. maxime §. *II. & III.* ubi octoemeron hujus Festi tuetur, vocab. עצרת illustrat, locum autem Joh. VII, 37 sq. ex instituto exponit.

Ad §. IV. pag. 71.

(3) *Ramorum fasciculum tulerit*] Iste ramorum fasciculus לולב *Lulabh* dicitur, de quo, ut & de malo citreo, copiose præcipit Mischna Mass. *Succa cap. III.* ELIAS LEVIT. in תשבי *h. v.* exponit per *surculos supremos, qui sunt in capite arboris Palmæ: & in voce* Hoschaana: *fasciculi salicum torrentis, quos tollunt in festo Tabernaculorum, vocantur* הושענות *Hoschaanoth, eo quod clamant super ipsis* הושענא *i. e.* הושיע נא *salvum fac, obsecro. Solent autem ita duas dictiones componere, brevitatis causa, dicendo* הושענא. Nimirum fasciculum ex ramis palmæ, myrti, & salicis, quisque sibi parabat, colligatumque funiculis aureis & argenteis, vel aliis vittis, toto festo manibus gestabat. Huic addebat אתרוג *pomum Assyrium;* id enim per פרי עץ הדר *fructum arboris decoræ* Levitic. XXIII, 40. intelligunt. Fasciculum dextra, pomum sinistra, olim Templo superstite, per integrum Festi septiduum gestabant, & hodienum in illius memoriam gestant. Cumprimis autem Lulabh quassabant, ad omnes quatuor mundi plagas, nec non sursum & deorsum ter propellentes, ac iterum reducentes, & quotidie altare, frondibus coronatum salignis, ramosque versus id porrigentes, semel circumire solebant, identidem ingeminantes Psalmi CXVIII, comma 25. אנא יי׳ הושיעה נא / אנא יי׳ הצליחה נא septimoque die septies id faciebant, in memoriam captæ Jerichuntis, ut est in Gem. Hieros. *Succa fol.* 54. *col.* 3. *hal.* 3. Quotidie, cum abibant, dicere solebant לך מזבח יופי לך מזבח יופי *pulchritudo tibi, o altare, pulchritudo* &c. Quia vero die septimo vox illa Hoschianna toties audiebatur, inde dies ipse הושענה רבא *Hosanna magnum* vocabatur: quod Auctor noster monet §. 10. Eumque notari censent Interpretes Joh. VII, 37. per μεγάλην τῆς ἑορτῆς. Solennem hanc diei septimi festivitatem data opera, & copiose exponit SVRENHVSIVS in βίβλῳ καταλλαγῆς *ad cit. loc. Joh. p.* 353 *sqq.* Quanta autem mysteria in Lulabh venari soleant Judæi, ipsorum testimoniis exponit DACHS *ad Cod. Succa cap. III.* §. 8. *not.* 1. & *p.* 537. Denique in verbis Matthæi XXI, 9. ab Auctore excitatis, verbum ὡσαννὰ adverbiascere, idemque valere, quod in Romanorum acclamandi formulis: *Feliciter!* censet CRAMERVS apud DACHS. *inc. III. Succa* §. 9. *not.* 3. *p.* 251. nominis vero Substantivi rationem induere, existimat DACHS *cap. IV.*

§. *V.*

§. V. Not. 5. p. 332. Adagialiter ab exultante turba accipi, facile largimur, ita tamen, ut Psalmi verba in Christo impleta testaretur, & hoc sibi vellet: Accinimus hymnum Hosanna filio Davidis, eique cultum hujus festi venerabundi consecramus. Confer etiam, si placet, CAROLI MARIAE DE VEIL *Explicat. literal. Matth. ad cap. XXI*, 8, 9. itemque *Marci ad cap. XI*, 8. ubi & verborum hymni interpretationem reddit, & morem veterum confert, quo, arborum frondes gestantes, hospitem peregre adventantem excepisse docet. Quomodo autem trina Lulabhi agitatio in formam crucis, typum crucis Christi gesserit, exponit EDZARD. *ad Avoda Sara c. II. p.* 247 *sq.* Quando denique Christianorum Festum Palmarum, Syris *Festum Hosannarum* appellatum, in Orientali Ecclesia institutum sit, scilicet circa A. C. 500, disputat, & evincit ASSEMAN. *T. I. Biblioth. Orient. p.* 23 *sq.*

Ad §. V. pag. 72.

(4) PLVTARCHVS *illudens Judæis*] Juvat audire PLVTARCHVM, cum ad eum viri docti certatim hic provocent, unus hanc, alteram ille, particulam decerpentes. Ita autem ille Συμποσιακῶν *Lib. IV. Probl.* 5. *Tom. II. Opp. pag.* 671. Τῆς μεγίστης καὶ τελειοτάτης ἑορτῆς παρ᾽ αὐτοῖς (τοῖς Ἰουδαίοις) ὁ καιρός ἐστι καὶ ὁ τρόπος Διονύσῳ προσήκων· τὴν γὰρ λεγομένην Νηστείαν ἀκμάζοντι τρυγητῷ τραπέζας τε προτίθενται παντοδαπῆς ὀπώρας, ὑπὸ σκηναῖς, καὶ καθιᾶσιν ἐκ κλημάτων μάλιστα καὶ κιττοῦ διαπεπλεγμέναις, καὶ τὴν προτέραν τῆς ἑορτῆς σκηνὴν ὀνομάζουσιν· ὀλίγαις δὲ ὕστερον ἡμέραις ἄλλην ἑορτὴν οὐκ ἂν δι᾽ αἰνιγμάτων, ἀλλὰ ἄντικρυς Βάκχου καλουμένου τελοῦσιν· ἔστι δὲ καὶ κραδηφορία τις ἑορτὴ, καὶ θυρσοφορία παρ᾽ αὐτοῖς, ἐν ᾗ θύρσους ἔχοντες εἰς τὸ ἱερὸν εἰσίασιν· εἰσελθόντες δὲ ὅ, τι δρῶσιν, οὐκ ἴσμεν· εἰκὸς δὲ Βακχείαν εἶναι τὰ ποιούμενα· καὶ γὰρ σάλπιγξι μικραῖς, ὥσπερ Ἀργεῖοι τοῖς Διονυσίοις, ἀνακαλούμενοι τὸν θεὸν, χρῶνται· καὶ κιθαρίζοντες ἕτεροι προσίασιν, οὓς αὐτοὶ Λευίτας προσονομάζουσιν, εἴτε παρὰ τὸν Λύσιον, εἴτε μᾶλλον παρὰ τὸν εὔιον τῆς ἐπικλήσεως γεγεννημένης. Quæ GVILIELM. XYLANDER ita vertit: *Maximæ & perfectissimæ Judæorum solennitatis & tempus, & modus, cum Bacchi Sacris congruit. Quod enim ipsi vocant Jejunium, id sic celebrant, ut maxime fervente vindemia proponant mensas, in quibus exposita sint omnis generis fruges: & sub Tabernaculis desident, potissimum e palmitibus & edera quæ contexuntur, & diem, quæ Festum antecedit, Tabernaculariam nominant. Paucis vero post diebus, aliam festivitatem non obscure, sed omnino aperte Baccho nuncupatam celebrant. Est etiam solenne apud eos festum Cradephoria, a palmitibus gestandis, & Thyrsophoria, ubi thyrsos gestantes in Templum intrant. Quid intus faciant, ignoro: credibile est, Bacchi ab iis sacra peragi. Nam & tubis exiguis, sicut Argiui Bacchanalibus utuntur, ad evocationem Numinis: & alii progrediuntur citharis ludentes, quos ipsi Levitas appellant, sive a Lysio, sive ab Euio (utraque vox Baccho congruit) ita dictos.* Quam crassa Judaicorum rituum & sacrorum ignorantia, vel doctissimi Gentilium laborent, hoc documento discas. Quot enim fere lineas hic legis, tot errores. Et 1) quidem recte, & ex vero, maximam & perfectissimam hanc Judæorum solennitatem dicit, sed graviter hallucinatur, eam cum in Bacchum intorquere nititur: 2) Nunquam vel Jejunium vocant, vel in Festo Tabernaculorum celebrant Judæi, cum laute potius vivant: 3) In contexendis tentoriis, palmitibus hederam admiscet, quæ omnino ab iis exulabat: 4) Diem, quæ Festum antecedit, Σκηνὴν h. e. סוכה appellari tradit, cum universum potius Festi septidunm hoc nomine veniret: 5) Θυρσοφορίαν, post Tabernaculi festum, in aliam rejicit solennitatem, quæ toto tamen festo, ejusque die cumprimis ultimo, rerum potiebatur: 6) Quæ de tubis & citharis nugatur, a solenni & splendida Judæorum Musica longe superantur: 7) Quid quæso, demum, absurde magis excogitari poterat, quam nominis Levitarum originatio? Adeo, vir cetera doctissimus, quadrata miscet rotundis, nec habet, vel ubi pedem figat, vel unde Bac-

 chi

chi commento colorem conciliet; ut quantum, in Antiquitatibus Judæorum enarrandis, Gentilium tribuendum ſit teſtimoniis, liquido hinc intelligatur. Hunc, eique connexum alium, de Sabbatho errorem PLVTARCHI, atro carbone notat, nec tamen confutat, ſed indicaſſe ſatis habet, Vir ſummus PETRVS CVNAEVS *de Republ. Hebr. lib. II. cap. XXIV. in fine.*

Ad §. VI. pag. 72.

(5) *Vocatum eſt Dies Palmarum*] Diem Feſti ultimum & maxime ſolennem, *Hoſanna magnum* dictum fuiſſe, monui *ſupra Not.* 3. & Auctor inculcavit *infra* §. 10. Eundem autem etiam חג ערבים *feſtum palmarum* ſeu ſalicum potius Judæis audiviſſe, mallem teſtimonio Rabbini demonſtraſſet Auctor, quam HOSPINIANI & MVNSTERI. Hanc etenim Feſti appellationem, apud ipſos non memini me legiſſe. Ex κακοζηλία vero quadam, Eccleſiam ſequioris ævi Romanam, hac parte Judæos imitatam fuiſſe, cum appellatione *Dominicæ in ramis palmarum*, tum palmarum conſecratione, dubium adhuc eſt. De Dominica iſta, laudatum evolve HOSPINIANVM *de Feſtis Chriſtian. p.* 72 *ſq.* conſecrandi autem ritum docet BARTHOL. GAVANTVS *in Theſ. Sacror. rituum p.* 220 *ſqq.* Mavult tamen IOH. ANDR. SCHMID. in *Hiſt. Feſtorum & Dominicor. p.* 113. Chriſtianam hujus Dominicæ appellationem a frondibus palmarum & olivarum derivare, quas nempe Chriſto, Hieroſolymas ingredienti Matth. XXI. populus in via ſternebat. Sed & in Eccleſia Græca, hanc Dominicam ἑορτὴν τῶν βαΐων *Feſtum ramorum*, ἡμέραν τῆς βαϊφόρου *Diem geſtationis ramorum*, & ſine addito alio βαϊοφόρον, *ramiferam*, vel *palmiferam* ſalutari, quia populus *magnæ pompæ apparatu, ramis olivarum, palmisque, in cruces ac alias formas confictis, in ramis appenſis, diem Dominicum celebrat*, LEO ALLATIVS *Diſſert. de Dominic. & Hebdomad. recentior. Græcor.* §. 20. idoneis comprobat documentis.

Ad §. VII. pag. cit.

(6) *Ad rationes hujus feſti*] Vtramque Feſti Tabernaculorum rationem, ad lætitiam & euchariſtiam refert MAIMONID. *in More Nevochim P. III. cap.* 43. quo Feſtorum cauſas exponit: 1) quod exire jubeantur ex ædibus ſuis, ad habitandum in Tabernaculis, eremitarum more, qui cum magno dolore & moleſtia in deſertis commorantur, id non ad nudam tendere recordationem miſeræ conditionis majorum in deſerto, per Lev. XXIII, 43. ſed & ad gratam celebrationem, quod poſteri, Terram Sanctam inhabitantes, ab iſta conditione translati ſint, ad habitandum in domibus pictis, in loco optimo ac pinguiſſimo totius terræ: 2) quod poſt collectas fruges celebrent, id per Exod. XXIII, 16. eo ſpectare, quia tum requies tibi eſt, & reſpiratio a tuis negotiis; quod etiam ex ARISTOTELIS *lib. VIII. Ethic. cap.* 9. illuſtrat, exemplo Gentilium, qui ſacrificia ſolennia, cœtusque & conventus publicos habuiſſe perhibentur *poſt collectionem fructuum & proventuum, quaſi eſſent ſacrificia pro reſpiratione facta.* Paulo aliter inflectit ABARBENEL *Comment. in Legem fol.* 266. *col.* 2. duplex huc accommodans Feſti præceptum, *alterum* de tentoriis inhabitandis, in memoriam præteriti beneficii per Lev. XXIII, 42. *alterum* de Lulabh propter præſens beneficium ſingulis annis, ר״ל לתת שבח והודאה אליו על אסיפת התבואות בזמן ההוא היו נאספות מן השדה: i. e. *tribuendam eſſe Deo laudem & confeſſionem propter collectionem proventuum, qui hoc tempore convecti erant ex agro.* Plus æquo autem ingenio ſuo indulget LIGHTFOOTVS, quando *in Harmon. IV Evangel. in Luc. III,* 21. *Tom. I. Opp. fol.* 341. primariam originis ac inſtituti hujus Feſti rationem hanc ediſſerit: *Cum Moſes diuturno jejunio atque precatione Deum, propter fabricatum vitulum, iratum placaverat, & quas confregerat ipſe, Legis tabulas denuo inſtauratas acceperat, una cum auctoritate, Tabernaculi de novo erigendi, propter iſtud peccatum aliquandiu impediti, deci-*

mo mensis Tisri, i. e. ex nostro computo, 22 vel 23 Septembris, a monte descendens, lætum de pacato Numine, & recuperato ejus favore apportat nuncium; qui deinde dies, in perpetuam reconciliationis atque expiationis memoriam, solennis habebatur. Populus autem, cum jam intelligeret, figendum esse Tabernaculum, Dei inter eos habitantis sedem, nec inde, scilicet a monte Sinæ, abeundum esse, donec istud opus absolutum esset; castra ponere, & tentoriis adversus adventantem hyemem se munire inceperunt, atque opus læti aggrediuntur. Atque hæc erat solennitatis origo. Cui vellem, LIGHTFOOTVS fidem, vel saltem umbram ex Scriptura conciliasset, quæ ne verbo quidem hujus rationis meminit, vel ortus. Licet vero hodie extra terram promissam dispersi agant Judæi, eum tamen adhuc Festi finem observant, ut pro frugibus terræ, victu & amictu, tam quoque pro securis habitationibus, humillimas Numini Supremo decernant grates.

Ad §. VIII. pag. 72.

(7) *Sacrificia præscripta sunt Num. XXIX, 13, 14*] Vix alia totius anni festivitas tanto colebatur sacrificiorum numero, qui integro septiduo, una cum quotidianis, ultra 200 excurrit. Primo die offerebantur, præter quotidiana, 13 juvenci, 14 agni, arietes 2, & hircus unus, quorum numerus idem per integrum septiduum manebat, excepto, quod juvencorum numerus, uno quotidie minueretur, ita ut in universum 70 existerent juvenci. Oblationis autem victimarum istarum eum constituerant ordinem, ut unaquæque ex XXIV classibus Sacerdotum, in Festo tum ministrantibus, suas in victimis partes haberent, quem prolixe descriptum lege Tr. *Succa cap. V. Mischna* 6. & apud MAIMONID. Hilc. *Temid. Vmusaph. cap. X.* §.12. Præter stata ista sacrificia, magno numero alia adducebantur a populo, quæ עולות ראייה *Holocausta comparitionis* audiebant. Juxta legem enim Exod. XXIII, 15. & Deut. XVI, 16. ריקם *vacuis* Deum adire non licebat, sed quilibet *juxta donum manus suæ, & benedictionem, qua Deus ipsi benedixerat*, secum afferre debebat holocausta quadrupedum vel avium, & qui id facere neglexerat, non saltem transgressionis præcepti affirmativi, sed & negativi, reus censebatur, juxta MAIMONID. Hilc. *Chagiga cap. I.* §. 1. Præterea septem illis diebus libari solebat aqua super altare, ita quidem, ut cum libamine vini, ad juge sacrificium matutinum pertinentis, illa aqua super altare effunderetur. Libabatur autem aqua ad cornu altaris australe occidentale, supra ambitum altaris medium, ut descenderet usque ad illa foramina, hunc in finem in illo cornu fabricata. Nam ampulla aurea, continens tres logos, replebatur aqua ex amne Siloah, quæ si per Portam aquarum afferretur, inflabant tubas, sono plano, fracto, & iterum plano; deinde ascendebat Sacerdos altare, respiciendo ad sinistram, & effundebat aquam elata manu ex ampulla in cyathum, vel tubum argenteum occidentalem (nam tubus orientalis erat pro libamine vini) ut aqua ad pavimentum altaris per istum tubum descenderet, & sic ulterius in torrentem Kidron derivaretur. De quibus omnibus MAIMONID. præcipit citat. Hilc. *Temid. Vmusaph. cap. X* §. 3 *sqq.* Sigillatim autem, *de libatione aquæ in Festo Tabernaculorum, a Judæis Rabbanitis sub Templo secundo demum introducta*, erudita dissertatione Vir summus, CONRAD. IKENIVS, *in Symb. literar. Bremens. Tom. I. P. II. p.* 160. curate omnia complexus est, quæ memoratu digna in Judæorum & Christianorum scriptis sparsim leguntur. Accedebat Musica, a Levitis, dum offerrentur victimæ, suavissime decantata: & singulis septidui diebus psalmi erant proprii dicati: secundo quippe Ps. XXIX. tertio Ps. L. quarto Ps. XCIV, 16. quinto *ibid.* v. 8. sexto Ps. LXXXI, 7. septimo Ps. LXXXII, 5. Quin etiam post oblationem sacrificii vespertini, solebant singulis diebus, usque in seram noctem, tibiis canere, citharis, nabliis, & cymbalis, & saltare atque canere assa voce, quam lætitiam celebrabant præcipui sapientes, Synedrii Assessores, Seniores & pii alii, spectantibus mulieribus,

bus, & viris, qui sedebant in peculiaribus ambulacris in Atrio mulierum, hunc in finem fabricatis. MAIMONID. Hilc. *Lulabh cap. VIII.* §. 12 *sqq.*

Ad §. VIII. pag. 72.

(8) *Juxta numerum LXX nationum*] Nimirum LXX nationes, totidemque linguas, in universo orbe dari, ex Gen. X. conficiunt Judæi, unde quoque de Candidatis in Synedrium cooptandis requisiverunt, ut sint יודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרין שומעת מפי המתור גמן: *periti LXX linguarum, ne opus habeat Synedrium audire ex ore interpretis*, ut R. MOSES MIKOZI habet in *Sepher Mizvoth Gadol præc. affirm. XCVII.* Huc ergo respici LXX hujus Festi juvencis, contendit Gemara Babylon. Cod. *Succa fol.* 55. *col.* 2. eorundemque quotidiana diminutione; quam tamen R. ISAAC BEN ARAMA in *Akedath Jizchak fol.* 198. *col.* 4. ad diminutionem sæcularium negotiorum apud unumquemque hominem refert, donec in uno Deo suaviter acquiescat, atque sic vitæ sæculi futuri particeps evadat. Contra vero HENRIC. AINSWORTH *Annotat. ad Num. XXIX,* 17, *&* 36. sensum diminutionis istius mysticum in eo ponit, ut quotidie decrescant in peccatis; tum quoque, ut paulatim animi ipsorum a Leviticis sacrificiis avocarentur, & offerre semet ipsos hostiam Deo acceptabilem discerent Rom. XII, 1. Hinc Christum quoque, die Festi ultimo, populum a carnalibus ejusmodi observationibus avocatum, ad se arcessivisse unum Joh. VII, 38, 39. Quod superest, de LXX populis terræ, & LXX linguis, totidemque Angelis, qui singulis gentibus præfecti sint, conferri meretur BOCHART. *in Phaleg lib. I. cap. XV.* edit. Francof. *p.* 60 *sqq.*

Ad §. IX. pag. eand.

(9) *Peculiare quidem festum fuit*] De die octavo supra jam diximus *Annotat.* (2). Nimirum Festum Tabernaculorum, quod die 15 mensis cœpit, die 21 mensis, qui septimus erat Festi, & Hosanna Rabba dicebatur, finiit. Dies 22 Azereth dicebatur, Lev. XXIII, 36. quod tamen nomen diei septimo Paschatis pariter tributum Deut. XVI, 8. legitur. Et in nominis quidem עצרת vim ac notionem, cum cura inquirit MEYERVS *de Tempor. sacris & Festis cap. XVI.* §. 15, 16, 17. nec hæsitat, octavum festi Tabernaculorum diem eo insignire. Pariter DACHS *in Succa* supra citatus; nec Judæi, licet eum peculiare constituant Festum, sive cultum peculiarem, sive scopum ac finem proprium, allegare de hoc die possunt: nisi hoc urgeant, die 22 Tisri primitias fructuum serotinorum adductas, & gratias pro iis Deo fuisse actas, qui communis tamen totius Festi scopus erat. IVL. BARTOLOCCIVS tamen *Biblioth. Rabb. P. II. p.* 431. peculiare hoc constituit *Festum collectæ, in quo colligebantur pecuniæ pro sacrificiis.* Etsi paulo post *p.* 692 *sqq.* ubi ex instituto de hoc septimo die agit, eum nullibi in Scriptura חג *festum* salutari observat. Quando vero Auctor §. *X.* diem octavum *Hosanna Rabba* appellatum perhibet, rationes turbat, conferens in octavum, quæ septimo solum diei competebat, nomenclaturam.

Ad §. XI. pag. 73.

(10) *Vltimam sectionem Pentateuchi, incipiuntque primam*] Novum hoc Festum erat חג שמחת תורה *festum gaudii legis* nuncupatum: alias quoque ברכה dictum, quia eo die caput penultimum Deuteronomii, benedictionem populi Mosaicam complexum, in Synagoga legitur. BVXTORF. in *Synag. Jud. cap.* 27. ita de eo tradit: *De hoc Festo nihil in Lege habetur, sed a Rabbinis institutum est, ut de Dei benignitate lætarentur, qui illos iterum per annum unum in lege studere, & exerceri permiserit, legisque lectionem & expositionem hoc die absolvi, quæ est ejus miseratio, concesserit.* In quem autem ingruat diem, octavumne, vel nonum Scenopegiorum, anceps inter eruditos & dubia est quæstio. Pro octavo, cum Auctore nostro, calculum fert LVDOV. DE DIEV *in Joh. VII,* 37. &

LEYDEKKERVS *lib. IX. de Republ. Hebr. cap. VII. p.* 564. *b.* pro nono BVXTORFIVS laudato loco, cui nos adſtipulati ſumus in *Crit. Sacr. P. I. cap. IV.* §. 4. *p.* 144. Dies quippe 23 menſis Tiſri auſpicium dabat anniverſariæ lectioni a Gen. I. feſtusque habebatur, שמחת תורה dictus. LVNDIVS *lib. V. Antiqu. Jud. cap.* 27. §. 18. utramque ita conciliare nititur ſententiam, ut Templo & Sacerdotio ſuperſtite, ſolennitatem iſtam octavo die obſervatam cenſeat, nonoque libertatem revertendi domum exteris factam, quia plures, præter octo, feſtivitatis hujus dies ſolennes Scriptura ignorat: ex Rabbinorum vero ſcito, ſequioribus temporibus lætitiam illam in nonum translatam fuiſſe diem. Verum nonum diem omnino Scriptura ignorat, qui non ejusdem, ſed Magiſtrorum auctoritate Feſtis eſt adſcriptus, ut ex ejus ſilentio nullum pro octavo die depromi poſſit argumentum. In *Beth Joſeph* quidem *cap.* 669. vetuſtiſſima Feſti origo ex 1 Reg. III, 15. arceſſitur, ſed fide perquam dubia. BARTOLOCCIVS paulo ante laudatus *p.* 694. (ubi pariter in d. 23 menſis Tiſri hoc feſtum figit) h. l. ita declarat: velut Salomo venit Hieroſolymam, ſtetit coram arca, obtulit holocauſta, & fecit convivium univerſis famulis ſuis, ita Judæos, poſtquam hoc die coram armario conſtiterunt in Synagoga, preces recitarunt, lectionem legis, lecta Paraſcha ברכות compleverunt, officia per inſequentem annum exercenda ſub haſta vendiderunt, & domum repetierunt, parato ibi convivio, ſplendide epulari. Alii ritus iſtius veſtigia deprehendere ſibi videntur Neh. VIII, 9. & IX, 1 ſqq. Cum enim primo Tabernaculorum die populus fleret ob Moabitidas, quas uxores duxerant, Nehemias & Eſdras lugere vetuerunt, luctumque in 24 diem menſis, qui decimus a principio feſti Tabernaculorum erat, diſtulerunt, ut die 23 h. e. nono Feſti, *Lætitiam Legis* celebrarent. Sed iterum Legis Lætitiam pridie illos celebraſſe ſupponitur, apud Nehemiam non affirmatur. Quando porro BVXTORFIVS eos, ultimam cum prima legis ſectionem combinaſſe, præeuntibus Rabbinis tradit, ad retundendam Diaboli calumniam; in eo inuſitati nihil egiſſe videntur, cum VITRINGA *lib. III. Part. II. c. VIII. de Synagoga vet. p.* 967. ex MAIMONIDE, aliisque doceat, Judæos ſectionem unius cujusque Sabbathi, cum ſectione ſequentis Sabbathi ita conjungere conſueviſſe, ut horis matutinis ſectio illius Sabbathi abſolveretur, veſpertinis autem initium caperetur ſectionis ſequentis Sabbathi, & ſic pariter diebus Lunæ & Jovis: ſequenti autem Sabbatho lectio illa a capite repeteretur & integra abſolveretur. Tempore tamen hæc diverſorum textuum lectio differebat, quod in Feſto Lætitiæ Legis, illa eodem tempore matutino continuaretur, quæ ceteris Sabbathis matutino & veſpertino diſterminabatur conventu. In legendi autem ordine, R. BENIAMIN TVDELENSIS *in Itinerar.* edit. l'Empereur *p.* 114 *ſq.* in Aegypto diſparitatem ſe deprehendiſſe teſtatur, ita ut Judæi Babylonii in ſua Synagoga legem ſingulis annis abſolvant, eundem cum Europæis Judæis ordinem ſervantes, at in Iſraelitica terra nati, ſingulas ſectiones in tres tractatus diſpeſcentes, legem triennio demum ad finem perducant. Quomodo demum hoc die, officia eccleſiaſtica, ea cumprimis, quæ ad legis lectionem pertinent, renoventur, & publica auctionis lege vendantur, pecunia vero inde collecta in ſcholæ, ſartæ tectæ ſervandæ, pauperumque uſus convertatur, copioſe exponit laudatus BVXTORFIVS *cit. loc.*

Ad §. XII. pag. 73.

(11) *Magna cum ſolennitate & lætitia, aquæ abundantiam ex torrente Siloab*] Feſtum hoc erat lætitiæ, qua omnia reliqua feſta longe ſuperabat. Ita diſerte MAIMONID. in Hilc. *Lulabh cap. VIII.* §. 12. אע״פי שכל המועדות מצוה לשמוח בהן בחג הסוכות היתה במקדש יום שמחה יתירה שנ' ושמחתם לפני יי' אלהיכם שבעת ימים: *Quanquam præceptum ſit de omnibus feſtis, ut in iis lætemur, attamen in feſto Tabernaculorum, templo ſtante, tempus fuit abundan-*

tioris lætitiæ, q. d. (Lev. XXIII, 40.) *& lætabimini coram Domino Deo vestro septem diebus.* Vnde Nehem. VIII, 9 sq. Nehemias & Esdras populum, omni verborum apparatu, ad gaudium excitant. Rationem effusioris hujus hilaritatis reddit R. ABRAHAM SEBA *in Tzeror Hammor fol.* 139. *col.* 1. quia paulo ante, in die Expiationis, remissionem omnium peccatorum suorum consecuti fuerant. Hanc autem lætitiam suam in Templo haud uno in apricum ponebant documento: I. Epulis ex sacrificiorum Eucharisticorum carnibus paratis, quas læto convivio hilares coram Domino consumebant, juxta Devter. XXVII, 7. II. Decantatione solenni Hymni *Hallel*, Psalmos sex, a CXIII ad CXVIII complexi, de quo supra diximus. Memorabile autem est, Judæos, teste Gemara *Pesach fol* 118. *col.* 1. ob argumenti dignitatem, maximi eum facere, quia summorum beneficiorum memoriam refricat: 1) exitus ex Aegypto, Psal. CXIV, 1, 2. 2) scissionis maris rubri, *ibid.* vers. 3. 3) legislationis, *ibid.* vers. 6. 4) mortuorum resurrectionis, Psal. CXVI, 9. 5) dolorum Messiæ, Psal. CXV. III. Gestatione & agitatione fasciculi Lulabh, de qua supra: IV. Libationis aquarum, ניסוך המים dictæ, de qua pariter supra *Not.* 7. dictum, juxta illa, quæ de ea in Mischna *Succa cap. IV.* §. 9. & apud MAIMONIDEM in Hilc. *Temid. Vmusaph. cap. X.* §. 7. traduntur. Eaque cerimonia, vel ad petendam a Deo pluviam, pro fœcunditate telluris necessariam, quia hoc festo Deum circa pluvias totius anni decernere statuunt, juxta R. LEVI BEN GERSOM *ad* 2 *Sam. XXIII,* 16. vel potius, ad obtinendam Spiritus Sancti effusionem, per Jes. XII, 3. tanta cum religione observabatur, ut diserte Talmud Hierosol. perhibet *in Succa fol.* 55. *col.* 1. *hal.* 1. V. Tripudio & saltatione procerum, spectante omni populo peracta, quam a MAIMONIDE in Hilc. *Lulabh cap. VIII.* §. 12 *sqq.* ex instituto descriptam, Latine solum dabimus, unde constat, quibus Scripturæ fundamentis eam suffulciant: *Vespere primi diei festi parabant locum in Sanctuario, pro mulieribus superius, & pro viris inferius, ne hi miscerentur cum illis; & incipiebant lætari ab exitu diei festi primi, & prosequebantur omnibus profestis diebus* per integrum septiduum. *Incipiebant post juge sacrificium, quod fiebat inter duas vesperas, lætabantur diu noctuque.* §. 13. *Quomodo autem peragebatur hæc lætitia? tympanum pulsabant, cythara canebant, Nabliis quoque, & Tintinnabulis personabant. Vnusquisque secundum artem, qua pollebat, vel pulsu, vel flatu, Musica instrumenta tractabat. Subsiliebant, plaudebant manibus, complodebant, saltabant; quilibet, prout sciebat, saltabat, & cantica atque laudes canebat. Hæc autem lætitia Sabbathum non propellebat, aut etiam diem festum.* §. 14. *Præceptum erat exercere hanc lætitiam, ad quam non admittebantur plebeji, aut alii sine delectu, sed Magnates, Sapientes, Academiarum Rectores, Synedrii Assessores, viri pii, Seniores, & factores bonorum operum. Isti subsiliebant, complodebant, instrumenta Musica tractabant, & lætabantur in Sanctuario, in diebus profestis Tabernaculorum. Verum toti populo, viris & mulieribus, permissum erat visu frui hac lætitia, eamque audire.* §. 15. *Quoniam lætitia, qua homo lætatur, dum præceptum adimplet ob Dei amorem, qui præcepit illud, servitus magna est, & omnis, qui prohibet seipsum ab hac lætitia, dignus est ut ea defraudetur, q. d.* (Deut. XXVIII, 47.) *pro eo, quod non serviisti Domino Deo tuo in lætitia, & in bonitate cordis. Et omnis, qui effert mentem suam, & attribuit gloriam sibi ipsi, & gloriosus est in oculis suis, in locis istis peccator & stultus est. Et super hoc admonet Salomon, & dicit* (Prov. XXV, 6.) *ne decorum ostendas te coram Rege.* §. 16. *Et omnis, qui humiliat seipsum, & in istis locis vile reddit corpus suum, iste est magnus, honorabilis, inserviens præ amore. Sic enim dicit Rex David* (2 Samuel. VI, 22.) *vilior fiam amplius præ hoc, & ero humilis in oculis meis. Neque ulla est magnificentia & gloria, nisi coram Domino lætari, q. d.* (2 Sam. VI, 16.) *& Rex David viriliter agebat, & saltabat coram Domino* &c. Hinc tantum abest, ut vitio daretur viris gravibus, ut potius, quo elegantius quis saltaret,

saret, eo id magis ei ad laudem valeret: unde certus quidam templi Præfectus, R. Gamaliel a Judæis hoc nomine valde celebratur, quod scite præ ceteris saltare, & inter saltandum, nescio quid de terra levare & tollere, calleret. Hinc autem promanavit decantatum istud inter Judæos dicterium: מי שלא ראה שמחת בית השואבה לא ראה שמחה מימיו: *qui nunquam vidit gaudium domus haustionis, non vidit unquam gaudium omnibus diebus vitæ suæ.* Hoc enim solenni nomine, שמחת בית השואבה *lætitia ob haustionem aquæ*, insanum fere tripudium istud veniebat.

Ad §. XIII. pag. 73.

(12) *Jerobeam*] Novum hoc, & profanum Jerobeami institutum, indicat Scriptura 1 Reg. XII, 32, 33. ubi consule Commentarios. Excellentiori autem & longe sanctiori hoc Festum condecoratum foret *αὐχήματι*, si valide demonstrare ac evincere posset, quod hariolatur LIGHTFOOTVS *Tom. I. Opp. p.* 240 *sqq.* Festo Tabernaculorum & natum fuisse Christum Servatorem, & posthæc baptizatum. Verum hanc controversiam discusserunt, qui cum SAL. VAN TIL, de Natali Christi commentati sunt.

AD

LIB. III. CAPVT VII.

DE FESTO BVCCINARVM ET NOVILVNIORVM.

Ad §. I. pag. 73.

Possit vocari dies novi anni] Redeunt huc, quæ supra jam monuimus *ad Cap. I. hujus Libri §. ult. Annot.* (15). Geminum Judæis putabatur Anni initium, ita ut cum mense Tisri annus Civilis, cum mense Nisan, Ecclesiasticus, inciperet. Neque existimandum est, institutione anni ecclesiastici, sublatum esse annum civilem, cujus omnino semper, & in sacris, & in republica, præcipua habebatur ratio. Hinc Festum Tabernaculorum, incidens in mensem Tisri, celebrari jubetur בצאת השנה *in exitu anni*, item תקופת השנה *in revolutione anni*, h. e. vertente anno Exod. XXXIV, 22. Pariter anni Sabbathici & Jobelæi auspicabantur a mense Tisri Levit. XXV, 3 sqq. Interim videas, diversimode in Scriptura initium anni putari. Mensis Nisan non modo Exod. XII, 2. & XIII, 4. diserte primus constituitur, ראש חדשים ראשון הוא verum etiam 2 Reg. XXV, 8, 25. Jer. XXXIX, 3. Templum dirutum dicitur mense quinto, qui *Abb* audiebat, & quintus erat a Nisan. Sic duodecimus mensis vocatur *Adar* seu Februarius Esther. III, 13. & cap. VIII, 12. ubi rursus *Nisan* seu Martius censetur primus. Ista Rabbini conciliant trita hac observatione: שניסן הוא ראשון לחרשי השנה ושתשרי הוא ראשית השנה *quod Nisan sit principium mensium anni, sed Tisri principium anni:* unde ABEN ESRA & ABARBENEL *ad Exod. XXIII*, 15. ubi de exitu anni, notant היו מונים השנים מתשרי לתשרי veteres *numerasse annos a Tisri ad Tisri.* Itaque utriusque principii anni vestigia in Scripturis occurrunt; Civilis, cujus exordium est a mense Tisri, ubi nimirum de annis agitur; & Ecclesiastici seu Sacri, a Nisan, quando sermo est de mensibus. Ex his lucem capiunt verba Auctoris nostri.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Suum habebat festum*] Neomeniam nempe, seu Novilunium, ראשי חדשים *initia mensium*,

menſium, Num. X, 10. XII, 11. Horum obſervamus

I. *Tempus*. Quoniam enim menſium initium diverſimode ſupputari poteſt, *vel* ſecundum calculum Aſtronomicum, a tempore Synodi, ſive conjunctionis ſolis & lunæ, *vel* a tempore *φάσεως*, ſeu apparitionis lunæ, cum nempe radios ſolares eluctata, ſe videndam præbebat hominibus; hinc in diverſum abiere Karraitæ & Rabbanitæ, in quo temporis momento fixerint Novilunium veteres, num Aſtronomice, in conjunctione lunæ cum ſole, an in *φάσει* lunari? Hebræi certe Palæſtini, ſtante Templo, ab apparitione lunæ menſem auſpicabantur. Hinc diligenter attendebant ad lunæ exortum, quæ cum ab aliquibus hominibus deprehenſa erat, ocyus illud nunciabant Præfecto Synedrii, quod teſtes illos diligenter examinabat; &, ſi erant idonei, Synedrium toti genti notum faciebat diem Neomeniæ, ex quo cetera pendebant, cum Feſta menſtrua, tum anniverſaria. Satis equidem peritum erat Synedrium magnum, ad cognoſcendam noctem, qua luna apparitura erat nova; nullum tamen ea de re ferebat judicium, niſi ex ore duorum teſtium conſtaret, ſe vidiſſe novam lunam; ab ejus enim apparitione inchoabant menſem. Hinc fiebat, ut multi Hieroſolymæ eam in rem invigilarent, qui conſpecta nova luna ſtatim abibant, ut teſtimonium ejus perhiberent. Eratque Atrium magnum Hieroſolymis בית יעזק *Beth Jaazek* dictum, de quo LIGHTFOOT. *in Cent. Chorograph. Matthæo præmiſſa cap. XXXV. Tom. II. Opp. p.* 197. *col.* 1. ex *Roſch Haſchanah cap. II. hal.* 3. docet, in quo teſtes examinabantur, & lauto excipiebantur convivio, ut lubentius illuc, ejus rei gratia accederent.

II. *Conſecrationem*, hinc a Deo factam, legibus de obſervanda Neomenia rogatis Numer. X, 10. XXVIII, 11. hinc a Synedrio promulgatam. Huic enim, cum poſt examen teſtium liquido conſtaret, novam lunam conſpectam eſſe, Præſides Synedrii clara voce exclamabant: מקודש *conſecratus eſt* ſcil. Novilunii dies, ſtatimque buccinarum ſono Neomenias Feſtum intimabatur. Quo facto teſtes illi, vel alii nuncii, & præcones, confeſtim currebant, ut tota regio quam primum Neomeniæ diem cognoſceret. Quin ut eo citius ejus rei notitia totam permearet regionem, noctu jubebant aliquem curriculo contendere ad montem oliveti, cum faſciculo ligni maxime combuſtibilis, & alia materia, quam ibi accendebat, & varie agitabat, donec alium videret ſimiliter facientem, in aliquo colle, & ſic reliqui. Ita quidem per univerſam regionem res brevi ſpargebatur; verum cum Cuthæi (Samaritani & hoſtes Judæorum) intempeſtivo tempore idem facerent malitioſe, decretum eſt, ut præcones, ad illud ſignificandum per univerſam terram egrederentur. Ita Miſchna tradit in ראש השנה *cap. II.* §. 3 *ſqq.*

III. *Solennitates*, quæ ſunt *α*) Clangor tubarum, qui in Templo tubis argenteis edebatur compluribus, juxta Num. X, 10. & quo partim Feſtum Novilunii proclamabatur, partim auguſtiora reddebantur ſacrificia, hoc die offerenda, quæ eapropter etiam *Sacrificia clangoris* dicebantur. Hinc Pſal. LXXXI, 4, 5. *clangite in Novilunio buccina, in interlunio die feſti noſtri, nam ſtatutum Iſraelis id eſt, judicium Dei Jacob.* Quanquam hoc dictum alii ad Novilunium menſis Tiſri referre malint. Quando ergo Auctor noſter §. *IV.* communibus Noviluniis buccinas inflaſſe Judæos negat, non abſolute hoc capiendum, ſed ratione modi clangoris, & inſtrumenti. In anni enim initio clangebant cornu arietino, ſeu שופר *buccina*, in ordinario autem Novilunio חצוצרות *tubis argenteis*. *β*) Oblatio ſacrificiorum ejus diei, Numer. XXVIII, 11 ſqq. fuſe deſcriptorum: *γ*) Sabbathiſmus, quo ceſſabant ab omni opere ſervili. Etſi enim Lev. XXIII. ubi recenſentur Feſta ſolennia, quibus proclamanda erat indictio ſanctitatis, *nullum opus facietis*, Noviluniorum nulla fit mentio, unde VITRINGA *de Synag. Vet. Lib. I. P. II. c.* 1. Sabbathiſmum hunc negat, & Novilunia a ceteris Feſtis, quæ Sabbathorum nomine veniunt Jeſ. I, 13. diſtinguit: attamen his diebus emere & vendere nefas fuiſſe, æque ac in Sabbathis, ex Amos. VIII, 5. affatim

affatim patet. Quin & reliquæ hujus diei occupationes satis edocent, diebus Novilunii Judæos ab omni opere se abstinuisse, eosque feriatos ac festos habuisse; quod probe observatum est ab Auctore nostro. δ) Conventus sacri. His enim diebus pariter ad Tabernaculum, & posthæc ad Templum se conferebant, non tantum ut sacrificiorum solennitati interessent, verum etiam, his ut preces jungerent, & gratiarum actiones. Vel etiam, intermisso domestico opere, adibant Prophetas, aut Doctores publicos, ut ab ipsis in mysteriis Divinis, cultu Numinis, aliisque rebus sacris, instituerentur Jes. I, 12 sqq. Ezech. XLVI, 1 sqq. Jes. LXVI, 23. ε) Gaudium. Inter Judæos quippe, nova luna conspecta non modo plausibus & clangoribus publice excipiebatur, verum isto quoque die privati quicunque luctum omnem & mœstitiam procul habebant, eumque epulis, sive sacris, sive communibus, hilariter transigebant. Hinc Num. X, 10. Neomeniæ inter tempora hilaritatis, publicæ & privatæ recensentur: & Hos. II, 13. interminatur Deus populo suo, *se aboliturum omnem hilaritatem ejus, Festum ejus, Novilunium ejus, & Sabbathum ejus.* Et de conviviis ex 1 Sam. XX, 5. constat.

IV. *Rationes & Originem* Neomeniarum. SPENCERVS ex Gentilium idololatrarum moribus & institutis arcessit, quem tamen operose & data opera IOH. MEYERVS confutavit *P. II. de Tempor. Sacris & Festis Hebr. cap. XI. p.* 238. dignus, qui hic conferatur. Velut autem originem perantiquam ac vere divinam huic solennitati vendicat Scriptura Sacra, sic recte inserviisse perhibetur 1) ad recolendam & celebrandam gubernationem mundi Divinam, & signate quidem, quod lunam fecerit ad præfecturam noctis, & ad indicanda stata tempora: 2) ad expiationem delictorum mensis præteriti, quo Sacrificium spectabat Expiatorium: 3) ad dedicandas Deo mensis primitias, & ad deprecandum Numen, ut felix faustusque integer decurrat mensis: 4) ad refricandam memoriam clangoris buccinæ, tempore legislationis Sinaiticæ auditi: 5) ad libertatem populo asserendam, cujus symbolum buccinæ clangor erat, ut Lev. XXV, 9.

V. *Typicam adumbrationem:* quam 1) Luna, quatenus in se consideratur ut luminare magnum, & quod in tenebris micat, quodque a parvis initiis sensim crescit, refert ad Christum, lumen mundi, lucens in tenebris Jos. I, 4, 5: 2) Luna ad Solem relata, infert ad Ecclesiam sub Nov. Test. quæ lucem omnem ac splendorem a Sole, Christo mutuatur: 3) Novæ Lunæ ortus ad Evangelii doctrinam in Nov. Test. habet. Quæ singula fuse & cum cura declarat IOH. D' OVTREIN *de clangore Evangelii Dissert. XII. pag.* 293 *sqq.* quem in his plurimum secuti sumus. Paulo aliter typicam hujus Festi rationem exponit BIERMANNVS *in Mose & Christo lib. IV. cap. I. p.* 603 *sq.* edit. Belgicæ: & WILHELM. MOMMA *Oecon. Tempor. lib. II. cap. XI.* §. 93. *p.* 219.

Ad §. III. pag. 73.

(3) *Respectu sacrificiorum*] Recte & distincte Auctor noster utriusque Festi Sacrificia recenset, ita ut in Kalendis mensis Tisri, seu principio anni, offerrentur in universum juvenci tres, agni anniculi sedecim, & arietes duo, hirci itidem duo, juxta Numeror. *citato loco.*

Ad §. IV. pag. 74.

(4) *Inflabant buccinas*] Ita MAIMONIDES in Hilc. *Schophar. Cap. I.* §. 1. *Præceptum legis affirmativum est, audire clangorem buccinæ novi anni principio, secundum id, quod dicitur* (Numer. XXIX, 1.) dies clangoris vobis erit. *Buccinam autem, quæ inflatur, his ipsis anni principiis, sive in festo Jubilæo, esse oportet Cornu Arietis incurvatum.* Cornu Arietis requirebatur, in memoriale Arietis pro Isaaco oblati Genes. XXII, 13. cujus sacrificio sibi partam credebant expiationem; incurvatum esse debebat, ut commonefierent, corda coram Deo requiri incurvata & humiliata. Hoc autem cornu cum inflabatur in sanctuario, ab utraque parte junctas sibi habebat tubas, חצוצרות/

 utrum-

utrumque latus illius, qui cornu arietinum inflabat, claudentes; eo tamen cum discrimine, ut sonus cornu arietini frequentius & diutius audiretur, quam tubarum, quia inflatus cornu hoc Festo speciatim præceptus erat, non vero ille tubarum; porro, ut cornu sono producto, tubæ vero sonis accisis inflarentur. Verum extra Sanctuarium cornu arietinum solum inflabatur in Synagogis; ita tamen, ut qui extra Synagogam constitutus, clangorem attento animo perciperet, crederetur huic præcepto satis fecisse, si vero animum intentum ad id non habuerit, non satis faceret. Si denique hoc Festum incideret in Sabbathum, non inflabantur cornua in eo loco, ubi non erat Synedrium. Sed cum Hierosolymis adhuc esset Synedrium majus, omnes inflabant cornua Hierosolymis, quin & in quacunque urbe, quæ ad Hierosolymitanum limitem pertinebat, audiebantur cornua inflata. Destructa autem Hierosolyma, in omni loco, ubi erat Synedrium, cornua inflabantur, & quidem in eo Synedrio inflabantur, quod figebat Novilunium: ut habet MAIMONID. *cit. loc. cap. II.* §. 6-9. Ita vero solebant inflari cornua, ut primo formaretur sonus planus, hinc fractus (ubi tres soni gementes, & unus ejulans formabatur) & postremo iterum formaretur sonus planus. Qui soni tribus vicibus repetebantur, atque sic soni edebantur triginta: *cap. III.* §. 2, 3. Solebant etiam in Synagogis, ante inflationem cornuum, legere Scripturam, & cum Scripturæ Sacræ exemplar iterum esset in arcam repositum, Minister Synagogæ stabat, & dicebat: *Benedictus sis tu, Domine Deus noster, Rex mundi, qui sanctificavit nos præceptis suis, & præcepit audire sonum cornuum!* & omnis populus respondebat: *Amen!* Deinde dicebat Minister: *Benedictus sis, tu Domine Deus noster, qui in vita conservavit nos!* & omnis populus respondebat: *Amen!* Tunc triginta vicibus inflabat cornu, hoc ordine, ut primo, post preces, cum finita esset benedictio quarta, quæ agebat de regno Dei, inflaret cornu; deinde post benedictionem quintam, quæ agebat de recordatione Dei, quod populi sui recordaretur, iterum inflabat cornu; denique post benedictionem sextam, quæ agebat de ritu inflandi cornua, iterum inflabat cornu. §. 10. 11.

Ad §. VI. pag. 74.

(5) *Tres opiniones existunt*] Rationes buccinationis §. V. & VI. varie redduntur ab Auctore. Vt autem imitationem Gentilium a SPENCERO in scenam productam, verum a IOHAN. MEYERO *lib. II. de Temporib. Sacr. & Fest. Hebr. cap. XIV.* §. 8. *p.* 303. solide profligatam, relinquamus intactam, ABARBENEL *ad Lev. XXIII,* 24. *fol.* 264. *col.* 2. septem adfert rationes, quas Deum respexisse putat, dicendo: זכרון תרועה יהיה לכם *memoria clangoris esto vobis:* 1) Libertatem, quæ etiam finis erat clangoris in anno Jubilæo, quo pro omnibus inhabitantibus terram libertas publicata est. 2) Proclamationem regni Regis, sicut in unctione Salomonis clangebant buccina, dicendo: vivat Rex Salomo, 1 Reg. I, 39. quasi hoc die clangoris dixissent: Dominus Rex noster est, ille salvabit nos, salve nunc Rex. 3) Excitationem ad resipiscentiam, & subjugationem Satanæ, sive יצר הרע *figmenti* cordis *mali.* 4) Recordationem ligationis Isaaci, & substituti arietis. 5) Memoriam legislationis, cui aderat vox buccinæ fortissima, cum patres in deserto Dei gubernationi sunt subjecti & liberi facti, Deique peculium ex omnibus populis Exod. XIX. 6) Spem recollectionis captivitatum tempore futuro, quando Dominus Rex erit super totam terram. 7) Spem resurrectionis mortuorum, Jes. XVIII, 3. Velut autem sexta ratio fallaci Judæorum nititur somnio, de imminente adhuc Messiæ adventu, tertia ridiculum plane commentum, clangore buccinarum Satanam pelli, supponit, & quarta precario assumta est, ex hypothesi Judæorum: hinc laudatus MEYERVS §. X. *p.* 307. alias subministrat, ut scil. 1. buccina excitarentur, sicut ad resipiscentiam, ita ad gratitudinem pro præcedentis anni beneficiis, & 2. designaretur buccina Evangelii, & anni Domino accepti, juxta Psal. LXXXIX, 16. *beatus est populus,*

lus, qui agnoscunt clangorem. PAVLVS FAGIVS *in Lev. XXIII*, 24. repudiata quarta ABARBENELIS ratione, probabilius censet hoc fuisse consilium Spiritus Sancti. In hoc septimo mense plures esse festos dies, quam in ullo alio mense, ac totum propemodum mensem festum esse, quin & tempus admodum idoneum ad celebranda festa, quippe quod tunc omnes fruges terræ, non tantum frumenta, sed & poma, & vina, & alia frugum genera, de agris essent collecta, præterea ab hoc mense inchoari numerationem anni Sabbathici, pariter anni Jubilæi; hinc cum multum omnino in hujus mensis observatione situm esset, voluisse Spiritum Sanctum primum ejus diem festo, otio, clangore, & sacrificiis insignem reddere, ut ex initio mensis ipse notabilior fieret. Quod iis congruit, quæ Auctor noster §. *V.* in medium attulit.

Sed nec silentio est involvendus hujus diei *Cantus*, MAIMONIDI memoratus Hilc. *Tamid cap. VI.* Cantabant Levitæ ad sacrificia novi anni Psalmum LXXXI, & si primus dies caderet in diem septimanæ quintum, in quo ordinarie singulis septimanis hic Psalmus canebatur, bis illum repetebant. Deinde ad sacrificium vespertinum diei primi novi anni, Levitæ canebant Psalmum XXIX. In Psalmo LXXXI. mentio fit clangoris cornuum, & primo populus excitabatur ad laudes Dei canendas: deinde Dei laudabatur auxilium, quod Judæos eripuisset ex Aegypto & variis calamitatibus: denique populus ad obedientiam Deo præstandam, & ad benedictionem Dei, obedientibus promissam, expectandam admonebatur. In Psalmo autem XXIX. eleganter ostenditur vis & efficacia Evangelii, per quod Deus corda hominum vehementer movet. &c.

Porro memorandus est novi anni *Suffitus*. Ita MAIMONID. *de Siclis cap. IV.* Solebat in novo anno mensis Nisan confici suffitus novus, ea quantitate, ut per annum integrum sufficeret, & si quid superabundabat exacto anno, solebat artificibus in templo laborantibus, loco mercedis, dari. Sed de thymiamate, atque suffitu luculenter supra egimus, ad *Lib. II. Cap. I. §. VIII. Annotatione* 15.

Pertinent huc quoque novi anni *Decimæ*. Primo enim die mensis Nisan decimæ pendebantur ex frugibus, leguminibus, & oleribus, docente MAIMONID. *de Decimis secundis cap. I.* §. 2.

Accedebant novi anni Vota, Promissa, & Preces. *Vota* hoc die nuncupabant in hunc modum: *Hodie nos corrobores, hodie nobis benedictionem largiaris, hodie nos exaltes, hodie nos quæras in bonum, hodie audias clamorem nostrum, hodie cum misericordia & beneplacito accipias preces nostras, hodie nos sustentes dextera justitiæ tuæ.* Quæ vota, majoribus impressa literis, leguntur in Libro Precum, *Pragæ* in fol. *fol.* 37. *p.* 2. *Promissa* quoque hoc die faciebant varia, teste MAIMONID. *de Votis cap. X.* §. 4. Vovebant enim vel abstinentiam a cibo & potu certo, aliquot hujus anni diebus vel mensibus; vel abstinentiam a certis vestibus, vel a certis ædibus *c. l. cap. IX.* §. 15, 16. vel ab alterius consortio *cap. VI. & VII.* Inter *Preces*, primaria erat, quæ incipit in singulis paragraphis a verbis: אבינו מלכנו *Pater noster, Rex noster*, quæque minori typo expressa legitur in *Machsor*, seu Libro Precum Francofurtensi in 4. *fol.* 20. *col.* 2 *sq.* Deprecantur omne genus mala in novo anno, ut avertantur pœnæ divinæ, ut arceantur malæ cogitationes & consilia prava hostium, ut hostes deleantur, ut ora calumniatorum occludantur, ut avertantur morbi, ut pestis, gladius, fames, & quicquid corrumperet, averruncetur, ut deleantur peccata &c. Præterea orant, ut Deus concedat pœnitentiam, ut ægrotos sublevet, ut Judæos scribat in librum vitæ, in librum redemtionis per Messiam sperandæ, in librum providentiæ & sustentationis, in librum condonationis. Precantur porro, ut Deus germinare faciat germen justitiæ, sive Messiam, ut cornu salutis seu Messiam erigat in Israele, ut manus Judæorum impleat benedictionibus, ut fenestras cæli aperiat precibus, ut parcat Judæis & illorum infantibus &c. Sed & momenta addunt, propter quæ Deus orationem anni auspicalem exaudire debeat: Exaudiat quippe

propter nomen ſuum glorioſum, propter miſericordiam ſuam, &c.

Memoratu quoque digna eſt *Apertio Theſauri* in Templo. Solebat quippe in novo anno menſis Niſan, æque ac in novo anno menſis Tiſri, conclave Templi aperiri, in quo theſauri erant depoſiti, quod conclave alias non modo occluſum, ſed & obſignatæ omnes ejus januæ erant ſigillis. Reponebantur autem in illud ſicli, qui ex qualibet urbe mittebantur per delegatos in Templum, quibus ſimul dabantur denarii aurei, in mercedem deportationis. Quum advenirent illi ſicli Hieroſolymam, reponebantur in illud conclave, & de iſtis ſiclis implebantur tres ciſtæ majores, quarum quælibet continebat novem ſata argenti, (ſeu tres circiter modios argenti,) & quod iſtæ ciſtæ non caperent, illud ſeorſim in eodem conclavi reponebatur. Quum autem aperiretur theſaurus, implebantur ex iſtis ciſtis tribus majoribus, tres ciſtæ minores, quarum quælibet continebat tria ſata argenti, (ſeu unum modium circiter,) & extra theſaurum collocabantur, ut inde promerentur, quæ ad publicas neceſſitates requirebantur. Quodſi autem argentum illud, quod in tribus ciſtis minoribus reponebatur, conſumtum eſſet, denuo replebantur ſecunda vice ante Feſtum Pentecoſtes, & denique tertia vice in novo anno Tiſri. Quodſi autem ſicli, in tribus ciſtis majoribus contenti, non ſufficerent usque ad novum annum menſis Niſan, ſolebat de reliquo theſauro iſtius conclavis ſuppleri, quod deerat: teſte MAIMONIDE *de Siclis cap. II.* §. 4 *ſqq.*

Quæ denique de Deo, Kalendis Tiſri, pro tribunali ſedente, & ſententiam in hominum peccata ferente, comminiſcuntur Judæi, a BVXTORFIO fuſe tradita *Synag. Jud. cap. XXIII. p.* 481. & a IOH. D' OVTREIN *cit. loc. p.* 229 *ſq.* conciſiûs repetita, ea huc transferre, meris fabulis nixa, merito ſuperſedemus.

Subnectimus denique *Typicam* Kalendarum Tiſri *Adumbrationem.* Symbolum præbebat hoc Feſtum novi, acceptique Domino anni Jeſ. LXI, 2. & LXIII, 4. quando tuba Evangelii ſonare, ſeptemque Spiritus Dei ſuper totum orbem emitti debebant, ad convocandum omnes Apoc. V, 6. Breviter ita declaratur: 1) Quemadmodum die primo erat convocatio ſanctitatis ſono tubarum, & clangore cornu, ſic Apoſtoli, tubarum ad inſtar, ſub initium Novi Teſt. clangore Evangelii, Judæos æque ac Gentiles, ad ſanctum a peccatis ſuis otium, & Sabbathiſmum, convocarunt: 2) Clangore tubæ anni intimabatur auſpicium, pariterque tuba Evangelii annus Dei gratioſus Jeſ. LXIII, 4. Luc. IV, 18 ſq. 3) Ad ſonum tubæ Iſraelitæ exultabant Domino, ſed & fidelibus Nov. Teſt. incumbit, ut novum Servatori ſuo acclament Hymnum Apocal. V, 9 ſq. Pſal. XLVII, 7 ſqq. 4) Iſraelitæ buccinæ ſono ex veterno ſuo ad veram pœnitentiam excitabantur, nec minus nos ſono doctrinæ Nov. Teſt. excitamur ſurgere de ſomno Rom. XIII, 11. Epheſ. V, 14. 5) Sacerdotes hoc feſto non modo cornu arietinum, ſed & tubas Moſaicas argenteas inflabant; ſic & officium Miniſtrorum verbi poſtulat, ut & Evangelium, & Legem Moſaicam, duas tubas, duas tabulas legis ſedulo inculcent, & utroque verbo peccatores ad Deum adducant. Prolixius iſta perſequitur D' OVTREIN *cit. loc. p.* 232 *ſqq.* & BIERMANN. *in Moſe & Chriſto, lib. IV. cap. V. p.* 655. edit. Belg. conciſe WILH. MOMMA *Oeconom. Tempor. lib. II. cap. XI.* §. 96. *p.* 220.

Ad §. VII. pag. 74.

(6) *Obſervatu digna ſunt in Noviluniis*] Difficiles iſtas Judæorum nugas de Novilunii inventione & computatione, quas Auctor noſter a §. VII. ad §. XXII. curate ſatis, & dilucide exponit, noſtras non facimus; verum iis, quibus eas cognoſcere volupe eſt, ex BARTOLOCCIO *Biblioth. Rabb. P. II. p.* 398 *ſq.* coll. *p.* 582 *ſqq.* ubi prolixa Kalendarii Judaici elucidatio exhibetur, ex IOH. MEYERO *de Tempor. Sacr. & Feſt. Jud, P. I. cap. IX. p.* 52. coll. *P. II. cap. XI.* §. *XI ſq.* & ex SELDENO *de anno civili Jud. cap. XV. p.* 82. hauriendas relinquimus.

Ad

Ad §. XXII. pag. 76.

(7) *Vtrum Salvator noster anticiparit Pascha?*] Anceps ac difficilis est quæstio: *Num Salvator noster, uno & eodem cum Judæis omnibus die, an diverso, Pascha suum ultimum & σταυρώσιμον celebraverit?* Vniversam istam ut declinet controversiam, nodum hunc Gordium ita scindit MARC. ANTON. DE DOMINIS, *de republ. Ecclesiast. P. II. cap. VI. num.* 275 *sq.* ut Christum agnum paschalem comedisse plane neget, & communem tantum ac vulgarem cœnam valedictoriam cum discipulis absumsisse contendat: *præparasse quidem Apostolos cœnaculum magnum stratum: sed nullus Evangelistarum*, inquit, *est, qui dicat, in illa ultima cœna, Christum cum discipulis agnum legalem comedisse: neque ulla habemus in ipsis Evangeliis indicia comestionis dicti agni: valida tamen habemus in contrarium* &c. Verum diserte discipuli Christo τὸ πάσχα præparasse in diversorio perhibentur Matth. XXVI, 17, 18, 19. Marc. XIV, 12, 14, 16. & quid clarius in hanc sententiam dici poterat, quam cum Christus his epulis accumbens, ita ad suos fatur: ἐπιθυμίᾳ ἐπεθύμησα, τοῦτο τὸ πάσχα φαγεῖν μεθ' ὑμῶν, πρὸ τοῦ με παθεῖν· λέγω γὰρ ὑμῖν, ὅτι οὐκέτι οὐ μὴ φάγω ἐξ αὐτοῦ, κ. τ. λ. Luc. XXII, 15, 16. coll. vers. 7, 8, 11, 13. ut gratis & temere hæc asseri ab Archiepiscopo Spalatensi, liquido appareat. Recentissime tamen ista sententia gravissimos nacta est patronos, NICOL. TOYNARDVM *in Harmon. Evang. f.* 107. & *Notis ad illam fol.* 149. NANVM TILLEMONTIVM, IOH. HARDVINVM, DV PIN *T. XIX. Biblioth. fol.* 126. & BERN. LAMY in *Harmon. h. l.* & pec. tractatu histor. *de l'ancienne Pâque des Juifs* à Paris 1693. 8. postquam An. 1690. priorem ejus *in Harmonia* assertionem peculiari dissertatione *sur la derniere Pâque de Jesus-Christ*, à Paris in 8. impugnaverat IEAN. PIENVD: nostro vero tempore OEDERVM in *select. Bibl. Theol. P.* 62. *p.* 152 *sqq.* & cumprimis Vener. SAL. DEYLINGIVM, qui *Observat. Miscellan. Exercit. IV.* §. 20. *sqq. pag.* 239. Christum cum discipulis, agnum paschalem ante mortem comedisse, & diserte negat, & rationibus firmare operose nititur. Contra vero ea communi fere consensu, universa Ecclesia Christiana, tam Orientalis, quam Occidentalis, paschalem Christi cœnam προσαγώνιον agnoscit & fatetur: sed quo die illam peregerit, gravissimo sententiarum divortio in partes discedit. Et 1) Græci quidem, Judæos omnes, ex præscripto Legis, luna XIV mensis Nisan, Christum vero, qui κύριος νόμου, luna XIII mactasse ac edisse agnum paschalem tradunt, ut, quod præcipue contendunt, non in azymo, sed fermentato pane, Eucharistiam institutam esse, obtineant. 2) Latini contra, qui panem adhibent infermentatum, Salvatorem, una cum Judæis omnibus, luna XIV Pascha celebrasse cupiunt, ut post CAESAR. BARONIVM, FRANC. TOLETVM, TOSTATVM ABVLENSEM, IVLIVS BARTOLOCCIVS magno conatu propugnat, & Græcorum rationes singulatim destruere satagit, *P. II. Biblioth. Rabbin. fol.* 752 *sqq.* Verum etiam e Reformatis, in eandem sententiam discedunt HVGO BROVGTHONVS, IOH. CLOPPENBVRGIVS, SAM. BOCHARTVS, IOH. LIGHTFOOTVS, FRANC. BVRMANNVS, aliique plures. Cum quibus e Nostris faciunt, DANHAVER. *Christosoph. p.* 217 *sq.* & *Lact. Catech. P. IX. p.* 183. CALOV. *Bibl. Illustr. in N. T. Tom. I. fol.* 435 *sq.* IOH. GVIL. IANVS in *Annotat. ad Eusebii Oration. de die Dominico pag.* 19. IOH. REINH. RVS *Harmon. Evang. lib. V. P. II. Sect. I. subs.* 4. *cap. XIV. T. III. p.* 502 *sqq.* Præ ceteris eam tuetur & pro virili ornat ex Reformatis ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. I. cap. I.* §. 20. *p.* 29. quem ante omnes citamus, quod copiose præ ceteris hanc controversiam perorat. Sunt demum 3) haud pauci, qui cum Græcis faciunt, quod Jesum, diem a Judæis receptum, velint anticipasse: sed alio modo instituunt. Censent enim, Dominum luna XIV secundum Legem, Judæos vero postridie, mactasse suum Pascha, adeo ut Judæi Pascha demum comederint post mortem Salvatoris. Ita e Reformatis SEB. MVNSTERVS,

RVS, IOSEPH. SCALIGER, ISAAC. CASAVBONVS, GER. IOH. VOSSIVS, LVD. CAPPELLVS, WILH. LANGIVS, IOH. HENR. HEIDEGGERVS, alii, quibus, ex nostratibus, ante omnes accensendus est IOH. GERHARDVS *Harmon. Evang. cap.* 166. *in Matth. XXVI*, 1, 2. edit. Genevens. *P. II. p.* 332 *sqq.* ubi cum cura hanc quæstionem tractat. Dispares tamen assignant causas, cur Pascha suum diverso die celebraverint Judæi. Alii, cum PAVLO BVRGENSI, Judæos Festum in diem Sabbathi sequentem rejecisse putant, propter majorum traditionem, qua festum Paschatis, quod anno illo in feriam sextam incidebat, differebatur in sequens Sabbathum, ne concurrerent duo Sabbatha magna. Sed DIONYS. PETAVIVS aliam reddit rationem, propter quam Judæi Pascha a legitimo die in sequentem contulerint, quod ultimis temporibus apud Judæos inconstans & mutabilis esset Neomeniarum definitio. GER. IOH. VOSSIVS ideo factum censet, quia Judæi Pascha suum celebrare noluerint ante æquinoctium. IOH. COCCEIVS eo tempore, quo Festa indicebantur, a Senatu secundum lunæ φάσιν accidisse putat, ut quidam Pascha iterarent, cum alii a συζυγίᾳ seu conjunctione luminarium, alii ab apparitione computarent mensis dies; indeque arcessunt causam, cur Pascha alio die Christus, alio celebraverint Judæi. Ita quoque LVDOV. CAPPELLVS tenet, celebrasse tunc temporis Judæos Pascha die XV ἀπὸ τῆς φάσεως, Christum autem etiam die XV ἀπὸ τῆς συνόδȣ, quæ τὴν φάσιν præcedit, integro ut minimum die. WILHELM. LANGIVS diversitatis causam ex discrimine Karræorum & Talmudicorum eruere satagit. Nobis, cur eidem adstipulemur sententiæ, quæ Christum pridie, Judæos postridie, Pascha comedisse statuit, cumprimis fidem facit, & auctor est S. Johannes, qui eandem liquido tuetur. Nam α) Joh. XIII, 1, 2. pedilavium Christi contigisse dicitur πρὸ τῆς ἑορτῆς τȣ̃ πάσχα: β) Cap. XVIII, 28. Judæi, qui Christum ex ædibus Cajaphæ duxerunt ad Pilatum, ingredi noluerunt in Prætorium, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα: γ) Cap. XIX, 14. dies quo Jesus crucifixus est, vocatur παρασκευὴ τȣ̃ πάσχα: δ) Ibid. com. 31. Judæi petierunt a Pilato, ut crucifixorum corpora de crucibus deponerentur, ne in iis manerent Sabbatho, ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν, *quoniam erat Parasceve*, ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τȣ̃ σαββάτȣ, ideo nimirum, quia in unum diem congruerent Festum Paschatis & Sabbathum. ε) Quis denique crediderit, post comestum agnum paschalem, tota nocte in cognoscenda causa sanguinis consedisse Synedrium, & Sacerdotes, & die XV mensis Nisan, seu feria prima Festi Azymorum, quæ adeo feriata, solennis, & in Templo cultu tantum erat insumenda, huc illuc Christum Judæos duxisse, & in crucem egisse? majoremque Sabbathi insequentis, quæ fuisset secunda dies Azymorum, religionem Josepho Arimathensi, Nicodemo, & mulieribus Christum uncturis fuisse; quam die primo Festi, qui admodum sancte, & ut Sabbathum magnum, ordinarie celebrabatur? quo tamen die, & crucifixorum corpora de cruce deponere, & Christum sepulcro condere fas fuerit. In declaranda autem sententia ista ad COCCEIVM, & LVDOVICVM DE DIEV accedimus, ita ut discrimen mactati agni, a diverso dierum mensis computo, vel a συνόδῳ, h. e. conjunctione luminarium, vel a φάσει seu apparitione, arcessatur. Non semper, quo die συζυγία & interlunium est, Luna nova apparet. Cum ergo lege definitum non esset, an primus Novilunii dies ille sit, quo luna e solaribus radiis eluctari primum incipit, & apparere, an vero ille, quo primum incipit digredi a sole, post suam cum eo conjunctionem; hinc potuit Novilunium utroque modo figi, atque ita Pascha per duos dies comedi legitime, vel secundum computum Astronomicum, in die conjunctionis luminarium, vel secundum lunæ φάσιν, fide testium probatam, & a Senatu indictam, quæ conjunctione posterior est, uno minimum die. Causa ergo diversitatis, inter Judæorum & Jesu Pascha fuit, quod Jesus juxta naturalem computum conjunctionis, tempore legitimo, comederit suum

ſuum Paſcha, atque alios, quibus ἀπὸ τῆς φάσεως menſis initium erat, uno anteceſſerit die. Neque inſolitum adeo, binis diebus celebrare Feſtum, apud Judæos fuiſſe, quoniam de vero tempore non erant ſatis certi, non ſolum ex hodierna Judæorum praxi patet, quando BVXTORF. *Synag. Jud. cap. XIX.* teſtatur, ipſos ſecundo die Paſchatis eadem omnino ratione feriari & Deum colere, quo pridie, idque, quia dubium & incertum hodie apud eos eſt, quo die Niſan Novilunium contingat, ac proinde, quisnam XIV ſit dies Niſan; verum ex eo etiam conſtat, quod veteres, ſi qui erant a Judæa remotiores, binos dies obſervarunt, quia latebat illos, quo die Hieroſolymis indicta erat Neomenia, ex qua reliqua Feſta pendebant, teſte ejus rei MAIMONIDE *de die feſto Cap. VI. Sect.* 14. Hoc obſervato, graviſſima contra hanc ſententiam in fumum abit objectio, Chriſti agnum non in Templo mactatum, ejusque ſanguinem ad altare non ſparſum: quia omnino per duos dies Sacerdotes mactabant pecudes paſchales, & ſpargebant in Templo, aliis ſecundum conjunctionem, aliis ſecundum φάσιν Feſtum putantibus.

Ad §. XXVIII. pag. 77.

(8) *Inquinari potuiſſent introeuntes Prætorium*] Non ſtringit hæc Auctoris ratio, metu pollutionis curiam ingredi noluiſſe Judæos, quia hoc die Paraſceves pro tribunali ſedere, Judæis nefas erat. Rem enim omnem a ſe amoliebantur, & ad Pilatum deferebant, ne ſententiam mortis ferrent in reum. Quin immo jam tulerant eam in Chriſtum, paulo ante in Synedrio. Hinc propior additur a Joh. cap. XVIII, 28. ratio, ne ſcilicet ingreſſu in Prætorium pollucrentur, eamque ob immunditiem ab eſu Paſchatis arcerentur. Quod enim ſupra monuimus, Judæi omnes, a ſacris ſuis alienos, immundos cenſebant, qui ſolo tactu impuritatem propagarent. Hinc, ex foro domum redeuntes, lavari ſolebant Marc. VII, 3, 4. quoniam in loco publico ἀλλόφυλοι conveniebant frequentes, quorum contactu contaminari ſe inſcios quoque poſſe verebantur. Ex hac opinione Petrus tres Cornelii Cæſarienſis nuncios, ad ſe miſſos, præ foribus alloquitur, nec in ædes intromittit, immunditiem veritus, priusquam illos eſſe, de quibus a Deo præmonitus erat, cognoviſſet pro certo, Act. X, 21 ſqq. Inde eſt, ut poſthæc οἱ ἐκ περιτομῆς diſceptarent cum Petro, quod ad præputiatos ingreſſus, cibum cum illis cepiſſet cap. XI, 23. quia nimirum Judæi גוים habuerunt pro immundis, quorum ex contactu labes quædam contraheretur. Hoc reſpectu, teſte MAIMONIDE Hilc. *Iſſure Biah cap.* 4. Magiſtri decreverunt, Gentiles ſine diſcrimine omnes pro iis eſſe habendos, qui perpetuo ſanguinis profluvio laborant, quoties de munditia & immunditia quæſtio ſit, h. e. adeo pro immundis, quorum inquinaret contactus. Eamque perſuaſionem nec ipſi, ex Judaiſmo converſi, Chriſtiani exuere poterant. Gentilis itaque cum eſſet Pilatus, cum ſervis ſuis ac militibus, quorum contactu ſe contaminatum iri exiſtimabant hi Judæi, ideo recuſabant ingredi, ne ad celebrandum Paſcha redderentur inepti: rurſus, puros a contagio gentilis ac profanæ immunditiei ſervare ſe volebant, ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα.

Ad §. XXIX. pag. 78.

(9) *Poteſtas in rebus capitalibus ipſis abrogata non erat*] Judæos Chriſti tempore, in rebus capitalibus, nondum omni exutos fuiſſe poteſtate, Auctor tradit. Idem propugnat ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. III. cap. I.* §. 14. magnum Judaici populi Senatum, ſub ipſis quoque Procuratoribus Romanis, ea gaviſum poteſtate fuiſſe, quæ ad jus vitæ & necis ſeſe extendit, eamque tamdiu fere perduraſſe, ac Vrbs, Templumque ſuperfuit. Quando autem Judæi iſtud ſibi juris eſſe negant Joh. XVIII, 31. id non ad Feſti ſolennitatem, & ad mentalem, quam Auctor noſter gratis fingit, reſervationem, referendum eſſe creditur, ſed ad diſcrimen cauſarum. Cognoviſſe enim Judæos, ſenten-

ſententiam mortis tuliſſe in ſontes, quin & executos fuiſſe adhuc iſta tempeſtate, in cauſis ſacris atque religionis: aſt ſeditionem, læſæque majeſtatis crimen, neutiquam ad Judaici Senatus, ſed ad Romani Præſidis pertinuiſſe tribunal. Hujus ergo criminis reum peregiſſe Jeſum Judæorum proceres, ideo quod apud animum ſuum perpenderent, Jeſum ſua doctrina miraculisque obnoxios ſibi reddidiſſe innumeros, quorum incurrere invidiam, rem periculoſæ plenam aleæ cernebant, ſi de Jeſu ſupplicium ſumerent ipſi. Populi ergo ut declinarent invidiam, per Procuratorem Romanum tollendum eum e medio, conſultum duxiſſe. Hinc ſeditionis & affectati regni crimen impegiſſe, ut non ad Judaicum, ſed Romanum ſpectaret reus forum, ſupplicioque & more gentili pœnas lueret. Longe tamen aliud perhibet conſtans Judæorum in utroque Talmude traditio, de ademtis Synedrio judiciis capitalibus, annis XL, vel, quod contendit IOSEPH. SCALIGER *Animadverſ. in Chronol. Euſebii fol.* 182. *col.* 1. annis LXI ante Hieroſolymorum excidium, Archelao nimirum Viennam relegato. Tractat hanc quæſtionem, ex mente Talmudicorum CARPZOV. *ad Schickardi Jus Reg. cap. IV. Theor. XIV. pag.* 252 *ſq.* & citatis in eandem ſententiam Auctoribus compluribus, inter id, quod de jure fieri licebat, & quod de facto, vel in tumultu, vel ob צורך שעה *neceſſitatem* quandam *temporariam*, quam ſe putabant, pro re nata, expedire poſſe, ſibi ſumebant. Ananus ſane Pontifex, qui mortuo Feſto, ejusque ſucceſſore Albino adhuc in itinere agente, tempus opportunum ſe nactum ratus, Synedrium convocavit, ſtatutumque coram eo fratrem Jeſu Chriſti, Jacobum, & una quosdam alios, lapidandos tradit: ſed hæc cauſa fuit, cur Pontificia dignitate exueretur. Hinc citata Judæorum ad Pilatum verba, abſolute capienda cenſemus de jure, & Judæorum cum in S. Codice, tum in Pandectis Talmudicis, propria ſtamus confeſſione, quæ in cauſa, in opprobrium gentis vergente, plurimum ponderis habet. Sed & facilis eſt ad BYNAEI argumenta reſponſio. Obvertit nimirum α) teſte IOSEPHO, tam comiter Judæos habuiſſe victores Romanos, ipſos ut *τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι, patriis moribus & ſacris uti* permitterent. Id vero nil prohibet, quo minus judicia capitalia ipſis ſubtraxerint. Vrget β) neceſſe omnino fuiſſe cognitionem Judaicam in cauſis rituum, jurisque apud Judæos divini, quarum ignari prorſus erant Romani Præſides, immo religionem eorum omnem ſuperſtitioſam credebant & ineptam. Demus enim, cognitionem delictorum, in cauſa religionis & ſacrorum, admiſſorum inſtitutam fuiſſe a Judæis, pœnam tamen capitalem irrogare integrum ipſis non erat. Atque huc ſpectat ſententia Senatus Judaici, de interficiendis Apoſtolis in Templo docentibus Act. V, 26 ſqq. quam tamen ſi executioni dediſſent, auctoritate Præſidis Romani haud dubie feciſſent uſi. Refert huc γ) quod eum in finem Senatus populi Judaici ſuos habuerit Στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ, *Præfectos Templi*, quibus parebant *ὑπηρέται*, *publici judicii miniſtri* Act. IV, 4. III, 6. Bene, ad avertendos a Templo tumultus publicos, & ſecuritatem publicam conſervandam, quod liquido apparet ex Act. XXI, 31 ſqq. non vero ad capitalia de ſontibus ſupplicia ſumenda. Opponit δ) Stephani exemplum, quem examinatum, cauſamque dicere juſſum, ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθοβόλουν Act. VII, 58 ſqq. Iſtud tamen per tumultum eſſe factum, & quidem violata Præſidis Provinciæ auctoritate, THEOD. BEZA cenſet, ad judicium zeli autem refert H. GROTIVS. Multa certe iis temporibus Præſides ſtudio negligebant, ne male fidam gentem prorſus exulcerarent. Itaque ſive connivente, tumultuoſis his temporibus, Romano Præſide, ſive eo abſente factum fuerit, ad ea pertinet exempla, in quibus ſibi juris aliquid arrogabant Judæi. Leviora ſunt reliqua, & ex jam dictis facile diluenda.

AD

AD

LIB. III. CAPVT VIII.

DE FESTO EXPIATIONVM.

Ad §. I. pag. 78.

Ita dictum] Pluribus hoc Festum nominibus venit. Dicitur namque 1) יום הכפורים *Dies Expiationum*, & observante quidem ABARBENELE, בלשון רבים *in plurali*, quia, licet de omnibus diebus solennibus dicatur, quod illis expientur peccata, Dies tamen Expiationum longo illos post se intervallo relinquat, quod expiatio omnium dierum totius anni, eo die perageretur: 2) יומא voce Chaldaica, *Dies κατ' ἐξοχὴν*, dies totius anni præcipuus ac summus, unde tractatus Mischnicus, qui solennitatem hujus diei exponit, מסכת יומא inscribitur, quem erudito commentario illustravit ROBERT. SHERINGHAMIUS, Cantabrigiensis: 3) שבת שבתון *Sabbathum Sabbathorum*, Lev. XVI, 31. quod inter ceteros feriatos dies emineret: 4) צום רבא *Jejunium magnum*, apud ABEN ESRAM & alios Rabbinos, quo Νηστείας appellatio, ἐξόχως & eminenter dictæ, spectat Act. XXVII, 9. διὰ τὸ καὶ τὴν Νηστείαν ἤδη παρεληλυθέναι: in quem locum confer *Biblioth. Bremens. Class. I. Fasc.* 1. *p.* 20 *sq.* & *Class. II. Fasc.* 6. *p.* 995. nec non ALBERTI *Observ. Philol. pag.* 273. 5) יום סליחה והצלחה *Dies remissionis & prosperationis*, apud Talmudicos & Rabbinos, a beneficio, quod remissione peccatorum a Deo, hoc die consequebantur. Frequentissima tamen Diei Expiationis est appellatio, quod hæc præcipuum hujus diei esset ἔργον, ut Pontifex, suæ pariter ac universi populi delicta, toto anno commissa, certo statoque ritu, & typico per omnia cultu, expiaret.

Ceterum, quod probe observavit IOH. MEYER *de Temp. Sacr. & Fest. Hebr. P. II. c. XV.* §. 1. hunc diem, summæ licet sanctitatis, inter festos tamen non referri, quoniam non cum lætitia, sed in luctu & jejunio transigebatur; sed postquam hircus dimissus, & certa signa aderant, quod Deus peccata remisisset, magnum excitabatur gaudium, & hac de causa RABBAN SIMEON fil. GAMALIEL in Mischna Cod. *Taanith cap. IV.* §. 8. hunc diem accensuisse לימים טובים *diebus festivis.*

Tempus feriationis hujus diei erat, a vespera noni diei Tisri, ad vesperam decimi, Lev. XXIII, 32. Eo autem major ceteris Sabbathis, diebusque feriatis, hæc erat solennitas, quod Expiationis Diem dimidia sexta ordiuntur, & finiunt cum dimidia septima hora, exactis 25 horis: cum ceteris omnibus, 24 solum horæ essent consecratæ. Rationes diei & mensis ABARBENEL *Comment. in h. l. Pentat. fol.* 265. *col.* 3. has allegat: α) Quia R. ELIESER, & Doctores Judaici censent, cum initio mensis Tisri mundum condi cœptum, & die 6 absolutum, die 7 feriatum fuisse, die 10 autem Adamum, primum peccatum & patrasse, & expiasse, adeoque hunc diem statum fuisse a legislatore Israelitis pœnitentialem, ut conversi ad Dominum imitarentur Adami exemplum, & misericordiam a Deo impetrarent. β) Quia Abraham eo die circumcisus fuerit, & propter hoc fœdus filii ejus sanctificati. γ) Quia, juxta Magistrorum sententiam *in Pirke* R. ELIESER, Moses primo die mensis Elul seu Augusti, ascendit in montem Sinai, ut acciperet tabulas Legis posteriores, ibique permansit XL dies & noctes, quæ completæ sunt Die Expiationis, ideoque hic dies residuus, est dies remissionis & expiationis, sicut eo expiatum est peccatum Israelitarum, in vitulo aureo commissum. δ) Quod hoc die sederit Moses in cavitate petræ Exod. XXXIII, 22. videritque gloriam prætereuntis Dei; inde acquisivit sanctum hunc diem, in diem resipiscentiæ, remissionis & expiationis. Istæ vero causæ omnes cum ingenio solum nitantur Rabbinorum, solido nullo suffultæ fundamento,

mento, præſtat in Divino acquieſcere beneplacito, cujus nobis rationes non conſtant: ſi quæ tamen aſſignanda fuerit, eo demum recumbet, quod cum hac anni tempeſtate fructus omnes collegiſſent Iſraelitæ, hoc die publica teſtatum facerent pœnitentia, indignos ſe omnibus eſſe beneficiis, iisque ex mera Numinis clementia gaudere ac bonitate, quam ſupplices venerabantur, ut bonis collectis cum gaudio ac benedictione frui, ſibi liceret. Ni forte arceſſenda huc ſit occaſio, quam inſtituendæ huic feſtivitati, peccatum & interitus præbuit duorum filiorum Aaronis, Nadab & Abihu Lev. X, 1. Tantam enim cum transgreſſionem, tum ſtragem, ut poſthæc cavendam moneret Legislator, majoremque Sanctuario ſuo conciliaret reverentiam, præcipiebat, ut ex hoc tempore Pontifex, non quotidie, ſed uno quotannis die, ſumma cum veneratione, magnaque ſolennitatis ac cerimoniarum pompa, Sanctiſſimum ingrederetur Lev. XVI, 2. Conf. SPANHEM. *Obſervat. in Levitic. h. l. T. III. Opp. pag.* 672. Tanta autem hujus diei dignitas cenſebatur, ut ex BAR CHAMA traditione in Gem. Babylon. *ad Cod. Joma cap. I. fol.* 20. *col.* 1. Satan omnibus 364 anni diebus facultatem habeat, impetendi Judæos & accuſandi, hoc autem uno die, qui eſt 365, facultate iſta deſtituatur.

Ad §. II. pag. 78.

(2) *Quæ concernunt populum*] Totius populi erat, hoc die ad cœtum ſacrum confluere, animasque ſuas affligere & humiliare jejunio, ac abſtinentia ab omni carnali oblectamento aut voluptate Lev. XVI, 29 ſqq. idque ſub pœna excisionis e populo ſuo cap. XXIII, 29 ſq. Monet quoque MAIMONIDES *de Feſto Expiationi. cap. III.* §. 6, 7. populum, quando pronunciat Pontifex nomen יהוה, quod decem vicibus in illo Feſto memorabatur, procidiſſe in genua, expandiſſe manus & pedes, devotionis ergo: ſicut etiam in ſingulis precibus, in hoc Feſto populus ceciderit in faciem: juxta Eundem *de precibus cap. V. fin.*

Ad §. III. pag. eand.

(3) *Quæ concernebant Sacerdotem tantum*] Pontificis Summi ſolenne ac ſolitarium erat hoc die miniſterium. Huc 1) refertur in Cod. *Joma cap. I. ſect. I.* quod Pontifex integro ante hunc diem ſeptiduo, ab ædibus ſuis ſeparatus, & in conclavi quodam Sanctuarii, *Parhedrin* dicto, cuſtoditus fuerit, ne forte ab uxore ſua pollutus, cultuique inidoneus redderetur. Eaque propter alius quoque eidem ſurrogabatur Vicarius, qui partibus ipſius fungeretur, ſi quid impuritatis forte pateretur ex caſu nocturno. Singulis horum dierum exercebatur in cultu illius diei, ſpargebat ſanguinem de ſacrificio jugi, accendebat ſuffitum, præparabat lampades, & incendebat ſacrificia quotidiana, ut eo expeditius Diei Expiationis operibus vacare noſſet. Tertio & ſeptimo die, aſpergebatur cinere vaccæ rufæ. Deſtinabantur quoque Seniores quidam ex Synedrio, qui ordine omnem cultum ac miniſterium Diei Expiationis prælegerent, & in memoriam revocarent. Die 9 qui proxime hoc Feſtum antecedebat, deducebant eum mane, per Portam templi Orientalem in Atrium, & juvencos, arietes, agnos ac oves præterire faciebant, ut melius inde cognoſceret, quid ſibi faciendum eſſet. Hinc Seniores Synedrii tradebant eum Senioribus Sacerdotum, qui ipſum in Conclave Abtines deducebant, ut ibi ſuffitum rite peragere diſceret. Poſt conjurabant ipſum, ne quid innovaret in cultu aut omitteret. Sub veſperam non permittebatur multum edere, ne ſomnus noctu ipſi obreperet, ob periculum caſus nocturni. Eumque in finem juniores quidam Sacerdotes ei adjungebantur, quibus vel ipſe pericopam Scripturæ explicabat, quando doctus erat, vel explicatam ab alio quodam Sacerdote audiebat, ſi minus doctrina polleret. Hæc viri, ad tantum miniſterium, erat præparatio. 2) Oriente ergo Die Expiationis, ſub auroram ſurgebat Pontifex, & in Atrium, Happarvah dictum, ſe conferebat, depoſitisque veſtibus ordinariis, ſeſe totum בשבילה *immergendo* abluebat; hinc quo-

quoque manus ac pedes בקידוש h. e. quinquies ſingulorum repetita ſanctificatione expurgabat; veſtibus ſanctis indutus, ad miniſterium hujus diei ſeſe accingebat. Vbi ſtatim mactabat quotidianum ſacrificium, comburebat ejus membra, offerebat thymiama, & peragebat totum illius diei miniſterium ordinarium. Idem præſtabat reſpectu juvenci, & ſeptem agnorum extraordinarii ſacrificii. His peractis denuo manus ac pedes abluebat. Dein deponebat veſtes aureas, in balneo ſe abluebat, & lineas induebat veſtes, huic diei conſtitutas Lev. XVI, 4. atque tum demum peculiaribus hujus diei miniſteriis defungebatur. 3) Primum quidem ibat ad proprium ſuum juvencum, Lev. XVI, 6. qui erat inter Templum & Altare, impoſitaque capiti ejus utraque manu, confeſſionem edebat, quæ in Cod. *Joma cap. III.* §. 8. his concepta verbis legitur: *Obſecro Domine, deliqui, rebellis fui, & peccavi coram te, ego & domus mea. Obſecro Domine, remitte nunc & delicta, & rebelliones, & peccata, quæ deliqui, & in quibus rebellis fui, & quæ peccavi, coram te, ego & domus mea, juxta quod ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui: quoniam in die hac expiabit ſuper vos &c. & ipſi reſpondebant poſt illum:* ברוך שם כבוד מלכותו לעולם ועד *Benedictum ſit nomen glorioſum regni ejus in ſæcula ſæculorum.* Hinc relinquebat juvencum ſuum ſub manu cuſtodis.

Ad §. IV. pag. 78.

(4) *Duos illos hircos ſtitit*] Juvat Pontificis ante pertexere miniſteria, quam ad hircorum contemplationem deſcendamus. Ea cum ordine recenſuerit LIGHTFOOTVS in *miniſt. templi Hieroſol. cap. XV. Tom. I. Opp. p.* 744 *ſqq.* hinc paucis repetemus, adjectis tamen, & inſertis hinc inde variis, ab illo prætermiſſis, quæ ad uberiorem faciunt declarationem. Peractis, quæ diximus, 4) Pontifex ibat conjectum ſortes in duos hircos, ad Euro-aquilonarem partem Atrii, infra Altare conſtitutos. Sortes erant ordinarie duo nummi aurei, ejuſdem craſſitiei, quorum alteri inſcriptum erat: ליהוה *pro Domino*, alteri לעזאזל *pro Aſaſele.* Juxta libr. *Siphra P. II fol.* 168. *col.* 1. olim hæ ſortes ex buxo confectæ erant, ultimis autem temporibus ex auro, nunquam tamen diverſæ, ita ut una ex argento, altera ex auro conſtaret. Hæ in pyxidem injiciebantur, in quam Sacerdos utramque poterat manum una immittere, dictam קלפי. Duo hirci coram eo collocabantur, unus ad dexteram, alter ad ſiniſtram. Ad dexteram Pontificis ſtabat סגן, proximus a Pontifice inter Sacerdotes dignitate; ad ſiniſtram ראש בית אב *Princeps familiæ paternæ.* Tum Sacerdos Summus movens urnam, duas illas ſortes extrahebat, ac in qua manu ſors pro Jehova reperiebatur, illam elevabat, & poſtea ſortem dexteræ manus hirco a dextris ſtanti, & ſortem ſiniſtræ manus hirco a ſiniſtris ſtanti, imponebat. Tum alligabat purpuream vittam, לשון זהורית *linguam coccineam* dictam, quia inſtar linguæ lata erat & formata, capiti hirci emiſſitii, eumque illo in loco collocabat, ex quo erat emittendus; alterum vero hircum eo mittebat, ubi eum oportebat mactari. Et expectabant, ex quo capiti hirci alligata erat vitta purpurea, donec fieret alba, vi promiſſionis Jeſ. I, 18. Ita nempe factum dicunt tempore Simeonis Juſti, & ſortem hirci emiſſitii ſemper in dexteram Pontificis veniſſe. 5) Ita diſpoſitos hircos relinquebat, & ad ſuum rediens juvencum, impoſitis iterum manibus, alteram confeſſionem edebat, iiſdem verbis cum priore conceptam, niſi quod poſt: *ego, & domus patris mei*, hæc adjicerentur verba: *& filii Aaronis, ſanctus tuus populus.* Poſtea mactabat juvencum, capiebat ſanguinem, & dabat eum agitandum cuipiam, ne concreſceret. Ipſe ſumebat thuribulum, plenum prunis, de altaris exterioris acervo lignorum depromtis, atque ex vaſe allato implebat manus thymiamate, quod injiciebat diſco. Thuribulum prunarum manu dextra capiebat, & diſcum thymiamatis ſiniſtra. Ita ingrediebatur *prima vice* in Sanctum Sanctorum, & ad arcam accedebat, quo in loco deponebat prunas ſuas, effundebat thymiama in manus ſuas, id imponebat prunis, & expectabat,

donec totum conclave fumo repletum esset: tum retrorsum recedebat ex Adyto, facie ad Arcam obversa. Egressus, brevem hanc fundebat precatiunculam: *o Domine Deus, placeat tibi, ut hic annus habeat tempestivas pluvias, nec patere, sceptrum tuum discedere a Juda, nec populum tuum Israelem carere victu, nec preces transgressorum venire coram te.* 6) Tum egressus, capiebat sanguinem juvenci, qui eo absente agitatus fuerat, ne concresceret, eumque inferebat loco Sanctissimo, *secunda vice* ingressus, atque aspergebat octies, semel superius, septies inferius intra vectes arcæ; ita tamen, ut guttulæ sanguinis in terram caderent, non vero Propitiatorium attingerent, & in aspersione superiori altius, quam erat altitudo Propitiatorii, sanguis emitteretur, vola manus terræ obversa, in aspersione autem inferius facta, sanguis coram Propitiatorio, in libero aëre digito spargeretur, vola manus cælo obversa, ut in Lex. *Aruch f.* 129. *col.* 4. docetur. Hoc facto exibat, & reliquam sanguinem lanci in loco sancto injiciebat, & egrediebatur. Porro 7) mactabat hircum, & ingressu *tertio*, sanguinem ejus in locum sanctissimum inferebat, spargebatque octies, ut cum sanguine juvenci fecerat. Egressus, eum in loco sancto deponebat, sumtumque juvenci sanguinem octies adspergebat ante velum, idemque cum sanguine hirci faciebat. Postea, iis in cratere uno aureo mistis, adspergebat altare aureum, incipiens ab Euro-aquilonari angulo, & absolvens in angulo Euro-noto obverso. Circumitis angulis, corpus ipsum altaris, semotis paulisper cineribus, ut aurum appareret, septem vicibus in superficie adspergebat, atque exibat, reliquumque sanguinem affundebat ad occidentale latus basis altaris holocautomatum. Atque iste quidem Hircus expiabat peccata omnia contra legem, tam levia quam gravia, tam ex ignorantia, quam ex proæresi commissa, tam cognita, quam incognita; inprimis peccata idololatriæ, incestus, & effusionis sanguinum, tum quoque immunditiei, si v. g. in immunditie Templum essent ingressi, &c. juxta MAIMONID. *de pœnitent. cap. V.* & *de erroribus cap. XI.* §. 9. & juxta lib. *Siphra P. II. fol.* 171. *col.* 1. & *f.* 176. *col.* 2. & *fol.* 184. *col.* 2. 8) His rite peractis, ibat, ut emitteret hircum emissitium. Primum manus ei imponebat, atque hanc recitabat confessionem, quæ ab Auctore nostro traditur §. *VI.* eaque omnes peccatorum species illi imponebantur: unde quoque in *Siphra P. II. fol.* 187. *col.* 1. scribitur, quod hircus emissarius expiet peccata Sacerdotum, Levitarum, & Israelitarum, sicut juvencus Sacerdotis Summi expiabat ipsius peccata, familiæ & Sacerdotum, & hircus pro peccato populi immolatus expiabat peccata Israelitarum. Finita Confessione, deducebatur hircus in desertum ab homine idoneo, i. e. mundo, sive Sacerdos esset, sive Israelita. Distabat circiter XII milliaribus (Anglicis scilicet) Hierosolyma, præceps & altum promontorium, quod vocant nomine צוק / sive id nomen proprium ei fuerit, quod nonnulli contendunt, sive commune omnibus altioribus rupibus. Erant autem tabernacula decem, ab urbe Hierosolyma usque in desertum exstructa, quorum quodlibet ab altero passibus bis mille distabat, & in quolibet tabernaculo homines erant, qui virum, hirci ducem, cibo ac potu volebant reficere, si cuperet. Solebant etiam nobiliores Hierosolymæ, hircum comitari ad primum tabernaculum: hic parati erant alii, comitaturi eum ad proximum, atque ita usque ad ultimum. Ab ultimo demum tentorio eum prorsus non comitabantur ad ipsam rupem, sed in aliqua distantia subsistebant, ut viderent, quid facturus esset. Cum eo pervenerat ductor, detrahebat coccineam vittam a capite hirci ex interstitio cornuum, eamque disrumpebat mediam. Dimidiam partem alligabat rupi, alteram rursus cornibus hirci revinciebat. Denique hircum impellebat in præcipitium, qui priusquam ad fundum pervenisset, in varias partes crepabat. Ita munere suo defunctus, redibat ad proximum tentorium, ubi subsistebat, donec nox appetiisset. Interea temporis 9) Pontifex M. post emissum hircum, ad suum redierat munus, & dividebat in partes juven-

juvencum, & hircum, quem mactaverat, & cujus sanguinem intra velum intulerat. Imponebat eorum viscera altari, ut comburerentur, sed membra cuipiam tradebantur, ut aveherentur extra Hierosolymam, ubi comburebantur, juxta Levit. XVI, 27. Tandem dicebant Pontifici: *hoc tempore hircus pervenit in desertum:* & tum ibat in Atrium mulierum, ubi ad pulpitum legebat unam aut alteram sectionem Legis, ut Levit. XVI, tot. & cap. XXIII, 27-32. Tempus, quo hircus in desertum pervenerat, ita definit Mischna Cod. *Joma cap. VI.* §. 8. innotuisse Hierosolymis: in ea via varias fuisse pilas lapideas dispositas, & viros in eorum fastigio stetisse, cum albis linteis. Vbi hircus pervenerat in desertum, qui ibi stabat in proxima pila, sursum deorsum agitabat linteum suum, & sic reliqui ordine, usque ad urbem, quo sic res momento deferebatur. R. ISMAEL vero miraculo tribuit, vittam nempe coccineam, ejusdem cum illa, quam inter cornua gestabat hircus, materiæ & formæ, alligatam fuisse valvis templi, & statim ac hircus in desertum pervenerat, illam exalbuisse. Vbi ex Gemara Babylon. *Rosch Haschana fol.* 31. laudatus LIGHTFOOTVS observat, per totos XL annos ante destructionem Hierosolymæ, vittam rubram nunquam evasisse albam; cum vero hæc immutatio signum esset remissionis peccatorum, juxta Jes. I, 18. ita se morte dignos reddidisse intelligebant, effuso sanguine Christi, exacte XL annis ante excidium Vrbis, ut criminis hujus veniam non assequerentur. 10) Posthæc Pontifex M. perlectis sectionibus istis Legis, & recitatis præterea octo precibus, abluebat manus & pedes, exuebat lineas vestes, in balneo se lavabat, sacerdotales vestes induebat, abluebat iterum manus & pedes. Offerebat arietem unum pro se, alterum vero pro populo, & septem agnos in addiditias hujus diei oblationes. Tandem offerebat quotidianum sacrificium vespertinum. 11) His peractis, manus & pedes denuo abluebat, sacrisque vestibus exutus, in balneo corpus lavabat, induebat lineas vestes, manus & pedes abluebat. Ingressus *quartum*, e loco sanctissimo repetebat Thuribulum, & discum, quæ ibi reposuerat. 12) Postea, ablutis manibus pedibusque, exutis lineis vestibus, in balneo toto corpore, induebat sacerdotales vestes, abluebat manus & pedes, ingressusque in Sanctuarium, offerebat vespertinum thymiama, refectisque lucernis exibat. Atque tum denique, ablutis manibus ac pedibus, exutisque sacerdotalibus vestimentis, ordinaria assumebat, & ad ædes suas abibat, universo persequente populo. Eamque diem faustam habebat, quia sibi incolumi ex Sanctissimo exire licuerat.

Inde liquet, *quater* hoc die Pontificem in Sanctissimum introiisse, ut hactenus indicavimus, & confirmat MAIMONIDES *de Ingressu in Sanctuar. cap. II.* §. 1, 2, 3. adeoque, cum Moses Lev. XVI, 34. & Exod. XXX, 10. אחת בשנה *semel quotannis*, & Paulus Hebr. IX, 7. ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν ingressum dicit, numerus ille monadicus ad diem totius anni unum restringendus est. Ita Israelitæ ter quotannis in Templo se stitisse perhibentur, licet vel sexies uno die Templum intrassent. Pariter semel quis baptizatus esse dicitur, licet ter sit immersus, quia hi actus homogenei & continui habentur pro uno. Numerus autem sparsionum sanguinis omnium hoc die ad 43. assurgit, octies nempe in Sanctissimo, ex sanguine juvenci, toties ex sanguine hirci, sedecies contra Velum, quatuor vicibus ad Cornua Altaris interioris, ex sanguine hirci & juvenci commixto, septies super Altare Holocausti. Victimæ porro XV hoc die ab uno offerebantur Pontifice: XII holocausta, & XIII sacrificia piacularia: sic ut essent agni 9. arietes 2. hirci duo, & juvenci duo. *De ingressu in Sanctum Sanctorum Pontificis Hebræorum Summi,* prolixe commentatus est DASSOVIVS disp. publica Vitembergæ An. 1692; quam evolvat, qui plura cupit.

Ad §. IV. & V. pag. 78.

(5) *Posterior vocatur hircus Azazel*] Gravissimum hoc argumentum, præter ceteros ex instituto discusserunt SAM. BOCHARTVS *Hieroz.*

roz. Tom. I. lib. II. cap. LIV. toto, IOH. VAN DER WAYEN *Var. Sacror. Differt. II. p.* 139 *fqq.* STEPHAN. LE MOYNE *Varior. Sacr. Tom. II. p.* 649 *fqq.* BIERMANN. *Mofes en Chrift. lib. IV. cap. VI. p.* 662. edit. Belgicæ, BERN. SEBAST. CREMER. *in Typolog. P. II. Comment. literali & myftico in Levit. XVI,* 1. *& Num. XXIX,* 7-11. ex quibus potiora nunc in compendium mittemus. Nomen hirci legitur Lev. XVI, 7, 8, 10, 26. &c. & cum præfixo quidem, ut hircus לעזאזל Azazeli deftinatus feu dicatus indicetur. Vbi α) de nomine עזאזל, ejusque ortu pariter ac fignificatione, prorfus non convenit inter doctores. Hebræis paffim hoc nomine notatur mons afper & confragofus, auguftus & celfus, quo hircus deducebatur, in deferto prope montem Sinai fitus, *mons caprinus* velut dictus, eo quod hircus Expiationis eo emitteretur. Ita cum Talmudiftis, Arabes, & e Chriftianis VATABLVS ac OLEASTER. Inde componunt vocem ex עז *caper*, & אזל *abiit*, ut idem fit ac: עז אשר אזל *hircus quem dimittit, quem abigit, fcil. Jehova, aut Sacerdos juffu Dei*, ut exponit WAYEN §. *CV. p.* 186. Hanc tamen derivationem explodit BOCHARTVS, quia vocab. עז fœmin. non hircum, fed capram notat, neque cum verbo mafculino componi poteft. Sed & mons ille Azazel, & facræ & profanæ Geographiæ plane eft ignotus, nullibique monftrari poteft, nec a quoquam defcriptus, quod impoffibile omnino foret, fi tantæ folennitatis fuiffet ac celebritatis. β) Alii itaque hircum ipfum emiffitium hoc nomine vocatum contendunt. Vnde LXX τράγον ἀποπομπαῖον interpretantur. Ex horum mente verba Mofis ita funt reddenda: *Aaron jaciet fortes fuper duos hircos, fortem unam Domino*, h. e. in hircum Domino mactandum, *& alteram in Azazelem*, i. e. in hircum, in defertum abiturum & deducendum. Vnde SYMMACHVS alteram fortem jactam dicit εἰς τράγον ἀπερχόμενον, *in hircum abeuntem*: atque huc referunt, qui ita fentiunt, fuperiorem vocis originationem, cui DAVID DE POMIS quoque *in Zemach David h. v.* adftipulatur. Verum obftat *partim* ordinis & narrationis turbatio. Quomodo enim id nominis ftatim huic hirco imponeret Legislator, ubi nihil hucdum de emiffione ejusdem, unde nomen effet petitum, edixiffet? *partim* abfurdum correlationis. Si enim Azazel eft nomen hirci emiffitii, vi vocum ac ftructuræ neceffario fequitur, alterum hircum, qui immolabatur, nomen יהוה geffiffe. Vna enim fors exibat לעזאזל hirco, qui Azazel dictus eft, altera ליהוה hirco, qui immolandus erat, & vi relationis Jehova dictus fit. quod falfum. γ) BIERMANNVS, æque ac SPENCERVS *de Legib. Hebr. ritual. Differt. VIII. pag.* 992 *fq.* illi adftipulantur fententiæ, quæ per Azazelem intelligi contendit Diabolum; non, ac fi unus ex hircis Diabolo fit immolatus, alter Deo, ritu licet difpari, & fic Deus ac Diabolus pari loco invicem oppofiti & habiti fuerint, cum & hic hircus Deo effet facer; fed quia voluntate ac juffu Dei exponeretur hic hircus, ad torquendum Diabolum, & ut ipfe a Dæmone torqueatur. Probat prior fententiam א. quod ex communi Judæorum confenfu nomen hoc fit Angeli mali, qui Azazelem eundem faciunt cum Sammaele, Angelo mortis. eaque propter ב. veteres quoque Chriftiani per Azazelem Diabolum intellexerint, tefte ORIGENE *lib. VI. contra Celfum.* ג. quia verba Textus perfpicue doceant, alterum hircum forte Deo fuiffe adjudicatum, alterum Diabolo. Vti enim יהוה is eft, cui hircus immolandus erat deftinatus, fic vi correlati Azazel pariter is erit, cui emiffitius dicatus erat, Deo oppofitus. ד. quia faveat etymologia vocis, compofitæ ex עז *robur*, & עזאל quod *præteriit, difceffit*, ut vox hæc notet *virtutem, quæ difceffit & abiit*, feu ut SPENCERVS exponit, *fortem illum fugientem aut abeuntem*, h. e. creaturam principem, quæ principatum non fervavit, fed defecit: quod quam apprime in Diabolum quadret, idem demonftrare fatagit SPENCERVS. Hanc vero, ceu perabfurdam nominis explicationem, refellit BOCHARTVS. Nam 1. iftud, quod ab initio removerat, hircum hunc Diabolo fuiffe confecratum, in exegefi fententiæ manifefto afferit, & confirmat, dum

dum per sortem, hircorum alter Deo, alter Diabolo addictus fertur. Quam autem hoc a mente Dei alienum, & impium sit, ad expianda peccata victimam unam, Deo immolandam, alteram Diabolo, ad excruciandum, fuisse destinatam, ex *Cap. sequ. commate* 7. liquido patet, ubi exserte & severe prohibet Deus, Dæmonibus litare. Quin & ipse hircus, qui vivus emittebatur, sisti jubetur coram Domino cap. XVI, 10. ut uterque hircus Deo esset devotus, in offerendi ratione ac modo solum, alter ab altero distinctus. Nec 2. ullo plane vestigio aut indicio tale quid prodit Scriptura, hircum emissitium ad torquendum Diabolum, & ut torqueatur a Diabolo, fuisse destinatum. Ceteræ rationes omnes vel incertæ sunt ac lubricæ, vel ex fabularum Judaicarum lacunis haustæ, ut mirari subeat, subacti judicii viros, in quibus etiam WAYENIVS est §. *CIV sqq. p.* 185. & WILHELM. MOMMA *Oeconom. temp. P. I. cap. XI. lib. II.* §. 35. *p.* 205. hanc sententiam serio tuendam in se suscipere potuisse. *δ*) STEPH. LE MOYNE ex adverso, nomine Azazel Deum ipsum designari autumat, in cujus nominibus quoque sit עזז אל *Azazel*, Deus fortissimus. Hircos itaque illos in honorem solius Dei fuisse oblatos: alterum ליהוה sub ista benigna relatione nominis Jehovæ, qui hoc cumprimis nomine Judæis se manifestaverat, & promissionum suarum implemento apud illos se commendaverat; alterum לעזאזל Deo fortissimo, Deo, qui ratione Numinum gentilium, solus erat שדי & אל / & עזז / potens, robustus, fortis, sufficiens, sed nondum erat Jehova, nec respectu Gentium se Jehovam manifestaverat, Ethnicos vocando, & benedictionibus suis cumulando, secundum promissionem Abrahamo factam. Cum ergo hircus emissarius repræsentaret oblationem factam in gratiam Gentium, & illius in desertum deductio, fuerit symbolum & typus Evangelii, quod ad gentes usque remotissimas & ferociores pervenit, quarum peccata sanguine Christi deleta sunt, sicut peccata Hebræorum; dicendum existimat Vir doctus, oblationem factam Azazeli, esse oblationem Deo ipsi factam, qui ratione Ethnicorum nondum vocabatur יהוה. Sed mutuatitiæ & prorsus incertæ, quin immo falsæ sunt hypotheses, quæ ingeniosæ licet conjecturæ huic substernuntur. Obstat eidem 1. vocis Originatio. In compositione vocum non videas facile, unius vocis literam in alteram inseri mediam & intrudi, ut h. l. voc. אל suum א inter duo ז medium inferre fingitur. Præterea Deus quidem עזז *robur* fidelium, non vero עזז vel עזוז vocatur: 2. Oppositio duarum sortium, quæ duas, sibique oppositas requirit partes, sive distincta objecta, ita ut hircus unus cum Domino consecraretur, alter non posset pariter Domino, sed alii personæ, objecto, vel fini fuisse destinatus: 3. Inconvenientia nominum. Neque Deus unquam vel in Scriptura, vel apud Judæos, Azazel est dictus; neque nomen יהוה respectu Judæorum, & Fœderis gratiosi inter Deum & homines, sed respectu essentiæ Deo competit: 4. Gratis præterea & citra ullum fundamentum, verbum Evangelii, sub Azazele adumbratum fuisse fingitur, cui somnio nullus conciliari potest color. *ε*) BOCHARTVS denique originem vocis in Arabismo quærit, ubi verbum *Azala* est *removere, separare*. Hinc duplicata litera *Dsal*, quæ duplicatio frequentissime apud ipsos locum habet, *Azazel* inde enasci, quæ vox *ἀναχώρησιν*, *separationem, secessionem* notet. Cum ergo sortes jacerentur, alter hircorum Domino destinabatur in sacrificium, alter *πρὸς ἀναχώρησεις, ad secessionem, separationem, & abductionem* in loca remota & dissita deferti. Eaque nobis potior ceteris omnibus videtur sententia, qua stamus, donec meliora edoceamur.

Ad §. VII. pag. 79.

(6) *Capiunt gallum gallinaceum*] Ritum hunc modernum copiose describit BVXTORFIVS *Synag. Jud. cap. XXV. p.* 508 *sqq.* Judæis autem eundem inculcat ספר הנהגת האדם *cap. XXXIV. statim a principio*, jubetque, ut בערב י"כ *in Parasceve Diei Expiationis*, post preces matutinas in Synagoga fusas, illa expiatio peragatur:

tur: monet etiam, quod ex ר״ת seu *initialibus literis* formulæ solennis, זה חליפתי זה תמורתי זה כפרתי *hic sit permutatio pro me, hic sit loco mei, hic sit expiatio pro me*, prodeat verbum חתך *secare, abscindere*, והוא החותך חיים *tum ille abscindit vitam*: verum BVXTORFIVS nomen dicit esse Angeli, huic rei præfecti. Formulam expiationis fusius exponit ספר מנהגים seu Rituale Amstelodam. in 4. An. 1662. *fol.* 45. *col.* 2. *fin.* זה חילפתי זה תחתי זה כפרתי זה התרנגול ילך למיתה ואני אלך לחיים טובים עם כל ישראל אמן *hic sit permutatio pro me, hic in locum meum succedet, hic erit expiatio mea: hic gallus ibit in mortem, ego autem ad vitam felicem sum iturus, cum toto Israele, Amen.* Superstitionem illam quoque EDZARDVS repetit *in Berachoth cap. I. p.* 185. & refellit *p.* 186. 190. Reliqua apud laudatum BVXTORFIVM videantur: sunt enim recentioris & superstitiosi instituti.

Ad §. VIII. pag. 79.

(7) *Sis pro nobis peripsema*] Integer SVIDAE locus ita habet: Περίψημα, κατάμαγμα. ἡ ὑπὸ τὰ ἴχνη ἀπολύτρωσις. ὅτως ἐπέλεγον τῷ κατ' ἐνιαυτὸν συνέχοντι τῶν κακῶν· περίψημα ἡμῶν γενοῦ· ἤτοι σωτηρία, καὶ ἀπολύτρωσις· καὶ ὅτως ἐνέβαλον τῇ θαλάσσῃ, ὡσανεὶ τῷ ποσειδῶνι θυσίαν ἀποτιννύντες. Quæ AEMIL. PORTVS ita vertit & supplet: *Purgamentum, quicquid spongia purgatum excipitur. Ipsa sub vestigiis existens*, i. e. jam præsens *redemtio. Sic acclamabant illi de malis* ac sceleratis hominibus, *qui quotannis comprehensus* detinebatur, & reipublicæ malorum lustralis hostia destinabatur: *esto nostrum purgamentum, i. e. salus & redemtio, & in mare sic* ipsum *conjiciebant, quasi Neptuno* sacram *hostiam* immolantes & *persolventes.*

Ad §. IX. pag. cit.

(8) *Qua utebantur Gentiles*] Eidem sententiæ novissime accedit BEAVSOBRE *in Annot. Gall. ad Nov. Test. h. l.* eamque IOHANNIS vel ISAACI TZETZIS carmine Græco egregie illustrat. Athenis duos quotannis viros, unum pro viris, alterum pro feminis, seu juxta HESYCHIVM, virum & feminam, singulos scil. pro sexu suo, immolabant, qui φαρμακοὶ, καθάρματα, σύμβακχοι dicti, atque de publicis hanc in rem sumtibus nutriti. Hi septies, colaphis, scillis, ficubus agrestibus, aliisque cædebantur, ac per civitatem, suspensas de collo caricas, ii, qui pro viris, nigras, qui pro feminis immolabantur, albas gestantes, manu caseum, mazam, itidemque caricas ferentes, ad tibiæ cantum, cujus modulus κραδίης, & φαρμακὸς, indeque homo κραδησίτης dicebatur, ducebantur, tandemque cremabantur, atque eorum cineres in mare spargebantur. MEVRSIVS *Atticar. Lection. lib. V. cap. XXII. Tom. V. Antiqu. Græcar. col.* 1880. & *in Græcia feriata lib. IV. Tom. VII. Antiqu. Græc. col.* 787. Apud Gallos similiter, aliquis ex egentissimis ad lustrationem annuam donis persuadebatur, qui publicis per annum cibis alebatur, & solemni expiationis die accedente, extra urbis pomœria saxis obruebatur: observante ERASMO Roterod. & HVG. GROTIO *ad 1 Corinth. IV*, 13. Confer Auctores, quos larga manu *ad h. l.* πολυμαθέστατος citavit *in Curis Philol.* WOLFIVS.

Ad §. X. pag. 80.

(9) *Typum & antitypum*] Comparat solum Auctor noster Pontificem, cum antitypo Christo, quod bene habet. Sed necesse est, ut typicam quoque hircorum expiationis ad Christum relationem meditemur, quæ varie a variis instituitur. 1) ORIGENES *Hom. IX. in Levit.* duobus hircis designari autumat duo genera hominum, proborum & fidelium, ac improborum, quorum illi a Christo Pontifice ac Judice universali, Deo in sacrificium destinantur, hi in desertum, ac tenebras exteriores projiciuntur. Quin & lapsos, hinc homines, hinc Angelos, designare eos censet, quorum illi, tanquam hircus immolandus, accepti sunt a Domino, ut ex illis Ecclesiam sibi colligeret, hi tanquam hircus Azazel,

zel, sint rejecti, & a Christo in triumpho ducti. Sed coacta hæc esse, nec bene sibi respondentia, quis non videt? 2) Alii ad duas in Christo naturas, cum Auctore nostro *num. VI.* accommodant, ita ut hircus immolandus Humanam respiciat immolandam & occidendam, hircus emissarius Divinam, passionis expertem. 3) Theologus quidam Anglus geminum adumbrari credit modum distinctum, abolitionis peccatorum, ita ut emissarius hircus fugam delineet, metumque peccati, mactatus vero abolitionem peccati per pœnitentiam. Quæ quam absurda licet sit comparatio, adeo se tamen probavit SPENCERO, illam ut ceteris omnibus anteponat. 4) WILHELM. MOMMA *c. l.* hircum Azazel, quem Diabolo expositum & destinatum, æque ac BIERMANNVS credit, figuram exhibuisse perhibet rebellantium Judæorum. Improbi enim, in Sacris hirci vocantur, Matth. XXV, 33. in quibus rebelles Judæi principatum teneant. Vt hircus ille sistebatur vivus coram Domino, ita Judæi soli Deo olim visi sunt vivere; ille mittitur in desertum Azazeli, hi dimissi & dispersi sunt per gentes, Deoque hujus sæculi, h. e. Azazeli obediunt, qui ipsos ἐτύφλωσε, 2 Cor. IV, 4. Ille mittebatur per manum viri opportuni, hi per Cæsarem Romanum; ille portabat super se omnes pravitates, defectiones, & peccata filiorum Israel, hi pariter portant, verum non expiatorie, sed sub Dei justitia vindicativa, tam insigniter ac longo intervallo pro peccatis luunt, ac si omnium Israelitarum pœnas ferrent. Tandem, ut hircus sistebatur, ad expiandum super illo, ita & hi in sanguine Testamenti sunt sanctificati, spesque est, fore, ut totus adhuc Israel salvetur, Rom. XI, 26 sq. Quæ denuo longe sunt petita, nec uno nomine impingunt. Eandem tamen sententiam WAYENIVS *c. l.* §. *CXXXV sqq.* copiose tuetur, & paulo aliter pingit, hirco Azazel gentem Judaicam repræsentari, Christum rejecturam, & a Christo atque communione Dei olim, aliquot sæculorum decursu, rejiciendam; quam apud ipsum legas. 5) BIERMANNVS utrumque hircum typum quidem Christi constituit, sed sub duplici relatione, quam Christus habuit, hinc ad Deum Patrem, quem morte sua expiavit, hinc ad Azazelem, seu Diabolum, hostem quocum Christo erat dimicandum. 6) Commodius HERM. WITSIVS *in Doctr. Fœderum lib. IV. cap. VI. p.* 673. immolatum hircum, adumbrasse censet veram peccatorum expiationem, quæ fit effusione sanguinis; emissum vero, consequens & effectum hujus expiationis, in abolitione peccati, ne amplius coram Deo compareat. 7) Omnium optime uterque Christum retulisse creditur, sed sub diversis comparationis partibus. *Immolatus* erat sacrificium pro peccato, חטאת/ Christus pariter, quem Deus peccatum fecit, 2 Cor. V, 19, 25. Illius sanguis inferebatur, ad expiationem in Sanctuarium; Christus, verus Pontifex, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium, semel ingressus est Sanctum, æterna redemtione reperta, Hebr. IX, 12. *Hircus Azazel* portabat peccata totius populi, sibi imposita; & omnium hominum peccata Deus הפגיע incurrere fecit in Christum, Jes. LIII, 4, 6, 10. Ille tradebatur in manum viri deducendus; Christus traditus in manus peccatorum Jes. LIII, 8. ad mortem, non sorte, sed destinato Dei consilio Actor. IV, 27 sq. Ille conviciis, execrationibus, sputis, & verberibus oneratus abigebatur; quæ omnia Christus sustinuit, dum in Calvariæ montem esset deducendus, dorsum suum percussoribus præbens, & genas inimicis &c. Jes. L, 6. Ille peccata populi procul auferebat, ne in conspectum amplius venirent; ita Christus peccata nostra procul a nobis removit Psal. CIII, 12. Cumprimis huc conferri meretur Vener. BERNH. WALTH. MARPERGERI tract. vernaculus, *das grosse Sühn- und Sünd-Opffer des grossen Versöhn-Tages*, qui expiationem hujus diei cum antitypo, expiatione Christi studiose confert, simul quoque sortes jactas, hircum utrumque, & præcipuas hujus diei cerimonias, ex Talmudicis & Rabbinicis monimentis sollicite illustrat.

AD

LIB. III. CAPVT IX.

DE ANNO SABBATHICO, SEV QVIETE SEPTENNALI.

Ad §. I. pag. 80.

Annus Sabbathicus] Vocatur passim שמטה *Intermissio*, שנת שמטה *Annus intermissionis* Devter. XV, 1, 2, 9. & שבת שבתון לארץ *Sabbathum cessationis terræ* Lev. XXV, 3. Incipiebant autem computationem illius anni, a die X mensis septimi seu Tisri, qui erat dies Expiationis, cujusvis anni septimi, & usque ad Eundem diem anni sequentis, sive octavi putabant, ut annus integer prodiret; ut vult BIERMANN. *in Mose & Christo lib. IV. cap. VII. p. 679.* edit. Belg. Contra vero ea, MAIMONID. *in Schemitta & Jobel cap. IV. §. 6.* & *cap. X. §. 3.* numerandi initium in primum mensis Tisri diem conjicit, quocum facit etiam MEYERVS mox citandus §. *VIII. pag.* 339. Ceterum, quemadmodum שבת tam diem notat septimum hebdomadis, quam integram septimanam, ita quoque שמטה & Annum intermissionis significat, & integros septem annos, h. e. totius hebdomadis annalis complexum, eodem modo, quo *lustrum* dicitur Latinis quinquennium.

A quo autem tempore, post ingressum in terram Canaan, numerare annos, & observare Schemittam cœperint, dubia est inter Judæos sententia. MAIMONIDES *in Schemitta & Jobel cap. X.* ita definit: ומאימתי התחילו למנות מאחר ארבע עשרה שנה משנכנסו לארץ שנ' שש שנים תזרע שדך ושבע שנים כבוש הארץ ושבע בחלוק: *A quo tempore autem exorsi sunt numerare? Post XIV annos, quum ingressi fuerant terram, quemadmodum dicitur: sex annis seminabis agrum tuum* &c. (Lev. XXV, 3.) *Septem annos impenderunt subjugationi terræ, & septem annos distributioni.* Istam autem traditionem certo destitui Scripturæ fundamento, causati ABARBENEL, RALBAG, R. ASARIA, & alii apud MEYERVM *lib. II. de Temp. Sacr. & Fest. Hebr. cap. VI. §. 4 sqq.* ubi fuse in hanc quæstionem inquiritur, in diversum discedunt, & exactis primis septem post ingressum annis, Schemittam observari cœptam censent; a quibus tamen in tantum abit MEYERVS, ut præter annos subjugationis, etiam requisitum fuisse tempus divisionis opinetur, quia vix incipere potuerit periodus anni Sabbathici, antequam terra forte fuerit distributa: quæ sententia rationi omnino exactius respondet. Conferatur Idem *in Annotat. ad Seder Olam cap. VII. p. 372 sq.* ubi pariter, ex Magistrorum mente, hæc controversia copiose disceptatur.

Ibidem.

(2) *Annus Sabbathicus signum erat*] Pertinet hoc ad §. V. ubi ex instituto Festi rationes considerantur.

Ad §. II. pag. cit.

(3) *In ἀγεωργησία, agriculturæ cessatione*] Dicitur שמטת הארץ quies terræ, toto anno agris & vineis indulta Exod. XXIII, 10, 11. Lev. XXV, 3 sq. Prohibebatur quippe seminatio, vitium amputatio, messis & vindemia, sub pœna flagellationis triginta & novem verberum. Neque de arborum radicibus licebat auferre herbas noxias, neque arborem sterilem licebat plantare anno septimo, neque folia vel ramos aridos arboribus adimere &c. Contra vero, licebat in anno septimo semina ventilare, ut illo finito seminarentur, arbores quoque signare minis, & lapides circumponere, ne læderentur a bestiis &c. MAIMONID. *c. l. cap. I. §. 1-10.* Licita quoque

que fimi in agros portatio, non tamen ut ftercorarent agrum, fed fimetum in eo ftruerent, *cap. III.* §. 1 *fq.* Etfi vero integrum non erat poffeffori agrorum, eos totos obfepire, vel fores hortorum oppeffulare, fed liberum cuique concedere aditum, liberamque decerpendi & fruendi omnibus facultatem facere oportebat, licebat tamen foffam facere in agro, vel fepimentum conftruere in anno feptimo, fi ad viam publicam pateret *ibid.* §. *XIII, XIV.* ubi plures ejusmodi videas tricas.

Ad §. II. pag. 80.

(4) *In remiffione debitorum*] שמטת כספים/ nominum fcilicet, fex annis elapfis contractorum, remiffio Devter. XV, 2 fqq. Nulla hoc anno debita exigebantur a debitore Ifraelita, cui plane illa erant remittenda, bene autem a Gentili vel advena. Non vero ex Lege Mofis obtinebat debiti remiffio, (quia in Exodi & Levitici cc. ll. nulla ejus fit mentio) nifi eo tempore, quo in ufu erat annus Jobelæus, five in terra, five extra terram Ifraelis, & agri redibant ad proprietarios. Sed tamen ex conftitutione Sapientum deinceps etiam, cum annus Jobelæus defiiffet, adhuc obtinebat debiti remiffio. MAIMONID. *c. l. cap. IX.* §. 2, 3. Si quis etiam cum altero pacifceretur, ut anno feptimo non remitteretur debitum, tamen remittebatur, quia nemo deftruere jus anni feptimi poterat *ibid.* §. 11. Contra vero, fi quis debitum negaret anno feptimo, & illo finito vel fateretur debitum, vel teftibus convinceretur, ei non remittebatur §. 8. ita, fi quis mutuo daret alteri, & folutionis terminum figeret decem annorum, non remittebatur anno feptimo §. 9 *fqq.* ubi plures hujusmodi cafus, in quibus ceffaret remiffio, proponuntur. Si quis alteri vellet reftituere debitum poft annum feptimum, debebat ille, qui mutuo dederat, dicere: Remitto ego. Sin vero inftaret alter, dicens: Tamen volo, ut accipias; licite ille accipiebat. Poterat etiam dicere debitor: dono dedi tibi has pecunias; & tunc poterat accipere creditor, §. 28 *fq.* Num vero remiffio illa in fine folum feptimi anni, & quidem in Fefto Tabernaculorum, locum habuerit, quod contendit MAIMONID. *c. l.* §. 4. an in toto potius feptimo anno, quod probabilius cenfet, & ex phrafi Mofaica מקץ שבע שנים probat MEYERVS *c. l.* §. *XVI, XVII. p.* 334. legi poteft ibidem. Idem porro MEYERVS §. *XX. p.* 335. erudite difceptat: An illa debita ita remiffa fuerint Ifraelitis, ut poft annum Sabbathicum exigere licuerit, an vero omni ratione fuerint remiffa? Vbi, contra vulgarem Hebræorum fententiam, quod abfoluta & perpetua debitorum remiffio hic fuerit mandata, ut nulla unquam eorum fequeretur folutio; vero cenfet fimilius, remiffionem non fuiffe perpetuam, fed pro illo feptimo duntaxat anno exactionem intermiffam, debito manente, & fequentibus annis repofcendo. Ita namque ratiocinatur: Quemadmodum non exigebatur proventus ab agris, ita neque debitum a debitore exactum, quod ejusmodi anno, quo nihil ferebatur & metebatur, homines præfertim tenuioris fortunæ, non effent folvendo: ut autem fequentibus annis licite redibant ad agrorum culturam, ita etiam debitum exigere poterant, nempe a divitibus, non autem pauperibus, juxta Devter. XV, 7-11. Velut autem illa, ab agrorum cultura, poftliminio cœpta, ad remiffionem debitorum collectio, propter fummam comparatorum difparitatem, plane nihil evincit, cum proventus terræ, cultura eliciendus & promovendus, ad fuftentationem gentis, & decimarum, primitiarumque oblationem, omni prorfus tempore neceffario requirebatur, & negligi non poterat, excepto anno feptimo; ita ftamus adhuc fententia Hebræorum, quam fupra quoque infinuavimus, quia hæc exceptio in fraudem cederet legis, & immunitatis privilegium eriperet obæratis, fi anno octavo ad folutionem denuo adigerentur.

Refertur huc a quibusdam etiam שלוח עבדים *dimiffio fervorum* Ifraeliticorum, qui fex annis præcedentibus fervierant, & hoc anno manu mittebantur; quod ex Exod. XXI, 2. Deut. XV,

XV, 12. probare nituntur. Verum laudatus MEYERVS *c. l.* §. 22 *sqq.* in hanc quæstionem ex instituto commentatus, ex Exod. & Devter. cc. ll. & Jerem. XXXIV, 14. nec non ex ratione anni Jobelæi Lev. XXV, 10 sqq. solide demonstrat, manumissionis servorum annum inde ab inita servitute, minime vero juxta computum anni Sabbathici, fuisse numeratum, & si forte eveniret, ut manumissio in annum Sabbathicum incideret, illam tamen non vi Schemittæ, sed privilegio peculiari, citatis locis divinitus servis Israeliticis indulto, locum habuisse. Quomodo autem, cognatum huic manumissioni, ἐναντιοφανὲς Exod. XXI, 7. & Deut. XV, 12. ex mente Rabbinorum componi debeat, R. MENASSEH BEN ISRAEL docet *Conciliat. in Exod. h. l. quæst. XXXIX. p.* 156. Potiori jure ad ritus hujus anni pertinet, solennis prælectio Devteronomii, a Rege vel Pontifice, stante in suggesto ligneo, in Atrio Templi, coram tota concione filiorum Israel, clara & distincta voce peracta, juxta Devter. XXXI, 10 - 14. de qua copiose rursus disputat MEYERVS *c. l. cap. IX.* §. 67-73. *p.* 200.

Ad §. III. pag. 81.

(5) *Qua re vesci potuerint, eo durante*] Recte Auctor noster provocat ad benedictionem sexti anni, Levit. XXV, 20, 21. promissam. Præterea res sponte natæ in anno septimo, cibum cuivis præbebant. Quicquid enim crescebat vel ex seminibus, quæ ante annum septimum in agrum ceciderant, vel quicquid ex radicibus succisis succrescebat, vocabatur ספיח *sponte natum* (ex Levit. XXV, 5. ספיח קצירך) sive esset herba, sive olus a seipso crescens. הכל מותר לאכלו מן התורה *id omne licite comedebatur, secundum legem,* quia dicitur Lev. XXV, 6. והיה שבת הארץ לכם לאכלה׃ & *erit fructus Sabbathi ipsius terræ vobis ad comedendum.* Non vero demetebatur, sicut fruges in aliis demetebantur annis, ut ederentur. MAIMONID. *Hilc. c. cap. IV.* §. 1. Qui autem religiosiores erant, & metuebant, ne aliqua seminata essent; & venditarentur pro sponte nascentibus, non nisi fructus arborum, & illas herbas, quas paucissimi seminabant, in anno septimo edebant, v. g. rutam, asparagum, & similia, non autem olera, fruges, & legumina §. 3. ubi plures de rebus sponte natis constitutiones legas. Fructus arborum anni septimi, quorum comestio concedebatur, alio, quam reliquis annis, modo tractare conveniebat, secundum illud Scripturæ Levit. XXV, 5. ענבי נזירך לא תבצר *uvas intermissæ tuæ vineæ ne vindemiato.* Hinc v. c. ficus anni septimi non rescindebantur falcula consueta, nec siccabantur in loco solito; uvæ non calcabantur in torculari, olivarum in trapeto non fiebat confractio; & sic circa ceteras quoque res, recepti ceteroquin moris facienda erat immutatio. §. 21, 23. Anno septimo omnium sponte nascentium usurpatio cuique concessa erat, ita, ut nec vineam occludere, nec agrum obsepire, nec totum proventum uni soli vindicare sibi liceret, bestiarum quoque pecudumque depastiones erant liberrimæ juxta legem Exod. XXIII, 10, 11. Quin & fructuum anni septimi venditorum peculiaris erat sanctitas, diversa & alia a ceterarum rerum Deo sacratarum sanctitate. Aliæ enim sacræ res, quod ex Lev. XXVII, 13 sqq. discimus, si secundum æstimationem Sacerdotis, addita insuper pretii parte quinta, redimantur, profanam naturam induunt, subeunte in locum illarum pretio. At fructuum anni septimi venditorum pretium sacrum est, & ad cibos tantum parandos usum præbet, nec illi fructus venditi sacri esse desinunt, sed veterem indolem servant. Non igitur fas est, pretio fructuum anni septimi solvere debitum, aut despondere sibi uxorem, aut tonsorem vel nautam conducere, sed illo unice esculenta emere oportet. Jam, cum v. c. emitur illo pretio fructuum, caro, ea caro religiosa fit, nec minore sanctimonia comedenda est, quam ipsi anni septimi fructus. At, si hac carne pisces quis comparet, tum caro sacra esse desinit, pisces vero religionem contrahunt; si piscium cum oleo fiat permutatio, oleum sanctimoniam accipit, quam pisces amittunt; si pro oleo

oleo mel paretur, mel sacrum evadit, oleum tale esse definit, unde si quid istorum omnium finito anno septimo supersit, primi tantum fructus, & ultimum mel, ad remotionem obligantur. MAIMONID. *cap. VI.* §. 6 *sqq.* Demum fructibus anni septimi haud ultra illud tempus vesci licet, quo species eorundem in agris non amplius comparent, juxta id, quod legitur Levit. XXV, 7. *jumenti tui, & cujusque bestiæ, quæ est in terra tua, esto totus proventus illius ad comedendum.* E quo inferas, tam diu homines domi suæ licite fructibus frui, quoad bruta illis ipsis fructibus vesci possunt in agris. Simulac vero brutis illorum comedendorum copia nulla est, homines quoque comestione prohiberi. Atque hoc Magistris vocatur ביעור של פירות שביעית *remotio fructuum anni septimi.* Nempe, residuum ex illis fructibus segregare, aut in fluenta projicere, aut alio quovis modo abolere oportet, si nulli adsint pauperes, inter quos distribui possint. Proinde, si quis v. c. secum habeat ficus anni septimi, potest licite eas comedere, donec illarum arbores hoc fructu destituuntur: nam cum hæ ficubus carent, domesticæ quoque ficus illicitæ evadunt. *cap. VII.* §. 1 *sq.* Prout porro fructus anni septimi, sic & pretium, quod quis ex venditione eorum tenet, semovere oportet. Vnde si quis vendat malogranata, pecunia ex eorum venditione collecta, exterminanda est, quamprimum arbores malogranatis orbæ sunt. Hinc pro illis nummis vel emendus est cibus, & in tria prandia pauperibus distribuendus: vel nummi ipsi in mare projiciendi erunt, si non reperiantur cibi: §. 7, 8. Sed & regio Judaica, quoad remotionem fructuum anni septimi, est in triplici differentia. Vnam partem constituit Judæa proprie dicta. Alteram, totus qui est trans Jordanem, tractus. Tertiam, Galilæa superior & inferior, cum contermina Tiberiade. Quoties ergo de præsentia, aut absentia fructuum sermo est, non universam Judaicam regionem intelligere oportet, sed ejus tantum partem: unde cum fructus aliqui in Judæa defecere, non prodest id ad illorum ibi comestionem, etiamsi trans Jordanem agri aut arbores iis adhuc onerantur. §. 10 *sq.* Hæc ex MAIMONIDIS Hilc. *Schemitta Vejobel* decerpere & huc transferre visum fuit, ut lacunam, ab Auctore circa sponte nascentia anni septimi relictam, quadantenus expleremus.

Ad §. IV. pag. 81.

(6) *Ne mutuum erogarent*] Hi autem violabant mandatum divinum Deuter. XV, 9, 10. Istud vero præceptum, de mutuo dando pauperi, ab HOTTINGERO, *Juris Hebræor. Leg. LXVI. p.* 78. uberius explicatum leges, ubi tritum illud Magistrorum scitum subnectitur: שהאדם מרוחק ונמאס ונתעב ונאלח ותשוקץ ער שקרוב להיות מיאוס במיאוסן ע״א אם יש לו ומושך ידו ממצוה זו: *Hominem remotum, contemptum, abominabilem, fœtidum, & ita esse detestabilem, ut non multo sit inferior idololatra, si opibus pollens, manum suam ab hoc præcepto retrahat.*

Ad §. V. pag. eand.

(7) *Rationes instituti hujus Festi*] Rationes istæ, aliæ censentur morales, aliæ typicæ. *Morales* sunt, α) ut discerent Israelitæ, se ac universam terram, ad Dominum pertinere, ejusque esse peculium Lev. XXV, 23. Agros itaque suos, cum velut feudum a Domino possederint, necesse habuisse, ut eorum proventus Deo sacros esse agnoscerent, iisque in honorem supremi Domini territorii, summa cum veneratione & gratitudine fruerentur. β) Vt agri quoque interdum quiescerent, nec omnis eorum fertilitas, usu annuo exhauriretur. γ) Vt ad misericordiam, erga pauperes & ære alieno obrutos exercendam, manu velut ducerentur. δ) Vt majori & temporis impendio, & animi contentione, in studium legis incumberent, cum toto anno a cultura vinearum, hortorum & agrorum vacarent. ε) Vt ab anxia de victu solicitudine avocarentur, totique fide ac πληροφορίᾳ, a providen-

videntia penderent Divina Matth. VI, 31. *Typica* vero hujus anni ratio ad Chriſtum ipſos remittebat, verum Noam, requiem ipſis a laboribus allaturum Geneſ. V, 29. & ad annum remiſſionis, quem Fideles in N. T. ſint acturi, quibus Meſſias procuraturus ſit 1) quietem ab operibus legis, & difficili cerimoniarum jugo, ut in ipſo requiem ſint habituri animarum ſuarum Matth. XI, 28 ſq. 2) remiſſionem debitorum omnium, quam ipſe, ſolvendo, quæ non rapuerat Pſal. LXIX, 5. ſit acquiſiturus: 3) Spiritum charitatis & beneficentiæ, ut pauperibus panem frangamus, & exules in domum recipiamus, veſtientes nudos &c. Jeſ. LVIII, 7. Quo fine in prima ſtatim Eccleſia Chriſtiana Diaconi ordinabantur, qui publicam pauperum curam gererent, Act. VI. 4) communionem omnium bonorum ſpiritualium, ut quemadmodum proventus hujus anni omnibus eſſent communes, ita pariter fructus gratiæ & Spiritus in N. T. omnibus futuri ſint communes, divitibus æque ac pauperibus, ſummis & imis. Vide BIERMANN. *ſupra citat. p.* 684 *ſq.* & MEYERUM *c. l.* §. 34. *p.* 340. Quo autem pacto ABARBENEL oſtenderit, annum Sabbathicum ſymbolum fuiſſe ceſſationis Dei ab opere creationis die ſeptimo, ut homines ſemper eſſent memores Sabbathi, idem MEYERUS docuit §. *XI. p.* 332.

Ad §. VI. pag. 81.

(8) *Fundatam eſſe ſententiam* R. ELIAE] Hanc, gemina exercitatione Academica, ſtudioſe diſcuſſit CHRIST. REINECCIUS, *Traditio* ELIANA *de ſex durationis mundi millenariis* Lipſ. A. 1702. Paucis hæc habe: I.) Traditio ipſa in Talm. Babyl. Cod. *Sanhedrin cap. XI. fol.* 97. *col.* 1. & Cod. *Avoda Sara cap. I. fol.* 9. *col.* 1. his concepta verbis legitur: תנא דבי אליהו ששת אלפים שנה הוי עלמא שני אלפים תוהו שני אלפים תורה שני אלפים ימות המשיח ובעונותינו שרבו יצאו מהם מה שיצאו: *Traditio domus* ELIAE *eſt: mundus durabit ſex annorum millia: duo millia* ſunt *inanitatis, duo millia Legis, & duo millia temporis Meſſiæ. Sed propter peccata noſtra, quæ multa ſunt, abierunt ex illis, quæ abierunt.* Hanc ita exponit R. GEDALIAH BEN IECHAIA in שלשלת הקבלה *fol.* 24. *col.* 2: *In cap. XI. Sanhedrin proditum eſt, a domo* ELIAE *traditum circumferri: ſex annorum millia perdurabit orbis. Duobus millibus annorum dominabitur inanitas, h. e. Lege vacuus erit orbis: isque habitus ejus fuit ad annum usque LII ætatis Abrahami. Duobus annorum millibus dominabitur Lex, quorum annorum finis incidit in annum centeſimum & ſeptuageſimum ſecundum, poſt deſolationem Templi ſecundi, qui fuit annus O. C. quater milleſimus. Duobus millibus dominabitur Meſſias, i. e. æquum erat, ut Meſſias* (poſt elapſa annorum millia quatuor) *veniret, ſed propter peccata noſtra etiamnum moras agit.* In eundem ſenſum, ſed ampliori verborum apparatu, & pleniori bis-millenarii medii computo, hanc traditionem exponit RASCHI *Comment. in Tract. Sanhedrin fol.* 92. *col.* 3. In prima ergo periodo, vacuus fuit mundus Lege, non omni, cum cordibus hominum impreſſa vigeret, & a Deo oretenus tradita, ac per Patriarchas propagata; ſed ſcripta, donec Moſes literis eam Divino juſſu conſignaret: In media, ſub œconomia legali, Eccleſia Judaica agebat, quam dudum præteriiſſe, hoc ipſo, ultro largiuntur recutiti: In ultimam ימות המשיח *dies Meſſiæ* incidere denuo fatentur, quos tamen, ob gentis impietatem & peccata, nondum apparuiſſe, deſperabundi, nec habentes, quod veritati obvertant, cauſantur. Domeſticis itaque armis Judæos oppugnans HOORNBEECKIUS *lib. II. de convinc. Judæis c. I. p.* 180 *ſqq.* Meſſiam dudum veniſſe, ex traditione iſta ſolide evicit, eamque ab exceptionibus MENASSEH BEN ISRAEL liberavit. II.) Fundamentum quidem fabulæ ſuſternere nituntur Judæi ex Scripturis: alii, cum Kabbaliſtis ex Gen. I, 1. ubi ſexies repetitum א, toties quippe pro אלף *mille* accipiendum, ſex mille annorum ætatem mundo tribuat; alii, ex ſex creationis mundi diebus, ita, ut tot annorum millenarios duraturus ſit mundus, quot conditus eſt diebus, ut

ut ABARBENEL *Comment. in Genes. Sect. I.* & copiose contendit R. MENASSEH BEN ISRAEL *lib. III. de resurrect. mort. cap. IV. pag.* 270 *sq.* sed quam lubricum utrumque sit, & ruinosum, nemo non videt. III.) Etsi vero istam ELIAE traditionem, multi priscæ Ecclesiæ doctores, IRENAEVS, IVSTINVS MARTYR, VICTORINVS, LACTANTIVS, ORIGENES, AVGVSTINVS, alii, calculo & suffragio suo munierunt, ita ut CORN. A LAPIDE *Commentar. in Apoc. XX. p.* 299. hanc *ut communem sententiam, ita probabilem conjecturam* appellet: PAVLVS PEZRONVS tamen in *defense de l'Antiquité de tems, Chap. II.* §. 4. *p.* 83 *sqq.* eam origine sua incertam, inventione novam, argumento falsam, & distributione temporum absurdam, evincere satagit, quem licet non per omnia sectandum, evolvisse non pœnitebit.

AD

LIB. III. CAPVT X.

DE ANNO JOBELAEO.

Quandoquidem in Disputatione Sæculari, quam anno 1730. *a. d.* 7. *Jul.* de Anno Jobelæo secundum disciplinam Hebræorum, ex Levit. XXV. *conscriptam, Respondente doctissimo tum Juvene,* CHRISTOPH. GOTTHELF STEMLERO, *pro Cathedra in Academia Lipsiensi, publico eruditorum examini subjecimus, omnem hujus Capitis & doctrinæ ambitum, qua fieri potuit, brevitate, emensi sumus, eam huic Auctoris nostri Capiti subjungere libuit, ut amplissimarum vice fungeretur Annotationum, & suppleret, quæ Auctor reliquit intacta.*

§. I. Jobelæi 1) *Etymologia & Appellatio.*

Nominis יוֹבֵל & origo traditur diversa, & dispar significatio. Vt enim ludicras aut inanes imperitorum hominum conjecturas, quibus vel ad nomina, quæ fingunt, Divina, *Jao & Elva*, vel ad Latinorum *jubilandi* verbum, hanc vocem referunt, jure suo prætermittamus, in tres cumprimis classes vel familias abeunt viri docti, qui nominis natales exponunt. I.) Suppetit Hebræis verbum יבל *fluxit, in longum dimanavit*, quod solum in Conjug. III. tam activa legitur in Scripturis, הוֹבִיל *produxit, deduxit,* quam passiva הוּבַל *productus est*, & nomina peperit יָבָל / יוּבַל / אוּבַל *fluctus, aquarum fluenta,* tum etiam יְבוּל *proventus terræ.* Ad hanc radicem Jobelæi nomenclaturam passim revocant Philologi in Lexicis, SANCTES PAGNINVS, IOH. AVENARIVS, VALENT. SCHINDLERVS, & alii, nec tamen una omnes ratione. Aliis nimirum יוֹבֵל vi vocis est *sonitus & clangor tubæ protractior*, ut AVENARIO & SCHINDLERO, per Exod. XIX, 13. *cum protrahetur* היובל *clangor, ipsi ascendent in montem*, ubi mox vers. 16. & 19. per קול *vocem* buccinæ, Jobel explicatur. Alii ad *reducendi* notionem restringunt, in quibus est FVLLERVS *lib. IV. Miscell. Sacr. cap.* 8. ubi annum יובל interpretatur τὸ ἔτος τῆς ἀναγωγῆς, annum reductionis: *reducebat enim annus ipse omnes ad vetustas sedes, agrosque suos, ad antiqua hereditatum jura, & primas vivendi conditiones*, unde quoque e PHILONE ἀποκατάστασιν seu *restitutionem* dicit, *quod anno quinquagesimo res ac personæ apud Judæos, universa in loca pristina restituerentur, sive reponerentur.* Quæ in ABEN ESRAE recumbunt sententiam, cui *ad Lev. XXV,* 10. יובל idem est ac שלוח *missio, dimissio, remissio*, æque ac CHISKVNI, qui id nominis, לשון שלוח *mittendi*, vel *remittendi* notionem obtinere tradit. Eandem quoque suam fecit, & paulo interpolatam ita exposuit,

ſuit, e Pontificiis IOH. MORINVS *lib. I. Exercit. Biblic. VI. cap. IV.* §. 5. *p.* 115 *ſqq.* Jobelæum dici, *quod unicuique proventum hereditatis ſuæ apportaret, & unumquemque in hereditatem reduceret.* Quæ interpretatio, ratione prioris membri, falſa prorſus & inepta eſt, cum proventus fundorum ſuorum colligere, ſibique ſolis ſervare, Jobelæi lege prohiberentur potius poſſeſſores. FVLLERO autem adſtipulatur e noſtris VARENIVS, qui diſp. *de Sabbathico & Jubilæo in Iſrael*, quæ *Decadibus in Exod.* ſubjuncta legitur, §. I. *p.* 461. ita exponit: *Quod adducebat agris quietem, ſervis libertatem, debitoribus cum pignore dominium utile, & fundi pignorati poſſesſionem, erat* יובל *ſeu Jubilæus in Iſrael, ein allgemeines Wiederbringungs - Jahr.* Conſentit pariter MEYERVS *de tempor. S. & Feſtis Hebr. P. II. cap. XVIII.* §. 3. *p.* 342. niſi quod abſurdam MORINI expoſitionem, de apportato hereditatis proventu, ſimul admiſceat.

qui יובל interpretatur קרן של איל *cornu arietis*, annumque Jobel dici autumat a nomine buccinæ vel cornu, cujus ſono intimabatur. Horum auctoritate moti, in eandem pedibus inceſſerunt ſententiam, e Chriſtianis, duumviri Hebrææ antiquitatis juxta ac linguæ peritiſſimi, IOH. BVXTORFIVS *in utroque Lexico*, & IOH. COCCEIVS, qui ad confirmandam traditionem iſtam cum Joſ. VI, 4,5,8. & Exod. XIX, 13. tum ampliorem vocis notionem adhibet & uſum. Contra vero ea, ſententiam iſtam vehementer exagitavit MORINVS *cit. loco*, ſolide vero, & inſigni cum eruditionis apparatu, impugnavit vir ad miraculum doctus, SAM. BOCHARTVS *in Hieroz. P. I. Lib. II. cap. XLIII. p.* 425 *ſqq.* veritus, ne commentum hoc ſit Rabbinicum, eo quod & *aries* Arabibus nusquam vocetur *Jobel* vel *Jobela*, & cornu arietinum ad celebrationem anni Jobelæi adhibitum fuiſſe, idoneo nullo demonſtrari queat documento.

§. II. *Alia Etymologia.*

II.) Aliam Hebræorum Magiſtri viam ingreſſi, יובל Arabicum dicunt vocabulum, & *arietem* notare, per Synecdochen vero partis, *cornu arietinum*, quo inflato, annum quinquageſimum promulgatum fuiſſe, perſuaſum habent. Ita partim Talmudici tradunt, in ראש השנה *cap. III. fol.* 26. *col.* I. ubi R. AKIBA, cum iter in Arabiam faceret, דכרא *arietem*, ſe appellari audiviſſe perhibet יובלא *Jobelam:* partim Chaldæus interpres, IONATHAN, qui quod Joſ. VI, 5, 6. קרן היובל *cornu Jubilæi* appellatur, קרן דכרא reddit, & שופרות יובלים *buccinas Jobelim*, dicit שופריא דקרן דכריא *buccinas e cornu arietino:* partim Lexicographi, vt KIMCHIVS, *Præfatione* in ספר שרשים / qui Talmudiſtarum teſtimonium repetit: partim Commentatores paſſim. Pro *cornu* tamen *arietis*, vel *buccinæ* pronunciant ABARBENEL in *Levit. XXV*, 9. *fol.* 268. *col.* 4. LANIADO in כלי יקר ſeu *Commentario in Prophet. prior. ad Joſ. c. I.* & DAV. DE POMIS in צמח דוד ſeu *Lexico*,

§. III. *Denuo alia.*

III.) Denique fautores etiam nacta eſt eruditiſſimi ANDR. MASII conjectura, qui *in Commentar. in Joſ. VI*, 4. vocem Jobel perantiquam eſſe ratus, inde a primo Muſicorum inſtrumentorum inventore *Jubal* deducit, aeque ac Latinorum *jubilum* & *jubilare.* Putat autem, voces quascunque, canoras illas quidem & grandes, ſed ruſticas, duras & agreſtes, quaſique ululantes ſignificare, quales inchoata illa, ſed non perfecta, primi artificis inſtrumenta edebant, hoc eſt, quales ſunt tubarum & buccinarum rauci clangores: quod cum plauſu excipit, & ſcite pingit BOCHARTVS, eoque ſenſu משך היובל Exod. XIX, 13. & קרן היובל ac שופרות היובלים Joſ. VI, 5, 6. eſſe exiſtimat *tubas*, vel *cornua ſoni grandis & protracti, ruſtico more*, atque annum Jobel, cujus promulgatio fiebat tali cornu vel tuba. Neque hic abludit a BOCHARTO ſuo, quem ubique fere ſequitur, IOH. CLERICVS *Comment. in Levit. XXV*, 4. ut tamen alio indutam ſchemate ſiſtat ſententiam, hariolatur, radicem

cem יבל significasse apud antiquissimos Hebræos, *clangere tuba*, aut quid simile, unde factum sit nomen *Jubalis*, qui cytharam & organa invenit. Hinc quoque potuisse יובל *tubam* derivari: quam tamen, cum BOCHARTO, arietinam fuisse negat. Quæ omnia, qua asseruntur facilitate, eadem merito rejiciuntur.

§. IV. *Etymologia ex nostra sententia.*

Nos inter tot tantosque viros arbitrari non ausi, quæ tamen nobis maxime se probet etymologia, citra cujusquam insectationem, paucis exponemus. Tertia sane sententia, meris innixa conjecturis, lubricitate sua ruit, magisque ingenium sapit, quam rei veritatem: præterquam, quod *Jubalis* nomen, a Rad. יבל derivatum, facile largiamur. Media ita confecta est a magno BOCHARTO, eidem vix quisquam ut adstipulari amplius ausit. Nimisque hic aurem præbuisse Rabbinis BUXTORFIUM credimus, & COCCEIUM, illis ut suum adjicerent calculum. Locum ergo tuetur prima, quæ & linguæ nititur analogia, & locorum parallelorum concentu tantum non exigitur, & simplicitate sua se commendat. Quandoquidem enim הוביל proprie est *in longum deduxit* seu *protraxit*, ut aquarum fluenta, hinc היובל dicimus vocabulum rei suæ attemperatum, quod *sonum longe productum*, & intimationi anni libertatis fere proprium, denotat: unde porro, per metonymiam signi, ipse quoque annus hoc nomine venit. Planum hoc est ex vocis constructione & usu. Exod. XIX, 13. במשך היובל *cum trahetur sonus*, vel si ex Jos. VI. suppleatur ellipsis, במשוך הקרן היובל *cum productiore sono inflabitur cornu Jobelæum, illi ascendent in montem:* ita enim apposite קרן היובל dicitur, *cornu* his usibus, talique sono & cantui appropriatum Jos. VI, 5. והיה במשוך בקרן היובל *fiet autem, dum adhuc traxerint cornu Jobelæi,* seu soni in longum producti, qualis in publicatione Jobelæi edi solebat. Sic etiam vers. 4, 6, 8, 13. שופרות יובלים *buccinæ clangoris Jobelæorum*, appellantur. Recte itaque שנת היובל annus clangore ejusmodi solenni promulgandus, eodemque sensu יובל simpliciter vocatur Lev. XXV. & XXVI. Contra vero, sive buccinae, sive reductionis aut restitutionis, sive missionis, dimissionis ac remissionis, amplectaris notionem, vel absurda prodibit, vel impropria, & per ambages evolvenda explicatio, si Scriptura dixisse perhibeatur: *cum trahetur buccina*, vel *restitutio*, seu *missio* ac *dimissio*, item, *cornu buccinæ*, aut *remissionis* ac *restitutionis*, &, *tubæ buccinarum*, *remissionis* aut *restitutionis*, juxta loca modo allegata. Hinc adstipulatur nostræ sententiæ R. SALOMO, qui de hoc anno *ad Levit. XXV*, 10. ita glossatur: יובל שמה על שם תקיעת שופר *Jobel est nomen ejus*, *propter clangorem productum buccinæ.* A certo autem vel ritu, vel facto, stata tempora, solennitates & festa, nomina fuisse sortita, exemplo פסח Exod. XII, 13, 27. יום פורים / תרועה סוכה / Num. XXIX, 1. aliisque passim constat, nec eget probatione. Nec dimoveri nos patimur a veritate sententiæ nostræ, iis, quæ objiciuntur: nimirum 1) dudum ante Jobelæi vel celebrationem, vel institutionem, alia longe significatione, vocem hanc legi Exod. XIX, 13. ubi sonus ille majestaticus, Divinam comitatus & intimans revelationem, יובל appellatur: quod CLERICUS cumprimis obvertit. Verum quid obstat, quo minus sonum ejusmodi productum, propriissima & nativa sua voce Moses redderet יובל cujus modus ac ratio posthæc, illo maxime tempore, quo literis ista mandabat sacer scriptor, ex intimatione anni Jobelæi satis erat perspecta? Clangorem enim angelicum, in augusta supremi Legislatoris manifestatione auditum, nulloque instrumenti Musici adminiculo editum, ut populo suo quodammodo, & maxime sequiorum temporum Israelitis, significaret Spiritus Sanctus, tali usus est voce, quæ & origine sua rem apte exprimeret, & a ritu ipsis cognito petita, & intellectu omnibus esset obvia. Si etiam πρόληψιν dixeris, illa quidem in Scripturis adeo est frequens, cumprimis in nominibus propriis, aut appellativis ejusmodi, quæ ritui

 cuidam

cuidam solenni sunt appropriata, ut ad probandam illam vel GLASSII sufficere possit *Philol. Sacr. lib. IV. Tract. III. Observat. X. pag. marg.* 799 *sqq.* Quod porro 2) οἱ ἐξ ἐναντίας urgent, ex Jos. VI. ubi שופרות היובלים leguntur, in eo τὸ ἐν ἀρχῇ petunt, qui *buccinas e cornu arietum paratas* vertunt, quod quam faciant inepte, ex קרן היובל patet. Buccinæ autem hac descriptione notantur, quibus clangores producti & in longum tracti, pro more intimationis Jobelæi, edebantur: qui, quantumvis ex nulla hactenus facta celebratione Jobelæi, bene tamen ex Mosaica institutione, constabant.

§. V. Jobelæi 2) *Annus & Tempus.*

A nomine ad rem ipsam progredimur, ductum secuturi Scripturæ Sacræ, quæ universam de solennitate ista constitutionem Divinam, Lev. XXV, 8 sqq. ceu in propria sua exhibet sede. Vbi *primum* est, curata Temporis definitio, in quod Annus Jobelæus incidat. Satis quidem perspicue mentem suam supremus legislator explicuit comm. 10: וקדשתם את שנת החמשים שנה & *sanctificabitis annum quinquagesimum*, & comm. 11: יובל הוא שנת החמשים שנה תהיה לכם *Jobelæus hic est, annus quinquagesimus esto vobis.* Vnde liquet, proxime a Jobelæo exacto, numeratos fuisse XLIX annos plenos; quibus superatis, sequens quinquagesimus sanctificabatur in Jobelæum, ita ut inter utrumque Jobelæum anni XLIX intercederent integri, & Jobelæus annum Sabbathicum cycli septimi exciperet. Huc spectat uberior illa temporis declaratio, comm. 8. & 9. suppeditata, quæ ita sancit: *Numerabis tibi septem septimanas annorum, septem annos septem vicibus, ita ut tempus septem septimanarum annorum sint tibi quadraginta novem anni: tunc facies, ut personet cornu clangoris mense septimo, die decimo ejus mensis: die Expiationum facitote, ut cornu personet in tota terra vestra. Et sanctificabitis &c.* Sensum horum verborum quia non eodem omnes modo, & minus commode nonnulli sunt assecuti, hinc gravis exorta fuit inter viros doctos controversia: Vtrum, exactis XLIX annis plenis, totus quinquagesimus Jobelæo dicatus fuerit? an potius quadragesimus nonus huic solennitati inservierit, qui tamen quinquagesimus dicatur, quia toti cyclo Jobelæo connumeretur præcedens Jobelæus, qui ipse quinquagenarium numerum absolvat, atque sic Jobelæus semper inciderit in Sabbathicum? Magnæ vtrinque auctoritates, illustria nomina, & graves prostant rationes, inter quas eligere, quam partem sequaris, adeo difficile videtur, vt vel ipse CLERICVS ἐπέχειν maluerit, quamvis in posteriorem se propendere sententiam non neget. Pro anno quinquagesimo, a præcedentibus XLIX distincto, militant post EVSEBIVM, HIERONYMVM, AVGVSTINVM, e recentioribus TOSTATVS ABVLENSIS, TORNIELLVS, IAC. BONFRERIVS, MENOCHIVS, FAGIVS, IVNIVS, DRVSIVS, PARAEVS, WILLETVS, BAILIVS, BVCHOLZERVS, BEROALDVS, HOTTINGERVS, SCHINDLERVS, CALOVIVS, PFEIFERVS, DIETERICVS, HVLSIVS, LEYDEKKERVS, LEVSDENIVS, quorum argumenta confertim exhibet, dilutis adversæ sententiæ momentis, IOH. MEYERVS *cit. loc.* §. 4 *sqq.* urgens cumprimis FLAVII IOSEPHI auctoritatem, qui *lib. III. Antiqu. Jud. cap. XII.* §. 3. ab iisdem stat partibus. Rursus autem pro XLIX anno, qui simul & Sabbathicus fuerit, & Jobelæus, sententiam dicunt IOSEPH. SCALIGER, DIONYS. PETAVIVS, SETHVS CALVISIVS, BVNTINGVS, MOESTLINVS, CODOMANNVS, MERCATOR, VBBO EMMIVS, VSSERIVS, IAC. CAPPELLVS, NATAL. ALEXANDER, SPANHEMIVS, HELVICVS, THVMMIVS, BEHMIVS, CLOPPENBVRGIVS, AEGID. STRAVCHIVS, IAC. GVSSETIVS *Comment. Linguæ Hebr. voce* שמטה *p.* 866. quorum rationes, ordine ac data opera, edisserit ac ornat studiosissimus SCALIGERI assectator, CALVISIVS *Isagog. Chronol. cap. XXV.*

§. VI.

§. VI. *ex nostra sententia,*

Prolixa nunc nobis ineunda esset disceptatio, qua prior sententia, quam sequimur, rationibus munienda, alterius vero & destruenda forent momenta, & propulsandi insultus. Sed brevitatis rationem habentes, rem omnem paucis quibusdam observationibus complectemur. I. *Quemadmodum geminum habebant annum Judæi, alium Civilem, qui a mense Tisri, alium Ecclesiasticum, qui a mense Nisan, ducebat initium: sic annus Sabbathicus, æque ac Jobelæus, idem erat cum Civili, hoc saltem intercedente discrimine, ut Sabbathicus a Kalendis, Jobelæus a die decimo mensis Tisri, putaretur.* Vtriusque asserti ratio liquido proditur in Textu. *Prioris*, quando commate 9. anni quadragesimi noni mensis septimus ille numeratur, in cujus diem decimum יומא seu Festum Expiationis incidebat: ast a Kalendis Nisan, mensibus sex diebus decem, Festum Expiationis abest. Juxta illum ergo computum, initium anni, nempe sacri, a quo festivitatum Judaicarum, & in his etiam diei Expiationum, pendebat ratio, ducebatur a Nisan. *Posterioris*, respectu anni Sabbathici, ratio ex comm. 3, 4 & 5. liquet, ubi a Sabbathico sementem æque ac messem, aut vindemiam, removet Legislator. Messem itaque cum inde a mense Nisan & amplius, sementem a mense Tisri & porro, auspicarentur in Palæstina Judæi, necesse habebant, ut a Tisri hujus anni putarent initium, nisi benedictionem messis sextæ neglectim habere, & ab ejus collectione prohiberi vellent, quod commatibus 21, 22. omnino refragatur. Ad Jobelæum porro quod attinet annum, illius auspicia in solennem ejus incidere promulgationem, clangore buccinæ die Expiationis peragendam, *comm.* 9. nemo facile in dubium vocabit. Ideo enim universam tuba personabat terram, ut ex hoc temporis momento annum libertatis pendere, omnes intelligerent. Nec nisi in principio illius, solennis proclamatio locum habere poterat. In utroque consentientes habemus Judæos tantum non omnes, quorum Magistri in Talm. Tract. ראש השנה *cap. I. Mischna I.* ubi quatuor anni definiunt initia, inter alia sic pronunciant: באחד בתשרי ראש השנה לשנים ולשמיטין וליובלות לנטיעה ולירקות: *Prima die mensis Tisri initium* est *anni pro annis* Civilibus, *& pro Sabbathicis, & pro Jobelæis, pro plantatione & oleribus.* Idem MAIMONIDES repetit atque inculcat הלכות שמטה ויובל *cap. X.* §. 4. שהרי מתשרי הוא המנין לשמיטים וליובלות *Ecce a mense Tisri computus* instituitur *annorum & Sabbathicorum, & Jobelæorum.* In eo quidem MAIMONIDES in diversum discedit, quod in expositione hujus Mischnæ tradit: *etiamsi jura anni Jobelæi tantum incipiant a decimo die Tisri, quemadmodum dixit Deus Bened. Levit. XXV, 9. sed a principio anni incipiebat computus Jobelæi, & servitus servorum deficiebat, per Lev. XXV,* 13. Velut autem posterior locus sententiam Mosis Aegyptii non probat, ita vero longe videtur nobis propius, quod initium hujus anni a clangore illo, & intimatione publica & solenni, sit ducendum. Sed enim vero gravis hic intercedit auctoritas Theologi, meritis in Ecclesiam insignis, b. SEBAST. SCHMIDII, qui *Part. I. de Paschate cap. I. in loc. Exod. XII,* 2. *pag.* 17 *sqq.* omnem movet lapidem, ut priscis temporibus non nisi unum asserat apud Judæos annum, illamque in Civilem & Ecclesiasticum distinctionem, captivitate Babylonica faciat sequiorem. Velut enim nomina mensium, suffragantibus R. MOSE BEN NACHMAN, R. BECHAI, & ABARBENELE, demum ex captivitate Babylonica in Palæstinam allata fuisse censet, ita reduces quoque ex Babylonia Judæos, pro Persarum & Chaldæorum more, quem & ipsi adoptaverint, primos in Tisri novum aliquod anni constituisse perhibet initium, a quo demum tempore annus Civilis sive recentior a Septembri, Ecclesiasticus sive antiquus ab Aprili inchoari cœperit, cum a condito mundo usque ad captivitatem Babylonicam, Judæi annum non novissent, nisi unum & simplicem, ejusque non aliud, quam a mense Nisan principium. Ve-

rum ex supra dictis ad oculum patet, saltem Sabbathici ac Jobelæi anni, si minus alterius cujusdam, initium, inde a Mosis, latæque in deserto Legis temporibus, longe fuisse a mense Nisan remotum. Vt taceam disertam novi anni institutionem, Exod. XII, 2: *Mensis hic vobis caput* esto *mensium: Primus ille vobis* erit *inter menses anni.* Quod enim SCHMIDIVS de verbis istis contendit, constitutiva non esse, sed indicativa solum, quibus Deus consenserit & confirmaverit, ut deinceps eadem consuetudo, annum a mense Nisan auspicandi, etiam in ecclesiasticis retineretur, & observaretur, istud & verbis ipsis refragatur, quæ imperativa esse ex toto Contextu liquet, & nervum totius orationis incidit. Quæ enim emphasis esset hujus sermonis: Primus hic semper anni mensis vobis fuit, & erit adhuc in posterum, ideo quoque in illo Pascha celebrabitis? quæ profecto friget oratio. Neque quicquam allegat tanti momenti SCHMIDIVS, ut a recepta Judæis pariter ac Christianis sententia, de duplici Judæorum anno, Civili & Ecclesiastico, inde ab exitu ex Aegypto usitato, nos avocare valeat: quicquid sit de Karræis, quorum consensum SCHMIDIVS jactat, auctoritatem autem nos tantam non agnoscimus, quæ verbis Scripturæ sit anteponenda. Paulo aliter sententiæ nostræ adversatur MELCH. LEYDEKKERVS, qui, velut in grandi *de Republ. Hebræor.* opere, multa minus accurate, & ex ingenio magis, quam ex vero adstruxit, ita quoque *lib. V. cap. XIII. Observat. I. p.* 317. ab universa tam Judæorum, quam Christianorum epocha in diversum abit, quando *in mense Tisri usum Jubilæi incepisse quidem* largitur, *sed non ipsum annum Jubilæum. Diserte enim habetur, quod Jubilæa indicerentur mense VII a Nisan computando, id est, anni Sacri. Vnde colligas Jubilæa ad annos Sacros, non Civiles pertinuisse* - - *Et ratio est, quod Jubilæus annus spectaret quam maxime memoriam liberationis ex Aegyptiaca servitute, quæ in Nisan contigit. Quin hinc forte arbitrari licet, annum Jubilæum non exspirasse in Tisri, sed in mense Nisan, unde incepit numerari septimus iste mensis, quo tuba Jubilæi audita fuit.* Plura hæc assertio & ἀνακόλουθα complectitur, & ἄτοπα ac absurda, quam ut impetret fidem. Quæ enim 1) est consequentia: quia Jobelæa indicerentur mense VII a Nisan computando, ideo ad annos pertinuere Sacros, non Civiles? Mensem enim septimum numerat Moses, non anni Jobelæi, cujus initium in mensem Tisri conjicit, sed anni Sacri, cujus computum inde ab exitu ex Aegypto, passim sequi solet Scriptura. Jobelæi vero auspicia, ejusdem sanctificatione & indictione publica, statuere priora, absurditate non caret: statuta quoque & sanctiones ejus, ad rem civilem potius ac forensem, quam ad festorum, cultusque Divini spectabant rationem. Nec propria ulla Jobelæo festivitas, aut cultus memoratur sacer & solennis, quæ tamen sola ratio annos constituit Sacros. Et licet *sanctificari*, h. e. e cetero annorum censu & usu segregari & eximi dicatur, non tamen ea propter Ecclesiasticus erat, & festivitati cuidam dicatus. Quis porro colligat 2): quia annus Jobelæus spectabat memoriam liberationis ex Aegyptiaca servitute, quæ in Nisan contigit, hinc idem quoque a mense Nisan incepit? Pari jure conficeres, quia Festum Tabernaculorum, memoriam primorum in Succoth exstructorum tentoriorum renovabat Levit. XXIII, 42. coll. Exod. XII, 37. & Numer. XXXIII, 5. quæ paucis post exitum diebus, in mense Nisan fuerunt structa, ideo in Nisan fuisse celebrandum: id tamen Scriptura refert ad mensem Tisri, paucis post diem Expiationis diebus. Quin immo, si ista valeret ratio, solennitas quoque & usus Jobelæi ad mensem Nisan potius spectaret, quam ad Tisri, quia illo mense facta est liberatio ex Aegypto: ast secus sancit Scriptura. Annon etiam 3) frivola est & absurda, illa LEYDEKKERI inter annum Jobelæi, & usum Jobelæi distinctio? Annus enim, propter usum illum peculiarem, & quoad ille patet, Jobelæus dicitur ac habetur. Si itaque ad sex solum menses, a Tisri ad proximum Nisan, usus patuit Jobelæi, annus quoque Jobelæus sex solum mensium fuit, non ultra, quod absur-

absurdum. Per totum sane annum Jobelæum, ejusdem protendebatur usus, neque ullum in Scripturis vestigium extat, quod doceat, sex mensibus prioribus, nomine solum, non re ac effectu, sex posterioribus autem, actu quoque & usu, Jobelæum fuisse hunc annum. Quodsi tandem 4) anno XLIX, tanquam ultimo cycli Sabbathici, medio ingrueret, inde a mense Nisan, Jobelæus, qui rursus anno L medio, nempe ad mensem Nisan finiebatur, otium adhuc indulgendum terræ erat a fine anni Jobelæi, h. e. a mense Nisan quinquagesimi primi, usque ad mensem Tisri, qui sementem denuo admittebat, cum præcedente Tisri non sevissent, nec adeo haberent, quod post mensem Nisan, h. e. exacto anno Jobelæo, meterent, cum tamen sex isti menses nec ad Sabbathicum amplius, nec ad Jobelæum spectarent annum, sed novam cycli Jobelæi auspicarentur epocham, nec adeo quieti, sed culturæ terræ essent dicati. Et, quo demum pacto 5) LEYDEKKERUS quinquagesimum explicabit annum, diserte in Lege memoratum, & a septem septimanis annorum, seu ab annis XLIX civilibus, *ῥητῶς* distinctum? Si a mense Nisan putaverit initium Jobelæi, sex mensibus integris coincidet cum Sabbathico ultimo, nec ab eodem erit distinctus, quod tamen Lex requirit: Sin a Nisan anni proximi a Sabbathico, sive quinquagesimi, sex mensium intercapedo, a mense Tisri ad Nisan, inter utrumque annum, Sabbathicum intercedet & Jobelæum, quem tamen Scriptura arctissime copulat, nec nisi decem dierum intervallo disjungit. Atque sic, duplex cyclus Jobelæus anno integro, quadruplex biennio, & sic amplius, sæculum superabit, omnesque Chronologicas turbabit rationes: quas tamen curate sibi constare, inter alia voluit supremus Legislator.

Sed ut e diverticulo in viam redeamus: II. *Annum Jobelæum a septem septimanis annorum distinctum, adeoque non cum Sabbathico eundem, sed eum fuisse* censemus, *qui quadragesimum nonum proxime insequeretur.* Ita diserte Lex definit comm. 8. & 9. ut fere dubio locum non reliquisse videatur. Primo enim numerare שבע שבתות שנים *septem septimanas annorum, septem annos septies*, jubet, ut plene absolvantur תשע ארבעים שנה *quadraginta novem anni.* His omnino exactis, cum principio anni quinquagesimi, præmissis XLIX non comprehensi, clangor demum buccinæ, & intimatio Jobelæi comm. 10. præcipitur. Accedit, quod comm. 11. præceptum de non seminando & metendo, & sanctio de sponte natis, Jobelæo diserte adjiciatur, qui si semper ingruisset in Sabbathicum, ex hujus jam Lege vers. 4. & 5. a semente & messe arcebatur, nec nova sanctione, ad eundem cum Sabbathico modum, ordinari opus habuisset. Frustra sunt, quando *οἱ ἐξ ἐναντίας* contendunt, connumerari præcedentem Jobelæum, qui quinquagenarium suppleat & absolvat numerum, atque sic præsentem Jobelæum in quadragesimum nonum, h. e. in Sabbathicum ejus cycli ultimum, incidisse. Quæ enim unius Jobelæi, eadem & alterius, omniumque porro sequentium Jobelæorum, in computo est ratio. Hoc autem pacto, si Jobelæus semper auspicaretur epocham suam, non posset simul esse ultimus præcedentis epochæ: alias enim partim bis numeraretur, tam in fine præcedentis, quam sub initium novi cycli, partim omnis ejusmodi epocha duos complecteretur annos Jobelæos, auspicalem alterum, alterum finalem. Ast in hunc modum numerasse videtur RODOLPH. HOSPINIANUS, quando *de Origine Festor. Jud. cap. IX. p.* 43. ita pronunciat: *Annus igitur, qui hunc* (XLIX nimirum) *proxime sequebatur, erat quinquagesimus, & totus Sabbathicus. Ab hoc si ad alterum Jobelæum numeres exclusive, habebis tantum XLIX annos: & sic numeratur in hoc vers.* 8. *Sin vero utrumque, priorem & posteriorem includas, deprehendes annos L, & sic numeratur vers.* 10. *eodem capite* (Lev. XXV). *Hæc ratio numerandi nobis quoque hodie usitatissima est: octiduum enim nominamus hebdomadam, quia dominicam utramque numeramus.* Bis peccat his verbis HOSPINIANUS: semel, quando utrumque Jobelæum uni eidemque connumerat epochæ, quo pacto

 quilibet

quilibet Jobelæus bis numeraretur; & rurſus, quando ſimili, ab octiduo petito, rem illuſtrat, quod perquam eſt diſſimile, cum inadæquata hebdomadæ ſit appellatio, quando octiduum vocatur, cycloque hebdomadali alterutra dominica, prima nempe includatur, primumque diem conſtituat, ſed numerus quinquagenarius in definienda Jobelæorum epocha proprie ſumatur, tum quoque a cyclo Jobelæo verſ. 8. textus memorato, uterque excludatur Jobelæus annus, verſu autem 10. poſterior ſolum, excluſo priore, connumeretur, ut L prodeant anni. Cyclus enim Jobelæus ſolidorum erat L annorum, ita ut duo cycli integrum conſtituerent ſæculum.

III. *Diſpar ergo erat cyclus Sabbathicus, a cyclo Jobelæo, ita ut annus Jobelæus cyclum Sabbathicum non ingrederetur, ſed inter duos Jobelæos ſeptem cycli Sabbathici decurrerent intermedii.* Ita diſertis verbis affirmat MAIMONIDES *cit. loc. cap.* X. §. 7. שנת יובל אינה עולה ממנין שני השבוע אלא שנת תשעה וארבעים שמטה ושנת חמשים יובל ושנת חמשים ואחת תחלת שש שנים של שבוע וכן בכל יובל ויובל: *Jobelæus annus non reſultat ex calculo annorum ſeptimanæ* (ſeu Sabbathicorum, ita ut in ultimum Sabbathicum incidat Jobelæus, quia diſpar eſt utriusque מנין computus ac cyclus) *ſed annus quadrageſimus nonus eſt Sabbathicus, & annus quinquageſimus eſt Jobelæus. Annus autem quinquageſimus primus initium eſt ſex annorum ſeptimanæ ſequentis* (novi ſcil. cycli Sabbathici). *Atque ita ſe res habet* (ita iniri debet computus) *in ſingulis Jobelæis.* Facere ergo non poſſumus cum accuratiſſimo alias Chronologo, ſed SCALIGERI partes in hac controverſia ſecuto, b. AEGID. STRAVCHIO, qui *lib. II. Breviar. Chronol. cap. IV. p.* 189. talem ſubminiſtrat definitionem: *Cyclus Jobelæus eſt ſeptem cyclorum Sabbathicorum, ſeu quadraginta novem annorum Lunæ-ſolarium ſyſtema, perpetuo in orbem recurrens* &c. Ex hypotheſi ita pronunciat STRAVCHIVS: ſed ſecundum ductum Scripturæ, ſeptem cyclos Sabbathicos, annus Jobelæus excedit, & quinquageſimum occupat, neutri Sabbathico cyclo, neque priori, neque poſteriori, incluſum. Hinc fit, ut XIV hebdomadæ hebdomadum annos ſaltem conficiant XCVIII, geminus vero cyclus Jobelæus biennio illas ſuperet, & ſæculum expleat totum.

IV. *Duobus itaque annis continuis, nimirum XLIX Sabbathico, & ſequente Jobelæo, ab agrorum, vinearum, hortorumque cultura ceſſatum fuit, vi commat.* 3, 4. & 11. *citra tamen famis periculum, quod benedictio anni XLVIII arcebat.* Eſt hoc in argumentis adverſæ partis haud poſtremum, fame laboraturam fuiſſe terram, ſi integro biennio relinqueretur inculta. Hoc SETHVS CALVISIVS urget *in Iſagog. Chronolog. cap. XXV. Jubilæus,* inquiens, *annum Sabbathicum in XLIX ſequi non poteſt, quia duo anni Sabbathici continuarentur, quibus agricultura non exerceretur, cujus rei nullum in ſacris literis, vel hiſtoria Judæorum datur veſtigium vel exemplum: & unde triennii ſpacio, absque collectione frugum, vitam tolerare potuiſſent? & præterea pugnaret etiam cum expreſſo Dei mandato, quod jubebat anno octavo, ſeu eo anno, qui annum Sabbathicum ſequebatur, in agro ſementem fieri, fruges tempore meſſis, & uvas in vindemiis colligi, Levit. XXV,* 22. Reſp. 1) Celebrati anni Jobelæi mentio exacta in hiſtoria ſacra fit nulla, unde non mirum, hanc quoque circumſtantiam, de biennio quieti terræ dato, ſilentio involvi; quæ tamen ipſa in Lege de Jobelæo ſatis perſpicue exponitur: 2) Illam porro triennii neglectam & omiſſam frugum collectionem, Divina penſabat benedictio, quam indubiæ veritatis promiſſio, annis Sabbathicis verſ. 20, 21, 22. ſubjuncta, accedente Jobelæo in quadriennium ſperare jubebat ſuffecturam, eaque curis ejusmodi carnalibus obicem ponebat. Fons ille bonorum inexhauſtus, qui ſeptem fertiles annos in Aegypto, ea coronabat frugum abundantia, quæ ſeptem ſterilibus annis, æque ac ſementi anni ſeptimi Geneſ. XLI, 34 ſqq. large ſufficiebat, eorumque præterea ſolabatur inopiam, qui peregre advolantes, annonam emtum in Aegyptum adveniebant, tantam quoque frugum copiam effundebat meſſe quadrage-

ſima

ſima octava, quanta populo alendo annis Sabbathico, & Jobelæo, & usque ad meſſem quinquageſimi primi, ſatis erat: 3) Tandem & illa de reſtauranda agrorum cultura conſtitutio, ad annum octavum quidem refertur in Lege, nullibi vero ad annum L, qui erat annus quietis, ex præſcripto Legis. Nimirum, una cum novo annorum Sabbathicorum cyclo, agrorum etiam cultum redintegrabant: illius vero auſpicia in quemque octavum, & in LI incidebant annum, minime vero in quinquageſimum, qui ex cyclo Sabbathico prorſus excludebatur, ut ſupra fuit demonſtratum.

§. VII. Jobelæi 3) *Solennis Intimatio, α.* clangore buccinæ.

Satis de tempore, & forte ad nauſeam. Sequitur publica & ſolennis Jobelæi intimatio, a qua capiebat initium. Illam comm. IX. his verbis lex præcipit: והעברת שופר תרועה בחדש השבעי בעשור לחדש ביום הכפרים תעבירו שופר בכל ארצכם: *Tunc facies, ut perſonet cornu clangoris menſe ſeptimo, die decimo ejus menſis; die expiationum facitote, ut perſonet cornu in tota terra veſtra.* Quatuor ſunt in his verbis, quæ conſiderari merentur: 1) Quali tuba ſint uſi? 2) Quem ediderint cantum? 3) Quis tubam inflaverit? & ubi? 4) Quo tempore?

1. *quali Tuba?*

1) Communi vocabulo שופר effertur Tuba illa, cujus Rad. שפר *decorus, pulcher fuit,* ad declarandam genuinam tubæ hujus rationem, & a ceteris buccinis differentiam, parum fert ſubſidii. Tubæ illæ argenteæ, quibus Moſes Num. X, 2. univerſam ad ſe convocare jubetur concionem, חצוצרות vocantur, & quia ibidem additur, quod ſint מקשה כסף *opus ſolidum, ex argento fuſum,* cum ex adverſo Joſ. VI. quæ appellatæ fuerant verſ. 4. שופרות היובלים / mox verſ. 5. dicantur קרן היובל / hinc inter utrumque vocabulum, tubæque genus, id ſtatuunt doctores interceſſiſſe diſcriminis, quod שופר cornea fuerit, חצוצרה ex ære vel argento efficta. Ita HIERONYMUS *Comment. in Hoſ. V,* 8. *lib. II. ſub init. Tom. VI. Opp. fol.* 10. *b. Buccina paſtoralis eſt, & cornu recurvo efficitur, unde & proprie Hebraice* שופר, *Græce κερατίνη appellatur. Tuba autem de ære efficitur vel argento, qua in bellis & in ſolennitatibus concrepabant.* Et e recentioribus CAMPEG. VITRINGA *lib. I. de Synagoga Vet. P. I. cap. X. p.* 203. *Buccina de cornu arietis, tuba de metallo formabatur, quam ſignate deſcriptam invenies a* IOSEPHO *Antiqu. lib. III. Cap. XII.* Sed utramque materiam, pro temporum varietate, buccinæ noſtræ tribuit VALENT. SCHINDLERVS, qui *in Lex. Pentagl. h. v.* שופר inquit, *Tuba, quæ olim fiebat ex cornu bubulo, ſicut nunc ex ære, ejusque uſus erat in bellis & ſolennitatibus: κερατίνη.* Paulo aliter, & ni fallor, curatius diſtinguit vtramque, IOH. D' OVTREIN *Diſſert. V. de clangore Evangelii, ad Num. X,* 1-9. *pag.* 85: *Ego exiſtimo, vocem* חצוצרה *non niſi de tubis, ex metallo conflatis, uſurpari,* שופר *autem generaliori gaudere ſignificatu, & indiſcriminatim deſignare buccinam ex cornu, vel tubam ex argento vel ære conflatam. Quæ procul dubio ratio eſt, quod LXX Interpretes vocem* שופר *quibusdam in locis transferant per σάλπιγγα, in aliis vero per κερατίνην.* Et ſi dicendum quod res eſt, ampliſſime vocis שופר patet uſus, ut utramque & materiam admittat, & notionem: ubi vero utraque vox mutuo jungitur, v. g. 2 Chron. XV, 14. ubi utriusque generis tuba בחצוצרות ובשופרות cantatum fuiſſe legimus, forte etiam Hoſ. V, 8: תקעו שופר בגבעה חצוצרה ברמה *clangite buccina in Gibea, tuba in Ramah,* aliquod neceſſe eſt inter utramque agnoſcere diſcrimen, ita ut חצוצרה proprie *tubam,* שופר *buccinam* deſignet. Ita ſane accipiunt Hebræorum Magiſtri, quando in Tract. ראש השנה *Cap. III. Miſchn.* 3. principio novi anni, inflatam fuiſſe dicunt שופר *buccinam,* ושתי חצוצרות מן הצדדין *& duas tubas ab utroque latere,* ita quidem ut שופר ſonitum ederet diuturniorem, חצוצרות autem non æque productum: qualis diſtinctio rurſus *Miſchna* 4.

na 4. ubi de tubarum cantu in jejuniis præcipitur, & alias ſæpius redit. Sententiam autem, quæ intimatione Jobelæi corneam tribuit buccinam, firmat cit. loc. ex Joſ. VI, 4, 5. dubium tamen, ex quali cornu fuerit parata? Pro arietino, absque hæſitatione calculum ferunt, qui vocem יובל arietem exponunt. Ita COCCEIVS: & curatus ille ac ſedulus Muſicæ Hebræorum inveſtigator, SALOM. VAN TIL, *de Poëſi & Muſica Veter. Hebr. P. III. cap. VI. §. 3. p.* 486 *ſeq.* Talmudiſtæ *cit. loc. Miſchna* 5. pronunciant: שוה יובל לראש השנה לתקיעה ולברכות *parilis tum Jobelæi, tum novi anni obſervatio eſt, quoad clangorem, & benedictiones:* unde conſequitur, velut cornu arietino clangebant ſub anni principium, ita tale quoque in intimatione Jobelæi eſſe adhibendum. Etſi vero ſtatim ſubjungunt: רבי יהודה אומר בראש השנה תוקעין בשל זכרים וביובלות בשל יעלים R. IEHVDA *dicit, quod in initio anni clangebant de arietibus, & de rupicapris in Jobelæo;* probe tamen *ad eund. loc.* obſervarunt R. OBAD. DE BARTENORA, & MAIMONIDES, הלכה *deciſionem* non eſſe ſecundum R. IEHVDA, ſed in eo recumbere, quod tam in novo anno, quam in die Expiationis anni Jobelæi, clangere debuerint buccina de ariete maſculo incurvato. Rurſus MAIMONIDES in יד *cit. loc.* §. 11. definit, eandem per omnia buccinam fuiſſe, qua tam in Novo Anno clanxerint, quam in Jobelæo, quemadmodum etiam eadem fuerit clangoris ratio. Clarius adhuc Idem in הלכות שופר *cap. I.* §. 1: שופר שתוקעין בו בין בראש השנה בין ביובל הוא קרן הכבשים הכפוף: *Buccina, quam inflant, tam in novo anno, quam Jobelæo, cornu eſt arietinum incurvum.* Eamque communem Judæorum ſententiam eſſe, PAVL. FAGIVS *ad Lev. XXV*, 9. teſtatur, ubi ſimul rationem addit: *Et dicunt, propterea debere eſſe cornu arietinum, ut coram Deo in memoriam revocetur colligatio & immolatio Iſaac, facta in monte Morijah, atque illius recordatione ipſis benefaciat, preces exaudiat*, &c. Quantum enim meritum ex קרבן עקירה דיצחק *ſacrificio ligationis Iſaaci* redundare ſtatuant Judæi in univerſam gentem ſuam, e libro *Sohar* fuſe declarat R. MENACHEM REKANATI in טעמי המצות *fol.* 29. *col.* 2. ubi inter alia addit: ועקירת יצחק מעליא לישראל לארכרא לה בכל יומא בגלותא דתגין עליהון מכל מערערין בישין *Expedit etiam Judæis, ut quotidie in hac captivitate memoriam recolant ligationis Iſaaci, quia illa protegit eos ab omnibus caſibus malis.* Verum graviter hic interpellat BOCHARTVS *loco ſupra cit.* qui varias contra cornu arietinum rationes expromit: 1) *Nusquam legitur in ſacris Scriptoribus, quinquageſimum annum promulgatum fuiſſe cornu τοῦ Jobel, ſed* בשופר תרועה tuba clangoris, *quo nomine cornu arietis deſignari, credat Judæus Apella, non ego.* Atqui vero, tubæ iſtæ clangoris, in numero plurium Joſ. VI. diſerte שופרות היובלים rurſusque קרן היובל appellantur. Vnde patet, peculiares buccinas Jobelæo fuiſſe dicatas, quibus תרועה clangor Jobelæus edebatur; ſive ex arietis, ſive ex alio factæ eſſent cornu. 2) *Veterum certe buccinæ, ex boum erant, non ex arietum cornibus:* quod ex DIONYSIO HALICARNASSEO, & ex VARRONE, probare ſatagit. Sed fuerint apud Gentiles bubula cornua forte magis in uſu, quod unum probant prolata teſtimonia, apud populum Dei tamen cornua arietina more fuiſſe recepta, ex IOSEPHO, idoneo rerum ſuarum & locuplete teſte, liquet, qui *Antiqu. lib. V, cap. VI.* §. 5. de Gideonis militibus agens, tales & ipſis tribuit buccinas, & iſtius ſæculi apud Judæos mori: *ἐκόμιζον δὲ πάντες - - ἐν τῇ δεξιᾷ, κριοῦ κέρας· ἐχρῶντο δὲ τούτῳ ἀντὶ σάλπιγγος. Geſtabant autem omnes in dextera cornu arietinum, illo enim vice tubæ utebantur.* Inſtat adhuc 3): *Neque vero id commodum eſſet, cum ſit omnino ſolidum*, (cornu arietis,) *neque cavum quidquam habeat, in quo flatus recipiatur.* At enim vero, tranſigat hic prius BOCHARTVS cum PLINIO, qui *lib. XI. Hiſt. Nat. cap. XXXVII.* cornua quadrupedibus *omnibus cava* teſtatur, & *in mucrone demum concreta* eſſe, exceptis *cervis*, quibus *tota ſolida, & omnibus annis decidua* ſint. Sed miſſa PLINII auctoritate, ſint ita per naturam,

ram, ut vult BOCHARTVS, excavari tamen arte poterant, & in buccinæ formam effigiari, quales buccinas hodienum Judæi habent, quas ex arietum cornibus sibi fieri, studiose procurant. Ipso ergo facto ac exemplis, tales fieri posse, evincunt. Vt taceam, arte cornua tractari, secari, extendi, emolliri, & in quamcunque volueris formam redigi, commode posse. BOCHARTVS autem, quando pro bubulo cornu, in hos usus adhibito, fert calculum, toti obloquitur Judæorum Synagogæ, quæ *cit. loc. Mischna* 2. ita definit: כל השופרות כשרין חוץ משל פרה *omnes buccinæ* (ad clangorem novi anni, æque ac Jobelæi, cui per omnia conveniebat,) *sunt legitimæ, præter cornu vaccinum:* Rationem Gemarici addunt, ex vitulo aureo, propter quem graviter puniti fuerunt: universalis enim Magistrorum regula erat, *quod accusator non potest fieri procurator:* jam accusator erat שופר של פרה *buccina taurina.* Id quod HOVTINGIVS quoque ad h. l. observavit. Nos, ut in re incerta, & levioris forte momenti, nihil definimus, ita facile inducimur in eandem sententiam, quam universa tenet antiquitas, & cui quod opponamus, solidi nihil habemus.

§. VIII. 2. *quali Clangore?*

Quæritur 2) qualem ediderint Clangorem? quod satis dignoscere & declarare eo minus proclive est, quo magis in abscondito latet universa Musicæ Hebræorum ratio. Duplici verbo clangorem tubæ reddunt Judæi, תרועה ab הריע *personuit, clanxit,* & תקיעה a Rad. תקע *clanxit, plausit, complosit.* Discrimen inter utrumque statuunt Philologi tale, ut תקיעה sonum fixum & æquabilem, תרועה autem clangorem fractum & inæqualem notare censeant. Ita LIGHTFOOTVS *de ministerio Templi Hierosol. cap. VII. Sect. II. Tom. I. Opp. fol. 696. b. Cantus tubæ,* inquit, *primum erat unius tenoris & longus, deinde fractus & tremulus, tum iterum longus & uniformis sonitus. Hos sonitus Judæi vocant* תקיעה / תרועה / תקיעה, *quod in compendiis Scripturæ sic exprimunt* תתת. *Sacerdotes juxta Mischnam,* תקעו והריעו תקעו *canebant, fractum sonum edebant, canebant; liceat enim sic ea verba vertere, donec plenius ostendam, quid significent.* Cumprimis notandum, quod sequitur: *Sacerdotes nunquam tuba canebant, quin tres hosce sonitus exprimerent.* Idem ergo in clangore Jobelæi observarunt. Pariter distinguit OVTREIN *cit. loc. p. 77:* תרועה *præsertim notat clangorem fracti & inæquabilis soni Num. X, 5, 6, 7, 9. Nam alias etiam clangebatur sono fixo & æquabili, quod verbo* תקע *significatur. Quamvis vox* תרועה *etiam generalem cujusvis clangoris notionem possideat.* Nec omnino nulla utriusque verbi distinctio ex Scripturis elucet. Licet enim unum alteri jungatur Numer. X, 5: ותקעתם תרועה *& si clangetis sono fracto,* SEB. SCHMIDIVS vertit: *quodsi clangetis conclamatione,* mox tamen *comm.* 7. unum alteri opponitur: תתקעו ולא תריעו *clangetis æquabili sono, sed non fracto,* ubi rursus SCHMID. *clangetis* quidem, *sed non conclamabitis.* Distinctis namque modulationibus tubæ monebant, quando vel Principes solum evocarentur ad Mosen, vel movenda essent castra, vel tota congregari deberet concio. Interim quod ad Jobelæum attinet, tribuitur ei שופר תרועה *buccina soni fracti, comm.* 9. Ast apud Talmudicos תקיעה *sonus æquabiliter productus* illi assignatur, unde liquet, utrumque mutuo, sed per vices, fuisse junctum. Porro, cum eadem clangoris ratio esset, tam in principio anni, quam in Jobelæo, huc quoque trahemus, quæ de priori præcipiunt Magistri in ראש השנה, *cap. IV. §. ult.* unde simul de utriusque vocis differentia judicare licet. Sic autem verba habent: סדר תקיעות שלש של שלש שלש שעור תקיעה כג' תרועות שעור תרועה כשלש יבבות: *Ordo clangorum ter repetitur, & singulus ordo ex tribus componitur. Quantitas* תקיעה *clangoris æquabilis & producti est instar trium* תרועות *clangorum fractorum, quantitas autem* תרועה *est instar trium vociferationum,* longe adhuc concisiorum. Multa scilicet subtiliter hic disputant Talmudici, quæ perspicue

ſpicue ſatis enodare integrum non eſt. Interim hinc colligas, peculiarem adhibitum fuiſſe clangendi modum, qui, jubilantium ad inſtar, primo in longum protrahebatur, mox variis elationibus & depreſſionibus frangebatur, ſeſeque velut collidebat, quem rurſus ſonus ſimplex & continuus excipiebat; idque per vices decore repetebatur, ita ut in longum produceretur ille cantus. Jungebantur autem, quod jam ſupra tetigimus, huic cornu, quando inflabatur במקדש *in Sanctuario*, duæ חצוצרות *tubæ*, utrumque latus illius, qui cornu arietinum inflabat, cingentes; eo tamen cum diſcrimine, ut ſonus cornu arietini frequentius & diutius audiretur, quam tubarum, quia inflatus cornu hoc, & tubarum feſto, præciſe præceptus eſt, non vero ille tubarum. Verum extra Sanctuarium, ſolum hoc cornu arietinum inflabatur, idque in Synagogis, ſic tamen, ut ſi, qui extra Synagogam conſtitutus erat, clangorem attento animo perciperet, præcepto huic crederetur ſatis feciſſe. Quem ſcitum & elegantem fuiſſe cantum nulli dubitamus, multumque abſimilem ululatui, quem inflato cornu, miſerandum in modum, hodierni edunt Judæi in anni principio; cui fini buccina in ædibus Miniſtri Synagogæ ſervatur.

§. IX. 3. *cujus Miniſterio?*

Reſtat, ut inquiramus 3) in eum, qui buccinam inflaverit? Neminem diſerte nominat Scriptura, ita tamen verba ſtruit, ut facile intelligatur, eum, qui publica auctoritate ſacra moderatur, & preces præit in cœtu, ad inflandam buccinam quoque teneri. Vnde VITRINGA *loc. cit. lib. III. P. II. Cap. XXI. p.* 1123 *ſq.* operoſe demonſtrat, τῷ חזן ſive Synagogæ Diacono atque Miniſtro iſtud incubuiſſe officium. Vbi tamen recte addit: *Feſto novi anni*, addo etiam Jobelæi, *hoc officium inflandæ buccinæ in antiqua Synagoga præſtari ſolitum fuit ab honoratiſſimis Synagogæ viris, qui ſummo erga religionem affecti ſtudio, honori ſibi ducebant, ſacris inſervire, ſpe mercedis, inde in ipſos redundaturæ: eumque morem apud Germanos etiamnum obſervari tradit* R. IACOB B. A. *damnans Hiſpanorum teporem & irreverentiam circa Sacra, qui mercede aliquem de platea hominem conducunt, ad buccinam inflandam.* Recte inquam: etſi enim ordinarie, & ubi alius clangendi peritus abeſſet, hoc officium ad Miniſtrum Synagogæ ſpectabat, quilibet tamen, hanc artem edoctus, iſtud pietatis opus peragere poterat, immo debebat, unde a pueris buccina clangere docebantur. Ita veteres Hebræorum Sapientes *cit. loc. Miſchnæ* præcipiunt: מי שברך ואחר כך נתמנה לו שופר תוקע ומריע ותוקע שלש פעמים כשם ששליח צבור כך כל יחיד ויחיד חייב: *Is, qui benedicit, & poſtea ipſi datur buccina, clangit* תוקע, *& edit ſonum tremulum* ומריע, *iterumque* תוקע *clangit tribus vicibus. Quemadmodum Miniſter Synagogæ, ſic quisque privatus tenetur.* Non nego, verba ultima, ab expoſitoribus, BARTENORA & MAIMONIDE, ad recitationem referri benedictionum, paulo ante memoratarum, ad quam unusquisque e privatis obligetur. Verum, cum unicuique oranti, clangendi officium hic demandetur, & ad idem præſtandum obligetur quilibet privatus, quod præſtat שליח צבור, non video, cur hæc verba ad clangorem non æque ſpectent, ac ad orationem. Vt taceam, vel hanc ipſam ob cauſam inde a pueris inſtitui Judæos, ut ſcite clangere diſcant, velut *cit. loc. Miſchna* 8. ῥητῶς præcipitur: אין מעכבין את התנוקות מלתקוע אבל מתעסקין עמהן עד שילמדו: *Non prohibent pueros minorennes* (qui tamen adoleſcentiæ ſint propinqui) *a clangendo, ſed etiam operam dant, donec bene addiſcant*, nimirum, ut in expoſitione addit MAIMONIDES, *ut buccina clangere ſciant, atque ſic poſthæc officio ſuo ſatis facere norint, cum advenerit novi anni principium.* Vnde ſatis intelligitur, in Jobelæo cornu inflatum fuiſſe primum a Lectore, ſive ordinarius is fuerit, ſive aliquis ex honoratioribus in cœtu: hinc a præcipuis, clangere peritis, demum etiam a ceteris, ita ut toties repetitus clangor in longum produceretur tempus, nominisque יובל impleret menſuram. ABARBENEL quidem

quidem ad Apoſtolos ſeu Legatos Synedrii, clangendi officium reſtringere videtur, quando in פרוש התורה *ad h. l. fol.* 268. *col.* 4. obſervat: *Ita præcipitur in Jobelæo, ut clangant buccina* ר״ל ששלוחי בית דין ירעו ויעבירו קול שופר: h. e. *ut Legati Curiæ clangant & tranſire faciant ſonum buccinæ* &c. Sed ita interpretor, publica auctoritate deſtinatos & miſſos fuiſſe Legatos Curiæ, qui initium clangendo facerent, quos tamen deinceps ceteri clangendo exciperent Iſraelitæ. Idque per univerſam terram, & ubivis locorum, ubi Synagoga erat, per omnes terminos terræ Iſraeliticæ. Rem omnem perſpicue & paucis complectitur MAIMONID. הלכות שמטה ויובל *cap.* X. §. 10: *Præceptum adfirmativum eſt, clangendum eſſe buccina decimo Tiſri die, quando annus Jobelæus feriandus eſt.* ומצוה זו מסורה לבית דין תחלה׃ וכל יחיד ויחיד חייב לתקוע שנאמר תעבירו שופר. *Et hoc mandatum traditum curiæ primum fuit. Singuli vero buccina clangere debent, unde dicitur verſ.* 9: *tranſire facietis tubam: & quidem novenis vicibus clangunt, uti in auſpicio anni fieri receptum eſt.* ומעבירין שופר בכל גבול ישראל: *Atque hanc buccinam per omnem terminum Iſraeliticum tranſire curant.*

4. *quo Tempore?*

Tandem etiam 4) Tempus explicate definitur in Lege: ביום הכפרים *die Expiationum*, ad finem ſuum vergente, *cum expiatio peracta eſſet, atque dolor iſtius diei in lætitiam mutari inciperet, ex ſacrificiis Deo acceptis, publico quaſi teſtimonio, quando mutaretur coccineus color funiculi in album*, ut LEYDEKKERVS obſervat *de Republ. Hebr. lib. V. cap. XIII. Obſervat. ad* §. 6. *p.* 321. Et FRID. SPANHEMIVS fil. *Obſervat. in Levit. XXV. Tom. III. Opp. p.* 709. *Incipiebat*, inquit, *ab ipſo die Expiationum, quo proclamabatur, & quaſi redibant in gratiam cum Deo.* Hinc nimirum intelligere debebant Judæi, ad eum modum, quo admiſſorum veniam gratis eſſent conſecuti a Deo, ſe quoque fratribus nomina remittere, ex ſervitute emancipare cives ſuos, ac liberos dimittere debere, qui ipſi ſpiritualem indepti fuiſſent libertatem. *Atque ita, non niſi placato Deo, ac remiſſis peccatorum debitis in foro Divino, & interna animarum libertate firmata, externa libertas & a debitis immunitas intimabatur in Iſrael:* inquit VARENIVS *Diſp. de Sabbatho & Jubilæo* §. 22.

§. X. *Jobelæi intimatio*, β. proclamatione ſolenni.

Hunc tubæ clangorem comitabatur ſolennis & publica libertatis proclamatio per univerſam terram, de qua Lex ita ſancit *comm.* 10: וקדשתם את שנת החמישים שנה וקראתם דרור בארץ לכל ישביה: *Et ſanctificabitis annum quinquageſimum, & proclamabitis libertatem in terra omnibus habitatoribus ejus.* Mirari ſubit, qui factum, ut notabilem hunc ritum ſilentio involverint Commentatores, quo vel maxime tamen Jobelæi peragebatur intimatio. Vbi enim remiſerat buccinæ & tubarum ſonus, locumque articulatæ voci dederat, שלוח בית דין Commiſſarius velut, & Apoſtolus Curiæ, auctoritate publica ad id inſtructus, ſolenni formula in Synagoga, & Anni Jobelæi dedicabat auſpicia, & ejusdem prælegebat privilegia & jura. Nec dubium, quin univerſa Jobelæi ſanctio Divina, diſtincta & elata voce, a Commiſſario illo fuerit prælecta: vt alias moris erat, verba ſolennia v. g. in Paſchate, in oblatione primitiarum &c. ex ipſa Legis litera depromi. Addit R. SALOMO IARCHI *ad voc.* וקדשתם *h. l.*: בכניסתה מקדשין אותה בבית דין ואומרים מקודשת השנה: *In ingreſſu ejus* (anni hujus) *ſanctificabant illum in curia, dicentes: ſanctificatus ſit hic annus.* Fides ſit penes auctorem: mihi ſanctificatio illa prælectione publica verborum Legis comprehenſa videtur. An Præcones aliqui, per vicos & plateas quoque, elata & publica voce, דרור *libertatem* hujus anni proclamaverint, compertum non habeo: a verbo tamen קרא / Textusque circumſtantiis id alienum non eſt, unde קריאה pro-

clamatio

clamatio ſolennis, Præconis voce peracta, dici conſuevit. Quod autem LEYDEKKERVS *cit. loco*, proclamationem illam factam fuiſſe per Sacerdotes, perſuaſum nobis cupit, id falſa nititur hypotheſi, ac ſi Jobelæus ad annum Sacrum pertinuerit, non ad Civilem, quam unam conjecturæ rationem allegat, & ab omni antiquitatis ſuffragio deſtitutum, merito exploditur.

§. XI. Jobelæi 4) *Privilegia & Jura.*

Nunc ad id, quod caput rei eſt, devolvimur, ad Jura & Privilegia anni Jobelæi. Horum alia Jobelæo ſunt cum anno Sabbathico communia: α) *Quies terræ*, β) *Remiſſio debitorum*, γ) *Manumiſſio ſervorum*: aliud Jobelæo proprium, δ) *Avitarum poſſeſſionum*, quæ venditæ & alienatæ fuerant, ad priſtinos & legitimos heredes *reverſio*. Ordine de ſingulis, ac ſeorſim agemus.

§. XII. (α) *Quies terræ.*

De *terræ otio* ita Lex ſciſcit *comm. XI:* לא תזרעו ולא תקצרו את ספיחיה ולא תבצרו את נזריה: *Comm. XII:* כי יובל הוא קדש תהיה לכם מן השדה תאכלו את תבואתה: *Non ſeminate, nec metite ſponte naſcentia ejus, neque vindemiate uvas intermiſſarum vinearum ejus. Quippe Jobelæus eſt, ſanctus eſto vobis: ex quocunque agro comedetis proventum ejus.* Vbi ante omnia tenendum eſt, quod recte obſervat MAIMONIDES *cap. X.* §. 15. jura anni Jobelæi, quod ad agriculturæ ceſſationem attinet, prorſus congruere cum legibus anni Sabbathici: quicquid circa culturam terræ anno ſeptimo prohibitum eſt, idem quoque illicitum eſſe in Jobelæo, viciſſim etiam, quicquid licet in ſeptimo, id ipſum integrum quoque eſſe in Jobelæo: parem etiam rationem eſſe cum fructibus tam ſeptimi, quam quinquageſimi anni, quoad comeſtionem, venditionem, atque remotionem. Illinc ergo repetenda erunt, quæ huc ſpectant. Velut ſeptimo, ita pariter anno Jobelæo, quies omnino permittenda erat terræ: toto hoc terram aratro vertere, agrum conſerere, runcare aut paſtinare vineam, nefas fuit. Quod ſponte naſcebatur, fundi aut vineæ domino, non falce aut ſcirpicula reſecare, non metere, non vindemiare concedebatur, ſed quicquid ejus erat, præter dominum, cujus nulla erat excluſio, ſervi, ancillæ, mercenarii, inquilini, peregrini, & beſtiæ adeo ac jumenta ſibi, jure optimo vindicabant. Et quia Lex, tam ajentibus verbis *comm.* 2. quam prohibentibus *comm.* 4. hac de re agit, ideo quisquis transgreſſor in Jobelæo opus aliquod fecerit, quod ad terræ aut arborum culturam pertinet, licet oblique ſolum & indirecte, quale eſt v. g. lapides ex agro tollere, eumve ſtercorare, ab arboribus verrucas, folia arefacta, ramos item putres auferre, ad vermes averruncandos conſpergere arbores pulvere, & ſulphure eas ſuffumigare, adverſus avium morſiunculas tenellas arbores fœtore, acoreve imbuere, & his ſimilia, ille affirmativi ac negativi pariter præcepti violati reatum contrahit, & ex Magiſtrorum ſententia, flagrorum pœnam promeretur. Multa ſcrupuloſius hic diſputant Hebræorum Legisperiti, ut transgreſſiones occupent, & caſus dubios ſolvant; quæ ex MAIMONIDE omnia huc transferre nimis foret moleſtum, tædiique plenum: qui vero cognoſcere cupit, confertim ac ordine recenſita leget, in viri de antiquitate Hebraica præclare meriti, præceptoris quondam ac hoſpitis noſtri, etiam poſt fata venerandi, IOH. CHRIST. WAGENSEILII diſputatione circulari *de Anno Jubilæo, ſecundum diſciplinam Hebræor.* An. 1700. publice propoſita. Multa in his, præter Scripturæ auctoritatem, alia præter neceſſitatem præcipiunt Magiſtri, alia ex ipſo Legis argumento, per pronam conſequentiam, intelliguntur. Nobis nunc ſufficiat obſervaſſe, quod frugum hoc anno ſponte naſcentium libera omnibus fuerit uſurpatio, modo alia, quam ceteris annis, ratione tractarentur, quia metere, vindemiare &c. interdictum. Hinc v. c. ficus anni ſeptimi & Jobelæi, non reſcindebantur falcula conſueta, nec ſiccabantur in loco ſolito; uvæ non calcabantur in torculari, olivarum in trapeto non fiebat confractio,

fractio, & ſic circa ceteras quoque res, recepti ceteroquin moris facienda erat immutatio, ne meſſis, vel vindemiæ, aut ordinariæ collectionis ſpeciem præberet. Porro, quia libera omnibus erat ſponte natorum comeſtio, hinc nec vineam occludere, nec agrum obſepire, nec totum proventum uni ſoli vindicare ſibi licebat, beſtiarum quoque pecudumque depaſtiones erant liberrimæ, ita quidem, ut fructibus comeſtioni humanæ dicatis, beſtias aut jumenta cibare, nefas quidem haberetur, ſi tamen ſuopte motu v. c. ad ficum accedant, & fructibus deciduis fruantur, ſi aves veſcantur uvis, & ſic porro, nemo abigere debebat, ne violaretur præceptum *comm.* 7. Et quia eodem commate præcipitur: *jumenti tui, & cujusque beſtiæ, quæ eſt in terra tua, eſto totus proventus illius ad comedendum,* hinc colligitur, fructibus hujus anni haud ultra illud tempus veſci licere, quo ſpecies eorundem in agris non amplius compareant, ita ut tamdiu homines domi ſuæ licite veſcerentur fructibus, quoad bruta illis ipſis fructibus veſci poſſent in agris: ſimulac vero brutis illorum comedendorum copia nulla eſſet, homines quoque comeſtione prohiberentur. Atque iſtud eſt, quod Hebræorum doctores ביעור של פירות שביעית *remotionem fructuum anni ſeptimi* vocabant. Nempe reſiduum ex illis fructibus ſegregare, aut in fluenta projicere, aut alio quovis modo abolere oportebat, ſi nulli adſint pauperes, inter quos diſtribui poſſint. Quod tamen, pro diverſitate regionum, diverſimode intellectum cupiunt. Terram enim Judaicam tripliciter partiuntur. Vnam partem conſtituit Judæa proprie dicta: alteram totus, qui trans Jordanem eſt, tractus: tertiam Galilæa ſuperior & inferior, cum contermina Tiberiade. Quoties ergo de remotione fructuum diſputant, non univerſam Judaicam regionem intelligere oportet, ſed ejus tantum partem: unde, cum fructus aliqui in Judæa defecere, non prodeſt id ad illorum ibi comeſtionem, etiamſi trans Jordanem agri aut arbores iis adhuc onerarentur. Sic definitur in Maſſech. שביעית *cap. IX. Miſchn.* 2. & apud MAIMONID. *Hilcoth Schemittah cap. VII. §. IX. & X.* Sed hæc ſufficiant de iſta Legis parte.

§. XIII. (β) *Debitorum remiſſio.*

Sunt, qui huc etiam referunt *debitorum remiſſionem.* Ita SPANHEMIVS ſupra laudatus *in Lev. XXV.* inter jura, utrique anno, tam Jobelæo, quam Sabbathico communia, remiſſionem debitorum ſecundo loco ponit. Pariter ex noſtris VARENIVS *cit. loc.* §. 24. *p.* 477. *Effectus illius* קריאה, inquit, *erat* דרור *ſeu plenaria libertas, per quam debitor ab obligatione & ſervitute immunitatem, plenarium oppignorati feudi dominium, uſumfructum, liberrimumque reditum ad hereditatem in Iſrael recipiebat, ex Lege de Jobel v.* 10. *m.* 2. & *v.* 13. *annus iſte Jubilæus eſt, quisque redito in poſſesſionem ſuam.* Sed & IOH. ADAM. OSIANDER *Diſſ. de Jubilæo Hebræor. Chriſtianorum, Academicorum* §. 24. *p.* 24 *ſeq.* hoc ipſum ex inſtituto tuetur, & præter VARENII argumentum, ex voce דרור petitum, IOSEPHI urget calculum, qui *lib. III. Antiqu. Judaicar. cap. X.* diſerte habeat, quod in anno Jobelæo debitoribus debitum remittatur. Nec absque Hebræorum auctoritate ita ſtatuunt, in quibus MAIMONID. *Hilcoth Schemittah Vejob. cap. IX.* §. 2. ita tradit: אין שמיטת כספים נוהגת מן התורה אלא בזמן שהיובל נוהג שיש שם שמיטת קרקע· שהרי ישוב הקרקע לבעליו בלא כסף· ודבר זה קבלה הוא· אמרו חכמים בזמן שאתה משמיט קרקע אתה משמיט כספים בכל מקום בין בארץ בין בחוצה לארץ· ובזמן שאין שם שמיטת קרקע אין אתה משמיט כספים בשביעית אפילו בארץ: *Nulla pecuniæ remisſio uſitata erat ex Lege, niſi quando Jobelæus annus celebratur, quia tum remittebantur fundi. Tum enim redibat fundus ad poſſeſſorem ſuum* (primum ac hereditarium) *absque pecunia. Atque hæc quidem pervulgata eſt traditio. Sapientes quoque noſtri ita definiunt: quo tempore fundum reſtituis, eodem debita quoque remittes omni in loco, ſeu intra, ſeu*

extra terram ſacram: quo autem tempore fundum non reſtituis, debitum quoque haud remittis in anno ſeptimo, utut in Palæſtina degas. Contra vero ea, magnus WAGENSEILIVS noſter *Diſp. de Anno Jubilæo* §. 63. *p.* 26. ſtatuit: *In hoc annus Jubilæus & annus Sabbathicus differunt, quod in Sabbathico anno debitorum contractorum fit remiſſio, quæ in Jubilæo minime obtinet. Contra in Jubilæo anno, ſervi libertatem conſequuntur, & agri prioribus poſſeſſoribus cedunt, quod ſecus eſt in anno Sabbathico. Hoc quoque diſcrimen notandum, quod agrorum ad veteres dominos reverſio, paulo poſt initium anni Jubilæi conceditur, at debitorum remiſſio ſub finem tantum Sabbathici anni locum invenit.* Et recte quidem ita, ex mente veterum Hebræorum, pronunciat. Quæ enim 1) debitorum remiſſio diſerte imperata legitur anno Sabbathico Deut. XV, 2. de illa in Lege Jobelæi altum eſt ſilentium, ut, præter Scripturæ mentem ac auctoritatem, intrudant ſecus ſentientes in Jobelæum, quod proprium eſt Sabbathico. Quam autem b. VARENIVS דרור *libertatem* vrget, illa non extendenda ultra eſt, quam ſubjuncta permittit explicatio Moſaica, adeo ad ſervos ſolum, maxime ſubulatos ſpectat, nullo autem jure ad debita contracta. Inde quoque Miſchna, mox citanda, quicquid eſt iſtius remiſſionis, ad annum ſolum Sabbathicum refert, de Jobelæo altum ſilet. Sed 2) nec poſſibilis quidem illa erat, quocunque demum modo numeres Jobelæum. Si eundem facias, cum Sabbathici cycli ultimo, anno XLIX. remittuntur quidem eo debita, verum non ex Jobelæi Lege, quæ nihil tale præcipit, ſed ex jure Schemittæ, quæ tali privilegio gaudet. Sin autem nobiſcum, Jobelæum poſt Sabbathicum conſtituas anno L. jam remiſſa erant debita præcedente anno, nec ſuppetebat amplius, quod poſſet remitti. Hinc nobis quoque 3) Magiſtrorum ſuffragatur calculus, qui apud MAIMONIDEM *cap. X.* §. 16. ita habet: יתירה שביעית על היובל שהשביעית משמטת כספים ולא יובל· ויותר יובל על השביעית שהיובל מוציא עברים ומשמיט קרקע: *Superat annus ſeptimus Jobelæum in eo, quod ille debita remittat, non autem Jobelæus: rurſusque habet illud Jobelæus præ ſeptimo, quod ſervos in libertatem educat, & quod fundos reſtituat.* Nec obſtat IOSEPHI auctoritas, quam obvertere diximus OSIANDRVM. Etſi enim ille *cap. XII.* §. 3. edit. Haverkamp. *pag.* 184. de anno Jobelæo perhibet: ἐν ᾧ οἵτε χρεῶσται τῶν δανείων ἀπολύωνται, *in quo debitores a mutuo liberantur*, a quo ſeductus Clariſſ. BERNARDVS *Annotat. ad h. l.* hunc annum *obæratos ſolvere* tradit: tantam tamen IOSEPHO fidem non habemus, quæ ab allegatis nos dimovere queat momentis. Hallucinatum fuiſſe in multis, & hinc ex oſcitantia, hinc ex malitia, præter Scripturæ fidem ſcripſiſſe nonnulla, dudum obſervarunt viri docti, qui ſuam de ipſo ſententiam expoſuerunt, in quibus RICH. SIMONIVS *Hiſtor. Critic. V. T. lib. I. cap. XVII. edit. Lat. p.* 91. *verius* IOSEPHO, inquit, *objicitur, ipſum parum exactum eſſe, ſe Scripturæ ſenſum ſimpliciter & pure redditurum pollicitus, ſæpiſſime tamen longe ab eo diſcedit, gloſſas addit, pro libitu detrahit, ac textum ſuis commentis accommodat. Vno verbo, ſuas opiniones ipſi Dei verbo anteponit.* Vtraque tamen ſententia ita componi poſſe videtur, ut diſcrimen ſtatuatur, inter mutua pecuniarum, & inter mutua fundorum, ubi nimirum, ob contractum æs alienum, vel quacunque de cauſa, oppignorati fundi tranſierant in poteſtatem mutuantis. *Poſteriora* illa remittebantur in Jobelæo, qui gratuitam fundi reſtitutionem ſecum ferebat, non in Sabbathico, qui reſtitutionem ejusmodi ignorabat; unde quoque laudatus ſupra WAGENSEILIVS §. 47. obſervat: *Debitum pro quo res immobilis in hypothecam, aut mobilis res in pignus data eſt, ex anno ſeptimo non conſequitur remiſſionem*, ſed prius illud, cum fundi reſtitutione arctiſſime connexum, ad Jobelæum referebatur. *Priora* vero ad Sabbathicos tantum pertinebant, quorum remiſſionem ita definit Talmud שביעית *cap. X. Miſchna I:* שביעית משמטת את המלוה בשטר ושלא בשטר *Annus ſeptimus remittit mutuum, tam ſub chirographo, quam non ſub chirogra-*

rographo. Atque in hanc ſententiam ſuperius MAIMONIDIS interpretor teſtimonium, ut præter mutuum fundorum, de alio intelligatur nullo. Sic ipſe ſibi conſtabit.

§. XIV. (γ) *Servorum emancipatio.*

Communis denique, tam Jobelæo, quam Sabbathico erat anno, *ſervorum manumiſſio:* ſed inſigni cum diſcrimine. Si quis enim ex Iſraelitis, vel ſeipſum vendidiſſet, ob ſummam rerum omnium inopiam, vel a Curia magna, ob admiſſum furtum Exod. XXII, 3. aut ob conflatum æs alienum, 2 Reg. IV, 1. Matth. XVIII, 25, 30. in ſervitutem eſſet datus, ſex annos ad ſummum ſervire tenebatur, ſeptimo exibat in libertatem, vi Legis Exod. XXI, 2 ſqq. Deut. XV, 12 ſqq. Septimus autem ille, num ab initio ſervitutis ſit putandus, nulla habita Schemittæ ratione, an vero ad cyclum Sabbathicum reſtringendus, idemque omnino cum anno Sabbathico fuerit? anceps eſt inter antiquitatis Hebrææ peritos quæſtio. Prius tenent ABEN ESRA *in Exod. XXI, 2.* MAIMONIDES *in Hilcoth* עברים *cap. II. §. 2, 3.* FAGIVS & VATABLVS *in Deut. XV.* MVNSTERVS atque CLARIVS *ad Deut. XXXI, 10.* qui ſervum ejusmodi ſex annos ſervire debuiſſe integros, niſi mors Domini interveniret, exiſtimant, locumque hic Schemittam habuiſſe negant. Poſterius vero, haud ita pridem erudite adſtruxit, & ſeptimum annum dimiſſionis ipſum eſſe annum Sabbathicum, rationibus munire ſategit Theologus Harderovicenus, BERNARD. SEB. CREMERVS *in Tetrade Prophetico-typicarum Exercitation. p. 5 ſqq.* dignus, qui in hanc rem conſulatur. Res ipſis Judæis dubia, nec ſatis eſt explicata, atque in *Jalkut* SCHIMEONI *ad cit. loc. Exod. fol.* 84. *col.* 3. *num.* 311. in medio relinquitur: nos vero ad priorem ſententiam cum doctiſſimo MEYERO accedere, *Cap. præced. Annot.* (4) *ſub fin.* teſtatum fecimus. Sin vero ſervus ejusmodi anno ſeptimo exire recuſaret, & amore uxoris liberorumque ſuorum, æternæ ſe addiceret ſervituti, perforata aure ejus ad poſtem ſubula verſ. 5 ſq. ei nec Sabbathicus, nec rediens in orbem ſeptimus annus, reddere valebat libertatem. Reddebat tamen Jobelæus, ex Lege Lev. XXV, 39. *cum facultatibus attenuatus frater tuus apud te, ſe vendat tibi, ne exerceto eum ſervitute ſervili. Tanquam mercenarius, tanquam inquilinus eſto apud te; usque ad annum Jobelæum ſerviet apud te. Tunc egredietur a te ipſe, & liberi ejus cum eo; ut revertatur in familiam ſuam, & in poſſeſſionem patrum ſuorum revertatur. Quia ſervi mei ſunt, quos eduxi e terra Aegypti, ne venduntor venditione ſervili. Ne dominium exerceas in eum per ſævitiam, ſed timebis a Deo tuo &c.* Geminum ergo beneficium afferebat Jobelæus ſervis: 1) ut liberaret vel maxime הנרצעים ſervos *ſubulatos*, quos præter mortem ſive ſuam, ſive heri ſui, in libertatem aſſerere poterat nemo. 2) ut facultatem ipſis faceret, uxorem quoque ac ſobolem ſecum educendi, quam anno ſeptimo egreſſi relinquere cogebantur hero, ſi illam duxiſſent, hanc generaſſent, tempore ſervitutis Exod. XXI, 3, 4. Lex equidem Jobelæi uxoris mentionem facit nullam, ſed ſolum liberorum, commode tamen *Jalkut* monet: תלמוד לומר הוא ואשתו ובניו: *Traditio habet, ipſe* egrediatur, *& uxor ejus, & liberi ejus.* Hic etenim annus ſuæ quemque reddebat familiæ, nec minus uxori favebat quam liberis, illamque vel ideo quoque dimittebat, ne ſervus uxoris jactura redimendam reſpueret libertatem. Peculiarem denique huic privilegio ritum addit MAIMONIDES *c. X. §.* 14: מראש השנה עד יום הכפורים לא היו עבדים נפטרים לבתיהן ולא מתעבדין לאדוניהן · אלא עבדים אוכלין ושותים ושמחים ועטרותיהם בראשיהם · כיון שהגיע יום הכפורים תקעו בית דין בשופר נפטרו עבדים לבתיהן: *Inde ab anni initio* (a primo die menſis Tiſri) *usque ad Expiationum diem, ſervi nec domum dimittebantur, nec tamen ſervitia heris ſuis præſtabant: verum edebant illi, bibebant, genio indulgebant, omniumque tempora coronis erant redimita. Quamprimum autem dies Expiationum illuxerat, tuba Synedrium canebat,*

nebat, & tum libere dimissi servi suos repetebant lares.

§. XV. (δ) *Avitarum possessionum restitutio.*

Quod ultimum tandem, & Jobelæo proprium est privilegium, *fundorum hereditariorum ad pristinos possessores suos reditus*, copiose & κατὰ μέρος traditur in Lege vers. 14 - - 34. cujus summa capita, ordinis ac perspicuitatis causa, distincte exponemus. I.) Comma 23. ita disponit: והארץ לא תמכר לצמיתת כי לי הארץ׃ *& terra ne venditor mancipi, mea enim est illa terra.* Postquam enim Deus terram Israeliticam, per tribus, sorte distribuisset, eamque cum tribuum ac familiarum, tum possessionum atque mansionum distinctionem, stabilem ac perennem esse jussisset, fas nec tribui, nec patrifamilias aut privato fuit, sedes suas migrare, cum aliis permutare, atque primævos intervertere ac turbare hereditariorum terminos ac limites fundorum. Vnde Nabothus religioni sibi ducebat, vineam avitam, & hereditario jure a majoribus ad se transmissam, vel pretio vendere, vel commutatione cum alio fundo facta, Regi cedere 1 Reg. XXI, 3. Vrgente tamen paupertate, extremæ necessitatis telo, si aliter vita tolerari non posset, ad comparandum victum vendere licebat, saltem ne לצמיתת *in excisionem*, juxta ONKELOSVM & IONATHANEM להלוטין׃ *absolute, simpliciter, in perpetuum*, h. e. interprete R. SALOMONE, לפסיקה / *venditione decisa, abscissa & sempiterna*, seu ut LEYDEKKERVS *cit. loc. p.* 320. *a.* exponit, *ut venditor plane rescinderet jus suum, illudque traderet alteri:* ea nimirum lege, ut ab hereditate pristina in perpetuum abscinderetur fundus, & penes emtorem maneret in sæculum. Si quis secus faxit, uterque, tam venditor, quam emtor, præcepti negativi violati rei fiunt, isteque contractus ipso jure nullus habetur, sed in Jobelæo redit ad priorem ac legitimum dominum fundus: tradente MAIMONIDE *cap. XI.* §. 1, 2. II.) Omnis ergo alienatio fundi hac fiebat lege, ut venditor vel beneficium reluitionis sibi reservaret, vel si redimere non valeret, in anno Jobelæo gratis, & citra interveniens pretium vel λύτρον, illum recuperaret. Quod ne alterutri, sive emtori fraudi esset, sive venditori, rationem inibant annorum, quibus instans adhuc aberat Jobelæus, & secundum æstimium usus annorum illorum, pretium definiebant: כי מספר תבואת הוא מכר לך׃ *nam numerum proventuum ille vendit tibi*, ait Legislator commate 16. III.) Redemturus itaque agrum, simulac invenerit manus ejus כדי גאולתו *quantum ad ejus reluitionem satis erat*, vers. 26. redire poterat ad ejus possessionem, ita tamen, ut ex Magistrorum sententia, apud MAIMONID. *cap. XI.* §. 10. minimum biennii fructum percepisset emtor: ad definiendum autem λύτρον, æstimat usum annorum, quibus emtor illum possedit, atque usus valore detracto, quod ex soluto pretio superest, reddit emtori. Si quam possessor temporarius fecerat fundi meliorationem, conseverat eum v. g. arboribus, aut quocunque alio cultiorem reddiderat modo, par erat, ut tam in reluitione, quam in anno Jobelæo, sumtus impensi a vetere domino, ad quem revertebatur, refunderentur, juxta MAIMONIDEM §. 8. qui rationem addit: ממכר חוזר ולא השבח nam *res vendita redit, sed non melioratio.* Ceterum, quod venditori depauperato, idem redimendi jus erat propinquis ejus, eo quod dicitur vers. 25: ובא גאלו הקרב אליו *tunc accedens vindex ejus, qui propinquus est ei,* rursusque vers. 49: או דדו או בן דדו יגאלנו *aut patruus ejus, aut filius patrui ejus redimat eum.* IV.) Ista vero reluitio, si vel ob rem angustam domi impossibilis, vel neglecta fuisset, pensabatur anno Jobelæo, cujus beneficio, ipso jure ager ad pristinum revertebatur dominum, בלא דמים nullo interveniente pretio. Nec obstabat, si ab emtore denuo venditus, possessorem suum vel centies mutaverit, ad primum tamen & hereditarium, anno Jobelæo, redibat dominum, quia dicitur Lev. XXVII, 24; בשנת היובל ישוב השדה לאשר קנהו מאתו לאשר לו

לו אחוזת הארץ: *In anno Jobelæo revertetur ager ad eum, a quo emerat ipſum, ad eum, cujus erat poſſeſſio terræ.* MAIMONID. *cap. XI.* §. 15. V.) Par erat ratio donationis, ut ſi quis ex liberalitate alicui dono dederit agrum ſuum hereditarium, illa tamen donatio, anno Jobelæo exſpiret, & priſtinum ager repetat poſſeſſorem, quia, quod verſ. 13. generaliter definitur: תשבו איש אל אחוזתו *quisque revertitor ad poſſesſionem ſuam*, haud dubie quoque prædia donata concernit, eaque heredi ſuo reddit. MAIMONID. §. 19. VI.) Paulo aliter ſe res habet cum ædibus, quas inter, ſitas in urbe muro cincta, & inter domos villares, aut ſitas in urbibus, quæ mœnibus non cinguntur, inſigne intercedebat diſcrimen. Qui vendiderat domum in urbe, quæ muro claudebatur, is quidem ipſe, ſed non æque propinqui ejus, plena facultate gaudebat, redimendi eam a die, quo vendita fuit, intra menſes duodecim, ita tamen, ut univerſum pretium, quod accepit, citra imminutionem, emtori reſtituat. Si redimere vel neglexerit, vel non valuerit, manebit illa in poteſtate emtoris in ſæculum, nec beneficio Jobelæi gaudebit, aut ad primum unquam revertetur poſſeſſorem, per verſ. 29, 30. Quod pariter in donatione obtinebat, ut dono data domus, niſi intra duodecim menſes redimatur, ejus propria evaderet ac maneret, cui hoc munus obtigerat. MAIMONID. *cap. XII.* §. 1, 2, 4. VII.) Contra vero, domos villares, aut in urbibus ſitas, quas murus non ambiebat, ſi venditor, intra XII menſes redimere cuperet, id ſibi habebat integrum: quin &, poſt exactos XII menſes, usque ad annum Jobelæum eadem redimendi, quocunque vellet tempore, facultate gaudebat, ita ut pretium ſecundum uſum definiretur. Sin vero intra iſtud quoque tempus omitteretur redemtio, in Jobelæo, eodem, quo agri, beneficio, domus ejusmodi gratis, ſine pretio, reſtituebatur, juxta verſ. 31. & MAIMONID. *cit. cap.* §. *X.* VIII.) Hic tamen tricantur Judæi, ut nullam civitatem pro vere muro cincta habendam cenſeant, niſi quæ talis erat, cum Joſua Palæſtinam occuparet: quæ enim poſt illud tempus mœnibus communitæ fuerunt, naturam villarum retinere contendunt apud MAIMONID. §. *XV.* quod vereor, ut menti legislatoris reſpondeat. Similiter quoque, Hieroſolymitanæ urbis domos, in plenam proprietatem incolarum conceſſiſſe, negant. IX.) Speciale denique privilegium in his indulſerat Deus Sacerdotibus atque Levitis, ut cum venderent domum aliquam muris cinctæ civitatis, jus haberent perpetuæ redemturæ verſ. 32. Hac tamen cautione adhibita, ut qui redimit, ſit ex Levitis, aut diſcedat emtor a vendita domo, & civitate poſſeſſionis illius in Jobelæo: nam domus civitatum Levitarum ſunt poſſeſſio eorum inter filios Iſrael. verſ. 33. Contra vero agros ſuburbanos civitatum illorum vendere, nefas omnino erat, כי אחזת עולם הוא להם *quia poſſesſio perpetua eſt eis.* verſ. 34. MAIMON. *cap. XIII.* §. 7.

§. XVI. Jobelæi 5) *Obſervatio in Palæſtina.*

Velut obſervatio Jobelæi tantum ad Terram Sanctam ſpectabat, extra quam locum habere non poterat, ita pro triplici, quam Judæi ſtatuunt, Palæſtinæ occupatione, triplicem quoque faciunt annorum Jobelæorum computum. ביאה ראשונה *ingresſionem primam* Talmudici ſub Joſua, ביאה שניה *ingresſionem ſecundam* poſt captivitatem Babylonicam, ſub Eſdra, ביאה שלישית *ingresſionem tertiam* ſub Meſſia ſperandam, tradunt. *a*) Hinc ergo *primam* ducunt ab ingreſſu primo, auſpiciis Joſuæ facto, epocham, cujus numerandi initium a quarto ſupra decimum anno faciunt, teſte MAIMONIDE, qui *cap. X.* §. 2. ita perhibet: ומאימתי התחילו למנות מאחר ארבע עשרה שנה משנכנסו לארץ שנאמר שש שנים תזרע שדך ושש שנים תזמור כרמך עד שיהיה כל אחד מכיר את ארצו: *Quis eſt terminus, a quo numerare incipiunt? a XIV anno adventus in Terram Sanctam, unde dicitur verſ.* 3: *per ſex annos conſeres agrum tuum, & per totidem putabis vineam tuam, donec ſinguli terræ ſuæ partem internoſcere queant.* Nimirum

mirum ſeptem annos in ſubigenda terra, & totidem inſumebant in diſpertienda illa tributim, qui omnes in cyclum non veniunt. Hinc juxta Judæorum epocham, apud MAIMONID. *cit. loc.* annus XXI. ab ingreſſu, qui orbis conditi fuit MMDX. primus fuit Sabbathicus, ac ſeptem poſthæc ſeptenis numeratis annis, celebratus fuit primus Jobelæus, qui cum anno congruit LXIV. poſt occupatam terram. Oppido ergo falluntur, qui apud HOSPINIANVM *de orig. Feſt. Judæor. cap. IX. p.* 44. *a.* inde colligunt, *annum illum* (decimum quintum ab ingreſſu) *Jubilæum primum fuiſſe. Cum enim*, ita pergit HOSPINIANVS, a ſententia illa non multum alienus, *tum primo requiem adepti eſſent, ſine dubio legis Dei memores, & grati, læto illo libertatis clangore terram perſonaverunt.* Jobelæus enim cyclum ſuum non auſpicabatur, ſed finiebat, & in Scriptura quinquageſimus, non primus, numeratur. Sed nec, quo usque hæc periodus duraverit, eodem omnes definiunt modo. MAIMONIDES *cit. cap.* §. 10. ita tradit: משגלה שבט ראובן ושבט גד וחצי שבט מנשה בטלו היובלות שנאמר וקראתם דרור בארץ לכל יושביה׃ בזמן שכל יושביה עליה׃ והוא שלא יהיו מעורבבין בשבט אלא כולן יושבים כתקנן׃ *Ex quo abductæ in captivitatem fuerunt tribus Ruben, & Gad, & dimidia Manasſis, ceſſarunt Jobelæa, quia dicitur verſ.* 10: *Et proclamabitis libertatem in terra univerſis ipſius incolis, illo ſcilicet tempore, quo omnes in ea fuerunt, idque eum in finem, ne tribus invicem permiſceantur, ſed omnes ordine habitent.* Finem ergo primæ Jobelæorum obſervationis, in migrationem conjicit populi trans-Jordanenſis, quando Rex Aſſyriorum, ſubacta regione trans Jordanem, Galilæa quoque & tribu Naphtali domita, populum Iſraeliticum abduxit captivum, & in colonias Aſſyriorum & Medorum diſtribuit, perpetuo ſerviturum 2 Reg. XV. 2 Chronic. XXVIII. PETR. CVNAEVS autem, vir in Hebraica antiquitate verſatiſſimus, & JCtorum Varro, *lib. I. de Republ. Hebr. cap. VI.* longius illam producit *usque ad Sanctuarii prioris deſolationem, quæ facta per Aſſyrios eſt. Exin deſerta incultaque Palæſtina jacuit per annos ſeptuaginta.* Finem ergo nactam cenſet legis agrariæ obſervationem tempore Zedekiæ 2 Reg. XXV. & 2 Chron. XXXVI. Duplici tamen ratione componi hoc diſſidium, atque conciliari poterunt partes: partim, ſi Jubelæos ceſſaſſe dicamus apud utrumque populum, pro utriusque captivitate & exilio, apud Iſraelitas quidem, quando per Tiglath-Pillaſſerum 2 Reg. XV. apud Judæos autem, quando per Nebucadnezarem, ſubjugati fuerunt & captivi abducti 2 Reg. XXV. partim, ſi Judæos, abductis Iſraelitis, numeraſſe quidem Jobelæos atque Sabbathicos cenſeamus, licet jura Jobelæo propria, non amplius obſervarent. β) Hæc etenim ratio fuit Jobelæorum in epocha *ſecunda.* Poſtquam nimirum patriam repetiiſſent, ſoluta captivitate Babylonica, reduces Judæi, Jobelæi quidem in computo, ſed non in obſervatione ſolennitatis ac privilegiorum, rationem habuerunt. Ita rurſus MAIMONID. §. 3. docet: אף על פי שלא היתה שם יובל בבית שני מונין היו אותו כדי לקדש שמיטות׃ *Quamvis non celebraretur Jobelæus ſub templo ſecundo, numerarunt tamen eum, propter Sabbathicorum annorum ſanctificationem.* Templum itaque ſecundum, quod per annos 420 ſartum tectumque permanſit, octo Jobelæos reddidit cyclos, cui, traditione ſic perhibente, vaſtitas illata fuit finito anno Sabbathico, & anno XV Jobelæi noni ineunte. LXX autem annorum captivitatis ratio habetur nulla, æque ut exciſa poſteriori æde ſacra non Jobelæos, ſed Sabbathicos ſolum numerare ſolent, ad hunc usque diem annos, incipiendo ab initio anni excidii feralis, ut rurſus MAIMONIDES habet §. 4. γ) Quam denique ſpem foveant de futuro in patriam reditu ſub Meſſia, ac de *tertia* epocha, MAIMONID. *cap. XII.* §. 16. his prodidit verbis: וכן לעתיד לבוא בביאה שלישית בעת שיכנסו לארץ יתחילו למנות שמטין ויובלות ויקדשו בתי ערי חומה ויתחייב כל מקום שיכבשוהו במעשרות שנאמר והביאך יי׳ אלהיך אל הארץ אשר ירשו אבותיך וירשתה׃ מקיש

מקיש ירושתך לירושת אבותיך · מה ירושת אבותיך אתה נוהג (בה) בחידוש כל הדברים האלו אף ירושתך אתה נוהג בה בחידוש כל הדברים האלו: *Ita quoque facient* (æque ac in ingressu secundo sub Esdra) *sub ingressum tertium, cum congregabuntur in terram, tum Sabbathicos & Jobelæos annos numerare incipient, tum domos urbium mœniis munitarum consecrabunt, tum omnis, quem subegerint, locus decimas exsolvere tenebitur, idque sibi vult, quod dicitur* Deut. XXX, 5: *Et introducet te Jehovah Deus tuus in terram, quam possederunt majores tui, ut illam possideas. Itaque comparatur hereditas tua cum patrum tuorum, quæ enim & a patribus tuis hereditate accipies, & quæ ipse tu hereditario possidebis, novam omnia induent faciem.*

§. XVII. Jobelæi 6) *Causæ Morales.*

Supereſt, ut quæ ritus hujus, Legisque fuerint causæ, indagemus. Harum *aliæ* Morales obſervantur, *aliæ* Spirituales ac typicæ. *Morales* ad hunc modum ediſſerit MAIMONIDES in *More Nevochim P. III. cap. XXXIX.* ex verſione BUXTORFII *p.* 454: *Præcepta illa quod attinet, quæ enarravimus in Halachoth* שמטה ויובל *illa* partim *data ſunt propter miſericordiam erga homines omnes in univerſum, illorumque reſpirationem ac refocillationem, ſicut dicitur:* (Exod. XXIII, 11. Lev. XXV.) *In ſeptimo vero relinques eam atque deſeres, & comedent pauperes populi tui, reſiduum autem eorum comedet beſtia agri &c. & ut terra ita deſerta & relicta tanto uberiores fructus proferat:* partim *in ſpecie, in gratiam ſervorum & pauperum, in remisſione argenti, & manumisſione ſervorum:* partim *ad conſervationem ſuſtentationis & victus hominum perpetuam: ut, quod terra ſemper penes dominos ſuos manere debuit, nec vendi potuit, ſicut dicitur:* (Levit. XXV, 23.) *Terra autem non vendetur abſolute: ut ſcilicet hoc pacto facultates hominis penes ipſum & heredes ejus maneant.* Quæ vereor, ut accurate ſatis ſcopum referant mentemque Legislatoris. Haud dubie exactius definiunt Chriſtiani, quibus potius videtur, voluiſſe Deum his de Jobelæo conſtitutionibus 1) ſui quidem venerationem populo inculcare, & jus ſuum *αὐτοκρατορικὸν* in univerſam tueri terram, cujus ſolum proventus ac uſum, eumque pro ſua ſapientia circumſcriptum ac definitum, minime autem gentium abſolutum ipſis dominium indulſerit, quod diſerte indicat verſ. 23: כי לי הארץ כי גרים ותושבים אתם עמדי: *Mea enim eſt illa terra, quippe peregrini & inquilini vos eſtis apud me:* 2) modum ponere ambitioni & nimiæ habendi cupidini, ne opulentiores prædia omnia & poſſeſſiones alienas ſenſim invaderent, deſtituendis tandem egenis portione in Iſraele; adeoque viam intercludere, ne divites opprimerent egentiores, eosque vel ſub jugum mitterent, vel patrium linquere adigerent ſolum. Id quod Jeſ. V, 8. ſevere deteſtatur Dominus: *Væ his, qui conjungunt domum ad domum, agrum ad agrum copulant, donec non ſit locus, ut collocemini vos ſoli in medio terræ!* Quibus gemella lege Mich. II, 1, 2. Atque huc ſpectat reditus ille poſſeſſionum ad priſtinos in ea quoque tribu dominos: 3) æqualitatem aliquam & proportionem ſervare in populo, ne invidiæ ac murmurationi egentiorum, vel oppreſſioni ac ambitioni opulentiorum, facile pateret locus. Huc faciebat ſervorum manumiſſio, & reditus ad familias cujusque ſuas: 4) tranquillitati conſulere reipublicæ, ſervorum in ſtatum liberum & in avitas poſſeſſiones reſtitutione. *Nam nihil magis turbare poteſt rempublicam,* inquit SPANHEMIUS loco ſupra laudato, *quam numerus & copia ſervorum, tum inopia, quæ homines alias liberos in ſervitute detinet. Hinc natum aliquando bellum ſervile, coeuntibus ſervis, quod olim populum Romanum afflixit:* 5) tribuum cumprimis & familiarum inter Judæos curatum ſervare diſcrimen, ut ſuo tempore conſtaret Meſſiæ venturi cum tribus, tum familia, illa ex Juda, Gen. XLIX, 10. hæc ex Davide 2 Sam. VII, 12 ſqq. Pſalm. LXXXIX.

Cauſa Spiritualis.

Spiritualis autem atque typica ſignificatio annum gratiæ & libertatis, Chriſti morte partum ac redditum, explicate adumbrat; quem clariſſimo ipſe vaticinio prædixit Jeſ. LXI, 1, 2, 3. & cap. LXIII, 4. שנת גאולי *annum redemtorum meorum* appellavit. Tum etenim Servator noſter liberavit omnes, qui mortis metu per univerſam vitam ſervituti erant addicti Hebr. II, 14, 15. Joh. VIII, 36. reditumque paravit ad avitam regni cælorum poſſeſſionem, qua per peccatum excidimus Joh. XIV, 2, 3. Eph. III, 12. Hic annus clangore tubæ Evangelicæ, & intimatione ſolenni, Apoſtolorum & præconum verbi facta miniſterio, promulgatur Zach. IX, 9, 14. Rom. X, 18. Col. I, 28. Spectat huc cumprimis obſervatio viri ἑβραϊκωτάτου, IOH. LIGHTFOOTI, qui *Harmoniæ IV. Evangeliſt. P. III. ad Luc. IV, 19. Tom. I. Opp. p.* 484. pro certo habet ac tuetur, annum mortis Chriſti ſenſu literali ac proprio Jobelæum fuiſſe, Judæos autem forte conſulto in ſcriptis ſuis Jobelæos adeo confudiſſe, ut eluderent manifeſtam harmoniam antitypi typique in morte Chriſti anno Jobelæi. Tandem ſubdit: *Cum autem Deus Chriſti redemtionem vivis adeo coloribus in hoc typo delineaſſet, Jubilæos ita ordinavit, ut ab incepta prima eorum numeratione, eorum plurimi ſingulari quodam eventu inſignes, præter liberationes forent, eorumque poſtremus fuerit ipſe annus mortis Chriſti, ut acute obſervat* BROVGHTONIVS, *qui confesſionem quoque hac ſuper re antiqui* Sohar, *ſeu* R. SIMEONIS BEN IOCHAI *adducit:* בה תהא שכינתא דרור פרות ושנית לישראל: *Majeſtas Dei erit Iſraeli in Jubilæo, libertas, redemtio, finitrixque Sabbathi.* Verum cum BROVGHTONII lucubrationes non ſint ad manus, implicatiſſima autem Jobelæorum ſit Chronologia, vehementer cuperem, ut rationes temporum paulo dilucidius deſcripſiſſet LIGHTFOOTVS. Sed ne hic longiores ſimus, & membra omnia, quibus annus Jobelæus annum gratiæ N. T. repræſentavit, ſigillatim percenſeamus, otium nobis fecit ſolertiſſimus typorum indagator, IOH. BIERMANNVS in *Moſe & Chriſto lib. IV. cap. VIII.* edit. Belg. *p.* 692 *ſqq.* ubi nimis fere operoſam & luculentam typi cum antitypo collationem exhibuit. Sed & SPANHEMIVS *cit. loc. p.* 710. in Hebræorum Jobelæo umbram ſibi reperiiſſe viſus eſt hereditatis æternæ, & ingreſſus in gaudia ſempiterna, quam verbis ſequentibus delineat: *Hujus hic luculenta fuit imago.* I) *quia futurus tum dicitur clangor tubarum, ineunte æterno Jubilæo* 1 *Corinth. XV*, 52. 1 *Theſſ. IV*, 6. II.) *quia futura eſt in cælis a laboribus mercenariis quies, & a ſervitute omni Apoc. XIV*, 13. *tempus ſcilicet quietis & lætitiæ, & libertatis, ubi Manna paratur ſine labore Sap. XVI*, 20. *&c.* III.) *quia futurus tum reditus ad primam poſſesſionem, id eſt, ad paradiſum, ex quo ejectus homo per peccatum.* IV.) *quia futura tum ceſſatio omnium debitorum, hinc anxietatis omnis, quæ naſcitur in obæratis ex metu creditorum.* V.) *quia tum futura in æternum jubilatio & exſultatio Jeſ. LXVI. Pſalm. LXXXIX*, 5. *Zach. IX*, 9. VI.) *quia tollenda tandem erit diſtinctio ſervorum & dominorum Col. III*, 24. *tum ſervus erit par domino, una omnium gloria, uno eodemque denario in ſingulos diſtribuendo Matth. XX*, 9, 10. Scita hæc eſt utriusque comparatio: quo minus autem typum dicamus innatum, & Jobelæi ſolennitate a Deo indicatum, ſilentium prohibet Scripturæ Sacræ, cujus clara & perſpicua deſideramus veſtigia, iſtam quæ innuant & evincant applicationem.

AD

LIB. III. CAPVT XI.

DE FESTO PVRIM, ET FESTO ENCAENIORVM.

Ad §. I. pag. 83.

Pur est vocabulum Persicum] Vocabulum hoc peregrinum tantum in libro Estheræ legitur cap. III, 7. IX, 26. & in numero plurium, פורים cap. IX, 24, 26, 29, 31, 32. Ad primum locum ita interpretatur RASCHI: הוא הגורל הכתוב מפרש ומהו חפור הוא גורל הפיל הגורל באיזה חדש יצליח: *h. e. Sors. Scriptura hic exponit, quid sit Pur, nempe Sors, conjici* scil. *jussit sortem, quonam in mense ipse prospera fortuna usurus esset.* Inde nimirum Festo nomen hæsit, quia sortes jecerat Haman, ut omnes Judæi XIII die mensis duodecimi Adar, h. e. Novilunio Februarii, per universam Regis Ahasveri ditionem delerentur & exstirparentur, velut immiti quoque Regis rescripto, omnibus provinciis id imperatum fuit. Verum vertit fortuna, & quo die Judæorum internecionem speraverant hostes, illo in Judæorum manus inciderunt, & Susis quingenti homines, cum decem Hamanis filiis trucidati, postridie etiam trecenti ibidem occubuerunt. Reliqui vero Judæi, passim in regia ditione, 75 millia hostium interfecerunt, quod idem quoque 13 die contigit, at 14 quieverunt. Ideo in perpetuam rei memoriam constitutum, & Reginæ cumprimis literis & auctoritate communitum fuit, ut 14 & 15 diem mensis Adar, festos agerent; ita tamen, ut primus dies sanctius & solennius celebretur, quam secundus: quia in illis diebus Judæi se de inimicis suis ulti, & luctus atque tristitia in hilaritatem & gaudium conversa erant, & ut dies isti, dies lætitiæ atque epularum essent, quos vertente semper anno, solenni celebrarent honore, ut est Esther. cap. IX. Pluribus hæc edisserit WILHELM. SCHICKARDVS oratione *de Festo Purim* Tubingæ habita, An. 1634. die 12 Febr. insertaque *Tomo VI. Critic. Sacr. col.* 483 *sqq.* ubi in *Not. ad Orat. f.* 490. idem observat, quod, quando Judæi annum habent bissextilem, & Adar geminatur, tunc quoque geminum habeant Festum Purim, & prius קטון, posterius גדול vocent. Certis enim Kalendarii regulis nondum excogitatis, fluente jam mense Adar, ignorari adhuc potuit, an socium embolismæum sit habiturus, nec ne; atque ita celebrandum erat Purim, quod mox repetendum, pari ratione, qua librum Estheræ, insequentibus se mutuo duobus Adar, bis legere solent, ut est in Tract. *Megilla cap. I.* §. 4. Ast contra institutionem Festi Purim, per Estheram & Mardochæum, LXXXV Seniores, quorum plures quam XXX erant Prophetæ, cavillatos fuisse, ut novaturientem contra legem, traditur in Talm. Hierosolym. Tract. *Megillah fol.* 70. *col.* 4. observante LIGHTFOOTO *Hor. Hebr. in Joh. X*, 21. *Opp. Tom. II. p.* 645.

Celebratio Festi ita habet: I. Pridie Festi, die nempe XIII mensis Adar, *jejunium* celebrant, non quidem ex præcepto Dei, sed מדרבנן *Rabbinorum*, quod præceptis Divinis æquipollet. Hoc faciunt exemplo Estheræ, unde quoque תענית אסתר *jejunium Estheræ* appellant. Quamvis enim Regina, non hoc die, sed primo mense Nisan, nec unico tantum die, sed continuato triduo jejunarit, una cum gynæceo suo, & omni Synagoga Susensi; præstare tamen dicunt hodie, quando facti memoria recolitur tantum, ut velut in Tragœdia, protasis & epitasis haud nimis longe divellantur. Itaque regulariter, pridie lautitiarum, evacuant stomachos inedia, ut bene sobrii attentius prælectionem libri Estheræ auscultent. Quodsi tamen Sabbatho incidat Purim, retrahunt jejunium ad feriam quintam, ne scili-

cet Veneris die, quo Sabbathicus cibus coquitur, & neceſſario prægustandus eſt, inediam parum religioſe ſervent. Recentiores circa hoc jejunium controverſias, exponit & Rabbinorum ſuffragiis dirimit SCHICKARD. *cit. loc. Not. ε. p.* 491. Sequitur II. *Lectio* libri Eſtheræ, quæ cum nocte inchoatur, quamprimum ſtellæ promicant. Tum gaudii teſtandi cauſa candelas accendunt, & חזן volumen Eſtheræ explicat, inſtar *Sepher thorah*, aperit, & a principio ad finem usque, ſine intermiſſione, perlegit. Multum tricantur Magiſtri in Maſſ. *Megilla* tum circa Lectorem & lectionem ipſam, tum circa Codicem, ex quo illa peragitur, quas nænias ibidem cognoſcas. Præmittuntur a Præcentore lectioni tres precatiunculæ: una, quia digni ſunt habiti, hæc Sacra tractare; altera, quod miraculoſe Deus olim majores conſervarit; tertia, quod huc usque vixerint, ad eam feſtivitatem. In ipſa lectione, quinque libelli loca, quantum poteſt altiſſima voce, ſtentor ille proclamat, adeo ut hac immani vociferatione pueri ac mulieres exterritæ conſternentur. Cauſas clamoris ſciſcitatus SCHICKARDUS, ex ore ſenis cujusdam Rabbini tres intellexit, lætitiam ſcilicet, attentionem juniorum, & ſomnolentorum per vices excitationem, quia hæc noctu peraguntur. Cum ad catalogum decem filiorum Hamanis eſt ventum, feſtinant homines-uno-halitu-continuato-ſine-interſpiratione-inſtar-alicujus-longiſſimæ-dictionis pronunciare, quod ſimiliter animam omnes efflarint illi, uno eodemque momento. Quotiescunque Haman nominatur, auditores clamant, ימח שמו *deleatur nomen ejus*, vel ex Prov. X, 7. שם רשעים ירקב *nomen impiorum putreſcat.* Quin & pueri ad hoc nomen inſignem edunt ſtrepitum, malleis & piſtillis, ad id factis, ſcamna certatim pulſantes, ac ſi caput ſui quondam hoſtis ita tunderent, ut præ ictuum fragore nil aliud exaudiatur. Finita lectione, omnes & ſinguli dicere tenentur: ארור המן ברוך מרדכי *maledictus ſit Haman, benedictus Mardochæus:* ארורה זרש ברוכה אסתר *maledicta ſit Zereſch, benedicta vero Eſther:* Zereſchæ enim nomen fuiſſe uxori Hamanis ex Eſth. VI, 13. intelligitur: ארורים עובדי ע״ז ברוכים כל ישראל *maledicti ſint omnes idololatræ, benedicti omnes Iſraelitæ:* וגם חרבונה *& ipſe quoque Charbona,* שעל ידו נתלה המן *cujus manu ſuſpenſus eſt Haman.* Vbi tamen ſuam erga Chriſtianos acrimoniam produnt, & in eos has diras detorquent. Ad hanc autem lectionem auſcultandam omnes ſunt adſtricti, cujuscunque fuerint conditionis vel ætatis, Sacerdotes, Levitæ, Iſraelitæ, ſervi, nothi, ſpurii, Proſelyti, Nethinæi, hermaphroditi &c. quia omnes fructum illius miraculi perceperunt; mulieres quoque, quia per mulierem, Eſtheram id factum fuit; demum pueri a teneris huc ſunt aſſuefaciendi. Finita lectione domum quisque ſuam repetit, & in cœna non tam carnibus, quam lacticiniis veſcuntur. Exorto ſequente die 14 Adar, ſummo diluculo in Synagogam ſe denuo conferunt, Hamanis hiſtoriam iterum relegunt, eodem ritu comploſionis, quo heri: & ſic pietate ſe ſatis defunctos arbitrantur. III. Quod ſupereſt Feſti biduum, *conviviis*, crapulæ, otio, & ludis, quin & ſaltationibus locant. Quin & in Talm. Tract. *Megilla fol.* 7. *col.* 2. diſerte tradunt: *Tenetur homo in Feſto Purim eo usque inebriari, ut nullum diſcrimen norit, inter maledictionem Hamanis, & benedictionem Mardochæi.* Veſpera cumprimis ſecunda, vino calefacti, induunt viri feminarum veſtes, & hæ viciſſim illorum, & ſic perſonati diſcurſitant inſtar inſanientium: idque cum Lege Moſis prohibitum legatur Devter. XXII, 5. ad ſolum adulterandi animum prohibitionem reſtringunt, ſibi autem hoc Feſto licitum iſtud pronunciant למען שמחה *lætitiæ ergo*, & לכבוד יום טוב *in honorem feſtivitatis.* Demum IV. מתנות *dona* ſibi invicem amici mittunt, diſcipuli præceptoribus, domini ſervis, majores minoribus, maxime ditiores pauperibus, ut & ipſi pro conditione ſua digne Feſtum celebrare poſſint. Vix autem alia ſunt munera, præter eſculenta & potulenta. Hoc fine in prima veſpera ſtipem liberaliter conferunt in Synagoga divites, ac ſequenti mane ſummo diſtribuunt inter egenos;

nos, hac tamen lege expressim addita, ut comparent inde edulia, ac totam absumant in celebritatem Festi tantum: reos namque fieri profanatæ solennitatis, quicunque in alios usus convertere ausint. Vide, præter laudatum SCHICKARDVM, BVXTORF. *Synag. Jud. cap. XXIX. p.* 553. & BARTOLOCC. *Biblioth. Rabb. Tom. I. p.* 693. qui istas Judæorum ineptias copiose sunt prosequuti, quibus IOH. LEVSDENI adde *Philol. Hebræo-mixtum Dissert. XL. p.* 305. ubi easdem æri incisas oculis subjecit.

Ad §. III. pag. 83.

(2) *Festum Initiationis*] Hebræis חנוכה *Initiatio, Dedicatio,* a חנן *initiavit, instruxit, dedicavit,* legiturque tam de domo privata Devter. XX, 5. quam de Templo, 1 Reg. VIII, 63. ita חנכת המזבח *initiatio altaris* celebratur Num. VII, 10. Græci Ἐγκαίνια dicunt, ab ἐγκαινόω, *innovo,* vel, *rem profanam facio sacram.* Confer, quæ de nomine Festi erudite congessit LAMPE *Comment. in Joh. XX,* 22. ubi pariter sex Encænia memorat, solennia Judæis, e quibus tamen sola huc spectat initiatio Hasmoniaca.

Ad §. IV. pag. cit.

(3) *Est Festum initiationis altaris*] Recte Auctor natales hujus festi a Juda Maccabæo arcessit, qui annis circiter 162 ante C. N. in memoriam initiati altaris istud instituit, 1 Maccab. IV, 59. Ille enim, postquam Græcos sub Antiocho Epiphane Hierosolymorum vastatores, qui Templum polluerant, & sacrum oleum perdiderant, vicisset, urbem recuperasset, Templumque denuo consecrasset, in insignis istius beneficii recordationem, festum quotannis octiduanum, a die 25 mensis Cislev incipiendo, cum lætitia & gaudio celebrandum, edixit. IOSEPHVS *lib. XII. Antiqu. Jud. cap. VII.* §. 8. edit. Haverkamp. *p.* 617. Festi primordia ita edisserit: *Egit Judas cum civibus per octo dies instaurationem sacrificiorum in Templo, nullum omittens lætitia genus, sed magnificis splendidisque sacrificiis eos excipiens, hymnis etiam & psalmis Deum quidem honorans, populares vero oblectans. Tantum autem gaudii ceperunt ex hac rituum restitutione, libertate religionis post multum temporis inexpectato recuperata, ut legem posteris fecerint, quotannis solennes agere dies octo, ob res Templi restitutas: & ex eo tempore in hodiernum usque diem celebramus id solenne, quod dicitur* φῶτα *lumina*, seu Festum luminum, הדלקת נרות *Accensio lucernarum* Judæis vulgo dictum: ἐκ τοῦ παρ' ἐλπίδας οἶμαι, ταύτην ἡμῖν φανῆναι τὴν ἐξουσίαν, τὴν προσηγορίαν θέμενοι τῇ ἑορτῇ, *hac festivitati, ut opinor, indita appellatione, quod illa nobis ex insperato affulserit agendi potestas.* Sed rectius observant viri docti, ab usu lucernarum plurimarum, quibus hoc Festum celebrari consuevit, id nominis ei hæsisse; ut mox pluribus audiemus. Quanquam alii ex Judæis malint ex miraculo, circa oleum in repurgatione Templi purum inventum, patrato, hoc nomen derivare, de quo copiose commentatur SELDENVS *lib. III. de Synedriis Hebr. cap. XIII.* §. 9. Originem autem Festi, nonnulli Judæorum pariter ac Christianorum, ad victoriam Judithæ referunt, cujus certe commemoratio hoc Festo contineatur. Attamen hæsitant in definienda Juditha, an filia Merari intelligatur, ob victoriam in decollatione Holofernis celebris, an filia Hasmoniaca, ob simile in Nicanorem facinus decantata? Quod commentum denuo erudite discussit & explosit laudatus SELDENVS *cit. loc.* §. *X. & XI.* Fidem certe non meretur hæc sententia, quam eidem quoque detrahit BVXTORF. *in Synag. Jud. cap. XXVIII.* circa fin. *p.* 552. Quæ autem de ista quæstione controversia fuit agitata, inter PETR. DAN. HVETIVM negantem, quod ulla festivitatis, ex facto Judithæ oriundæ, in Hebræorum libris occurrat memoria, & IOH. FRIDER. BREITHAVPTIVM affirmantem, laudatus memorat LAMPIVS *in Not. c. l. p.* 685.

Celebratio Festi non tam religioso, quam Sardanapalico peragitur more, comessando, genio suo indulgendo, & in diem vivendo. Præcipuus autem

autem & necessarius ejus ritus est candelarum accensio. Candelabrum quippe, septem sive lampadibus olei puri, sive cereis instructum, suæ quisque domi habet, & ita accendunt, ut nocte prima accendant lampadem, sive candelam unam, secunda duas, tertia tres, & sic porro per integrum septiduum, singulis diebus unam addendo. Libentius oleo utuntur olivarum, quia miraculum circa oleum contigit, quod tamen si ad manus non fuerit, ejus in locum cereos surrogant. Mulieres autem lucernas has accendunt, quia & illæ comprehensæ in isto miraculo fuerunt: aut quod mulieres quoque conati fuerint inimici sub potestatem redigere, & ad superstitiosum suum cultum perducere, sed a Deo miraculose præservatas: addunt nonnulli, quod miraculum acciderit per miraculum Juditham. Eaque lucernarum accensio adeo est necessaria, ut si pauperi cuidam non suppetat, quod comedat, nisi ex collecta stipe, emendicet aut vendat vestimenta sua, ut oleum & lucernas sibi comparet ad festivitatem rite celebrandam; juxta MAIMONID. Hilc. *Chanucca cap. IV.* Eadem tamen accensione omnis Festi celebritas absolvitur, cum opera his diebus, velut Sabbatho, aut in ceteris festis, non sint prohibita, modo non ad lampadem festi fiant, sed ad usum domesticum alio utendum est lumine. Legunt hoc die in Synagogis Num. VII. caput, quo dedicatio Tabernaculi describitur. Ex traditione enim se nosse perhibent, quod structura Tabernaculi die 25 mensis Kislev sit absoluta, & eodem quoque miraculum olei contigerit. Hunc ergo diem ita censeri, ac si Sanctuarium de novo esset consecratum, postquam a Græcis fuerat pollutum.


Ad §. V. pag. 83.

(4) *Loquitur Johannes*] Ad Joh. X, 22. *in Horis Hebr.* notat LIGHTFOOTVS, notanter addi: ἐν Ἱεροσολύμοις. Non enim, ut Pascha, Pentecoste, & Scenopegia, hoc Festum Hierosolymorum urbi erat adstrictum, sed ubivis locorum celebrabatur per totam regionem. Maxime, cum non certa requireret sacrificia, quæ extra Templum offerre nefas erat, sed sola lectione statæ sectionis legis, & cumprimis accensione lucernarum absolveretur, quæ ubivis locorum poterat obtinere. Confer etiam, quæ copiose ad h. l. commentatus est FRANC. GOMARVS *Opp. Tom. I. p.* 440. ubi ex instituto de Encæniis: ex diserte autem addita temporis notatione, καὶ χειμὼν ἦν, curate definit, in cujus dedicationis memoriam, hoc Festum fuerit observatum.

Quia denique interdum usu venit, ut solenne Christianorum festum, quo Nativitatis Christi memoriam celebrant, in eosdem cum Encæniis Judæorum dies incidat, fuerunt nonnulli, qui hanc Festi nostri in hoc tempus conjiciendi occasionem causamque Christianis primitivis fuisse autumant, de quorum sententia LAMPIVM consule *in Not. ad l. c. p.* 687. & WOLFIVM *in Curis Exeget. ad eund. loc. p.* 912. ubi simul uterque Auctores larga manu suppeditant, qui de hoc Judæorum festo fuerunt commentati.



ANNO-



ANNOTATIONES
AD
LIBRVM IV.
DE IDOLOLATRIA.
CAPVT I.
DE INITIO IDOLOLATRIAE.

Vltimam idololatriæ originem investigaturi, ad tria attendere momenta necessum habent, ad ætatem, auctorem, & causam ac modum. *Aetatis* duas constituimus periodos, alteram ante diluvium, alteram post restauratum, Noachidarum amplificatione & cultura, orbem. Priorem in dubium vocarunt nonnulli, ex veteribus CYRILLVS ALEXANDRINVS *lib. III. contra Julian.* & LACTANTIVS *lib. II. Instit. Divin. cap. XIV.* ex recentioribus IOH. OWENVS *Theologumen. lib. III. cap. III.* §. 5. coll. *lib. II. cap. III.* §. 16. & IOH. FRANC. BVDDEVS *Hist. Eccles. Vet. Test. Per. I. Sect. I.* §. 36. & *Sect. II.* §. 12. homines antediluvianos in atheismum potius, quam superstitionem prolapsos, causati. *Scelere idololatriæ adstrictos fuisse, nullum testimonium extat, nullum probabilis conjecturæ faciendæ fundamentum,* inquit OWENVS. Verum, cur Cainitis quoque idololatriam tribuamus, cum IOH. HENR. HEIDEGGERO *in Hist. Patriarch. P. I. Exerc. VIII. p.* 245. certas, gravesque habemus causas. Quando enim in ψευδοδιδασκάλους ævi sui animadvertit Judas Apostolus, istud cumprimis in vitio ipsis ponit vers. 11. ὅτι τῇ ὁδῷ τοῦ Κάϊν ἐπορεύθησαν. Velut autem ὁδὸς Κυρίου Jer. VI, 16. Actor. XVIII, 25, 26. & alias passim, veram de religione & cultu sententiam notat, alias quoque plenius ἡ ὁδὸς τῆς δικαιοσύνης dictam, 2 Petr. II, 21. sic opposita eidem seductorum ὁδὸς, haud dubie & ad errores mentis, & ad depravationem cultus, erit referenda. Nec dubitare sinit gravis sanctissimi Numinis querela, de abundante super terram hominum malitia, & quod terra corrupta esset coram Domino, omnisque caro viam suam corruperit, adeo ut diluvio immisso totam hominum universitatem delere constituerit, Genes. VI, 5, 11, 12, 13. Jam in corruptelis viæ religionis, perditissima est creaturarum veneratio, docente Paulo Rom. I, 22, 23, 25. Hanc itaque a tanto scelerum cumulo abfuisse, quis facile credat? Accedit comparatio depravati cultus, inter tempora diluvium antegressa, & idem subsecuta Genes. VI, 4, 5. VIII, 21. quin & inter ista, atque ætatem, quæ Novi Fœderis

felicitatem orbi attulit 2 Petr. II, 5, 10 sqq. Posteriore autem ista, cum idololatriæ βδελύγμασι vel maxime laborarent Jos. XXIV, 2. 1 Corinth. XII, 2. Ephes. II, 1, 2. IV, 17, 18. eandem ab antediluvianorum perversitate minime alienam fuisse, haud obscure colligitur. Vt licet cultus idolorum nulla diserta mentio injiciatur a Mose, ille tamen liquido constet ex allatis. Adstipulatur ANTON. CREGVTVS, quando *in revelatore Arcanor. cap. IV. p. 229 sq.* observat, eodem fere tempore, quo in sanctissima Sethi sobole הוחל cœptum est invocari nomen Dei, ab impia Caini posteritate cœptum quoque esse, profanis cultibus nomen Dei profanari. Post diluvium autem, idololatriæ, infaustis auspiciis in orbem postliminio velut revocatæ, periodum, citra hæsitationem ad confusionem labii, & primam gentium dispersionem Genes. XI, 9. coll. cum X, 24. referimus. Ab Ecclesiæ gremio ejectis aut avulsis mortalibus, traditionis male tenacibus, & opum, potestatis, tyrannidis cupidine abreptis & actis, in depravationem cultus, tandemque in idololatriam prolabi, admodum fuit proclive. Testatur quoque omnium ætatum & gentium exemplum. Quanquam vero annum & cardinem, quo invecta in mundum sit, haud temere definimus, attamen non ita multo post secessionem in varias orbis partes, ortum cepisse ex Jos. XXIV, 2, 15. & Jobi XXXI, 26, 27. satis apparet. Abrahami certe ætate, longe lateque rerum potientem idolorum cultum, diu ante cœpisse oportuit.

Pergimus ad *auctorem.* Hunc, juxta cum ætate, omnino ignorari contendit BVDDEVS *c. l. p. 242. Lubenter,* inquiens, *fatemur, ignotum nobis esse, quando, aut quo auctore, idololatria introducta sit: id saltem constare, factum id post diluvium, antequam Abrahamus patrios lares deserere a Deo juberetur.* Sed bene ponderatis, quæ præmisimus, argumentis nulli dubitamus, prioris Cainum, posterioris, infaustam Chami propaginem, Nimrodum, constituere parentem, ita tamen, ut non diffiteamur, eorum posteros, ubi semel cœptum erat a veritatis tramite declinare, quo longius in errore progrederentur, eo quoque absurdius cultum instruxisse. Vterque imperium & dominium in homines affectabat, exstructa urbe, & exercita in eos, qui contra ipsorum niterentur molimina, tyrannide & sævitia Genes. IV, 17. X, 8 sqq. Ne itaque veri Numinis timore ad rectam alii perducerentur viam, & ad veram reverterentur Ecclesiam, novam & ad emolumentum suum compositam invenerunt superstitionem, qua in officio subditos eo continerent facilius, & ad suam conformarent voluntatem. Istud tyrannis, novumque molientibus regnum, solenne ac in more positum esse, Jerobeami 1 Reg. XII, 28 sqq. & Muhammedis exemplo, aliisque similibus evincitur. Cum itaque a primæva & genuina jam deflexissent mortales, religione, & incerto huc illud fluctuarent turbine, quid obstabat, quo minus Satanas illos in abominabilem Deo idolomaniam conjiceret, maxime quando cum spurcitie, libidine, vagisque cupiditatibus, illa esset conjuncta? Cainum quidem, licet novos ritus suo arbitratu usurpasse largiatur OWENVS *lib. III. cap. III. §. 3.* ab idololatriæ tamen crimine absolvit. *Neque enim,* inquit, *Caino eatenus hominem exuere possibile erat, ut alios sibi Deos fingeret, post expressam & apertam istam, quæ eum inter & Jehovam, omnium creatorem intercesserat, communicationem.* Sed nec opus habebat ille, hominem exuere, verum postquam fœderi Divino, & puriori cœtui nuncium miserat, suoque tantum honori & commodis, geniique cupiditatibus consulere constituerat, cur non eadem protervia, si minus Deos alios fingere, verum certe Deum, sub solis, astrorum, quin & imaginum symbolis, venerari & colere potuerit? Quod ad sequiorem diluvio idololatriam attinet, ejus primordia EVSEBIVS *in Chron. p. 13.* CEDRENVS *Comp. Histor. cap. XXXVI.* EPIPHANIVS & SVIDAS, a Serugo arcessunt, Regu filio, ex Semi progenie oriundo: sed omni prorsus destituti colore, nisi quod is in proximis esset Abrahami majoribus, quos idolis serviisse Scriptura testatur. Reliqua fabulis superstructa nituntur. Potuit ergo Serug idolo-

idolorum cultu correptus fuiſſe, eam autem primum introduxiſſe, unde probabitur?

Occaſionem denique, *cauſamque* huic veſaniæ ſubminiſtraſſe cenſet Auctor noſter infinitam Dei & incomprehenſibilem majeſtatem, natamque hinc fluctuationem & ignorantiam, quinam ſummus eſſet & verus Deus, cui ſacra facere cupiebant? Eruditiſſimus VOSSIUS *lib. I. de Orig. & progreſſu Idolol. cap. IV.* hominum partim ignorantiam cauſatur, & vincibilem quidem illam, partim cultus, quem neceſſarium agnoſcebant, a Deo creatore ad creaturam translationem. Nobis tres jungendæ videntur eſſe cauſæ: ſeparatio ab Eccleſia, & orbatio verbi divini, quod in puriore ſolum cœtu ſonabat, & crebris Dei apparitionibus confirmabatur ſubinde, & dilucidius exponebatur: extrema humani ingenii circa res divinas, non cœcitas modo & corruptio, ſed in abſurdos quoque, craſſoſque errores propenſio, quo Paulinum ſpectat oraculum Rom. I, 21, 22, 23, 25. a VOSSIO egregie illuſtratum: Satanæ denique deceptio & inſtinctus, qui ſolet corrumpere τὰ νοήματα impiorum, eosque ſeducere a ſimplicitate & puritate verbi 2 Cor. XI, 3. Nec multum refragabimur MAIMONIDI, quando Hilc. *de Idololatria cap. I.* §. 1. initium criminis factum fuiſſe cenſet a cultu Solis, Lunæ & ſiderum; modo Enoſum ſceleris, cujus ipſe eum arguit, purum pronunciaverimus. Placent, quæ huc affert HEIDEGGERUS *c. l.* §. *IV. pag.* 248. *Proclivis fuit talis ſuggeſtio Satanæ: Deum in cælo, velut ſpecula quadam edita, ſedentem curare cæleſtia: at inferioribus Diis, filiis, miniſtris ſuis, eum in finem creatis, mandaviſſe curam ſublunarium, ut inferiores mundi partes regerent, & res hominum benigne juvarent. Hos in ſublimi locatos, quotidie conſpici oculis, eorum virtutem & influxum percipi: proinde religioſe colendos, eorundemque interceſſione Numen, quotidianis peccatis infeſtum, placandum & reconciliandum eſſe. - - Præterea ſummum illud Numen, tanquam* ἀνέφικτον καὶ ἀόρατον, *nec videre, nec comprehendere potuerunt. Tum etiam majores poſteris ſuis maxima Dei miracula, quæ vel viderunt, vel audiverunt ipſi, tradere neglexerunt. Unde pronio impetu deflexerunt ad cultum eorum, quæ videri poterant, & quorum maxime beneficiis juvari ſe animadverterant, Solis, Lunæ, ceterorumque id genus.* Poſt ſecuta fuit θρησκεία Ἀγγέλων, *veneratio Geniorum*, ſeu Dæmonum: hinc Heroum, & hominum præclaris facinoribus inclutorum: donec tandem ad cultum prolaberentur ſtatuarum, imaginum, arborum quoque & herbarum, immo brutorum, reptilium, & abjectiſſimarum rerum. Hinc, quicquid eſt paganæ ſuperſtitionis, ad duo ſumma revocat capita SELDENUS *de Diis Syris Prolegom. cap. III. a princ.* ad cultum Siderum, & ad cultum Dæmonum. Paulo aliter haud ita pridem inſtituit vir in Galliis, ingenio & doctrina pollens, PLUCHE *dans l' hiſtoire du Ciel lib. I. cap. I. p. 25 ſqq.* In Aegypto cumprimis, quo Chami filius Mizraim delatus, ſedem cum ſuis fixit, cum Deos, tum ſimulacra eorum, neceſſitati temporum, & ruditati gentis, ortum ſuum debere perhibet. Ante enim, quam ſcribendi artificium excogitaretur, magiſtratus atque Sacerdotes, certis quibusdam ſymbolis & figuris populum monuiſſe, quid e re ſua, quid e ſalute reipublicæ foret. Prima omnium cenſet ſigna Zodiacalia, a primis Aegypti colonis, non tam inventa fuiſſe, quam per traditionem accepta & conſervata. Hinc ex aſtrorum obſervatione, Nili cognoviſſe exundantiam, a qua omnis Aegypti fertilitas pendet & felicitas, & qua anni tempeſtate illa immineat, qua viciſſim aquæ ſubſideant, locumque ſementi ac meſſi faciant, per ſymbola quædam v. g. ſolis, terræ, ventorum, caniculæ &c. incolis provinciæ ſignificaſſe. Ex his ſymbolis Anubim הנבח/ Sphingem שפע/ Oſiridem אחוי ארץ/ Serapidem, Iſidem, Horum, aliaque id genus, & nomina enata fuiſſe, & ænigmata, homines officii ſui admonentia, & facillima intellectu, quæ tamen ſequiori ætate omnia in Numina degenerarint. Conjecturas exponit Vir doctus, ſed ingenium ſpirantes, nec a veri ſpecie multum recedentes, quas qui cognoſcere cupit, commentarium illum evolvat. De origine autem & cauſis idololatriæ, poſt allegatos

gatos jam OWENVM, BVDDEVM, HEIDEGGERVM, GERH. IOH. VOSSIVM, & SELDENVM, vide EDOARD. HERBERTVM DE CHERBVRY *de religione Gentilium, errorumque apud eos causis cap. II. sqq.* IOH. CVNR. DIETERICVM *in Antiquit. Bibl. Vet. Test. p. 547 sqq.* PETRVM IVRIEV *Hist. Crit. Dogmat. & Cult. P. III. cap. II.*

Ad §. II. pag. 84.

(1) *Hac generali formula: Dii, Deæque omnes*] Non propter incertitudinem solum, sed & compendii gratia, & ne quem, in tanta Deorum turba recensenda, oblivioni forte traderent aut omitterent, post specialia ad eam rem, de qua agebatur, invocata Numina, confuso & communi complexu reliqua omnia his verbis comprehendisse, docet SERVIVS *ad* VIRGILII *cit. Georgic. lib. I. vers.* 21. ita commentatus: *Post specialem invocationem, transit ad generalitatem, ne quod Numen prætereat, more Pontificum, per quos, ritu veteri, in omnibus sacris, post speciales Deos, quos ad ipsum sacrum, quod fiebat, necesse erat invocari, generaliter omnia Numina invocabantur.* Ita pariter PLAVTVS *in Pœnulo Act. V. Sc. 4. Dii, Deæque omnes, vobis habeo merito magnas gratias.* Plura in hanc sententiam leges, ex CICERONE, LIVIO, SENECA, aliisque priscis Scriptoribus collecta, apud BARNAB. BRISSONIVM *lib. I. de Formulis*, edit. Mogunt. *p.* 54.

Ibidem.

(2) *Altare ejusdem Inscriptionis, Actor. XVII, 23.*] De ara, Athenis Ἀγνώςῳ Θεῷ dicata, cujus argumento Paulus Atheniensibus ignorantiam quidem veri Dei tribuit, aliquam tamen non denegat notitiam, tot fere sunt sententiæ, quot Interpretes. Conferatur πολυμαθέςατος WOLFIVS, qui *in Curis Philol. h. l.* cum doctorum labores, tum opiniones diversas confertim exhibet; cui adde STEPHANI CLOTZII *Præfation. ad Theolog. naturalem §. V sq.* ubi cum cura hunc locum excutit, tandemque in ea sententia acquiescit, Athenienses, sive a Sibyllis, sive a Philosophis, sive a Judæis edoctos scivisse, verum Deum esse absconditum, sublimem, invisibilem, ineffabilem, incomprehensibilem, & inde occasionem accepisse, erigendi aram ignoto Deo, h. e. incomprehensibili, nobisque quoad naturam abscondito, & ineffabili. Vulgata quoque alia fuit apud gentes opinio, in intimis templi Judaici penetralibus, quæ præter Summum Sacerdotem videbat nemo, esse Numen aliquod, quod notum licet fuerit quoad nomen Judæis, apud exteros tamen & profanos prorsus ignotum sit & ineffabile. Ignotus igitur ille Deus, est maximus ille cæli terræque opifex, quem Atheniensibus Paulus hac oratione commendat, & ad cujus venerationem illos tam sancte & sollicite hortatur. Verum itaque Deum indigitabant, sed qui incertus ipsis ac ignotus erat, quia dicere non possent, utrum foret Saturnus, an Jupiter, vel Mars, vel quo tandem vocabulo gauderet. Eodem tendit supra laudatus VOSSIVS *lib. I. cap. II. pag.* 8. æque ac DAN. HEINSIVS *Exercit. Sacr. lib. V. cap. X. fol.* 207. causamque allegat, quia Judæi τετραγράμματον Dei nomen non efferebant vulgo, ne gentium ludibrio exponeretur, vel etiam in populo Dei vilesceret; nec gentes ex cultu Judaico, qui ab Deorum gentilium cultu plurimum distabat, certi quid colligere poterant: hinc Deum summum Atheniensibus fuisse ignotum, interim aliquo modo cognitum: cognitum confuse & potentia, ignotum distincte & actu. Quæ ad explanandam Pauli orationem sufficere existimo.

Ad §. III. pag. 85.

(3) HIERON. *ad Tit. I,* 12.] Ille Inscriptionem fuisse perhibet: DIIS. ASIAE. ET. EVROPAE. ET. AFRICAE. DIIS. IGNOTIS. ET. PEREGRINIS: & addit: *verum, quia Paulus non pluribus indigebat Diis ignotis, sed uno tantum ignoto Deo, singulari verbo usus est, ut doceret illum suum esse Deum, quem Athenienses in aræ titulo prænotassent.* In eadem fere sententia acquiescit ISAAC. CASAVBONVS *Annot.*

Annot. in ATHENAEVM *lib. IX. c.* 3. Licet vero essent aræ, ejusmodi inscriptione ornatæ: ΘΕΟΙΣ. ΑΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΕΥΡΩΠΗΣ. ΚΑΙ. ΛΙΒΥΗΣ. teste PAVSAN. *in Atticis lib. I.* & PHILOSTRATO *l. VI. c.* 2: Paulus tamen id sibi sumsisse credendus non est, ut titulum mutaret adversus *πολυθεότητος* assertores, qui falsi eum hoc nomine haud dubie postulassent, maxime cum LVCIANVS *in Philopatride* inscriptioni Paulinæ adstipuletur, eamque sub finem dialogi denuo illustret. Hinc OECVMENIVS *Comment. in Act. XVII.* hanc inscriptionem plenius exhibet, ejus ut posterius membrum in singulari efferatur hoc modo: ΘΕΟΙΣ. ΑΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΕΥΡΩΠΗΣ. ΚΑΙ. ΛΙΒΥΗΣ. ΘΕΩι. ΑΓΝΩΣΤΩι. ΚΑΙ. ΞΕΝΩι. Vltima ergo verba Paulum retinuisse, & in usus suos vertisse: quod tamen denuo aliis improbatur.

Ad §. IV. pag. 85.

(4) *Vt tegeretur nomen Deum Tutelarium*] Romanis maxime in usu positum fuisse, ut Deos Tutelares silentio premerent, liquido docet PLINIVS *lib. XXVIII. Hist. Nat. cap. II.* VALERIVS FLACCVS, inquiens, *auctores ponit, quibus credat, in oppugnationibus ante omnia solitum, a Romanis sacerdotibus evocari Deum, cujus in tutela id oppidum esset: promittique illi eundem, aut ampliorem locum apud Romanos, cultumve. Durat in Pontificum disciplina id sacrum constatque ideo occultatum, in cujus Dei tutela Roma esset, ne qui hostium simili modo agerent.* Qui ergo venerari illos cuperent, *Deos patrios indigetes* appellasse, ne nomen proderent, testis est BRISSONIVS *cit. loc. pag.* 50 *sq.*

Ad §. IV. pag. cit.

(5) MACROBIVS *Saturnal. lib. III. cap.* 9.] Toto isto capite, de carmine, quo evocari solebant Dii Tutelares, ex instituto agit MACROBIVS, & ita præfatus: *Constat enim, omnes urbes in alicujus Dei esse tutela, moremque Romanorum arcanum & multis ignotum fuisse, ut, cum obsiderent urbem hostium, eamque jam capi posse confiderent, certo carmine evocarent Tutelares Deos: quod aut, aliter urbem capi posse, non crederent, aut, si posset, nefas æstimarent, Deos habere captivos:* tandem carmen ipsum his conceptum verbis prodit: *Si Deus, si Dea est, cui populus, civitasque Karthaginiensis est in tutela, teque maxime, ille qui urbis hujus popolique tutelam recepisti, precor, venerorque, veniamque a vobis peto, ut vos popolum, civitatemque Karthaginiensem deseratis, loca, templa, sacra, urbemque eorum relinquatis, absque his abeatis, eique popolo, civitatique metum, formidinem, oblivionem injiciatis, proditique Romam, ad me meosque veniatis, nostraque vobis loca, templa, sacra, urbs acceptior, probatiorque sit, mihique, popoloque Romano, militibusque meis præpositi sitis, ut sciamus, intelligamusque. Si ita feceritis, voveo vobis templa, ludosque facturum.* Huic aliud jungit carmen, quo urbes aut exercitus hostiles devoveri solebant, quod qui cupit, ibi legat.

Ad §. V. pag. 85.

(6) *Essentiale Dei nomen* יהוה *eloqui*] VOSSIVM quoque hanc rationem ursisse, supra *Annotatione* 2. observavimus. Vniversam autem istam, de pronunciatione nominis *τετραγραμμάτε*, litem ex instituto peroravit IOH. BENED. CARPZOVIVS fil. *Disp. Academ. VIII. p.* 287 *sqq.* unde paucis repetemus, quæ ad summam rei spectant, quia distincte & solide in ista disquisitione versatus est. I.) Duplicem hoc nomen admittit punctandi rationem in Scriptura Sacra *hinc*, si absque voce אדני ponatur, per Scheva & Kametz, *hinc*, si vel præcedat, vel sequatur אדני/ cum Cateph-Sægol & Chireck, quo pacto 222 vicibus in Scriptura legi observarunt Masorethæ. Illius puncta sunt propria, hujus mutuatitia; utraque vero a viris *θεοπνεύστοις* profecta. II.) Hinc orta est controversia, de genuina pronunciatione vocis, quæ diversas in partes rapuit doctores, ita ut pro efferendo per *Adonaj* nomine, acriter pugnarent AR. MONTANVS,

TANVS, MERCERVS, CEVALERIVS, SCHINDLERVS, SIXT. AMAMA, SCALIGER, DRVSIVS, BVXTORFIVS, alii, pro diſerta vero *Jehova* pronunciatione, calculum ferrent THOM. FVLLERVS, FRANC. GOMARVS, IOH. LEVSDENIVS, & paſſim adhuc e noſtratibus plurimi, tanto quidem cum fervore hanc litigii ſerram reciprocantes, ut DRVSIVS defenſores lectionis *Jehovah*, per ignominiam *Jehoviſtas* appellaret, pars adverſa DRVSIVM & aſſeclas, *Adoniſtas.* III.) Vt autem de ſtatu cauſæ rite conſtet, non quæritur de poſſibilitate metaphyſica, an poſſit? ſed de morali, an debeat propriis ſuis literis & punctis, nomen efferri? Cenſent etenim Judæi, & cum his BVXTORF, DRVSIVS, AMAMA &c. veram pronunciationem nominis, quæ olim locum habebat in Sanctuario, & a Sacerdotibus proferebatur, in *Simeone Juſto* penitus deſiiſſe, & GALATINVM atque FAGIVM, lectionis *Jehova* primos extitiſſe parentes, quod tamen ἔγκλημα cum hypotheſi, de genuina punctorum antiquitate & origine, componi non poteſt. Porro, non quæritur, de rigore Judaico, qui capitis ſupplicio, vel mortis pœna, lectionem Jehova, & Jehovi interdictam pronunciant: ſuis literis efferentem hoc nomen, tam vivicomburio dignum proclamantes, Tr. *Avoda Sara f.* 17. *b. fin. ſq.* quam a felicitate futuri ſæculi prorſus excludentes, Tract. *Sanhedrin fol.* 90. *a.* & MAIMONID. *ibid. fol.* 120. *b. med.* Sed de uſu antiquo, quamnam lectionem uſus, & ipſa poſtulet punctatio? IV.) Circa hanc itaque quæſtionem ſtamus pro lectione nominis, per *Adonaj* & *Elohim*, quam Judæi הלכה למשה מסיני *traditionem Moſis de monte Sinaj*, a Moſe & viris θεοπνεύστοις perpetuo uſu adhibitam, ad Synagogam magnam & ſequiora tempora transmiſſam, quin immo in Eccleſia Patriarcharum jam introductam perhibent, non ex ſuperſtitione, ſed ex εὐλαβείᾳ quadam ac religione, quam Moſes ac ceteri Scriptores Sacri non improbarunt, ſed ipſamet ſcriptione ſua retinendam docuerunt. Eaque ſententia probatur CARPZOVIO *pag.* 301 *ſqq.* *α*) ex præfixis, in quibus, ſi qua ex literis מוכלב tetragrammato præmittitur, ſemper illa ad rationem vocis Adonaj punctatur, v. Pſalm. LXVIII, 11. ליהוה אדני: *β*) ex literis בגדכפת, quæ initio dictionum, poſt ultimam præcedentis vocis quieſcentem, adſpirant & raphantur, ac ſine Dageſch leni ſcribuntur, niſi accentus diſtinctivus Dageſch requirat; contra vero dageſchantur ordinarie, poſt literam mobilem. At poſt יהוה tam nudum, quam cum præfixis poſitum, ſemper dageſchantur, manifeſto indicio, quod præceſſerit mobilis, quæ י eſt in אדני/ non ה in יהוה: *γ*) ex permutatione punctorum nominis יהוה propriorum, cum mutuatitiis Elohim, quæ nullibi occurrit, niſi cum vel præcedit, vel ſequitur ipſum nomen אדני. Nullibi abſolute ſcriptum legitur Jehovi, nullibi ita, ſi junctum ſit cum Elohim: rurſus nullibi offendas אדני יהוה/ aut יהוה אדני/ ſed ſemper Adonai Jehovi, & vice verſa, ne ſcilicet idem nomen bis pronuncietur: *δ*) ex antiquiſſimis Scripturæ interpretibus, Græcis & Chaldæis, qui ita legerunt. In Targumim ſemper hoc nomen exprimitur conſueta illa nota יְיָ/ quam tamen nunquam Jeja, nedum Jehova, ſed vel Adonaj, vel Elohim efferunt. In Græcis autem, vel per κύριος, quod eſt Adonaj, vel Θεὸς, quod Elohim eſt, nonnunquam etiam per ipſum Ἀδωναῒ reddunt, nunquam per Ἰαωά. *ε*) ipſe Chriſtus & Apoſtoli ita pronunciarunt. In concionibus ſuis Syro-Chaldaica utebantur dialecto, nunquam tamen hoc nomine uſi, ſed ejus loco Adonaj ſubſtituentes, quod apparet ex allegationibus dictorum V. T. v. [illegible] ex Deuter. VI, 16. οὐκ ἐκπειράσεις את יהוה אלהיכם κύριον τὸν Θεόν σου Matth. IV, 7. Quod David dixerat Pſal. CX, נאם יהוה לאדני/ id Matth. XXII, 44. redditur, εἶπεν ὁ Κύριος τῷ κυρίῳ μου. Cumque jam Chriſti tempore, capitale haberetur, efferre השם באותיותיו nomen ineffabile, propriis ſuis literis, qui factum, ut nullibi vel Chriſto, vel Apoſtolis, lis moveretur de ejus pronunciatione, cum tamen omnia conquirerent Judæi, quo invidiam Servatori & calumniam con-

conflarent? ζ) primitivæ ecclesiæ Patres non modo non pronunciarunt, sed talia quoque epitheta addiderunt, quibus monerent, a lectione secundum proprias literas, in hoc nomine esse abstinendum. Dixerunt hoc nomen *ἀνεκφώνητον καὶ ἄλεκτον*, THEODORETVS *ἄφραστον*, EVSEBIVS *ἄῤῥητον καὶ ἄφθεγκτον*, HERMES *ἀπόῤῥητον, καὶ ῥηθῆναι μὴ δυνάμενον*: non quod in se, & sua natura tale esset, sed quod nec soleat, nec debeat ita legi, ut scribitur. Quæ pro lectione nominis secundum proprias literas suas, ab adversæ partis patronis produci in medium solent, ibidem *p.* 316 *sqq.* allegata ita diluuntur; nullum ut dubium rei supersit, modo notetur, ab Judæorum superstitione longissime nos abesse, urgentes verum & antiquum lectionis usum, abusum damnantes Judaicum. Confer huc doctissimam SIXTINI AB AMAMA dissertationem *de nomine tetragrammato*, in ejus *Anti-Barbaro Biblico pag.* 297 *sqq.*

Ad §. VIII. pag. 85.

(7) *Solem, Lunam & Stellas*] De idololatrico horum omnium cultu, multo cum eruditionis apparatu, vir summus GERH. IOH. VOSSIVS toto *lib. II. de Orig. & Progr. Idolol.* commentatus est, ejusque ultimam antiquitatem ex Deut. IV, 19. Job. XXXI, 26, 27. *cap. III.* adstruxit: quomodo porro a Judæis, sub Belis & Baalis nomine, Soli delatus *cap. IV.* ab Ammonitis, sub schemate Molochi, *cap. V.* ab Assyriis & Babyloniis, sub nomine Beli, *cap. VI.* a Moabitis, *cap. VII. VIII.* a Persis, sub Mithræ nomine *cap. IX.* ab Aegyptiis, sub nomine Osiridis, *cap. X.* ab Aethiopibus, sub nomine Assabini *cap. XI.* a Græcis & Romanis, sub Apollinis, Phœbi, variisque aliis nominibus *cap. XII. sqq.* ex instituto docuit. Pergit posthæc ad Lunam, divinis honoribus cultam, *cap. XVIII - - XXIX.* quin & ad Stellas *cap. XXX.* & quidem cum ad erraticas, seu planetas, tum ad fixas, *cap. XXXV.* Porro *cap. XXXVII.* inquirit, priusne æthera coluerint Gentiles, an sidera? & quomodo cælo divinitatem tribuerint, *cap. XXXVIII. sqq.* exponit. His aliquid superaddere, cum idem sit, ac post Homerum Iliada scribere, sufficiat, rerum harum cupidum & studiosum eo remittere, ut ex pleno quasi alveo hauriat, quantum volupe est. Concisius de Heliolatria, sed passim, sparsimque egit, IOH. SELDENVS, in utroque *de Diis Syris Syntagmate*, & ANDR. BEYERVS in suis *ad h. l. additamentis*, nec non ABRAH. HEIDANVS *lib. VI. de origine erroris cap. VI. p.* 330. & IOH. HENR. HEIDEGGERVS *Tom. II. Histor. Patriarch. Exerc. I.* §. 37. *p.* 33 *sq.* Ejus quoque cultus, quomodo, & quibus initiis, inter Christianos omnino, jam temporibus Leonis M. irrepserit, & quo artificio per Hagiolatriam a Stephanesco abrogatus fuerit, limatumque ea de re judicium, lege apud IAC. THOMASIVM *de precibus anatol.* §. 192 *sqq.* Veteres autem Persas ab Heliolatria absolvit THOM. HYDE *de Veter. Persar. Relig. pag.* 5 *sqq.* rursusque *p.* 22 *sq.* in eo totus est, ut solam Persarum gentem antiquissimam, sinceram religionem ab Abrahamo acceptam, constanter & unice, sine ulla interruptione, retinuisse, & ad hunc usque diem illibatam servare demonstret. Quo demum pacto Sol Dei referat emblema, IOHAN. HENR. VRSINVS docuit *Theol. Symbol. n.* 29. *p.* 42 *sq. n.* 35 *sqq.* plura de adoratione ejus subjiciens. Qua autem figura in hieroglyphicis, Aegyptiorum vetustissimi, & a gentium dispersione proximi, Solem designaverint, adumbrare allaboravit *Msr.* PLVCHE *Hist. du Ciel p.* 56, 61 *sqq.*

Ad §. VIII. pag. 86.

(8) אור *& Vr Chaldæorum Gen. XI.*] Vr Chaldæorum, patria fuit Abrahami. Sive autem sita illa fuerit inter Tigrin & Nisibin, ubi eam collocat AMMIAN. MARCELLINVS, sive in Babylonia, uti visum EVPOLEMO, apud EVSEBIVM *de Præparat. Evang. lib. IX. cap.* 17. qui eandem esse credit cum urbe illa, quæ alias *Vranie*, nec non *Camarina* dicebatur; certum est, nomen sortitam fuisse ab igne, Solis symbolo, quem

quem pro Deo coluerunt. Pertinent huc, quæ tradit MAIMONIDES *P. III. More Nebuchim cap. XXIX.* ubi ex versione BUXTORFII ita habet: *Notum est, Abrahamum patrem nostrum educatum esse in fide Zabæorum, qui statuerunt, nullum esse Deum præter Stellas. Sed cum indicavero tibi in hoc Cap. libros ipsorum, qui nunc inter nos extant translati in linguam Arabicam, & annales ipsorum antiquos, ac exinde sententias illorum produxero, videbis, quod expresse dicant, Stellas esse Divinas* (vel, Deos minorum gentium) *& Solem esse Deum magnum. Ita dicunt quoque, reliquos quinque Planetas esse Deos, sed duo luminaria esse majores. Invenies quoque, illos clare dicere, Solem regere mundum superiorem & inferiorem. Sic reperies quoque in dictis ipsorum libris & annalibus, quod de Abrahamo in hunc sensum scribant: Cum Abrahamus, qui educatus est in Cuthia, a vulgo dissentiret, & diceret, quod præter Solem alius sit creator, incepisse illos, sic & sic ipsi objicere, & inter alias objectiones meminerunt quoque operationum Solis evidentium & manifestarum, in hoc mundo: Abrahamum autem respondisse eis, justi estis, h. e. recte dicitis, quia Sol est instar securis, quæ est in manu cædentis ipsa. Deinde meminerunt quoque objectionem quarundam, quas ipse movit contra illos. Et tandem scribunt, quod Rex ipsum incarceraverit; sed hoc nihil obstante ipse perrexerit in carcere sese illis opponere. Quo circa Regem, cum timeret, ne regno suo detrimentum inferret, hominesque a religione sua abduceret, ipsum in fines usque Orientis, confiscatis omnibus ejus bonis, ablegasse.* Alia est Rabbinorum fabula: Abrahamum aliquando patris idolorum cultu obruti icunculas confregisse: reprehensum ergo a parente, sed magnanimiter respondisse: idola vana stultorum figmenta esse: Deum creatorem cæli & terræ solum, religioso venerandum esse cultu. Thærachum rem Regi exposuisse; hunc arcessisse Abrahamum, exprobrasse ipsi in Deos audaciam, jussisse, ut Ventum, Solem, aut aliud quoddam Numen adoraret. Idem vero ab Abrahamo responsi tulisse Regem, quod Thærachum. Ira ergo concitum Nimrodum, jussisse, satellites regii mitterent Abrahamum in fornacem, multo instructam rogo, quo elucesceret, num Abrahami Deus iis instructus esset viribus, ut ab igne illæsum præstare posset cultorem? Mandata Regis statim executos esse scelerum regiorum ministros: Abrahamum vero nullatenus ab igne tactum, tandem a Nimrodo dimissum, alias petiisse terras. Eo enim intendere digitum Deum, cum dicit Gen. XV, 7. *ego sum Dominus, qui eduxi te* מאור כשדים / quasi dicat, e fornace Chaldæorum. Auctores traditionis, testesque producit, tum quoque fidem ejus argumentis impugnat CHRISTIAN. WAGNER, dissert. *de Vr Chaldæorum* A. 1681 Lipsiæ publice proposita *Cap. I. Sect. I.* porro autem *Cap. II. p.* 51 *sqq.* genuinum urbis Vr situm, locumque exponit, & *Cap. III. p.* 74. sollicite inquirit: cur vocata fuerit patria Abrahami, Vr Chaldæorum? digna omnino, quæ huc conferatur.

Ad §. VIII. pag. 86.

(9) *Immo Deus Nachoris*] Respicit ad Gen. XXXI, 53. ubi pactum mutuo sancitum, Laban confirmat invocatione *Dei Abraham, & Dei Nachor.* Vbi RASCHI glossatur, per אלהי אברהם *Deum Abrahami*, intellexisse אלהי קדש *Deum sanctum*, per אלהי נחור *Deum Nachoris* autem אלהי חול *Deum profanum.* Vero tamen cum simile non sit, jurasse ipsum per Deum verum, eumque cum idolo majorum composuisse, potius dicendum fuerit, quod Deum Abrahami & Nachoris, quem uterque adhuc in Vr Chaldææ colebant, sive, quod idem fuerit, Deum patris ipsorum, Thærachi, invocaverit. Thærachi autem Dii, erant אלהי אחרים *Dii alieni*, teste Josua cap. XXIV, 2. Sic Auctori nostro veritas constabit, Deum Nachor non alium fuisse, quam אור ignem.

Ad §. eund. pag. eand.

(10) *Mare, Venti, Aether, Terra, Fructusque Terræ*] De maris cultu vide VOSSIUM supra

pra laudatum, *lib. II. cap.* 74, 77, 82. De aeris & ventorum *cap.* 84. & *lib. III. cap.* 3, 4. De terræ *lib. VII. cap.* 1. De ætheris *lib. VII. c.* 10. De mundi, seu naturæ, *lib. VII. cap.* 2.

Ad §. VIII. pag. 86.

(11) *Homines bene meriti*] De cultu Heroum ac Heroinarum idem præcipit VOSSIVS *lib. VII. cap.* 8, 9, 10. Et conferri huc meretur IOH. FILESACI, viri quondam in Galliis doctissimi, *Select. lib. III. p.* 67. *in Apotheosin vivorum* commentatio perquam elegans, & WOLFG. CHRISTOPH. WIGANDI disput. *de affectatione ἀποθεώσεως*, Lipsiæ A. 1710. edita & ventilata, cujus *Sect. I. historica*, exempla illustriora recenset, *Sect. II. moralis* in causas inquirit.

Ad §. eund. pag. ead.

(12) *Crocodili, Serpentes, Glires, Feles, Canes,*] De quadrupedibus, avibus, piscibus, serpentibus & insectis, ab Aegyptiis huic vel illi Numini dicatis, memoratus VOSSIVS agit *lib. VII. cap.* 14.

Ibidem.

(13) *Cepæ, & Allium*] De iis, sacratis Numini videatur VOSSIVS *lib. V. cap.* 48.

AD

LIB. IV. CAPVT II.

DE MOLOCHO, ADRAM MELECHO ETC.

Ad §. I. pag. 86.

Nomen suum ducit a מלך *regnavit*] Recte & cum communi consensu interpretum, qui hoc idolum *Deorum hominumque Regem* referre tradunt, unde THEODOTION & SYMMACHVS sæpe hoc Numen per Βασιλῆα & Ἄρχοντα reddunt. Nec inepte hinc arcessitur, quod in vetustissima Phœnicum Theologia, summus Deorum Βασιλεὺς Θεῶν singulariter appellatur, unde Græci Poetæ, maxime HOMERVS, hanc nomenclaturam hauserunt. Causam autem suam perorans contra *Aemilianum*, L. APVLEIVS, nomen Βασιλέως a PLATONE convenientissime tributum censet ei, qui *totius rerum naturæ causa, & ratio, & origo initialis, summus animi genitor, æternus animantum sospitator, assiduus mundi sui opifex est. Apolog. I.* circa fin. Non uno autem modo vocabulum effertur, Lev. XVIII, 21. *Moloch*, æque uti Lucas Act. VII, 43. Μολὸχ reddidit. Sed & *Milcom* audit 1 Reg. XI, 5, 7. Syrus & Arabs scribunt מלכום *Melcom*. Hinc locus etiam, in quo peragi solebant Molochi sacrificia, *Malken* dicebatur, 2 Sam. XII, 31.

Ad §. I. pag. cit.

(2) *Adram Melech, & Anam Melech, Dii Sepharvaïm*] Iste *Deum honoratum*, est enim אדר vel אדיר *magnificus*, hic *Deum oraculi* sonat, ab ענה *respondere*; 2 Reg. XVII, 31. Ceterum, quod statim ab initio monebat Auctor, Molochum non Ammonitarum solum, sed & Moabitarum Deum fuisse putari, id bene habet: modo addamus, primo ac proprie ad Ammonitas pertinuisse hoc idolum, unde diserte שקוץ עמונים *abominatio Ammonitarum* in Scriptura 1 Reg. XI, 5, 35. & 2 Reg. XXIII, 13. salutatur: posthæc a Moabitis quoque fuisse adoptatum, quia de Moabitarum rege, filium suum super murum immolante, perspicue docet Scriptura 2 Reg. III, 27. Neque tamen hi primi fuere

Molochi cultores: sed Syros primos humano sanguine Molocho litasse, testis est PLVTARCHVS περὶ δεισιδαιμονίας. A Syris ad Phœnices cultus iste transiit, qui Molocho pariter victimas humanas mactarunt, teste PORPHYRIO & EVSEBIO. Hoc secuti sunt Carthaginienses, apud PAVLVM OROSIVM, MINVCIVM FELICEM, & TERTVLLIANVM. Denique, SELDENO asserente *de Diis Syris*, longe lateque diffusa est ista barbaries, *& infantes seu pueri erant hostiæ communes, & nefanda illa sacra e Syria in Europam videntur migrasse, & in Africam.*

Ad §. II. pag. 86.

(3) *Esse unum idemque idolum*] Verum dicit Auctor, satisque ex Jeremiæ oraculis confirmat; latius tamen Baalis nomen & Numen patuisse credo, quam Molechi. Fuit enim communis quædam appellatio omnium, aut complurium certe idolorum principum, unde non modo collective Baalim, in Scriptura pro variis idolis, Jud. II, 11. III, 7. VIII, 33. 1 Sam. VII, 4. &c. verum etiam specifice Baal-Peor, Baal-Sebub, nominantur.

Ad §. III. pag. cit.

(4) *Invenimus tantam Planetarum confusionem*] Hinc enata Gentilibus sunt non modo idola, ex pluribus Numinibus composita, qualia IAC. SPONIVS *Miscell. erud. antiqu. Sect. I. Artic. I. pag. 1 sequ.* in Aglibolo & Malachbelo, *Art. IV. p. 13 sqq.* in Hermanubi, Herm-Heracle, & Herm-Harpocrate sistit: verum etiam *Signa Panthea*, quæ omnes Deos, aut saltem plurimos referebant, quale elegantissimum æri incisum idem exhibet & exponit *Art. V. p. 19 sq.* Ita LVCIANVS in *de Syria Dea, post med. T. III. Opp.* (Basil. edit. A. 1563.) *p.* 720. se in Syriæ templo quodam vidisse perhibet *Junonis* simulacrum, de quo addit: ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων· *Habet vero quippiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Nemesis, & Parcarum* &c. Ceterum istam, cum Deorum, tum Planetarum, permistionem & compositionem neminem felicius extricasse & composuisse invenio GER. IOH. VOSSIO, quando *lib. VII. de Idolol. cap. II. p.* 156. probe observat, quod Phœnicum Molochus non modo sit Deorum κρόνος *Saturnus*, verum idem quoque cum Poetarum Saturno, Jove & Apolline. Quin & per κρόνον auctorem & parentem temporum intelligendum, Solem nimirum, teste MACROBIO *lib. I. Saturnal. cap.* 22. Hæc tria itaque pro supremo Numine priscam in Oriente gentilitatem coluisse, 1) naturæ totius Auctorem, 2) mox Naturam ipsam, ejusque virtutem & efficaciam, & 3) Solem: & nominasse Assyrios Belum, h. e. בעל *Dominum*, Phœnices Molochum, h. e. מלך *regnantem;* eundem Aegyptios coluisse sub nomine Amun seu Ammonis. Pro Saturno quidem calculum ferunt plerique, & ex Phœnicum Annalibus, ex PLATONE & IVSTINO, istud adstruere satagunt: maxime IVRIEV *Hist. dogmat. & cult. P. IV. Tract. II. cap.* 3. & 4. *p.* 570 *sqq.* totus in eo est, ut Syriorum Molochum eundem fuisse evincat, qui Græcis & Romanis Saturnus. Quemnam autem per Saturnum intellectum cupiant, in eo omnis versatur controversia. Non sane regem Italum, nec Jovis Cretici patrem, neque Adamum aut Noachum, quod contendit HVETIVS, & laudatus IVRIEV *cap. VI. & VII. p.* 581 *sqq.* neque sidus Saturni cæleste: sed naturam cælestem, vel ipsum Solem, docente SERVIO, qui *in lib. I. Aeneid.* ita commentatur: *Assyrios constat Saturnum Junonemque coluisse, quæ Numina etiam apud Afros postea culta sunt. Vnde & lingua Punica Bal Deus dicitur. Apud Assyrios Bel quadam sacrorum ratione, & Saturnus & Sol vocatur:* hinc etiam eundem, quem Soli, Saturno pariter honorem deferebant. Confer. in eandem sententiam, qua Saturni nomine Sol designari asseritur, VOSSIVS *loc. cit. lib. II. cap. IV. p.* 165, 168. & *cap. XIII. p.* 189. & *cap. XI. p.* 185. ex veteribus autem MACROBIVS *lib. I. Saturnal. c. XXII.*

sub

sub fin. qui *cap. seq. XXIII.* Jovem quoque & Assyriorum Adad, eundem esse cum Sole, confirmat. Pari ratione & ad Saturnum, & ad Solem, hoc idolum pariter, ac cultum cruentum, refert BRAVNIVS *Select. Sacr. lib. IV. cap. VIII.* §. 109 *sq. p.* 456 *sq.* Nec abnuit OWENVS *Theologum. lib. V. cap. VII. p.* 348 *sq.* Etsi vero sunt, qui aliis quoque Diis, Marti nempe, Jovique, eadem Sacra & *τεκνοφόνȣς τελετὰς*, auctoritate veterum Scriptorum, factas asserant: potiora tamen Saturno destinata fuere, siquidem hunc, ceu reliquorum Deorum omnium Præsidem & Principem velut agnoscebant. Pro Marte quidem R. LEVI BEN GERSOM *in Levitic. XVIII*, 24. pronunciat, qui rubicundus, Deus ignis credatur, & in tabulis Astrologorum Aegyptiacis, Moloch appelletur: sed notatus eo nomine a IVRIEV *cit. loc. cap. III. p.* 570. Vide Auctoris nostri *paragr. quintum.*

Ad §. IV. pag. 87.

(4 *b*) *Beel Samen*] Pariter ASSEMANVS *Tom. I. Biblioth. Or. p.* 327. *in Nota* observat, Syros Jovem nomine Beelsceminn *Domini cælorum* designare.

Ad §. V. pag. eand.

(5) *Statua Molechi*] In delineatione simulacri convenit inter doctores Judaicos, & memorato ab Auctore testimonio ex *Jalkut* SCHIMEONI. Addi potest in eandem sententiam R. DAVID KIMCHI *in 2 Reg. XXIII*, 10, 11. & R. SAL. IARCHI *in Jerem. VII*, 31. qui ita habet: הוא המולך שהיה של נחשת ומסיקין אותו מתחתיו וידיו פשוטות וניסקות נותנין את הילד על ידיו והוא נכוה ונוהם והכומרים מקישין בתופים שלא ישמע האב קול הבן ויכמרו רחמיו: *Fuit Molech* (idolum) *ex ære factum, quod ab inferiori ejus parte succendebatur; erant autem illius manus protensæ atque candentes, quibus infans imponebatur, ipseque comburebatur atque gemebat; sacrificuli autem tympana pulsabant, ne pater clamorem filii sui audiret, ejusque viscera commoverentur.* Aeneam fuisse statuam (non, quod vult LYRA, cupream) cum SALOMONE contendit LVDOVIC. VIVES, qui ut hoc obtineat, æneam statuam Saturni Carthagine extitisse, ex DIODORO SICVLO tradit, quæ manus habuerit supinas supra terram, sed quibus ignis subesset, cujusmodi statuas Hispani testantur repertas in illis Americæ insulis, quæ Africam contra spectant, ut earum habitatores, illi pariter deditos fuisse superstitioni, colligere inde par sit. Tantus porro idoli hujus splendor emicuisse perhibetur, ut oculos intuentium perstringeret, & propemodum obcæcaret. Hinc MACROBIVS, paulo ante citatus, idoli hujus insigne visum fuisse testatur, radiis inclinatis, quibus monstraretur, vim cæli in radiis solaribus esse, qui in terram demittuntur. Quod autem, post CYRILLVM *in Amos V*, 26. THEOPHYLACTVS & OECVMENIVS in *Act. VII*, 42. splendori huic addunt, habuisse Molochum *λίθον διαφανῆ καὶ ἐξαίρετον, εἰς ἑωσφόρȣ τύπον, ἐπὶ μετώπȣ ἄκρȣ, lapidem pellucidum ac preciosum, in modum luciferi, extrema frontis parte*, id ita castigat VOSSIVS *lib. II. cap. V. pag.* 169. ut errori ansam præbuisse censeat vitiosam versionem Græcam, quæ 2 Sam. XII, 30. pro מלכם *Malcam, Regis ipsorum*, proclivi errore legerit Μολχὸμ, æque ut Vulgata *Melchom*, & hoc pacto ex corona Regis Ammonitarum, coronam effinxerit Numinis Ammonitarum: hinc haud immerito in dubium vocat, quicquid illi de gemma, mirum coruscante, in capite supremo Molochi fabulantur. Quid? quod splenduisse statuam vix aliter credere liceat, quam igne candentem & pellucidam? Ita quippe SCHIMEON *in Jalkut* post verba ab Auctore nostro prolata, *fol.* 61. *col.* 4. statim addit: והיה מסיק מבפנים עד שהיו ידיו נעשית כאור: *Erat autem incensus* Molech *interne, usque dum manus ejus rutilarent sicut lumen.* Extra sacrificii enim solennia, & ubi aberat flamma, statuam a fumo & igne sordidam & squalentem apparuisse, vix potest dubitari.

Ad §. V. pag. 87.

(6) *Septem ſacella exſtructa Molecho*] Circa ſacella iſta, ſive conclavia, non convenit inter doctores. א. In uſu & oblatione, diverſa tradit SCHIMEON *in Jalkut*, ab illis quæ R. D. KIMCHI *loco ſupra cit.* docet. SCHIMEON ita recenſet: *Avem offerens, primum ſubibat ſacellum; ovem offerens, ſecundum; arietem, tertium; vitulum, quartum; juvencum, quintum; bovem, ſextum; filium denique, ſeptimum.* KIMCHI ex adverſo juvencum omittit, & ita exponit: *Qui ſimilam offerebat, ei aperiebant primum conclave; qui pullos columbarum, ei ſecundum; qui ovem, ei tertium; qui arietem, ei quartum; qui vitulum, ei quintum; qui bovem, ſextum; qui filium ſuum, ei ſeptimum.* ב. Sacella SCHIMEON extra ſtatuam conſtituit, in quæ ingrederentur oblaturi; at ex mente KIMCHII, ſtatua ipſa ſeptem ejusmodi complectebatur receptacula, in quæ hoſtia immittebatur, cui utraque reſpondet idoli delineatio, quam & ex Rabbinis *Tab. I.* & ex KIRCHERO *Tab. II.* oculis exhibuit BRAVNIVS *ad pag.* 476. Aſt immiſſus in tale ventris Molochi receptaculum, perperam fingitur puer, qui manibus ignitis ſtatuæ potius imponebatur comburendus. ג. Sacella iſta plane in dubium vocat doctiſſimus SELDENVS *Synt. I. de Diis Syris cap. VI. paulo poſt init. Vereor*, inquiens, *ut fidem ſuam liberent, qui ſeptem Molochi conclavium auctores primi extiterint; anne a Mithræ ſacris illa didicere? Mithræ enim ſeptem ſacræ erant portæ, Planetarum numerum referentes, de queis* CELSVS *apud* ORIGENEM *lib. VI. cap. III.* §. I. Contra vero VOSSIVS *loco ante cit.* BRAVNIVS §. 114. *p.* 461 *ſq.* aliique, hoc ipſo argumento conficere laborant, Soli ſub Molochi nomine truculenta iſtiusmodi ſacra fuiſſe facta, quia utrique ſeptem portæ, ſive ſacella tribuuntur. Vbi obiter, & ὡς ἐν παρόδῳ moneo, HERODOTVM *Hiſtoriar. lib. I. cap.* 131. Mithram Perſarum a Sole diſtinguere, nec aliam & diverſam a Venere Græcorum cenſere: in quam ejus ſententiam erudite inquirit Vener. MOSHEMIVS *Annotat. ad Cudworthi Syſtema intellect. Tom. I. cap. IV.* §. 16. *p.* 326 *ſq.* Num itaque utrumque idolum, & Perſarum Mithras, & Syriorum Moloch, aliquam hac parte convenientiam habuerit, ut velut ſeptem portæ Mithræ, ſic ſeptem receptacula fuerint Molocho? an perperam ad Molochum translatum ſit, quod ad Mithram tantum pertinuit, in tanta doctorum fluctuatione, definire proclive non eſt.

Ad §. VI. pag. cit.

(7) *Vnde locus ille vocabatur* תפת] Ita ſane R. DAV. KIMCHI *ſupra citat.* nominis rationem reddit: ולמה נקרא תפת · תפת שהיו מנהמין בתופים שלא ישמע אביו קול הנער ורחם עליו ויחזור בו׃ *At, qua de cauſa dicitur* Tophet? *quod ſtrepitum fecerint tympanis, ne pater audiret vocem pueruli ſui, & ipſius miſereatur, & reſipiſcat.* Paria habet IARCHI *ad Jer. VII*, 31. & adſtipulatur SELDENVS *c. l. p.* 172 *ſq.* Tophet *vero a* תוף *i. e. tympano petunt; quod, ne lamenta illa, & graviſſimi ejulatus a parentibus exaudirentur, tympanis, dum ſacra fiebant, vicinia perſonaret.* Verum HENRIC. HVLSIVS *de vallibus Prophet. ſacris, Exercit. XV.* §. 16. *p.* 404. vocem vel a תוף *tympano*, vel a טף *parvulo*, quod parvuli ac pueri ibidem adolebantur, derivandam negat, ſed a תפת / quæ apud Arabes hodienum notat *mundavit, ſacra fecit*, apud Chaldæos autem *exactionis juſtitiæ* notionem habet, quæ utraque ſignificatio accommoda loco ſit. Non enim decere cauſatur, negligere radicem plenam, cum ea in lingua aliqua Orientali nobis adhuc ſervatur. Longe autem exactius rei geſtæ illa de tympano derivatio congruit, nec radicale, ת ultimum cenſendum, ſed nominis formativum, ut a trita explicatione in diverſum diſcedere, neceſſe non ſit. Hinc negantes alii obvertunt, ſi vox a תוף *tympanum* deſcenderet, פ dageſſandum fuiſſet, ad compenſandam literam mobilem abjectam. Sed, in nominum propriorum formatione, analogiam ad regulas Grammaticas non ſemper exigi, conſtat. Ceterum

rum de loci, in quo nefanda illa peragebantur ſacra, conditione, recte habet, quod *c. l.* KIMCHIVS perhibet: אמרו רז״ל אף על פי שהיו כל בתי ע״ז בירושלים המולך היה חוץ לירושלים *Dicunt Sapientes noſtri p. m. quamvis quælibet delubra idololatriæ fuerint in civitate Hieroſolymitana, Molech tamen fuit extra civitatem.* Amœnitatem autem illi, alii tribuunt ſummam, alii denegant omnem. LIGHTFOOTVS certe *Hor. Hebr. & Talm. Centur. Chorogr. Matthæo præmiſſæ cap. XXXIX. Tom. II. Opp. p.* 200. pro abjecto & fœdiſſimo loco vallem *Tophet* habet, atque vel ſolo nomine, abominandam & ita deſcribit, quod fuerit totius urbis ſentina, quo confluxit ſordes omnis, atque omnimoda ſpurcities. *Erat*, inquit, *ut probabile eſt, commune urbis ſepulcretum, ſi modo intra tantillam ab urbe diſtantiam jam ſepelirent, juxta Jerem. VII,* 32. *ſepelient in* Tophet, *usque dum non ſit amplius aliquis locus. Eratque illic perpetuus ignis, quo abſumebantur oſſa, reliquaque ſordida, ne urbi eſſent nauſeæ atque contagioni.* Attamen HIERONYMVS *ad Jerem. cap. VII. & XXXII.* plane contrarium ſuadet, atque vallem *Gehinnom* amœnam potius, nemoroſam, omnibusque deliciarum generibus refertam memorat: & *ad Matth. X.* ſcribit: *Hæc vallis erat parva campi planities, irrigua erat & nemoroſa, plenaque deliciis, lucusque in ea idolo conſecratus erat. In tantam autem dementiam populus Iſrael venerat, ut deſerta templi vicinia, ibi hoſtias immolaret, & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque ſuos Dæmoniis incenderent, vel initiarent.* Irrigabat quippe vallem fons Siloe, e radice montis Sion ſcaturiens, & aquam ſuam claram, dulcem atque uberrimam, quæ cum ſilentio placideque fluebat, in omnes terræ hujus partes mittens. Adverſas iſtas ut componamus ſententias, diſtinguimus tempora, monentes 1) tempore invaleſcentis idololatriæ & cultus Molechi in regno Judæ, hanc vallem, urbi vicinam, ob amœnitatem loci delectam fuiſſe his ſacris, cum, licet montana & excelſa alias deſtinarentur idolis, montes tamen Hieroſolymam cingentes admodum triſtes eſſent & aſperi, quos fertilitas & amœnitas hujus loci longe vincebat, quapropter ille multo colebatur honore & reverenter admodum, ſed ritu gentili, habebatur. 2) Poſtquam autem Joſias hanc vallem profanavit, accenſisque in ea cadaveribus impuram & execrabilem reddidit, ex hoc tempore eam induit faciem, atque ad hos adhibita eſt uſus, quos commemorat LIGHTFOOTVS. Cumque, poſt reditum e captivitate, Judæi urbem reſtaurarent, omnemque idololatriam acerrimo proſequerentur odio, profanationem vallis hujus, a Joſia olim cœptam continuarunt, ne priſtina illuc poſtliminio revocaretur idololatria. Vnde pariter Chriſti ac Apoſtolorum tempore, impura & fœdiſſima vallis fuit, ad infernalis carceris delineationem & appellationem ſcite accommodata. Ad eundem modum HENR. HVLSIVS *c. l.* §. 14 *ſqq. p.* 403. hanc vallem ob amœnitatem primo idololatriæ dicatam, hinc a Joſia abominabilem redditam, demum tempore HIERONYMI, ſibi relictam, adeoque jucundam & nemoroſam fuiſſe docet.

Ad §. VI. pag. 87.

(8) *Quod notat lamentari*] In nominis Gehinnom interpretatione ſequitur Auctor ſententiam Judæorum, in quibus KIMCHIVS *cit. loc.* הנם שהיה התינוק מנהם וקול נהמותיו עולה דבר אחר הנם שהיו הכומרים אומרים יהנה לך יערוב לך יתבסם לך: *Hinnom* (dicitur) *quia puerulus ſtrepitum facit, & vox ejus adſcendit. Alii putant, dici Hinnom, quia ſacrificuli dicunt, proſperum tibi eſt, ſuave tibi eſt, jucundum tibi eſt.* Conſentit IARCHI *ad Jerem. VII,* 31. הנום על שם נהמת הבן *Hinnom appellatur, propter fremitum filii.* Rectius his HIERONYMVS *ad cap. X. Matth.* a priſtini poſſeſſoris, vel hominis nomine appellationem valli hæſiſſe tradit: *appellabatur locus ille Gehinnom, i. e. vallis filiorum Hinnom. Hoc Regum volumen, & Paralipomenon, & Hieremias ſcribunt planiſſime.* Ita nimirum Jerem. VII, 31. legimus: ובנו במות התפת אשר בגיא בן הנם *Et ædificarunt ex-*

celſa

celsa Tophet, quæ in valle filii Hinnom: pariter 2 Chron. XXXIII, 6. גי בן הנם *vallis filii Hinnom* dicitur.

Ad §. VII. pag. 87.

(9) *Ignis Gehennæ, Matth. V,* 22.] Infernalis supplicii locus ab hac valle dictus, num a detestando igne idololatrico, an ab igne fordium absumtivo, nomen traxerit, disputat Auctor, & pro posteriore sententia fert calculum. Eodem tendit MART. PETR. CHEITOMAEVS, *in Græco-Barbaris Nov. Test. p.* 54 *sq.* Nihil autem prohibet, quo minus utrumque comparationis membrum jungamus, velut HVLSIVS *c. l.* §. 15. per Gehennam infernum designari asserit, quum & ibi ignis sit, in quo vivi comburuntur, & locus extreme contaminatus, in quem sordes urbis injiciuntur. Alii sic dici existimant, 1) ob horribilem & detestandam idololatriam, quæ hic loci satis semetipsam puniebat, parentes charissimis pignoribus suis orbans, locumque designans, ubi promeritæ sceleribus pœnæ infliguntur: 2) ob ignem fœdum & impurum, perpetuum tamen, cadavera depascentem, & inextinguibiles adumbrantem flammas gehennales: 3) ob impuritatem & sordes loci: 4) ob cadaverum copiam: 5) ob nauseam, quæ cuilibet ad nominatum hunc locum oboriebatur Jes. LXVI, 24. Quemadmodum locus electorum gaudio assignatus, גן עדן *hortus Eden*, i. e. deliciarum, παράδεισος dicitur, locus amœnissimus, ideoque desiderabilis; ita ex adverso גיא הנם/ γέεννα locus est contaminatus & vilissimus, omnium scelerum spurcitia plenus, ac abominabilis.

Ad §. VIII. pag. 88.

(10) *In Gehennam superiorem & inferiorem*] Velut pro duplici hominis conditione, spirituali & corporali, ac pro duplicis mercedis retributione, duplicem afferunt paradisum, cælestem ac terrestrem, in quibus præmia virtutum consequantur utrique, tam homo terrenus, quam homo cælestis: ita duplicem Kabbalistæ Gehennam statuunt, ut ex IOSEPHI Castiliensis *Horto nucis Volum.* 2. IOH. REVCHLINVS *lib. I. de arte Kabbalist.* edit. Francofurt. in fol. An. 1672. *p.* 643 *sq.* his verbis declarat: שני מיני גיהנם הן עליון ותחתון: אחד לגוף בעולם הזה אחד לנפש בעולם הבא אחר זה: והמקום הכולל כל אילו הוא הנקרא ארקא *Duæ species Gehennæ sunt, superior & inferior: una ad corpus in mundo hoc, una ad animam in mundo venturo post istum: & locus comprehendens omnia hæc, est vocatus Arka.* Quomodo in libro *Sohar in Genes. col.* 205. alio sensu, judicium Gehennæ duplex statuatur Judæis, aquæ & ignis, legere potes apud BVXTORFIVM *Lex. Chald. & Talmud.* sub Rad. גהן *fol.* 395 *sq.* Quo demum sensu Kabbalistæ Gehennæ vocem comprehendant sub voce גבורה/ vir illustris CHRIST. KNORRIVS L. B. A ROSENROTH *in Kabbala denudata* tradit *P. I. p.* 235. Ista enim digito velut indice sufficiat monstrasse.

Ad §. IX. pag. cit.

(11) *Septem Gehennæ mansiones*] Vberius istas ex Talm. Massechet ערובין *capite* 2. exponit THEODOR. HACKSPANIVS *in Kabbalæ Jud. exposit.* §. 139. ubi ita tradunt Magistri: ז׳ שמות יש לו לגיהנם שאול ואבדון ובאר שחת ובור שאון טיט היון צלמות וארץ תחתית: *Gehenna in fontibus septem habet nomina.* Vocatur enim *Scheol*, Jon. II, 3. de ventre שאול clamavi: item *Abaddon*, Psal. LXXXVIII, 12. nunquid narrabitur in sepulcro misericordia tua, & veritas tua in Abaddon? Ac *Beer Schachath*, Psal. LV, 24. tu vero, Deus, dejicies eos in puteum foveæ &c. Similiter *Bor Schaon, Vetbith Hajaven*, Psal. XL, 3. fecit ascendere me e fovea devastationis, e cœno luti. Denique *Zalmaveth*, Psal. CVII, 10. qui habitant in tenebris & umbra mortis. Sed & *Erez Tachtith* Ezech. XXXI, 14. omnes enim traduntur morti, ad terram inferiorem, in medio filiorum hominis, ad descendentes in foveam. Ceterum de מדרגה התחתונה

של גיהנם *gradu infimo inferni* agitur *in Beth Israel, fol. 54. col. 3.*

Ad §. X. pag. 88.

(12) *Vtrum pueri in hac oblatione combusti sint igne, an vero tantummodo Molecho consecrati & initiati*] Non proletaria est hæc quæstio, circa quam in utramque partem impingunt complures. Judæorum Magistri nonnulli, ut majorum suorum mitigent sævitiam, soli traductioni per ignem, seu lustrationi locum relinquunt. Ita MAIMONIDES Hilc. עכו"ם *de Idololatria cap. VI. Sect. 5.* postquam Sect. præced. de prohibita traductione liberorum per ignem egerat, ita pergit: *Quomodo agebant? accendebant ignem magnum. Sumebat aliquis de semine suo, & tradebat Sacerdotibus ignem colentibus. Hi Sacerdotes reddiderunt filium patri suo, postquam in manus eorum traditus fuisset, ut eum per ignem traduceret permissu ejus,* Sacerdotis. *Pater filii traducit filium suum, permittentibus Sacerdotibus, per ignem. Traducit autem eum pedibus* (i. e. nudis pedibus eum transire cogit) *ab una extremitate ignis ad aliam, per medium flammæ. Non, quod eum combusserint Molocho, quemadmodum filios filiasque suas aliis idolis combusserunt. At totus hic cultus, qui fiebat Molocho, absolvebatur sola transitione per ignem.* Largitur itaque combustionem interdum factam, sed non Molocho, verum idolis aliis. Ne vero liberi, ex traductione ista, detrimenti quid caperent ab igne, matres oleo Salamandræ pedes eorum inunxisse fingunt Talmudici Cod. *Sanhedrin cap. VII.* ne igne læderentur. Vide BRAVNIVM §. *CXXIV. p.* 473. Quin immo patrem, parvulum humeris gestantem traduxisse, ex nonnullorum sententia refert SELDENVS *c. l. p.* 168. De lustratione exponit quoque IARCHI *ad Lev. XVIII,* 21. *Hoc modo idololatria perficitur. Filium suum tradit* pater *sacrificulis. Faciunt duas pyras magnas ignis, & traducunt filium inter duas pyras ignis.* Adstipulatur quoque R. LEVI BEN GERSOM *ad 2 Reg. XXIII,* 10, 11. Ejusmodi sane februationem interdum obtinuisse, exemplo impii Regis Achazi patet, qui filium traduxisse per ignem narratur 2 Reg. XVI, 3. vita tamen eum non privasse ex eo liquet, quod vers. 20. filius patri in regnum successit. Vnde LXX illud העביר באש Lev. XVIII. περικαθαίρειν ἐν πυρὶ, *igne purificare* vertunt. Ejusmodi מעביר בנו ובתו באש *traducens filium vel filiam suam per ignem,* Devter. XVIII, 10. τοῖς קסמים *hariolis* jungitur. Contra vero alii, liberorum unum revera cremabant, ut reliquis bene esset. Hujus crudelitatis clarissima prostant testimonia, 2 Reg. XVII, 31. Psal. CVI, 37. Jerem. VII, 31. Hinc Auctor Sapient. cap. XII, 5, 6. XIV, 23. ista majorum suorum sacra τεκνοφόνους τελετὰς appellat. Recte itaque Auctor noster utrumque apud idololatras obtinuisse modum contendit. Quodsi enim aliquod valde premeret, vel immineret ac timeretur infortunium, istud morte liberorum redimere, atque Deos iratos sibi his sacris nefandis conciliare laborabant. Aeque uti PORPHYRIVS περὶ ἀποχῆς *lib. II.* testatur, in magnis cladibus vel bellorum, vel æstus, vel pestilentiæ, sacrificasse Gentiles charissimorum quempiam Saturno. Hinc non quovis tempore, cremabant filios, sed ubi vel respublica periclitaretur, velut de Karthaginiensibus LACTANTIVS *de falsa religione lib. I. cap. XXI.* refert, eos *Saturno humanas hostias solitos immolare: & cum victi essent ab Agathocle Rege Siculorum, iratum sibi Deum putavisse: itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse:* vel ubi familia, vel paterfamilias in angustias redactus esset, ut humano sanguine placandam Nemesin divinam crederent. Eandem de duplici Molochi cultu sententiam SELDENVS tenet *l. c.* & copiose tuetur BRAVNIVS §. 120. *p.* 469 *sqq.* & §. 124. *p.* 473 *sqq.* uterque etiam VOSSIVS, DIONYSIVS *in Not. ad cit. loc. Maimonid. de Idolol.* & pater ejus GERH. IOHANNES, qui *lib. II. de Idolol. cap. V. p.* 168. mentem suam ita expromit: *Equidem existimo, ubi solum traductionis meminit Scriptura, signari non cremationem, sed tantummodo deductionem duos inter ignes. Interea fatemur,*

præter

præter hanc februationem, quæ in familiis omnibus, rebus etiam prospere fluentibus, obtineret, fuisse etiam vivicomburium carissimorum pignorum, & quidem ex flore populi; quo in magnis calamitatibus placari Deum posse, arbitrabantur: quod posthæc uberrime & erudite demonstrat.

Ad §. XIV. pag. 89.

(13) *Quod opinio, Deo placendi per sacrificium filiorum suorum*] Infandorum sacrorum origo, partim ex Diaboli *μισανθρωπία*, partim ex Gentilium *κακοζηλία*, partim ex superstitione & angoribus conscientiæ facinorosorum hominum, est arcessenda, qui cum Nemesin divinam pœnas a se deposcere, sanguine suo luendas timerent, alium surrogarunt, sibique charissimum sanguinem, liberorum quippe, in quorum crudeli obitu haud parum pœnarum darent ipsorum parentes. Quo autem Diabolus sanctitatis speciem immani huic cultui induceret, Abrahami exemplum, cujus fama in gentes emanaverat, imitandum proposuit. Percrebuerat quippe, Abrahamum Summi Numinis jussu, ejusmodi ritum instituisse, ut ceu nobile & eximium sacrificium, liberi Deo immolarentur, idque in filio, quem tunc unicum habebat, eumque charissimum, primo omnium & consummasse, & insignem hoc facto tam gratiam apud Deum iniisse, quam reportasse laudem. Tangit hanc originem IOH. MICH. DILHERRVS sub finem dissertationis *de Cacozelia Gentilium Tom. II. Disput. Academ. p.* 283. & uberius declarat IVRIEV supra laudatus sub finem *cap. VIII. p.* 590. Cumprimis huc facit PHILONIS BYBLII locus, quem EVSEBIVS integrum nobis servavit *lib. IV. de Præparat. Evangel. cap. XVI.* qui ex FRANCISCI VIGERI interpretatione ita habet: *Saturnus, quem Phœnices Israelem nominant, quemque post obitum, in astrum ejus nominis consecrarunt, cum illis in locis regnaret, ac filium unigenitum ex Nympha quadam indigena, nomine Anobret suscepisset, eumque propterea Jeiidem appellatum, quod ea vox apud Phœnices unigenam etiamnum significet; cumque teterrima belli clades universam in regionem incubuisset, illum ipsum, regio cultu ornatum, ad aram, ab sese prius erectam & instructam, immolavit.* Eadem ex PORPHYRII *de Judæis* libro, iisdem fere verbis protulerat EVSEBIVS *lib. I. Præparat. Evangel. cap. X.* edit. Colon. *p.* 40. Quæ singula, si fabulosæ detrahantur circumstantiæ, quam exacte in Abrahamum, ejusque יחיד seu unicum filium, Isaacum, quadrent, Auctor noster §. *XV.* scite docuit. Quemadmodum enim Jephtæ, filiam unicam immolantis exemplum, ansam dedit Scriptoribus gentilibus, paria de Agamemnone, ejusque filia Iphigenia, excogitandi; cui concinit Idomenæi, Cretensium Regis factum, qui in patriam, e Trojano bello redux, Neptuno tempestatem immittenti, omne id, quicquid sibi, navi egresso, primum obviam iret, ceu victimam immolaturum vovit, cumque filius natu maximus, primus occurreret, eundem Neptuno obtulit: ita cogitare in proclivi est, inclutum hoc Abrahami sacrificium imitari voluisse Gentiles, ac ex *κακοζηλία* in truculentiam istam degenerasse. Confer HVETII *Demonstrat. Evangel. Propos. IV. cap. III. §.* 2. *p.* 116.

Ad §. XVI. pag. 89.

(14) *Amosi V,* 26.] In hunc locum cum cura inquirens BRAVNIVS §. 161. *p.* 515. hanc ejus non inscitam reddidit paraphrasin, quam huic inquisitioni præmittere, non abs re fuit visum: An mihi per XL annos sacrificia obtulistis in deserto? minime gentium. Vitulum potius, (ut addit Stephanus) simulacrum Molochi, vel regis vestri, Chiun, Solis, fecistis, ipsiusque tabernaculum portastis, per patres vestros in deserto. Ita & vos hodie, cum omnibus fere patribus vestris, postquam terram occuparunt, seduli fuistis imitatores patrum vestrorum. Coluistis non minori fervore, diligentia, impietate & idololatria, eundem Molochum, eundem Chiun regem vestrum, Solem cum exercitu cæli. Immo, ulterius progressi estis; impietatem patrum vestra impietate superastis: pueros enim

vestros

veſtros Molocho obtuliſtis, quod de patribus veſtris in deſerto non auditum eſt. Memores eſtote, ſcelera & impietatem patrum veſtrorum in deſerto me graviſſime puniviſſe, ut uno die tria millia hominum trucidata fuerint: tandem in deſerto omnes, præter Joſuam & Calebum, periiſſe. Graviori vos perſequar pœna. Abducam vos captivos, ultra Damaſcum, Babylonem usque, ubi, non XL ſed integros LXX annos, miſerrimam victuri eritis vitam. Sic hæc verba non agunt de ſolis Iſraelitis in deſerto, ac ſi illi, qui errarunt in deſerto, ſoli tuliſſent Molochi tabernaculum, ſed poſteros cumprimis illorum redarguunt, quibus corripiendis proferebantur.

Ad §. XVIII. pag. 89.

(15) *Bajulatio tabernaculi illius notat cultum*] BRAVNIVS, qui cum cura in dictum Amoſi V, 26. & Stephani Actor. VII, 43. inquirit, velut probe obſervat, סכות in numero plurium legi, ex indole linguæ ſanctæ tamen, commode non niſi de uno exponi poſſe tabernaculo; eodem ſenſu, quo Pſal. XLIII, 3. & LXXXIV, 1 Pſaltes nomine plurali utitur, משכנותין *tabernacula* Dei celebrans, quod tamen non erat niſi unum, ut exacte reſpondeat effato Stephani, qui unam tantum refert *σκηνὴν*: ita bajulationem tabernaculi Molochi, ex ritu pagano, quo ciſtas myſticas, ædiculas, thenſas, & in iis ſimulacra Deorum circumferre in pompa conſueverunt, erudite illuſtrat *cap. X. c. l.* §. 145 *ſqq. p.* 497. Porro §. 149. *p.* 501 *ſq.* Deaſtrum colere, idem eſſe docet, ac tabernaculum ejus ferre, ut Iſraelitæ in deſerto, vitulum aureum conflando, ſacrificia & hoſtias eidem offerendo, feſtumque magna cum ſolennitate celebrando, tabernaculum Molochi portaſſe recte dicantur. Quin & rationi conſentaneum exiſtimat, ipſos vitulum aureum, ad majus gaudium & celebritatem feſti, in pompam detuliſſe, quod ſine feretro, thenſa, atque tabernaculo fieri non poterat; quo pacto revera ipſius tabernaculum portarint. Alii tamen, & in his cumprimis BEDA *in Act. l. c.* & IVNIVS ac TREMELLIVS *in Amoſ.* figurate exponere malunt, populum Iſraeliticum ad Gentilium idololatriam pronum, non quidem externo aliquo ritu, ſed tacite & in corde, Molochum coluiſſe atque adoraſſe, ut ejus ſimulacrum mente atque animo, tanquam tabernaculo incluſum, ſpacio quadraginta annorum ſecum tulerint. Quam ſententiam cum pingat, ſuamque faciat IOH. COCCEIVS, BRAVNIVS utramque expoſitionem ita conciliat, ut Iſraelitas initio quidem, in deſerto, colendo vitulum aureum, Molochum revera, externe & factis adoraſſe & portaſſe, poſtea autem, ſpacio XL annorum, tacita mente atque corde coluiſſe contendat. Demum vero GOTT. IAHN *paulo poſt citando cap. III.* §. 7. Tabernaculum Fœderis, a Bezaleele fabricatum intelligi mavult, quod inique tractatum & ad idolorum Gentilium ſuperſtitionem perperam adhibitum, Amoſus cum Stephano conqueratur. Verum ejusmodi Tabernaculi Fœderis profanationem nullibi legimus, quam Spiritus Sanctus non tacuiſſet, ſed criminis reos peregiſſet Iſraelitas. Vt in ſuperiori acquieſcere ſententia præſtet.

Ad §. XIX. pag. 90.

(16) *A κακοζηλία Tabernaculi Moſaici*] Quemadmodum Tabernaculum Dei fuit portatile, *ἱερὸν φορητικὸν*, ut PHILO appellat *de vita Moſis lib. III. p.* 665. cum in deſerto, ſpacio quadraginta annorum, deinde in ipſa terra Canaan, e loco in locum deportatum fuerit, de quo ſupra commentati ſumus *ad Lib. II. Cap. I.* §. 1. cumprimis *num. V.* ita Gentiles ſua habuerunt *σκιάσματα* & *ναοὺς ζευγηφορουμένους*, *fana portatilia:* quo pacto PHILO apud EVSEBIVM *Præparat. Evangel. lib. I. cap. X. p.* 35. vetuſtiſſimum apud Phœnices Deum memorat Ἀγρούηρον vel Ἀγρότην, οὗ καὶ ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον, καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ, *cui ſimulacrum eximio cultu dedicatum eſt, addito quoque in Phœnice templo, quod ab aliquot jugatorum boum paribus geſtabatur.*

Ad §. XXI. pag. 90.

(17) *Equos & currus*] Facit huc, quæ tradit ISIDORVS *lib. XVIII. Origin. cap. XXXVI. Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas Inferis, sejugas Jovi, desultores Lucifero & Hespero consecraverunt.* Plura in hanc sententiam citat Veterum testimonia VOSSIVS *lib. II. de Idolol. cap. XXXI. p.* 234. Vnde annulorum sigilla quædam, Solem cum quadrigis exorientem referebant, ut Amphitruonis sphragisma describitur apud PLAVTVM *in Amphitr. Act. I. Scen. I. vers.* 264. De Persarum equo, quem Solis appellabant, CVRTIVS nos edocet *lib. III. cap. III.* eosdemque equum sacrificare solitos, Massagetas pariter ac Armenios, VOSSIVS ex HERODOTO, TROGO, & XENOPHONTE memorat, *lib. II. cap. IX. p.* 180. Romanos autem Soli equum dedicasse, quod ALEXANDRI AB ALEXANDRO auctoritate prodit Auctor, me legisse non memini; etsi de Circensibus equis, qui ludis Circensibus parabantur, varia legi possunt apud SAM. PITISCVM *Lex. Antiqu. Roman. h. v. Tom. II. fol.* 731. Hinc solertissimus SAM. BOCHARTVS, *Hieroz. P. I. Lib. II. cap. X.* ex instituto *de equis, Soli consecratis* agens, præter citatas a VOSSIO gentes, quibus Rhodios, Spartanos, Aethiopes addit, Romanos tamen altum silet. Ita quoque IOHAN. DOVGHTEIVS *Analect. Sacr. in loc. citand. p.* 313. de Persis & Rhodiis verba faciens, nil habet de Romanis. De Persis autem, equos albos Soli consecrantibus, ita ut eorum alios mactarint, alios in honorem Solis nutrierint, erudite & prolixe agit IVRIEV *P. IV. Hist. Dogmat. & Cult. Tract. VII. cap. II. p.* 723 *sqq. & cap. X. pag.* 797.

Ibidem.

(18) 2 *Reg. XXIII,* 11.] Hos Solis equos, currusque, ex metallo fusos, Solique dedicatos, prioresque subinde, ut Gryphes fingi solitos, memorat TH. HYDE *Histor. religion. Persarum cap. IV. p.* 117. Contra vero ea in hunc locum cum cura inquirens laudatus BOCHARTVS observat, veros vivosque intelligi debere equos, non sculptas equorum effigies, ut recentiores interpretes cupiunt, quod cum verbis Sacri Textus satis convenire negat vir summus. Idem quoque monuit GASP. SANCTIVS *Comment. ad h. l.* Hi Soli dicuntur dati, vel suo tempore mactandi, vel, ut volunt Hebræi, mane cum pompa deducendi versus Orientem. Equos enim Soli sacros, summo mane decurrisse, tradunt Rabbini, spacium inter Templum & suburbia Hierosolymorum, ad Ortum sita, ut orienti Soli occurrerent. Testimoniis in hanc sententiam a BOCHARTO in medium productis, addimus IARCHIVM, qui *in h. l.* ita habet: אותם המשתחוים לחמה היו להם סוסים מוכנים לצאת לקראת החמה בבקר *Illi, qui Solem adorabant, habebant equos, qui parati erant, ut egrederentur mane obviam Soli.* Quanquam alia, præter traditionem, antiquitatis monumenta ipsos destituant. Locum autem, his equis servandis & nutriendis dicatum, *Parvarim* dictum, præter BOCHARTVM, uberius illustrat LIGHTFOOTVS *in descript. Templi Hierosolymitani Cap. V. Sect. II. Tom. I. Opp. p.* 560. IARCHIVS contra suam ingenue fatetur ignorantiam: *Parvarim* לא ידעתי מה הם *Nescio, quidnam illa fuerint.*

Ad §. XXIII. pag. cit.

(19) *Per Chiun intelligendus est*] Gemina in hanc vocem disputatione Academica, & multo cum eruditionis apparatu, inquisivit GOTTLIEB IAHN *de* כיון *ex Amos. V,* 26. Vitembergæ An. 1705. qui post BRAVNIVM §. 128. *p.* 479 *sqq.* statim *cap. I. §.* 3. temeritatem castigat eorum, qui PAGNINI, VATABLI, & ROB. STEPHANI auctoritate moti, a trita lectione discedunt, & כון vel כונים *liba, placentas,* substituunt, quasi Amos ejusmodi intellexisset placentas, quibus impressa fuit imago magnæ cujusdam stellæ, ut fuerit דפוס הכוכב מלכת השמים *typus stellæ,* quæ *regina cæli* dicitur, ut exponit IARCHI. KIMCHIVS pariter per Cassanim exponit, & ita declarat: *Sunt species ciborum, quæ aptant*

aptant & offerunt operibus cæli; atque sic dicitur Jerem. VII, 18. & XLIV, 19. *facimus ipsi placentas.* Nec inepta foret interpretatio, per כיון צלמיכם intelligere *placentam imaginum vestrarum*, h. e. placentam, cui impressa erat imago Deorum vestrorum; modo lectio eam admitteret salva. Hinc rectius aliis nomen proprium censetur, juxta alios Saturnum, alios Sirium, seu stellam canicularem, alios Solem designans. Et BRAVNIVS quidem pro Sole sententiam dicens, §. 138. *p.* 488. concludit, per *Melech Chiun*, sive ut habet Stephanus, *Remphan*, & per ipsius צלם *imaginem*, intelligendum esse vitulum aureum, quem, instigante populo, in deserto confecerat Aaron. IAHNIVS autem pro Saturno dimicans, Molechum a Chiun distinguit, ne inconveniens dicti admittendus sit sensus: *portastis Solem & Solem cap. I.* §. 11; Auctoris autem nostri, de Hercule, conjecturam §. 5. profligat, vocem Hebræam cum Aegyptiaca, *Chon* vel *Chor*, temere confundentem. In eo satis convenit inter doctores, Chiun & Remphan vel Rephan, unum idemque notare. Sive itaque Saturnum designet, sive Solem, quæ nomina in idem quadrare subjectum, ex MACROBIO supra observavimus, qua rem ipsam & peccati indolem, perinde res fuerit; modo observetur, Amosum genti Israeliticæ non eam modo, quæ tunc temporis vigebat, idololatriam exprobrare, nec solam, quæ XL annis in deserto exercebatur, sed perpetuam ipsorum prævaricationem, apostasiam, & a sincero cultu defectionem, inde ab exitu ex Aegypto usque ad illum diem, objicere, ut e vers. 51. ut & ex Ezech. XX, 10 sqq. liquet. Distincta enim sunt accusationis capita, quod neque tum in deserto uni Deo servierint, & ex illo tempore non raro eo idololatriæ & impietatis processerint, ut Molochi & Deastrorum aliorum tabernaculum portaverint, falsumque adoptaverint cultum. Quæ ex data superius verborum paraphrasi patent. Plura qui in hunc locum cupit, auctores adeat, a doctissimo WOLFIO *in Curis Philologic. ad h. l. Act.* larga manu suppeditatos, in iisque conciliandis ingenium exerceat. Nobis hic prolixioribus esse non licet.

Ad §. XXVII. pag. 91.

(20) *Sub nomine Tammuz*] Eruditam de eo instituit disputationem toties laudatus BRAVNIVS *c. l. cap. V. & VI. p.* 409. ita tamen, ut incerta & fabulosa vix discernere liceat ab exploratis & veris. KIRCHERVS quippe *in Scala magna linguæ Copticæ* docet, Tammuz lingua Aegyptiaca notare *absconditum: ταμὲτ* enim *absconsionem* notare, *ἐφϛαμηὲτ* apud Coptas esse: *absconderunt*. Consentit MANETHOS, linguæ Aegyptiacæ callentissimus, qui teste PLVTARCHO, hanc vocem, *τὸ κεκρυμμένον καὶ τὴν κρύψιν*, significare indicat. Fabulæ quoque circumstantiæ nomini respondent. Tammuz enim, qui Phoenicibus Adonis, Aegyptiis Osiris est, puer fuisse traditur, non Aegyptiis patria, sed in Palæstina natus, quem bis natum veteres tradunt. Primo quidem ex matre Semele, deinde ex femore patris, vel quod in spem fuerit nutritus, vel quod a Titanibus fuerit discerptus, & a matre refectus, ut revixerit, tradente ARNOBIO *contra Gentes.* Quæ cum de Baccho etiam perhibeantur, notandum, ea omnia, quæ de Adoni, Osiri, Serapi, de Hercule, de Aesculapio, de Plutone, de Jove, de Baccho, & aliis ejusmodi traduntur, de Tammuz omnia esse intelligenda, cui nomina ista omnia fuerunt data. Vixisse perhibetur annis 28, non tamen semper eodem in loco: sex enim menses apud Venerem in Cælo, sex menses apud Proserpinam in Inferno. Varia habuit post mortem sepulcra, inter alia arca plumbea inclusus in Nilum, vel in Nili fontem, conjectus est. Tandem resurgit, ex aqua tibiis suscitatus, repertus summam parit lætitiam. Tria itaque in solennitatibus ejus momenta veniunt observanda: *ἀφανισμὸς* sive mors, *ζήτησις* cum luctu, *εὕρησις* cum lætitia: mensis Junius ei dicatus. Hinc explicandum venit, quod Ezech. VIII, 14. legitur: *Ecce Sedebant mulieres, plangentes Tammuz*, vel ut HIERONYMVS vertit: *plangentes Adonidem.* Vide

SELDEN. *de Diis Syris Syntagm. II. cap. XI. p.* 330. ejusque Gloſſatoris BEYERI *Additament. p.* 312 *ſqq.* IVRIEV *P. IV. cap. VI. p.* 681 *ſqq.* & IOHAN. MARSHAMI *Canon. Chronicum* edit. Lipſ. *p.* 31. e Noſtris VRSINI *Analect. Vol. II. Lib. II. cap. XIV. XV. p.* 63 *ſqq.* Judæi in literis exoticis plane rudes non niſi fabulas ſpargunt, alii aliis abſurdiores. MAIMONIDES *in More Nevochim P. III. cap. XXIX.* edit. Buxtorf. *p.* 426. ex Zabiorum traditione ita nugatur: *Fuit Pſeudo Propheta, nomine Thammus, qui, cum vocaret Regem ad colendos ſeptem planetas, & duodecim ſigna Zodiaci, a Rege ignominioſe interfectus ſit. Vnde illa nocte, qua interfectus fuit, omnes imagines ab extremitate terræ convenerint in palatio, quod in Babylonia imagini magnæ aureæ, imagini videlicet Solis, inter cælum & terram pendenti, erectum erat. Ibi imaginem illam* (Solis ſcil.) *in medio procidiſſe, reliquis imaginibus in circuitu ejus circumſtantibus, ac Thammuſum deflere vel plangere, & quid ei contigerit, narrare cœpiſſe; reliquas imagines ploraſſe, & tota nocte lamentatas eſſe: aurora vero aſcendente, omnes ſimul avolaſſe, & in templa ſua in extremas terræ oras reverſas eſſe. Hinc conſuetudinem introductam eſſe, ut primo die menſis Thammus* (h. e. Junii) *lamententur, lacrimentur, plangant & lugeant propter Thammuſum.* Reliqui Judæorum Magiſtri, ut SAL. IARCHI &c. de oculis liquefactum plumbum ſtillantibus in imagine calefacta, nugantur, nec certi quicquam ex illis elicies. Ritum totius ſolennitatis Auctor ſatis copioſe & curate tradidit, cui nihil addimus, niſi quod ex Aegypto, a Byblienſibus & Alexandrinis, arceſſita in Judæam ſit idololatria iſta; & quod Tammuz fuerit Joſeph in Aegypto, ut ingenioſe BRAVNIVS *lib. IV. cap. VII. p.* 428 *ſqq.* demonſtrat. Hic enim vere abſconſus latuit. Abſconſus in puteo, in quem a fratribus conjectus: abſconſus in domo Potiphari, abſconſus in carcere, tandem abſconſus parenti Jacobo, totique familiæ, a primo momento, quo a fratribus fuit venditus, donec ſe ipſis manifeſtaret. Sed & abſconſus forte dictus, quod circa abſcondita verſaretur: nemo enim in abdita profundius penetravit. Eorum habuit ſingularem notitiam, ea feliciſſime expoſuit, quamobrem Zophnat Paneach, *occultorum interpres* a Pharaone nuncupatus. Si itaque ullus unquam fuit, qui Tammuz, i. e. abſconſus dici meretur, is certe Joſephus. Nec minus gaudium ipſius εὕρησις in Aegypto patri, totique familiæ attulit, quam planctum & luctum ante excitaverat ἀφανισμός. Conſentiunt pariter, quæ de Joſepho poſt mortem arcæ plumbeæ incluſo, & in Nilum conjecto, donec ante egreſſum ex Aegypto a Moſe evocaretur, fabulantur Judæi. Reliqua vide apud laudatum Auctorem.

Ad §. XXXII. pag. 92.

(21) *Sed potius literalem ſenſum probo*] Vtrique verborum interpretationi locum concedit VITRINGA *Comment. in h. l. Jeſ.* & primo quidem nefandam illam ſuperſtitionem, quæ Aegyptum & Phœniciam fere totam occuparat, ſed & multos ex Judæis in aſſenſum partesque ſuas rapuerat, (plangendi nimirum Adonidem, ſeu Oſiridem occiſum, immenſo autem gaudio proſequendi poſtliminio inventum) a Propheta his verbis perſtringi exiſtimat, ut gentem Aegyptiam hoc nomine notaret, ejusque ſuperſtitionem falſe rideret. Ritum autem ex LVCIANO *de Dea Syria*, CYRILLO & PROCOPIO *in h. l.* ita deſcribit: Contexebatur vas aliquod ex papyro, forma rotundum, ut caput hominis referret; cui includebatur epiſtola, qua Byblienſibus ſignificabatur, repertum eſſe Adonin, perditum ante & extinctum, quem illi lugebant; & rediiſſe ex inferis. Hoc vas, ſive hic urceus, conſignatus committebatur mari, & ſpacio ſeptem dierum deferebatur Byblum in Phœniciam, absque ullius hominis directrice ope; ut, ſi vera ſit traditio, a Dæmone, cui cura fuerit hujus ſuperſtitionis, curſus ejus per mare dirigi debuerit. Qui urceus papyraceus, poſtquam Byblum perveniſſet, & lecta eſſet epiſtola, ſolvebatur luctus ſuperſtitioſarum mulierum ob interitum Adonidis, & convertebatur in gaudium ac tripudia ob inventum

ventum Adonidem. Ita hic locus *παράλληλος* est excusso superius oraculo Ezechielis. Velut autem hanc nonnullorum interpretationem admitti posse existimat VITRINGA, ita simplicem sensum, quem Auctor noster præfert, rectius cum sequentibus cohærere existimat, si ita exponas: Tu, qui legatos mittis per mare (sive Nilum, qui Aegyptiis mare dicebatur, & varios Nili alveos, lacus, paludes; sive, per mare Arabicum:) navibus papyraceis. Integrum itaque sensum ita fluere: Cum vos Aegyptii (i. e. tu, qui mittis) soleatis lembis & naviculis scirpeis, velocibus & celerrime motis, legatos mittere vel epistolas, qui mandata celerrime deferrent ad Nomos, vel fœderatos populos: parate lembos, & instruite naves מלאכים קלים *nuncios leves* (scirpeæ enim & papyraceæ illæ naves, celerrime movendæ, paucos capiebant, quales describit HELIODORUS) quæ mea quoque mandata, sive meum hunc nuncium deferant ad varios Nomos, per Nilum, ejusque alveos, ut & per lacus ac paludes, de gravissima calamitate, Assyrio imminente. Quæ expositio, quo est simplicior, eo melior.

Quod superest, de Molocho, præter allegatos a nobis VOSSIUM, SELDENUM, BRAUNIUM, IURIEU, evolve HOTTINGERUM *de legibus Hebræor. n. CCVIII. p.* 306 *sqq.* FRANC. BURMANNUM *in Lev. XVIII,* 21. edit. Belgicæ *p.* 598. OWENUM *Theologum. lib. V. cap. VII. p.* 348. & tres disputationes Academicas CHRISTIAN. SAM. ZIEGRA *de crudelissima liberorum immolatione, Molocho facta, ad illustrandum loc. Act. VII,* 43. Vitembergæ ventilatas anno 1684.

AD

LIB. IV. CAPUT III.

DE BAAL-PEORE, BAAL-TSEPHONE, BAAL-ZEBUB, BAAL-BERITH, BEL, ET DRACONE.

Ad §. I. pag. 92.

Hoc nomen commune factum est aliis idolis] Quia Jud. II, 11. בעלים dicuntur, numero multitudinis, hinc cum Auctore nostro colligunt nonnulli, nomen Baal omnibus Diis Syriæ esse commune. Immo omnium gentium simulacra Baalim dici asserunt Hebræi, שהם כארון לעובדיהם *quia sunt Domini eorum, qui eis serviunt.* Non ideo unius idoli venerationem, sed superstitionem omnem & cultum arbitrarium, quibuscunque Deastris delatum, sub Baalis nomine exagitare censetur Scriptura. Et huc mens tendit Auctoris nostri. Verum hic intercedit OWENUS *Theologum. Lib. V. cap. V.* §. 2 *sqq.* & *cap. VI.* §. 11. appellativum hoc nomen negans, cum proprium sit uni Soli, quem Phœnices *μόνον οὐρανοῦ θεὸν,* & *βεελσαμὴν, dominum cæli* dixere. Idque duplici argumento conficere nititur: 1) quod Jud. X, 6. בעלים nominatim recensentur, & a Diis Syriæ, Sidonis, Moabitarum, Ammonitarum & Philistæorum distinguuntur: Jud. II, 13. autem, ubi prima hujus idoli mentio facta est, singulariter id nomen enunciatur, certum aliquod idolum designans: 2) quod ex verbis Eliæ 1 Reg. XVIII, 21. *si Jehova Deus est, sequimini eum, sin autem Baal, eum sequimini,* recte colligatur: quemadmodum Jehova proprium nomen erat Dei Israelis, ita Baal falsi illius Dei, quem coluerunt idololatræ. Baalim autem in numero plurium dici, a simulacrorum multitudine, ei idolo erectorum. Omne enim simulacrum Baalis, fuisse Baalem. Inde Baalim fuisse, quamvis is, quem respexerunt omnia, unus fuerit; & Baalim & Baal, indiscriminatim usurpari. Verum tanti hæc momenta pon-

ponderis non ſunt, ut a ſententia, quam clariſſime inſinuat Scriptura, nos dimoveant. Nos, ut media incedamus via, nomen Baal omnibus omnino omnium gentium Deaſtris convenire quidem negamus, cum ab Aſtharoth, & Melechet Haſſchamajim omnino diſtinguatur, æque ut Oſiris ab Iſide apud Aegyptios, Venus a Jove ac Saturno apud Græcos & Romanos. Duo enim rerum principia, & Solem, & Terram, diſtincte venerabantur Gentiles. Pluribus tamen hoc nomen competere Diis, quos Iſraelitæ falſos adoptarunt, ex Scripturæ teſtimoniis haud obſcure intelligitur. Diſtinguendum itaque cenſeo inter *appellationem univerſalem*, omnibus idololatrarum Deaſtris communem, quam Baali denegamus; & *ſpecialem* ſeductæ gentis Iſraeliticæ *vocis uſurpationem*, quæ hoc uno vocabulo plura Gentilium idola deſignabat. Hinc, quando Jud. X. τοῖς Baalim ad latus junguntur alii; id ita explicandum eſt, quod præter idola, hactenus inter Iſraelitas cognita, alia illi adoptaverint, a finitimis gentibus adſcita. Nec inde, quod Baal in ſingulari memoratur Jud. II, ſequitur, quod unum tantum idolum coluerint, ſed quicquid Baalis nomine inter ipſos veniebat, Aſtharoth ſeu Deabus contradiſtinctum. Demum ex I Reg. XVIII nil ſolidi evincitur. Ille enim Baal ibidem intelligitur, quem Jeſabel introduxerat, & univerſa venerabatur natio: quis autem eapropter negaverit, plures fuiſſe Baalim alios? Iſtud demum elumbe eſt effugium, quod Baalim dicantur in Scriptura, a multitudine ſimulacrorum unius idoli. Quis enim dixerit, unam Virginem Deiparam venerantes Pontificios, propter innumera fere & diverſa quoque Mariæ ſimulacra, colere Marias? quis Ruſſos affirmaverit plures venerari S. Nicolaos, propter toties expreſſam & oculis objectam unius Nicolai imaginem? Paris ἀκυρολογίας inſimularetur Scriptura, ſi diceretur, cum unus tantum fuerit Baal, illam tamen Iſraelitas arguere, quod complures adoraverint Baalim, ob multiplicata idoli ſimulacra. Idolum enim non a ſimulacro, ſed a Deaſtro, quem referre putatur, nomen trahit. Vnum autem Solem Baalis appellatione deſignari, ex 2 Reg. XXIII, 5. refellitur, ubi adoleviſſe dicuntur, Baali, Soli, Lunæ, Planetis, & toti militiæ cæleſti: ubi liquido diſtinguitur Sol a Baale, æque ac a Luna & Planetis. Non nego, Solem Phœnicibus generali nomine vocatum fuiſſe Baal, & contracte Βὰλ & Βῆλ, teſte PROCOPIO GAZAEO *in 3 Reg. cap. XVI.* Adſtipulatur PHOTIVS *Biblioth. cod.* 242. ὅτι Φοίνικες καὶ Σύροι τὸν Κρόνον Ἤλ καὶ Βῆλ, καὶ Βολάθην ἐπονομάζουσι, *quod Phœnices & Syri Saturnum El, & Bel, & Bolathen cognominaverint.* Succeſſu tamen temporis, Baal commune multorum idolorum cognomen factum, & quia variis Baal cognominibus diſtingueretur, hinc evenit, ut in Scripturis toties culpentur Iſraelitæ, quod ſervierint בעלים *Baalim* multis ac diverſis. Conſentit SELDENVS *cit. loc. p.* 196. *Poſtremo autem & in ſimulacra alia, ſive aſtrorum, ſive regum, quorum memoria poſteris longe cariſſima, τὸ Βαὰλ ſive Βὲλ, ad augendum, qua fieri potuit, ſeu corporis cæleſtis ſeu demortui honorem, eſt impie derivatum.*

Ad §. I. pag. 92.

(2) I *Cor. VIII,* 5.] Quod REIZIVS *in Not. ad h. l. Auctoris*, & ante ipſum IOH. HENRIC. HEIDEGGERVS *Labor. Exegetic. in h. l. pag.* 65. contendit, per θεοὺς λεγομένους ab Apoſtolo, Angelos, poteſtates ac principatus innui, ita ut ad πολυθεΐαν gentium non reſpiciatur; id per oppoſitionem Apoſtoli diſerte refellitur. Egerat enim verſ. 4 ſq. de *idolis hujus ſæculi* eorumque reſpectu multos eſſe dixerat λεγομένους θεοὺς, εἴτε ἐν οὐρανῷ, εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς, ſiquidem Baalim ac Dominos plures, cum in cælo, tum in terra venerabantur Gentiles, quibus nomen Dei impertiebantur: verſ. 5. autem Chriſtianorum de Deo ſenſum & cultum ſuperioribus illis opponit: ἀλλ᾽ ἡμῖν, nobis Chriſtianis autem, qui ab Ethnicorum idololatria longe recedimus, εἷς θεὸς ὁ πατὴρ — — καὶ εἷς κύριος Ἰησοῦς Χριστὸς, κ. τ. λ. Adſtipulatur perſpicaciſſimus WOLFIVS *Cur. Exeg. in h. l. Ad ſolos Gentiles*, inquiens, *eorum-*

eorumque Deastros, sive Deorum sive Dominorum nomine appellentur, respici, ex eo manifestum est, quod Apostolus per vocem ἡμῖν illis opponat Christianorum cœtum, quatenus ex Judæis & Gentilibus erat collectus. Idem evincit Pauli institutum. Hoc enim eo pertinebat, ut εἴδωλα i. e. Deastros *nihil esse, adeoque nullam eorum, proinde nec immolatitiorum, curam haberi a Christianis debere evinceret. Propterea in memoriam iis revocat doctrinam fidei præcipuam, ipsis receptam, nempe unum esse Patrem, & unum Dominum Jesum Christum. - - Jam facile patet, ad scopum Apostoli nihil facere, si eum de* Angelis, *aut* Magistratibus, *aut* Doctoribus Judæorum, *qui vel a Christianis, vel a Judæis, Deorum, Dominorumque nomine appellari soleant, hic cogitasse credamus* &c. Quod itaque GROTIO jam, atque SELDENO *de Diis Syris p.* 201. visum est, per *κυρίως* alludi ad בעלים Gentilium, id recte hic quoque inculcat Auctor noster.

Ad §. II. pag. 92.

(3) *Jupiter, idem cum Baale idolum*] EVSEBIVS *lib. I. Præpar. Evang. cap. VII.* ex SANCHVNIATHONIS libris, a PHILONE BYBLIO conversis, diserte docet, quod, qui Phœnicum lingua dicebatur Βαάλ, Ζεὺς παρὰ Ἕλλησι, *apud Græcos Jupiter* sit. Idem evincit SELDENVS *de Diis Syris p.* 197. ex 1 Reg. XVI. & 2 Reg. X. ubi rex Achabus, in soceri gratiam, Ithobalis, Sidoniorum regis, fanum in Samaria Baali sacrasse memoratur. Belus autem ille Phœnicius Sidoniorum, Ζεὺς Θαλάσσιος, *Jupiter marinus* erat, teste HESYCHIO. Præcipuum tamen hujus Belis seu Jovis nomen, a cælis ductum erat, Βεελσαμὴν, ut PHILO BYBLIVS *cit. loc.* habet, h. e. בעל שמים / ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, *quod apud Phœnices idem est, ac Dominus cæli:* id ipsum vero est Jupiter Olympius, qui antiquissimo Pœnorum nomine *Numen Vranum* dicebatur.

Ad §. III. pag. 93.

(4) *Baal-Peor creditur fuisse Priapus*] Ita sane HIERONYMVS *lib. I. in Jovin. cap.* 12. *Phegor in lingua Hebræa Priapus appellatur:* & in *Comment. ad Os. IX,* 10: *Ipsi autem educti ex Aegypto, fornicati sunt cum Madianitis, & ingressi sunt ad Bahal-Phegor, idolum Moabitarum, quem nos Priapum possumus appellare. Denique interpretatur Beel-Phegor idolum tentiginem habens, id est, in summitate pellem, ut turpitudinem membri virilis ostenderet.* Respicitur nempe ad defectionem Israelitarum, Num. XXV, 2 sqq. memoratam: quocum confer Jos. XXII, 17. Psal. CVI, 28. Os. IX, 10. Rursus HIERONYM. *in Os. IV,* 14. *Istiusmodi idololatria erat in Israel, colentibus maxime feminis Beel-Phegor, ob obsceni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare:* ubi plura in hanc sententiam leguntur. Paria tradit ISIDORVS *lib. VIII. Origin. cap. XI.* quod *de Diis gentium* agit, ubi ita commentatur: *Beelfegor interpretatur simulacrum ignominiæ. Idolum enim fuit Moab, cognomento Baal, super montem Fegor, quem Latini Priapum vocant, Deum hortorum. Fuit enim de Lampsaco, civitate Hellesponti, de qua pulsus est, & propter virilis membri magnitudinem in numerum Deorum suorum eum Græci transtulerunt, & in nomine sacraverunt hortorum, unde & dicitur præesse hortis, propter eorum fœcunditatem.* Verum hanc idoli interpretationem repudiat OWENVS *cit. loc. cap. IV.* §. 4. quia tempore egressus Israelitarum ex Aegypto, vel ingressus in Canaan, nondum natus erat Priapus: Lampsacenus scilicet Ponticus, qui ob flagitia, patria pulsus, in Deorum postea numerum relatus est. Etiam stupra ista ad idoli sacra pertinuisse negat OWENVS, *cum in ipsis castris Israeliticis nonnullos in se facinus illud admisisse, probat Zimri & Cosbi notissima ἔνστασις.* Aeque SELDENVS *Synt. I. cap.* 5. *p.* 161 *sq.* Phegorem hunc eundem cum Priapo, & libidinem in sacris ejus fuisse, negat; neque tamen affirmat aut definit, quis ille fuerit. Cognomentum Pehor certe a monte trahit, in quo huic Baali ædes extructa erat. Num. XXIII, 28. enim mons Moabiticus, absolute Pehor vocatur: & Deut. XXXIV, 6. Beth-Pehor, seu ædes illa idololatrica commemora-

moratur: idolum denique, in hac æde cultum Num. XXII, 41. sine addito, Baal simpliciter vocatur. A loco itaque sacrorum & cultus, hic Baal nomen sortiebatur. Interim tamen mons ipse a detestando & fœdo ritu appellari potuit, uti solenne vetustis erat Orientalibus, a nobilioribus factis, visionibus, cultu & usu cumprimis, nomina locis, regionibus, montibus indere, ut Morijæ, Bethelis, & id genus exemplis compluribus probatur. Hinc nondum satis causæ est, ut cum sibilo omnem istam veterum traditionem, de sacris obscenis ibidem peractis, explodat OWENUS, inquiens: *Valeant igitur eruditæ sordes, quas huc congerunt viri docti.* In sordida enim vocis Pehor significatione conspirant Judæi, quando verbum פער *aperiendi*, sive *distendendi* notionem sustinere tuentur, licet dispari exponant modo. Nec enim, vel Spiritus Sanctus auspicia narrationis istius Num. XXV, 1. a scortatione cum Moabitarum filiabus cepisset, hac voce universam βδελύγματος istius indolem comprehensurus, vel Israelitæ tanto furore in abominationem illam ruissent, nisi obscenitas sacrorum gentem otiosam & salacem in spurcitiei hujus communionem traxisset. Nec aliena ab aliis Gentilium sacris stupra fuisse, satis inter eruditos constat. Etsi vero eundem cum Priapo Lampsaceno, Baal-Peorem non facimus, ob insigne, quod utrumque disjungit, temporis intervallum: quia tamen haud alia æque obscena inter Græcos & Romanos sacra erant cognita, quibuscum conferri possent Peoritica ista, ac Priapea, hinc non tam eadem utraque, quam sub posteriorum schemate ac similitudine, priora describi ac repræsentari, ab interpretibus censenda sunt. Vnde obscenitatem illis utrisque largitur quoque IVRIEV *Hist. Dogm. & Cult. P. IV. Tr. I. cap. 2. toto.* Quæ denique IOSEPHI SCALIGERI de hoc Deastro, בעל רעם *Jupiter Tonans* quoque dicto, fuerit conjectura, exponit & refutat VOSSIVS *lib. II. de Idolol. cap. VII. p. 175.* ubi copiose, & ex instituto de hoc Numine agit.

Ad §. III. pag. 93.

(5) *Idolum* כמוש *Chemosch Jer. XLVIII, 7.*] Princeps Moabitarum Numen Chemosch, seu, ut LXX vocant, Χαμώς fuisse, ex citato loco Jer. collato commate 13, satis liquet. Hoc autem idolum idem esse cum Baal-Peore, HIERONYM. *in Jes. XV, 2.* docet: *In Nabo erat Chamos idolum consecratum, quod alio nomine appellatur Beel-Phegor.* Quod tamen in medio relinquere, quam pro certo affirmare maluit SANCTIVS *in Jer. cit. loc.* VOSSIVS certe *cap. VIII. p. 176.* Nebo urbem interpretatur, a filiis Ruben Num. XXXII, 38. exstructam, in qua Numen ejusdem nominis colebatur, verum a Chamos diversum. VITRINGA *in Jes. XLVI, 1.* Belum Solem dicit, Nebo Lunam, reginam cæli alias vocatam; unde liquet, quam incerta istud omne & dubia tradatur ab HIERONYMO fide. PHILONIS autem, ad quæ Auctor provocat, verba *lib. II. allegoriar. legis*, ita habent: χαμὼς ἑρμηνεύεται, ὡς ψηλάφημα· ἴδιον δὲ τοῦ μὴ ὁρῶντος τὸ ἔργον τοῦτο, *Chamos exponitur, quasi palpatio, quod proprium est non-videntis:* quod in inanem rursus recumbit hariolationem. De Chamos vide SELDEN. *Synt. I. cap. V. in fine*, de Nebo *Synt. II. cap. XII.*

Ad §. IV. pag. cit.

(6) *Baal-Tzephon*] Id nominis occurrit Exod. XIV, 2. & ex Rabbinorum sententia, SELDENVS *Synt. I. cap. III. p. 123.* definit idolum, sive κατὰ μαγείαν τύπον fuisse, a Pharaonis Magis ad cælestium corporum posituras fabricatum, & juxta sinum Arabicum collocatum, observandi & retinendi utique Israelitas, irretiendi, & a destinata, divinitusque data profectione avertendi, vim habens magicam. Ita prodidit ABEN ESRA, & paraphrasis IONATHANIS vertit טעות צפון *idolum Tzephon.* Nimirum, quia Exod. XII, 12. miraculosa Dei virtute, eversa & deleta fuerant omnia Aegyptiorum idola, RASCHI *ad cit. loc.* glossatur: הוא נשאר מכל אלהו

אלהי מצרים כדי להטעותם שיאמרו קשה יראתן ועליו פירש איוב משגיא לגוים ויאבדם: *Iste ex omnibus Aegyptiorum Diis erat relictus, ut ille eos* (Aegyptios) *in errorem induceret, ipsique dicerent: durus est eorum timor* (h. e. fortis ac robustus est Israelitarum Deus) *ac de isto exponit Jobus* (cap. XII, 23.) *qui multiplicat gentes & perdit illas.* Rectius autem laudatus observat SELDENUS, Baaltzephon oppidum fuisse, quod præter hunc locum, in quo topographia commorationis Israelitarum traditur, ex Num. XXXIII, 7. & 1 Chron. IV, 33. patet. Præterea, quando Auctor nomen istud *Baalem Speculatorem*, velut Jovem Statorem, interpretatur, SELDENUS potius *Baalem Septentrionalem* reddit, non a צפה cum Hebræis, sed a צפון derivans, quod plagam septentrionalem notat.

Ad §. V. pag. cit.

(7) *Baal-Zebub, Dominum muscarum*] Accaronitarum hoc idolum fuisse, responsa & oracula interrogantibus reddens, ex 2 Reg. I, 2. constat. זבוב muscam Hebræis notat, cum proprie, ut Coh. X, 1. זבובי מות *muscæ mortiferæ*, tum figurate, ut hoc nomine hostes denotentur Judæorum, qui Judæam invasuri, & huc illuc vagaturi erant, nec in uno loco permansuri Jes. VII, 18. Radix Hebræis periit, a BOCHARTO autem *Hieroz. P. II. lib. IV. cap.* 9. ex Arabismo revocata *Saba*, quæ notat, incertis sedibus divagari, nec in uno loco consistere, quod muscarum est proprium: unde Arabibus, homo inconstans & vagus, adagialiter *Musca inconstantior* appellatur. Baal-Sebub itaque *Deum muscarum*, FLAV. IOSEPHUS τὸν Ἀκκαρῶν θεὸν Μυῖαν *Accaronitarum Deum, Muscam*, æque ac LXX & Græci Patres, interpretantur. Circa hoc idolum quæritur:

I. *An Judæi, per ironiam, verum idoli nomen ita corruperint, & in opprobrium verterint?* Affirmant aliqui ex Judæis pariter ac Christianis. Quoniam enim inter Templi Hierosolymitani miracula refertur in *Pirke Abhoth cap. V.* §. 6. 7. quod nulla conspecta sit musca in loco mactationis tot victimarum, hinc existimat SCALIGER, proprio suo nomine hoc Accaronitarum Numen dictum fuisse בעל זבחים *Deum victimarum*, ast in contumeliam idoli, & per contemtum, Judæos inde cudisse בעל זבוב / simili ratione ac ex Bethel, postquam idololatria istic ad lapidem, ubi recubuerat Jacob, exerceri cœpit, fecere Beth-aven, *domus vanitatis*, vel iniquitatis. In quam sententiam COCCEIUS etiam concedit; inclinat vero OWENUS *cap. V.* §. 5. *Forsan in idololatrarum opprobrium,* ἐπίθετον *additum est, ut sit Deus, qui muscas curaret, vel qui ne muscas abigere potuerit.* Et denuo veri dissimile esse negat, muscarum infestationem idolis & idololatris hac voce esse exprobratam. Eandem interpretationem VOSSIUS *lib. II. de Idolol. cap.* 4 amplectitur, & GROTIUS *in Matth. X,* 25. Sed probe observat SELDENUS *Synt. II. cap. VI. p.* 302. *α*) Ahaziam, idoli hujus cultorem, non sane insultare voluisse ignominioso nomine oraculo, quod consultum cupiens, eadem appellatione designabat 2 Reg. I. *β*) Europæis quoque Jovem, & Herculem, sub eodem fere nomine fuisse cultum. Arcades enim solenni sacrificio τὸν Μυίαγρον, *Deum muscarum depulsorem* quotannis reddere solebant propitium; quomodo & Elei, Olympico certamine, Jovem Ἀπόμυιον, teste PAUSANIA *in Arcadicis, & Eliacorum lib. priore.* Quin & sacra Muscis annua fieri solita in Apollinis Actii fano, tradit AELIANUS *de Animalib. lib. XI.* Has rationes mutuatur, novisque aliis auget, contra explicationem vocis ironicam IURIEU *P. IV. Tr. IV. cap.* 3. *p.* 628 *sq.* Hinc veritati magis consonum videtur, apud ipsos Accaronitas id nominis obtinuisse, nec tam contemtus, quam honoris & elogii causa inditum fuisse idolo. Quin & THOM. HYDE *Hist. de Vet. Persar. Relig. cap. V. p.* 131. idolum ejus magnum fuisse dicit culicem metallicum, telesmatice confectum apto tempore, scilicet sub fausto aspectu Jovis, aut Planetæ, cui subsunt muscæ, & ex apta materia, cum precibus & proprio suffitu &c. Fuisse ergo apud populum

τ8 Chemosch, & ejusmodi alios, hocce Telesma idem, quod apud Græcos Ζεὺς Ἀπόμυιος, *Jupiter muscarum abactor.* Quodsi eas aliquando non abigebat, tum danda opera, ut precibus, & suffitu, & libationibus, & aliis cerimoniis melius placeretur.

II. *Ob quam itaque causam muscarum Deus audiat Beelzebub?* DRVSIVS *in Matth. XII*, 24. GREGORII NAZIANZENI & PROCOPII GAZAEI auctoritate haud dubie inductus, ita appellatum dicit, a similitudine, quam habuerit muscæ: *Nam veteribus*, addit, *mos fuit, ut statuas Deorum sculperent ea forma, quæ corpore hominem referebat, capite autem & facie animal aliquod, puta aut avem, aut leonem, aut muscam: vel contra facie humana referebat cetera parte corporis aliquod animal:* quod PORPHYRII firmat testimonio ex libro quidem περὶ τῶν ἐμψύχων ἀποχῆς. Sed mera id nititur conjectura. Alii ergo a virtute dictum existimant, quod abigendis muscis hoc Numen præesset: quod profanorum auctorum testimonia suffulcire videntur. Ita nimirum PLINIVS *lib. XXIX. Nat. Hist. cap. 6. Nullum animal*, inquit, *minus docile existimatur, minorisve intellectus: eo mirabilius est, Olympiæ sacro certamine, nubes earum, immolato tauro, Deo quem Myiodem vocant, extra territorium id abire:* ad quem locum vide DALECHAMPIVM *in Notis.* Morem ejus sacrificii ab Hercule profectum narrant, qui, cum in Olympia rem sacram Diis faceret, muscarum infesta multitudine, Jovi Ἀπομυίῳ sacris factis, ultra Alpheum illas abegit. Ex hac historia Μυιώδη, sive Ἀπόμυιον Θεὸν Jovem fuisse intelligimus. Hinc Latinis Patribus Beelzebub quasi *Princeps muscarum* dicitur, quod nimirum hic Deus muscas abigeret a suo templo. Facilius hoc mihi persuaderi patior, quam quod BEDA opinatur, dictum fuisse, quod propter multa & frequentia in templo ejus sacrificia, muscæ per examina, quasi Deum agnoscentes, eo confluerent.

III. *Quodnam gentium Numen retulerit Baal-Zebub?* Passim Jovem Muscarium credunt, ut ex hactenus dictis apparet, & Auctor noster §. *VI.* tuetur; cui favet, quod Matth. XII, 24. Ἄρχων τῶν δαιμονίων salutatur. Imperium enim in Deos ceteros tenere Jovem, Gentiles censebant. Ast IVRIEV *cit. loc. p.* 631. δαιμονίων seu Dæmonum appellationem de Diis Manibus, sive Inferis, h. e. de malis Geniis frequentius usurpari observans, quam de bonis, *Principem Deorum Inferorum* interpretatur, eaque propter Plutonem retulisse, curate probat, quod Judæorum blasphemiæ apprime respondet, qui phrasi ab Ethnicis mutuo petita, Servatorem malos Genios per Beelzebub, principem eorum, ejicere criminabantur.

Ad §. VII. pag. 93.

(8) *Quædam Græca exemplaria N. T. legunt* Βεελζεβὲλ] Recte ita legere, partim probatiorum Codicum concentus, partim Interpretum confirmat approbatio. *Hanc scripturam ego omnino retinendam censeo*, DRVSIVS *ad h. l.* inquit, *tantisper dum quis probaverit, eam a Scribis corruptam fuisse, & non ab usu & vulgo. Nam, si ab usu est illius temporis, & Evangelistæ eam retinuerunt, cur nos mutabimus?* Judæi, acerrimi, post reditum e Babylonia, idolorum osores, una litera mutata, convicium Accaronitarum Numini faciebant, pro זבוב *musca* restituentes זבל *stercus*, ut Beelzebul idem valeat ac Ζεὺς Κόπριος, *Jupiter Stercorarius. Hæc mea conjectura est, quam puto veram esse, & ita opto Deum animæ meæ propitium*, rursus DRVSIVS ait *cit. loc.* Et in eo satis convenit inter doctores. *Nam ut a Zebul*, habitaculum, *duceretur hoc nomen, ratio nulla reddi potest*, addit OWENVS §. *VI.* Sic alias Scriptura, in contemptum & derisionem, idola gentium אלילים *res vanas & nihili*, & גלולים *Deos stercoreos*, appellare consuevit. Cur autem Ἄρχοντι τῶν δαιμονίων approprietur hoc nomen in N. T. causam reddunt eruditi, fieri per metaphoram, quia Diabolus ille princeps, reliquorum malignorum Spirituum integra post se trahit examina, more muscarum velut in aere volitantia.

Ad §. VIII. pag. 93.

(9) *Baal-Berith erat Deus Sichemitarum*] FRANC. BURMANNUS *Annot. ad Jud. VIII*, 33. hunc Baalem Deam censet, cultam ceu *Deam Fœderalem*, quam loco veri Dei, qui solus cum Judæorum gente fœdus pepigerat ad montem Sina, quique potiori jure *Deus Fœderis* ipsorum nominari merebatur, venerabantur. Sive ita appellaretur a fœdere, quod Sichemitæ cum Abimelecho in æde ejus pepigerant cap. IX, 4. sive juxta alios, quæ in urbe Berith, seu Berytus, in Phœnicia, inter Byblum & Sidonem interjecta, ab antiquo colebatur. Si prior obtineat interpretatio, *Jupiter Fœderatus*, seu *Fœderalis* cum hoc Baale erit conferendus, de quo LILIUS GYRALDUS *Hist. Deorum Syntagm.* 2. *colebatur*, inquit, *& in fœderibus sanciendis, apud Græcos* Ἐνόρκιος Ζεύς, *a juramento videlicet appellatus:* cui apud Romanos *Jupiter Lapis* aut *Lapideus* respondebat, cujus formula apud APULEIUM *lib. de Deo Socratis*, ita habet: *Quid igitur jurabo per Jovem Lapidem, Romano vetustissimo more?* FESTO enim teste, fœdus inituri lapidem manu tenebant, dicentes: *Si sciens fallam, me Diespiter, salva urbe arceque, bonis ejiciat, ut ego hunc lapidem.* Si posterior, Deus hic fuit Berytiorum seu incolarum urbis Phœniciæ vicinæ, Berytus nuncupatæ, e quibus cultum ejus didicerunt Israelitæ. BOCHARTUS *Chanaan cap. XVII. p.* 859. Baal-Berith dicit idolum Berith, seu Beryti urbis, e qua oriundus Sanchoniathon. *Ex quo fit verisimile, fœdus aliquod initum, aut Gedeonis commercium frequens cum Berytio, homine magni nominis, occasionem dedisse idololatriæ Judæis alioquin prorsus ignotæ: neque enim alibi Baal-Berith nominatur uspiam.* Porro docet, Deæ, non Dei nomen fuisse apud Phœnices, & a poeta NONNO Beroen efferri. Neque novum videri cuipiam debere, Baal hic esse femininum. LXX enim frequenter τὴν Βαάλ, τῇ Βαάλ & τὰς Βααλὶμ dicere: quin & Paulum idem facere, quando Rom. XI, 4. ait: οὐκ ἔκαμψαν γόνυ τῇ Βαάλ. Hebræos autem Deorum sexus nescire, nec vocem habere, quæ Deam sonet, adeo ut Astarte diserte Deus vocetur 1 Reg. XI, 5, 33. Quin & apud Gentiles Deos utriusque sexus habitos fuisse, monet IAC. SPONIUS *Miscell. erud. antiquitatis Sect. III. n.* 74. *p.* 104. Ac Luna aliquando in nummis habitu virili exprimitur, tuncque Deus Lunus audit, cujus meminit SPARTIANUS *in Caracalla.* Sic Liberum & Liberam, alia numismata: Sic Venerem masculam statuæ quædam exhibent, vetusque poeta CALVUS confirmat: *pollentemque Deum Venerem.* Ita SPONIUS *Fortunam Barbatam* exhibet, ut virilis illa non minus esset, quam muliebris. Demum vero IURIEU *l. c. cap. II. p.* 620. novam ex SANCHONIATHONE exsculpit & in lucem profert conjecturam, Deam Berith Græcorum esse Cybelen, matrem Deorum, & sub hoc fabularum involucro virtutem Dei productivam in creatione latere, immo Verbum, quod condidit mundum: quæ, longe admodum petita, qui cupit, legere potest apud laudatum auctorem.

Ad §. IX. pag. 93.

(10) *Quod attinet Belum & Draconem*] Præter *Apocryphum Danielis continuatorem*, fabulam de Dracone recitat quoque IOSEPHUS BEN GORION *lib. I. cap. XIV.* cui tamen minus recte convenit cum *Scriptore Apocrypho Danielis.* Ille sub Dario, hic sub Cyro collocat. Longe aliud hic Draconi a Daniele paratum deleterium memorat, quam alter. In Apocryphis Daniel ob interfectum Numen in lacum leonum conjectus est, de qua ne γρῦ quidem apud GORIONIDEM. Differunt quoque de ingluvie Draconis quotidiana, quæ *Apocrypho* traditur σεμιδάλεως ἀρτάβαι ιβ. καὶ πρόβατα μ. καὶ οἴνου μετρηταὶ ς. IOSEPHO autem juvencus, X arietes, C pulli columbarum, & LXX panes subcinericei, & X amphoræ (כדי Caddai) vini. Interim SELDENUS *Synt. II. cap. XVII.* erudite conjectat, quia serpentes seu Dracones inter recondita gentium inprimis fuerint habiti, ARISTOTELES quoque

que libro *περὶ θαυμασίων ἀκȣσμάτων* memoriæ prodiderit, in Meſopotamia ſerpentes dari, qui indigenas non lædant, advenas autem vehementer infeſtent, fieri omnino potuiſſe, ut incolæ & accolæ, hi ut malum averruncarent, illi ut gratias rependerent, ſerpentem adoraverint. Præterea guloſum hunc Deum quisquis primo finxerit, non absque Scriptura feciſſe. Nam Jer. LI, 44. cultum Beli notatum legerat: *viſitabo quoque Bel in Babylone, & extraham de ore ejus omne quod devoravit.*

AD

LIB. IV. CAPVT IV.

DE DAGONE.

Ad §. I. pag. 94.

Ab umbilico in piſcem deſierit] Juvat hic audire R. DAV. KIMCHI *in* I *Sam. V*, 4. ad quem remittit Auctor noſter, ita tradentem ex mente Magiſtrorum gentis ſuæ: אמרו כי דגון מטבורו ולמטה היה צורת דג לפיכך נקרא דגון ומטבורו למעלה צורת אדם כמו שאומר ושתי כפות ידיו כרותות אל המפתן וזהו פרושו רק דגון נשאר עליו צורת דג נשאר עליו: *Dicunt* (Sapientes) *quod Dagon ab umbilico & inferius habuerit formam piſcis, eaque propter nominatus ſit Dagon, ab umbilico autem ſuperius formam hominis, quemadmodum* (textus) *inquit, & duæ palmæ manuum abſciſſæ* (inveniebantur) *ſuper limine, & hoc volunt verba* ſequentia: *tantum Dagon relictus erat ſuper ipſo*, h. e. *ſola forma piſcis relicta erat ſuper ipſo:* quod verſione & calculo IONATHANIS Chaldæi firmat. Conſentit ABARBENEL, niſi quod, præter fidem Textus ſacri, pedes quoque idolo tribuit humanos. Quando autem RASCHI eidem דמות דג *ſimilitudinem piſcis*, R. LEVI BEN GERSOM צורת בך ארם *figuram hominis* tantum largitur, hic de ſuperiore, ille de inferiore corporis parte locutus videtur. Quidam Codices Græci cum ABARBENELE facientes, legunt verſ. 4. *καὶ ἀμφότεραι τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτȣ̃ ἀφῃρημένα, & duæ plantæ pedum erant ablatæ;* ſed rectius Vaticanus, & cum eo editio *Lamberti Bos* Franequerana An. 1709. legit *χειρῶν, manuum,* quod reſpondet Hebræo. Doctiſſimus VOSSIVS bene habet: *erat ſemihomo, ac ſemipiſcis:* quem tamen, illam de pedibus fabulam, adoptaſſe miror, dum addit: *ceterum erant ei & pedes humani, quaſi ad caudam adnati:* quod auctoritate vitioſæ verſionis *τῶν* LXX ſuffulcit. Piſcis figura repræſentat vim hujus Numinis in maria, *ut complexu ſuo contineat tum Lunam, ſeu Lunum, ut principium activum, tum mare, ut paſſivum,* inquit VOSSIVS *lib. II. cap.* 76. SELDENVS, qui copioſiſſime & pererudite de Dagone commentatur *Syntagm. II. cap.* 3. *p.* 262 *ſqq.* illum cum *Ὠάννῃ* confert, quem BEROSVS, APOLLODORVS, & *Polyhiſtor* apud EVSEBIVM memorant biceps animal, cetera piſcem, e cujus cauda adnaſcebantur pedes, humanis ſimiles. Vox ei humana: ex mari autem Erythræo emerſum, Babyloniam perveniſſe ajunt, occidente vero Sole in mare rediiſſe, moremque hunc quotidie, velut *ἀμφίβιον* ſervaſſe. Ab eo homines omnifarias artes, literas, agriculturam, ædium ſacrationes, architecturam, & leges politicas didiciſſe, nec non quicquid ad vitam civilem pertinet. Simulacrum ejus usque ad BEROSI tempora, id eſt ad initia Græcæ monarchiæ perduraſſe. Quæ in Dagonem quadrant, ex humana & marina figura mixtum.

Ad

Ad §. II. pag. 94.

(2) *Primum aratri frumentique usum*] Hæc altera vocis est interpretatio PHILONIS BYBLII, qui Dagonem Cæli filium tradit, nomenque a דגן *frumentum* traxisse perhibet, Δαγὼν ὅς ἐςι Σιτὼν, *Dagon, quod idem est ac frumentum,* eo quod frumentum invenerit. Aratri etiam repertor habebatur, ideoque Ζεὺς 'Αρότριος, quasi *Jupiter Aratrius* dictus. Eandem vocis notionem amplectitur BVRMANNVS *ad Jud. XVI,* 23. eo quod Atergatis, Dercetis, Derceto, quæ Dea est marina Syrorum, in forma piscis Ascalone coleretur, Dagon vero Asdodi vel etiam in Gaza, ubi Simson in templum Dagonis deductus, illud diruisse memoratur. Sed hallucinatum fuisse PHILONEM docet SELDENVS: & PETR. IVRIEV *P. IV. Hist. Dogmat. & Cult. Tract. IV. cap. V. p.* 643. distinguendum monet inter SANCHONIATHONIS verba, & PHILONIS glossemata, quæ ex ingenio addidit. Ad posteriora refert hanc etymologiam, quod PHILO nosset, דגן *frumentum* notare, hinc de suo eum adjecisse, quod Dagonis nomen sit Σιτὼν, ei tributum ob rationes supra allatas: in quo tamen falsus sit, cum a דג vel דגה *piscis* verius derivetur. Idemque *pag.* 646. Dagonem eundem esse cum Neptuno evincere laborat, quem Phœnicii, littus maris incolentes, & insigni cum emolumento commercia maritima exercentes, ceu maris præsidem coluerint.

Ad §. III. pag. cit.

(3) *Illi, quibus Dagon exponitur - - errare possint*] Hanc quidem sententiam serio inculcat SAM. BOCHARTVS *P. I. Hieroz. cap. VI. sub fin.* SANCHONIATHONIS cumprimis auctoritate motus, scriptoris Phœnicii antiquissimi, Jephtæ Judici συγχρόνυ, certius longe gentis suæ sacra tradentis, quam multo recentiores Hebræorum Magistri. Sed hallucinatum in eo iterum fuisse PHILONEM, demonstrat SELDENVS supra laudatus, & assentiens SCALIGERO, eum ex mala vocis שדי interpretatione, nomen *omnipotentis* Dei in SANCHONIATHONIS Annalibus deprehensum, transmutasse in *agrum* aut *agrestem,* & in 'Αγρότην vertisse docet, ut quem Σιτὼν vertit, melius & ad rem Ἰχθυὼν fuisset dicendus. Recte alias BOCHARTVS *in Chanaan cap. XIV. p.* 832. Etymologum veterem, & qui hunc sequitur, PHAVORINVM, castigat, quando ex Βητάγων Saturnum Phœnicium exsculpit, cum corruptum potius sit vocabulum ex בית דגון, quomodo templum Dagonis appellabatur, non solum ab Hebræis, & Phœnicibus 1 Sam. V, 2, 5. 1 Chron. X, 10. sed & a Judæis Hellenistis, ut 1 Maccab. X, 83. i. e. τὸ ἱερὸν Δαγὼν, ut explicatur cap. XI, 4. Quod obiter censui annotandum.

AD

LIB. IV. CAPVT V.

DE VITVLO FVSO.

Ad §. I. pag. 94.

Late recensetur Exod. XXXII.] Historiam Sacram ex instituto exponit, & quæ circa illam fabulantur Judæi, studiose congerit BOCHARTVS *P. I. Hierozoici lib. II. cap. XXXIV.* unde transscribere supersedemus. MVHAMMEDIS de illa nænias ex *Corani Azora XX.* latine exhibet SELDENVS mox citandus, quas ibidem lege.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *In similitudine Vituli adorarint*] Bovem aureum, quam Vitulum, mavult SELDENVS

Syntagm. I. cap. IV. ab init. quod, quem עגל dicit Moſes, per שור exponit David Pſ. CV, 21. eandemque ſententiam tuetur IVRIEV *P. III. Tract. peeul. cap. I. p.* 503. ubi, voc. עגל bovem quoque commode notare, obſervat. Ex auro fuſum memorat Scriptura, quod contra FRANCISC. IVNIVM urgemus, qui *Not. ad Exod. XXXII,* 4. perperam ita commentatur: *Quamvis non tam exiſtimari poſſit vitulus iſte totus ex auro fuiſſe conflatus, quam auri laminis tantummodo obductus, cetera ligneus, ut quem Sacræ literæ tradunt combuſtum atque in cineres verſum.* Falſo in cineres combuſtione verſum tradit, quem Scriptura in pulviſculum concuſſum, prius autem non ligneum, ſed מסכה fuſum ex auro memorat. Circa cauſam autem externæ vituli vel bovis figuræ, in partes eunt Interpretes. א. Sunt, qui exiſtimant, Aaronem putaſſe, Deo bovis imaginem placituram magis, quia boum ſacrificiis maxime delectaretur. Quaſi vero honori ſibi ducturus fuiſſet, ſe ſub eodem cum victimis ſuis ſchemate repræſentari. Et bovis imagini veros ac vivos boves mactari & adoleri, quis ferat? ב. In contrarium euntes alii, Aaronem maluiſſe credunt Deum fictitium populo ſuo ridiculo ſchemate exhibere, ut eum ſic ab idololatria averteret. Sed ipſum ſerio rem egiſſe, docent omnes Textus circumſtantiæ. Et ſi idololatrico illudere hac figura voluiſſet cultui, quomodo vel pati potuiſſet, ſuperſtitioſum populum, bovem hunc Deum vocare, qui ex Aegypto eos eduxiſſet; vel coram idolo Præconis voce, feſtum Domino celebrandum, edicere? ג. Sub initium Sæc. XVII. FRANCISC. MONCAEIVS apologiam edidit pro Aarone, *Aaron Purgatus, ſive, de Vitulo Aureo libri duo*, inſcriptam, & Francofurti An. 1675. in forma 8. Lipſiæ quoque An. 1689. in forma 12 recuſam, nec non *Criticorum Sacrorum Tom. VII.* edit. Francofurt. *p.* 3274. inſertam, proſcriptam autem & damnatam per Officium Inquiſitionis Romæ, die 7 Sept. An. 1609. ac in Indice librorum prohibitorum Romæ, ex typographia Cameræ Apoſtolicæ An. 1640. edito, ex Eccleſia penitus eliminatam: omnino prout CORN. A LAPIDE *Comment. in Exod. XXXII,* 4. prædixerat auctori. Is Aaronem hunc bovem finxiſſe fingit ad exemplar Cherubi, cui Deum inſidentem viderat, cum Senioribus appareret Exod. XXIV, 10. Angelum quippe præceſſurum Iſraelitas, & in terram Canaan introducturum, cum promiſiſſet Deus Exod. XXIII, 20. nihil aliud egiſſe Aaronem contendit, quam quod Moſes facturus erat, erecto vitulina forma Cherubo, tanquam ſigno Divinæ præſentiæ, populum deducentis. Hunc autem Cherubum, contra mentem Pontificis, populum adoraſſe. Velut autem Deum Cherubo fuiſſe vectum, eoque vituli ſpecie, nusquam legitur: ita commentum iſtud Doctor Sorbonicus, VISORIVS, graviter & ex inſtituto confutavit, libro An. 1609. edito, cui titulus: *Destructio Pſeudo-Cherubi* MONCAEI. ד. Auctor *Mirabilium Scripturæ*, ſub AVGVSTINI nomine, *lib. I. cap. XV.* id omne ad Joſephum refert, quod Aegyptii bovis ſimulacrum juxta ſepulcrum Joſephi ſtatuerint, quia bos viro in agricultura cooperatur. Cui ſententiæ in ſpeciem favet, quod cultus Serapidis, vel Sarapidis, quem cum Apide eundem faciunt, a Veterum nonnullis, ut & ab Auctore noſtro, ad Joſephum refertur. Hanc ſententiam cumprimis ornare inſtituit VOSSIVS *lib. I. de Idolol. cap. XXIX. p.* 113 *ſq.* Verum BOCHARTVS *c. l. p.* 338 *ſq.* Joſephum Aegyptiorum Apim fuiſſe, aut ſub bovis imagine ab iis cultum, prolixe & recte negat. Joſepho enim mortuo, propter accepta ab eo beneficia, divinos honores fuiſſe exhibitos, Moſes altum ſilet, quin potius poſthæc alium ſurrexiſſe memorat Regem, qui Joſephum non noverat, Exod. I, 8. i. e. qui nulla ejus, nec fratrum & poſterorum, ratione habita, graviſſimam in eos tyrannidem exercuit. Huic Regi ſucceſſit alius, Iſraelitis æque infenſus, quem in populi ſui gratiam, graviſſimis Deus plagis afflixit, & tandem ſub aquis demerſit, cum omnibus copiis ſuis. Vnde mutuum inter Judæos & Aegyptios odium in plura ſæcula duravit. Joſephum ergo pro Deo in Aegypto cultum fuiſſe, ab omni vero abludit:

neque

neque Serapidis apud eos cultus fuit ita vetustus, nec ulla in Aegypto ejus mentio, antequam ex urbe Pontica, Sinope adveheretur: quæ fuse ibidem prosequitur BOCHARTVS, & post eum, quod ad Josephum attinet, IVRIEV *cap. VI. pag.* 521. Ipse demum ה. *pag.* 345. & post eum HERM. WITSIVS *Aegyptiacor. lib. II. cap. II. p.* 61 *sqq.* vitulinæ illius superstitionis originem, ex Aegypto recte arcessit, ubi vituli & boves in plurimo cultu fuerunt. Cum enim Apidem & Mnevin, sacros boves, a Memphitis & Heliopolitis pro Diis cultos constet, Hebræos autem tam in Aegypto, quam inde in libertatem assertos & eductos, Aegyptiorum idololatriam deperiisse, ex Jos. XXIV, 14. & Ezech. XX, 7 sq. & cap. XXIII, 3, 8, 19. palam fit: pronum hinc est colligere, ad hujus superstitionis similitudinem, ab Aarone vitulum aureum fuisse conflatum. Vterque ut hoc obtineat, tria demonstrat: 1) boum cultum adeo apud Aegyptios antiquum fuisse, ut Israelitarum ex Aegypto exitum antecesserit: 2) Aegyptios non viva solum animalia, sed eorum quoque imagines coluisse: 3) Israelitis etiam in hac ipsa re Aegyptiorum κακοζηλίαν exprobrari. In qua sententia recentiores fere omnes acquiescunt: eamque fuse declarat IVRIEV *c. l. cap. II, III, IV, V. sqq.* Quando autem Patres, LACTANTIVS *lib. IV. cap. X.* HIERONYMVS *in Hos. IV.* AVGVSTINVS *in Psal. LXXIII.* BASILIVS SELEVCIENSIS *Orat. VI.* TERTVLLIANVS *adv. Judæos cap. I.* AMBROSIVS *de Pœnitentia lib. I. cap. VIII.* OPTATVS MILEVITAN. *lib. III.* ISIDORVS HISPALENS. *Originum lib. VIII. cap. XI.* caput bovis, aut vituli aureum ab Aegyptiis cultum tradunt, cum tamen Scriptura nullibi de solo capite, sed de integro vitulo decies diserte id affirmet, BOCHARTVS *p.* 346. non tam illos Scripturæ vel ignaros, vel adversos, eidem ut in os contradicerent, censendos existimat, sed Synecdochice potius locutos, bovis aut vituli capite, tanquam parte insigniori, bovem ipsum aut vitulum designantes.

Ad §. III. pag. 95.

(3) חרט *stylo sculptorio*] A חרט quod apud Syros est, *sculpsit*, descendit חרט *stylus*, partim quo scribitur in pugillaribus, ut Jes. VIII, 1. partim, quo aliquid cælatur & sculpitur. LXX in genere verterunt, ἐν τῇ γραφίδι. Et R. SALOMO ita exponit, quod Aaron primo in tabula stylo depinxerit formam vituli, deinde artificibus tradiderit, ad ejus similitudinem ut idolum facerent. Quo faciunt, quæ *ad h. l. vers.* 4. annotavit CARTWRIGHTVS. Nec abnuere videtur DRVSIVS, qui notionem דפוס *formæ, moduli* seu *typi*, huic voci tribuit: *si fundebatur*, inquiens, *ad quid stylus, sive scalprum, aut scalpellum? expende.* ABEN ESRA scribit, חרט significationem habere דמות *similitudinis*, quod in superiorem redit sententiam. R. SALOMO vero, præter allatam, aliam subministrat interpretationem, ut ויצר apud Mosen notet *ligationem*, quæ fit בחרט *linteo*. Sic חרט esset *velamen*, ut Jes. III, 22. & 2 Reg. V, 23. ad quem utrumque locum evolve *Michlol Jophi.* Præivit IONATHAN in *paraphrasi Chaldaica.* Hanc ejus explicationem amplectitur BOCHARTVS, & *p.* 335. hunc verborum sensum reddit: *& e manu eorum acceptum illud aurum in marsupio recondidit, & fecit ex eo fusilem vitulum.* Sed cum tritam de cælo sententiam operosius refutaverit, argumenta ejus expendit & discussit IOH. CLERICVS *Comment. ad h. l.* Nos notioni *styli* inhæremus, cum propter radicem, quam apud Syros *sculpendi* significatum habere supra monuimus, tum propter cognatam vocem חרת *exaravit, sculpit, insculpsit*, inde scriptura tabulis lapideis insculpta dicitur חרות הלחות *tabulis insculpta* Exod. XXXII, 16. Jam vero literæ ט & ת, unius organi facile inter se permutantur. Ad objectam vero fusionem prona est responsio, cum ex auro collato conflaretur vitulus, ille, qui rudior prodierat e forma, cælo scalptorio poliebatur & efformabatur. Vulgatus fontes plane negligens, vertit: *quas cum ille accepisset,*

pisset, formavit opere fusorio &c. Nihil minus חרט quam opus fusorium notat, nisi cum DRVSIO accipias de forma sive typo. Stylo autem hoc, notas candidas, quem in bove vivo, Api aut Serapi observabant Aegyptii, expressisse in idolo Aaronem, quod contendit Auctor noster, id ut susceptæ semel sententiæ velificaretur, finxit.

Ad §. IV. pag. 95.

(4) *Nihil notat, quam caput bovis*] Vtut gratis hæc fingatur etymologia ab Auctore, nominis tamen elementis curatius respondet, quam compositio VOSSII *loco supra cit.* qui vocem Serapis conflat ex שור *bos*, & אב *pater*. Inde Josephum dici *Apim* credit, uti vocetur Genes. XLV, 8. *pater Pharaonis:* & si conferas vocem שר *Princeps*, nasci inde Serapim, *Principem patrem*, cum præfuerit toti Aegypto; vel Serapim, *bovem patrem*, h. e. patrem regni Aegyptiaci, symbolo bovis signatum. Velut autem literarum ב & ב reclamat diversitas, ita quæ de capite bubulo monuit BOCHARTVS, supra attulimus *sub finem annotationis* 2.

Ad §. V. pag. cit.

(5) *In honorem memoriamque Josephi*] Hanc Auctoris sententiam supra notavimus *Annot.* 2, *Lit.* ד, & quibus laboret incommodis, ex BOCHARTO docuimus. Eandem improbat IOH. HENR. HEIDEGGERVS *Hist. Patriarch. Tom. II. Exerc. XX. Sect. III.* §. 20, 21, 22. *p.* 639 *sqq.* & ante ipsum ANDR. RIVETVS *in Gen. XLI. Exercit. CLX. Tom. I. Opp. p.* 612. ubi contra hanc, de Josepho sub Api aut Serapide culto, opinionem tria urget ex ipsa historia Sacra: 1. quod, si Aegyptii Josephum mortuum inter Deos suos retulissent, immo Deorum maximum consecrassent, non permisissent ejus corpus a populo Israelis asservari, & tandem deferri ab ipsis in alienam terram: 2. quod vix potest intelligi, quomodo alteri generationi, sub qua afflicti fuerunt Israelitæ, incognitus fuerit Josephus, quod Exod. I. dicitur: 3. quod dubitari non debeat, si tale quid factum fuisset, quin aliquid in historia Sacra, aut Prophetarum scriptis, ad superstitionem illam vel damnandam, vel præcavendam, a Spiritu Sancto indicatum fuisset, cum præsertim Israelitæ tam proni essent ad idololatriam, & Aegyptiacam etiam fuerint imitati. Summus quidem nostratium Theologorum, ABRAH. CALOVIVS, has RIVETI rationes *Comment. ad Genes. XLI,* 56. *p.* 1261 *sq.* infringere & subruere allaboravit, sed vereor, ut solide satis. Vnde hæc traditio a IOH. FRANC. BVDDEO *Histor. Vet. Test. Per. I. Sect. III.* §. 23. *p.* 446 *sq.* etiam profligata, & *Per. II. Sect. I.* §. 36. *p.* 762. assertum fuit, Serapidis cultum longe post Josephi tempora in Aegyptum invectum esse, quippe cujus nec HERODOTVS, qui de Aegyptiorum Diis tam multa scripsit, meminerit.

Ad §. VI. pag. cit.

(6) *Ad peccata Israelitarum in hac* μοσχοποΐα *vituli fictione*] Prior sane & potior est populi impietas, qui & Aaronem ad idolum fabricandum incitavit, & vitulum fusum idololatrico plausu primus excepit: *Hi sunt Dii tui, o Israel, qui ex Aegypto te eduxerunt.* Quibus verbis cultum utique transitivum innuebant. Nec enim adeo inopes mentis erant, ut se ab hoc idolo, heri fuso & conflato, erutos fuisse crederent: sed sub hoc symbolo & schemate externo, Deum verum, quocum paulo ante fœdus pepigerant, colere se credebant. Quod Aaron probe intelligens, Festum non vitulo, sed Jehovæ proclamabat, quod vituli illius cultum ad Deum verum pertinere, ac in eo terminari crederet. Attamen nec excusationem culpæ meretur Aaron, qui impio plebis dementis desiderio annuit, media ad conflandum idolum excogitavit, vitulum fudit & spectatum proposuit, quin &, cum videret, illum a populo tanto plausu excipi, extruxit coram eo altare, festum proclamavit in crastinum, & postridie obtulit idolo holocausta.

Recte

Recte VISORIVS *adversus* MONCAEIVM *f.* 34. *Duo mala fecit Aaron: unum, quod idololatriæ scelus, animo & cogitatione tantum conceperant, reipsa & facto perpetraret; alterum, ut quod privato errore facturi videbantur, publica auctoritate facerent, dum ab eo, qui multitudini summo cum imperio præerat, idolum acceperunt, circa quod debaccharentur.* Interim Judæi varias commenti sunt fabulas, ut culpam ab Aarone amoliantur, quas in compendium misit RASCHI *Comment. in Exod. XXXII,* 4. ubi ita habet: כיון שהשליכו לאור בכור באו מכשפי ערב רב שעלו עמהם ממצרים ועשאוהו בכשפים ויש אומרים מיכה היה שם שיצא מתוך דמוסי בנין שנתמכמך בו במצרים והיה בידו שם וטס שכתב בו משה עלה שור עלה שור להעלות ארונו של יוסף מתוך נילוס והשליכו הכור ויצא העגל: *Postquam projecerant* aurum *in ignem in catino, venerunt præstigiatores turbæ illius miscellaneæ, qui simul cum illis ascenderant ex Aegypto, & fecerunt illum* vitulum conflatilem *præstigiis suis. Sunt etiam, qui dicant, quod Micha fuerit ibi, qui exierat ex serie structuræ ædificii, in quo ipse compressus erat in Aegypto, & quod in manu ejus fuerit nomen ἀνεκφώνητον, ac lamina, in qua scripserat Moses* verba ista: *ascende bos, ascende bos, ut extraheret arcam* feralem *Josephi ex Nilo, & quod projecerit* Micha *illam* laminam, cui nomen Dei inscriptum erat, *in medium catini, unde egressus sit vitulus.* Hic varia conglomerantur Judæorum figmenta, quibus alias sigillatim culpam tam populi, quam Sacerdotis Summi, extenuare & emollire nituntur: Videlicet 1) non Israelitas, sed miscellam potius Aegyptiorum turbam, primum fuisse consilii istius auctorem, velut *ad vers.* 4. RASCHI perspicue docet: ולא נאמר אלה אלהינו מכאן שערב רב שעלו ממצרים הם שנקהלו על אהרן והם שעשאוהו ואחר כך הטעו את ישראל אחריו: *Non dicitur: isti* sunt *Dii nostri* sed אלה אלהיך ישראל isti sunt Dii tui, o Israel, *unde* liquet, *quod multitudo* illa *miscellanea, quæ ascenderat ex Aegypto,* juxta Exod. XII, 38. *sese congregaverit adversus Aaronem, & quod turba illa fuerit, quæ fecit illum* vitulum, *quæque postea secum una in errorem traxit populum Israeliticum.* 2) Quod præstigiatores Aegyptiaci in hac turba effecerint, ut ex auro in catinum projecto, Diaboli ope prodiret vitulus: unde Aaron fratri exprobranti, crimen purgat vers. 24. *& projeci illud in ignem*, quasi diceret, juxta RASCHIVM: *nec putavi, quod egressurus esset vitulus iste, qui tamen* præter spem ac expectationem meam, præstigiatorum arte *egressus est.* 3) Quod in his, cumprimis Micha fuerit, cujus præstigiis res omnis fuerit confecta. Quod ut intelligatur, ex *Gur Arjeh fol.* 115. *col.* 1. repetenda est fabula, quod scilicet Aegyptii in ædificiis, regi Pharaoni exstruendis, acceperint parvos Israelitarum liberos, eosque lapidum instar, muris impegerint seu impresserint, quo viso dixerit Moses Deo: an æquum est, ut isto modo filii Abrahami, Isaaci & Jacobi tractentur ab Aegyptiis? Deus autem ei responderit: omnes isti liberi, si mansissent superstites in mundo, evasissent apostatæ. Si tu dictis meis fidem non habes, accipe unum ex illis, (& in vivis serva) ac videbis, quidnam ipse facturus sit. Tunc Moses accepit Micham: is ipse fecit vitulum conflatilem, ac sculptile (de quo Jud. XVII, 3, 4.) ac propterea ipse appellatus fuit מיכה, quoniam נתמעך impressus fuit seriei structuræ ædificii, quod Aegyptii faciebant. Sic mendacium mendacio tegunt Rabbini, ne perpluat. 4) Immo quod sanctissimo & ineffabili Dei nomini hanc vituli productionem tribuant. Addit 5) RASCHI *ad vers.* 5. *& vidit Aaron,* quod esset in vitulo Spiritus vitæ: nam dicitur Psalm. CVI, 20. *in figuram bovis, qui comedit gramen.* Vidit itaque Aaron, quod opus Satanæ prospere cessisset, quocirca nec ipse ausus est, repellere illos omnino: Hinc 6) circumspecte locutum Aaronem: non hodie, sed *cras erit festum Domino*, quia sperabat fore, ut eopse die rediret Moses ex monte, antequam Israelitæ vitulum Divino prosequerentur honore; atque hunc RASCHI vocat sensum Scripturæ literalem. Porro, cum diceret Aaron: *festum erit Domino*, in mente

te habuiſſe illum, feſtum revera Domino celebrandum fore, quia certo ſibi perſuaſerit, quod venturus eſſet Moſes, & Iſraelitæ verum Deum culturi. Præter hæc RASCHI 7) allegoricam ex ויקרא רבא profert explicationem: res multas vidiſſe Aaronem: vidiſſe, quod Hur, filius ſororis ſuæ, qui idololatras redarguerat, ab ipſis interfectus eſſet: vidiſſe quoque & cogitaſſe: ſatius eſt, ut mihi imputetur peccatum, quam Iſraelitis: vidiſſe amplius & cogitaſſe: ſi illi exſtruant altare, hic adferet faſciculum, iſte lapidem, atque ita reperietur opus eorum momento temporis abſolutum; aſt ſi ego ædificavero illud, moram nectam in exſtructione, donec Moſes veniat &c. Quæ omnia, etſi invita veritate, citra fundamentum, & reclamante hiſtoria ſacra nugantur, affatim tamen docent, quam anxie colores undecunque conquirant, quibus tanti criminis maculam, vel a gente ſua abſtergant, vel obducant, ejusque in alios conjiciant culpam. Sed & in Eccleſia Chriſti magni nominis doctores famæ Aaronis deeſſe noluerunt, populi violentiam cauſati. Ita BERNHARD. *Epiſt.* 83. *Aaron,* inquit, *ſceleratis tumultuantis populi clamoribus, contra voluntatem ſuam ceſſit.* THEODORETVS *Quæſt. in h. l. Exod.* formare vitulum, neceſſario coactum fuiſſe, perhibet; & AVGVSTIN. *lib. XIV. de Civ. Dei cap. XI. non conſenſit inductus,* ait, *ſed ceſſit obſtrictus.* Sed mille mortes ſubire potius oportuit tantum Dei ſervum, quam in illud ſcelus conſentire, nedum auctoritate ſua cultum profanum approbare.

Ad §. VI. pag. 95.

(7) *Non ſit uncia perverſitatis vituli illius*] In Gemara *Sanhedrin fol.* 102. *col.* 1. ex R. ISAACI effato ita habet: *Non eſt vindicta aliqua, quæ invadit mundum, in qua non ſit vigeſima quarta pars libræ vituli primi, ſicut dicitur* Exod. XXXII, 34. *cum viſitavero, viſitabo in eos peccatum eorum.* Quin & nugantur Judæi, Iſraelitas iſtos, qui præſentes adſtiterunt monti Sinai, atque audiverunt legem inde a Deo publicatam, evaſuros ſicut Angelos, nunquam generaturos filios, nec unquam morituros, ſed ſimiles Angelis futuros, niſi fatale illud per vitulum aureum interveniſſet crimen. Hinc *in Avodah Sarah fol.* 5. *col.* 1. dicunt: *Niſi patres noſtri peccaſſent, nos non veniſſemus in mundum, ſicut dicitur: ego dixi, vos Dii eſtis, & filii Altiſſimi omnes. At corrupiſtis opera veſtra; ergo moriemini, ſicut homines.* Vide LIGHTFOOTI *Hor. Hebr. in Johan.* X, 35. *Tom. II. Opp. fol.* 646. Citata ab Auctore MOSIS GERVNDENSIS verba, plenius excitata leges apud BOCHARTVM *c. l. p.* 354.

Ad §. VII. pag. 96.

(8) *Populusque conſedit ad edendum & bibendum* &c. *verſ.* 5, 6.] Notandum venit inſigne, quod hac parte inter ſacrificia intercedit, diſcrimen. Epulas enim ſacrificiales nec Holocauſta admittebant, quæ igne abſumebantur integra, nec Expiatoria, quorum pars cedebat Sacerdotibus, quibus ſolis veſci de illis licebat: ſed Pacifica, quorum partem aliquam offerentes pro jure ſuo retinebant, ut amicis, ſi viſum eſſet, invitatis, agitarent convivia. Legem habes Deut. XII, 7. XVI, 11. Exemplum, 1 Samuel. IX, 13. Ad quem locum RASCHI benedictionem epulis euchariſticis præmiſſam, his verbis repetit: ברוך אתה יי' אלהנו מלך העולם אשר קדשנו במצותיו וציונו לאכול הזבח: *Benedictus tu, Domine, Rex mundi, qui ſanctificavit nos in præceptis ſuis, ac præcepit nobis, ut comederemus ſacrificium.*

Ibidem.

(9) *Combuſſit, commoluitque in pulverem*] In tenuiſſimam ejusmodi ſcobem comminutum a Moſe vitulum, ut aquis innataret, dum Textus commemorat, ii, qui Chemiæ aliquam inde accedere dignitatem & laudem exiſtimant, Moſen Chemicæ artis apprime peritum inde colligunt. Ita EDMVND. DICKINSONVS *in Phyſica Vet. & Nova cap. XX. §. 4. p.* 317 *ſqq.* totus in eo eſt,

ut

ut Alchymiſtam faciat Moſen, hanc primo loco rationem allegans, quod ille igne Chemico aurum brevi tempore in valde ſubtilem atque ſolubilem calcem redigere calluerit, adeo ut in aqua fluviali diſſolvi, & ad bibendum dari potuerit. Hinc, quando contundendo vitulum, Moſes dicitur comminuiſſe in pulverem, id ex phraſeologia Chemica vult exponi, qua ea dicuntur contundi & teri, quæ in ſubtilem naturam rediguntur, quacunque id ratione fiat. Porro, quando Moſes ait, ſe illum pulverem projeciſſe in torrentem, qui deſcendit de monte Horeb, id metonymice dictum cupit, pro aqua, de illo torrente ſumta, in qua Moſes pulverem iſtius vituli diſſolvendo diſperſerit. Jam cum certum ſit, ut calx auri ſolubilis efficiatur, quod arcano quodam pulvere, vel liquore injecto fiat, artem viri ſapientiſſimi, reſerandæque naturæ peritiſſimi notitiam requiri, quæ ſi in Moſe fuerit, ut fuiſſe ex hoc facto liquido apparet, nihil ſupereſſe contendit Anglus noſter, quam ut Chemiæ perquam ille cenſeatur fuiſſe peritus. Verum iſta omnia, quam ruinoſo nitantur fundamento, primo ſtatim aſpectu patet, prolixa ut non egeant confutatione. Potius cenſendum, Moſen vitulum iſtum in ignem projectum, in rudem, informemque redegiſſe auri maſſam, quod Textus comburendi voce notat, cum revera vitulus aureus abolitus ſit igne, & vitulus eſſe deſierit: hanc porro maſſam auream illum elimaſſe, & in tenuiſſimam attriviſſe ſcobem. Artem autem, aurum ſic elimandi, Hebræos non fugiſſe, ex IOSEPHO apparet, qui *Antiqu. lib. VIII. cap. II.* Salomonis equites memorat ψῆγμα χρυσοῦ, *ſcobem auream* quotidie capillis ſic inſperſiſſe, ut Solis repercuſſu illuminati ſplenderent. Quomodo TREBELLIVS, Gallienum crinibus ſuis auri ſcobem aſperſiſſe, & SPARTIANVS, Commodum Imperatorem capillo ſemper fucato & illuminato fuiſſe, tradit. Eadem arte Moſen vitulum attriviſſe & in ſcobem contudiſſe, Chaldæus & Syrus interpretes exponunt. WAGENSEILIVS *in Sota p.* 1129. ubi Magiſtrorum ſententias de ſcobe aurea enarraverat: *Ceterum,* inquit, *eſt inter Scripturæ* δυσνόητα, *quomodo comburendo, tundendoque, aureus vitulus in pulverem redigi potuerit: nam id artificium vulgo incognitum habetur, ſolique Chymici ejus ſcientiam jactitant.*

Ad §. VII. pag. 96.

(10) *Diſperſit per torrentem*] Cur aqua torrentis, hujus auri pulvere conſperſa & permiſta, potaverit Iſraelitas Moſes, non convenit inter Interpretes. Judæi paſſim id ideo factum cenſent, ut ex prodigioſo quodam potus hujus effectu, idololatriæ reos cognoſceret, ad eum fere modum, quo Sacerdos adulteras aquæ amaræ potu dignoſcebat Num. V, 27. Ita R. SALOMO *ad Exod. XXXII,* 20. *Tribus mortis generibus judicati ſunt* Iſraelitæ *ibidem:* 1. *Dum adfuerunt teſtes ac præmonitio* facta eſt, *gladio* puniti ſunt, *veluti puniri ſolent viri urbis ſeductæ, quia illi multi ſunt:* 2. Vbi *teſtes ſine præmonitione,* tum affecti ſunt *plaga: dicitur enim: & Dominus affecit plaga populum:* 3. Quando autem *nec teſtes* adfuerunt, *nec præmonitio, hydrope* puniti ſunt, *nam exploravit illos aqua, eorumque ventres intumuerunt, non ſecus atque uxores declinantes.* Paulo aliter inflectit MONCAEIVS *lib. II. Aaronis purgati cap. VIII.* ubi poſt epotam illam aquam, eos tradit, qui idololatriæ rei erant, percuſſos fuiſſe ignominioſis ulceribus, ex quibus diſcerni potuerint idololatræ, ut in eos Moſes, ſine inſontium periculo, poſſet animadvertere. Aaronem porro fingit, juſſu Moſis, omnes Iſraelitas ad ſe vocaſſe, & nudatos veſtibus ſuis inſpexiſſe, an veſtigia quædam in eorum corporibus apparerent ſcabiei aut ulcerum, atque ita ſeparaſſe reos. Eamque fuiſſe nudationem ab Aarone factam propter ignominiam, id eſt, propter ignominioſum illud idolum, cujus ſit mentio verſ. 25. PETRVS COMESTOR *Hiſtor. Exodi cap. LXXIII.* NAVCLERVS *Chronol. Generat.* 27. & alii nonnulli contendunt, reorum omnium barbas ex hoc potu deauratas evaſiſſe, eo quod aurum barbis ipſorum per miraculum adhæreret, nec abſtergi ſe pateretur. Quod figmentum, vetuſto car-

mine ex SELDENO arcessito, repetitum lege apud WAGENSEILIVM *citato loco.* Sed sanior his est HIERONYMI sententia, symbolicam hujus consilii causam fuisse, ut inde stercoreos ejusmodi Deos contemnere discerent, qui in secessum emitterentur. Consule huc denique BOCHARTVM *c. l. p.* 351 *sqq.*

Ad §. VIII. pag. 96.

(11) *Fecit duos vitulos aureos*] Jeroboamum vitulos suos ad imitationem Aaronici composuisse, nihil dubitat laudatus toties BOCHARTVS *c. l. p.* 354. & utrosque ita invicem contendit: Aaronis propter Mosis absentiam, Jeroboami vituli, quia Vrbs Sacra Israelitis jam erat inaccessa; ut Aaron, ita Jeroboam vitulorum cultum in Aegypto didicerat, ubi multos annos exegerat sub Aegypti Rege, Sesaco 1 Reg. XI, 40. Nec minus de Jeroboami vitulis, quam de Aaronico dictum: hi sunt Dii tui, o Israel, qui ex Aegypto te eduxerunt 1 Reg. XII, 28. Quin ut huic, & ita illis, festi dies consecrantur, & offeruntur victimæ. Sed ut Moses vitulum Aaronis, ita Josias vitulum, quem in Bethele Jeroboam erexerat, altare etiam & excelsum locum, destruxit atque combussit, & in pulverem comminuit 2 Reg. XXIII, 15. Addo, Israelitarum crimen, sub Rege Jeroboamo, multa cæde fuisse expiatum. Nam loco ter mille vituli cultorum, quos interfecerat Moses, Abia Rex Judæ, postquam Jeroboamo & Israeli vitulorum cultum exprobraverat, tanta eos clade fregit, ut unico prælio corruisse legantur virorum quingenta millia 2 Chron. XIII, 8, 17. Quam comta vero oratione, vitularum aurearum, δαμάλεις enim LXX vocant, & IOSEPHVS, cultum popularibus suis persuaserit Jeroboamus, IOSEPHVS *lib. VIII. Antiqu. cap. VIII.* §. 4. *p.* 445. ita edisserit, ac si a concionantis ore Regis pependisset.

AD

LIB. IV. CAPVT VI.

DE ASTHAROTH, AMMONIA JVNONE, REGINA CAELI, ET DIANA EPHESINA.

Ad §. I. pag. 96.

Asthoreth] Nomine plus uno in Scriptura Sacra venit, & mox *Asthoreth* audit, idolum Sidoniorum 1 Reg. XI, 5, 33. 2 Reg. XXIII, 14. mox in numero plurium *Astharoth* Jud. II, 13. X, 6. quod alias quoque Devter. I, 4. nomen proprium loci est, ab idolo forte inditum. LXX efferunt Ἀστάρτη, quod imitantur Latini, M. TVLLIVS *lib. III. de Nat. Deorum,* TERTVLLIANVS *in Apologet. cap. XXIV.* Præterea IOSEPHVS *lib. I. contra Apion.* & Græci passim. Sed Jud. X, 6. etiam LXX habent Ἀσταρὼθ, quos ibi sequitur Latina Vulgata. Sed nec genus semper idem servari circa Astarten, SELDENVS *de Diis Syris Synt. II. cap. II. p.* 238 *sqq.* observat, cum *Elohi Zidonim* Deus Sidoniorum in Sacris literis appelletur, quæ Dea fuerit. *Neque enim sexum idolorum, Scriptura Sacra, nec prisca mysteria gentium, distinguunt:* quod Veneris, Luni & Lunæ, Baalis ac Beli exemplis erudite confirmat. Astarten tamen Deam, non Deum, creditam fuisse, extra omne dubium collocat IVRIEV *in Histor. Dogmat. & Cult. P. IV. Tract. V. cap. I. p.* 667. Vult præterea SELDENVS *p.* 232 *sqq.* nomen אשרה *lucus*, idem esse cum עשתרת *Asthoreth*, quia variis in lucis, qui antiquitus, præ aliis locis, uti & montes, sacris destinabantur, illa colebatur Astarte; immo, quia sculptile, & ligneum ejus erat simulacrum. Probat

ex

ex 2 Reg. XXI, 7. ubi de Manaſſe legitur: *poſuit quoque* פסל האשרה *ſculptile Aſtartes in domo Domini*, ubi non ſane locus arboribus conſitus, ſed ſimulacrum intelligendum venit. Sic quoque 2 Reg. XVII. de novis Samariæ incolis fertur: *erigebant ſtatuas & lucos in omni colle excelſo, & ſubter omnem arborem frondoſam:* ubi denuo non lucus, ſive nemus quoddam ſub arbore frondoſa, ſed omnino ſimulacrum, idque ligneum, deſignatur. Hinc colligit vir ſummus, ſimulacra lignea τῇ Aſtoreth dicata, *Aſcherim* & *Aſcheroth* ſeu lucos appellata fuiſſe, ut & ad nomen ſimul alluderetur, & tam impari divinitati materie, contumelia ipſo vocabulo exprobraretur. Provocat præterea ad R. D. KIMCHIUM, qui in Rad. אשר/ omne lignum, quod colitur, אשרה dictum eſſe ſcribit. Neque alios, quam Aſtartes Sidoniæ Prophetas, illos vult fuiſſe, qui *luci Prophetæ* 1 Reg. XVIII, 19. vocantur. In eandem, cum SELDENO, ſententiam pedibus incedit laudatus modo JURIEU *p.* 671. ita tamen, ut Aſcheroth Dianæ reſpondere cenſeat, Aſtharoth Lunæ: quanquam, ne ſic quidem ſibi conſtet. Etſi vero facile largior, tam in lucis & ſub arboribus frondoſis facta fuiſſe Aſtartæ Sacra, & ejus ſimulacrum ligneum fuiſſe, forte auro obductum, nomen tamen appellativum אשרה/ cum proprio עשתורת unum eſſe ac idem, pace viri doctiſſimi, perſuaderi mihi non patior 1) ob diſparitatem elementorum ע & א, ac inſertum nomini medio ת: 2) ob loca, in quibus אשרה ab idolo diſtinguitur, v. g. 2 Chron. XV, 16. ubi de Maacha, Aſæ Regis matre, refertur, quod idolum ſacraverit לאשרה *in luco*; quo omnia ſpectant teſtimonia, quibus idola ſub arboribus & in lucis culta perhibentur, Jeſ. LVII, 5. Oſ. IV, 13. Ezech. VI, 13. &c. quibus commodam quidem, ſed fruſtra quærit, conciliationem SELDENUS: 3) ob uſum vocis a LXX Interpret. receptum, qui *τὰ ἄλση ἀπὸ τοῖς ἀγάλμασι* lucos ab idolis & ſtatuis paſſim diſtinguunt: 4) ob 2 Reg. XXI, 7. ubi פסל האשרה *idolum luci* in Templo poſitum memoratur, quod ſimile intelligitur ei, vel idem cum illo, quod in lucis quoque & excelſis colebatur, quo refer Jud. VI, 25, 28. ubi Gideon deſtruxiſſe legitur altare Baalis, & ſuccidiſſe האשרה *lucum*, qui ſuper illud erat; ubi per עליו vel lucus intelligitur, qui juxta altare erat plantatus in atrio, vel ſculptile illud, quod in luco coli conſueverat, & ſuper hoc altare collocatum erat.

Ad §. II. pag. 96.

(2) *Lunam ſub hoc nomine*] Lunam ſub Aſtarte, & quod idem eſt, Junonem fuiſſe cultam, probat VOSSIUS *lib. II. de Idolol. cap.* 21. *p.* 207. α) ex ortu, quia Aſtarte cæli laudatur, quod idem Lunæ eſt elogium, β) ex figura, quod caput bubulum Lunæ ſit inſigne, ut ejus cornibus Luna curvata in cornua repræſentetur, quod pariter Aſtartæ tribuitur: γ) ex diſerto LUCIANI Samoſatenſis, adeoque Syri, teſtimonio, cujus in *de Dea Syria* hæc ſunt verba: *ἐςὶ δὲ καὶ ἄλλο ἱερὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα· τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι· ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀςάρτης ἐςί· Ἀςάρτην δ' ἐγὼ δοκέω σεληναίην ἔμμεναι*, *eſt autem & aliud templum in Phœnicia magnum, quod Sidonii habent, atque ut ipſi dicunt, eſt Aſtartes. Aſtarten autem ego puto Lunam eſſe.* Contra vero ea FRANCISCUS FLORIDUS *lib. II. Subſicivar. Lect. cap. VII.* errare cenſet LUCIANUM, nec Lunam, ſed Venerem in Aſtarte cultam contendit. Citat hoc fine PLAUTUM *Mercatore Act. IV. ſc.* 5. ubi: *Diva Aſtarte*, inquiens, *hominum Deorumque vis, vita, ſalus: rurſus eadem, quæ eſt Pernicies, mors, interitus: mare, tellus, cœlum, ſidera, Jovis quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu*; *illi obtemperant* &c. manifeſto Venerem deſcribit. Quæ tamen TAUBMANNUS inter PLAUTO ſuppoſita refert *p.* 1503. & 1505. Sed & complura pro Venere Græcorum teſtimonia proſtant, FLORIDO atque VOSSIO laudata: & CICERO *loco ſupra cit. Quarta Venus*, inquit, *Syria, Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur, quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt.* Utramque tamen ſententiam commode ita componit

ponit VOSSIVS: *Græcis quidem Venus est Lucifer, seu Hesperus, Orienti autem Venus potius est Luna, ut & Astarte eadem sit ac Luna.* Vtramque etiam, & Venerem, & Lunam designasse Astarten, SELDENVS observat *p.* 244. & *p.* 246. inquit: *Minervæ, Junonis, Veneris, Lunæ nomina sunt ita, cum ad Asiaticos Deos respexeris, confusa, ut qui Minervam Belisamam, Junonem Belisamam, Venerem aut Lunam dixerit, idem semper ipsum dixerit.* Quæ ipsissima descripsit verba KIRCHERVS *Oedip. Synt. IV. cap. XIII. pag.* 320. sed studiose celato nomine SELDENI, ne ab hæretico suppetias petiisse videretur. Ista vero Numinum ac nominum confusio quondam frequentissima erat, ut quæ divinitas hoc nomine veniret apud Græcos, eadem confunderetur cum alia apud gentes alias, teste universa mythologia Gentilium.

Ad §. III. pag. 97.

(3) *Regina cæli, de qua fatur Propheta Jer. VII,* 18. *XLIV,* 17.] Circa מלכת השמים in suspenso hæret IAC. ALTING. *in Jer. VII,* 18. *Tom. II. Opp. p.* 719 *sq.* & utramque allegans sententiam, quarum altera *reginam cæli* vertit, & Lunam interpretatur, quemadmodum Molech Solem, ita ut viri Solem coluerint, mulieres Lunam, altera *res cælestes* seu exercitum cæli reddit, & omnia sidera designari autumat: utri suum adjicere calculum debeat, non definit. Pariter R. DAV. KIMCHI inter utramque arbitrari non ausus, hinc מעשה השמים מלכת exponi tradit, hinc לשון מלוכה *sensu regni.* R. SALOMO autem, cum IONATHANE Chaldæo, *Reginam cæli* tuetur, & כוכב הגדול *Stellam magnam* dicit. Ex nostris SEB. SCHMID. *ad Jer. VII,* 18. rem in dubio relinquit, vocem *Melecheth* non pure Hebraicam existimans, sed assumtam ab iis gentibus, unde iste cultus acceptus a Judæis: verum *ad Cap. VIII,* 2. paulo liberius mentem suam expromens, sub cultu Melecheth quorumvis astrorum cultum intelligi existimat. Demum subjicit: *Forte idololatræ viderunt & observarunt non tantum peculiares virtutes solis, lunæ & aliarum stellarum, sed ordinarium eorum cursum, qui superius ligans imperium arguebat, superiorem aliquam virtutem agnoverunt: cumque Deo non negarent, quod hic Rex cælorum esset, istam virtutem mediam fecerunt inter Deum & astra, & Reginam dixerunt cælorum: quæ sub se immediate haberet quæcunque alia astra, cultus astrorum sub ejusdem comprehensus est.* Nemo nostratium, quod sciam, copiosius hoc caput excussit IOH. HENR. VRSINO, qui *Quæstion. Biblic. lib. II. cap. XXI.* quænam Melecheth cæli? & qui ejus cultus? *capite sequenti XXII.* quænam & quales placentæ, oblatæ Reginæ cæli? *cap. XXIII.* quis ortus, progressusque fuerit hujus Reginæ cæli cultus? *cap. XXIV.* an Collyridiani S. Mariæ divinam naturam tribuerint? eamque, ut Deam, vere existentem coluerint? *cap. XXV.* quanam imagine culta fuerit a Judæis Regina cæli? inquirens, Melecheth cæli Venerem Vraniam adstruere allaborat. Nos quemlibet suo abundare sensu passi, Auctoris nostri adhuc sententia stamus, eandem Lunam interpretati. Etenim 1) ubi communis astrorum cultus redarguitur, diserta Solis, Lunæ, omnisque cælorum exercitus fit mentio, v. g. Deut. IV, 19. XVII, 3. 2 Reg. XXI, 3, 5. XXIII, 4, 5. Jer. VIII, 2. XIX, 13. Zeph. I, 5. Act. VII, 42. a quo cultus Reginæ cæli, tanquam peculiaris & distinctus, seorsim recensetur: 2) Luna Deæ cælestis, & Reginæ cæli nomine passim veniebat, apud Phœnices ac Syros Astarten, seu Venerem, apud Ægyptios Isidem, apud Romanos & Græcos Dianam ac Junonem designans, quod multo cum eruditionis apparatu VOSSIVS demonstrat *lib. II. cap. XXI. sqq.* & consentit SELDENVS: quo simul refer, quæ de Deorum Gentilium confusione supra monuimus: 3) כונים *placentas* Reginæ cæli oblatas memorat *cit. loc.* Jerem. Dianæ vero, quæ est Luna, easdem oblatas BRAVNIVS docet *Select. Sacr. lib. IV. cap. IX.* §. 128. 4) Consentit HIERONYMVS, qui *in Jer. VII,* 18. ita commentatur: *Omne genus ostendit sacrificii Reginæ cæli, quam Lunam debemus accipere:* sed nec dissimulo,

lo, eum ibidem addere: *vel certe militiæ cæli, ut omnes stellas intelligamus.* Quæ tamen posterior explicatio ratione, quam primo loco produxi, profligatur.

Ad §. V. pag. 97.

(4) *Coli sub forma ovis*] Est quippe עשתרה *fœtus*, in Plur. עשתרות Deut. VII, 13. & XXVIII, 4. unde SEB. SCHMID. conjicit, *Asthoreth fuisse idolum, cui cura gregum & fœtificationis adscripta fuit; sive figura etiam pecoris aliqua illi afficta sit ultro, vel ex Diaboli apparitione, sive non: Comment. in Jud. II. p.* 182. Forte vir magnus istud hausit ex R. DAV. KIMCHIO, qui nomen Astartes ex eo pariter arcessit, quod ovis figura coleretur, quam opinionem sequitur etiam MARINUS BRIXIANUS. Idem monet GULIELMUS ROBERTSON *Thesaur. Linguæ S. p.* 792. & Veneris Multimammiæ simulacrum fuisse tradit, quæ ob prolis fœcunditatem coleretur, & omnium viventium nutrix haberetur. Præterea *est & nomen imaginum* inquit, *ovium formam habentium, ut* KIMCHI *notat, quas pro deabus colebant Sidonæi & Philistæi Jud. II,* 13. 1 *Sam. XXXI,* 10. Istam tamen KIMCHII de ovis figura opinionem repudiat VOSSIUS *cap. XXI. p.*208. *a.* quod nulla prorsus Veterum auctoritate nititur: ipse SUIDAM secutus, quo teste Ἀςάρτη ἀπὸ τȣ̃ ἄςρȣ ἐπωνυμίαν, *ab astro appellationem* habet: non quasi vox sit originis Græcæ, sed quia & in Orientis linguis simili, vel non multum absimili ratione, sidus nuncupetur: unde & posterior pars Persicæ vocis, *Zoroaster*, vel *Zoroastris.* Rectius laudatus supra URSINUS: *Qua,* inquit, *imagine fuerint ista idola apud Judæos, & nostra cumprimis Regina cæli, divinare impossibile est.* Et paulo ante: *certe esse* pronunciaverat, *Judæos ipsa cælestia lumina per se, quasi Numina veneratos fuisse*, eoque fine ad Deut. IV, 18, 19. Job. XIII, 25, 26. Jer. II, 2. provocaverat.

Ad §. V. pag. 97.

(5*a*) *Idola posita in tectis ædium*] Sententiæ hujus testem, Auctor bene allegat, R. SAL. IARCHIUM, qui *ad Lev. XXVI,* 30. ita commentatur: מין ע״ז שמעמידין על הגגות ועל שם שמעמידין בחמה קרויין חמנים: Chammanim erant *species quædam idolorum, quæ constituebant super tecta, & quoniam illa collocabant in Sole, vocabantur* a voc. חמה חמנים *quasi Dii Solares.* Mavult tamen vir summus, IOSEPH. SCALIGER *ad* CATULL. non tam idola hoc nomine designata fuisse, quam Fana, quæ πυραθεῖα, juxta SUIDAM πυρεῖα, *sempiterni foculi*, juxta AMMIAN. MARCELLINUM *in Hist. Julia* audiebant.

Ad §. VII. pag. cit.

(5*b*) *Facies ejus erat cornuta*] Quandoquidem Exod. XXXIV, 29, 35. de Mose, descendente de monte Sinai, recentique a colloquio & commercio Numinis, legitur: כי קרן עור פני משה *quod radiaret cutis faciei Mosis*, adeo scilicet splendida, ut & frons, & nasus, & os, & mentum radios velut emitterent, hinc ambiguitate voc. קרן inductus Vulgatus, reddidit: *quod cornuta esset facies sua.* Sed &, ante illum, AQUILA vertit: κερατώδης ἦν, *cornuta erat.* Ab hoc errore manavit & absurdus mos pictorum, qui etiamnum Mosen effigiant cornutum, & æque absurdi nummi recentiores, *alii* cum Mosis facie barbata & cornibus arietinis, auribus tenus inflexis instructa, cum torque insuper, sive collari, cui addita Inscriptio: משה: pars aversa verba primi præcepti exhibet: לא יהיה לך אלהים אחרים לפני: qualis HOTTINGERO memoratur in dissert. *de nummis Hebræor.* subjuncta tractatui *de Cippis*, THOM. BARTHOLINO *lib. de Unicornu cap. I.* IOH. SELDENO *de J. N. & G. lib. II. cap. VI. f.* 191. *alii* cum facie Mosis barbata, capite capillato & crispo, ita tamen, ut in fronte e capillis, cornua recta antrorsum protendantur, cum Inscriptione in collari:

collari: משה / parte autem aversa, eadem, quæ est in nummo præcedente. Vulgatam castigavit SIXTIN. AMAMA *Anti-Barb. Biblic. libr. II. p.* 361. utriusque vero generis nummos sub examen vocavit pec. dissertatione D. CARPZOVIVS, *de nummis effigiem Mosis cornutam exhibentibus*, quæ in volumine *disput. Acad.* tertia est, qua supposititios illos evincit *α*) ex barbara Inscriptionis distinctione, dum distinctis lineis א-חרים & ע-ל פני divulserunt, *β*) ex Judæorum erga crucem odio. Cum enim crucis figura in collari Mosis sit expressa, quis adeo delirabit, ut nummos istos Judæis tribuat? *γ*) ex pugnantia cum lege Divina, imaginum formationem prohibente Exod. XX, 3. &c. *δ*) ex facti falsitate, quod Moses cornua nunquam habuerit. Licet enim Judæi Mosi קרני הורו *cornua magnificentiæ* tribuant, quibus Angelum mortis Sammaelem, cum ad eum occidendum missus a Deo esset, occœcasse legitur *in Debharim Rabba fol.* 302. *col.* 4. quo tamen sensu exponenda sit fabula, laudatus CARPZOV. *ibid. p.* 126 *sq.* docet. Sed quando recentissime ERASMVS FROELICH, Jesuita, *in Annalib. regum & rerum Syriæ, Tab. XIX. num.* 2. inter nummos Judæorum spurios, eundem æri insculptum exhibuit, eosdem quidem circa scripturam nævos, crucem quoque in collari expressam stitit, eum tamen puduisse credo erroris cornuum æque ac Vulgatæ, hinc satis formosam, sed cornibus plane orbam delineavit Mosis faciem, nummique *in Prolegom. appendice p.* 91. hanc dedit descriptionem: *Caput nudum Mosis barbati, cum pectore vestito; in ora vestis, collum ambiente, legitur* משה Mose, *& character* X. *Quæ forma quædam esse videtur literæ Tau Samaritanæ vel Aegyptiæ; ea salutis litera cum sit, forte ad erectum in eremo æneum serpentem alluditur, qui e similis formæ lignea cruce pendens, suspicientes sanabat Numer. cap. XXI. In aversa parte hic solus versiculus* 7. *Capitis V. lib. Deuteronomii, in numo male separatis literis, legitur* &c. Eo magis subit mirari, qua fronte IVL. BARTOLOCCIVS *Biblioth. Rabbin. P. IV. f.* 157 *sq.* excusare ausus fuerit cum Vulgatam: *Apposite igitur*, inquiens, *a Vulgata vertitur, quod cornuta esset facies Mosis:* tum pictores, quorum causam ita perorat: *Vt autem Moses inter alios Vet. Testamenti dignosceretur Prophetas, consueverunt pictores ejusdem frontem duobus splendoribus, instar cornuum, hinc inde prominentibus penicillo ornare, non autem frontem sancti legislatoris duobus cornibus vitulinis, aut arietinis, ac si vitulus vel aries aliquando fuisset, deturpare, ut in quodam nummo æreo, secundum hanc Jovis Hammonis figuram vidi* &c. ubi expressam nummi HOTTINGERIANI & SELDENIANI delineationem subjungit. Ceterum inde fluxit insanus Gentilium error, qui Bacchum suum, maxime in expeditione Indica, cornutum tradiderunt, sub cujus nomine Mosen eos coluisse VOSSIVS *lib. I. de Idolol. cap.* 30. *p.* 115. HVETIVS *Demonstrat. Evang. Propos. IV. cap. IV.* §. 3. *p.* 133 aliique demonstrarunt; hinc Liberum illum Arabicum ταυρόκερον, κερασφόρον, βούκερον, tauricornem, cornigerum, bicornem appellarunt. Quin & quando eidem Libero socium canem dederunt, ex Mosis historia prognatum est: canis enim Hebræis כלב dicitur, eodemque Calebi nomine veniebat fidelis Mosis socius, qui solus cum Josua, ceteris Terræ Sanctæ exploratoribus, populum turbantibus sese opponebat, solus quoque cum illo terram ingressus est: de quo pariter CARPZOV. commentatur *p.* 119. de Jove autem Ammonio cornuto Idem videatur *p.* 122 *sqq.*

Ad §. VIII. pag. 98.

(6) *Diana Ephesiorum Act. XIX,* 28.] Ἡ Ἄρτεμις, eadem in Gentilismo habita cum Luna, quæ priscis Jana, indeque Dea-Jana, vel Diana dicta fuit. Colebatur per universam quidem Asiam, maxime vero Ephesi, quæ urbs inde νεωκόρος vocabatur, quod non modo sese plane Dianæ consecraret, verum etiam templum ejus curaret Act. XIX, 35. Ex ναός, Attice νεώς, *Templum*, & κορεῖν, quod est κοσμεῖν καὶ καλλύνειν, *ornare, instruere, & addere speciem pulchritu-*

chritudinis prodit *νεωκόρος*, *ædituus*, qui ædes & res ſacras curat. Hunc vero titulum velut exponit, ſic Epheſinæ cum aliis quoque urbibus communem fuiſſe, cumprimis Smyrnenſi, docet Vener. DEYLINGIVS *P. III. Obſervat.* 39. §. 18. *p.* 301. Templum autem Dianæ Epheſinum celeberrimum erat, & inter ſeptem mundi miracula connumeratum, quod Amazones partibus his Aſiæ potitæ, conſecraſſe dicuntur. Fundamentum hujus templi DIONYSIVS AFER ex ulmeis lignis Amazonas feciſſe tradit, eo quod locus eſſet paluſtris & aquoſus, eum in finem huic uſui dicatus, ne terræ motus ſentiret. PAVSANIAS quidem *lib. VII.* negat, Amazonas hujus templi fuiſſe conditrices, quod a Crœſo, Lydorum rege, & Epheſo, Cayſtri fluvii filio, a quo etiam urbs Epheſus nomen accepit, conditum affirmat. Contra vero ea, HERACLIDES ab Amazone quadam urbem nominatam perhibet: qui tamen addit, aliis *ἀπὸ τῆς ἐφέσεως*, *a permisſione* ſeu *conceſſione* dictam, eo quod Hercules Amazonibus eam terram permiſerit, a Mycala monte Joniæ, usque ad Pitanam Aeoliæ urbem. Primus templi hujus architectus celebratur Cherſiphron: ſed alius quidem auxit in majus. Quod cum Heroſtratus, homo ad alia honeſta ineptus, ex hoc facinore nomen immortale captans, exuſſiſſet, aliud Epheſii præſtantius extruxerunt, collato ad id mundo muliebri, & ſuis facultatibus. Tota Aſia minor in extructionem templi hujus magnam vim pecuniæ contulit, & quadringentos annos extructione inſumſit, teſte PLINIO locis ab Auctore noſtro citatis. Tria iſtius templi celebritatem auxiſſe memorat PAVSANIAS *lib. IV.* 1) magnitudinem, qua cetera omnia mortalium opera ſuperavit, 2) Epheſiorum civitatis ſplendor, 3) ipſius Deæ inter Gentiles majeſtas. Habuit hoc templum ſimul jus Aſyli, ad ſpacium diverſis temporibus diverſum. Alexander Aſylo ſtadium largitus eſt, ſeu ſpacium CXXV paſſuum geometricorum; Mithridates, quantum ſagitta ab angulo tecti templi emiſſa contingeret, quod ſtadio fuit paulo amplius: Antonius id duplicavit, partemque urbis aſylo adjecit. Denique viſum hoc fuit damnoſum, & maleficis urbem hoc pacto in poteſtatem dedi, ideoque abrogavit Auguſtus Cæſar, ut habet STRABO *lib. XIV.* Ceterum de Templo hoc Epheſino, poſt ERASMVM SCHMIDIVM *Not. ad h. l. Act.* confer, quæ laudatus commentatur DEYLINGIVS §. *IV. p.* 285 *ſq.* Simulacrum Dianæ, quod in templo Epheſino conſtitutum erat, non agnoſcebatur, cujus eſſet materiæ. Plerique ex ebeno fuiſſe tradunt. MVTIANVS, ter Conſul, viſo eo ſcripſit, vitigineum eſſe, & nunquam mutatum, licet ſepties templo reſtituto, apud PLINIVM *libr. XVI. cap. XL.* Ipſi ſacerdotes, cum materiam vel ignorarent, vel noſſe nollent, & ob antiquitatem ejus etiam originem neſcirent, *Διοπετὲς cælitus a Jove delapſum* mentiti ſunt, ſed falſo, cum artificem ejus Canetiam PLINIVS *loc. cit.* prodat. Abſurde Vulgata reddidit *Jovisque prolis*, quod SANCTIVS tamen excuſat *Comm. in h. l.* legiſſe interpretem cauſatus *Διὸς παιδὸς Jovis filiæ.* Dianam quippe Jovis ſatu conceptam credebant Gentiles. Potiori tamen fide SVIDAS *in Διοπετὲς*, auctor eſt, ut quo majorem auctoritatem Deorum ſimulacris conciliarent artifices, illa a Deo miſſa, vel cælitus delapſa mentirentur. Ita ſacerdotes Aſiatici de Peſſinuntio ſimulacro, & Romani de ſuis Ancilibus ſunt fabulati; & Palladis ſignum, ſive Palladium, quod Ilii fuiſſe exiſtimabatur præſidium & ornamentum, deſcendiſſe creditum eſt e cælo: ut hodienum fingere ſolent Papicolæ de quibusdam Deiparæ ſimulacris, quorum eſt ignota origo. Confer denuo DEYLING. §. *VI. p.* 287 *ſqq.* qui æri inciſam Dianæ ſiſtit imaginem. Sacerdotes denique hujus idoli *εὐνοῦχοι* eſſe oportebat, qui *Μεγαλόβυζοι* dicebantur, & in magno habebantur honore, quibus virgines addebantur collegæ.

Ad §. IX. pag. 98.

(7) *Quid fuerint hæc delubra argentea?*] *Ναοὺς ἀργυροῦς templa argentea*, Act. *c. l. verſ.* 24.

 memo-

memorata, non uno omnes modo exponunt. Quidam tabulas putant, sive laminas, in quibus periculi depulsi Deorum beneficio monimentum in templis, pro more suspenditur, quod apud gentes frequentatum fuisse CICERO docet, quando *Act. VII. in Verrem*, tabularum pictarum, & argenti bene facti meminit. Quo pertinent anathemata, in gentilium Deorum templis suspensa, de quibus BERNEGGERUM vide, *Idoli Lauretani demolit. cap. VI. p.* 53 *sq.* Dudum jam Palæstinis id in more positum fuisse, mures & ani aurei testes sunt, qui cum arca fœderis in capsulis inclusi, expiandi criminis causa, a Philistæis ad Israelitas missi leguntur I Sam. VI. Talia ergo monimenta periculi aut morbi depulsi, Sospitali Dianæ consecrata, ex argento cælabat Demetrius. Verum ista sententia, licet probetur BEZAE, doctorum virorum calculum non meruit, cum nullo probari possit exemplo, ἀναθήματα ejusmodi ναοὺς fuisse dicta. Mavult ergo CASAVBONVS, ædiculas hic loci intelligi, ex argento vel auro factas, in quas recondebantur Dianæ parva simulacra, quæ vulgo ab aliis emebantur, qui Dianam Ephesinam visebant. Certe loculamenta illa, vel capsæ, quibus includebantur & continebantur imagines, si stabiles essent, ut in templi fabricis, aut ararum pegmate signis instructæ *nichos* dicebantur, sin mobiles, quæque a collo suspensæ circumferebantur, *lipsanothecæ* audiebant. In his aliquid, aut religionis causa, aut pro amuleto gestari solitum, quod a Diana turbæ delusæ sacerdotes ejus impertiebantur. Tales literas Ephesias fuisse existimant, magnæ virtutis creditas; vocari autem ædiculas illas *templa*, quia in illis, quasi parvis templis & receptaculis, a Dianæ aris aut manibus accepta sacra, sive ad abigenda maleficia, sive ad obtinenda bonæ fortunæ dona, includebantur. De ædicula, in qua signum collocabatur, ac celebri pompa circumferebatur, HENR. HAMMONDVS *ad h. l.* accipit. Eandem sententiam comprobat & erudite exornat BRAVNIVS *Sel. Sacr. IV. cap. X. §.* 145. ubi ad cistas mysticas provocat Gentilium, eoque arculas refert, quibus secum deferebat Rahel Teraphim patris sui Gen. XXXI. item ναΐσκους ædiculas, quas Jeroboam confecit duobus vitulis suis in Dan & Bethel, teste IOSEPHO, quin & Pontificiorum *ciboria* & *sacristia.* SANCTIVS denique *in h. l.* censet, quia magna olim erat gloria templi Ephesini, & propter antiquam religionem, & propter nobilitatem materiæ, artisque præstantiam, inde verosimile esse, Demetrium, qui copiosam artificum apud se familiam alebat, fingendis aut conflandis magni templi, Dianæque Ephesiæ simulacris operam dedisse, quod illi opus & quæstui erat, & gloriæ. Illustrat hoc SANCTIVS exemplo ædis Lauretanæ, & domus montis Serrati, quarum imagunculas, aut cælatas in laminis, aut conflatas ex metallo, homines, ut Jesuitæ videntur, pii, religionis causa, aut domi habent in sacrariis, aut secum circumferunt. Quare, ubi augusta ejusmodi templa sunt, assidere observat artifices, qui vel ex ebore, vel alia nobili materia fingunt, aut ex auro conflant illas effigies, quas deinde peregrinis hominibus venales proponunt. Ab hac sententia parum vel nihil abest SALMASIVS, cui ναοὶ ἀργυροῖ hic dicuntur parvulæ effigies argenteæ ad instar templi factæ, quæ templum Dianæ Ephesiæ repræsentabant: vel templorum potius εἰκονισμοί. *Frustra sunt, qui aliter accipiunt*; Dictatoria edicit auctoritate ac voce SALMASIVS! Eaque præ ceteris nobis sententia arridet.

Ad §. XI. pag. 98.

(8) *Viris interdicitur gestare vestimenta muliebria Deut. XXII,* 5.] Ita quippe MAIMONIDES *P. III. More Nevuchim cap. XXXVII. p.* 447. (edit. Buxtorf.) præceptum de non gestando vestimento ex diversis generibus confecto, ea de causa datum existimat, quod illa tempestate Sacrificuli idololatrici vestimenta ex lana & lino composita gestarent: pariter prohiberi, ne mulier induat vestimenta viri, quod apud idololatras mulieres gestarint vestimenta quidem muliebria, quando consistebant coram stella Veneris,

neris, contra vero eædem induerint thoracem æneum, & arma bellica, ubi constiterint coram stella Martis. Censet præterea, permutationem illam vestium excitare concupiscentiam, & ad scortationem occasionem præbere; ideo hoc loco prohiberi. Licet vero hoc MAIMONIDAE testimonio abusus SPENCERVS *lib. II. de legib. Hebr. cap. XVII. Sect. I. p.* 406. suam exornet Helenam, Deum lege ista, ritum aliquem Zabiorum religione sacrum, vetuisse: a vero tamen non abest, qui gentibus idololatricis in more id positum fuisse, in sacris nonnullis, affirmat. De Phœniciis testis est SERVIVS *ad Aeneid. lib. II. Veneris in Cypro simulacrum est*, inquiens, *corpore & veste muliebri, cum sceptro & natura virili, quod Ἀφρόδιτον vocant: cui viri in veste muliebri, & mulieres in virili veste, sacrificant.* Eodem ritu Assyrios Venerem coluisse IVLIVS FIRMICVS perhibet *de error. profan. religion. p.* 6. Ita MACROBIVS *lib. III. Saturnal. cap.* 8. apud Asiaticos idem obtinuisse contendit, & PHILOCHORI verbis *Venerem* affirmat *esse Lunam, & ei sacrificium facere, viros cum veste muliebri, & mulieres cum virili.* Vt alias taceamus gentes, quarum exempla larga manu subministrat SPENCERVS: unde LYRANVS *in h. l.* pedibus in istam incedit sententiam. *Prohibetur hic*, ajens, *quod mulier non portet arma viri, quod pro tunc superstitiosum esset: quia gentiles mulieres, in sacris Martis, portabant arma viri, & in sacris Veneris viri portabant ornamenta mulierum, & instrumenta earum, utpote colum, fusum, & similia. Atque ideo subditur:* abominatio est apud Deum, qui hoc facit. *Abominatio enim in Scriptura communiter capitur pro idololatria, seu pro aliquo ad idololatriam pertinente.* Sed vero eandem Gentilium abominationem in Christianam quoque alicubi irrepsisseEcclesiam,ex Concilii VI. in Trullo habiti *Canone LXII.* liquido patet, quo sanciunt Patres, *μηδένα ἄνδρα γυναικείαν στολὴν ἐνδιδύσκεσθαι, ἢ γυναῖκα τὴν ἀνδράσιν ἁρμόδιον, ne vir ullus deinceps muliebri veste induatur, vel mulier veste viro conveniente:* ad quem omnino confer BALSAMONEM & ZONARAM apud BEVEREGIVM *Synodici P. I. p.* 231. Sed nec altera, quam cum MAIMONIDE rationem affert Auctor noster, negligenda omnino est, quod ex promiscuo vestium usu, tam indecora sexus confusio, quam ad libidinem proclivitas oriatur. *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum feminis vestem?* SENECA quærit *Epist. CXXIII. ad Lucilium.* Et PHILIPP. CAMERARIVS *Oper. subcisiv. Centur. III. cap.* 76. *In lege divina*, inquit, *non absque gravi causa, tam arcta prohibitio est, ne in vestitu talis confusio fiat, ut unus sexus ab alio dignosci & segregari nequeat, & libidinibus, & aliis inhonestis actionibus, hac ratione, veluti fenestra aperiatur.* Pariter R. SALOMO *ad h. l.* mulierem fine haud alio virilem habitum sumere contendit, quam ut tectius scortetur.

AD

LIB. IV. CAPVT VII.

DE ALIIS DIIS, QVI REFERVNTVR IN SACRA SCRIPTVRA.

Ad §. II. pag. 98.

(1) *Ezech. VIII*, 10, 12.] חדרי משכית *Cubicula imaginis*, æque ut אבן משכית *Lapis effigiei*, i. e. figuratus Lev. XXVI, 1. dicta, Conclavia censentur Templi fuisse abdita & secretiora, in quibus, tempore rerum potientis idololatriæ, adeoque annis ante direptionem ultimis, totus

idolorum exercitus, a Gentilibus adſcitus, & in parietibus depictus, ſculptusve cernebatur & colebatur. Quin etiam a ſordidis & impuris animalibus non abſtinuerunt, velut Jeſ. II, 20. dicitur, quod adorarint talpas & veſpertiliones; quæ ab Aegyptiis adſciverant idola. Mavult tamen SANCTIVS *in h. l.* ſuperſtitionem & idololatriam iſtam non tam in Templo peractam, quam in Templo ſolum Prophetæ repræſentari, cum fieret in domeſticis latebris ſeniorum Iſrael, quia v. 12 diſerte perhibetur: *vides, fili hominis, quæ Seniores domus Iſrael faciunt in tenebris, unusquisque in abſcondito cubiculi ſui.* CORN. A LAPIDE hæc opertanea quaſi ſacra in cubiculis Sacerdotum peracta putat, qualia multa fuerint in atrio Sacerdotum: VRSINVS noſter *Quæſt. Biblic. lib. I. cap. XIV. p.* 63. IVNIVM ſecutus, Mithriaca hic deſcribi cenſet myſteria, quæ in ſpeluncis ſubterraneis peragebantur, ubi parietes variis monſtroſis picturis erant exornati, ut ex EVBVLO, PORPHYRIVS docet *de Nympharum antro.* Hinc cubicula illa extra Templum locat, & uberius illuſtrat.

Ad §. III. pag. 99.

(2) 2 *Reg. XVII*, 30, 31.] Huc referendus integer eſt locus ex Gemara Babylon. Maſſ. סנהדרין *capite VII.* quod in Miſchna incipit: ארבע מיתות edit. Bomberg. A. 1520. *Tom. VI. fol.* 63. *col.* 3. אמר רב יהודה אמ׳ רב אנשי בבל עשו את סכות בנות ומאי ניהו תרנגלת אנשי כות עשו נרגל ומאי ניהו תרנגל אנשי חמת עשו את אשימה ומאי ניהו ברחא קרחא העוים עשו את נבחז ואת תרתק ומאי ניהו כלב וחמור והספרוים שורפין את בניהן ואת בנותי הן לאדרמלך וענמלך אלהי ספרוים ומאי ניהו הפרד והסוס אדרמלך דאדר ליה למרי׳ בטעונה וענמלך דעני למריה בקרבא: *Dixit* R. IVDA *ex ore alius Rabbini: Viri Babel fecerunt Succoth Benoth. Ecquid eſt illud? Gallina. Viri Cuth fecerunt Nergal, id eſt, Gallinam. Viri Hemath fecerunt Aſima, hoc eſt, Hircum calvum. Avitæ fecerunt Nibhhas, & Thartbak, ſive Canem & Aſinum. Sepharvaitæ combuſſere filios ſuos & filias ſuas Adramelecho & Anamelecho, ſive Mulo & Equo, ex quibus ille Adramelechi nomine venit eo, quod ſit magnificus domino ſuo in opere: hic vero audit Anamelech, quia manſuetus eſt domino ſuo in prælio.* Repetuntur hæc totidem verbis in *Jalkut*, ut & a Rabbinis, licet cum quodam diſcrimine: indeque hauſit Auctor noſter §. *ſq. IV.* Sed ad rem ipſam, quod attinet, longe ab his diſcedunt triumviri doctiſſimi, IOH. SELDENVS *Synt. II. de Diis Syris cap.* 7. GERH. IOH. VOSSIVS *l. II. de Idolol. cap.* 22. & H. GROTIVS *in h. l.* nugas has Hebræorum exiſtimantes, & סכות בנות quidem, quod proprie ſonat *tabernacula filiarum*, non idolum fuiſſe, ſed templum putant Veneris Vraniæ, in quo puellæ, corollis redimitæ, hoſpites operiebantur, quibus, ſoluta mercede, & invocata Venere, corporis ſui facultatem faciebant. Eidem ſententiæ ſuum adjicit calculum IVRIEV *Hiſtor. Dogm. & Cult. Eccleſ. P. IV. Tr. V. cap.* 7. *p.* 690. templum Veneris hac appellatione notari perſuaſus, quin & ulterius progreſſus, ab Hebræo *Benoth* vel *Venoth*, nomen *Venus* arceſſens: poſthæc vero, erudita digreſſione, duplicem Græcis Venerem fuiſſe cultam obſervat, *Vraniam*, quæ caſta, matrimonii & puerperii præſes, nec alia, quam Juno Syriaca, ſeu Aſtarte; & *Babylonicam* ſeu *Phæniciam*, quæ projectæ laſciviæ revera Venus *πάνδημος*, *volgivaga:* huic itaque poſteriori templum fuiſſe extructum putat, *Succoth Benoth* appellatum. Verum, quod pace tantorum virorum dixerim, meliori videntur fundamento inniti, qui Succoth Benoth de idolo ipſo explicant, quam qui de idoli ſolum delubro. Cum enim Sacer Textus doceat, Samaritanos ſibi feciſſe Deos, eosque collocaſſe in domo excelſorum, & extemplo Succoth Benoth ſubjungat, intelligi non poteſt, quomodo fanum in domo excelſorum collocari potuerit. Fruſtra hic eſt IVRIEV, quando verbum עשו in Textu v. 30. urget, & ita vertit: *Babylonii fecerunt tabernaculum*, h. e. templum *Veneris*. Idem enim verbum

bum singulis Diis, eodem commate & sequenti, præmittitur: *fecerunt Nergal, fecerunt Asima, fecerunt Nibhchas & Tartack* &c. ubi Deos sibi fecisse, & in excelsis reposuisse, ex commate 29. evidens est, non fana Deorum. Qui autem hoc nomine idolum notari censent, gallinam quidem retulisse perhibent, sed non ubique sibi constant. ABARBENEL gallinam vivam intelligit, quæ Babyloniis loco Numinis fuerit; licet in subsequentibus anceps hæreat, num vivam, an gallinæ imaginem statuere debeat? ATHAN. KIRCHERVS *Tom. I. Oedip. Aegypt. Synt. IV. pag.* 362. certam aliquam Siderum congeriem intelligit, sive ea fuerit Plejadum, Hyadum, aut Vergiliarum, simulacrum nempe gallinæ cum pullis, cui placentas obtulerint cultores, ut ita hoc idolum idem fuerit cum מלכת השמים: cui concinit IOH. FRISCHMVTHVS in disput. *de Melechet Cæli*, anno 1663. Scriptura sane ipsa idolum hoc explicans per דמות *similitudinem*, & צורה *figuram*, liquido testatur, non vivam, sed effigiatam, cultam fuisse gallinam. Cum autem vel maxime exercitum cælorum colerent Gentiles, vero haud absimile est, Succoth Benoth fuisse simulacrum gallinæ cælestis, in signo Tauri nidulantis, alias Plejadum, vel Succularum nomine venientis, eo quod antiqui Aegyptiorum, Chaldæorum, & Arabum Astrologi, cum frequenti corporum cælestium observatione deprehendissent, eam Zodiaci partem, quæ Taurus dicitur, maxime vitalem esse, utpote in qua Sol constitutus, omnia vitali calore, humoreque repleat, in ea aliquid supra naturæ conditionem latere existimarunt. Et quandoquidem non ignobilis Tauri istius pars sit gallina; huic potissimum ista accepta ferenda esse, credidere. Quo factum, ut apud Aegyptios & Græcos, insigniores quævis solennitates mense isto, quo oriuntur Plejades, celebratæ sint. PLVTARCHVS quoque tradit, sacros fuisse Aegyptiis gallos æque ac gallinas. Mamertini quoque ac Selinuntini, numismatibus suis gallinæ imprimere figuram, non dubitarunt; ut hodie in Joachimicis Hennebergicis fieri consuevit. Absonum itaque non est, Plejadum sidus Babyloniis fuisse sacrum, quod סכות בנות nomine coleretur.

נרגל *Nergal*, Cuthæorum idolum, Judæis *Gallus* fuisse censetur, H. GROTIO *in h. l.* Dea, in forma gallinæ silvestris culta; SELDENO autem *cap. VIII. p.* 317. ignis perennis, in septis a Cuthæis religiosissime servatus. Hinc esse dicit πυραθεῖα, sempiternos scilicet Magorum foculos, AMMIANO MARCELLINO *in Juliani Hist.* celebratos. Igni huic in sacris carmen accinebant, quod Theogoniam complectebatur. Inter accinendum, virgis myrtinis ignem tangentes, suscitabant & fovebant. Huc nomen accommodat SELDENVS, ex ניר aut נר / & גל / quod vel ex גלגל, vel ex גלא descendat, compositum, ut vel fontem ignis lucisve, vel ignem aut lucem versatilem, vel denique πυραθεῖα notet. Confert porro cum hoc idolo, ignem Persarum inextinguibilem, quem in sacrariis illis, ceu Solis symbolum, servabant. Huc quoque spectare arbitratur חמנים pyrathea illa, quæ Josias destruxisse legitur 2 Chron. XXXIV. ut &, quando Lev. XXVI, 30. Deus minatur: *ego eliminabo excelsa vestra, & exterminabo* חמניכם h. e. *idola*, Solis honori dicata. Quæ omnia denuo adoptat, & sua facit IVRIEV *c. l. Tr. IV. cap. VIII. p.* 654. Solem, nomine Nergal, designatum & cultum, citra hæsitationem affirmans. Et ea quidem, quæ de Solis cultu in præsidium interpretationis suæ in medium afferunt, in vulgus nota sunt; num vero idolum Nergal rectius exponant, quam Judæi per Gallum, nondum liquido constat.

אשימא *Aschima*, Hamathitarum Deus, quis fuerit, se non capere fatetur SELDENVS *cap. IX. p.* 317. Hebræi plerique Hircum fuisse volunt; quibus adstipulatur HVG. GROTIVS, qui Jes. XXXIV, 14. in subsidium vocat: & ABEN ESRA *Præfat. ad Esther.* scribit, Samaritanos Pentateuchum his verbis auspicari: *in principio creavit Aschima.* Sed ob inveteratum in Samaritanos odium, hæc rectius creditur calumnia Judæorum. In hodiernis enim Codicibus Samaritanis nihil tale legitur. Ceterum IVRIEV *c. l. p.* 654.

Deum Panem, Faunos ac Satyros huc referens, in Hirci figura repræsentatos, Judæorum sententiam illustrat, sed minime probat. Eaque ne ipsi probatur ELIAE Germano, qui, ubi *in Tisbi* voc. אשמאי observaverat, hanc vocem nomini זקן subjunctam, senem desipientem & culpabilem notare, ad hunc locum 2 Reg. XVII. provocat, atque אשימא *Simiam* exponit: שהוא הקוף וכן נקרא בלעז שימיא *quod Simiam notat, ita quippe vocatur lingua vulgari:* quæ repetita leges apud DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v. fol.* 17. *col.* 2. postquam אשימא interpretatus fuerat, תיש בלתי צמר והוא כמו קרח *Hircus absque lana, qui velut calvus est.* Judaicum ista explicatio sapit acumen, si vetustissimo Orientis idolo nomen aptaveris Latinum. Laudatus IVRIEV nomen compositum censet, ex אש/ מיא ut vel idem sit ac אש שמיא *ignis cælestis*, vel אש יומא *ignis diurnus*, quotidianus sive perpetuus ignis, qui Sol est, cujus symbolum ignis. Incerta sunt hæc omnia & lubrica, ut libera, quidvis amplectendi, optio cuivis detur.

נבחז *Nibhchas*, Havæorum numen, Canis imaginem retulisse creditur Rabbinis, & quidem vehementer latrantis, ut vult ABARBENEL. Derivat enim a נבח quod est, *latravit.* Ita sane pingebatur Aegyptiorum Anubis, qui eapropter VIRGILIO *Aeneid. VIII. vers.* 698. *latrator Anubis* audit. Ad quem locum SERVIVS: *Anubis dicitur latrator, quia capite canino pingitur. Hunc volunt esse Mercurium, quia cane nihil est sagacius.* Consentit PLVTARCHVS *de Iside cap. VI.* qui Anubim sub canis figura in hieroglyphicis repræsentatum ait, quod vigilantiæ symbolum esset canis: eum autem esse Mercurium, qui vel maxime Hermopoli Aegypti, quæ Mercurio dicata erat, sub canis schemate colebatur. In his autem, quo minus acquiescat IVRIEV *d. l. cap. IX. p. 656 sq.* causa est, quod superstitionem istam a Meridie ad Orientem penetrasse, persuaderi sibi non patitur, maxime quod moratiores gentes tantum non omnes stolida riderent numina Aegyptiorum. Denuo itaque ad Solem refert Nibhchasum, quia בחק Chaldæis *lucere* notat, & נבחק *lucidus.* Mox tamen elementorum disparitati diffisus, a פחז derivat, quod Hebræis est *leviter diffluxit*, Chaldæis *saliit, cucurrit, festinavit.* Quod in Solis velocitatem quadrare existimat, qui *rapidus, festinans, subsiliens*, jure optimo dicatur.

תרתק *Tartak*, Asini figuram retulisse creditur Judæis. Hoc eo minus probat IVRIEV *cap. X. p.* 657. quod apud nullam omnino gentem inter idola locum unquam habuerit asinus. In Aegyptiorum quidem Theologia symbolica Typhoni asinum fuisse assignatum observat; tantum tamen abfuisse, ut adorarent, ut abominationi potius haberent. Digna sunt, quæ huc referantur PLVTARCHI verba *de Iside & Osir. cap. XIV. Tom. II. p.* 362. ὄνον δὲ κατακρημνίζοντες Κοπτῖται, διὰ τὸ πυῤῥὸν γεγονέναι τὸν Τυφῶνα, καὶ ὀνώδη τὴν χρόαν. Βȣσιρῖται δὲ καὶ Λυκοπολῖται σάλπιγξιν ȣ̓ χρῶνται τοπαράπαν, ὡς ὄνῳ φθεγγομέναις ἐμφερές· καὶ ὅλως τὸν ὄνον, ȣ̓ καθαρὸν, ἀλλὰ δαιμονικὸν ἡγȣ̃νται ζῶον εἶναι, διὰ τὴν πρὸς ἐκεῖνον ὁμοιότητα κ. τ. λ. *Asinum de præcipitio dejiciunt Coptitæ, propterea quod rufus, & asinino colore fuerit Typho, & Busiritæ ac Lycopolitæ omnino usu tubarum abstinent, quod harum sonus voci asininæ sit similis: planeque animal illud non mundum, sed gentis peculiare putant, ob similitudinem, qua ei cum Typhone convenit,* &c. Conjicit inde IVRIEV, quia רתך apud Chaldæos est *currus*, fieri posse, ut תרתק currum Solis designet, aut Solem, curru vectum. Literarum autem affinium ך & ק proclivem frequentemque esse permutationem.

אדרמלך *Adramelech* Mulum, ענמלך *Anamelech* Equum repræsentasse tradunt Judæi; etsi KIMCHI Adramelech Pavonis effigie, Anamelech Phasiani aut Coturnicis, cultum tradit. Istos tamen unum idemque esse numen, cum Molecho conspirans, existimat SELDENVS. Consentit OWENVS *Theologum. lib. V. cap. VII.* §. 9. Adramelech אדיר מלך *regem magnificum*, & Anamelech quasi ענות מלך *regis responsionem* interpretatus, a quo scilicet responsa oracularia

petierint. Longe ab his discedit THOM. HYDE *Hist. Vet. Persar. Relig. cap. V. p.* 130. qui Anamelech interpretatur *Pecus-Rex*, ab *Ana* seu *An*, quod semper collective, seu quasi pluraliter usurpatur, pecudes minores, oves scilicet & capras, notans. *Hæc erat constellatio*, inquit, *illa, quæ a Cepheo, Aethiopum Rege denominata, ejusve pars, in qua, ex Orientalium sententia, est Al-Râi*, i. e. Pastor, & *Ganam*, i. e. pecudes, *quæ etiam Olug-Bego vocantur Stellæ gregis.* Post alia, in declarationem rei adjecta, addit demum, istam constellationem Anammelech, Sidoniis alio nomine dictam fuisse Astharoth, ab *Asthara*, i. e. grex. IVRIEV *d. l. p.* 658. sub utroque latere censet Saturnum, quin & utrumque referre Solem, regem universi, qui astris lumen, terræ virtutem fœtificam largitur.

Ad §. VI. pag. 99.

(3) נסרך *Nisroch*] Numen erat Assyriorum, templum ejus, ut videtur, in Nineve, inquit SELDENVS *de Diis Syr. Synt. II. cap. X.* de quo præterea, quæ 2 Reg. XIX, ult. & Jes. XXXVII. Scriptura tradit, omnia alia se nescire fatetur. BEYERVS *in Additament. ad h. l. p.* 309. ex נסרא נוח coaluisse putat; quasi *avis Noachi*, columba nimirum, Assyriis culta. Sed & ex KIRCHERO refert, symbolum ejus naviculam fuisse, quam arcam Noæ, & in ea Janum, repræsentasse conjicit; quia historia Noachi, diluvium, arcæ quies & reliquiæ fuerint Orienti notissimæ. Consentit RASCHI, qui *in Jes. c. l. LVIII.* id nominis *asserem Noæ* notare tradit, quia נסר Chaldæis vel Assyriis *asser* sit. IVRIEV *c. l. cap. XI. p.* 663. mavult *aquilam* hoc nomine designari, Jovemque Belum, Assyriis religiose cultum, sub hoc symbolo latere: quam conjecturam eruditis observationibus ornat. Nobis sufficit, aliorum in medium protulisse conjecturas, cum certi nil habeamus, quod in tanta rerum obscuritate probemus.

Ibidem.

(4) רמון *malogranatum*] Laudatus ante SELDENVS ab hac vocis interpretatione deflectit, eam potius a verbo רום arcessens, ut altum, & excelsum notet, idemque sit cum *Elicun* Phœnicum Numine. In quibus acquiescit IVRIEV *p.* 659. & ex PHILONE BYBLIO apud EVSEBIVM *lib. I. de Præpar. Evang. cap. X.* ὕψιστος interpretatur, ut Solem denuo designet, *Belsamen* dictum. Sed alia gravior hic intercedit quæstio, de genuino verborum Naamanis sensu. Ille postquam 2 Reg. V, 17. stipulatus fuerat, nulli Deorum sacra se posthæc facturum, præterquam Domino, Deo Israelis, Medico suo, quem unum verum Deum agnoscebat ac venerabatur, comm. 18. 19. subjicit: *Rem hanc condonabit Dominus servo tuo, cum venerit dominus meus* (Rex Syriæ) *ad fanum Rimmon, ad adorandum ibi, & ille innitatur super manum meam, & ego incurvavero me in fano Rimmon, in flexione corporis mei in domo Rimmon, condonabit dominus servo tuo, in hac re:* cui annuit Propheta, inquiens: *Abi in pace.* Quod enim IOH. CLERICVS *ad h. l.* sentit, hac responsione, Prophetam nec probasse, nec improbasse, quod dixerat Naaman, trita Scripturæ phrasi refellitur. Quando enim Servator dicit: πορεύου εἰς εἰρήνην Marci V, 34. Lucæ VII, 50. VIII, 48. & probat, quæ dixerat vel egerat alter, & a peccato pronunciat immunem. In *triplicem* autem sententiam rapitur deprecatio Syri. In his omnium minime toleranda *ea* est, quæ Elisam suasorem statuit hypocriseos, ut simulato solum cultu, quoniam inter idololatras aliter non liceret, Naaman idolum veneraretur, cui nuncium jam miserat. Acerrimus enim simulationis osor Deus Psal. V, 7. quomodo ferre aut suadere potuisset hypocrisin, in gratiam idololatrarum data opera peractam, & per omnem vitam continuatam? confer Matth. X, 33. *Media* illa est, quæ in præterito incurvandi verbum vertit, ut Naaman condonari sibi petat id, quod ante conversionem commiserat, hoc sensu: *Rem hanc condonabit mihi dominus, quod, cum venit dominus meus in domum Rimmon, ad adorandum ibi, & innixus fuit super manum meam, ego etiam adoravi in fano, in hac adoratione mea in domo Rimmon condonabit dominus servo tuo.* Ita, post complures alios, e nostris D. IOH. FRID.

FRID. MAYERUS *im reisenden Lutheraner*. Quo minus autem eidem nostrum adjiciamus calculum, obstat 1) ו conversivum, quod notionem Præteriti ordinarie convertit in Futurum, ut de facto non tam ante patrato, sed in posterum indulgendo, sit sermo: 2) uberrima facti descriptio. Si de idololatria solum ante commissa loquatur Naaman, quid tanta opus erat verborum pompa & circuitione, cum satis fuisset dicere: Condonet mihi dominus, quod antea coram Rimmone me prostravi, & pro Deo colui, non tantum in illius fano, sed extra quoque illud? quid opus quoque fuisset mentione venientis in sacellum heri sui, Regis, ac si Rimmonis fanum nunquam solus intrasset, sacra facturus absque Rege. *Tertia* denique præsidium quærit in generali verbi השתחוה *adorandi*, sive corpus inclinandi, significatione. Proprie enim id notat *procumbere in terra*, sive inclinato corpore venerari & salutare: sumiturque pro ratione personæ reique gestæ, vel pro *adoratione religiosa*, quæ soli Deo competit, nec tantum gestu fit, sed imprimis animo & corde, ut Psal. XLV, 12. XCV, 6. vel pro *civili veneratione*, qua Orientales homines in summa dignitate constitutos prosequebantur, ut 2 Sam. XVI, 4. Gen. XXIII, 7. 1 Reg. I, 31. 2 Sam. XIV, 33. Non de priori loqui Naamanum, præmissa comm. 17. stipulatio ejus affatim edocet; sed de posteriori, quæ officii caussa sibi incumbebat, cum adoraturo Regi, in sacello ministerium præstare & adesse deberet. Mens itaque huc redit, ut condonaret sibi Dominus, quando posthæc, pro officii ratione, Regi in sacellum ingredienti & adoraturo, præsto esse necesse haberet, & ipse quoque in fano isto, non tamen idolo, sed hero suo, quem manibus suis sustentare aut elevare debebat, civili solum incurvatione se prosterneret. Gestum itaque corporis solum excusat, &, ne in sequiorem raperetur sensum, deprecatur, cum mente sua, præter Jehovam Israelis, Numen veneraretur nullum. Obverti quidem posset, hoc pacto ambiguum verbi *incurvandi* sensum reddi, quod mox religiosam notet adorationem, quando de Rege legitur, mox civilem, quando de Naamane: sed præterquam, quod non infrequens id in locis est, ubi idem verbum de diversis repetitur subjectis, aut repeti deberet, ut Joel. II, 13. sufficit hic, in generali primaque verbi notione subsistere, quæ gestum corporis notat, qui pro disparitate objecti, cui præstatur, vel civilis est, vel religiosus. Si porro urgeatur, ejus rei veniam petere opus non fuisse Naamani, quæ in se nihil habebat peccati; SEB. SCHMIDIUS *Annotat. in h. l.* concise & curate omnem difficultatem ita componit: Condonare *Hebræis est*, non imputare in culpam, quod secundum rigorem imputari posset, *non habere pro peccato, quod in se, seu ex lege æterna peccatum non est, sed ex lege positiva. Nimirum ex lege positiva Judæis non erat licitum, tum ingredi in idoleum, tum in eo incurvare se civiliter, propter scandalum, quod inde accipi potuit. Neutrum tamen ex lege æterna, seu in se peccatum est, sed per accidens tantum. Itaque rogat Naaman, ut non adstringatur ad istam cerimoniam Judaicam, nec accidens istud imputetur in peccatum.*

Ad §. VI. pag. 99.

(5) *Nebo, idolum Assyriorum, Jerem. XLVIII, 1.*] Addi potest Jes. XLVI, 1. Non autem idolum, hoc nomine notari credit IURIEU *Hist. Dogmat. & Cult. P. IV. Tr. I. cap. IV. p. 562.* sed vel montem, vel fanum in hoc monte exstructum, vel locum, in quo Moabitarum Deus sua reddebat oracula & responsa. Statim tamen Nebo eundem esse dicit cum Baal-Pehore, in quantum ille oracula edebat: quæ mens est HIERONYMI *in Jes. XV, 2. & cap. XLVI, 1.* THOMAS HYDE *de Relig. Vet. Persar. cap. II. p. 67.* Mercurium intelligit, Deorum interpretem, quia, cum Auctore nostro, a Rad. נבא *vaticinari* nomen derivat. CAMP. VITRINGA *Comment. in Jes. XLVI, 1.* per Nebo designari credit Junonem, sive Lunam, Reginam cælorum, a Babyloniis ac Mesopotamenis, & ab Assyriis quoque ac Syris omnibus, sub nomine Veneris

Cælestis

Cœlestis cultam, quæ alio nomine נרגל dicatur. Nomen promanasse credit ex נוב *provenire, pullulare*, & forte, geminata significatione, *fructuosum, frugiferum, fertilem reddere*: quod attributum Lunæ veteres agnoverunt. Addit porro Vir doctus: *Quæ* HIERONYMVS *hic habet de Nebo, Moabitarum monte, digna non sunt relatu; & miror, alicujus rei facta esse a* SELDENO. Ita quilibet pro ingenii fœcunditate suæ indulget conjecturæ: nobis vero, in re adeo incerta, inter tantos viros arbitrari non licet.

AD

LIB. IV. CAPVT VIII.

DE PECVLIARI ORACVLORVM ET ΧΡΗΜΑΤΙΣΜΩΝ RATIONE.

Ad Inscript. Capit. pag. 100.

Χρηματισμῶν *ratione*] Hoc vocabulum, cum cognatis, oraculis & responsis, sive vere divinis, sive quæ pro divinis frustra habebantur, ita est appropriatum, ut cum Deus ipse homines alloquitur, dicatur χρηματίζειν, & ii, quos ita compellat, χρηματίζεσθαι, sermo demum, qui pronunciatur, τὸ κεχρηματισμένον, Luc. II, 26. & χρηματισμὸς audiat. Vide post Lexicographos, e Nostris DANHAVER. *Theol. Conscient. Proœm. Tom. I. pag.* 1. ex Reformatis ANTON. CREGVTVM *Revelat. Arcan. Cap. XII. p.* 520 *sq.*

Ad §. I. pag. cit.

(2) Πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως *Hebr. I*, 1.] Ex vero istud pronunciare Apostolum, Scriptura affatim docet, quæ tot vices, modosque Divinorum oraculorum exhibet, ut vix enumerari satis, vel in ordinem redigi queant. Nos *in Introd. ad Libb. Vet. Test. P. III. cap. I. §.* 6. *p.* 14. generatim complexi Divinam revelationem, triplicem diximus: *Civilem*, per sortes, cujus exempla in Achane Jos. VII, 14. in Saule & Jonathane 1 Sam. XIV, 42. in Jona, cap. I, 7. in Apostolis, Actor. I, 26. regulam vero Prov. XVI, 33. conspicimus; *Sacerdotalem*, per Vrim & Thummim, de qua suo loco, quantum satis est, egimus; & *Propheticam*, quæ in varias rursus abit classes. Quantum Moses memoriæ prodidit, apparuit Deus Adamo bis, ante lapsum, & post lapsum; Caino bis, ante fratris cædem, & post illam; Noacho bis, ante diluvium, & post diluvium; decies Abrahæ; Isaaco bis; Jacobo septies; Mosi frequentissime, & aliis sine numero: Erantque visiones istæ trium generum; aliæ prorsus *Mutæ*, in quibus vox nulla audiebatur, sed symbolum duntaxat apparebat, velut columna nubis & ignis, retrogradatio umbræ in solario Ezechiæ &c. aliæ *Vocales*, in quibus nulla apparebant oculis signa externa & sensibilia, sed per voces Deus sese communicabat, aut immediate, aut per Angelos, velut 1 Sam. III. vox Dei a Samuele audiebatur, nullo symbolo oculis subjecto: & Joh. XII, 28. aliæ denique *Mistæ*, quæ ex utroque constabant, scilicet ex symbolo oculis exhibito, & ex voce aures feriente, qualis Genes. XXVIII.

Ad §. II. pag. cit.

(3) *E medio Cherubinorum*] כפורת enim, sive *operculum* supra arcam, duobus Cherubim obumbratum, sedes erat oraculorum Divinorum, per Exod. XXV, 22. ita ut, cum ingrederetur Moses Tabernaculum, & consuleret oraculum, audiret vocem מדבר *loquentis* ad se de Propitiato-

tiatorio, quod erat ſuper Arcam teſtimonii inter duos Cherubim, & loquebatur ei Num. VII, 89. Non, ac ſi vox cælitus veniens, audiretur ex Propitiatorio, quod P. FAGIVS cenſet *in Targum ad h. l.* cum eo ipſo potius loco, ſupernaturaliter formaretur: nec ab Angelo produceretur, quod ABVLENSIS affirmat, *quæſt. XXII. & XXIX. in cap. VII. Numeror.* & *quæſt. IV. in cap. I. Levit.* Cherubim eum in finem expanſis alis fuiſſe contendens, ut ſpacium illud tegeretur ſuper Propitiatorio, in quo fuerit *corpus aëreum formatum, & ab Angelo ad tempus aſſumtum, ut voces inde formarentur,* quandoquidem, ex natura rei, voci repugnet, a Deo creari; cum omnino divina formaretur potentia. Vnde recte ABARBENEL *ad Exod. XXXI,* 11. היא נבואה של משה מעל הכפרת מבין שני הכרובים ולא על ידי מלאך כאשר הנביאים כלם: *Prophetia Moſis e medio Cherubim non eſt facta per Angelum, uti reliquorum Prophetarum.* Confer Num. XII, 6, 7, 8. Sublimiſſimus ille Prophetiæ gradus, quo ceteros vates Moſes antecelluit omnes, vocatur פה אל פה *ore ad os,* quod familiariſſimum erat colloquium Divinum, quo Moſes cum Domino, de facie ad faciem, absque alio internuncio & medio, de ore ad os, interrogando & reſpondendo, explicando & replicando, diſertis verbis utebatur, quemadmodum amicus amicum alloquitur, libera nimirum παῤῥησίᾳ, intimique commercii familiaritate, ut non attonitus exhorreſceret Moſes, animoque & corpore concideret, quod Abrahamo ac Danieli eveniſſe Geneſ. XV, 12. Dan. X, 8. legitur. De quo vide, quæ commentati ſumus, *Introduct. c. I. §. VII. p. 17 ſq.*

Ad §. II. pag. 100.

(4) *Angelos*] Angelorum miniſterio, ad revelationes cum hominibus communicandas, Deum frequenter uſum conſtat, velut Danieli Angelus adſtans viſionum interpretationem indicavit cap. VII, 16 ſqq. VIII, 16 ſqq. IX, 16 ſqq. ut & Zachariæ Sacerdoti Johannis natalia, ac Mariæ virgini Meſſiæ ortum, Gabriel prædixit Luc. I. conf. Apoc. XXII, 6, 16. De quo revelationis genere denuo confer *cit. loc. pag.* 19 *ſq.* Quibus adde, quæ IACOB. ODE *Comment. de Angelis Sect. VIII. cap. I. num. VII. p.* 739. affert, ubi eorum ſimul notat errores, qui vel Deum non loqui, niſi Angelorum miniſterio; vel Prophetas non accepiſſe viſiones & Prophetias ſuas a Deo, niſi per Angelos; vel, quod ſigillatim SPENCERVS contendit, Angelum, Dei nomen & perſonam præ ſe ferentem, e pectoralis oraculo, Pontifici conſulenti reſponſa dare ſolitum fuiſſe; tradiderunt.

Ad §. eund. pag. ead.

(5) *Quatuor Prophetiæ, ſeu Divinæ revelationis gradus*] Immo undecim Prophetiæ gradus, ex Magiſtrorum mente, recenſet MAIMONIDES *in More Nevoch. P. II. cap. XLV. p.* 316 *ſqq.* quos inde repetitos, ſub cenſuram vocavimus, *in Introd. c. I. p.* 14. iisque doctorum Chriſtianorum diverſas ſubjecimus revelationis diſtinctiones, quas huc transſcribere ſuperſedemus.

Ad §. III. pag. cit.

(6) נבואה *Prophetia*] Formam Prophetiæ, *tam* in perceptione rerum revelatarum, *quam* in earum cum aliis facta communicatione, conſiſtere *ibidem §. XIV. & XV. p.* 35 *ſqq.* docuimus. Jam de viſionibus, quarum Auctor noſter mentionem facit, addo, in duas diſpeſci claſſes, cum *aliæ* vigilantium eſſent, *aliæ* dormientium, ſive ſomniantium. Vigilantibus denuo viſiones objiciebantur *vel* per ſigna externa, Prophetarum ſenſibus oblata, ut ſignificarent aliquid, quod Deus revelatum cupiebat, ut rubus ardens a Moſe viſus Exod. III. ſignum erat externum, Eccleſiæ Judaicæ afflictionem in Aegypto notans, quæ ureret illam, verum non conſumeret: *vel* per ſigna interna, intrinſecus impreſſa, *ſive* per ſpecies in phantaſia de novo productas, aut certo modo diſpoſitas, & ad finem certum deter-

determinatas ac ordinatas, *five* per fpecies intelligibiles, immediate intellectum afficiendo, & movendo fupra fphæram activitatis fuæ, ita ut modo extraordinario homines ea intelligerent, quæ per fe, & propria intellectione nunquam confequi valerent, unde potentia ad tam altum intelligibile elevabatur, non proprio fuo ratiocinio, fed per revelationem & influxum cæleftem. Iftæ porro vifiones, quomodo tam quoad motus, quam quoad gradus, infignem admiferint diverfitatem, copiofe edifferit laudatus fupra CREGVTVS *c. l. p.* 503 *fqq.* De dormientium infomniis Propheticis, idem CREGVTVS *p.* 505 *fq.* & poft eum, HERMANN. WITSIVS egit *Mifcell. Sacr. lib. I. cap. V. toto,* cui adde, quæ nos *in Introd. c. l. §. VII. p.* 16. obfervavimus, & cumprimis contra TOLANDVM difputavimus *p.* 477 *fq.*

Ad §. IV. pag. 100.

(7) רוח הקדש *Infpiratio Spiritus Sancti*] Hic Prophetiæ feu revelationis Divinæ gradus eft virorum θεοπνέυςων, qui, citra fomnia & vifiones, facultatem fupernaturalem fuper fe quiefcentem fenferunt, qua excitante & fuggerente, verba laudis & confeffionis, velut in Pfalmis, vel alia Divina oracula, ut in Salomoneis, fcripferint vel locuti fint. Hac ipfa vero diftinctione, inter *Prophetiam* & *Spiritum Sanctum* Judæos haud levi afficere injuria Davidem, Jobum, Salomonem & Danielem, ex Prophetarum eos ordine eliminantes, alibi nos obfervavimus *Introduct. P. I. cap. II. §. IV.* & *P. III. cap. I. §. XXV. num. IV. p.* 71. nec non *Crit. Sacr. P. I. cap. III. §. IV. p.* 138 *fqq.* Eam enim ob caufam, quod hi folum ברוח הקודש per Spiritus Sancti fuggeftionem internam, non בנבואה per Prophetiæ influxum & donum, monimenta fua exararint, nec ipfos pari cum Prophetis dignatione habent, nec libros ipforum Propheticos cenfent, fed in inferiorem vaticiniis, τῶν כתובים *hagiographorum* claffem rejiciunt. Sane præter jus, fasque. Jobum quippe Deo collocutum, & Prophetam fuiffe conftat ex cap. XLII, 4, 5. Davidem Petrus Actor. II, 30. Danielem Chriftus Matth. XXIV, 15. Prophetæ encomio ac titulo diferte ornant, idemque Salomoni denegandum non effe, ex infomniis Divinis, 1 Reg. III, 5 fqq. IX, 1. verbo Domini ad ipfum, æque ac alios Prophetas facto 1 Reg. VI, 11, 12. XI, 9 fqq. fublimibus quoque de Chrifto effatis, quæ Proverb. VIII. & per univerfum Canticum Canticorum edidit, liquido conftat. Sed &, quod inprimis huc facit, Prophetia omnis a Spiritu Sancto allata fertur, 2 Petr. I, 21. & τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον per Jefaiam Prophetam oracula edidiffe perhibetur Actor. XXVIII, 25. Quæ, utut Judæos non convincant, quia Novi Fœderis defugiunt auctoritatem, Chriftianos tamen, de futilitate diftinctionis illius, diferte monent. Vt taceam, libros omnes θεοπνεύςȣς Veteris Inftrumenti, ad λόγον προφητικὸν, 2 Petr. I, 19. & ad Propheticum Ecclefiæ fundamentum Ephef. II, 20. referri.

Ad §. V. pag. cit.

(8) *Hominem in ἔκςασιν abripuerit*] Ita contendit MAIMONIDES, integro fenfuum minifterio perceptam fuiffe Prophetiam ullam, in *More Nebochim P. II. cap. XLV.* diferte negans. Vigilantes autem, & fenfibus gaudentes integris, vaticinatos Prophetas fæpius, ex Scriptura liquet. Jeremiæ certe jugum, collo impofitum, in quo fudit oracula, cumque frangeret ligneum adverfarius ejus Hananja, ferreum in lignei vicem locumque fubftituit, ac denuo vaticinatus eft cap. XXVII, XXVIII. integrum fenfuum minifterium requirit. Nec eft, ut obvertas, MAIMONIDEM non de oraculis edifferendis, fed de percipiendis folum loqui; cum exempla præfto fint complura, in quibus Divina oraculorum communicatio nullam mentis emotionem, quantum ex Scriptura intelligitur, comitem habuit. Πρῶτον autem ψεῦδος MAIMONIDIS eft, quod Spiritum Domini, quando dicitur, quod in hominem quendam *irruerit Spiritus Domini*, vel

induerit eum Spiritus Domini, vel *quiescat super ipsum Spiritus Domini*, aut *fuerit cum ipso Dominus*, non gradum Prophetiæ, sed præparationem solum, & viam ad Prophetiam, notare perhibet. Exempla enim, quibus evincere assertum nititur, liquido edocent, MAIMONIDEM, Spiritum heroicum cum prophetico, temere permiscere. Istæ enim phrases & de heroibus, strenuisque imperatoribus, & de Prophetis passim leguntur, sed dispari adhibitæ sensu, ita ut, quando Spiritus Domini heroëm insigni animi, corporisque robore instruebat, liberatorem Israelis, quando interpretem voluntatis Divinæ, curata rerum sublimium vel futurarum cognitione imbuebat, eamque ut aliis impertiretur, impellebat, vatem redderet ac Prophetam.

Ad §. VI. pag. 100.

(9) *Cessarunt sub templo secundo*] Ita Magistri definiunt, in LIPMANNI *Nizzachon p.* 159. לא היה נביא בבית שני *non fuit Propheta in templo posteriori.* Quod tamen ita restringit Auctor libri *Cosri P. III. num. XXXIX. p.* 215. edit. Buxtorf. & *num. LXV. p.* 238. ut annis XL adhuc durasse censeatur in Senioribus, הנעזרים בכח השכינה שהיתה בבית ראשון *qui instructi fuerunt virtute τῆς* Schechina, seu *præsentiæ divinæ, quæ fuit sub templo primo*, in secundo autem, inter quinque res desideratas defecit: Prophetiam enim habitualem tam arcte connexam tradit cum Schechina, ut absente illa, necessario quoque cessare debuerit Prophetiæ facultas. Reliqua, quæ ad excessum ultimorum Prophetarum, tum quoque ad sequiorum temporum vaticinia, Hyrcani Ethnarchæ, Simonis Maccabæi, Jaddi Pontificis, Menahemi & Judæ Maccabæi faciunt, vide discussa a WITSIO *Miscellan. Sacr. lib. I. cap. XX. toto, p.* 260 *sq.* & in *Introduct.* nostra *c. l. p.* 73 *sq.*

Ad §. VIII. pag. 101.

(י) *Referendum illud Act. XIX, 2.*] Bona cum Auctoris venia, longe alio spectare credimus, quæ Act. XIX. gesta narrantur. Ibi enim quæritur de Spiritu Sancto, prout sub auspicia Nov. Test. effundebatur super Fideles, in donis extraordinariis & miraculosis, prout eventus ipse declarat comm. 6. quod, cum Paulus manus his viris imponeret & oraret, superveniret Spiritus Sanctus ipsis, eo certe modo, ut linguis loquerentur & vaticinarentur. Vnde nonnulli phrasin ajunt esse ellipticam, & supplendam per verbum ἐκχυνόμενον, hoc sensu: *nescimus, Spiritum Sanctum esse effusum*, nempe tam large, ut donis suis singulariter se manifestarit. Vide PEARSONVM *ad Symbol. Apostol. p.* 543. & SCHOETTGEN. *in Notis ad Lamb. Bos de Ellipsib. Gr. L. pag.* 64. Hausisse autem Auctor noster sententiam suam videtur ex LIGHTFOOTO, qui *in Hor. Hebr. ad Joh. VII,* 39. οὔπω γὰρ ἦν πνεῦμα ἅγιον, verba ista ex receptissima gentis sententia arcessit, de discessione Spiritus Sancti post mortem Zachariæ & Malachiæ, ac si dicerent Ephesii isti: de discessione Spiritus Sancti post mortem novissimorum Prophetarum audivimus quidem, de redonatione autem ejus nihil hucdum percepimus. Sed 1) vix ex Textu liquet, discipulos Ephesinos ortu ac gente Judæos fuisse, & Judaicis imbutos traditionibus: quid si Græci fuerint? Licet enim tincti essent baptismate Johannis, istud tamen beneficium, illa tempestate, tam Ethnicis obtingebat, ad Christi castra transeuntibus, quam Judæis. Sane Epistola ad Ephesios tales describit Christianos, qui ante conversionem Gentiles fuerint, non Judæi. Vt taceam, Spiritum Sanctum a dono Prophetiæ inter Judæos tanto distingui intervallo, ut libri, qui ejus influxu consignati ferebantur, ad peculiarem, & a Propheticis segregatum τῶν כתובים ordinem revocarentur. Superesse itaque, ex Judæorum mente, Spiritus Sancti χάρισμα potuit, extincto licet dudum Prophetiæ dono.

Ad §. eund. pag. ead.

(יא) *Mysterium Trinitatis in nomine* יהוה *observarint*] Hæc ut eo planius intelligantur, ipsum

ipſum audire libet FAGIVM, utut paulo copioſius *cit. loc.* ita commentatum: *Hoc nomen* יהוה *Trinitatis myſterium continet, ut veteres Judæi, qui Chriſtum præceſſerunt, dixere in ſuis traditionibus. Nam per* י *Jod, intelligitur Pater, qui eſt principium & origo omnium rerum. Per* ה *He, Filius, per quem omnia, quæ facta ſunt, eſſe cœperunt. Per* ו *Vauf, quæ eſt Conjunctio copulativa, intelligitur Spiritus Sanctus, qui eſt amor & nexus utriusque, qui ab utroque procedit. Geminatur autem* ה *propter duplicem naturam, quæ eſt in Chriſto. Per primum* ה*, natura Divina intelligitur: per* ה *poſtremum, natura Humana. Hoc nomen* יהוה / *dicebatur Hebræis* שם המפורש *i. e. nomen expoſitum, ſive declaratum: aut nomen, quod exponitur. Exponebatur enim ab eis per nomen duodecim literarum* אב בן ורוח הקדש *h. e. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Item per nomen quadraginta duarum literarum:* אב אלהים בן אלהים רוח הקדש אלהים שלשה באחד אחד בשלשה *i. e. Pater Deus eſt, Filius Deus eſt, Spiritus Sanctus Deus eſt: tres in uno (hoc eſt, in una ſubſtantia) unum in tribus (id eſt, una eſſentia).* Eadem conciſius tetigit BVXTORF. *Differt. V. de nominibus Dei Hebraicis* §. 28. *p.* 260. Vterque autem procul dubio hauſit ex PETR. GALATINI *de arcanis Catholicæ veritat. lib. II. cap. X.* ubi allegatis RABBENV HAKKADOSCH in גלי רזיא verbis, fidem dictis conciliare nititur. Verum laudatus BVXTORFIVS *in Lex. Hebr.* min. ad vocem יהוה erudita excurſione facta, GALATINI fidem ſolicitat, *p.* 162. addens: *magnum operæ pretium eſſet, hanc expoſitionem poſſe ex Rabbinorum libris firmari.* Licet enim Judæorum Magiſtri, Chriſti ἐνσάρκωσιν antegreſſi, myſterium SS. Trinitatis tenuerint, his ipſis tamen GALATINI verbis idem ediſſeruiſſe, creditu vix adeo proclive eſt. Ceterum, quo pacto in nomine ייהוה Deus & Synedrium ejus, h. e. ternarius perſonarum numerus, deſignari Judæis credatur, docet EDZARDVS *in Tractat. Berachoth cap. I. Not.* 39. *pag.* 200.

Ad §. IX. pag. 101.

(12) *Deum omnia creare in litera* ה] Duæ poſteriores Auctoris interpretationes lucem accipiunt *ex Annotat. praeced.* Huc etiam refer, quod illuſtris Auctor *Kabbalæ denudatæ Tom. II. P. III. Tract. II. cap. XVII.* §. 4. *p.* 313. ex R. IITZCHAK, Lorjenſis, tractatu *de revolutionibus animarum* obſervavit, in Gen. I, 31. *& fuit veſpera, & fuit mane, dies* הששי *ſextus*, literam ה abundare, quia non adhibita fuit in denominatione ceterarum dierum. Hoc autem ipſo denotari, quod hora quinta Paraſceves Sabbathi, quæ deſignatur per ה iſtud abundans, major ſuperaddita ſit mundo ſanctitas, mundique inceperint in ſublimiores gradus adſcendere. Sed hæc ſomnia ſunt Kabbaliſtarum, quæ forte ne ipſi quidem intellexerunt.

Ad §. X. pag. 101.

(13) *Tertius gradus fuit Vrim & Thummim*] De hoc revelationis & oraculi genere, quantum ſatis eſt, ſupra diximus ad *Lib. I. Cap. V.* §. *II. Annotat.* 12. quibus non attinet hic addere plura.

Ad §. XIV. pag. 102.

(14) *Quartus gradus fuit* בת קול *Filia Vocis*] Operæ nos pretium facturos credimus, ſi paulo curatius de celebri iſthoc oraculo commentemur. Ejus itaque notamus

α) Nomen. in quo, ſunt qui putant, vocem בת prorſus abundare, unde Syrus, Hebr. III, 15. & Act. XII, 22. ſimplicem φωνὴν, ܩܳܠܳܐ appellavit. Itaque LIGHTFOOTVS *in Harmon. Tom. I. Opp. p.* 348. *c.* 2. non ſemper neceſſarium dicit, ut vocis Hebrææ בת ſignificationi preſſe inſiſtatur. Rectius autem affirmaveris, emphaſin in hoc nomine latere, ut ſermo vel oratio *Filia Vocis* appelletur, quia a voce proficiſcitur, & velut in lucem editur. Notatur ergo oraculum quoddam, e voce cæleſti prognatum, qua-

lem vocem Deus ad montem Sinai edebat coram populo. Rursus alii Bath Kol interpretantur, נבואה בת קול *Prophetiam sonoram vocalem*, seu *Prophetiam, clara voce editam:* attamen a נבואה / tanquam distincto revelationis Divinæ gradu, discernitur a Judæis Bath Kol, & in locum potius Prophetiæ successit. Vt itaque dicamus, quod res est, quia בן & בת Hebræis proprie id notat, quicquid ab alio descendit, atque ex eo suum habet ortum, consequens est, ut vi vocis, בת קול sit revelatio, ex voce sonora orta. Hinc GLASSIVS *Rhetor. Sacr. lib. I. cap. X. p.* 251. SPENCERVS *de Vrim & Thummim Differt. VII. cap. I.* §. 1. & HAMMONDVS *ad Matth. XVII*, 5. Bath Kol vocem ex tonitru provenientem, ejusque quasi filiam, interpretantur. Sane Joh. XII, 29. qui vocem audierant cælo delapsam, tonitru audire sibi visi sunt, quemadmodum & alias קול *tonitru* designat Exod. IX, 23. Jer. X, 13. inprimis Psal. XXIX, 3 sqq. unde & in Apoc. IV, 8. tonitrua & voces conjunguntur, & cap. X, 3. tonitrua voces edidisse dicuntur. Verumtamen, licet voces istæ cælitus demissæ, graves essent & majestaticæ, a tonitru tamen alienæ. Et licet קול nonnunquam tonitru designet, rursus tamen sonum quoque articulatum, sive vocem articulatam & distinctam sæpius notat. In Apocalypsi vero, ubi *φωνὴ καὶ βροντὴ* conjunguntur, immo *βρονταὶ φωνὰς* eloeutæ perhibentur, voces intelliguntur inarticulatæ, seu soni meri. Alii itaque malunt, ita editam esse hanc revelationem, quasi sit nata ex alia voce, cujus exemplar sit echo. Quam sententiam ita eloquitur SERVATIVS GALLAEVS *Differt. de Sibyllis p.* 237 *sq. quando tonitrua nulla alia voce, aut repercussione audiebatur,* קול *simpliciter dicebatur: at vero, Quando submissa vox, instar echo, post tonitrua audiebatur,* בת קול *appellabatur.* Ita ergo dicta fuisset, quod non ipsa Dei vox, sed illius repercussio & repræsentatio in ea perciperetur. Ita in תוספות ad Gemaram Cod. *Sanhedrin f.* 11. *ab init.* explicatur; eoque spectat, quod alias Bath Kol idem sit, ac resonantia & soni repercussio. Eaque est propriissima vocis hujus significatio, ut Vocis Filia sit echo, quæ ejus est quasi partus, imago & exemplar. Ita definiunt BVXTORF. *Lex. Talmud. p.* 320. HOTTINGERVS *Thes. Philol. lib. II. cap.* 3. *Sect. II. pag.* 542. & DRVSIVS *ad Matth. III*, 17. Etsi DRVSIVS apud GALLAEVM *p.* 238. hoc nomine respectum vult haberi ad oraculum Vrim & Thummim: hoc enim erat vox ex propitiatorio missa; eo autem ablato, ejus loco Bath Kol venit, vocis illius quasi successor.

β) Definitionem itaque hujus oraculi si requiras, ex mente Judæorum fuit revelatio quædam Divina, temporibus quidem jam antiquissimis, potissimum tamen sub Templo secundo, usitata, & ex omnibus revelandi modis, unice Judæis, ex singulari gratia, in testimonium gratiosæ suæ præsentiæ a Deo relicta; facta voce, vel de cælo, vel ex adyto Templi, vel aliunde etiam proveniente; interdum etiam ex qualicunque dicto augurali & ominoso, sive ex libris, sive ex colloquiis obviorum desumta: qua in rebus dubiis admonerentur, controversiæ ipsorum deciderentur, ipsique de re ignota redderentur certiores. Ita describit DANZIVS infra citandus, §. 20.

γ) Auctor ejus credebatur Deus O. M. velut in *Megilla fol.* 3. *col.* 1. perhibetur, Filiam Vocis ad IONATHANEM VSIELIDEM, cum transferret Prophetas, dixisse: *Quisnam est ille, qui revelavit arcana mea filiis hominum?* Cui ille: *Ego sum ille, qui revelavi mysteria Tua hominibus. Notum ac manifestum est coram Te, quod non in honorem meum fecerim, neque in honorem patris mei; sed in Tui honorem feci, ne amplius multiplicarentur inter Israelitas controversiæ.* Cumque amplius revelaturus esset Targum Hagiographorum, prodiit Filia Vocis, & dixit ipsi: *Sufficiat tibi!* Quare? *eo, quod continetur illis determinatum tempus Messiæ.*

δ) Vnde autem provenerit hæc Vox? varie traditur. In Cod. *Chagiga fol.* 14. *col.* 2. ex cælo prodiisse narratur. *Rabban* IOCHANAN BEN SACCAI testatur, se in somnio, juxta cum aliis, accubuisse in monte Sinai, & editam esse ipsorum causa

causa Filiam Vocis de cælo. Similiter in urbe Jericho atque Jafne, Bath Kol de cælo edita esse perhibetur; ibi Hilleli, hic Samueli parvo testimonium præbens, quod uterque dignus sit, in quo habitet רוח הקודש *Spiritus Sanctus*, ut est in Cod. *Sanhedrin fol.* 11. *col.* 1. item *in Sota f.* 48. *col.* 2. Alia vice, ex adyto Templi audita est. In Talmud enim Hierosolym. Tr. *Chagiga c.* 2. ϑ. 2. *f.* 77. *col.* 2. testatur R. ELISA, BEN ABVIA, Apostata, se, cum transiret locum Sanctissimi, audiisse prodeuntem exinde Filiam Vocis, pœnitentiæ locum ipsi denegantem. Huc etiam pertinet famosa illa & celebris vox, quæ traditur, paulo ante Hierosolymæ vastationem, ex adyto Templi prodiisse, & inclamasse: *Migremus hinc:* testibus IOSEPHO *Belli Jud. lib. VII. cap.* 12. & TACITO *Histor. lib. V. cap.* 13. Denique in Filiam Vocis verterunt superstitiosi homines, quicquid forte ominosum, a quocunque prolatum audirent, velut in Hierosol. *Schabbath fol.* 8. *col.* 3. narratur: R. IOCHANAN & R. SCHIMEON, filius LAKISCH, desiderabant videre faciem Samuelis Babylonii: hinc inquiunt, נלך אחר שמיעת בת קול *sequamur auditum Bath Kol:* Scholam itaque transeuntes, audiverunt vocem pueri (legentis 1 Sam. XXV, 1.) *& Samuel mortuus est.* Hoc notarunt (tanquam signum) sic enim evenerat ipsi. R. IONAH & R. IOSEH ascensuri erant, visitatum R. ACHA ægrotantem: *Sequamur,* inquiunt, *auditum Bath Kol.* Audierunt vocem feminæ cujusdam, vicinæ suæ dicentis: *extinctane est lucerna?* cui illa: *ne extinguatur, nec extinguantur lucernæ Israelis.*

ε) Quid de illa censendum, inter Christianos ambigunt eruditi. LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad Matth. VIII,* 17. *Tom. II. Opp. p.* 275. eam partim fabulis Talmudicis accenset, partim præstigiis Diaboli fert in acceptis. Et in eandem sententiam pedibus incedit DANZIVS in disput. Jenæ 1716. publice defensa, §. 27. *p.* 47. Contra vero, post alios bene multos, VITRINGA *Observat. Sacr. lib. VI. cap. X. p.* 360 *sqq.* vocem illam veram fuisse demonstrat, non imaginariam, altam, gravem, sonoram, humana majorem, in aere formatam & publice exceptam, eoque refert את קול יהוה אלהים *vocem Domini Dei,* qua post admissum peccatum protoplastos, in horto Eden, ad causam dicendam evocavit Gen. III, 8. vocem Sinaiticam Exod. XX, 16. ἧς οἱ ἀκούσαντες παρῃτήσαντο, μὴ προςτεθῆναι αὐτοῖς λόγον, Hebr. XII, 19. illam quoque Dan. IV, 28. vocem cælo lapsam; porro, in baptismo Christi ad Jordanem, ubi φωνὴ ἐκ τῶν οὐρανῶν λέγουσα audiebatur Matth. III, 17. eam denique, quæ Joh. XII, 28. memoratur, & quæ a Saulo percepta Act. IX, 3, 4. XXII, 9. perhibetur. Nos, ut mediam teneamus viam, exempla suadent hactenus in scenam producta. Plurima in his esse fabulosa, quæ in Talmude traduntur, ultro lubentesque largimur, quia nec sibi constant, & crassa interdum mendacia, Deoque indigna continent, fidemque, immo superstitionem tantum non superant, quando v. g. in solius R. CHANINAE honorem, quotidie de monte Horeb Filiam Vocis proclamasse, quin & ex R. IOSES traditione, eam tribus quotidie vicibus, columbæ instar fremere, & in qualibet noctis vigilia vastationem Vrbis ac Templi Hierosolymitani deplorare, nugantur: quæ & alia, laudatus DANZIVS in præmissa disputationi epistola profert. Ea tamen propter plane illam explodere, & ad gerras Siculas remittere omnem, merito religioni ducimus, maxime propter exempla Novi Fœderis, a VITRINGA allegata. Tribus vicibus Servator optimus, in inauguratione ad officium Propheticum Matth. III, 15. in plena hujus officii functione, & discipulorum confirmatione, Matth. XVII, 5. 2 Petr. I, 17, 18. denique quando urbem Hierosolymam solenniter ingressus, Rex Israelis proclamabatur Joh. XII, 13. vocis cælestis testimonio ornabatur, quam quo minus Filiam Vocis dicamus, ratio nulla apparet. Licet enim ordinarii tum desiissent Prophetæ, canonque Vet. Test. esset conclusus, Deus tamen tamdiu πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως loquebatur ad Ecclesiam, donec ultimo loqueretur per Filium Hebr. I, 1. Vnde facile per-

persuaderi nobis patimur, alia quoque exempla, Christo anteriora, & inter Judæos, stante adhuc Templo, decantata, veritatem tueri, licet innumera ab ipsis traduntur fabulosa. Quæ contra hanc sententiam, cum quadam veritatis specie, obverti possunt, studiose congesta & ornata lege in disputatione DANZIANA *p.* 47 *sqq.* in quibus præcipuum est, quod Deus, post Canonem Vet. Instrumenti constitutum, immediatas revelationes, continuas & ordinarias denegaverit. Vnde Malachias simpliciter ad libros Mosis ablegat cap. III, 22. & immediate post se, Eliam venturum prænunciat vers. 23. quem in Johanne baptista exhibitum, Marcus & Lucas in Evangeliis, primo loco describunt, atque ita Novum cum Veteri Fœdere apte connectunt. *Resp.* Valet argumentum adversus revelationes Canonicas, ad canonem fidei ac morum perpetuum pertinentes, in quarum numerum ac censum, neque Vrim & Thummim, neque Bath Kol refertur: eæ tamen non prohibent, quo minus Deus, usque ad Filii in carnem adventum, πολυτρόπως loqueretur Hebr. I, 1. editaque interdum voce de cælo, voluntatem suam patefaceret mortalibus. Ad oracula autem Novi Test. maxime Joh. XII. regerunt: has cælo delapsas voces, militare potius contra Bath Kol, quæ si sub Templo secundo frequens adeo & trita fuisset, statim illam agnovisset turba, neque vel tonitru, vel Angeli sermonem, interpretata fuisset. Sed *Resp.* promiscua populi turba non magis Filiæ Vocis adsueta erat, quam Samuel, quem nomine suo compellabat Dominus in Sanctuario, 1 Sam. III, 7. sed erat hæc piorum, sanctorumque Sacerdotum quorundam instructio. Populus itaque stupebat ad hanc vocem, nec habebat, quo referret. Forte etiam hostes Christi operam dabant, aliudque populo persuasum ibant, ne τῆς Bath Kol testificatio auctoritatem Domino conciliaret. Vide, præter citatos a nobis Auctores, de Filia Vocis, DAVIDEM KNIBBE, Belgam, qui *lib. II. cap. VI.* §. 7. *sqq.* tamen cum LIGHTFOOTO & DANZIO eam negat, & §. 9. copiose impugnat.

Ad §. XV. pag. 102.

(15) *Legem oralem*] Bene habet ab Auctore prolata Legis, in *Scriptam & Oralem*, distinctio, eamque nil obstat, quin respectu ad modum, mediumque conservandi & ad posteros propagandi habito, duplicem dicamus, minus autem commode, si ad argumentum & rem ipsam attendas. Teste enim MAIMONIDE *Præfat. ad Seder Seraim*, Lex oralis תורה שבעל פה non nisi explicatio Legis scriptæ censetur. Cum quippe præcepta omnia, Mosi concredita, & per Mosen tradita, cum explicatione darentur, ipsa præcepta Moses literis consignavit, explicationem autem viva voce subjunxit. Lex itaque scripta, תורה שבכתב / Pentateucho comprehensa, DCXIII. complectitur præcepta: eorum vero adjuncta explicatio, Lex erit oralis. Illam complecti dicunt substantiam faciendorum & fugiendorum; hanc modum, circumstantias, & expositionem. Curate autem observavit Vir clar. ANDR. GEORG. WAEHNER *Antiqu. Hebr. Sect. II.* §. 15 *sqq.* doctrinæ viva voce traditæ quinque summa esse capita: I. פירושים מקובלים מפי משה ע״ה *Explicationes præceptorum ab ipso Mose acceptas*, quæ quidem per ratiocinia ex ipso Pentateucho elici potuissent, ni Moses ore propagare e re duxisset: hinc nulla ipsis unquam mota lis fuit. Talis explicatio v. g. est, quod verba Exod. XXI, 24, 25. *oculum pro oculo, dentem pro dente &c.* non de pœna talionis, sed de mulcta pecuniaria sint accipienda. II. הלכות למשה מסיני *Traditiones seu decisiones Mosis ex Sinaj*, quæ certæ sunt præceptorum cautelæ, quarum nulla in Pentateucho vestigia reperiuntur, Mosen tamen agnoscunt auctorem. Tales sunt, quod lora phylacteriorum nigra esse debeant, quod Pentateuchi volumina atramento scribi debeant &c. eisque, propter Mosis auctoritatem, nemo Rabbanitarum quisque contradicere audet. III. דינין שהוציאו על דרכי סברא *Casuum decisiones per ratiocinia*, quæ non a Mose acceptæ, sed post illum sunt factæ. Huic fini tredecim illis argumentandi

modos

modos dedit, quorum beneficio Pentateuchus sit explicandus, quibus si rite uterentur, casuum dubiorum decisionem ex ipso Pentateucho sint inventuri. In his autem, pro diversa ratiocinandi facultate, sententiarum divortia emerserunt. IV. גזירות *Scita* Doctorum, quae Prophetae & sequiorum temporum Doctores successive decreverunt, ut סייג לתורה *sepimentum* facerent *Legi*, atque homines, licitis quoque abstinere jussi, ab illicitis longius arcerentur. Tale sepimentum est, quando Legem de infligendis quadraginta plagis Deut. XXV, 3. ad plagas triginta novem revocarunt: de qua decisione BVXTORFIVS ex instituto egit *in Epist. dedicatoria*, praemissa libro *de Abbreviatur. Hebr.* V. תקנות *Constitutiones* Doctorum, quibus per Prophetas, ceterosque Doctores, honesto, decoro, juribus singulorum, & civitatum, pluribusque ejusmodi ad praecepta divina non pertinentibus rebus, prospectum fuit. De his MAIMONIDES *Praefat. in Mischnam.* Istae autem constitutiones Ecclesiasticae duplicis sunt generis 1) חובות, quae obligant omnes in universum Israelitas; quales v. g. lectio libri Esther, accensio lucernae in Sabbatho, incensio lucernae in Festo Encaeniorum &c. 2) אין חובות, *non obligantes* praecise, sed adiaphorae. Tales sunt מנהגים *consuetudines*, qui sunt certi ritus & cerimoniae, quae a scitis & constitutionibus illo respectu differunt, quod non legi publicae Doctorum, sed vel unius, vel paucorum religiosorum arbitrio, originem debeant. Hinc mirum non est, pro regionum diversitate has quoque consuetudines in nonnullis differre. Alias enim observant Judaei Poloni, alias Germani, alias Lusitani. De traditionibus Mosaicis posthaec laudatus WAEHNERVS latius agit *ejusdem Sect. II.* §. 658 *sqq.* De decisionibus autem, licito & illicito, §. 664 *sqq.*

Ad §. XV. & §. XVI. p. 102.

(16) *Talmud Hierosolymitanum.* (17) *Talmud Babylonicum*] In antecessum hic & obiter notamus, ex DRVSII sententia *Not. major. ad Exod. XXV*, 18, Targum & Talmud, minus recte in genere Neutro dici, cum subintelligatur *Liber*. Usu tamen passim obtinuit Neutrum. Ceterum de utroque Talmude, post BVXTORFIVM *Synag. Jud. cap. III. pag.* 53 *sqq.* POCOCKIVM *in porta Mosis p.* 80. *&* 105. CARPZOV. *Not. ad Schickardi Jus Reg. cap. V. Theor. XVIII. pag.* 396. & *Introduct. ad Theol. Judaic. cap. V.* §. 4. *p.* 17. VOISIN *Observat. in Raym. Martini Pugionis Fidei prooemium p.* 26. (28) IOH. HOORNBEECK *contra Judaeos lib. I. toto*, IOH. LEVSDEN *Philol. Hebraeo-Mixti Disput. XII. XIII. XIV. XV.* PRIDEAVX *Hist. Jud. P. I. Lib. V. ad A. ante C. N.* CCCCXLVI. edit. Gall. *p.* 129. IVL. BARTOLOCCIVM *Bibliothec. Rabbin. Tom. III. de Mischna p.* 77. *de Gemara p.* 349. DANIELEM LE ROY *Joodsche Oudheden in opsicht van hunne Mondwet en Talmud, P. II. tot. p.* 235 *sqq.* novissime & copiose praeceperunt IOH. ANDR. EISENMENGER *entdeckten Judenthums I. Th. VIII. cap. p.* 293. IOH. CHRIST. WOLFIVS *Biblioth. Hebr. P. II. Lib. IV. p.* 657. & doctissimus WAEHNERVS *Antiqu. Hebr. Sect. II.* §. 28. *p.* 256 *sqq.* Nos praecipua rei momenta in compendium mittentes, notamus, quae ad originem, aetatem, distinctionem, structuram, fata inter Judaeos atque Christianos, & usum modernum spectant.

α) *Originem* Talmud, ex consignatis tandem, & in unum corpus congestis, traditionibus oralibus trahit. Cum emergente Pharisaeorum secta, sub Templo secundo, distinctio in *Legem Scriptam* & *Oralem*, rerum potiretur, nullus non Pharisaeorum, ut vitae sanctimonia, sic excellentia singularis doctrinae inclarescere gestiebat. Suis ergo quisque discipulis certam constitutionem, sub Oralis Legis praetextu tradebat, quam non scripto, sed ore tantum propagare fas erat, ne Lex Oralis confunderetur cum Scripta. Interim sibi discipuli, quae a praeceptoribus tradita acceperant, in pugillares, memoriae causa annotabant. In his multa, a majoribus accepta, quae ritus & consuetudines antiquorum vere, & quales omnino erant, describerent, plura vero noviter excogitata, talia tamen omnia,

quæ illo tempore ſtrictim in ea ſecta credebantur obſervanda eſſe, & Chriſto in terris agente, nomine legis Moſaicæ, ſed oralis, cum maxime valebant. Atque ita oretenus tantum in Scholis, per quædam ſæcula docebantur & tradebantur poſteris. Poſt Templi vero & Vrbis deſolationem, etſi in Babylonia & Judæa, quædam Scholæ & Academiæ ſupereſſent, in quibus ſtudium traditionum Phariſaicarum vigebat; vidit tamen celebris Miſchnæ compilator, R. IEHVDA HAKKADOSCH, durante tamdiu exilio, tandem Oralem Legem interituram omnem, itaque collegit, quas undecunque acquirere potuit, ſchedas, quibus ſibi diſcipuli, ex ore Magiſtorum, traditiones jam olim conſignaverant, atque ex iis ſyſtema illud compoſuit, quod *Miſchna* inſcribitur. Vberiores hujus traditionum libri, cum explicationes, tum diſceptationes, Doctores Academici ſuppeditaturi, *Gemaram* adjecerunt, primo *Hieroſolymitanam*, hinc poſt aliquot ſæcula, *Babylonicam*, ex quo utroque, Miſchnæ & Gemaræ commentario, inſigne iſtud *Talmudicum* emerſit *corpus*.

β) *Aetas*, pro partium diverſitate, ſingulis eſt propria. *Miſchnam* A. DXXX. æræ contractuum, qui fuit CL. ab excidio Templi, lucem adſpexiſſe tradunt, Auctor libri *Coſri P. III. Sect.* 67. edit. Buxtorf. *p.*247. & R. ASARIAS in *Meor Enajim cap. XXIV. p.* 95. a quo tamen alios deflectere, & ad annum D. æræ contractuum referre, obſervat R. DAV. GANZ *in Zemach David ad A.* 978. edit. Vorſt. *p.*108. BARTOLOCCIVS *c. l. p.* 78. temporum rationes ad hunc modum init: RABBENV HAKKADOSCH naſcitur A. C. CXX. principatum in Synedrio obtinet A. C. CL. annos habens 30. circa annum X. Imperii Antonini Pii. Hoc tempore videtur ſtudioſe cœpiſſe colligere ſchedulas antiquarum traditionum, Imperatoris auctoritate ſuffultus, quas paulatim in ordinem redegit, in hoc labore annos 39 inſumens, donec tandem abſolverit A. C. CXCIX. ætatis ſuæ 67. imperii Commodi VII. ſub quo Imperatore vivere deſiit, infra quinque ultimos imperii ipſius annos, h. e. inter A. CLXXXIX. & CXCIV. cum eſſet ætatis annorum ad ſummum 74. Plerique Chriſtiani doctores, cum WOLFIO *c. l. p.* 670. & 681 *ſq.* & WAEHNERO *p.* 257. §. 29. in eo acquieſcunt, ſub Imperatoribus Antonino Pio, Aurelio, Vero & Commodo, congeſtum opus, & ſub finem ſæculi ſecundi a N. C. ad umbilicum perductum, in uſu eſſe cœpiſſe. *Gemara Hieroſolymitana* R. IOCHANAN agnoſcit auctorem, quem nonnulli eundem eſſe credunt cum RABBAN IOCHANAN ZACCHAI. Celeberrimus inter ſuos Doctor, diſcipulus R. HILLELIS & SIMEONIS illius, qui Jeſum ulnis complexus ſuſceperat, elogium meruit in Maſſ. *Sopherim cap. XV. hal.* 8. ſi cæli pergamenum, omnes arbores pennæ, totus oceanus atramentum, & omnes homines ſcribæ eſſent, non tamen ſuffecturos, deſcribendæ omni ſapientiæ, quam a præceptoribus ſuis hauſerit. Magnam ipſi celebritatem conciliavit Rectura Synagogæ Hieroſolymitanæ, totis 80. annis adminiſtrata. Hic, una cum RAF & SAMVELE, duobus diſcipulis R. IEHVDAE SANCTI, Hieroſolymitanam compilaſſe creditur Gemaram circa A. C. CCXXX. Ita cum aliis BVXTORFIVS in recenſione Talmudis, lib. *de Abbreviaturis Hebr. p.* 229. LIGHTFOOTVS autem *Centur. Chorograph. in Matth. cap.* 81. *Tom. II. Opp. p.* 221. in ſæculum IV. poſt C. N. rejicit, ideo, quia frequens ibi Diocletiani fit mentio, quem tamen alii diverſum faciunt ab Imperatore. IOH. MARSHAMVS *in Can. Chronico p.* 159. ad ſæculum V. pertinere cenſet. Adhuc recentiorem ſtatuunt MORINVS, IS. VOSSIVS, & PEZRONVS. Totum hoc ſententiarum divortium exponit WOLFIVS §. 17. *p.* 684. Media autem, quam tutiſſimam exiſtimamus, via incedit WAEHNERVS §. 232. *p.* 335. definiens, quod circa ſæculi poſt Chriſtum natum tertii finem, vel ſæculi IV. initium, hic liber ſit compoſitus. Demum *Gemara Babylonica* a R. ASCHE, Præſide ſcholæ Soranæ incepta, aliis abſolvenda, interveniente fato, relicta fuit, cujus hiſtoriam R. GEDALIA in שלשלת הקבלה *fol.* 35. *col.* I. de R. IOSE, qui ultimam operi manum admovit, ita tradit: *Anno* 24. *dignitatis ſuæ, ipſe & Syne-*

Synedrium ejus, cum omnibus sapientibus generationis illius, ac schola ejus, absolverunt scribere, & obsignare Gemaram Babylonicam, quam scribere orsi erant ASCHE & RABBINA *socius ejus: tunc autem erat annus* 4260. *contractuum* 811. *& obsignatæ Mischnæ* 311. Triplex æra illa respondet A. Chr. D. in quo BARTOLOCCIVS & Christiani plerique omnes, MORINO excepto, acquiescunt. WAEHNERVS §. 235. *non repugnamus illis*, inquit, *qui primis sæculi VI. annis, hoc opus ad finem demum perductum esse existimant. Qui id autem recentius faciunt, illi quidem vanis conjecturis indulgere nobis videntur.* De MORINO confer WOLFIVM §. 19. *p.* 686.

γ) Operis *Distinctio* ex allatis patet. Basin velut ac fundamentum constituit *Mischna*, Lex quasi secundaria & oralis, stylo Hebræo, satisque puro consignata, veterumque, & Christo anteriorum, Doctorum traditiones ac placita comprehendens. Sequitur *Gemara Hierosolymitana*, stylo impuro & conciso, illam hinc discutiens, hinc novis accessionibus augens. Istam vero, cum obscura nimis & imperfecta crederetur, copiosior excepit interpretatio & ventilatio in *Gemara Babylonica*, quæ summam inter Rabbanitas ad hunc diem obtinet auctoritatem. Neque tamen censendum, Gemaram, cum sit velut commentarius Mischnæ, omnes ejus Codices illustrare. Hierosolymitana ordinis V. nullum, ordinis VI. solum Codicem נדה explicat, reliquos autem Codices habet. Babylonica ex ordine I. solum Codicem ברכת, ex II. Codices omnes, excepto שקלים, ex III. omnes, ex IV. omnes, exceptis עריות & אבות, ex V. omnes, exceptis מרות & קינים, ex VI. unum Cod. נדה exponit.

δ) *Partitionem & Structuram* Talmudis, præter supra laudatum BVXTORFIVM, & BARTOLOCCIVM *p.* 81. copiose & erudite persequitur WOLFIVS *cap. II. & III. p.* 693 *sqq.* concise WAEHNERVS §. 32. *p.* 258. Sex quippe Mischnæ sunt סדרים *Ordines*, seu Partes: I. זרעים *de Seminibus*, cujus XI. codices: II. מועד *de Festis*, cujus XII. codices: III. נשים *de Vxoribus*, qui VII. habet codices. IV. נזיקין *de Damnis*, cujus X. codices. V. קודשים *de Sacris*, cujus XI. codices. VI. טהרות *de Munditie & Purificationibus*, cujus XII. codices. Plura qui cupit de singulis, citatos adeat auctores.

ε) *Fata* Talmudis, cum prospera, tum adversa, *inter Judæos*, exponens WOLFIVS *capite IV. p.* 914. post Doctorum Gemaricorum pariter ac Academiarum historiam, dissidia commemorat §. *XIII. pag.* 927. quibus partim invidia, honorisque cupiditate ducti, Rabbanitæ veteres contra se mutuo exarserunt, partim cum Karæis colliserunt. *Inter Christianos* vero, quæ expertum sit Talmud, fata *capite V, p.* 930. edisserit, & quæ controversiæ, de abolendo Talmude, inter ipsos magna animorum contentione agitatæ, sed & quæ ejus a Christianis curatæ sint editiones, recenset. Magnus quoque WAGENSEILIVS *præfatione ad Tela ignea Satanæ p.* 10 *sqq.* quam ab imperitis Pontificibus, eorumque administris sævitum sit in Talmud, enarrat, ejusque contra ipsos causam perorat. Pontifices sane toties illud, non modo in Indicibus Expurgatoriis e republica literaria proscripserunt, verum etiam cremari jusserunt. Gregorius IX. sæc. XIII. omnia Judæorum volumina, & in his cumprimis Talmud, ad rogum condemnavit; idemque eodem sæculo Innocentius IV. continuavit: quod ipsum anno ejusdem sæculi 39. fieri quoque jussit Ludovicus, rex Galliarum. Post inventam artem typographicam, Julius III. novo Edicto in Talmud inquiri, & A. C. 1553. tempore Festi Tabernaculorum, per omnes Italiæ urbes, illud exuri curavit. Rursus A. 1559. Paulus IV. una cum Romanæ Inquisitionis Senatu, idem fieri præcepit. Hos in eadem insania secuti sunt Clementis IV. Honorii IV. Johannis XXII. Pii IV. Gregorii XIII. & Clementis VIII. decreta; ac ingens denique Pontificiorum doctorum turba, quibus e recentissimis IVLIVM BARTOLOCCIVM accessisse miramur. Confer LEVSDENVM *Disp. XV. c. I.* §. *IX. p.* 115. Contra vero ea Talmudis patrocinium susceperunt IOH. BVXTORFIVS fil. *in Præfat. Lexico*

Patris

Patris *Chald. Talmud. & Rabbinico præmissa*, WAGENSEIL. *cit. Præfat.* THEODOR. HACKSPAN. *de usu libror. Rabbinicor. cap. II. n. 76. pag.* 345. IOH. MVLLERVS *Judaismi P. II. cap. X. p.* 1487. MICH. DILHERR. *in atrio linguæ S. additam.* 5. *n.* 8 *sqq.* ANDR. SENNERT. *in Præfat. Rabbinismi*, HERMANN. CONRINGIVS *in Præfat. ad Tract. de numis Hebræor.* LEVSDEN. *citat. loc.* HENR. MVHLIVS *in apologia Talmudis*, AVG. PFEIFFER. *in Theol. Jud. Exerc. I. Th.* 40 *sqq.* aliique complures.

ζ) *Usum* sane haud contemnendum præstare deprehenditur iis, qui in sua recte vertere commoda didicerunt. Nam & in rituum Judaicorum cognitionem, & in legum nonnullarum, in Scripturis concise expositarum, sensum nos immittit: & arma haud proletaria, ad perfidiam Judæorum debellandam, subministrat. Multa paucis complectitur vir summus, BVXTORFIVS, quando *in cit. Præf.* *Sunt in Talmude*, inquit, *multa Theologica sana; sunt in eo multa fida antiquitatis Judaicæ collapsæ veluti rudera & vestigia, ad convincendam posterorum Judæorum perfidiam, ad illustrandam utriusque Test. historiam, ad recte explicandos ritus, leges, consuetudines populi Hebræi prisci, plurimum conducentia Sunt in eo multa Juridica, Medica, Physica, Ethica, Politica, Astronomica. Sunt in eo illustria ex antiquitate proverbia, insignes sententiæ, acuta apophthegmata, scite prudenterque dicta innumera, quæ lectorem vel meliorem, vel sapientiorem, vel doctiorem reddere possunt. Sunt in eo multæ vocum myriades, quæ, vel voces in Scripturæ Sacræ usu raras, illustrant & native explicant, vel totius linguæ Hebrææ & Chaldææ usum insigniter complent & perficiunt. Sunt denique in eo quamplurima, ad infinita N. T. loca, quoad voces, phrases & historiam, insigniter illustranda, maximum momentum habentia.*

Ad §. XVIII. pag. 102.

(18) *Vocem* קבלה] De Kabbala denuo ordine, & multo cum doctrinæ apparatu, commentatus est IOH. CHRIST. WOLFIVS *Biblioth. Rabb. Vol. II. Lib. VII. p.* 1191. qui Auctores quoque de illa ex instituto agentes *p.* 1228. subjecit, quibus adde disputationem IOH. CHRISTIAN. SENSTII *de Kabbala Judæorum*, Rostochii anno 1702 ventilatam. Nos

α) Notionem evolvimus, qua a verbo קבל in Pihel, *recipere*, *suscipere* descendens, *ab auditu acceptionem* notat, ut exponit REVCHLINVS. Respondet itaque Masoræ, quæ *traditionem* designat rerum, quas quis alteri ore sive voce communicat, & quasi in manus tradit. Usu tamen invaluit, ut Masora de Critica usurpetur Biblica, quæ circa corticem literæ sacræ versatur, Kabbala vero circa sensus abstrusos & mysticos, quos varia compositione, divisione, & transpositione vocum vel literarum venatur. In hac arte periti, & in interpretandis ex ea variis mysteriis, eruendisque abditis sensibus exercitati, מקובלים Hebræis dicuntur.

β) Definitionem e multis hanc amplectimur, quæ rem denominatam, ut hodie se habet, & ex libris Judæorum Kabbalisticis hauritur, optime declarat. Est itaque scientia recentiorum Judæorum occulta, occupata circa voces, literas, puncta, atque accentus, vel quatenus ex iis mysteria nova, ad sensum plerumque mysticum facientia, illi eruunt, vel iis etiam, aut collo appensis, aut alio illicito modo usurpatis, miraculosos effectus edunt, cumque Angelis familiarem conversationem inire se posse confidunt. Liquet hinc, quod Kabbalam neque pro vetustissima Divinorum mysteriorum propagatione πατροπαραδότω, & pro genuinis traditionibus, sub œconomia veteris Instrumenti locum habentibus, cum CAMPEG. VITRINGA habeamus *lib. I. Observat. Sacr. p.* 124 *sq.* neque de mystico intellectu earum rerum, quæ in sacris libris latent, accipiamus, cum PET. CVNAEO *lib. IV. de Republ. Hebr. cap. VIII.* sed in sensu trito & vulgari, quo a Judæis accipitur, & in ipsorum commentariis docetur. Nescio enim quam, illi, qui honorifice adeo de Kabbala sentiunt, & ab WOLFIO §. *VI. p.* 1197 *sq.* in scenam producuntur,

cuntur, *disciplinam arcani* comminiscuntur, Scripturæ Sacræ ignotam, nec facile conciliabilem cum effato Mosis, Devter. XXX, 11 sqq. coll. Rom. X, 6. Licet enim oralis interpretatio oraculorum Divinorum tum æque obtineret, ac hodie; illa tamen nec solis vel Prophetis, vel Sacerdotibus reservata, sed fidelibus omnibus, pro dispari licet cognitionis mensura, erat communis, nec aliud & diversum ab eo, quod in libris Propheticis legitur, complectebatur. Quod denique IAC. ALTINGIVS *Heptade V. Differt. Theol. Tom. V. Opp. p.* 118. contendit, eam Kabbalæ speciem, qua ex literis mysteria eruuntur, Deum ipsum agnoscere auctorem, quod nominibus אברהם & שרה/ item יהושע/ יהונתן/ יהוסף/ קין & id genus aliis evincere satagit, id recentiorem Kabbalam potius dixerim, κακοζηλία quadam imitatam fuisse, quam ut Deum eandem adhibuisse, suoque velut exemplo consecrasse & docuisse, credam. Velut enim ὀνομαθεσία primæva in universum, ita nominum quorundam mutatio, symbolica erat & significativa, neque tamen ad regulas Kabbalisticas adstricta, & pro re nata velut sponte emergens. Ita porro, quæ πολυμαθέστατος WOLFIVS §. *VII. & VIII.* copiose & erudite disputat, fuisse in populo Judaico, ante C. N veritates, ex Sacro Codice haustas, & in Nov. Test. aliquando in plenissima luce collocandas, interea vero temporis sermonibus Doctorum quovis tempore nonnihil illustratas; ea facile & ultro largior, atque ipse ex Rom. XVI, 25, 26. 1 Cor. II, 7-10. Coloss. I, 26, 27. confirmo, Kabbalam tamen vel dicta fuisse, vel habita nego, nisi vocabulum ad amplissimum extendas significatum, ut quamcunque oralem denotet institutionem, explicationis gratia literæ scriptæ adjectam. Ista vero notio nec hodie voci competit, nec unquam credo competiisse, donec idoneis doceatur exemplis.

γ) Originem ergo Kabbalæ, nulli dubitamus multo recentiorem assignare, ex Philosophia Gentilium, hinc Pythagorica, hinc Platonica arcessendam, ita tamen, ut ex sacris Mosis ac Prophetarum documentis multa iis admista fuisse non negemus, quia, qui eam excolebant & tradebant, in explicando vel illustrando Codice Divino operam ponebant. Hinc in *Sohar*, aliisque vetustis commentariis Scripturæ, methodum Kabbalisticam videas observatam. Nec nego, quæ de Aegyptiorum sapientia, in subsidium vocata, refert IAC. BASNAGE *lib. III. Hist. Jud. cap. XIX. p.* 933. *Verum est*, inquiens, *Judæos Kabbalam suam accepisse ab Aegyptiis, sed non nisi longo post Mosen tempore, & post victorias per Alexandrum M. reportatas, sub imperio Ptolemæi Philadelphi, qui magnam Judæorum copiam in regiones suas alliciebat, & commercii cum illis frequentius habendi ansam suppeditabat.* Hoc sensu commode PETRVS ALLIXIVS *in Judicio Ecclesiæ Judaicæ c. Vnitarios pag.* 363. Kabbalam recentiorem mixturam appellat, ex antiqua traditione Synagogæ, & notionibus Platonicorum ac Pythagoreorum, qui sua ab Aegyptiis acceperant, natam. Vnde facile intelligi & conciliari possunt, quæ laudatus toties WOLFIVS *p.* 1207 *sq.* pronunciat: *Nostro judicio negari non potest, esse in ea quædam sapientiæ Divinæ, & Patriarchis olim ac reliquis viris sanctis cognitæ, excultæque semina, quæ procedente tempore, cum profana gentilique doctrina, primum quidem Barbarica, tum vero & Græcanica, hoc magis sint permista, quo major Judæis in captivitate Babylonica, & post eam, necessitas imponebatur, inter gentes versandi, & se ad eorum instituta accommodandi.* quibus subscribere nulli veremur.

δ) Divisionem Kabbalæ ELIAS Levita *in Tisbi h. v.* hanc tradit: והיא נחלקת לשני חלקים עיונית ומעשית: *& illa distinguitur in species duas, Theoreticam, & Practicam.* Theoretica denuo vel Artificialis est, seu Symbolica: vel Inartificialis, seu Dogmatica & Realis. Priorem denuo in tria velut capita dispescunt: גמטריאה *Gematriam*, נוטריקון *Notaricon*, & תמורה *Temura*, voce symbolica a literis initialibus גנ״ת comprehensa. Quia vero literarum hinc transpositio, hinc valor arithmeticus, longe latius patet, ideo tredecim ejus modos recensent Judæi, & in his cumprimis R. MENASSEH BEN IS-

RAEL *in Conciliatore, quæst. L. in Exod: p.* 170. edit. Amſtelodam. quem hac vice ſequemur ducem. Eſt ergo, juxta illius explicationem, I. ſpecies נוטריקון *Notarikun*, ut ille legit, quæ docet ex ſingulis cujusque vocabuli literis, totidem formare voces, v. g. ex בראשית has exſculpunt voces: בראשונה ראה אלהים שיקבלו ישראל תורה *in principio vidit Deus, Iſraelitas Legem ſuſcepturos*, unde colligunt, mundum creatum Legis gratia, quam Iſrael accepturus eſſet. Ita, quo loco Jacobus filio Joſepho dediſſe dicitur tunicam פסים *e fruſtulis*, hac voce innui volunt quatuor ejus infortunia, quæ ſunt פוטיפר, סוחרים, ישמעאלים, מדנים *Potiphar, Mercatores, Iſmaelitæ, & Madianitæ.* Huc porro referunt, quando unum vocabulum in bina diſſolvitur, v. g. ex בראשית fit ברא שית *creavit ſex*, nimirum, ſex dies creationis, aut ſex extrema mundi, ſummum, imum, & quatuor latera: tum quoque, quando eandem literam bis ponunt in diverſis vocabulis, ut ex שמים *cæli*, fiat אש מים *ignis & aqua*, indeque cum PLATONE probant, cælum ex igne & aqua eſſe compoſitum. II. צירוף *Ziruph*, i. e. *Combinatio*, cum literæ ejusdem vocabuli variis modis transpoſitæ, nova & diverſa formant vocabula. Sic בראשית per metatheſin eſt בא' תשרי *primo Tiſri*, unde colligunt, mundum fuiſſe creatum menſe Tiſri ſeu Septembri. Sic, quando Geneſ. VI. Noah dicitur gratiam inveniſſe in oculis Domini, id viri nomine indicari credunt, quia voc. נח *Noah* tranſpoſitum, eſt חן *gratia:* contra, ubi de ער legis, quod fuit malus in oculis Domini, nomen ער *Her* per tranſpoſitionem reddit רע *malum.* III. גמטריא *Gematria*, numerorum valore nititur: nam cum literæ Hebraicæ ſimul & numeri ſint, omnes res continent: quod R. MENASSEH, PYTHAGORAE & PLATONIS calculo confirmat. Ita in בראשית eundem deprehendimus valorem numericum ac in בתורה יצר *lege formavit:* unde conficiunt, Legem fuiſſe cauſam inſtrumentalem in condendo mundo. Interdum ad numerum, quem vocis alicujus literæ producunt, unitas adjicitur, quam vocant כולל, quia pro tota voce ponitur: v. g. ברית *fœdus*, valet 612: adjecto כולל 613: hinc ajunt, idem vocabulum, quod Legem denotat, ſexcenta etiam & tredecim præcepta deſignare, quibus Lex conſtat. IV. צורה *Forma*, aut *Figura*, quæ formis nititur characterum. Has enim a Deo ipſo inventas & traditas, myſteria continere cenſent, cum non temere vel ſine cauſa, hanc aut illam, huic vel illi literæ attribuiſſe figuram credendus ſit. Ita Legem a litera ב incipere volunt, quia hæc litera tribus conſtat lineis, i. e. tribus ווים *Vavim*, quæ ſi ſcribas literis ſuis, hoc modo: ואו, valent ter XIII, ſeu triginta novem, quem numerum facit quoque יהוה אחד *Deus unus*, qui ſolus ſit creator. V. ראשי תיבות וסופי תיבות *Principia verborum & Fines verborum:* cujus exemplum ſit Deuter. XXX, 12. מי יעלה לנו השמימה *quis faciet nos aſcendere in cælum?* quatuor initiales vocum literæ reſponſionem reddunt, vocabulo מילה *circumciſio*, quatuor finales formant venerabile Dei nomen יהוה *Jehova*, ita ut eadem verba & quæſtionem contineant, & reſponſionem: *quis nos evehet in cælum? Reſp. Dominus per circumciſionem.* Aliquando etiam תוכי תיבות *mediæ verborum* literæ huic uſui accommodantur. VI. תמורה *Permutatio*, quæ docet ת ſumere pro א / ש pro ב / atque ita in ceteris. Hanc auctoritate Scripturæ niti contendunt, quia Jeremias cap. XXV. ne irritaret Regem, nomen בבל artificioſe mutavit in ששך, duo ש pro duplici ב, & ך pro ל ponens. Hujus tria faciunt Alphabeta, α) את״בש *Ath-baſch*, β) אל״בם *Al-bam*, & γ) את״בח *Ath-bach*, quæ delineata ob oculos ponit, & exemplis illuſtrat, laudandus mox HACKSPANIUS *§. XX. ſqq. p.* 297. VII. חסר ומלא *Defectiva & Plena.* Videtur quippe orthographiæ ratio in Scriptura Sacra ſemper habenda, quæ tamen nonnunquam negligitur: ut, cum אלוה *Deus*, cum ו ſcribendum, Deut. XXXII, 17. tamen ſine eo ſcribitur: לא אלה *non Deus:* pari ratione אלהי in forma regiminis, aut cum affixo, ſemper defective ſcriptum invenias, præterquam duobus locis, quæ

Maſo-

Masorethæ notarunt. Rationem ejus dant Kabbalistæ, quia Lex sine punctis vocalibus data est, ex mente Judæorum, ad eum modum, quo hodie conspiciuntur Codices, quos in Synagogis punctis destitutos usurpant, hinc, ubi vox aliqua occurrit, cujus literæ non adstringant ad certas vocales, licere, quæcunque libeat, puncta eidem adscribere. Ita vox כלות semper cum ו scribitur; at Num. VII, 1. illud abest, ubi Kabbalistæ dicunt כלת כתיב *Calat scriptum* fuisse, & notare Sponsam, ob inclusum mysterium. VIII. סתומות ופתוחות *Clausæ & Apertæ*, quæ in contextu Biblico literis פ & ס indicantur: quo etiam loca Piskata referunt, & quæ Masorethæ de literis apertis in fine, & clausis ab initio, vel in medio vocis, observarunt. IX. קרי ולא כתיב / כתיב ולא קרי *Legitur, nec scriptum est, scriptum est, nec legitur*, de quibus nos in Critica Sacra multa diximus. X. אותיות קטנות וגדולות de literis, in Scripturæ textu, vel magnitudine ceteras superantibus, vel exiguitate non æquantibus, quæ eodem spectant cum præcedente observatione. XI. חילוף *Variatio*, qua literarum una pro altera ponitur, ut Genes. XIII, 2. in אהלה *tentorium ejus*, ultimum ה loco ו scribitur, nec non quando literæ האמנתיו sub finem vocum redundant, aut superfluæ sunt, in illis singulis mysteria venantur Kabbalistæ. XII. נקודות *Puncta* vocalia. *Vbi rursum*, inquit R. MENASSEH, *mysterium in eo est, quod inter ea quinque Reges, quinque Ministri, unus Minister ministrorum appellatur*, observante CORDOVERO. Provocat hoc fine ad nomen tetragrammaton, quod interdum *Jehovih* punctatur, quod non forte fortuna factum sit. Alibi quoque puncta superflua literis adscribi, ut Deut. XXX, ult. in duabus vocibus לָנוּ וּלְבָנֵינוּ *nobis & filiis nostris*, quæ cuncta aliquid abditi notare censet. XIII. טעמים *Accentus* Musici, quorum alii Reges, alii Serviles sunt; nonnulli inter periodos aut partes earum distinguunt, ubi apud Latinos commata ac puncta; alii rursum connectunt, prout sensus cujusque loci exposcit. Difficultas autem ex his oritur, quod nonnullis locis connectenda separantur, aut separanda connectuntur, ut Num. XXVII, 3. ubi in *Sohar* multa secreta occultari dicuntur. Huc quoque geminam in Decalogo accentuationem referunt. Ac in ista quidem Theoretico-artificiali Kabbala copiose ac erudite versatur HACKSPANIVS *Exercitat. de Kabbala*, subjuncta ejusdem *Miscellaneis Sacris*, tota *Sect. I. p.* 282 *sqq.* Quæ in Theoretica *Inartificialis* dicitur, seu *Dogmatica*, doctrinas a majoribus acceptas, & ad res Divinas potissimum spectantes, cultoribus propinat, nec tam ingenio excolitur, quam memoria comprehenditur ac nititur. Dividitur in Opus מרכבה *Mercava*, & בראשית *Bereschith*, quorum illud ad Theologicam & Metaphysicam, hoc ad Physicam & naturam rerum perspiciendam, pertinet. Tradit decem ספירות *Sephiroth*, quæ Arborem Kabbalisticam constituunt, & haud dubie perfectiones & attributa Dei, relationes Divinas & ideas, causas rerum omnium exemplares exhibent, hinc autem ab auctoribus, hinc Judæis, hinc Christianis, ad alia sive mysteria Theologiæ, sive dogmata Philosophica, pro cujusque ingenio sunt applicatæ. In his explicandis æque ac delineandis prolixam posuit operam CHRISTI. KNORRIVS L. B. A ROSENROTH *in Kabbala Denudata, Volum. I.* cujus cumprimis *P. IV.* explicationem tradit Arborum sive Tabularum quinque Kabbalisticarum generalium *pag.* 193 *sqq. Practica* demum Kabbala ad superstitiose ac impie peragenda opera progreditur, dum cultores ejus vel per שם המפורש seu nomen tetragrammaton, vel per certas voces, aut locos Scripturæ Hebraicæ, certo modo pronunciatos vel scriptos, morbos abigere, Dæmones expellere, aut ad præstandam sibi operam permovere, ignem & incendia extinguere, & mira alia præstare, impie ac superstitiose aggrediuntur. Spectant huc amuleta, קמיעות vocata, scutum Davidis אגלא appellatum, & id genus alia, ab accuratissimo WOLFIO *c. l. §. III. p.* 1213. singillatim discussa, magnaque auctorum caterva illustrata. De *Agla* seu scuto Davidis conferri etiam potest IOH. WÜLFERVS *in Theriaca Jud. p.* 74 *sqq.* ubi figuram

ram æri incisam oculis subjecit; quam peculiari tabula variam exhibuit, & ex instituto explicavit disput. *de clypeo Davidis* DAV. THEODOS. LEHMANNVS, Vitembergæ An. 1708. cui adde EDZARDVM *ad Avoda Sara cap. II. p.* 353. qui *p.* 346 *sq.* Kabbalam practicam esse Magicam demonstraverat; & SAVBERTVM *Oper. Posthum. p.* 257. Detestabilem venerandi nominis *τετραγραμμάτȣ* abusum recensuit & profligavit IOH. PASCHIVS, disputatione *de Schem Hammephorasch,* Vitembergæ publici juris facta anno 1685.

ε) Vsum denique Kabbalæ diversimode delinearunt artis periti, sive Judæi, sive Christiani, ut vix invenias, ubi tuto pedem figas. Quam magnifice de illa sentiant Judæi, R. MENASSEH BEN ISRAEL *loco supra citato,* ex libro *Sohar* ita declarat: Legem, corpore velut assumto, venisse in mundum: illud corpus historiam esse, cui qui animam, i. e. mysteria inesse non arbitratur, eum dignum non esse, qui partem habeat in altero mundo. Corpore ergo solos gaudere ignorantes, sapientes solam animam considerare, & alios sapientes, animam hujus animæ. Hinc tres velut ordines & gradus enasci eorum, qui operam dant Legi: stupidiores solum corticem externum, i. e. historiam considerare, eosque ob bonum propositum servari, tametsi non intelligant penitiora Legis secreta: aliis sufficere, expositiones præceptorum & cerimonias nosse, quam scientiam Judæi *Mischna* nuncupent, vel *Legem oralem,* quia ea ore & memoria Sapientum continetur: alios denique incumbere indagandis altissimis Legis mysteriis, quæ vocibus, literis, punctis, atque accentibus musicis comprehendantur. Primos מארי מקרא *Dominos Scripturæ,* medios מארי משנה *Dominos Lectionis,* ultimos מארי קבלה *Dominos Kabbalæ,* R. SIMEONI BEN IOCHAI in *Sohar* salutari. Hos traditiones eruere, quæ docent secretas Legis expositiones, quasque Moses, ex ore Domini acceptas, sapientibus revelavit, illi posteris suis. Qui in Mischna occupantur, hos comparat apothecariis, qui potiones & medicamenta sua ex variis simplicibus parantes, cum vires eorum ipsi ignorent, tantum præscriptum Medicorum sequuntur: ast Kabbalæ studiosos esse instar Doctorum, qui causas & rationes eorum, quæ ægris præscribuntur, intelligunt. Verisimile autem esse, Mosen, ter XL diebus in monte commoratum, triplici huic studio per illud tempus incubuisse, impenso unicuique eorum XL dierum spacio. Hæc fusius ibidem declarata, legere licet: unde intelligitur, quantum sapientiæ fastigium Kabbalæ assignent. Ex Christianis pariter sunt, qui non inanem prorsus aut sterilem hanc scientiam existimant. In his cumprimis THEODORICVS HACKSPANIVS, supra laudatus, *Sectione II.* tota *p.* 341 *sqq.* egregios prorsus usus illam subministrare censet, eumque in finem varia, & bene multa in medium affert Scripturæ loca, quæ ope Kabbalæ, vel pro asserenda, in gravissimis de Sancta Trinitate, de Messia, aliisque mysteriis, veritate, vel ad eruendam, illustrandamque Judæorum mentem, sive erroneam, sive saniorem, vel ad explicanda doctrinæ vitæque instituta, a Magistris inculcari solita, facere posse videntur: quæ legisse, & in suos vertisse usus, neminem pœnitebit. Vir copiosissimæ lectionis, & subacti judicii, IOH. CHRISTO. WOLFIVS *cit. loc. cap. III.* §. *VIII. p.* 1238. quicquid de usu Kabbalæ prædicatur, ad quatuor summa revocat capita, ita ut usum 1) Hermeneuticum præstet; quem tamen ipse §. *XI. p.* 1242. Judæo magis quam Christiano profuturum existimat, si de genuino ejus sensu sollicitus, ad lectionem Novi Test. lucem in tenebris quærens, adduci se patiatur: 2) Dogmaticum, ut præcipuæ & fundamentales veritates divinæ, circa varia doctrinæ Christianæ capita, inde cognoscantur; quem & ipse, tanta obscuritate, verborumque caligine, premi arbitratur, ut Oedipo opus habeat, & vix cuiquam in eo acquiescere sit datum: 3) Elencticum, sive Pædagogicum, qui refutandis impiis Judæorum erroribus, vel iisdem ad veritatem agnoscendam perducendis, inserviat; quem non omnem negat, cum exempla suppetant Judæorum, qui argumentis Kabbalisticis se ad fidem permotos esse,

se, professi sunt. 4) Historicum, quem omnium certissimum esse pronunciat, quandoquidem Kabbala non inficiandum exhibet testimonium & cœcitatis, & superstitionis, & impietatis Judaicæ, atque adeo & judiciorum Divinorum, quæ infelicissimam gentem, in memoriam sceleris nefandi, a majoribus in Christum perpetrati, & ab ipsis eorum posteris hodie pertinaci σκληροκαρδία, & conviciis horrendis continuati, reducere possint. Quæ nemo æquus rerum æstimator in dubium vocabit. Num autem ex Kabbala firma peti possint argumenta? discussit DILHERR. *Dispp. Volum. II. p.* 344 *sq.*

ζ) Auctores, qui de Kabbala sive ex instituto, sive data alias occasione, commentati sunt, quo minus recenseam, otium mihi fecit laudatus toties WOLFIVS §. *XII. p.* 1243 *sq.* qui paulo ante jam §. *III. p.* 1232 *sqq.* erudite tradiderat, quæ *de Kabbala denudata* CHRISTIANI KNORRII, LIB. BAR. DE ROSENROTH, memoratu digna sunt, allatis in medium, quæ vel vitio ei dederunt, vel in laude posuerunt viri docti.

AD

LIB. IV. CAPVT IX.

DE TERAPHIMIS.

Ad §. II. pag. 103.

Vox תרף *in genere notat*] Radix תרף apud Hebræos intercidit; apud Arabes autem *Tarapha* superstes, *bonis, commodisque vitæ affluxit,* & in 4. Conjug. *bona & commoda vitæ suppeditavit,* significat; apud Syros, *percontatus est, indicavit:* hinc ergo תרפים sunt imagines, percontari solitæ, ut indicent desiderata, & responsa ferant. Mittimus ergo, quas alienas, & spurias omnino, vocis origines in medium attulit DILHERR. *Dispp. Volum. II. num. XIII. de Teraphim p.* 346 *sq.* Etsi vir Hebraice apprime doctus, CAMPEG. VITRINGA *Comment. in Jes. II,* 8. de nomine nihil se certi habere fateatur, & repudiata eorum sententia, qui a רפא *sanare,* derivant, ac si Teraphim sint *Dii Servatores,* tandem subnectat: *licebit itaque illud ignorare, usque quo certiora edocti fuerimus.* Illam tamen, ex רפא derivationem serio tuetur IVRIEV *Hist. Dogmat. & Cult. P. III. Tract. II. cap. III. p.* 458. & loco מרפים, permutatis literis מ & ת, תרפים dictos censet, *Deos Sospitatores.* Conjectura tantum est SEB. SCHMIDII *Comment. in* 1 *Sam. XIX,* 13. תרפים esse ex voce שרפים *Seraphim.* Quia enim Angeli nuncii Dei sunt, ipsius voluntatem hominibus denunciantes, eorumque custodes, cultos fuisse videri, tanquam arcanorum revelatores, hominumque custodes, atque sic fuisse, ceu Deos Penates. Fieri tamen potuisse putat, ut Teraphim licite haberentur in ædibus, non propter cultum, sed ad repræsentandos Angelos. Quod ultimum vix locum habere potest, cum propter præsentissimum seductionis, abusus & idololatriæ periculum, tum quod imagines sculptas omnes, maxime Angelorum vel formæ humanæ effigiem referentes, abominarentur Judæi. Rursus *in Comment. ad Jud. XVII,* 3. *p.* 1348. & *vers.* 5. *p.* 1351. & *Quæst. III. p.* 1369. derivationem illam prorsus silentio premit, rem ipsam autem ita exponit, fuisse Teraphim Lares, Deos minorum gentium, ad imitationem Angelorum, ministrorum Summi Dei, & custodum hominum atque domuum. A priori tamen sententia non abfuit GAFFARELLVS *Curiositat. inauditar. cap. III.* qui Teraphim, Cherubinorum ac Seraphinorum figuras dicit, a Labano & reliquis Orientalium gentibus pie cultas, quibus Deus voluntatem suam patefecerit: cui haud dubie prælusit MONCAEIVS *lib. I. de*

Vitulo aureo, cap. XVIII. & XX. ubi Teraphim haud alios ac diversos a Cherubim fuisse contendit. Priori tamen satisfecit ANDR. RIVETVS *Exercit. CXXXII. in Genes.* Eadem opera idem profligatur IOH. SPENCERI commentum, qui *de Leg. Hebr. Rit. Dissert. VII. de Vrim & Thummim lib. III. cap. III. sect. VII.* usitatam τῦ S. in T. permutationem, insignesque, quibus hæ voces in Scriptura convenire videantur, circumstantias, temere urget. Verum ut taceam, immane quantum rei significatæ discrimen, hanc vocum permutationem liquido destruere, cum ex sanctissimis Dei administris, abominandos procudat mali Dæmonis interpretes; dici quoque non potest, quæ sit Seraphim, Spirituum quippe, effigies atque figura, nullo omnino indicio Jes. VI. præterquam quod alati fuerint, prodita, nisi peregrinam, sive hominum, sive aliam quamcunque, iis affinxeris.

Ad §. II. pag. 103.

(2) 1 *Sam. XIX,* 13.] Hic facile convenit inter interpretes, Teraphim sive totos, sive ex parte solum, formam retulisse hominis, quia mariti loco reposuit in lecto Michal: saltem discrepant in eo, num idolum fuerit, an vero aliud simulacrum quodcunque, ab idololatria & cultu immune, quod Teraphim nomine hic venit. Idolum fuisse negant, qui insignem Davidis pietatem illud in ædibus non toleraturam fuisse statuunt, R. DAV. KIMCHI *in h. l.* R. MOSES BEN NACHMAN *in Genes. XXXI,* 19. & ANDR. RIVETVS *Exercit. CXXXIII. in Genes.* RIBERA *in Hos. III. num.* 21. *p.* 111. peculiare in aciem producit commentum, Michalem ex variis hinc inde rebus fecisse statuam homini similem, quales tauris objici solent in circo, aut in hortis poni ad aves terrendas, vestibus scilicet virilibus, palea aut fœno oppletis, & humani corporis membra simulantibus, unde & pellem pilosam caprarum posuisse ad caput ejus, videlicet ut rufos Davidis capillos imitaretur. Verum, nec temporis angustia ejusmodi μόρφωσιν Michali permisisse videtur, nec ratio reddi potest, unde simulacro illi nomen Teraphim accesserit? Nec majorem meretur fidem figmentum R. IACOB. ABENDANAE *in Spicilegio* ad R. SALOM. BEN MELECH *Michlal Jophi h. l.* uxores antehac solitas fuisse, comparare sibi maritorum suorum imagines, ut illorum figura oculis semper obversaretur, idque ex magnitudine amoris sui erga eos: & ex harum imaginum genere etiam fuisse Teraphim Michalis, ex amore vehementissimo erga Davidem facta, atque sic nil impii in iisdem fuisse; quare Michal illa in locum Davidis substituerit, quod eam externa specie referrent. Vehementissimum autem Michalis erga Davidem amorem fuisse, vix sibi persuadeat, qui 1 Sam. XXV, 44. coll. cum 2 Sam. III, 13 sqq. & 2 Sam. VI, 20 sqq. probe perpenderit, nisi vagos Michalem amores fovisse, ex 1 Samuel. XVIII, 20. colligas. Verum, cum in universa Scriptura Teraphim idola designent, causam nullam video idoneam, propter quam hic loci a trita vocis notione deflectere debeamus. Fieri enim potuit, quod R. LEVI BEN GERSOM *ad h. l.* hariolatur, ut Michal ex ædibus paternis (vel undecunque demum) inscio Davide, idola ejusmodi, æque ut Rahel inscio Jacobo, attulerit & clam secum asservaverit. Vel, ut LVTHERVS *ad h. l.* ingeniose exponit, idolorum nomen gerere in statu ampliationis, ab usu priore, quo, tempore avitæ superstitionis, cultui abominando inservierit; ea autem ætate imaginem istam forte in angulo quodam ædium neglectam delituisse, in memoriam priscæ idolomanias; velut hodie, in repurgata a sordibus Papalibus Ecclesia, multa pristinæ superstitionis Pontificiæ vestigia, tum publice prostant, quam privatim, citra tamen ullam idololatriæ communionem.

Ad §. eund. pag. ead.

(3) Θεραπεύειν, *colere, servire*] Eandem verbi Græci derivationem probat IVRIEV *cit. loc. cap. III. §. III. pag.* 457.

Ad

Ad §. III. pag. 103.

(4) *Docent Rabbini*] Abſurdam hanc ſententiam, ex *Pirke* R. ELIESERIS *cap. XXXVI.* apud VORSTIVM *p.* 220. hauſtam, & in IONATHANIS Pſeudo-Vſielidis Targum Gen. XXXI, 9. æque ac ab ELIA Levita *in Tisbi* repetitam, & a NICOL. LYRANO *in Geneſ. XXXI.* & *Jud. XVII.* & ALPHONSO TOSTATO in Commentaria *c. l.* relatam, explodunt magnus LVTHERVS noſter *Tom. XI. Vitemberg. Germ. fol.* 216. VORSTIVS *ad citatum* R. ELIESERIS *locum*, & ſaniores fere omnes. Propius ad veritatem accedit HERM. WITSIVS, quando *Aegyptiacor. lib. I. cap. VIII.* §. *II. p.* 38. definit, fuiſſe ſimulacra quædam parvula, ſæculis antiquiſſimis frequenti in uſu, in ſacris primum ædiculis ſepoſita; quæ Spiritus cujusdam, ſæpius impuri, præſentia animata, oracula fundere ſolebant: Larium inſtar, & Penatum domeſticorum. *Quæ deſcriptio*, inquit, *colligi poteſt ex Geneſ. XXXI,* 19 *ſq. Ezech. XXI,* 21. *Zachar. X,* 2. 2 *Reg. XXIII,* 24. Imagines vero iſtas, non adeo parvulas ſemper fuiſſe, ex 1 Sam. XIX, 13. liquet, unde hominis ſtaturam fere exæquaſſe colligitur. Magis illa ſe nobis probat ſententia, quam poſt AVG. PFEIFFERVM diſput. *de Teraphim*, Vitembergæ anno 1663. publicata, *Theſ. XIV.* IVRIEV *cap. III. p.* 457 *ſq.* tuetur, Teraphim Lares fuiſſe, ſive Deos Tutelares & Domeſticos, ad humanam effigiem, mole tamen varia, majores alios, alios minores, nec ex eadem confectos materia, qui reſponſa reddebant conſulentibus, & bonorum omnium affluentiam procurare cultoribus ſuis, mala vero quæcunque averruncare, credebantur. Ezechiel. XXI, 21. Rex Babel Teraphim interrogaſſe, diſertis verbis perhibetur, & Zach. X, 2. Teraphim vanitatem loqui traduntur. Porro lacrymis, clamore & querimoniis acerbiſſimis jacturam ſuorum Teraphim proſequebatur Micha, Jud. XVIII, 22 ſqq. non ſecus, ac ſi de omni poſthac ſua, ſuorumque actum ſit proſperitate. Confer cap. XVII, 13. & vehementiſſimam Labanis, ob ablatos Teraphim, indignationem.

Ad §. V. pag. cit.

(5) *Ab Aſtronomis conficiebantur*] Eſt hoc commentum Rabbinorum, in quibus RASCHI *ad* 2 *Reg. XXIII,* 24. ita commentatur: תרפים צלמים שמרברים על ידי כשפים והעושה אותן צריך לכוין שעה אחת ושנה אחת ראויה לכך: Teraphim *fuerunt imagines, loquentes arte magica. Fabricantibus eas neceſſe fuit obſervare certam horam, certumque annum, huic rei convenientem.* Quæ eadem repetit *ad Ezech. XXI,* 21. & *Hoſ. III,* 4. Alii ulterius progreſſi horologia ſeu inſtrumenta ænea inde conflarunt, ut cognoſcerent inde horarum partes, & cognoſcerentur ſimul futura, beneficio aſtrorum: quorum ſententiam ABEN ESRA *ad Geneſ. XXXI.* R. BECHAI *ad Ezech. c. l.* & R. DAV. KIMCHI *ad* 1 *Sam. XIX,* 13. allegat; poſtremus autem addit, horologium ineptum fuiſſe, ut a Michale in lecto poſitum, mentiretur Davidem. Quicquid autem loquebantur, Diaboli ope proferebant. Et iſta de conſtellatione fabula, Rabbinorum commentum eſt. Originem autem horum idolorum ab Aegyptiis arceſſit, indeque ad Hebræos manaſſe, pro certo habet ATHANAS. KIRCHERVS *Oedipi Aegypt. Tom. I. Synt. IV. cap. III.* Hoc avide arripuit SPENCERVS, & ad Zabios ſuos refert, atque Teraphim imagunculas ſacras cenſet, pectorali inſertas, quæ conſultæ reſponſum ferrent. Vtrumque refutat WITSIVS *Aegyptiac. lib. I. cap. VIII.* §. 3 *ſqq.* atque a Syris & Chaldæis potius originem repetit, quod *cap. III. Lib. II. p.* 71. copioſe probat: SPENCERO vero *ſequentibus capitibus libri II.* ex aſſe ſatisfacere laborat. Quomodo autem IOH. HENR. HOTTINGERVS *lib. I. Hiſtor. Oriental. cap. VIII. p.* 284. Teraphim Syrorum, cum Arabum ſive Sabæorum *Tilſemath*, vulgo *Taliſman* componere & conciliare ſatagat, ibidem legi poteſt, cum noſtri non ſit inſtituti, prolixius in illa inquirere. Denique, cujus ſæpe jam mentionem fecimus, IVRIEV *cap. IV. p.* 461. κενοταφίων voce, qua LXX Michalis Teraphim deſignant, permotus, Teraphim ad Arcam Fœderis, cum duobus

 Cheru-

Cherubinis quadantenus repræſentandam, antiquitus adhibitos cenſet. Vices autem Cherubinorum, imagines illuſtrium in familia virorum, quales v. g. Noah & Semus erant, ſuſtinuiſſe credit. Vltimos ædium receſſus ejusmodi *κενοτάφια*, cum majorum imaginibus exornaſſe, eamque ſucceſſu temporis ſibimet conciliaſſe auctoritatem ſtatuit, ut dictas primogenitorum clariſſimorum ceras, quas homines male creduli ſollicite primum aſſervaverant, temporis ſucceſſu adoraverint, immo tandem de rebus dubiis & obſcuris, evocatis ſolenni ritu, mortuorum manibus, interrogationes ad easdem inſtituerint. Quæ, utut ſplendido eruditionis apparatu picta, eadem tamen, qua adſtruuntur, rejici poſſunt facilitate, ad examen quoque paucis vocata, a IOHAN. CHRISTOPH. WICHMANSHAVSEN, diſp. *de Teraphim*, Vitembergæ An. 1705. publico examini expoſita §. *XIII.*

AD

LIB. IV. CAPVT X.

DE PECVLIARIBVS GENERIBVS INTERDICTAE DIVINATIONIS.

Ad §. II. pag. 104.

Primus eſt [מעונן] Bona fide allegat Auctor RASCHIVM *c. l.* qui tamen alias *ad Deut. XVIII,* 10. in aliorum, quam ſua, mavult acquieſcere explicatione, ita commentatus: ר׳ עקיבא אומר אלו נותני עונות שאומרים עונה פלונית יפה להתחיל וחכמים אומרים אלו אוחזי העינים׃ R. AKIBA *dicit*, Meonenim *ſunt illi, qui dant tempora, qui dicunt, tempus iſtud opportunum ad aliquid incipiendum. Magiſtri autem dicunt: ſunt, qui tenent oculos.* Quod enim Auctor paragr. ſequ. probe obſervavit, varias patitur hoc nomen originis conjecturas. Sunt enim *α*) qui ab עין *oculus* derivant, quia præſtigiatores oculos ſpectantium faſcinatos tenent, ut falſum pro vero videant. Inde namque eſt עין *Ajan*, *obſervavit oculis*, & עוין *oculis obſervans* 1 Sam. XVIII, 9. & עונן *præſtigiatus*, *præſtigiis uſus eſt.* Hanc ſententiam tuetur CAMP. VITRINGA *Comment. ad Jeſ. II,* 6. & *Obſervatores, Contemplatores, Viſores* reddit, ita tamen, ut ad *Augures* extendat, qui de cælo ſervant; ad *Haruſpices*, qui exta inſpiciunt; ad *Aſtrologos* judiciarios, qui ex ſiderum inter ſe, & ad homines *σχέσει* diſciplinam Propheticam faciunt; & in genere ad omnes, qui ex naturalibus aut fortuitis caſibus, inter quos ſortilegia, augurii & prædictionum materiam deſumunt. *Eſt enim hoc divinationis genus varium*, addit, & verba: לא תעוננו reddit: *non ſervabitis de cælo.* Paria repetit *ad cap. LVII,* 4. ubi tamen haud abs re obſervat, vocem hanc ſtylo Scripturæ ad quoscunque falſos doctores referri, quod ex Jerem. XXVII, 9. Mich. V, 11. probat, nec injuria addit: *Omnes doctores, qui in Divinis rebus tradendis, diſcedunt a verbo Dei, & deluſi ab imaginatione, ſignis aut ratiociniis falſis, fictisque deludunt alios, hoc nomine appellantur.* Verum accommodatio hæc eſt, ab ampliatione petita, a prima vocis & genuina notione, probe diſcernenda. Aſt *β*) ABEN ESRA *ad Lev. XIX,* 26. ceteras recenſens derivationes, mavult ab ענן *nubes* arceſſere, quia Præſtigiator, יסתכל בעננים וברמותם ובתנועתם *aſpicit nubes, earumque figuram & motum,* indeque de rebus futuris vaticinari geſtit. Adſtipulatur Auctor noſter, & poſt eum IAC. GVSSETIVS *Comment. L. Hebr.* voc. ענן. Denique *γ*) aliis placet origo ex עונה / עון, *ſtatum tempus*, ut עונן ſit, *obſer-*

obſervavit commoda res gerendi *tempora*, indixit, quæ cuilibet negotio apta ſit futura hora. Accedit his b. LVTHERVS, qui Levit. cit. loc. vertit: *ihr ſollt nicht auf Vogel-Geſchrey achten, noch Tage wehlen:* Deut. loc. cit. & Jer. cit. loc. *oder ein Tagewehler.* Pariter GVIL. ROBERTSONVS *in Theſ. Lingu. Sacr.* vocabulum עונן exponit *Obſervatores, qui tempora negotiis agendis opportuna obſervant: ut Mathematici, Aſtrologi, Genethliaci, & id hominum genus, de quibus Paulus ad Galat. IV.* Cui ipſe quoque interpretationi meum adjicere calculum nullus dubito, cum Aſtrologi peculiari gaudeant nomine, אשפים dicti Dan. II, 2. Cumprimis hanc ſententiam ſuo munit calculo vir doctiſſimus, NICOL. FVLLERVS *lib. I. Miſcellan. Sacr. cap. XVI.* qui, poſtquam מעונן ab עון & עונה, quod ſit καιρὸς, *opportunitas*, & עת קבוע *tempus ſtatutum*, derivaverat, ita definit: מעונן *igitur is eſt, qui conſtituta & definita tempora boni vel mali, læti vel triſtis, proſperi vel calamitoſi eventus, in omni negotio aggrediendo, videlicet in vita inſtituenda, itinere ſuſcipiendo, conjugio contrahendo, legatione obeunda, bello gerendo, reliquisque tot ac tam variis caſibus, privatis & publicis, qui mortalibus accidere ſolent, ex arte præſcire, & conſulentibus ſe prædicere poſſe profitetur.* Poſthæc in eorum incidens ſententiam, qui vocem ab ענן *nubes* deducunt, tum מעוננים / ſi verbum e verbo exprimere volueris, plane *Nebulones* ſonare, ſcite obſervat, ἀπὸ τῶν νεφέλων, vel a nebulis nuncupatos, nempe quod inſignes eſſent impoſtores, variisque ſtrophis & offuciis, more præſtigiatorum (ut & alii tranſtulere) callide, obſcure, aut ambigue reſponſorum, mendacia ſua velarent, quaſi totidem nebulis: atque ita nihil aliud quam nebulas, hoc eſt, fumos hominibus paſſim venditarent. PAVL. FAGIVS tamen *ad Paraphr. Chald. in Lev. XIX, 26.* nihil definire auſus, omnes tres producit expoſitiones æque ac origines, ac מעונן eum eſſe dicit, qui tenet oculos, h. e. qui agit præſtigiatorem, vel qui nugatur ex aſtris, qui computat & obſervat tempora, horas, momenta, & hunc diem pro fauſto, alium pro infauſto habet. Aeque in incerto fluctuat IAC. ALTINGIVS *Comment. in Deut. XVIII, 10. & in Jer. XXVII, 9. Tom. I. Opp. p. 561. b.* & 825. *b.* omnes tres, cum etymologias, tum vocis interpretationes, in medium afferens, nec habens, quod liquido affirmet. Denique MART. DEL RIO *Diſquiſit. Magic. lib. I. cap. II. p. 5.* generalem amplectitur notionem, & עונן quibuslibet Auguribus & Conjectoribus accommodari *Jer. cit. loc.* & *Mich. V, 2.* perhibet, etiam Onirocriticis: *quia hoc genus ad omnia pertineat.* Sed falſum in eo eſſe haud obſcure colligitur, quia hoc nomen utplurimum ceteris divinationum artificibus jungitur, ſatis hoc ipſo edocens, peculiarem & diſtinctam ſuperſtitionis ſpeciem illud deſignare.

Ad §. V. pag. 104.

(2) *Non invenio rationem, cur ipſi Orientem*] Putida eſt Auctoris hariolatio, Orientalem, ceterasque mundi plagas, a ſitu vel ſtatione Planetarii, nomina fuiſſe ſortitas Hebraica, quæ certe omnem Planetariorum ſuperſtitionem multum anteceſſerunt. Nimirum קדם *Kiddem*, in Pihel, eſt *prævenire, præcedere, priorem eſſe*, unde קדים Orientis notionem haud dubie ab ortu Solis obtinuit. Sol enim oriens, in quacunque terrarum parte, occupat orientales partes, tam loco, quam tempore, & Occidentem a tergo relinquit, cui Auſter ad dextram eſt, Septentrio ad ſiniſtram. Alias in Scriptura, a ſitu Palæſtinæ, plagæ orbis ſæpe deſcribuntur, ut Jeſ. IX, 11. *Syri* מקדם *ab Oriente*, ſeu ante, & *Philiſtæi* מאחור *ab Occidente* ſeu a tergo, quia Terra Sancta Chaldæos & Syros ab Oriente, & quaſi ad faciem, Philiſtæos veluti poſt ſe, & ab Occidente habuit. Eodem reſpectu *mare* plagam occidentalem notat, quia mare magnum, ſive mediterraneum, Judæam habitantibus in occaſu eſt. Vbi confer, quæ ſolertiſſimus GLASSIVS obſervavit *Rhetor. Sacr. Tr. II. cap. VII. p. 565.* Sed hæc obiter & ὡς ἐν παρόδῳ.

Ad §. VI. pag. 105.

(3) *Secundus est* מנחש *Augur, Vates*] Verbum נחש in Pihel, *expertus est, experimento didicit, auguratus est*, accipi *tam* in bonam partem censetur, notione indagandi, ubi quis ex rerum ponderatis secum circumstantiis, observatisque eventuum indiciis, aliquid conjiciendo assequitur, experimento discit, & sagacitate sua ad paria facta accommodat, ut Gen. XXX, 27. Laban se experimento didicisse perhibet, Domini benedictione se frui, ministerio Jacobi: ubi tamen R. SALOMO & ABEN ESRA Labanem putant adhibuisse auguria, quia Teraphim domi habebat: contra ONKELOS vertit נסיתי *expertus sum:* Gen. XLIV, 5, 15. de scypho Josephi affirmant ejus servi, quod herus נחש ינחש *divinando divinat eo*, ubi denuo ONKELOS ברקא מברק בה *inquirendo inquirit pro eo*, TREMELL. *experiendo experiens discet*, æque ut R. LEVI מנסה exponit, *tentat* aut *probat*, quasi diceret, vos probare voluit per illum scyphum, quales sitis, quocum ex asse consentit ABEN ESRA; contra vero LXX οἰωνισμῷ οἰωνίζεται ἐν αὐτῷ, *augurio auguratur in eo*, & HIERON. *in quo augurari solet:* I Reg. XX, 32. de nunciis Benhadadi supplicantibus, haud dubie in bonam partem usurpatur: *& viri* ינחשו *augurati*, prudenter scrutati sunt & conjecturam fecerunt, quando Ahab fratrem nuncupabat Benhadadum: *quam* in malam, cum omnia captare, & auguria sectari notat, quo sensu Deus Lev. XIX, 26. prohibet: *non augurabimini*, & quando de Manasse legitur 2 Reg. XXI, 6. ועונן ונחש *& præstigiis usus est, & auguria cepit:* 2 Reg. XVII, 17. Hinc נחש augurium, observatio signorum & ominum, Num. XXIII, 23. XXIV, 1. & מנחש *augur, ominum captator.* Non autem eorum probamus sententiam, qui cum MOSE GERUNDENSI, aliisque nonnullis Hebræis, de auguriis explicant, quæ ex avium volatu & garritu captantur, sicut cum corvi ejulatu præsagire quis contendit hominis mortem: talis enim rectius מביט בעופות dicitur. Nugæ quoque sunt ABEN ESRAE *ad Levit. XIX*, 26. כי נחוש בצורות ובמקלות ובמעשים ובתנועות ובימים ובשעות: *probatio* hæc fit *figuris & baculis, & operibus, & motionibus, & diebus, & horis.* Nec hilo præstantior est R. SALOM. IARCHII interpretatio: אלו המנחשים בחולדה ובעופות פתו נפלה מפיו צבי הפסיקו בדרך: *Illi augurium capiebant ex mustela, & avibus:* & dicunt, *Buccella ejus cecidit ex ore ejus, Capreolus occurrit ei in via*, quæ repetit *ad Deut. XVIII*, 10. adhuc novum addens sinistrum omen: *Baculus ejus cecidit e manu ejus.* Quæ conspirant iis, quæ ex R. DAV. KIMCHI *libro Radic.* Auctor allegat. Præstat eorum sententia, qui hujus generis augurium ad signum aliquod, sibimet ipsi constitutum, vel aliunde oblatum, restringunt, v. g. si evenerit mihi sic & sic, faciam hoc, & si non evenerit, non faciam. Ex ejusmodi enim signo experimentum, de eventu dextro vel sinistro, se capturos confidunt. Frustra autem P. FAGIUS *ad Lev. c. l.* hoc illustrare satagit exemplo Elieseris Genes. XXIV, 14, 43. & Jonathanis 1 Sam. XIV, 6 sqq. Divinitus enim suggesta ipsorum animis hæc erant signa, fiduciam ipsorum eventu suo confirmatura. Sunt denique, qui Augures ejusmodi adhibuisse putant æneum lituum, indeque originem vocis esse, quia נחשת *æs* dicitur. Sed nullo conjecturam colore incrustare valent.

Ad §. IX. pag. cit.

(4) *Tertius est* מכשף *Præstigiator, Gesticulator*] A כשף in Pihel *præstigiis usus est*, sed apud Arabes, *detexit, revelavit*, descendit מכשף juxta Hebraismum, *Præstigiator*, qui arte magica sub oculis rem aliquam mutat, & sunt interprete ABEN ESRA *ad Exod. VII*, 11. משנים דבר התולדות למראה העין *qui mutant rem naturalem ad aspectum oculi*, seu quoad speciem externam, adeoque oculos fallunt: quod magis Pharaonis tribuunt, quando virgas in serpentes transmutasse, præ se ferebant: ex Arabismo autem est *rerum arcanarum revelator*, quales jactabant se Chaldæi illi, a Nebucadnezare ad indagandum

gandum & explicandum ſomnium Dan. II, 2. acciti. Talmudici Cod. *Sanhedrin cap. VII. §.* 11. non qui illudunt oculis, ſed veneficiis res ipſas transmutant, hac voce notari cenſent, quando ita definiunt: מכשף זה העושה מעשה ולא אוחז את העינים *Præſtigiator eſt, qui rem patrat, non qui ludit oculos:* ſtatimque addunt: העושה מעשה חייב האוחז את העינים פטור *qui rem patrat* veneficiis, *reus eſt, qui oculos ludit, liber eſt.* Ipſam veneficii perpetrationem eisdem pariter tribuit ABARBENEL *ad Deut. XVIII,* 10. ubi ipſos ait corpora diſponere vel præparare ad ſuſcipiendum רשמי המשפיעים המחבלים *impreſſiones influentium & deſtruentium*, puta Dæmoniorum, quorum virtute ſua faciunt opera, ut mox ſubnectitur. MAIMONIDES rem omnem in fraudes transmutat: & primo quidem, Magos iſtos celeri manuum ſuarum motione oculos ſpectatorum fefelliſſe ait, ut res aliud, quam revera eſſet, appareret; atque ideo dictum, בלהטיהם quod idem ſit, ac בלהט החרב המתהפכת *inſtar flammæ gladii vibrati*, ſeu huc illuc agitati. Poſthæc autem refert, Doctores dicere, eos ope Dæmonum oculos hominum præſtrinxiſſe, ut id quod revera non fecerunt, feciſſe viderentur, atque ideo verſ. 22. & c. VIII, 7. uſurpari vocem בלטיהם *occultis muſſitationibus ſuis.* Ait igitur, Magos videri in opere ſerpentum motiones ſuas exercuiſſe, ſed in ſanguine ac ranis muſſitationibus uſos eſſe, atque ideo illic vocem בלהטיהם, hic autem בלטיהם eſſe uſurpatam. Concludit autem, opus Magorum fuiſſe שקר וזיוף *mendacium & falſitatem:* h. e. meram illuſionem: quo ipſo Talmudiſtis in faciem contra dicit.

His junguntur in Textu חרטומי מצרים *Magi Aegyptiorum*, quos ABEN ESRA definit, *rerum naturæ peritos, qui ſciunt principia & naturas rerum omnium, cunctaque, quæ occultis rationibus fieri ſolent.* Quo pacto Phyſicos innueret, quorum eſt, abditas rerum cauſas ſcrutari. Id vero commentum refutans FVLLERVS *lib. V. Miſcell. Sacr. cap. XI.* vocem ab Hebræo חרט deducit, ut ם ſit heæmanticum. Iſtud autem, cum ſtylum notet, aut cælum artificis, quin & ipſam picturam, cælaturam, ſculpturam, hinc חרטם conjicit notare eum, qui ſuperſtitioſos quosdam characteres, picturas, imagines, figuras, aliaque ejusmodi notiſſima magices ſubſidia adhibebat, in nefariæ divinationis ſuæ operibus exequendis. Quæ mihi magis probantur, quam quæ habet L' EMPEREVR *in Paraphr. Jach. in Dan. II,* 2. inter Mecaſſeph & Chartum hanc intercedere differentiam, quod ille ope Diaboli opera ſua perficiat, hic vero abutatur דברים טבעיים *rebus naturalibus*, ut obſervat ABARBENEL. Sed de חרטמים integra legatur & erudita diatribe DAV. MILLII, *Diſſertat. Select. VIII. pag.* 221 *ſeqq.*

Ad §. X. pag. 106.

(5) *Qui fuerunt* ἰαννῆς καὶ ἰαμβρῆς, 2 *Tim. III,* 8.] Hos *Pſeudo*-IONATHAN *in Targum Exod. VII,* 11. diſerte appellat, ינים וימברית חרשין דמצרים *Janes & Jambreth, Aegyptios magos.* Iſtos vero ARTAPANVS apud EVSEBIVM *lib. IX. Præparat. Evang. cap.* 27. ἱερεῖς τῆς ὑπὲρ Μέμφιν, *Sacerdotes in urbem Memphim,* GREGOR. ABVLPHARAIVS *in Hiſt. Dynaſtiar. p.* 17. Moſis præceptores facit, quibus a filia Pharaonis traditus fuerit, in omni ſapientia inſtituendus. Plura, qui de illis cupit, poſt IOH. ALBERT. FABRICIVM *in Codice Pſeudepigrapho Vet. Teſt. p.* 813 *ſqq. & in Codice Apocrypho Nov. Teſt. p.* 249. *&* 342. adeat IOH. CHRIST. WOLFIVM *in Curis Phil. & Crit. ad h. l.* qui Auctores, de nobili iſthoc pare fratrum agentes, larga manu ſuppeditant. Huic adde CHRIST. ARNOLDVM *in Spicilegio ad* IOH. HENR. VRSINI *de Zoroaſtre* &c. tractatum *p.* 44 *ſq.* GVIL. WHISTONVM, qui Paulum hæc nomina, ex Conſtitutionibus Apoſtolicis, in ſuam tranſtuliſſe nugatur Epiſtolam, nos caſtigavimus *P. III. Criticæ Sacræ cap. II. pag.* 870. eademque ex θεοπνευςίᾳ comperta habuiſſe Apoſtolum, aſſeruimus.

Ad

Ad §. XI. pag. 106.

(6) *Quartus est* חבר *Incantator*] Deut. XVIII, 11. plenius legitur: חובר חבר *consocians societatem.* Alias חבר est, *conjunxit, copulavit:* sed ubi de incantatione occurrit, explicari solet de iis, qui incantando & adjurando serpentes, aut alia animalia noxia consociant, ut ipsorum opera quis sine noxa uti queat: quo sensu Psal. LVIII, 6. de incantatore serpentis legitur. Ita R. SAL. IARCHI *ad cit. loc. Deut.* definit: שמצרף נחשים או עקרבים או שאר חיות למקום אחד *qui congregat serpentes aut scorpiones, ceteraque animalia in unum locum.* Paulo latius vagatur MAIMONID. *de Idolol. cap. XI.* §. 11. אי זהו חובר *Qualis est incantator? Qui verbis utitur nulli genti usitatis, & nihil significantibus, stultitiaque hac aliis it persuasum, verba ista prodesse. Ita dicunt: si quis hæc, vel ista profatus sit coram serpente, aut scorpione, nihil damni dabit: vel si protulerit in virum, nocere is non poterit.* Vbi plura de incantationibus vulnerum, legendo e Lege comma aliquod, §. 14. At enim Rabbini magno consensu docent, esse ejusmodi Magos, qui certis carminibus & incantationibus vel animalia noxia, ad noxam vel inferendam, vel avertendam, congregant; vel etiam, qui consortium habere cum Dæmonibus censentur. Huic explicationi adstipulatur BOCHARTVS *Hieroz. P. II. lib. III. cap. 6.* Supra laudatus tamen DAV. MILLIVS, licet largiatur, hoc hominum genus serpentes & animantia venenata colligasse §. *XI. p. 233 sqq.* aliam tamen nominis vim ac notionem esse contendit, cumque radix חבר *arctissime connectere, copulare, ligare* notet, Exod. XXVI, 3. XXXVI, 18. Os. IV. Psalm. CXXII, 3. חברים Magos dicit, qui non modo sociare sibi, sistere, & adducere, quæcunque vellent, sed etiam constringere efficaciter, & ligare solebant, atque ita nocendi vim adimere, & ad officium redigere posse credebantur. Censebantur quippe apud Gentiles Magi, Deos ipsos posse ligare & cogere, unde δεσμὸς θεῶν, *Deorum vinculum*, certa dicebatur incantationis species, ut ex GAVLMINI *Notis ad Lib. de vita & morte Mosis p.* 189. constat. Eaque ligandi potestas non magicis tantum tribuebatur carminibus, sed & herbis quibusdam, singulari cura conquisitis: quin & licia torquebant, factisque inde ligaminibus utebantur hi Magi.

Ad §. XIII. pag. 106.

(7) *Quintus est* שאל אוב *Consulens Obh, seu Pythonem*] אוב *utrem* notat, & quando Job. XXXII, 19. Elijahu sermonibus plenum se esse jactat, ut venter ejus sit vini instar effervescentis, & novos utres rumpentis, inde conjiciunt viri docti, אובות *Hariolos* esse, quorum venter a Spiritu tanquam uter inflatus, non nisi ægre eos loqui permittat. Vnde LXX hoc voc. Hebræum plerumque per ἐγγαστριμύθους reddunt, æque uti IOSEPHVS Endoream illam בעלת אוב ἐγγαστρίμυθον vocat *lib. VI. Antiqu. cap.* 15. Græcis vocabantur Pythones, ἀπὸ τοῦ πυνθάνεσθαι, *a sciscitando,* quod de futuris, occultisque consulebantur. Erant autem Πυθῶνες, *Pythones*, tam, qui Spiritum ipsos obsidentem, utero gerebant, quorumque vox hac ipsa de causa exibat tenuis, exilis, acuta, instar pipientis: quam, qui per Spiritum se obsidentem evocabant Manes e terra, & pulvere excitandos, & demissa, stridula, ac acuta voce utebantur: perinde, ut ipsæ Vmbræ evocatæ ex Inferis, voce sonabant exili, tenui, languida, quæ ab omnibus intelligi non poterat: hinc Jes. XLVII, 4. dicitur: *Et erit tanquam Pythonis, e terra vox tua, & ex pulvere loquela tua pipiet.* Vide, quæ post SELDENVM *de Diis Syris Synt. I. cap.* 2. & ANT. VAN DALE *de Idololat. p.* 649. de אובות erudite commentatus est CAMPEG. VITRINGA *Comment. in Jes. II, 6. & VIII, 18.* MAIMONIDES Hilc. עבודת ככבים ומזלות seu de Idololatria *cap. VI.* §. 2. ita definit: *Est, qui consistit, ut offerat certum suffitus genus: is manu sua virgam vibrat myrteam, ac recepta quædam incantationis verba profert: mox consulit alium, quasi loquentem secum, & interrogatis respondentem e terra,*

terra, voce submissa admodum; quam auribus percipere non valeat, sed cogitatione tantum assequatur. Paulo aliter exponit PETR. IVRIEV *in Histor. Dogmat. & Cult. Part. III. cap. V.* &, qui ejus sententiam adoptavit, Vener. SALOM. DEYLINGIVS *Observat. Sacr. P. II. p.* 198. qui voce אוב *vas aqua plenum* intelligunt, unde Latinis poculi quoddam genus *Obba* dictum sit, in quo Manium simulacra apparuerint Necromantum artificio, eodemque tempore obscuram & exilem vocem e terra prodiisse contendunt, quasi a Manibus editam. Tale vas quo utebantur in divinationibus Magi, quia Græce γάστρη vocabatur, hinc istud divinandi genus Græcis γαστρομαντεία audiebat. Hanc γαστρομαντείαν autem ita describit CASP. PEVCERVS *de divinationibus pag.* 299 *sq. Statuebantur vasa vitrea, rotunda, aquis conferta limpidissimis, & circum collocabantur accensi cerei: cumque evocatio Dæmonis occulto murmure absoluta & quæstio recitata esset, adhibebatur puer impollutus, aut mulier prægnans, quæ vitra accurate diligenterque intueretur ac circumspiceret, rogaretque, imperaret & flagitaret responsa. Ea tandem imaginibus, quæ per tersam politamque speculorum superficiem ex aquis, quadam διακλάσει refractione, refulgebant, Diabolus exprimebat.* Juxta eum igitur, hæc divinatio non voce, sed picturis, responsa expediebat. A qua tamen Idem *pag.* 258. Ἐγγαστριμύθους, & Ἐγγαστριμάντεις distinguit, tanquam Pythonem in pectore gerentes, quod intra sese pectori ventrive inclusos Spiritus vatidicos haberent, qui vel suggerebant, vel vinctis, compressisque obsessorum linguis, ipsi efferebant ac proloquebantur, requisita præscitaque vaticinia. Vnde, si utramque distinguas, componere IVRIEV cum priori sententia licebit. Ista tamen omnia non satis faciunt laudato DAV. MILLIO, qui *Dissert. VII. p.* 195. ex instituto in hoc divinandi genus inquirens, illud νεκυομαντείαν dicit, qua Manes evocabantur, ut de rebus futuris aut dubiis consulti, responsa darent. Ita namque νεκυομάντεις definit PEVCERVS *p.* 292. qui, sacrificiis solenni ritu institutis & peractis, diris atque execrationibus, ab inferis Manes educebant, cumque exiissent ac comparuissent, percontabantur. Vocabatur hoc opus ἐπίκλησις τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, *evocatio humanarum animarum.* Probat MILLIVS sententiam 1) ex 1 Sam. XXVIII, 8. 2) ex Jes. VIII, 19. 3) ex Jes. XXIX, 4. firmatque Rabbinorum suffragiis. Porro § *X. p.* 207. per אוב intelligit *tam* Manes elicitos & reductos, Lev. XX, 27. & Jes. *l. c. quam* Necromantem ipsum, qui Manes eliciebat, eosque consulebat, per Jes. VIII, 19. Tandem Rabbinorum addit observationes: *a*) Quod Magus, qui educit Manes, eos quidem videat, sed nihil audiat: *b*) Ille vero, in cujus gratiam anima reducitur, audiat quidem, sed nihil videat, ut Sauli accidit: 3) Quod alii denique, quorum id nihil interest, nec videant, nec audiant quicquam. Denique eum, qui Manes consulit per evocationem, ita distingui tradit a דורש המתים *Consulente mortuos*, ut hic sit, qui post jejunia præmissa, in sepulcro pernoctat, ut per somnia, aut etiam alio modo, a Manibus moneatur, de rebus, quas scire expetit.

Ad §. XIV. pag. 106.

(8) *Sextus est* ידעני *Magus*] Quod Auctor noster observat, id magna confidentia tradunt Judæi, ejusmodi Magum ita dici, ab officulo quodam avis, cui nomen ידוע *Jiddoa*, quod suo imponat ori, ut exinde id ipsum loquatur, homine tacente, & in furorem ac ἔκστασιν abrepto. Ita MAIMONID. *loco supra citato cap. VI.* §. 3. Avem autem istam DIONYS. VOSSIVS in *Not. ad h. l. Maimon.* ait esse, quam THEOCRITVS *in Pharmacevtria* vocat ἴυγγα, Latini *motacillam* nuncupant. Rursus ABARBENEL *in Jes. VIII.* & R. SALOMO BEN MELECH in *Michlal Jophi ad Lev. XX,* 27. non ad avem, sed ad bestiolam, cujus nomen ידוע *Jadua*, referunt, quæ juxta R. OBADIA DE BARTENORA ad Cod. *Sanhedrin cap. VII. th.* 7. quoad vultum, corpus, manus, ac pedes, forma humana gaudeat: unde sua hausit P. FAGIVS ab Auctore excitatus. Quas vere nugas

nugas dixeris, cum a ידע *scivit* ortum trahat vocabulum, unde LXX per Γνώστην *Sciolum* subinde reddunt. NIC. FULLERUS supra laudatus exponit Προγνώστην δι' ἀστρονομίας, *ob artificiosissimam, illustrissimam & accuratissimam futurorum contingentium præsciendi & prænunciandi rationem. Tam admirabilis siquidem est cælestium motuum εὐταξία, cælorum autem ipsorum tam sublimis & late conspicua majestas, horum denique scientiæ, quæ Astronomia dicitur, tanta subtilitas, quam ministram se adhibere in divinationibus suis jactitabant Astrologi, ut eminentissimum ipsis dignitatis gradum conciliarit.* Eas vero verborum ampullas viro docto excidisse miror, cum nihil probent. Magnus LUTHERUS noster vertit *ein Zeichendeuter*, qui ex superstitiosis rerum notis & conjecturis res futuras edisserere gestit, veluti qui ex horoscopi inspectione, lauri crepitu, manuum vel faciei lineamentis, vel similibus divinat. CAMPEGIO VITRINGAE *Comment. in Jes. VIII,* 19. ידעוני est ipse Spiritus multiscius, præsentium aut futurorum gnarus, fatidicus, qui credebatur obsidere ventrem (paria enim ipsi facit cum אוב) valet idem, quod Δαίμων, a δάω, vel δαίω, *scio, cognosco.* Licet vero facile largior, & ipsum Spiritum fatidicum, & Magum ex suggestione illius respondentem, hoc nomine venire, nullus tamen dubito, quin ידעוני & distinguatur ab אוב & latius pateat, & divinum quidem notet, ignota superstitione oracula, velut ex propria scientia promentem. Taceo alia, quia omnia incerta.

Ad §. XVI. pag. 107.

(9) *Septimus est* דורש אל־המתים] Hi sunt Necromantæ, de quibus paulo ante præcepimus *Annotat.* 7. Duplici autem modo superstitionem peragebant. Alii, postquam jejuniis se macerarunt, noctu ad busta defunctorum vadentes, ibique juxta ossa majorum sopore oppressi, mira se in somnio vidisse prædicabant. Alii umbras, sive mortuos evocabant, ut ab illis edocti, de occultis & futuris monerentur. Ejusmodi enim fraudium architecti audacter jactabant, subditas imperio suo esse animarum regiones, & quas vellent, posse rursus superam traducere ad lucem. Ita Medea apud OVIDIUM *Metam. VII. v.* 107. *jubeoque tremiscere montes, Et mugire solum, omnesque excire sepulcris.* Et apud CICERON. *Tuscul. Quæst. I,* 16. *Unde animæ excitantur obscura umbra, aperto ostio, Alti Acherontis, falso sanguine imagines mortuorum.* Vide quæ huc spectantia KIRCHMANNUS habet *de Funer. III. cap.* 23. E Judæis MAIMON. *de Idolol. cap. XI.* §. 15. præter illam, quam primo loco produximus, rationem, aliam jungit: *Sunt alii, qui certo vestis genere induti, verba consueta proferunt, & ex more suffitum faciunt, hinc soli dormiunt, quo mortuus, quem expetunt, accedat, ac in somnis sermonem secum habeat.* Ad quæ verba DIONYS. VOSSIUS, ita quoque vocari monet, qui carmine, virga, circulo magico (ut mittam, inquit, herbam Ositritim, viscus lyncis, oculos draconis, & alia id genus sacramenta dæmoniaca) animas se excire ab inferis arbitrantur, ut ab iis non in somnio, sed vigilantes accipiant responsa, sive per os cadaveris recentis ac calidi, sive etiam eo absente: remittitque ad GEORGIUM RAGUSEIUM, Theologum ac Medicum Patavinum *lib. II. de Divin. epist. VII.* Obscenum denique modum addit IARCHI *ad Deuter. XVIII,* 11. esse talem, *qui ascendere facit mortuum per membrum suum virile* (בזכורו) *quique consulit cranium.* Clarius spurcitiem illam exponit BUXTORF. *Lex. Targum.* voc. זכורו *fol.* 669 *sq.* ubi ex Cod. *Sanhedrin fol.* 65. *col.* 2. definit: אחר המעלה בזכורו ואחר המעלה בגלגולת מה בין זה לזה Python *alius* est, *qui ascendere facit* mortuum *per virilitatem, alius, qui ascendere facit per cranium.* Quæritur: quænam est inter hunc & illum differentia? R. SAL. IARCHI exponit: מעלה ומושיב את המת על זרוהו *educit* ex sepulcro, *& collocat mortuum super membrum virile suum. Hoc modo magiam exercebant, & per mortuum divinabant.* Quæ lascivum sapiunt Rabbinorum ingenium, nec ullo probantur documento. De

cranio

cranio autem mortui, in explicanda superstitione Pythonis, MAIMONIDES *de Idolol. cap. VI.* §. 2. ita perhibet: *Ita est, qui cranio mortui arrepto, illud suffitu imbuat & incantet, donec praeeuntem audiat vocem, quae exeat axillis, & respondeatur ei.*

Ad §. XVII. pag. 107.

(10) *Hoc jam spectrum non fuisse Samuelem*] Bene habent momenta, quibus personatum illum Samuelem, Diabolicum fuisse spectrum, Auctor demonstrat. Quibus adde 1) quod fateatur, se ascendere factum & excitum esse per incantationem sagae; quod verus Samuel nunquam edixisset, si jubente Deo venisset: 2) Samuel hic vers. 16. non loquitur, tanquam a Deo missus, quod omnino verus Samuel fecisset, nec ullam Jehovae facit mentionem, tanquam cujus nomine loquatur: 3) Nullam plane spem facit veniae vel misericordiae, sed durissima legis concione ad desperationem adigit; quod nullus Propheta unquam fecit: 4) Ipsa fatetur incantatrix, quod *Dii ipsius*, h. e. Daemones ascenderent, satisque docet Scriptura, falsam hanc fuisse Saulis opinionem, quasi ipse sit Samuel. Dubium, quod e Textu obverti posset: comm. 15 sq. Scripturam ipsam vocare Samuelem, nec ullo prodere indicio, quod personatus solum Samuel appareat: ita diluit SEB. SCHMIDIVS *Comment. in h. l. p.* 913: non vocare Scripturam, nisi postquam Saul vocaverat, petens eum sibi evocari. Hinc ita exponendum esse Textum: *& dixit mulier: quem ascendere faciam tibi?* h. e. qualis esse debet, quem per artem meam evocare soleo? in quali forma vis sistam tibi Spiritum seu Deum meum? *& dixit Saul: Samuelem ascendere fac mihi*, h. e. in forma Samuelis ascendere fac mihi. *Et vidit mulier ascendentem*, h. e. quem incantatione sua ascendere fecerat, *Samuelem*, non sane verum, sed Diabolum in forma Samuelis. Vocat ergo Scriptura Samuelem sensu alieno, non suo: alieno, qui revera erat, etiamsi fraus & superstitio non ita aperte se prodebat. Quae magni interpretis malui, quam meis, eloqui verbis. Idem posthaec *quaest. V. in h. l. p.* 922. solide & operose negat, Diabolo in animas sive damnatas, sive beatas, eam competere potestatem, ut e sedibus suis eas evocare, easque in terris praesentes sistere queat: nec ejusmodi in defunctorum corpora facultatem ei esse concessam. BALTHASARI BEKKERO autem, *Lib. II. der betoverde Werelt cap. XXIII.* §. 5 *sqq. pag.* 147 & *Lib. III. cap. VI.* §. 8 *sqq. p.* 39. universam illam apparitionem & historiam, in fabulam vertenti, satis fecit IOH. VAN DER WAYEN in refutatione BEKKERI Belgica §. 1369 *sqq. p.* 529. quem contulisse sufficiat. In universam autem *de Spectro Endoreo* pericopam, peculiari commentatus est disputatione IOH. ERNEST. GERHARDVS An. 1663. & IOH. HENR. HEIDEGGERVS *Dissertat. Select. Tom. I. num. X. p.* 259. *de Pseudo-Samuele:* quibus junge DIETERIC. *Antiqu. Biblic. p.* 657. & PFEIFFER. *Dub. Vex. Loc. LXXVII. pag.* 377. aliosque bene multos.

Ad §. XVIII. pag. 107.

(11) *Consulens baculum suum Hos. V,* 12.] שואל מקלו duplici ratione explicatur: 1) ut lignum pro imagine lignea, & baculus pro simulacro ex stipite facto, per metonymiam materiae accipiatur, ut Jer. II, 26. *Dicunt ligno: pater meus es, & lapidi: tu peperisti me.* Atque huc referunt istud TIBVLLI *lib. I. Eleg. X.* ad suos Lares: *Neu pudeat, prisco vos esse e stipite factos, Sic veteris sedes incoluistis avi. Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu Stabat in exigua ligneus aede Deus.* Ita post R. SALOMON. IARCHIVM, explicat MERCERVS, & copiosius ANDR. RIVETVS *in h. l. Tom. II. Opp. p.* 599. ubi lignum & baculum pro eodem habet, quin & contemtim sic appellari censet idola, statuas quippe ligneas, stipite factas. Ast 2) Auctor noster, sic etiam SELDENVS *Synt. I. de Diis Syris cap.* 2. Prophetam insectari arbitratur ῥαβδομαντείαν, quae apud Orientales frequenti erat in

 usu

usu posita, eamque ita describit THEOPHYLACTUS: virgas duas statuentes, carmina & incantationes quasdam submurmurabant; deinde virgis, Dæmonum operatione aut effectu cadentibus, considerabant, quonam utraque earum caderet? antrorsumne, an retrorsum? ad dextram, vel sinistram? sicque tandem responsa dabant insipientibus, virgarum casu pro signis usi. Alium ex TACITO *Lib. de moribus German.* subministrat modum MART. DEL RIO *Disquisition. Magicar. lib. IV. cap. II. Quæst. 7. Sect. 3.* qui satis copiose de illa divinatione agit: & ex recentioribus HENNINIUS ad TOLLIUM *Epist. V. Itinerar. p.* 217 *sq.* Quomodo autem cunque se habuerit modus, quem apud gentes diversas omnino variasse facile crediderim; id tamen mihi satius videtur, posteriorem hanc de ῥαβδομαντεία sententiam, priori interpretationi esse præferendam, mentique Prophetæ exactius respondere, quia verba nimis sunt restricta, & ita habent: *Populus meus lignum suum interrogabit, & baculus ejus annunciabit ei: nam Spiritus fornicationum errare facit eos, & fornicati sunt a Deo suo.* Ubi posterius hemistichium generale quidem est, quo ratio redditur prioris: prius autem ad certam quandam divinationis superstitiosæ & idololatricæ speciem determinatur & restringitur.

Ad §. XVIII. pag. 107.

(12) Βελομαντεία, *vaticinatio per sagittas*] Vocatur קלקול בחצים *magia sagittarum*, seu *divinatio per sagittas*, quam scita dissertatione, *de magia sagittarum ad Ezech. XXI, 16.* Vitembergæ A. 1675. expedivit IOH. CLODIUS. Nos observamus, 1) illam ab HIERONYMO & THEOPHYLACTO, ab HUG. GROTIO & Auctore nostro, aliisque passim, cum ῥαβδομαντεία perperam confundi, & pro eadem haberi, quæ tamen & ex nomine, & ex procedendi modo, diversa agnoscitur: 2) non uno omnibus modo describi. Alii volunt, Augures aciem ferri sagittæ adeo acuisse & expolivisse, ut in splendenti cuspide, velut in crystallo vel ungue, futura cognoscerent. Sic paria fere fecerit cum κατοπτρομαντεία, notione verbi קלקל, quod *acuere* vel *polire aciem* significare creditur. Ita R. DAV. KIMCHI & ABARBENEL *in Comment. ad cit. loc. Ezech.* Alii vim verbi ex levi & veloci motu explicantes, ita declarant, Nabuchodonosorem dubium, utram urbem, Rabbatham an Hierosolymam prius adoriretur, sagittas aliquot collectas, sive manu in altum jecisse, sive, quod veri magis est simile, arcu in aerem ejaculatum fuisse, earumque casum, dextrorsumne, an sinistrorsum recidissent, observasse, eo quidem consilio, ut forte experiretur, num Hierosolyma, quæ ad dextram sita, an Rabbatha, quæ sinistram tenebat, oppugnanda prius foret. Sic MART. DEL RIO *paulo ante cit. loco*, CORN. A LAPIDE, HECTOR PINTUS *Comm. in Ezech.* & alii: eaque sententia ob *comma sequ. apud Ezech.* vel maxime probabilis videtur, quod in bivio constitutus Rex, augurio ad dextram suadente, Hierosolymæ oppugnationem suscepturus memoratur. Alium denique modum, sed a Textu plane alienum, prodit HIERONYMUS *in h. l. Stabit rex in ipso compito, & ritu gentis suæ oraculum consulet, ut mittat sagittas suas in pharetram, & commisceat eas inscriptas, sive signatas nominibus singulorum, ut videat, cujus sagitta exeat, & quam civitatem debeat oppugnare. Hanc autem Græci βελομαντείαν, seu ῥαβδομαντείαν nominant.* Juxta illum itaque, sagittam cum inscripto Hierosolymæ nomine primum extractam fuisse oportet: quem sequitur FRIEDLIBIUS *Comment. in h. l.* nec multum abludit IUNIUS: 3) In urbe Mecca, a se expugnata Muhammedem reperisse, in domo Cáaba, Abrahami & Ismaelis statuas, *manu sua sagittas, ad sortitionem aptas, tenentes.* Has vero abominatum Muhammedem, statuas illas deleri jussisse, quod pii illi senes sagittarum sortitionem nunquam fuerint sectati: referente ISMAEL. ABU'LFEDA *in vita Muhammedis cap. LI. sub fin.* Ad quem locum observationem IOH. GAGNIERII *in Notis pag.* 108. adscribere liceat integram, quia

quia facit ad institutum. Ita autem habet: „*Erat* „*hoc genus sortilegii illiciti, quod fuse explicat Vir* „*Cl.* POCOCK. *Specim. Hist. Arab. p.* 96. 97. *Inter-* „*dicitur Al-Cor. Sur. V. vers.* 4. Quod vero par- „titionem facitis per sagittas-sortitionis, hoc vo- „bis illicitum est. *Vbi addit* GIELALO'DDINVS: „Erant numero septem, & apud Aedituos Ca'abæ „adservabantur. Notis quibusdam erant insigni- „tæ; & illas vivificabant. Quodsi (per istas no- „tas, seu signa) aliquid faciendum juberent, id „faciebant, si vero id fieri vetarent, ab eo abstine- „bant.„ Hactenus GAGNIER. At LVDOVIC. MARACCIVS *ad cit. loc. Alcorani p.* 194. præter testimonium GIELALO'DDINI, jam allatum observat, sagittas illas pinnis & cuspide caruisse. Sed in re obscura, ista sufficiant.

Ad §. XIX. pag. 107.

(13) *Extis bestiarum rei certitudinem experiri*] Aruspex, ἱεροσκόπος, Θυοσκόπος, Σπλαγχνοσκόπος, est, qui aram, victimas, & exta diligentius inspiciebat, ut futura prædiceret. Hinc & *Extispices* dicti, qui postquam hostia immolata est, & dum adhuc palpitarent exta, observabant, an situ naturali posita, sana, integra & vegeta, vel aucta; an vero tabefacta, morbida, pallida, ulcerosa, languida, livida, quibus dein portendebant. OVIDIVS *Metam. lib. XV. vers.* 136. *Protinus ereptas viventi pectore fibras Inspiciunt, mentesque Deum scrutantur in illis.* Ita SENECA *in Thyeste IV. vers.* 755. *Erepta vivis exta pectoribus tremunt, Spirantque venæ, corque adhuc pavidum salit; At ille fibras tractat, ac fata inspicit, Et adhuc calentes viscerum venas notat.* Maxime observabant, an aut absit aliquid, aut superfit. Quippe infelicissimum erat, si aliqua pars abesset, atque *exta pestifera* dicebantur. *Repente extis* vidimus, ait PLINIVS *lib. XXVIII. cap. II. adimi capita vel corda, aut geminari, victima stante.* Vbi caput v. g. jecinoris, venarum hepatis truncus est, aut portæ ingredientis, aut cavæ prodeuntis. Hinc CICERO *lib. II. de Divinat. cap. XV. Caput jecoris ex omni parte diligentissime considerant: si vero id non est inventum, nihil putant accidere potuisse tristius.* Lætum e contrario habebatur omen, si jecur duplicatum. ut est apud SVETONIVM *in Augusto cap. XCV. num.* 2. *Immolanti omnium victimarum jecinora replicata intrinsecus ab ima fibra paruerunt.* Copiose de his præceperunt STRVVIVS *Antiqu. Rom. cap. VI. p.* 289. STVCKIVS *de Sacrific. p.* 192. BVLENGERVS *de Sortit. cap. VII.* aliique paganarum antiquitatum scrutatores. Singulos autem, universo hoc Capite memoratos divinos, adeo in ancipiti ponit, & dubios reddit BALTH. BEKKER *in der betoverde Werelt, toto libro III*, nihil ut reliquum faciat, quod credas aut affirmes, omnem movens lapidem, ne ex illis, commercium hominibus nequam cum Diabolo intercedere, colligatur.



ANNOTATIONES

AD

LIBRVM V.

DE CONSISTORIIS SEV CONSESSIBVS.

CAPVT I.

DE CVRIIS FORENSIBVS, ET CONSISTORIO ECCLESIASTICO.

Ad §. I. pag. 108. & §§. seqq.

Quædam res Ecclesiasticas, & quædam res Civiles & publicas dirigebant] Duas diversas statuit Auctor Curias apud Hebræos, *Ecclesiasticam* alteram, alteram *Civilem*, & utramque distinguit α) Assessoribus, ut prior e Sacerdotibus, posterior e Senioribus populi, componeretur; β) Causis, quæ in illa religiosæ, in hac civiles, cognitæ fuerint; γ) Effectu, ut excommunicationem illa, pœnasque, quas hodie Canonicas dixeris, hæc corporis, fortunarumque afflictivas, inflixerit; δ) Nominibus, ut prior Synedrium, posterior diceretur Synagoga. Ne vero gratis hæc asseruisse videatur, probare satagit 1) ex *Deuter. XVII*, 8, 9, ubi graviores causæ per provocationem devolvi jubentur ad Sacerdotem & Levitam, tum quoque ad Judicem: & vers. 12. ubi pœna capitis sancitur in illum, qui auctoritatem & sententiam Sacerdotis defugiat in judicio, aut Judicis: manifesta inter judicium Ecclesiasticum & Sæculare seu civile, indicata distinctione: 2) Ex 2 *Chron. XIX*, ubi Josaphat vers. 5. oppidatim curias & tribunalia constituisse, vers. 8. autem Sacerdotes & Levitas judices ordinasse perhibetur, ibi civilia, hic ecclesiastica fora populo præficiens: unde quoque vers. 11. Amarjam Sacerdotem Summum, Præsidem constituit in rebus Ecclesiasticis, Sabadiam autem filium Ismael, Principem in domo Juda, h. e. Directorem curiæ civilis, in cognoscendis causis regis, sive politicis: 3) Ex *Jerem. XXVI*, 8. ubi judicium Ecclesiasticum, nimirum Sacerdotes, Prophetæ & omnis populus, prehendisse memorantur Jeremiam, necique addictum, in vincula conjecisse, vers. 16. autem, principes populi, maxime vers. 24. Ahikam, filius Saphan, Jeremiam absolvisse, e manu turbæ & imminente cæde eruisse traduntur: ubi rursus distincta intelligis judicia, alterum alterius sententiam corrigens & emendans: 4) Ex Nov. Test. ubi Matth. XXI, 23. & XXVI, 3. Ἀρχιερεῖς atque Πρεσβύτεροι τοῦ λαοῦ, tanquam diversi ordinis & consessus viri, mutuo opponuntur. Sic Matth. X, 17. συνέδριον & συναγωγή, tanquam curiæ diversæ, diserte allegantur. Eandem binorum in republica Judaica supremo-

premorum judiciorum distinctionem, in Ecclesiasticum & Civile, vir doctissimus tuetur CONSTANT. L'EMPEREVR *Notis ad* Cod. *Middoth cap. V. Sect. III. p.* 187. & *ad* BERTRAMVM *p.* 389.

Hanc tamen Auctoris sententiam, uterque ejus Commentator, REIZIVS & HOTTINGERVS impugnat, & distinctum hunc negat consessum, rationibus non contemnendis. Nos, ut media incedamus via, & veritati litemus, distincte pronunciamus: *A.*) Dividi quidem Hebræis judicia, in *supremum*, ad quod provocare licebat in causis gravioribus, & *inferiora*, quæ oppidatim constituta, lites leviores dirimebant; de quibus infra disserendi erit locus: duas autem supremas Curias, Ecclesiasticam & Civilem, assessoribus, causis & effectu distinctas, prout Auctor distinguit, Scriptura pariter ac universa Hebræorum antiquitas ignorat. Hinc & nos *B.*) ab Auctore discedimus, *partim* ratione numeri, cum unum saltem fuerit Dicasterium summum, non plura Deut. XVII, 8, 9. inferiora & oppidana quidem plura Deut. XVI, 18 sq. non autem, nisi unum supremum, cujus sententia omnino in causa quacunque erat standum: *partim* ratione subjecti, sive Assessorum. Suprema enim curia ex tribu Levi & ceteris tribubus, sive ex Sacerdotibus, Levitis & Judicibus, h. e. reliquis judicii Assessoribus, componebatur Deut. XVII, 9. & quemadmodum LXX Seniorum Senatus, Mosis tempore Num. XI, 16 sqq. ex omni tribu Israelis colligebatur, ita posthæc pariter tam Sacerdotum ac Levitarum, quam Seniorum æquales in hoc Senatu erant partes: unde quoque in Synedrio, quod Christum propter impactam Templi violationem, & propter hæresin, capitis damnabat, & Pontifices ac Sacerdotes, & Seniores atque capita populi concurrebant, teste historia Evangelica: *partim* ratione objecti sive causarum; quia cum in ecclesiasticis ac religiosis, tum in civilibus quæstionibus, sententia ab uno petebatur Synedrio M. nec immerito. Non enim alias, nisi Divinas & Mosaicas respublica Judaica leges agnoscebat. Si ergo quæstio religionis in controversiam veniret, Synedrium decidebat ex ore Sacerdotum, qui legem custodiebant Malach. II, 8. sin civilis, vel admissum crimen, iterum juxta leges Mosaicas pronunciabatur, quarum interpretatio tam apud Sacerdotes stabat, quam Judices, legis peritos. Vnde quoque Levitæ per universam Judæam habitabant dispersi, ut oppidana judicia, in singulis civitatibus, exactos & bene gnaros haberent legis interpretes: *partim* ratione effectus, cum summus Senatus tam excommunicationem, quam capitis pœnam, vel fustigationem quoque irrogaret, ut Christi & Stephani, nec non Apostolorum exemplo, Actor. IV. & V. liquet. Hinc *C.*) facile diluitur, quod ex citatis dictis, pro sua sententia colligit Auctor. Deut. XVII. enim Sacerdotes, Levitæ & Judex junguntur in uno judicio, nulla vero ratione tanquam distinctorum collegiorum Assessores mutuo opponuntur. 2 Chron. XIX. oppidanæ curiæ Synedrio M. sive curiæ provinciali opponuntur, tanquam distinctæ, causa vero omnis, tam civilis, quam ecclesiastica, ad Synedrium M. deferri jubetur, nec eidem Consistorium Ecclesiasticum ad latus jungitur. Quod vero Amarja rebus sacris, quæ Jehovam concernebant, Sabadia civilibus præsideret, id non duas diversas curias, sed duas saltem classes, duos ordines causarum in eadem curia (*zwey Departements und Expeditiones*, ut hodie loquimur) evincit, ita ut decisivam in ecclesiasticis Pontifex, in civilibus Sabadia ferret sententiam, communicatis tamen consiliis. Quæ cum Jeremia cap. XXVI. acta, non judicialiter, sed per tumultum facta, ad duplicem evincendam curiam, plane nihil conferunt, alias enim totus populus una in Ecclesiastico consessu votum habuisset vers. 8. & in Politico consessu pariter, & Synedrio sacro contradixisset vers. 16. utrobique enim universus populus memoratur. Testimonia demum Novi Fœderis, utrosque, & Sacerdotes, & Seniores populi, in unum potius concilium compingunt, quam ut separent & divellant. Denique Matth. X, 17. aliud est Apostolorum, tanquam reorum, examen atque condemnatio, quæ non in sacris publicis, sed in Syne-

Synedrio peragebatur, aliud ſententiæ executio & pœna, quæ ad proſtituendos Apoſtolos, & avertendum plebis applauſum, in loco publici conventus ſacrorum, in Synagoga, vel juxta eam, infligebatur. *D.*) Alia tamen fuit regiminis Judaici facies poſt Vrbis deſolationem & gentis cladem, ubi negari nequit, controverſias religionis relatas fuiſſe ad בית דין של כוהנים *concilium Sacerdotum*, & Scripturæ interpretum, aut Rabbinorum, quod BARTENORA memorat *in Annot.* ad Miſchn. Tr. יומא *cap. VI.* §. 3. civiles autem בית דין *domum judicii*, vel ישיבה *conſeſſum judicii* diremiſſe, qui ex gravibus & doctis viris omnium tribuum & ordinum conſtituebatur. Multa in hanc rem ſtudioſe congeſſit VITRINGA *Lib. II. de Synag. Vet. cap. IX. pag.* 550 *ſqq.* Quemadmodum hodieque alii ſunt ordinarii Rabbini & legis Interpretes, qui in Sacerdotum velut locum ſucceſſerunt, & in cauſis religionis ſententiam ferunt, alii פרנסין *Gubernatores*, Principes politici, qui lites dirimunt civiles. Vide BVXTORF. *Lex. Targum. h. v. p.* 1822. *E.*) Jure denique HOTTINGERVS *in Not.* inſignem Auctoris ἀβλεψίαν redarguit, qui §. *V.* Synagogam M. cum Synedrio M. temere confundit. Differunt omnino 1) *Aetate:* cum Synedrium a Moſe inſtitutum, ad Chriſti usque tempora, immo ad excidium usque Vrbis & reipublicæ duraverit, Synagoga M. ab Eſdra natales ceperit, & deſierit in Simeone Juſto, qui Alexandro coævus erat: 2) *Officio & functionibus.* Illud cauſas graviores religionis, cauſas belli & pacis, regiminis item publici, & lites, per appellationem huc translatas, tractabat; hæc in religionis puritatem, Codicis Sacri integritatem, & vitæ ſanctimoniam morumque cenſuram incumbebat, tam ſervandam, quam ad poſteros transmittendam: 3) *Numero Aſſeſſorum.* Synedrii Aſſeſſores erant LXX, Synagogæ CXX. Quanquam hos non una, & eodem tempore, ſed ſucceſſive, quoad hic conſeſſus duravit, Senatui huic interfuiſſe, alias fuerit a nobis oſtenſum, ubi ſimul docuimus, fieri omnino potuiſſe, ut multi Aſſeſſorum utrique Collegio navarint operam, ita tamen, ut ipſa Collegia diſtincta eſſent, diverſaque utriusque munia. Vide *Criticam* noſtram *Sacr. P. I. cap. V.* §. *IX.* ἐκθ. 3. *pag.* 213. Denique *F.*) adhuc addere juvat, Judæos quoque בית דין של שלשה יושב על הכסא ודנין את העולם כפי הראוי *Synedrium* cæleſte ſtatuere *e tribus conſtans, ſedens ſuper throno, atque judicans mundum, prout quilibet meretur*, apud R. IOSEPHVM BEN GEKATILIA *in Schaare Orah fol.* 34. *b. fin.* quando nimirum tria illa nomina El, Elohim, & Jehova in Scriptura junguntur, quo ipſo Sacroſanctam Trinitatem ipſos luculenter fateri aſſerit, ipſorumque ſuffragiis demonſtrat GEORG. ELIEZ. EDZARDVS *in Berachoth cap. I. num.* 39. *p.* 200 *ſqq.*

Ad §. VI. pag. 109.

(2) *Vocabant* נשיא, *Principem, ſeu Judicem ſupremum*] נשיא ante deſolationem Vrbis, & ſtante adhuc republica Judaica, Synedrii M. Præſes ac ſupremus Director, poſt gentis autem cladem, ſupremus ſcholarum Judaicarum Rector, dicebatur. Cum enim Curiæ Juridicæ, poſt reipublicæ deſtructionem mutarentur in Academias, & Synedria poſt everſionem Hieroſolymæ ſarta manſerint tecta in Palæſtina, jurisdictione tamen iis ademta, hinc, cum Judicibus jus amplius dicere denegatum eſſet, id inceperunt docere, unde, qui ante judicii ſive dicaſterii ſummus erat moderator, נשיא idem poſthæc pro ſummo ſcholarum Judaicarum Rectore habitus fuit, poſtquam Curiæ formam acquiſiverunt Academiarum: ut laudatus VITRINGA docet *Lib. I. P. I. cap. VII. p.* 162 *ſq.* & SELDENI ſuffragio firmat. In Babylonia autem נשיא & ראש הגולה *Caput exilii* æquipollebant, quia ibi in exilio agebat Schola ſive ישיבה. Sæpiſſime hic honoris titulus cum nomine proprio concrevit, velut v. g. Hillel Hannaſi paſſim dicebatur. Hic ergo ſupremum in conſeſſu Patrum locum tenebat. Confer denuo VITRINGAM *lib. II. cap. V. p.* 522.

Ad

Ad §. VI. pag. 109.

(3) אב בית דין *Patrem Dicasterii*] *Pater Curiæ* vel *Senatus* est, qui dextrum Præsidis latus claudebat, & in caussis judicialibus primus sententiam dicebat. Principe ergo inferior erat, attamen ita ut summa ejus esset auctoritas in controversiis decidendis, cum חכמים seu ceteri Assessores in ejus sententiam fere omnes pedibus irent. Vide SELDEN. *Lib. II. de Syncdriis Hebr. cap. VI.* §. 1. Hodie vero, ubi eadem apud Judæos obtinet dignitas, haud eodem ubivis modo administratur. Francofurti ad Mœnum אב ב״ד litigantibus jus non dicit, sed tantum de licito & illicito, de immunditie, & similibus casibus conscientiæ, pronunciat: sunt quippe ibi alii, juri dicundo præfecti, דיינים *Judices* dicti, qui sex numero, neque tamen omnes simul, sed per vices bini vel terni, hoc munere funguntur. Alibi vero אב ב״ד etiam jurisdictionem exercet, teste BVXTORFIO & LEONE MVTINENSI. Et hujus generis sunt omnes illi, qui Principum quorundam indultu in Germania, ubi Judæis in caussis plerisque, tam religionis, quam civilibus, suo jure vivere datur, per integras regiones caussas cognoscunt, & quasi Prætores Provinciales jurisdictionem habent. Ita R. MEYER *Francfurter*, RHENFERDIO *Dissertat. pag.* 504. memoratur, ante hos triginta circiter annos in Clivis Abh Beth Din fuisse, inde Confluentes fuisse evocatum, ubi Judæis, per universum Archi-Episcopatum Trevirensem dispersis, jus dixerit. Quæ autem controversiæ circa hunc titulum inter viros doctos IACOB. RHENFERDIVM & CAMPEGIVM VITRINGAM intercesserit, in scriptis ipsorum ἀμοιβαίοις lege: apud priorem *de decem otiosis Synagogæ cap. III.* §. 24. *pag.* 201: apud posteriorem *de Decemviris otiosis p.* 281 *sq.* quibuscum confer quæ Idem *de Synag. Vet. Lib. II. cap. X. p.* 576 *sq.* monet.

Ibidem.

(4) סגן *Vicarius seu Pontifex secundus*] De eo sufficiant, quæ supra annotavimus *ad Lib. I. Cap. V.* §. *XVII. Annotat.* 26. Bene quoque habent, quæ huic loco adspersit IOH. HENR. REIZIVS *in Not.*

Ad §. eund. pag. ead.

(5) *Falsum est*] Contrarium adeo tuetur IOH. GERH. MEVSCHENIVS, ut peculiari potius diatriba, Pontificem Max. נשיא *Directorem* Synedrii Magni fuisse, contra Virum illustrem, SCHWARZKOPFIVM Cancellarium, evincere annisus sit, subjuncta ejus *Nov. Test. ex Talmude illustrato p.* 1184 *sqq.* Dudum autem scitum hoc profligavit SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap. XV.* §. 14. & omnino vereor, ut calculum mereatur Hebræorum, qui Principem semper ex familia Davidis oriundum fuisse, contendunt. Sic R. DAVID GANZ *in Tzemach David ad A. O.* 3725. ubi de Hillelis magni præsidio egit, diserte pronunciat: *Moris enim erat Hierosolymis, ut, licet regnum penes familiam Assamonæorum, & mox Herodis, esset,* הנה תמיד היה נשיא מבית דויד *semper tamen Princeps esset ex familia Davidis. Rex enim belli dux erat, ceteraque regni negotia administrabat; quæ vero ad legem, cerimonias, atque judicia attinebat* על פי הכוהן הגדול והנשיא מבית דויד היו נעשים *ex Summi Sacerdotis, & Principis ex familia Davidis, sententia gerebantur.* Si ex familia Davidis, quomodo Sacerdos M. quem ex prosapia Aaronis ortum trahere oportebat? & quomodo Sacerdos M. & Princeps mutuo distinguuntur, utraque dignitas si penes eundem esset? Affinis huic, licet non idem cum illo, error est Cardin. BARONII, qui *Annal. ad A. C. XXXI.* הנשיא *Principem* etiam Ἀρχιερέα, *Pontificem Max.* dictum contendit, atque hoc commento Luc. III, 2. ubi conjunguntur Pontifices simul bini, Annas & Caiphas, quorum posterior eo tempore sedem solus tenuit, componere & expedire nititur, cum prior Ἀρχιερεὺς appelletur a Luca, quod Synedrii M. Princeps esset. Istud quidem effatum CASAVBONVS *Exercit. XIII. c.* BARON. *Tom. V.* & MONTACVTIVS *Analect. Exerc. VI. Sect. V.*

cum sibilo exploserunt, cujus tamen sententiam, licet paulo emendatam & correctam, adoptavit, & rationibus nonnullis munire aggressus est doctissimus SELDENUS *lib. I. de success. in Pontif. Hebr. cap. XII. p.* 371. Nullo enim idoneo scriptorum vetustiorum testimonio comprobatum unquam est; Synedrii Principem salutatum fuisse Ἀρχιερέα: universa autem, quam SELDENUS tam operose iniit, probandi ratio, possibilitatem solum suadet, Principes autem Synedrii reapse Ἀρχιερέων nomine appellatos unquam fuisse, nullo documento evincit. Ea tamen propter negandum non est, Summum Sacerdotem ad Synedrium M. utplurimum pertinuisse. Sane apud Mosen Sacerdotes liquido ad illud referebantur Deut. XVII, 9. quidni Pontifex Supremus? & historia Evangelica, maxime passionis, in Senatu Summo toties eorum mentionem injicit. Auctor vero noster haud dubie nititur auctoritate MAIMONIDIS, qui in Hile. סנהדרין *cap. II. §. 4. & 5.* ita definit: *Non adsciscitur Rex Israelis in Synedrium, quoniam non permittitur* (cuiquam) *ab eo* (Rege) *dissentire aut contradicere verbo ejus* אבל מושיבין כהן גדול אםם היה ראוי בחכמה *attamen adsciscunt Pontificem Max. si modo sapientia ejus dignitati respondeat.* Eo itaque res omnis redit, conjunctam non semper fuisse cum Pontificatu supremo Assessuram in Synedrio, quanquam ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ Pontifex Concilio magno adscriberetur, nisi insigni laboraret in lege & literis ruditate, quales sacris præfuisse nonnullos inficiari non audent Judæi. Regem autem a Synedrio exclusum fuisse, copiose docet SELDEN. *lib. II. de Synedr. cap. IX. §. 7.*

AD

LIB. V. CAPUT II.

DE EXCOMMUNICATIONE.

Ad §. I. pag. 110.

Tres erant excommunicationis gradus] Tresne, an bini solum sint excommunicationis apud Judæos gradus, ambigue disceptatur inter Antiquitatum peritos. Auctor noster tres statuit, ut Judæi & Christiani passim: at vero COCCEIUS *in Excerpt. Gem. Sanhedr. cap. I. §. 9. not. 5.* SELDENUS *de Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. cap. 8. p. 533 sq.* rursusque *lib. I. de Synedriis cap. VII. p. 56.* & HOTTINGERUS *Not. ad Auctor.* duo tantum genera agnoscunt, 1) quia שמתא fere æquipollet τῷ נדוי eademque in utrumque segregatum formula pronunciata in Talmude & apud Rabbinos legitur: 2) quia solennitas & ritus utriusque prioris excommunicationis, in Talmude & apud Magistros traditur, de tertii autem gradus ritu, vel formula, vel exercitio, altum ubique est silentium. Censet autem SELDENUS, quia aliqua horum vocabulorum differentia in votis, rebusque aliis intercessit, inde factum, ut imperiti solennem excommunicationis gradum, a prioribus distinctum, ex שמתא exsculpserint. Denique διχοτομίαν, sed ὡς ἐν παρόδῳ, SELDENUM secutus, tuetur etiam CAMP. VITRINGA *lib. III. de Synag. Vet. P. I. cap. IX. p. 739.* Etsi vero, tantis derogare aut contra dicere nominibus, nos non audemus, tritam tamen τριχοτομίαν eo usque amplectimur, donec certis rerum argumentis de superiore sententia convincamur. Quod autem nulla apud Judæos formulæ vel ritus tertii generis delineatio reperitur, forte inde est, quod infrequens admodum שמתא esset inter Judæos, & vix usurparetur, quod BONAV. CORN. BERTRAM. *cap. VII. p. 84.* testatur: *hujus anathematis non ita*

ſemper nota eſt nobis ratio, uſus eſt etiam rariſſimus; cujus rei rationem infra ſuo loco reddemus: vel etiam, quod a formula τῷ חרם non, niſi paucis forte mutatis vel interjectis, abiret. Tres autem hos gradus obtinuiſſe, teſtis eſt ELIAS LEVITA *in Tisbi voc.* שמתא, ubi diſerte definit: *Tres ſunt ſpecies excommunicationis, Niddui, Chæræm, & Schammatha. Niddui conſiſtebat in ſegregatione; quodſi ita non reſipiſceret, devovebant eum per Chæræm. Quodſi autem nec tum reſipiſceret, devoverunt eum per Schammatha. Schammatha autem idem denotat, ac ſi dicatur* שם מיתה *ibi mors, quæ longe a nobis abſit.* Idem affirmat DAVID DE POMIS, cujus tamen longe inferior eſt auctoritas, *in Lexico h. v.* & celebris ille R. GERSON, cujus infra §. *IX.* fit mentio. Ex noſtris adſtipulatur, fide MAIMONIDAE, THEODOR. DASSOVIVS *Antiquitatum Hebr.* Hafniæ A. 1742. in 8. edit. *cap. XXI.* §. *XI. p.* 174.

Ad §. II. pag. 110.

(2) *A Judæis dicitur Niddui*] Prima hæc & leviſſima eſt excommunicationis ſpecies, נדוי *ſeparatio a cœtu Eccleſiæ:* a Rad. נדה in Pihel, *procul removere, expellere, ſegregare:* hinc *Menaddeh* excommunicans, *Menuddeh* excommunicatus, *Hithnaddah*, vel *Nithnaddah* excommunicari; eſtque certis legibus reſtricta transgreſſoris, a converſatione hominum, ad certum tempus, ſeparatio. Vide BVXTORF. *Lex. Targum. h. v. p.* 1303. Infligebatur autem illa ob XXIV. cauſas, quas ſparſim ex Talmude congeſtas, ita recenſet MAIMONID. Hilc. *Talmud Thora cap. VI. p.* 22. nimirum 1) ſi quis contemnit Rabbinum vel Sapientem, etiam poſt mortem ejus: 2) ſpernens שליח בית דין *nuncium judicii:* 3) qui conviciatur hominem liberum, eumque עבד *ſervum* per contumeliam appellat: 4) qui ad tempus condictum non comparuit coram judice: 5) qui ſpernit præceptum unicum Scribarum, ne dicam Legis divinæ: 6) qui latæ adverſus ſe ſententiæ immorigerum ſe præbet: 7) qui non abolet de bonis ſuis, quod alteri noxam inferre poterat, v. g. canem mordacem, ſcalam fragilem: 8) qui fundum ſuum vendiderat Gentili, nec reſarciret damnum quodcunque, inde redundans in proximum ſuum Iſraelitam: 9) qui teſtimonium dicit in tribunalibus Gentilium: 10) Sacerdos mactans, qui non depoſuerat donanda Sacerdotibus ceteris: 11) qui profanat diem feriatum ſecundum in captivitate, tametſi id eſſet ex conſuetudine: 12) qui opus aliquod facit pridie Paſchatis, poſt meridiem: 13) commemorans nomen Dei fruſtra, aut per juramentum vanum: 14) adducens alios ad profanationem nominis divini: 15) adducens alios ad eſum rerum ſacrarum extra locum ſacrum: 16) qui annos ſupputaret, & menſes præfigeret, extra terram ſanctam: 17) labi faciens cœcum: 18) retardans alios a faciendo Legis opere: 19) mactans, qui permiſerat pecudem laceratam exhiberi: 20) mactator, qui non oſtendit coram Sapiente cultrum ſuum: 21) difficilem ſe præbens ad diſcendum: 22) qui repudiavit uxorem, eamque vel denuo aſſumſit, vel converſationem cum ea coluit: 23) Sapiens malæ famæ & exiſtimationis: 24) excommunicans eum, qui tale quid non meruerat.

Formulam, qua uſi ſunt in hac excommunicatione, talem memorat MAIMONID. *citat. loc. cap. VII. p.* 23. *col. a.* פלוני יהיה בשמתא *N. N. ſit in excommunicatione.* Si autem excommunicatio fieret בפניו המנודה *coram excommunicato*, formula hæc erat: פלוני זה בשמתא *præſens N. ſit in excommunicatione.* Cum nomen excommunicandi non conſtaret, dicebant: ההוא גברא בשמתא *homo ille ſit in excommunicatione.* Quando autem excommunicatio peragebatur לא בפניו *non coram*, ſed denunciabatur abſenti, tunc hoc fiebat vel verbis, per alium quempiam, vel publicabatur ſcripto per Scribam publicum, idque ſcriptum dicebatur כתב של נדוי vel פתחא של נדוי. Fiebat autem hæc excommunicatio non ſolum auctoritate publica, ſed etiam, pro ratione cauſæ, privatim a privato. Sic ſi quis nomen Dei in vanum aſſumſiſſet, is, qui audierat, obligabatur ad eum excommuni-

 candum,

candum, quod si non fecerit, ipse reus erat excommunicationis.

Ad §. II. pag. 110.

(3) *Ea separatio triginta dierum erat*] Durabat hæc excommunicatio spacio mensis, sive XXX dierum, si resipiscat: sin minus, duplicabatur ad sexaginta, aut triplicabatur ad XC dies. Si nec tum resipuerit, secunda specie puniebatur, quæ est חרם. Vbi tamen bene distinguendum est inter נדוי & inter נזיפה seu *objurgationem*, aut præcedaneam admonitionem, quæ erat saltem septem dierum, & præcedebat excommunicationem, fiebatque, quando quis in dignitate constitutus delinquentem increpabat: etsi Epicureismum statim absque præmonitione excommunicarent, affirmante R. ASCHER *Comment. in* מועד קטון *fol.* 36. *col.* 2. Si quis autem intra dictum septiduum supplex non fiebat, sed pertinax in malitia sua persistebat, tunc condemnabatur ad Niddui, atque XXX dies ad conversionem concedebantur, & licet intra hoc spacium ad bonam mentem rediret, non tamen statim absolvebatur, sed quandoque pecuniæ quandam summam pendere tenebatur, inprimis si læserat Sapientem, teste MAIMONIDE in Hilc. *Talmud Thora cap. VI. §. 6.* Si supplex המנודה ad preces confugeret, tum intra hoc tempus fuit solutus, privatim quidem, si excommunicatio privatim esset facta; publice, si publica fuerat excommunicatio. Solvebatur autem vel præsens, cui dicebant: שרוי לך ומחול לך *absolutus es, & delictum tibi est remissum*: vel absens, per nuncium aut schedulam, docente rursus MAIMONIDE *d. l.*

Ad §. III. pag. 110.

(4) *Sub istius tamen separationis conditione*] Pergit Auctor ad effectum hujus excommunicationis, ut a commercio & consuetudine hominum transgressor excluderetur, donec ad bonam mentem rediret. Huc spectant, quæ Gemara *in Moed Katon fol.* 15. *col.* 1. & ex illa MAIMONID. *cit. loc. cap. VII.* §. 1 *sqq.* tradit, ut intra hoc tempus excommunicatus tondere ac lavare se, instar lugentis prohiberetur; non admittebatur in consessum ordinarium Decemvirorum, qui ad circumcisionem peragendam, connubia stabilienda, libellum repudii dandum, solenniores preces ad Deum fundendas, & alia solennia requirebatur; non assidebant ei, nisi intra quatuor cubitorum spacium, exceptis tamen ejus domesticis, uxore & liberis, שמותרין עמו *quibus permissum fuit, eum accedere*: quin &, si ita visum esset Senatui, interdici ipsi poterat, ne convivio trium interesset, nec si mortuum haberet, eum quis sepeliret, nec si filius ei pareretur, eum quis circumcideret. Attamen docere alios, & doceri poterat, verum separatim, in loco, ubi docere alias non consueverunt; in Templum quoque ingredi ei licebat, at certo ritu, ut cognosceretur excommunicatus esse. Ceteri, qui ingredientem ita notatum viderent, dicebant ei: השוכן בבית הזה יתן בלבבך ותשמע לדברי חבריך ויקרבוך *qui inhabitat hanc domum, indat animo tuo, ut obtemperes verbis sociorum tuorum, & restituant te.* Si quis moriatur in excommunicatione ista, non lugent propter eum, neque funus deducunt, verum בית דין סוקלין את ארונו *domus judicii lapidat loculum ejus*, ut est in Gem. *Moed Katon cap. III. fol.* 15. *col.* 1. quod tamen ibidem statim explicat R. IEHVDA: non ac si saxorum cumulum super eum congererent, instar tumuli Achan, sed judices mittunt, & ponunt saxum aliquod super loculum ejus, ut doceant, cujuslibet excommunicati, qui in sua excommunicatione moritur, tumulum esse lapidandum.

Ad §. IV. pag. cit.

(5) *Qui vocatur Judæis* חרם] Voc. חרם & verbum החרים *devovit, consecravit*, notat in genere separationem, vel remotionem, æque ut verb. קדש in Pih. *consecravit Domino*, quia omnis consecratio in remotione ab usu communi & pro-

profano, & destinatione ad usus sacros, consistit. Vnde Arabibus *charamá* est *prohibuit, & charamon* notat *sacrum, quod non est promiscui usus.* Ita חרם *res Deo devota,* sive *consecrata,* & ab usu communi & profano segregata est, atque pro diversitate rei & devotionis factæ, vel in bonam partem, vel in malam sumitur. In bonam, pro re Deo dicata & consecrata, Lev. XXVII, 28 sq. Num. XVIII, 14. in malam, pro re, quæ detestanda, execranda, excindenda, adeoque, e medio tollenda est Deut. VII, 26. Quædam enim Deo consecrabantur, ut ex oculis hominum removerentur, adeoque occidebantur; quædam vero ad usus sacros destinabantur, vel in rei gestæ memoriam in Templis asservabantur; de utrisque autem vox hæc in Scriptura usurpatur. Vernacula nostra distinguit, ut alia notio sit verbi *verbannen*, alia verbi *heiligen*. Quando autem excommunicationem vox חרם notat, indefinite nonnunquam & generaliter pro qualibet sumitur excommunicatione, quo sensu ELIAS LEVITA *in Tisbi* pronunciat, tres esse species חרמות *anathematum:* pressius autem & curatius accipitur, pro altero anathematis gradu, qui τῷ Niddui opponitur, & graviorem execrationem involvebat, in quam incidebat, qui in Niddui pœnitentiam agere recusabat, & multis cum diris ac execrationibus, ex Deut. XXVIII. & aliunde excerptis, peragebatur.

Ad §. VI. pag. 110.

(6) *Ἀναθέματα & ἀναθήματα, donaria Diis consecrata*] SVIDAS quidem utramque notionem unicuique harum vocum assignat, καὶ τὸ ἀνατιθέμενον τῷ θεῷ, καὶ τὸ εἰς ἀφανισμὸν ἐσόμενον, *& illud donum, quod Deo dicatur, & id, quod de medio tollendum est:* utrumque enim, utroque vocabulo dici, addit. Curatius autem distinguit SALMASIVS *Exercit. Plinian. p. 767. a.* diserte pronuncians: *Nusquam ἀνάθημα apud Græcos in malam partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθεμα dixere pro ἀνάθημα. Vt hinc liqueat, aliud esse ἀνάθεμα, aliud ἀνάθημα, licet contra sentiant Viri in his literis doctissimi.* Ἀνάθεμα enim proprie separatum ac semotum designare, auctoritate Apostoli probat, qui Rom. IX. ait: ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, *i. e. separatus & alienatus a Christo.* Contra vero ἀνάθημα pro donario, ac re templo dicata, sumi. Nec de omni re, quæ Diis consecrabatur, Græcis usurpari observat, sed de illo tantum genere donorum, quæ suspendi poterant, aut in excelso & conspicuo statui, ut essent templis ornamento, ut phialæ aureæ & argenteæ, tripodes, acerræ, corollæ & similia: quod ex Luc. XXI, 5. probat. Eaque uberius exequitur, ita tamen, ut ἀνάθεμα non execrationem, sed solum separationem & segregationem ab aliquo corpore & societate notare, idemque esse τὸ ἀναθεματίζειν, & τὸ ἀφορίζειν, evincat. Quicquid autem sit ejus rei apud scriptores profanos, apud Ecclesiasticos tamen has voces partim confundi, partim satis accurate distingui, idoneis docuit testimoniis IOH. CASP. SVICERVS *Thes. Eccles. h. v. T. I. f. 268 sqq.* THEODORETVS enim *in Jes. XIII. T. II. pag. 59.* rursusque *in Sophon. I, 7. p. 865. & in Rom. IX, 3. p. 73.* τὸ ἀνάθημα æque ac ἀνάθεμα duplicem sustinere affirmat significationem, ac partim quod Deo dicatum, partim quod ab eo alienum est, notare. Contra vero HESYCHIO ἀνάθεμα est ἐπάρατος, ἀκοινώνητος, *maledictus, excommunicatus,* ἀνάθημα autem, κόσμημα, *donarium, ornamentum.* CHRYSOSTOMO quoque *Hom. XVI. in Epist. ad Rom.* ἀνάθημα id est, quod Deo consecretur, & a quo quis propter reverentiam abstinet: ἀνάθεμα vero, quod a Deo & ab Ecclesia alienatur, & a quo quis propter communionis periculum recedit. ZONARAS & ex eo BALSAMON, *ad Can. III. Concilii in Templo Sophiæ p. 263.* utramque significationem ita componit: *Quemadmodum donaria, Deo oblata, separantur a communibus & humanis rebus: ita etiam ἀνάθεμα factus, excinditur & segregatur a cœtu fidelium, consecratorum & dicatorum Deo, & ab ipso Deo, atque destinatur Diabolo, seque*

 ipsum

ipsum ei consecrat. Vtramque vocem uberius copiose persequitur SVICERVS, qui videatur. Est autem ἀνάθεμα ab ἀναθέσθαι, *removere, separare*, ἀνάθημα vero ab ἀναθεῖναι, *dedicare, consecrare.*

Ad §. VI. pag. 110.

(7) *Gradum, distinctum a primo*] Haud uno nomine חרם a נדוי distinguitur. 1) Formula: Chæræm enim conceptis & expressis fiebat maledictis ac execrationibus, quarum nulla prorsus in Niddui mentio fiebat. 2) Effectu: qui τῷ Chæræm notatus, nec docebat alios, nec doceri poterat, sed solus tantum, ne doctrinæ suæ oblivisceretur, literis operam navabat; verum המנודה & docere alios, & cum aliis simul operam dare studiis quivit, modo quatuor cubitorum spacio invicem distarent. 3) τῷ חרם constrictus, non conducebat, nec conducebatur, quod utrumque integrum erat excommunicato per נדוי. 4) Cum τῷ מוחרם nullum commercium, nulla consuetudo erat habenda, at vero cum המנודה conversatio non, nisi certis legibus fuit prohibita. 5) חרם fieri non poterat, nisi a pluribus, & ad minimum a X virorum cœtu, נדוי vero ab uno solum privatim fieri, immo aliquis seipsum per נדוי obligare ac solvere poterat.

Ibidem.

(8) *Quando ea denuntiabatur*] Solennia hujus excommunicationis ita habebant: 1) Proclamabatur coram tota Synagoga, congregatis omnibus Ecclesiæ capitibus & Senioribus, aut ad minimum X viris. 2) Incendebantur candelæ, ac maledictionis formula finita, repente extinguebantur, in signum, quod excommunicatus luce cælesti sit indignus. 3) Inflabant cornua, sive buccinas, ad majorem tum reo, tum cœtui ecclesiastico incutiendum terrorem; quanquam id nonnunquam, etiam in denunciando Niddui, fieri moris esset. 4) Pronunciabatur in illum hæc solennis formula, quam exhibet MAIMONID. in Hilc. *Talmud Thora cap. VII.* פלוני מוחרם וארור בו אלא בו שבועה בו נדוי *N. N. devotus atque maledictus habeatur. In illo sit execratio, in illo sit juramentum, in illo sit anathema.* Quibus verbis, quicquid horrendi, sive Dei vindictam, sive hominum odium, aversationem, detestationem, immo omnia, quæ esse possunt adversa, tali homini devoto imprecabantur. Quin & nonnunquam multo longiori, & maledictionum ac execrationum myriadibus referta utebantur formula, qualem ex antiquo Codice MSC. excerptam, exhibet BVXTORF. *in Lex. Targum. p.* 828. cui addere solent capitis XXIX. Devter. comm. 18, 19, 20. Quin & superiori adhuc ampliorem anathematis formulam proponit SELDENVS *lib. IV. de Jure Natur. & Gent. juxta discipl. Hebr. cap. VII. p.* 524 *sqq.* ex libro כל בו in qua plurima leges Angelorum nomina, & Astrologica, aliaque superstitiosa.

Ejusmodi מוחרם seu per Chæræm excommunicatus, & tot onustus diris ac execrationibus, ab omnimoda fere consuetudine fuit exclusus, adeo ut illi quoque, qui familiariter cum illo conversarentur, aut cibum potumque cum eo caperent, licet ultra quatuor cubitos essent remoti, aut ullam ejus curam agerent, labem ab ipso traherent, & gravissime mulctarentur.

Denique terminus hujus anathematis non erat fixus & definitus, ut in Niddui, sed si spes pœnitentiæ superesset, המוחרם hoc anathemate tamdiu continebatur, donec conversus se solvi petiisset. Hoc nisi fiebat, lata judicis sententia excommunicatus manebat, & vel per aliquot annos ita constrictus perseverabat. Solutio denique hujus anathematis iisdem verbis & ritibus fiebat, ut in Niddui; hoc saltem observato discrimine, quod Niddui ab unoquoque, sive privatim, sive publice excommunicationem peregisset, solvi potuerit: חרם autem a tribus vulgaribus viris tantum solvi poterat, sin autem vir gravis & sapiens esset, is unus, aut cum socio, solvere poterat.

Ad

Ad §. VI. pag. 111.

(9) 1 *Cor. V*, 5. & 1 *Tim. I*, 20.] Vix persuaderi nobis patimur, fuisse secundum hanc anathematis Judaici speciem, Paulinam illam excommunicationem, cit. loc. adhibitam, sed quemadmodum disciplina Ecclesiæ Novi Test. a disciplina vetere actu differt, multa tamen ex illa mutuo petit & imitatur, sic excommunicationes Paulinæ ad imitationem potius anathematis Judaici institutæ sunt, quam ut paria omnino facerent cum illis. Non me fugit, VITRINGAM *supra cit. cap. X.* totum in eo esse, ut excommunicationem in Ecclesia Christiana Apostolica, ad exemplum Synagogæ fuisse receptam evincat, eoque fine post Matth. XVIII, 15. 2 Thess. III, 14. Rom. XVI, 17. etiam ad 1 Cor. V. provocare *pag.* 757. cui 2 Joh. vers. 10. & 3 Joh. vers. 10. jungit. Velut autem ultro largior, Apostolicam Ecclesiam præeuntem habuisse Judaicam, quod unum urget VITRINGA, ita utramque excommunicationem eandem fuisse, quod Auctor contendit, nego. Quæ doctissimus WOLFIVS *in Curis ad* 1 *Cor. V*, 5. suffragia summorum virorum pro excommunicatione Paulina allegat, bene habent, sed excommunicationem non Judaicam, verum Christianam defendunt. Huc demum faciunt, quæ Vener. PFAFFIVS *de Origin. Juris Eccles. p.* 71 *sqq.* contra SELDENVM, & ante ipsum SALDENVS *Otior. Theolog. lib. III. Exerc. II. p.* 456 *&* 464. de traditione in potestatem Satanæ disputat: quibuscum confer, quæ pro asserenda excommunicationis Christianæ origine Divina, accuratissimus FECHTIVS in aciem produxit argumenta, libri *de Excommunicat. Ecclesiast.* §. *IV. p.* 5 *sqq.* rursusque, quæ de traditione in potestatem Satanæ monuit §. *XXXVII. pag.* 97 *sqq.*

Ad §. VII. pag. cit.

(10) *Tertius excommunicationis gradus*] Ad tertium excommunicationis Judaicæ gradum, שמתא dictum, Auctor pergit, ejusque tradit 1) Etymologiam geminam, cum *alii* vocem compositam censeant ex השם / quod apud Rabbinos nomen Dei tetragrammaton designat, & אתה *venit*, ut hoc sibi velit: Dominus certissime veniet & ulciscetur. Id Syriace a Paulo expressum legi 1 Corinth. XVI, 22. ܡܪܢ ܐܬܐ *Moran Etho*, *μαρὰν ἀθά*. Verum, licet Apostolus ad anathema quoddam Judaicum digitum intendat, Schammatha tamen Paulino vocabulo reddi vix dicerem, cum commodior suppetat originatio, neque vocabulum שם / in compositione, nominis Divini notionem habeat, velut simpliciter positum apud Rabbinos. *Alii* cum ELIA Germano *cit. Annot.* 1. ex שם *ibi*, & מיתה *mors* componunt, ut innuat, hujus excommunicationis reum morte dignum esse, & morti tradi. *Alii* idem esse volunt, ac שממה יהיה *desolatio erit*, quæ allusio potius, quam vera vocis originatio est. Optime derivatur a Rad. שמת, quæ licet in Scriptura non legatur, in Targumim tamen, in Talmude & apud Rabbinos occurrit, notione *exclusionis*, *separationis*, & *segregationis*. Apud Arabes superest verbum *Schamta*, quod in secunda conjugatione anathematizandi notionem habet, in qua origine VAL. SCHINDLERVS, CONSTANT. L'EMPEREVR, GOLIVS, aliique viri docti conspirant. 2) Discrimen hujus a præcedentibus gradibus excommunicationis collocatur in eo, quod hæc sit extrema, eaque gravissima species anathematis, qua homo post omnia, incassum tamen, adhibita media, humanæ societatis juribus, legibus, officiis, commerciis exclusus, judicio divino tantum relinquebatur ac destinabatur. Huc exactissimi judicii Theologus, IOH. FECHTIVS respicit, quando *loco citato* §. 3. nullus dubitat, quo minus majoris excommunicationis, ut apud Judæos, ita quoque apud Christianos, fuerint gradus, unus severior altero, qui tamen non tam differrent quoad vim & vinculum anathematismi, quam quoad solennitatem & terrorem, eo quod unus, quam alter, plures minoresve adjunctas haberet imprecationes & execrationes publicas. Nulli ergo, nisi qui graviter peccasset, & contumaciter, spretis omnibus adhortationibus, & reliquis castiga-

castigationibus, quin & insuper habitis prioribus gradibus excommunicationis, in peccato suo persisteret, fuit hæc pœna inflicta. Immo, juxta tritum apud Hebræos proverbium, homo talis fuit, tanquam pinguedo illita candenti fornaci, quæ statim in fumos abit, nec unquam recolligitur; sic talis excommunicatus in Ecclesiæ cœtum nunquam se iterum recipit, verum pertinax in sua malitia & impœnitentia persistit, adeoque spes omnis conversionis decollavit. Eaque causa est, propter quam supra *Annot.* 1. dixi, infrequentem admodum שמתה fuisse inter Judæos, & vix usurpatam. Non enim temere, aut statim, Antistites Ecclesiæ hanc homini peccatori denunciare solebant pœnam, sed præmissa & spreta נזיפה seu admonitione, hinc inflicto Niddui, & τῷ Chæræm anathemate, & tentatis prius omnibus, quibus ad frugem revocari posset peccator. Quæ si frustra essent omnia, hoc demum excludebatur maledicto, & justissimo Dei judicio relinquebatur. Refert huc BONAV. CORN. BERTRAM *de Rep. Hebr. cap. I. p.* 21. Chanochi, septimi ab Adamo, cum Caini posteros in pejus ruere, & Dei filios seu populum Dei in dies magis magisque ab antiqua puritate desciscere vidisset, anathema illud solenne, Apostolo Judæ Epist. comm. 15. memoratum. De quo tamen eo magis dubito, quo clarius Apostolus verba ista inter vaticinia, nequaquam inter execrationes, refert: προεφήτευσε δὲ καὶ τούτοις inquiens. Propius ad verum accedere videntur, qui horrendam, a BVXTORFIO *supra cit.* in medium prolatam, formulam ad Schammatha referunt, qua vix asperior concipi posse videtur, cum omnem pœnitentiæ ac veniæ locum excommunicato intercludat, quando inter alia habet: ולא יהיה תקומה למפלתו *neque ulla sit resurrectio ruinæ ejus:* quod profecto & voluntati Divinæ, & voto Ecclesiæ, directe adversatur. Omne enim anathema ad peccatoris tendit conversionem juvandam, Paulo teste 1 Cor. V, 5. neque illa penitus, quoad peccator in vivis est, desperanda est apud quenquam, cui vel in confinio mortis indulgeri ea potest a Deo, quod conversus in cruce latro docet. Hinc omnem peccatori reditum ad pœnitentiam, & per illam ad sinum Ecclesiæ, obstruere, ab officio Ecclesiæ est alienum. Sive itaque adhibitum unquam ab Ecclesia hoc anathema fuerit, sive minus, iniquum certe censemus, & charitati adversum. Quod tamen non obstat, quo minus, ceu distinctum a superioribus, excommunicationis genus a Judæis existimetur. In libro *Tanchuma* cit. a BVXTORFIO *Lex. Targum. p.* 2464. trium anathematum diserta fit mentio, quando de anathemate Cuthæorum affirmatur, ומחרימין ומשמתין ומנדין את הכותיים *& anathemate Chæræm, & Schammatha, & Niddui excommunicaverunt Cuthæos.* quo faciunt etiam, quæ sequuntur.

Ad §. IX. pag. 111.

(11) *Sub pœna ternæ illius excommunicationis*] R. GERSOM, natione Gallus, & tantæ inter suos auctoritatis, ut communiter מאור הגולה *lumen captivitatis* diceretur, qui A. C. 1070. diem obiit, excommunicationis pœnam statuit in eos, qui alienas literas resignarent. Egit de illa BVXTORF. *Institut. Epistol. Hebr. cap. VI. §. III. p.* 55 *sqq.* indeque tria excommunicationis Hebraicæ genera demonstrare sategit. Formulas ejus varias attulit, earumque abbreviaturas interpretatus est *pag.* 59. *Resignare* אסור בח״רג מ״ה *nefas est per anathema* R. GERSOM, *luminis captivitatis:* istud autem anathema explicatur בנ״חש *per Niddui, Chæræm, & Schammatha.*

Ad §. X. pag. cit.

(12) *Quatuor gradus erant in Ecclesia Græca*] Vix est inter recentiores Scriptores, qui majori cum accuratione & doctrinæ apparatu, hos pœnitentium ordines, & censuræ Ecclesiasticæ gradus prosecutus sit, quam IOSEPHVS BINGHAM *in Origin. Eccles. lib. XVIII. Tom. VIII.* edit. Grischov. *pag.* 108 *sq.* Cui jungi poterit ex nostris IOH. BARTHOLD. NIEMEIERI *de Disciplina Ecclesiast. Diss. III. §.* 35. *p.* 114 *sqq.* qui

in

in compendium misit, quæ prolixe alii tradiderunt. Egit de iisdem GABR. ALBASPINAEVS *lib. II. Observat. XXII. sqq. p.* 200 *sqq.* HOORNBEECK *Vet. & Nov. lib. I. pag.* 121. SVICERVS *Observat. Sacr. cap. I. p.* 7. Et cui non dictus Hylas?

Ad §. X. pag. 111.

(13) *Observant quintum gradum*] Contra quintum hunc gradum statim ab initio, laudatus disputat BINGHAM *§. I.* & quatuor solum contra GVIL. CAVEVM asserit. Ex adverso GVIL. BEVEREGIVS *Annotat. ad Canonem XI. Concilii Nicæni I. Synodici Tom. II. p.* 71. *b.* tres tantum agnoscit; τὰς προσκλαίοντας, *lugentes*, non tam pœnitentes censens, quam pœnitentiæ potius candidatos: quanquam posthæc non gravatim quatuor, cum ceteris, gradus admittit.

Ad §. XI. pag. cit.

(14) Σύστασις, *assistentia*] Ordine retrogrado progreditur Auctor, & primo loco ponit, quem alii quartum & ultimum dicunt pœnitentiæ gradum. Erant autem συνιστάμενοι, *consistentes*, quibus permissum erat, consistere cum fidelibus ad altare, & in communibus precibus se jungere, videreque oblationem fieri; nec dum autem oblationes suas facere, nec Eucharistiæ participes cum illis fieri licebat. Interim Catechumenis, & reliquis pœnitentibus dimissis, ipsi manebant, nec templo egrediebantur, nisi sacris omnibus finitis; hinc Sacræ Eucharistiæ administrationem & consecrationem adspiciebant, ipsi tamen Sacramenti expertes. In eo enim gradus hujus sita erat disciplina, ut cum reliquis fidelibus omnia haberent communia, solo jure oblationum, & sumendæ Eucharistiæ excepto.

Ad §. XII. pag. cit.

(15) Ὑπόπτωσις, *submissio*] Ὑποπίπτοντες, vel etiam γονυκλίνοντες, *substrati*, vel *genu flectentes* dicti, propius ad locum fidelium, cum Catechumenis tertii ordinis accedebant, pone ambonem, intra septa Ecclesiæ constituti, sed ita, ut fideles neque contingerent, neque iisdem permiscerentur. Audiebant lectionem *sacram*, & Scripturæ interpretationem; participes etiam fiebant precum, quibus, orantibus Catechumenis, interesse datum erat. Ast cum ad mysteriorum dispensationem propius esset accedendum, antequam, dimissis Catechumenis, & ipsi secederent, denuo velut etiam sub ingressum templi fecerant, humi in faciem lamentabundi se prosternebant; ac tum Episcopus, Sacerdotesque reliqui accurrebant, manibusque ad illos, humiliter prostratos, expansis, peculiares & ad Catechumenos non spectantes, orationes super eos recitabant; quibus auditis, ab ulterioribus fidelium orationibus & sacris arcebantur, vel potius dimittebantur. Hic rigidissimus erat gradus, & adeo durus, ut fere solus μετανοίας, *pœnitentiæ* nomine, cum apud alios, tum apud BASILIVM M. veniret, & in eo constituti, simpliciter οἱ ἐν μετανοίᾳ, *pœnitentes* vocarentur; quia erant notissimi, & maxima actuum pœnitentialium pars ad eos pertinebat, dum in hac essent statione, in qua bene multis, nunc XV, nunc XX, annis perseverabant.

Ad §. XIV. pag. 112.

(16) Ἀκρόασις, *auditio*] *Audientes* non ad cœmeterium tantum, verum intra portam templi admittebantur, in narthece, seu porticu templi, post Catechumenos, consistentes. His integrum quidem erat, sermones sacros & prælectionem Biblicam audire, sed exire debebant ante, quam preces communes inchoarentur, & Sacræ Eucharistiæ dispensationem adspicere non poterant. Hæc enim cum ingrueret, voce Diaconi Catechumeni dimittebantur, & cum iis quoque pœnitentes, atque tum fores τοῦ ναοῦ claudebantur, intusque fiebat Eucharistiæ celebratio. Vox Diaconi erat: *Ite, Missa est*; a qua

 procla-

proclamatione *Catechumenorum Missa* nomen sortita est, quorum dimissio, reliquorum etiam, quibus τὸν πρόναον obire licebat, quique post Catechumenos stabant, dimissionem secum trahebat.

Ad §. XV. pag. 112.

(17) Πρόκλαυσις, *præfletio*] Erat luctus extra portam Oratorii, quando peccatores in vestibulo prostrati jacebant, & cum luctu & lacrimis fideles ingredientes obsecrabant, ut pro se misericordiam Dei elicerent. Quamdiu quis pœnitens in hoc gradu esset, id quod frequenter per tres integros durabat annos, non solum a fidelibus, sed etiam a Catechumenis separatus, magnoque in squalore constitutus, sublata coma, cilicio contectus, lacrimas fundebat, iisque limina, per quæ in Ecclesiam ingrediendum erat, irrigabat. Provolvebantur hi tales ad genua fidelium, sacros conventus obeuntium, cum lamentatione miseris modis eosdem implorantes, ut deprecatione pro se interposita, commiserationem & veniam sibi impetrarent. Ante autem, quam pœnitentes hunc προκλαύσεως gradum inirent, manus impositionem ab Episcopo & Clero sortiebantur, ut per eam hominum ad pœnitentiam admissorum animis gratia illaberetur, qua accenderentur ad pœnitentiam alacriter peragendam; unde illa non sine orationibus, & Cleri apud Deum intercessione peragebatur, ut qui pœnitentiam ingressi essent, animis non frangerentur, sed magna constantia & firma spe, stadium suum decurrerent. Plura lege apud citatos auctores.

Ad §. XVI. pag. cit.

(18) *Cain primo excommunicationis gradu fuisse punitus*] Cainum excommunicatum a Deo, & lepra percussum, eaque insignitum fuisse nota, persuasum habet CAMPEG. VITRINGA *Comment. in Jes. LIII, 4. Tom. II. fol. 667. b.* Potiori tamen jure excommunicationem negat HEIDEGGER. *Histor. Patriarch. P. I. Exerc. V. §. 38. p. 197.* cum nihil in historia Mosaica appareat, præterquam exilium & mutatio soli patrii, in quo cultus Dei viguit, conjuncta cum maledictione. Egressum autem a facie Dei, MERCERVS & DRVSIVS *Not. maj. in Genes. IV, 14.* de dejectione a favore & præsidio Dei, commode exponunt; etsi CALOVIVS de loco accipere mavult, quod cum priore explicatione non pugnat.

Ibidem.

(19) *A tribus impuritatis speciebus*] En verba FAGII *ad Numer. V, 2.* ex quibus liquet, illam de tribus excommunicationis generibus cum tribus castris collationem, nihil prorsus ad ipsum spectare. *Tria,* inquit, *secundum Hebræos, castra erant: videlicet castra Dei, i. e. Tabernaculum, castra Levitarum, & castra Israel. Leprosi ab omnibus arcebantur, immundi per fluxum, a primis duobus excludebantur, pollutus vero super mortuo, sive anima, ut Hebraismus habet, solum a Tabernaculo arcebatur.* Mera ergo hæc, nec solida Auctoris est allusio, quam tamen IOH. HENR. REIZIVS *in Not. ad h. l.* adjecta tabula, & ulteriori declaratione, pinxit & ornavit.

AD

LIB. V. CAPVT III.

DE COLLEGIO, SEV CONSESSV CIVILI, QVAS PERSONAS ID REQVISIVERIT.

Ad §. I. pag. 112.

Etsi non in pœnam hominum] Distinguitur hic saltem judicium Dei a judicio humano, forum poli, a foro soli, multaque dari delicta docetur, quæ in foro poli animadversionem incurrunt, in foro tamen soli impune committuntur. Jobus appellat עון פלולים cap. XXXI, 11. *iniquitatem judicum*, dignam, in quam judices animadvertant, quæ ne ab hominibus quidem impunitatem consequatur, nedum coram tribunali divino. ALBERTO SCHVLTENS *Comment. in h. l.* ubi cum cura in vocem inquirit, עון פלילי est crimen arbitrarium, quod arbitri vel mitissimi condemnare debeant. Vtriusque autem fori hujus distinctionem, gemina dissertatione, ex instituto discussit GISBERT. VOETIVS *Tom. IV. Select. Disput. V. & VI. p.* 62. quarum posteriori, per singula decalogi præcepta eundo, discrimen istud evolvit. Judæis dicuntur בית דין למעלה seu העליון *domus judicii superior*, seu cælestis, & בית דין שלמטה & התחתון *domus judicii inferior*, seu terrestris: & pœna, ex solius Numinis placito infligenda (qualis erat v. g. pœna כרת *excisionis*) ביד שמים *manu Dei* sumenda ferebatur.

Ad §. IV. pag. 113.

(2) *Hebr.* נשיא/ *Græce* Ἄρχων, *Princeps*] Supra de eo diximus, *ad Libri hujus Cap. I. Annot.* 2. quæ non repetimus. Juvat autem de universo Synedrii M. consessu MAIMONIDEM audire, sed brevitatis studio Latine versum, qui Hilc. *Sanhedrin cap. I. §.* 3 *sqq.* ita tradit: *Senatus major in Sanctuario erat, & vocabatur Sanhedrin Magnum. Numerus illorum erat LXXI. sicut dicitur* (Num. XI, 16.) *congrega mihi LXX viros de Senibus Israel. His Moses præfuerat, sicut dicitur: & stabunt ibi tecum. Ecce in summa LXXI. Qui grandior sapientia, ceteros omnes antecellebat, eum faciebant Præsidem, seu Caput consessus. Is ipsus est, quem eruditi ubique terrarum appellant NASI*, h. e. Principem, *isque præest loco Mosis Magistri nostri. At, qui inter LXX Senatores, annorum ratione natu maximus erat, eum collocabant a dextris illius, vocabantque ABH BETH DIN*, h. e. Patrem Consistorii. *Ceteri LXIX sedebant ordine promotionis & dignitatis suæ; quo quisque major in sapientia, quam Collega suus, eo locabatur propius ad sinistram Principis. Circumsidebant autem dimidiam quasi aream semicirculariter, ut eos ambo Præsides, Princeps & Pater, omnes simul in conspectu haberent.* Consessum hunc delineavit SELDENVS *lib. II. de Synedriis cap. VI.* §. 1. In eo autem MAIMONIDEM erroris arguit COCCEIVS *ad Sanhedrin cap. IV. Not.* 11. quando præstantiorem ceteris propiorem perhibet sedisse ad Principis sinistram. Quia Principi medio, ad dextram Pater Senatus assidebat, ad lævam חכם *Sapiens*, qui tertius dignitate erat. Hos autem tres ex Glossa ita describit: הנשיא הוא היה בעל הדרשה ומלמד תורה ברבים *Princeps est, qui interpretandæ publice legis auctoritatem habet:* אב״ד הוא גדול שבדיינין שהדינין נפסקין על פיו *Pater Senatus, is Judicum antecessor, cujus ore lites deciduntur:* חכם הוא הגדול שבחכמים שנושאין ונותנין עמו בהלכה ויודע טעמי תורה ויושב לשמאלו של נשיא *Sapiens is dicitur, qui inter Doctores præcellit, cum quo de agendis communicatur, peritus sensuum & rationum legis. Is ad lævam Principis sedet.* Quis singulis honor sit habitus, ibidem ex *Horajoth* docet COCCEIVS:

Principi intranti omnis populus assurgit, neque resident, priusquam ipse jubeat. Pater Senatus ubi intrat, duobus hinc inde ordinibus surgentibus excipitur. Sapiens quando intrat, unus surgit, alter sedet. Hoc ut intelligatur, tenendum est, tres Candidatorum, seu discipulorum Sapientum ordines, quemlibet viginti tribus constantem viris, coram consessu semicirculari Patrum conscriptorum assedisse, de quibus rursus videatur SELDENUS *cit. loc.* §. 2.

Ad §. V. pag. 113.

(3) *Testium ad minimum duo erant, Deut. XIX.* 15.] In religionis negotio unum suffecisse testem ad quæstionem habendam, perperam tradit TREMELLIUS *Not. ad Deuter. c. l. comma* 16, notatus eo nomine, & e vers. 15. valide confutatus a GERHARDO *Comment. in h. l. p.* 1177. Ceterum Mischna Cod. *Sanhedrin cap. IV.* §. 5. modum terrorem incutiendi testibus, ne mentirentur, ita definit: *Testes rei capitalis intro vocatos admonebant, ne quid ex conjectura aut rumore dicerent, etiamsi ex ore testis aut hominis fide digni audisse se affirment: item: forte ignoratis, nos pervestigaturos tandem vos esse inquisitione & indagatione. Ne sitis nescii, aliter se habere judicia, quæ de pecunia, quam quæ de capite habentur. Nam in illis, pecunia data, peccatum piari potest: in his, si quid deliqueris, sanguis rei & seminum ejus ad finem usque sæculi tibi imputatur.* Qui autem a testimonio in judiciis, ceu פסולין *inidonei* arcebantur: feminæ, servi, minores, fatui, surdi & muti, cæci, impii, impudentiores, propinqui, falsi ante convicti, de illis vide SELDENUM *c. l. lib. II. cap. XIII.* §. 11.

Ibidem.

(4) *Scribarum, seu Notariorum duo erant*] De his denuo Mischna *c. l.* §. 3. ita habet: *Coram illis* (Synedrii Assessoribus) *a dextra & læva stabant duo Scribæ, qui absolventium & condemnantium annotarent sententias.* R. IEHUDA ait, *tres: unus, qui absolventium, alter, qui condemnantium; tertius, qui utrorumque verba consignaret.*

Ad §. VI. pag. cit.

(5) *Hebræis vocantur* שוטרים] Contra ANTON. CREGUTUM *in Revelat. Arcanor. cap. XXVI. p.* 896 *sq.* Schoterim & Schophetim eosdem fuisse contendentem, CARPZOVIUS *Not. ad* SCHICKARDI *Jus regium Cap. IV. Theor. XIV. p.* 241 *sq.* consentientibus fere omnibus cum Judæorum, tum Christianorum suffragiis, evincit, utrosque eo dignitatis gradu distasse, ut שופטים *Judices* essent, qui sententiam dicerent, שוטרים *Officiales*, qui judicata executioni mandarent, & populum ad obsequium cogerent. Ita certe ABARBENEL *Comment. in Legem fol.* 364. *col.* 4. distinguit: *Schophetim sunt Judices, qui causas decidunt, sive in judiciis capitalibus, Synedrio puta Viginti-triumvirali, sive in judiciis pecuniariis Synedrii Triumviralis, sive denique sint tres illi Judices tantum, quos diximus in parvis civitatibus constituendos. Schoterim autem sunt exactores populi, quorum functio in hoc consistit, ut cogant homines ad observantiam decreti constituti a Judicibus.* MAIMONIDES Hilc. *Sanhedrin cap. I. ab init.* eos dicit Lictores, manibus tenentes baculos & lora, stantesque in conspectu Judicum, discurrentes quoque per forum & plateas, adeuntes tabernas, ad ordinanda pretia & mensuras, ac verberantes eos, qui perverse agunt: omne autem, quod agunt, ex sententia Synedrii agere perhibet, & quæ male geri vident, ad Senatum perferre. NICOL. FULLERUS *Miscellan. Sacr. lib. III. cap. XIX.* in eadem sententia acquiescit, & *Apparitores* scite interpretatur. Hanc tamen vim vocis minus assecuti videntur LXX, quando שוטרים γραμματεῖς, sæpius etiam γραμματοεισαγωγεῖς appellant, *Scriptorum* vel *Literarum Introductores.* Imposuit hæc versio magno AUGUSTINO, ut Schoterim, pueritiæ in Judaica gente, dum sub Mose ageret, Præfectos existimaret. Hoc sibi vult, quando *lib. XVIII. cap. XXXIX. de Civit. Dei* mentem ita expromit: *Moyses in populo*

populo Dei constituit, qui docendis literis praeessent, priusquam divinæ legis ullas literas nossent. Hos appellat Scriptura Grammatoisagoges, qui Latine dici possunt Literarum Inductores, eo quod eas inducant, vel introducant in corda discentium. Missa vero puerili institutione, alii Græcos interpretes ita excusant, ut Εισαγωγεῖς τῶν γραφῶν, *Introductores* dici observent, qui actiones & causas ad Judices introducerent. Eadem ergo vocis notione Γραμματοεισαγωγεῖς, designare putant *litium notores*, qui causas inducerent. Verum nec ista, vel Rabbinorum explicationi, vel functioni muneris respondent, ut Græcos interpretes rectius dixeris vim vocis æque ignorasse, ac Vulgatum Latinum, qui nunc *Magistros* vertit, nunc *Doctores*, alibi, *qui docerent vos singula.* Præstat *publici juris ministros*, cum PAVLO FAGIO reddere *in Deuter. I.* Ita enim Christus ipse reddidisse creditur, quando Matth. V, 25. ὑπηρέτην dicit שוטר / τῷ κριτῇ oppositum. Ita quoque IOSEPHVM *Antiqu. lib. IV. cap. VIII.* exposuisse vocem, viri docti observant. Auctor noster ex Luc. XII, 58. per πράκτορα, *Officialem* illustrare mavult, quod tamen eodem redit. FVLLERVS, voce Jurisconsultis Græcis usu recepta, ἐκβιβαστὰς, sive ἐκβιαστὰς dicit. Melius certe utrumque Evangelistæ vocabulum τῷ שוטר respondet, quam τῷ חזן / quod nonnulli apud doctiss. WOLFIVM *in Curis ad h. l.* censuerunt: cum חזן reos in vincula conjecisse, in iisdemque detinuisse non legatur, quod tamen τῷ ὑπηρέτῃ apud Matthæum, & τῷ πράκτορι apud Lucam, asseritur, τῷ שוטר autem ex officio competebat.

Ad §. VII. pag. 113.

(6) *Advocatus dicebatur* בעל ריב] Probe distinguendus est בעל ריב Moderator, seu *Patronus causæ*, ab איש ריב *Litigante*, seu parte litis, sive litem aliis intendat, sive in jus ab aliquo vocetur. Jeremias sane, quando c. XV, 10. se איש ריב ואיש מרון *Virum litis, virumque rixæ* se deplorat, non causarum Patronum seu Advocatum agebat, sed virum designat, cui omnes fere regionis incolæ litem intendant. At Pontificis Maximi, in jus vocati, Mandatarius, sive Procurator, sigillatim אנטלר *Enteler* vel *Entoler* dicebatur, in quam vocem copiose & cum cura inquirit SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap. X. §. 7. & 8.*

Ibidem.

(7) *Stabat a dextra partis in jus vocatæ.*] Versus dextram Judicis reus, at juxta dextram rei, Actor stabat in Judiciis apud Hebræos, & ut COCCEIVS quidem & GROTIVS *ad Zach. III,* I. sed absque idoneo testimonio tradiderunt, accusatores reum statuebant ad lævam suam, hoc ipso declaraturi, causa se illo superiores esse; unde phrasis petita Psal. CIX, 6. *præfice super eum impium, & Satan* (ὁ ἀντίδικος, adversarius) *adstet ad dextram illius* (coram tribunali quippe divino, reum ipsum agens, scelerumque convincens). Pariter Zach. III, I. actor stabat ad dextram Pontificis Josuæ, coram Deo ipsum accusans. Rursus autem Advocatus quoque a dextris rei consistebat, cum causam ejus peroraret, unde trita phrasis: *esse alicui ad dextram,* quæ idem valet ac, prope alicui adesse, in clientelam ac patrocinium eum suscipere, causamque ejus tueri, Psal. XVI, 8. Etsi phrasis quoque petita esse possit e bello, vel certamine, ubi militi tyroni, vel formidoloso duellanti, a dextris sistitur miles veteranus, aut intrepidus heros, opem, si necessitas exigat, promtissime laturus. Ad priorem adagii usum alludit David Psalm. CIX, 31. *Dominus adstat a dextris pauperi, ut salvam faciat animam ejus* &c. ad posteriorem Psalm. CX, 5. *Dominus a dextris tuis vulneravit reges, tempore vindictæ suæ:* Psalm. CXXI, 5. *Dominus obumbrabit tibi a dextris tuis:* huc refer etiam visionem Stephani, cui Jesus stans a dextra Dei apparebat Act. VII, 55. etsi hoc non sit ad dextram Stephani.

Ad §. VIII. pag. 113.

(8) *Sententia de causis per Judicem hoc modo ferebatur*] Disertis verbis hoc definitur in Mischna, *Sanhedrin cap. III.* §. 7. *Re confecta* (causa satis cognita, & deliberata sententia, collectisque suffragiis, de quibus *ibid. in* §. *præc.* 6.) *partes intro vocantur. Qui natu maximus est inter Judices, partibus nomine compellatis, alteri quidem ait:* איש פלוני אתה זכאי *Tu N. N. innocens es: Alteri autem:* איש פלוני אתה חייב *Tu N. N. obligaris*, seu condemnatus es. *Quare non licet cuipiam Judicum egresso, dicere: ego secundum te judicavi, collegæ mei te condemnarunt. Sed quid facerem? Collegæ mei numero me vicerunt. Hoc, qui fecerit, in eum competit illud:* Prov. XI, 13. *qui prodit arcanum, calumniator est.* Vniversum autem judicii processum ita delineat SELDENVS *lib. II. de Syn. cap. XIII.* §. 3. Auditis testibus, & seorsim ac per se examinatis, suffragia ferebant sive absolvendo, sive condemnando, quæ, cum rationibus suis, colligebant Scribæ. Sententia condemnationis lata, Synedrii in locum, procul a Synedrio situm, duci jubebant reum, ubi pœnam capitalem subiret, juxta illud Lev. XXIV, 14. *educ blasphemum extra castra:* neque differenda erat judicii executio, אלא יתרג ביומו *sed die suo*, quo damnatus est, *morte erat plectendus.* Reliqua infra redibunt, ab *Auctore* allegata *Cap. VI.*

Ad §. IX. pag. cit.

(9) *Romani sententiam suam ferebant tabellis*] Romani judicii morem probe exponit Auctor. Post actiones enim, ab utroque oratore peroratas, cum jamjam mittendi essent in consilium judices, tres unicuique judici dabantur tabellæ ceratæ, una absolutionis, altera condemnationis, tertia ampliationis, quarum unam mitteret in urnam. Atque liberum erat, quam quisque vellet, ex illis tribus in urnam conjicere, sine ullo invidiæ metu: erat enim ita occultum suffragium, ut nesciretur, favissetne, an nocuisset reo: ita tutum, ut abesset suspicio ambitus, aut corruptelæ. Qui ergo absolvere reum cupiebat, in cistam sive cistellam, sive, quod alii volunt, in sitellam, injiciebat tabellam, notatam litera *A*, quæ *absolutionis* notam insculptam referebat: unde CICERONI *pro Milone cap.* 6. hæc litera *salutaris* vocabatur, cujus indicio reus peccato absolvebatur. Contra *tristem* dicit *ibidem* literam *C* vel *K*, quia *condemnationis* notam in tabella ferebat, quam immittebant ii, qui reum de peccato, de quo accusabatur, condemnabant. Denique si non satis constaret, absolvendusne an condemnandus reus esset, tabellam ampliationis immittebant, cui *N. L.* inscriptum, symbolum *Non Liquere* innuens. Vide apud POLLETVM *For. Rom. lib. IV. cap.* 15. & *lib. V. cap.* 8. MANVTIVM *de Legibus cap.* 22. & ante omnes GRAEVIVM *Thes. Antiqu. Roman. Tom. XI. p.* 877. *F.*

Ad §. IX. pag. 114.

(10) *Itidem Græci utebantur*] His lapillus absolutorius ψῆφος σώζȣσα, damnatorius καθαίρȣσα, audiebat. Perorata enim utrinque causa, Magistratus qui judicio præsidebat, suffragia Judicibus dabat. Et de Θ quidem ad citatum PERSII locum Scholiastes: *Judices*, inquit, *literam Theta apponunt ad eorum nomina, quos supplicio afficiunt.* Confer GVIL. BVDAEVM *Comment. Gr. Ling. f.* 226, 227. & IAN. RVTGERSIVM *lib. V. Var. Lection. cap. XVII. p.* 502. Contra vero ea SVIDAS *Lex. h. v.* ψῆφος μέλαινα, ἡ καταδικάζȣσα· λευκὴ δὲ, ἡ δικαιȣ͂σα. *Calculus niger erat ille, qui reum condemnabat, albus vero, qui justificabat.* Item, absolutorii erant ψῆφοι ἄτρητοι, *integri* damnatorii τετρημέναι *perforati.* Vrna in quam immittebantur, κάδδισκος, illud autem, per quod urnæ impositum calculi descendebant, κημὸς vocabatur. Vnde liquet, non eundem apud omnes morem obtinuisse in Græcia.

Ad

Ad §. X. pag. 114.

(11) *Apoc. II, 17.*] A Græcorum judicum suffragiis depromtam hic phrasin esse, viri docti dubitant, quia Filius Dei calculum album victori dandum promittit, qui tamen in foro Græco non absolvendis dabatur, sed magistratui, qui præerat judicio. Observant præterea, Dominum hoc calculi albi beneficium conjungere cum eo, cujus in præcedente oratione mentionem fecerat, esus de manna occulto. Mavult ergo H. GROTIVS, hac promissione alludi ad Olympionicas vel Hieronicas, qui, quando solenni cum pompa urbem patriam ingrediebantur, simul honorarias tesseras accipiebant, cum quibus iis potestas fiebat epuli publici, ad perpetuam vitæ suæ sustentationem. Facit cum eo SAM. PETITVS *Var. Lect. c. VIII.* ubi rem clarius adhuc exposuit. Præterea HENR. HAMMONDVS observat, *Romanos quoque Cæsares, in ludis, quos ad Græcorum imitationem populo dabant, suas habuisse tesseras ligneas, quibus inscriptum fuerit frumentum, discus, servi, vestes, easque in populum fuisse projectas, ex quibus qui aliquam acceperat ab Imperatoris ministris, eam offerens, illico recipiebat, quod in ea consignatum erat.* Hunc omnium longissime a scopo aberrare dixerim, cum non de temere ac forte fortuna oblatis beneficiis, sed de remuneratione gratiosa victorum, sit sermo. Denique ut illa devitet dubia, CAMPEG. VITRINGA *ad h. l.* Dominum respexisse arbitratur ad utrumque ritum, & judicialem & triumphalem; quem vide. Ante ipsum utrumque pariter junxit GVIL. SALDENVS *Otior. Theol. lib. I. Exerc. VIII. §. 5. p. 177.* nec separari facile poterit uterque, cum Christus & esus de manna, & calculi albi, conjunctam faciat mentionem. Quam autem STEPHANVS LE MOYNE *Annotat. ad Varia Sacra p. 681.* postquam de absolutorio in judiciis calculo dictum exposuerat, conjecturam addit, de lingua coccinea, die Expiationis Judæorum hirci capiti alligata, quæ, si Numen propter sacrificium placatum esset, miram & subitam albedinem inducebat; ea & lubrica omnino ac incerta, & coacta perquam ac longe petita est, ut suo merito a nobis explodatur.

Ad §. XI. pag. 114.

(12) *Matth. XII, 41.*] Gemina phraseos interpretatio h. l. obtinet: *altera*, ex judiciorum consuetudine petita, juxta quam assurgere solent, qui in cœtibus publicis aliquid sunt dicturi; *altera*, ex articulo resurrectionis, ut sensus sit: *resurgent cum natione* in judicio extremo. BEZA, rejecta priori, propter præpositionem *μετὰ*, posteriori adstipulatur: recte notatus eo nomine ab ER. SCHMIDIO *ad h. l.* qui probe observat, non de communi Ninevitarum, cum gente Scribarum ac Pharisæorum resurrectione, sed de peculiari actione judiciali sermonem esse, quam Ninevitæ cum Scribis & Pharisæis instituent: quo Auctoris quoque nostri sententia redit. Hunc enim sensum sequentia verba: *καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὴν*, omnino requirunt. Præpositio autem *μετὰ*, vel idem valet ac *κατὰ*, vel in sensu primo ac proximo designat, *surgent cum hac generatione*, tanquam partes litigantes, quæ ambæ in judicio stare solent.

Ad §. XI. pag. 114.

(13) *Psalm. I, 5.*] Cum cura in h. l. inquisivit THOM. GATAKERVS *Adversar. Miscell. lib. I. cap. IV. Opp. T. I. p. 196.* dignus, qui evolvatur: cui jungi poterit CASP. SVICERVS *Thes. Eccles.* voc. *ἀνίσταμαι T. I. f. 359 sq.* & concise SIMEON DE MVIS *in h. l.* Exploso quippe errore eorum, qui impios resurrecturos ex his verbis perperam negant, vel ad geminam respicitur resurrectionem, aliam ad vitam, quæ Luc. XIV, 14. *ἀνάστασις τῶν δικαίων* audit, aliam ad condemnationem, sive ut Joh. V, 28. effertur, *ἀνάστασιν ζωῆς*, & *ἀνάστασιν κρίσεως*, h. e. *κατακρίσεως*, a quarum priore excluduntur impii: vel, quod cum Auctore nostro probamus, verba idem volunt ac: *non consistent in judicio*; quod am-

amplius est, quam *causa cadere.* Ea quippe futura est improborum in die illa conditio, tam anxia, tam animi, consil iique omnis expers, ut ne oculos quidem attollere contra sustineant, sed in angulum quemvis, aut terræ cavernam, aut rupis fissuram, lubentissimi condere se exoptent, modo ne coram facie Domini Jesu Christi, tunc in solio considentis, cogantur comparere; Jes. II, 21. Apoc. VI, 15 sq.

AD

LIB. V. CAPVT IV.

DE NVMERO CVRIARVM CIVILIVM.

Ad §. I. pag. 114.

Senatus supremus, & Collegium minus] Vocabulum סנהדרין appropriatum est apud Hebræos Curiæ Magnæ, sive Supremæ: sed frustra fuerunt Rabbini, qui ex Hebraismo vocis originem arcessere annisi sunt, eamque compositam esse in *Pesiktha Zotertha fol.* 45. *col.* 3. tradiderunt, ex סן quod *legem* notet, & הדרין *haderin* aut *hederin*, quod idem sit, ac *repetentes, versantes:* dictumque fuisse collegium Judicum *Sanhedrin*, quia constiterit מהדרין ex repetentibus & versantibus legem divinam: quæ vigilantium sunt somnia. Alii æque absurde, consessum hunc Judicum ita dictum perhibuerunt, quod in eo esse debeant שונאים הדרת פנים בדין *odio habentes acceptationem vultus*, sive respectum personarum *in judicio.* Rectius omnino ELIAS GERMANVS fatetur, in *Tisbi h. v. esse plane Græcum vocabulum*, ex Græco συνέδριον inflexum & formatum. Postquam enim Alexander M. arma victricia in Syriam usque & Judæam intulerat, factum hinc est, ut quamplurima Græca vocabula civitate donarentur Hebraica, velut ipsa Græca lingua utebantur politiores & cultiores. Ingentem talium vocabulorum silvam DAVID COHEN DE LARA parvo volumine in forma 8. congessit, inscripto עיר דויד *Vrbs Davidis.* Idem posthæc usu evenit multis vocabulis Latinis, ubi sub Romanorum redacti sunt potestatem Judæi. De voce autem *Sanhedrin* erudite commentatur SELDENVS *lib. II. de Synedriis cap. III.* §. 1. ad quem recurrat, qui plura cupit. Id vero nominis de triplici usurpatur dicasterio. 1) de Collegio supremo LXXI. Judicum, quod Hierosolymis in templo residebat: 2) de Collegio XXIII. Judicum, quod in singulis institutum erat urbibus: 3) de Collegio trium virorum, in parvis civitatibus, & vicis. Communi quoque appellatione בתי דינים *Domus judiciorum* salutantur.

Ad §. IV. pag. 115.

(2) *Gehenna fuit vallis horrenda*] De Gehenna supra diximus *ad Lib. IV. Cap. II.* §. 6. & 7. quibus nil attinet, plura addere.

Ad §. V. pag. cit.

(3) *Ratione numeri judicum*] Ita diserte Mischna Tract. *Sanhedrin cap. I.* §. 6. *Synedrium M. LXXI. Judices habuit*, וקטנה *sed inferius aut minus, tres & viginti. Vnde constat, LXXI. fuisse istius Synedrii Judices? ex eo, quod dicitur* Num. XI, 16. *congrega mihi LXX. viros ex Senioribus Israel. His Moses junctus erat, en tibi LXXI.* Vnde quoque בית דין של ע״א *Domus judicii LXXI. virorum* passim appellatur. Quem numerum contra eos, qui LXXII. exsculpere & Collegio huic adscribere Assessores conati sunt, valide asseruit SELDENVS *cit. loco* §. *VIII.* Minorum

norum autem Judiciorum numerum XXIII. futiliter Judæi probare *ibidem* satagunt ex Num. XXXV, 24. coll. cum Num. XIV, 27. & Exod. XXIII, 2: quem late expositum lege a SELDENO *lib. II. cap. V.* §. 2. Nec enim hæ nugæ adscribi merentur.

Ad §. VIII. pag. 116.

(4) *Collegium minus divisum erat*] Judiciorum minorum institutio arcessitur passim ex Deut. XVI, 18. quem locum diligenter & cum cura excussit SELDENVS *loco mox cit.* §. 1. Quia enim in singulis totius Judææ urbibus judicia constituenda præcipiuntur, hinc eruuntur בתי דינים *Concilia* tam של עשרים ושלשה *Viginti-trium-viralia*, quam של שלשה *Triumviralia*. Id enim ad nauseam usque inculcant Magistri אין בית דין שקול מוסיפין עליהם עוד אחד *Synedrium non debere esse æqua lance libratum, ideoque adjiciendus unus*, ut numerus fiat impar; ut, quemadmodum sententia capitalis in neminem ferenda erat, ex Num. XXXV, 30. & Deut. XVII, 6. nisi testes, qui de facto pronunciarent, unico plures essent, ita nec ferretur a Judicibus, qui pronunciabant de Jure, nisi etiam pars condemnatoria plusquam unico, absolutoriam superaret. Viginti-trium-viralium bina Hierosolymis erant: alterum ad introitum atrii in Templo, alterum ad introitum montis Templi. In reliquis quoque urbibus, in quibus minimum centum & viginti patres familias habitabant, talia reperiebantur Synedria, ne alias quilibet, litis causa, Synedrium magnum, Hierosolymis considens, adire cogeretur. Præterea MAIMONID. Hilc. *Sanhedrin cap. I.* §. 5. Sapientes promotos, & in lege apprime peritos, in ea urbe requirit, in qua Synedrium viginti-trium-virale locum habere possit: *Quæcunque fuerit urbs, cui deessent bini Sapientes illustres, quorum alter potis esset docere & sententiam pronunciare in Lege universa, alter satis sciens esset ad audiendum, interrogandumque, in ea non collocabant Synedria (XXIII viralia) tametsi in ea essent mille Israelitæ. Synedrium, quod in se habuerit duos ejusmodi, alterum Auditioni idoneum, alterum Locutioni, pro Synedrio quidem sumendum. Si vero tres ejusmodi in se habuerit, Synedrium erat mediocre: si autem quatuor, Synedrium erat sapientiæ.* Triumviralium denique judiciorum alia ex auctoritate publica habebantur, alia ex partium arbitrio, ubi actus aliquot jurisdictionis tantum voluntariæ exercendi erant. Mischna Cod. *Sanhedrin cap. III.* §. 1. ita sancit: *Litigantium pars altera sibi eligit unum, & unum altera, & utrique illi eligunt sibi adhuc unum*, seu tertium. Laudi tamen habebatur, si Triumviri ejusmodi sibi adsciscerent Confessores veluti & testes judicii ac Adjutores. Hinc numerus eorum ad XI interdum assurgebat. *Oportebat autem, ut cuncti illic considentes in foro* תלמידי חכמים וראוין *discipuli Sapientum essent, & judiciis idonei*, ut MAIMONID. habet *c. l. cap. II.* §. 13.

Ad §. IX. pag. 116.

(5) לשכת הגזית *Conclave cæsuræ*] Cum redux ex captivitate populus Templum restaurasset, ad Templum, in usus Synedrii, splendidissimam adjecit aulam, quæ, quia ex lapidibus pretiosis, & artificiose dolatis atque accisis erat constructa, *Conclave cæsum* appellabatur. De ejus situ, ad Orientemne, an ad Occidentem fuerit constructum, disputat CONSTANT. L'EMPEREVR *Not. ad Cod. Middoth p.* 185 *sq.* habitum autem, modumque exponit SELDENVS *lib. II. cap. XV.* §. 4. & post eum CARPZOV. *Not. ad Schickardi Jus Reg. cap. I. Theor. 2. p.* 11 *sq.* Hujus enim ea traditur fuisse ratio, ut & partem complecteretur sacram, & profanam, seu religione solutam: ac illa quidem, qua considere non licebat cuiquam, nisi soli Regi ex domo David, sed posteriori ævo jam diu sublato, in atrio Israelitarum existeret, hæc vero in חיל *antemurale*, & exteriorem Templi ambitum prominerent. Bina etiam ostia, quorum per alterum in profanam, per alterum in sacram partem introibatur, habebat. Alii tamen ita conciliant,

ciliant, amplissimum istud conclave duas habuisse partes, alteram conclave cæsum, alteram antemurale dictam, in quarum priori tanquam ordinaria, diebus profestis, in posteriori diebus feriatis assidentes jus dixerint Senatores, juxta illa, quæ in Gemara *Sanhedrin cap. X. §.1.* leguntur, apud COCCEIVM *h. l. p.* 82. Illud autem conclave utrosque limites, terræ Benjamin & terræ Judæ complectebatur, situm quippe dimidium in finibus Judæ, dimidium in finibus Benjamin, quæ duæ tribus in monte Morijah, ubi Templum constructum erat, disterminabantur. Hinc ZELTNERO in disputat. *Schilo nodis solutus* inscripta, nova enata est dicti classici Gen. XLIX, 10. & verborum cumprimis מבין רגליו explicatio, supra a nobis in scenam inducta *ad Lib. I. Cap. I. §. 8. Annotat.* 12. Sollicite autem annotarunt Magistri, XL annis ante secundum Templi excidium, quod in XXX Christi annum quadrat, migrasse Synedrium מלשכת הגזית לחנות *e conclavi cæsi lapidis in tabernas*, e tabernis porro in Hierosolymorum urbem inferiorem, porro in urbem Jabhne, & sic amplius, donec post decem migrationes plane exspiraret. Sed de migrationibus illis denuo consulatur SELDENVS *cit. loc. §. VII. sqq.*

Ad §. IX. pag. 116.

(6) *Qui dicitur λιθόςρωτον*] Mirari subit, quo pacto limatissimi vir judicii, SELDENVS, in eam inclinare potuerit sententiam, ut §. *IV.* Judæorum Senatum in לשכת הגזית seu cæsi & dolati lapidis conclavi causam Christi cognovisse existimet, & Pilatum sententiam capitis in ipsum tulisse: idque ipsum esse λιθόςρωτον, Johanni memoratum. *Certe postquam inde Synedri, ut expulsi migrarant, non ita dissimile est, etiam Pilatum illuc se cum eis ad judicium Christi, ut speciosius saltem etiam Synedri ipsi ejusdem fierent participes, contulisse*, inquit *p.* 378. edit. Belgicæ. Si enim anno Christi trigesimo, Synedrium M. ex splendido suo conclavi in tabernas migravit, juxta ea, quæ *Annotat. præced.* monuimus, quomodo Christum in hoc conclavi examinare potuit & capitis damnare, quod in ædibus Pontificis factum memorat Matthæus cap. XXVI, 57 sqq. æque ac Lucas cap. XXII, 54. aut num vero videtur simile, Pilatum, causa Christi cognita, in Templi Atrium se contulisse, ut sententiam in eum ferret? In provinciis, tribunal Præsidis Romani constitutum ante ipsius Prætorium erat, æque ut in castris, Act. XXIII, 12, 16, 17. & cap. XXV, 6. Hinc Pilatus, postquam sermonem Judæorum minacem audiverat, ἤγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, *foras* extra Prætorium *eduxit Jesum*, ibique, non in Templi Atrio, ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος, *sedit pro tribunali*, Romanorum Præsidum more, qui pronunciare non solebant, nisi pro tribunali sedentes. Hinc locus ille λιθόςρωτος, non *Lischkath haggazith*, sed Γαββαθᾶ nominari consueverat, eo quod esset locus editior, lapidibus stratus. Alias quidem *Lithostrotum* dixere veteres pavimentum, ex lapidibus expolitis, variis coloribus, varioque ordine dispositis, figuras diversas exhibens, quale opus Præneste in Fortunæ Delubro primus fecit Sylla Dictator, CLXX circiter annis ante C. N. bene monente IAC. SPONIO *Miscell. Erud. Antiquitat. Sect. II. Art. VIII. p.* 38. hic autem in genere censemus, pavimentum ex lapidibus structum, eoque paulo excelsius reliquo solo, notare. In eandem tamen, cum SELDENO, sententiam concedentes, CASAVBONVS *ad* SVETON. *Jul. Cæs. cap. XLVI.* & IOH. LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. in Joh. XIX,* 13. eadem opera castigantur ab ANTONIO BYNAEO *de morte J. C. lib. III. cap. IV. §. 34. pag.* 170 *sqq.*

Ad §. IX. pag. 116.

(7) *Sub portis urbium*] In portis urbium judicia exerceri, judicesque causas dirimere consuevisse, supra docuimus *ad Lib. II. Cap. III. §. 3. Annot.* 5.

Ad §. X. pag. cit.

(8) *Ratione potestatis, auctoritatisque*] Differentiam Minorum judiciorum a Supremo,

Auctor

Auctor porro eruit e dispari cognitione causarum. Trium enim generum statuebant actiones: דיני קנסות *judicia mulctatitia*, seu causas criminales ex lege, nec tamen capitales: דיני נפשות *judicia animarum*, seu causas capitales, in quibus ultimum irrogabatur supplicium: & דיני ממונות *judicia pecuniaria*, & causas mere civiles: sed &, quæ cuique foro cognitio & sententia competeret, curate definiebant. Soli supremo Synedrio, Cod. *Sanhedrin cap. I.* reservatas fuisse perhibent causas sequentes: 1) de Tribu, quæ vel tota, vel maximam partem, ad idololatriam defecisset: 2) de Pseudopropheta, quo respexisse Salvator creditur, quando Luc. XIII, 33. *non contingere*, ait, *ut Propheta pereat extra Hierosolymas*, ubi Synedrium M. contra vates seductores pronunciabat: 3) de Summo Pontifice, si admisisset aliquod crimen: 4) למלחמה הרשות *de bello αὐθαιρέτῳ* seu *arbitrario*, cui מלחמה המצוה *bellum præcepti* opponunt, quod cum Amalekitis, & septem gentibus Palæstinæ gerere divinitus erant jussi: 5) de Vrbe (Hierosolymorum) vel Atrio (Templi) amplificando: 6) de Synedriis, seu Judicum consessibus, in singulis tribubus instituendis: 7) de urbe quacunque, universalis apostasiæ damnanda: 8) de vitiis, quæ a sacerdotio arcerent, unde MAIMONIDES testatur, hoc continuum & principale hujus consessus fuisse negotium, ut Sacerdotes dijudicet, & dispiciat de natalibus & vitiis Sacerdotum: 9) de successione Summi Pontificis: 10) de omnibus gravioribus causis, de quibus ceteris Synedriis non liquebat, aut quæ inde per appellationem delatæ essent ad Concilium Supremum. Quin & eo usque progreditur MAIMONID. in Hilc. *Melachim cap. I.* §. 4. & Hilc. *Sanhedrin cap. V.* §. 1. ut jus eligendi reges Synedrio magno vindicet. Verum recte observat CARPZOV. *ad Schickardi Jus Regium cap. I. Theor.* 2. *p.* 16 *sq.* omnium Israelis regum exemplis constare, illos *vel* per expressam electionem divinam creatos esse, *vel* per successionem, *vel* per vim ac tyrannidem regnum occupasse, *vel* a Gentilium regibus constitutos fuisse, prout Pharao Joakimum 2 Reg. XXIII, 34. & Nebucadnezar Zedekiam cap. XXIV, 17. regno præfecerunt. Rursus in Cod. *Sanhedrin cap. I.* foro triumvirali permittuntur judicia civilia, de rapinis & læsione, de damno vel dimidio damni, de restitutione dupli, quadrupli & quintupli, de vi, de seductione, de diffamatione: contra vero judicia capitalia ad forum pertinent viginti-triumvirale.

Ad §. X. p. 116.

(9) *Accipiebat appellationes a Judiciis minoribus*] Appellandi, ac deferendi causas ad judicia majora, modum ac processum Cod. *Sanhedrin* in Mischna *cap. X.* & in Gemara, ita definiunt: Si de re quapiam, litigantibus opus est consilium exquiri, consulunt domum judicii, quæ est in civitate ipsorum. Si satis in ea Synedri a majoribus sunt instituti, sententiam ferunt, sin minus, eunt ad civitatem proximam. Istius urbis Synedrium si satis est institutum a majoribus, sententiam fert, sin minus, vadunt ad Domum judicii, quæ Hierosolymis est ad portam montis Templi. Quod si nec hoc perspectam habeat sententiam, vadunt amplius ad Domum judicii, quæ est ad portam atrii: si & illud sententiam ferre nequeat, vadunt ad Conclave cæsi lapidis, sive ad Synedrium M. Vnde patet, ex singulis Judææ civitatibus, difficiliora quæque relata fuisse, ad ea Synedria, quæ Hierosolymis sedebant, donec devolverentur ad supremum. Sed de causis per appellationes ad Synedrium M. deductis, progressuque appellationum copiose rursus disseruit SELDENVS *lib. III. de Synedr. cap. II. toto.*

Ad §. XI. pag. citat.

(10) *Quo tentabant pseudoprophetam*] De judicio pseudoprophetæ SELDENVM consule *lib. III. de Synedr. cap. VI. toto.* Quæ Auctor hic monet, ille §. *III.* dilucidius ita exponit: Si complura prædixerat vates temerarius bona, quorum pars tantum aliqua evenisset, nec omnia,

 in

in pſeudoprophetis habebatur: ſi famem, peſtem, bellum, id genus alias calamitates, ſeu mala prædixerat, tametſi non evenirent, pſeudopropheta nihilominus neutiquam cenſebatur. Vbi enim bona prædicta non evenirent, ideo arguebatur deceptor, quia regulariter quodcunque decrevit Deus de bono eventuro, id aliter ſe habere nequit, quia ſententiam ipſe non reſcindit. Secus autem ſe res habet in calamitatibus prædictis, quoniam tardus ad vindictam & miſericors eſt Deus; & forte pœnitentia ducti ii, in quos prædixerat, ad bonam mentem redierant, ideo prophetia ejus mendacii non erat damnanda. Hinc ſcitum illud: בדברי הטובה בלבד יבחן הנביא *ex bono tantum prædicto Propheta dijudicabatur:* quod loco Jeremiæ probatur, ab Auctore prolato. Addunt præterea aliud criterium: נביא שהעיד לו נביא אחר שהוא נביא הרי הוא בחזקת נביא *Propheta, qui teſtem ſibi habet Prophetam alterum* (jam probatum) *præſumitur eſſe Propheta* verax. Omnes autem pſeudoprophetæ convicti, ex ſententia duntaxat Synedrii M. ſtrangulatione plectebantur.

Ad §. XII. pag. 116.

(11) *Viguit quoque in interregnis*] Gravis hic, & capitalis agitur controverſia: *Num ab antiquo, ac inde a Moſis & Judicum temporibus, decantatum iſtud Synedrium M. obtinuerit?* Id ex inſtituto, dataque opera impugnandum, negandumque ſibi ſumſit IOH. VORSTIVS pecul. diatriba, *de Synedriis Hebræorum*, Roſtochii anno 1651. edita, cujus §. 39 *ſqq.* mentem ſuam ita exprimit, ut Synedrium M. eam, quam Rabbini deſcribunt, faciem habitumque induiſſe probet, ſub Haſmonæis demum, & poſt profanationem Templi, ab Antiocho Epiphane factam. Hinc §. 21 *ſqq.* per ſingulas temporum epochas eundo, demonſtrare ſatagit, nullum ejuſmodi Senatum ſupremum, vel a Moſe fuiſſe inſtitutum, vel ſub Judicibus & Regibus viguiſſe. Coactum enim a Moſe LXX Seniorum Concilium Num. XI, 16. & dudum ante in populo Iſraelitico locum habuiſſe, & Moſi non ad latus poſitum, aut ad dijudicandas graviores controverſias inſtitutum, verum ad allevandum ipſi onus murmurantis ac rebellantis populi, ſubordinatum fuiſſe, velut levamen. Porro §. 33. Joſuæ & Judicum præcipuam fuiſſe docet auctoritatem inter Hebræos, Synedrii autem M. nullum iſta ætate, & ne minimum in Scriptura veſtigium deprehendi. Sane, ſi bellum gerendum eſſet cum hoſtibus, Judicum id factum fuit auſpiciis, aut univerſus populus coiit in unum, quemadmodum tum fecerunt, cum contra unam Benjamitarum tribum arma moverent tribus reliquæ. Suprema item judicia ab ipſis adminiſtrata fuiſſe conſtat, exemplo Deboræ Jud. IV. nec non Samuelis 1 Sam. VII, 16. Licet itaque in ſingulis civitatibus Judices & Præfecti eſſent, qui cauſas cognoſcerent Deut. XVI; difficiliores tamen caſus vel ad Sacerdotes deferebantur ad locum Sanctuarii, vel ad Judicem, κατ' ἐξοχὴν ita dictum. Hinc Eli duplici nomine graviores cauſas decidebat, & quod Sacerdos Summus eſſet, & quod Judex. Nulla iſtis temporibus mentio Synedrii M. Hinc, cum Regem ſibi expoſceret populus, non repudiabat auctoritatem Synedrii M. ſed filiorum Samuelis, qui patri ſuffecti, veſtigia ejus non premebant; hinc rogabat: *Da nobis regem, qui judicet nos, ſicut univerſæ habent nationes* 1 Sam. VIII, 5. Quid regium ſibi depoſcere judicium opus habuiſſent, ſi penes Synedrium M. ea tempeſtate ſumma fuiſſet judiciorum poteſtas? Poſthæc ad Reges deferebantur lites, ut ex 2 Sam. XV, 2 ſeqq. 1 Reg. III, 16 ſqq. 28. & aliis locis, liquido intelligitur. Denique Joſaphatus ſupremum aliquod conſtituiſſe legitur judicium Hieroſolymis 2 Chron. XIX, 8 ſqq. ſed aliud longe, nec tale, quale Synedrium M. deſcribitur a Rabbinis. Ex quibus omnibus denique conficit VORSTIVS §. 39. Synedrii M. natales ad Haſmonæorum demum ætatem eſſe rejiciendos. Præluſerat forte VORSTIO, HERMANN. CONRINGIVS, edita A. 1648. diſputatione *de Republica Hebræorum,*

rum, cujus §. *XXXVII.* verosimilius sibi videri ait, Synedrium magnum aliquod constitutum demum esse post captivitatem Babylonicam, & quidem maxime Hasmonæorum tempore, idque ad effigiem Senatus a Josaphato Rege olim compositi, cujus fit mentio in Paralipomenis. Recentiorem adhuc originem ei tribuit DIONYSIVS PETAVIVS *lib. II. de doctrina temporum cap. XXVII. fol. 156.* & a Gabinio demum arcessit, qui a Pompejo in Judæam missus, restituto Hyrcano, populoque in quinque partes distributo, totidem constituit Synedria, summum Hierosolymis, cetera Gedaris, Amathunte, Jerichunte, & Samphoris: quam in rem testem laudat IOSEPHVM *lib. XIV. Antiqu. cap. X.* & *lib. I. de bello Jud. cap. VI.* Cumprimis autem IOH. FRISCHMVTHVS libro *de Rege eligendo & deponendo*, postquam inde a §. *LIII.* in Synedrii hujus natales paulo accuratius inquisivisset, tandem §. *LX.* aliquot argumentis negat, Judicum, Samuelis, & Regum temporibus, consessum illum Synedrialem extitisse, ortumque ejus demum ad tempora Esræ, & ceterorum ex Babylonica captivitate redeuntium refert. Novissime omnium Reverendiss. Scaniæ Bleckingiæque Episcopus, HENRICVS BENZELIVS, in dissertatione *de Synedrio M. Rabbinorum ad examen revocato*, quæ *Syntagmatis disputation.* ejus *Tom. II. p.* 181 *sqq.* legitur, postquam varias Rabbinorum in describendo illo ἀντιλογίας urserat, & singulis reipublicæ Judaicæ ætatibus illud denegaverat, demum §. *X. p.* 205. concludit, se non omne prorsus negare Synedrium M. cum de eo toties in Nov. Test. fiat mentio, sed temporibus solutam captivitatem Babylonicam sequentibus tale quid tribuit. Vti vero non adeo præcise patere existimat, quomodo idem comparatum fuerit, quantaque ejus potestas; ita neque de tempore, quo inceperit, certo constare credit. Verum cum Græcæ linguæ suam debeat originem ipsa vox סנהדרין & hæc insuper lingua tum demum Judæis frequens esse cœperit, quando res eorum cum Regibus Syriæ atque Aegypti fuerint commixtæ, hisce utcunque temporibus natales Synedrii non sine ratione assignare posse, sibi videtur.

Contra vero ea, & Mosaicam illi originem, & perennantem in republica Hebræorum usum tribuunt, cum Rabbini tantum non omnes, tum peritissimi antiquitatum Judaicarum e Christianis scrutatores, SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap. IV.* §. 2. CVNAEVS *lib. I. de Republ. Hebr. cap. XII.* PAVL. FAGIVS *Not. ad Numer. XI,* 16. IOH. DE VOISIN *Observ. ad Proœm. Pugionis Fidei fol.* 14 *sq.* GALATINVS *lib. IV. de Arcan. Cathol. verit. cap. V.* SIGONIVS *lib. VI. de Republ. Hebr. cap. VII.* MENOCHIVS *lib. I. de Republ. Hebr. cap. VI. quæst.* 5. LEVSDENIVS *Philol. Hebræo-Mixti Dissert. XLVI. p.* 317. aliique passim: unde operæ nos pretium facturos existimamus, si paulo curatius in ætatem Senatus istius (veritatem enim ejus historicam, Novum pariter Fœdus ac IOSEPHVS, in dubium vocare non sinunt) inquiramus. Salva itaque in viros doctissimos, qui secus statuunt, pietate ac reverentia, sententiam nostram distincte proponemus. I.) Mosen, divinis auspiciis, Concilium ejusmodi LXX Senatorum instituisse, ex tribus Scripturæ testimoniis, Exod. XVIII, 22. Num. XI, 16. & Deuter. XVII, 8 sqq. passim probatur, horumque medium cumprimis, solennem ejus originem, ultimum divinitus imperatam continuationem, liquido evincit. Seniorum quidem populi, τῶν זקנים auctoritas, etsi jam in Aegypto Exod. III, 16. IV, 29. & post egressum, in deserto Exod. XVII, 5. XVIII, 12. XIX, 7. & XXIV, 1, 9. ubi numerus septuagenarius iis additur, præclara erat & spectata, nondum tamen in commune aliquod & populo præfectum coaluerant Collegium, donec jussu Numinis Numer. XI, 16. in unum velut corpus compingerentur. II.) Post excessum Mosis, eadem regiminis obtinuit ratio in populo, tam Josua rerum potiente, quam post herois fata, quoad pristini superstites essent Assessores, Jos. XXIV, 31. Jud. II, 7. Ab isto tempore, altum quidem de hoc Senatu in Sacris literis silentium est, & fieri potest, ut ingruente creberrima gentis in Deum rebellione, & Sacro-

rum depravatione, aliquam ille auctoritatis, justitiæ, prudentiæ ac sanctimoniæ fecerit jacturam, maxime si epidemica illa labe inficerentur quoque Assessores: penitus tamen intercidisse eum ut credamus, cum populi ad frugem subinde redeuntis, obsequium Numini de novo præstitum, tum piorum Judicum, Samuelis cumprimis, tenacissimum legis divinæ studium prohibet; nec ipsa patitur necessitas, populum tot oppressionum ac *ἀναρχίας* annis, absque Magistratu, absque judicio, absque publicorum criminum vindice, solutumque omni lege & obsequio, vixisse. Quod vero Debora, quod Samuel, quod alii demum Judices, jura dixisse populo leguntur, tam non evertit Synedrium, quam non evanuit illud Mosis ac Josuæ auctoritate, cum uterque graviorum casuum decisionem a Deo edoctus promulgaret, salva inter hæc Synedrii opera, populo navata. Et spectant huc, quæ non inepte ad hoc dubium GOODWINVS §. *sq. XIII.* regessit. III.) Quid vero de Regum dicamus imperio, quod tantum abest, ut Concilium hoc sustulerit, ejus ut ope vel maxime in obsequio subditos contineret. Eorum plurimi, si Salomonem excipias, vitam in armis agebant, & cum tutari fines, tum ulterius proferre annisi, judiciis & juri dicundo vacare non poterant. Judiciorum itaque, tam urbicorum, quam supremi istius, subsidio, lites in adeo numerosa gente dirimebant. Quis vero Saulem, dum aurem adhuc præbebat Samueli, quis Davidem, virum secundum cor Dei, facientem *πάντα τὰ θελήματα τῦ θεῦ* (Actor. XIII, 22.) quis Salomonem, quis pios Deique reverentes alios, dixerit, adeo neglexisse Mosaicam constitutionem, ut supremo isthoc judicio carere regnum mallent? De Josaphato diserte testimonium perhibet Spiritus Sanctus 2 Chron. XIX. quo & instaurasse Synedria, & rem serio agere ipsis injunxisse perhibetur; eandemque mentem Hiskiæ, Josiæ, aliisque piis Regibus hæsisse, quis dubitaverit? IV.) In captivitatem Babylonicam demum abreptus populus, Sacrorum quidem pariter ac reipublicæ splendorem amisit, Judices tamen & Seniores, æque ac Prophetas, divino beneficio, tum quoque retinuit, a quorum ore penderet, quorumque moderamine & consiliis miseriam suam solaretur. Chaldæus Cantici Canticorum Interpres Synedrium sane captivo quoque populo asserit, *ad Cap. VI,* 1. ita commentatus: ומרי עלמא קבל צלותהון ברעוה ונחת לבבל לסנהדרין דחכימיא ויהב רוחא לעמיה *Dominus sæculi suscepit orationem eorum cum placentia, descenditque in Babyloniam ad Seniores Sanhedrin, & dedit odorem populo suo.* Pariter R. SALOM. IARCHI vaticinium Jacobi *Genes. XLIX,* 10. de Aechmalotarchis in Babylonia interpretatur, ad verba: *non recedet sceptrum a Jehuda,* glossam adjiciens: מדוד ואילך אלו ראשי גלויות שבבל שרודים את העם בשבט שממונים על פי המלכות *A Davide ac deinceps, hi sunt Principes captivitatis, qui Babylone fuerunt, quique dominati sunt super populum sceptro, ac præpositi erant auctoritate regia:* quibus gemina leguntur in Gemara Cod. *Sanhedrin cap. I. fol.* 5. *a.* Vnde liquet, ex Judæorum traditione ac mente, in captivitate Babylonica umbram quasi mansisse Senatus illius supremi. V.) Post reditum e Babele restauratum hoc Concilium, vel ipsi largiuntur *οἱ ἐξ ἐναντίας,* licet de tempore sentiant diversum, & monumenta testantur cum Sacra, tum IOSEPHVS & sequiora Judæorum. Conf. Esræ VII, 25 sq. X, 5 sqq. 1 Maccab. XII, XIII, XIV. & historiam Evangelistarum, nec non Acta Apostolica. Vt huic epochæ non opus sit multum immorari. VI.) Nec obstat, vel Scripturæ post fata Josuæ silentium, quod in aliis majoris momenti factis observare, rei tamen, a Deo diserte institutæ, veritatem eapropter negare non licet; vel Rabbinorum in delineatione Synedrii dissensus, qui isti hominum generi, in gravissimis antiquitatis monumentis tradendis, perquam est familiaris, cum sufficiat universalis in asserenda Senatus hujus veritate concentus. VII.) Etsi vero illam Synedrii formam, quam Talmudistæ describunt, vel ab incunabulis ejus obtinuisse, vel per omnium sæculorum tractum, servatam fuisse, nulli contendimus, in ultima forte tempora

aptius,

aptius, quam in media quadrantem: res tamen ipsa, vel ob insignes externi habitus diversitates, vel ob hiatus nonnullos, e medio tolli & negari non potest. Nam neque cultus divini eadem omni ætate, maxime in captivitate Babylonica, fuit conditio, ista tamen cerimoniarum, circumstantiarum, fatorum nunc felicium, nunc adversorum, diversitas nihil prohibet, quo minus cultus, ratione substantiæ idem, in populo Deo dicato perseveraret: quod idem de Synedrio affirmare licet. Confer huc SELDENVM *lib. II. de Synedr. cap. XV. §. V.* ubi de intermissionibus Synedrii erudite agit. Sed æquis rerum arbitris ista sufficere, persuasum habeo, ut plura, quæ præsto sunt, his addere non sit opus.

Ad §. XII. pag. 116.

(12) *Vsque dum eam Herodes tolleret*] Herodes quippe, Antipatri filius, in regium solium a Romanis evectus, non tantum manus intulit Aristobulo atque Hyrcano, Pontificibus, & quicquid de Hasmonæorum sanguine supererat, extinxit, sed nec Synedrio M. pepercit, cujus Assessores, non quidem omnes, ut viris magnis passim persuasum est, præcipuos tamen interemit, excepto Samea, qui Herodi olim in jus vocato, regnum prædixerat; testibus IOSEPHO, Talmude, & Christianis Scriptoribus passim. Sed vel maxime hic consulendus est SELDENVS *loco citato*, qui verum a falso discernit, & quæ perperam adjiciuntur, liquido demonstrat.

AD

LIB. V. CAPVT V.

DE QVALITATIBVS, QVAE REQVIREBANTVR A JVDICIBVS, ET MODO ELECTIONIS.

Ad §. I. pag. 117.

Justitiam] At enim vero Saulem in bello contra Amalekitas admonitum fuisse, perhibent Magistri, per Bath Kol: אל תהי צדיק הרבה *ne sis nimium justus:* ut ex *Pirke* R. ELIESER citat ABARBENEL *Comment. in* 1 *Samuel. XV*, 5. *fol.* 105. *col.* 4. Cui forte geminum erit, quod L. Cassii, Prætoris Romani tribunal, *propter nimiam severitatem* scopulus reorum *dicebatur:* teste VALERIO MAXIMO *lib. III. cap. VII. Rom.* §. 8.

Ibidem.

(2) *Amorem veritatis*] Hanc adeo in Judice requisiverunt Aegyptii, ejus ut simulacrum in pectore gestaret judiciorum Præses, teste AELIANO, qui *Hist. Var. lib. XIV. cap. XXXIV.* ita refert: *Δικασαὶ καὶ τὸ ἀρχαῖον παρ' Αἰγυπτίοις ἱερεῖς ἦσαν· ἦν δὲ τούτων ἄρχων ὁ πρεσβύτατος, καὶ ἐδίκαζεν ἅπαντας· ἔδει δὲ αὐτὸν εἶναι δικαιότατον ἀνθρώπων καὶ ἀφειδέστατον· εἶχε δὲ καὶ ἄγαλμα περὶ τὸν αὐχένα ἐκ σαπφείρου λίθου, καὶ ἐκαλεῖτο τὸ ἄγαλμα Ἀλήθεια. Apud Aegyptios a prima antiquitate, qui judicabant, Sacerdotes erant. Eorum autem Princeps fuit, qui ceteros ætate anteibat. Ille in omnes jus dicebat. Eum autem esse oportebat omnium & justissimum, & parcentem nemini. Gerebat autem de collo imaginem ex Sapphiro, eaque imago Veritas dicebatur.* Consentit DIODORVS SICVLVS, qui *Biblioth. Histor. lib. I. p.* 31. ubi de rebus Aegyptiorum agit, memorat *Ἀρχιδικαστὴν, ἔχοντα τὴν ἀλήθειαν ἐξηρτημένην ἐκ τοῦ τραχήλου, Summum Judicem, qui haberet de collo pendentem veritatem.* Et paulo post denuo: *ἐφόρει δὲ οὗτος ἐπὶ τὸν τράχηλον ἐκ χρυσῆς ἁλύσεως ἠρτημένον ζώδιον τῶν πολυτελῶν λίθων, ὃ προσηγόρευον ἀλήθειαν· τῶν δ' ἀμφισβη-*

Φισβητήσεων ἤρχοντο ἐπειδὰν τὴν τῆς ἀληθείας εἰκόνα ὁ Ἀρχιδικαςὴς προσθεῖτο. Gestabat autem ille in collo ex aurea catena pendens e lapillis pretiosis simulacrum, cui Veritas *nomen: hoc autem Veritatis simulacrum Judiciorum Principi aptatum, causas cognoscendi auspicium fuerat.*

Ad §. II. pag. 117.

(3) *Judæi plures addunt*] Ita quippe præcipiunt in Gemara *Sanhedrin cap. I. fol.* 17. *col.* 1. אין מושיבין בסנהדרין אלא בעלי קומה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ובעלי כשפים ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרי שומעת מפי התורגמן: *Non cooptant in Synedrium, nisi qui sit egregia statura, & sapientia, & forma, senex, magiæ non rudis, callens LXX linguas, ne opus sit, Synedrium per interpretem audire.* Hæc paulo plenius repetit MAIMONID. Hilc. *Sanhedrin cap. II. init.* Addit etiam his requisitis alia nonnulla MOSES MIKOZI in *Libro Præcept. magno, Præcept. affirm. XCVII.* יהיו מנוקים מכל מומי הגוף ויהיו בעלי חכמה בעלי עושר בעלי כשפים שידעו לבטל כישוף ויודעים בשבעים לשון שלא תהא סנהדרין שומעת מפי המתורגמן: *Sunto immunes ab omni labe corporis: sunto sapientes, divites, præstigiatores, qui sciant præstigias & incantationes amoliri; sunto periti septuaginta linguarum, ne opus habeat Synedrium audire ex ore interpretis.* Quod ad linguarum attinet notitiam, communis est Hebræorum sententia, septuaginta esse gentes, septuaginta linguas, & Angelos totidem, gentibus singulis præfectos: quam, & affinem Patrum Ecclesiæ de LXXII linguis traditionem, sub examen vocavit BOCHART. *in Phaleg lib. I. cap. XIV. p.* 60 *sqq.* qui tandem *p.* 65. observat, in Scripturis præter Hebræam, viginti circiter numerari. De Judice autem Hebræo ita definit R. IVDAS, nisi sint in urbe duo minimum, qui LXX linguas loqui sciant, & unus, qui intelligat, Concilium in ea locum non invenire. Tales autem Jafnen quatuor habuisse jactant, R. ELIESAREM, R. IOSVAM, AKIBAM & SIMEONEM THEMANITEN. Quod ad ætatem spectat, distinguunt in בעל זקנה senio venerandum virum, qui locum in Synedrio vel maxime habet, & in זקן מופלג בשנים ultimæ senectutis hominem, qui excluditur, quia æque ac סרים *Eunuchus*, crudelior esse soleat: nec non improlis, aleator, fœnerator. &c. Confer de requisitis Synedrorum SELDEN. *lib. II. de Synedr. Hebr. cap. IX. toto:* IOH. COCCEIVM *Not. ad Massechet Sanhedrin p.* 18. & SCHICKARD. *Jur. Regii Cap. II. Theor. VI. p.* 128.

Ad §. III. pag. cit.

(4) *Tria subsellia inferiorum*] Subsellia ista laudatus SELDENVS delineavit & ob oculos posuit *c. l. cap. VI.* §. 2. modumque ac rationem cooptandi Assessores, §. 3. exposuit. Sedebant quippe *Discipuli* isti *Sapientum* seu Candidati, in transversum hemicycli istius, quem formabat Synedrium XXIIIvirale, & unumquodque ex his subselliis XXIII תלמידים complectebatur. Ex his legebantur ipsimet Assessores viginti-trium-viralium Synedriorum. Sin autem supplendus esset locus in Synedrio M. solennior & ordinarius mos erat, ut ex illo viginti trium Synedrio, quod ad atrium Templi assidebat, velut e promtuario jurisconsultorum virorum, successores evocarentur. Evocabantur nempe e minoribus per urbes & provincias Synedriis, viri præstantiores in Synedrium illud alterum, Hierosolymis ad montem Templi collocatum, demortuis nimirum, aut summotis collegis. Hinc, ut successores, in Synedrium, quod ad atrium Templi sedem habuit, evecti. Adeo, ut neminem præter spectatissimos, multoque rerum forensium usu exercitatos & subactos, adsciscerent in Synedrium M. Ast, cum rebus turbidis agitaretur respublica, Victores vel Reges Judææ, & penes quos summa potestas erat, præter ordinem cooptabant Assessores, quos vellent.

Ad

Ad §. IV. pag. 117.

(5) *Facta est ἐπιθέσει τῶν χειρῶν, impositione manuum*] Vniversam initiationis solennitatem ac rationem, supra edisseruimus *ad Lib. I. Cap. VII.* §. 3. *Annot.* 7. unde, quæ huc faciunt, repetantur. A סמך, *innixus fuit, imposuit, fulcivit*, est סמיכה χειροθεσία, *manuum impositio*, quæ vel *religiosa* est, cum capiti victimæ, una cum peccati confessione, utraque manus vel offerentis, vel Sacerdotis imponeretur, de qua erudite commentatus est GVILIELM. OVTRAM *lib. I. de Sacrificiis cap. XV.* §. 6 *sqq.* vel *civilis*, ad conferendam dignitatem, facultatemque sive docendi, sive judicandi, quæ hujus est loci. Non vero eodem apud omnes fine ac effectu adhibebatur. *Alios* quippe, in dignitatem docendi, ac ligandi, h. e. inhibendi, & solvendi, h. e. permittendi, atque hoc pacto ad casus conscientiæ, & dubia sacra definiendi, & velut in Doctoratum Theologiæ universæ, creabant. *Alios*, in Theologiæ capitum aliquot tantum particularium explicandorum facultatem creabant. *Alios*, quod frequentissimum erat, potestate, licentia, sive potius capacitate, causas qualescunque cognoscendi, donabant, Doctores sic Juris ac Theologiæ simul creantes. *Aliis* denique, causis aliquot tantum, veluti pecuniariis, sed non capitalibus, permissis. Ex ipsa tamen ejusmodi creatione, non judicialem quis nanciscebatur aliquam potestatem, quam ex ipsa creatione sola actu exercere posset, sed ex creatione ejusmodi tantum capax fiebat præfecturarum juridicarum, atque ut inde in Judicum Collegia ac Synedria, sive majora, sive minora posset, nec aliter rite, cooptari: docente MAIMONIDE Hilc. *Sanhedrin cap. IV.* & SELDENO *lib. I. de Synedr. cap. XIV. pag.* 302 *sq.* edit. Belg.

Ad §. IV. pag. cit.

(6) *Nisi præsentibus quinque aut tribus Judicibus*] Hoc ita exponit MAIMONID. *cit. loc.* & ex eo repetit BVXTORF. *Lex. Targum.* voc. סמיכה *fol.* 1498. *A temporibus Hillelis nemo potest promovere, nisi facultate accepta a Principe Synedrii magni. Princeps autem Synedrii non potest promovere, nisi præsente τῷ* אב בית דין *Patre domus judicii, & hic vicissim non, nisi præsente Principe. Qui vero facultatem promovendi accepit, non poterat illud facere, nisi adhibitis duobus testibus. Nam promotio non potest peragi a paucioribus, quam a tribus. Non poterat hic actus exerceri extra terram Israelis ulla ratione, unde requirebatur, ut & Promotor, & Promotus essent in terra. Si autem uterque esset in terra, poterat etiam quis absens per nuncios, vel per epistolam, aut scriptum testimonium promoveri.*

Ad §. IV. pag. 118.

(7) *Aut manu fiebat, aut nomine tantum*] Ita diserte definit MAIMONID. *c. l.* §. 11. וכיצר היא הסמיכה לדורות לא שיסמכו ידיהן על ראש הזקן אלא שקורין לו רבי ואומרים לו הרי אתה סמוך ויש לך רשות לדון *Quomodo autem facta est ordinatio ab omnibus retro seculis? non* (tantum) *ut imponant manus promovendo, sed etiam, ut illum edita voce Doctorem declarent, & ei dicant: ecce, tu es promotus, & est tibi potestas judicandi.* LIGHTFOOTVS equidem ex MAIMONIDE, male intellecto, persuaserat sibi, quod circa ætatem Christi, Judæi non amplius per manuum impositionem, sed per nudam declarationem, qua quis Doctor renunciatur absque ullo addito symbolo sive cerimonia, promotionem peregerint. Quem tamen hoc nomine confutat VITRINGA *lib. III. de Synag. Vet. P. I. cap. XV. p.* 836 *sq.* & tempore Servatoris, in terra versantis, utrumque promovendi ritum obtinuisse probat. Ibidem quoque *p.* 838. contra HERM. WITSII effatum, quasi gemina obtinuisset ordinatio per manuum impositionem, alia ad Senioratum, sive Doctoratum, alia & suo tempore sequens, ad Assessuram in Concilio, disputat, eamque nullo vetustatis testimonio evinci posse docet.

Ad §. VI. pag. 118.

(8) *Impositiones manuum*]. Velut סמוך & סמיך *vicinum, conjunctum, proximum*, & apud Grammaticos, *constructum, in regimine positum*, pariter סמיכה & סמיכות *vicinitatem, approximationem, adhæsionem*, & apud Grammaticos, *constructionem* nominis cum nomine, apud Logicos *Categoriam Relationis* notat: ita in Synagoga, *manuum impositione peractam, in Magistrum sive Doctorem promotionem* designat, unde סומך *promotor, ὁ χειροθέτης*; סמוך *promotus* in Rabbinum: pro diversitate rei, de qua sermo est.

AD

LIB. V, CAPVT VI.

DE COMMVNIBVS CERIMONIIS IN OMNIBVS CAPITALIBVS IVDICIIS.

Ad §. II. pag. 118.

In quibusvis causis deliberationibus uti]. In judiciis pecuniariis, sive absolutoria esset, sive condemnatoria sententia, moris erat, ut eodem finirentur die, quoties scilicet de lite satis liqueret; in capitalibus vero, si sententia esset absolutoria, eodem quidem die finiri res poterat, sin condemnatoria, in crastino erant finienda, sed nec ultra crastinum, quando aut nil, præter sententiarum calculum, in foro faciendum restaret, aut cuncti in damnatoriam satis consentirent, sententiæ pronunciatio erat differenda: unde hæc talia judicia pridie Sabbathi, aut pridie festi alicujus non exercebant, ne scilicet sententia condemnatoria in biduum differretur, sive ultra crastinum. Nam Sabbatha ac dies festi, Juridici non sunt, nec pœnæ in iis affligendæ, quæ statim sententiam sequi solebant. Quodsi ergo quis pridie Sabbathi capitalis criminis accusaretur, custodiæ eum tradebant usque in feriam primam sequentis hebdomadis, atque tunc de eo cognoscere incipiebant. Confer SELDENVM *lib. II. de Synedr. cap. X. §. 2.* Hinc intelligis, cur Synedrium ad capitis damnandum Christum, postero die, matutino tempore denuo in concilium convenerit apud Pontificem Matth. XXVII, 1. Marc. XV, 1. Luc. XXII, 66. cum tamen antegressa nocte, causa cognita, in condemnatoriam assessores pedibus ivissent omnes, dicentes, *ἔνοχος θανάτου ἐστὶ*, Matth. XXVI, 66. coll. Marc. XIV, 64. quia eodem, quo audiretur reus, die ad mortem tradi non poterat, sed damnationis publicatio in crastinum erat differenda. Quam autem perperam & contra canones, Senatus Judaicus pridie Sabbathi, atque in ipso festo, capitale judicium exercuerit, jam monuit LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. ad Matth. XXVII, 1.*

Ad §. IV. pag. 119.

(2) *In capite populi*, 1 *Reg. XXI, 9.*] Vereor, ut ritus, sistendi capitis reum in loco eminentiori, ex hoc loco valide satis evincatur. Alii enim, honoris causa, in consessu illo Nabothum primum tenuisse locum censent, velut ABARBENEL verborum horum hanc reddit rationem, כי היה ארם נכבד *erat enim vir honoratus*, in dignitate constitutus: alii vero de loco omnibus conspicuo exponunt, ut SEBAST. SCHMIDIVS interpretatur, *sistendum & producendum Nabothum ante universum populum, in judicium: nam qui reus erat, quive testes, illi prodire & coram omni populo sedere, suamque causam dicere cogebantur, aut testimonium.* Nec in subsidium vocare licet *λιθόστρωτον* Pilati, Gabbatha

tha dictum, quia in eo *βῆμα, tribunal* erat, e quo pronunciabatur sententia in reum, de quo supra dictum, *ad Cap. IV. §. IX. Not. 5. & 6.*

Ad §. V. pag. 119.

(3) *Sanguis tuus super caput tuum*] Inter verba solennia, jam ab antiquo apud Hebræos, habebatur formula: *Sanguis tuus sit super te,* h. e. cædis tuæ culpa in te redundet, nemini, præter te ipsum, in acceptis sit ferenda. Ita Lev. XX, 9. *Qui maledixerit patri suo, aut matri suæ, morte morietur, patri suo aut matri maledixit,* דמיו בו *sanguis ejus sit super eum:* Jos. II, 19. *Quicunque egressus fuerit de porta domus tuæ,* דמו בראשו *sanguis ejus sit super caput ejus,* h. e. sibi imputet, non nobis, si occidatur, *& nos erimus insontes: quicunque autem fuerit tecum in domo,* דמו בראשנו *sanguis ejus sit super caput nostrum,* nos culpam præstabimus, nos rei cædis ipsius erimus, *si quis eum læserit.* Ita quoque 2 Sam. I, 16. 1 Reg. II, 44 sq. Vnde IARCHI verba cit. apud Josuam ita *παραφράζει·* עון הריגתו על ראשו תהא כי הוא יגרום מיתתו *culpa cædis ejus sit in capite ejus, quia ipse sibi mortis suæ causa fuit:* & denuo: עון הריגתו תהא בראשנו *culpa cædis ejus sit in capite nostro.* Huc phrasis quoque spectat: *ponere sanguines in sua domo,* h. e. domum, seu familiam cædis reatu involvere, atque obstringere Deut. XXII, 8.

Ad §. VI. pag. cit.

(4) *Marcus VI, 27. nominat Σπεκουλάτωρα*] Diversimode scribitur: *speculator* & *spiculator*, & pro diversitate lectionis gemina quoque nominis derivatio traditur, & significatio. Priorem a *speculando*, posteriorem a *spiculis* deducunt. Priori Auctor inhæret: & favet auctor Glossarii veteris, cui *speculator* est *ἐπόπτης, κατάσκοπος.* Secus autem habet IVLIVS FIRMICVS *lib. VIII. cap. XXVI. Speculatores faciet, qui nudato gladio, hominum amputant cervices.* In historia Romana est *miles prætorianus*, seu ad Imperatorum custodiam conscriptus. Præfecti autem custodiæ regiæ, juxta Judæorum, Aegyptiorum, Chaldæorum, & Romanorum mores, solebant eos interficere, quos Rex morti damnaverat, quod probe *ad h. l.* observavit HENRICVS HAMMONDVS. Rabbinis ספיקולא / & אספיקולא *spiculatio* est occisio, & ספקלטור vel ספולטור *spiculator*, ubi BVXTORFIVS *Lex. Targ. h. v. p.* 1533. explicat: *sic dicti sunt Satellites Principum, quibus etiam sontes tradebantur occidendi:* quod ex Targum *Genes. XXXVII*, 36. SENECA, aliisque auctoribus, confirmat. Consentit Scholion, ex THEOPHYLACTO in Novo Testamento IOHANNIS GREGORII huic loco adjectum, quod *σπεκουλάτωρα* exponit, *τὸν δήμιον στρατιώτην, ὃς πρὸς τὸ φονεύειν τέτακται.*

Ad §. VII. pag. cit.

(5) *Præco publicus, clamans*] Depromta hæc sunt ex Mischna Cod. *Sanhedrin cap. VI.* §. 1. ex MOSIS KOTZENSIS *libro Præceptorum magno*, & ex MAIMONIDE Hilc. *Sanhedrin cap. VI.* unde hausit, quæ in eandem sententiam tradidit, SELDEN. *lib. II. de Synedr. cap. XIII.* §. 3. Nec est, quod adjiciamus, præterquam quod Romanis usu pariter receptum fuerit, ut, cum ad supplicium traheretur reus, causa mortis & crimen omnibus denunciaretur spectatoribus, vel per præeuntem præconem, qui elata voce populo nunciaret delictum, ob quod supplicium de aliquo sumendum esset, vel per titulum tabulæ inscriptum, sive illa præferretur sonti, sive de collo ejus appenderetur aut superimponeretur. Dudum hoc a PETRO FABRO *Semestr. lib. II. cap. VIII.* IVSTO LIPSIO *de Cruce lib. II. cap. XI.* HVG. GROTIO *ad Matth. XXVII*, 37. BRISSONIO *de Formulis lib. V. p.* 489. aliisque, est observatum. Quando ergo Christum de cruce suspendendum, non tam præco antecessit, quam *ἐπιγραφὴ* cruci appensa prodidit, Matth. XXVII, 37. Marc. XV, 26. Luc. XXIII, 38. Joh. XIX, 19. morem hinc intelligis non Judæum, sed Romanum, æque ut supplicium ab ipso sumtum est gentile.

Ad §. VIII. pag. 119.

(6) *Ne exsors foret futuri sæculi*] Cum decem cubitis a pœnæ loco reus abesset, Deo confessionem eum edere jubebant, שכל המתודה יש לו חלק לעולם הבא *quisquis enim confitetur, illi in futuro sæculo sors erit*, ex effato Mischnæ Cod. *Sanhedrin cap. VI.* §. 2. idque probatur exemplo Achanis Jos. VII, 19. unde probandi nervus ita eruitur: ומנין שיכפר לו וידויו *unde constat, expiasse eam confessionem peccatum ejus?* שנאמר ויאמר יהושע מה עכרתנו יעכרך ה' ביום הזה inde, *quia dicitur: & inquit Josua: quid turbasti nos? turbabit te Dominus hoc die:* היום הזה אתה עכור ואי אתה עכור לעולם הבא *hoc die turbaberis, non in futuro sæculo.* Additur ibidem: *quod si nesciat* reus, *quomodo edenda confessio sit, sic jubetur dicere:* תהא מיתתי כפרה על כל עונותי *sit mors mea expiatio pro omnibus peccatis meis.* Monet tamen ad hanc Mischnam MAIMONIDES, mortem Achanis ex speciali mandato pro illo tempore, & extra ordinem peractam fuisse: *Lex enim nostra neminem condemnat mortis, propria ipsius confessione, neque Prophetæ alicujus dicto, quod tale peccatum commisit:* decisionem ergo hic non esse juxta R. IEHVDAM S. Ceterum Mischna Tract. *Sanhedrin cap. XI.* §. 1. postquam omni Israelitæ futuri sæculi sortem esse pronunciaverat, hanc tamen eorum, qui exsortes vitæ æternæ futuri sint, exceptionem addit: *Qui negat, in vitam revocandos esse mortuos: Legem esse a cælo: Epicureus.* R. AKIBA ait: *Is quoque, qui libros extraneos legit: qui adsusurrat plagæ hæc verba Exod. XV, 26. omnem morbum* &c. ABBA SCHAVL: *Is quoque, qui nomen Dei ἀνεκφώνητον suis literis pronunciat.* Porro §. II. exempla addit, trium Regum, *Jeroboami, Achabi* & *Manassis*, & quatuor idiotarum, *Bileami, Doegi, Achitophelis*, & *Gehasi*, quos exsortes pronunciat vitæ æternæ: etsi contradicitur de Manasse, propter 2 Chron. XXXIII. vers. 13.

Ad §. IX. pag. cit.

(7) *Quominus cruciatum sentiret*] Longe alia de causa, morte plectendis vinum ac siceram porrigi jubet Salomon Prov. XXXI, 6. non ut inebriarentur, sed ut haustu vini refecti, animo intrepido & præsenti feralem exciperent cladem. Hinc tamen manasse existimant viri docti morem, quo reis, capitali supplicio afficiendis, in sequioribus reipublicæ Hebræorum temporibus, vinum exhiberetur medicatum, ut rationis exuerent usum, horroremque ac dolores supplicii minus perciperent. Confer GEIERVM *Comment. ad c. l. Prov.* Omnem tamen hanc, de turbato per vinum myrrhatum reorum ingenio traditionem explodit, & fabulis Judaicis accenset, vir doctus, IOH. PHIL. HEINIVS *Dissertat. Sacr. cap. X.* §. *XIII. p.* 144. cujus sententiam sequens annotatio illustrabit.

Ibidem.

(8) *Marc. XV*, 23.] De οἴνῳ ἐσμυρνισμένῳ, quo Christum in crucem agendum potare gestiebant milites, conf. BYNAEVM *lib. III. de morte J. C. cap. V.* §. 26: prolixa enim & intricata est disputatio. Placet SAM. BOCHARTI sententia, qui *Hieroz. P. I. lib. I. cap. XXVI.* vinum myrrhatum pro medicato habet, quia מור Hebræis & Syris, primo *myrrham* significat, deinde etiam *aroma quodvis.* Vnde Græcorum μύρον factum est, quod non solum myrrhinum, sed & unguentum quodvis sonat. Quam porro conjecturam subnectit Auctor noster, eam ita pingit CASAVBONVS *Exercit. XVI. cap.* 80: *Propinatum quidem Domino est vinum, idque myrrhatum; in quo erat specimen humanitatis: sed illud durum & crudele fuit, quod fel poculo infuderunt; quo scelere, quicquid inesse videbatur facto humanitatis, scelerate corruperunt. Observant Hebræi, hoc officium puniendis præstari solitum ab honestis & nobilibus matronis. Satis constat, non defuisse pias feminas, quæ Christi doctrinam amplexæ, illi* cupie-

cupiebant, & casum miserantes Evangelistæ, sequebantur Luc. XXIII, 27. Videtur ab his sanctis mulieribus vinum myrrhatum Christo paratum fuisse consuetudine gentis: sed cum accedere ad Dominum non possent, ac ne honestas quidem, opinor, pateretur; vinum præparatum militibus tradiderunt, Domino porrigendum. Illi, ut erant proni ad omne scelus, felle immixto poculum mulierum piarum corruperunt. Ad hanc faciendam conjecturam, mihi præiverunt ipsa Evangelistæ verba: quæ & beneficium matronarum, & maleficium militum, si diligenter expendantur, diserte exprimunt. Marci οἶνος ἐσμυρνισμένος, *ipsissimam ejus poculi consuetudinem, & factum mulierum ob oculos ponit. Matthæus, qui appellat acetum, & quidem felle mixtum, scelus militum detestabile commemorat. Ita evenit in hac historia, quod passim toto Evangelio potest observari, ut sese Evangelistæ divinitus adjuvent, invicem suas narrationes suppleant atque interpretentur.* Sane potiorem illa fidem merentur, meliusque cohærent, quam cum alii vel lectionem sollicitant, & loco ὄξος apud Matth. ponunt οἶνον, vel in notione vocum tricantur, ut ANTON. BYNAEVS ὄξος, non acetum stricte dictum, sed vinum acidum notare, & χολὴν, non verum fel, sed amarorem esse tradit; COCCEIVS, Matthæum, vinum corruptum acetum dicere, rem amaram, bilem contendit. Huc etiam inclinat EDZARDVS *ad Avoda Sara cap. II. pag.* 400 *sq.* ut myrrha una cum felle admixta dicatur potui, & vinum fuerit acidum, quod indistincte, & vinum & acetum appelletur Judæis, ut ipsorum testimoniis probat.

Ad §. X. pag. 120.

(9) *Humo condebantur*] Fide MAIMONIDIS Hilc. *Sanhedrin cap. XV.* §. 9. traditur, quod trabea suspendiosi, saxa quibus lapidandus interiit, gladius quo quis decollatus, & linteum, quo strangulatio peracta fuit, נקברין בתפישת הנהרג אבל לא בקבר עצמו *sepelienda erant propius ad morti traditum, sed non in eodem, quo ille, sepulcro,* & quidem, ne infausta rei memoria superfit &c. Hinc vero color conciliari poterit fabulæ, de inventa Salvatoris nostri cruce ab *Helena, Constantini M.* matre, haud procul a loco crucifixionis e terris eruta: si scilicet moris Judæorum tenaces quoque fuerunt milites Romani, aut curatores funeris, Josephus & Nicodemon, id urserunt.

AD

LIB. V. CAPVT VII.

DE POENIS ET SVPPLICIIS CAPITALIBVS.

Ad §. I. pag. 120.

Quatuor mortis genera in usu erant] Ita diserte definit Mischna Tract. *Sanhedrin cap. VII.* §. 1. ד׳ מיתות נמסרו סקילה שריפה הרג וחנק *quatuor supplicia capitalia senatui tradita sunt: lapidatio, ustio, interemtio quæ fit gladio, & strangulatio.* Ordine verborum gravitas suppliciorum indicatur, ut primum sit omnium gravissimum. Hinc BARTENORA *ad h. l. Mischnæ* explicat: *Lapidatio gravior est combustione, & hæ duæ graviores strangulatione. Et hinc colligimus pro eo, qui duorum suppliciorum capitalium condemnatus est, quod graviori affici debet.* Quæ auctoritatem conciliant §. *II.* Auctoris nostri. Verba autem in Targum *Ruth cap. I,* 17. ad quæ Auctor provocat, paulo aliter, & ita habent: ארבע דיני מותא לחייביא רגימה אבנא ויקידת נורא וקטילת סייפא וצליבת קיסא: *Quatuor judicia mortis in nocentes:*

tes:

tes: injectio lapidum, crematio ignis, interfectio gladii, suspensio ligni: quæ ob illa, quæ de modo pœnas istas irrogandi, paulo post sequentur, sunt observanda. Tres priores pœnæ, lapidatio, combustio & gladius, diserte memorantur in Lege, strangulationis nulla in Scripturis facta mentione, juxta SELDEN. *lib. II. de Synedr. cap. XIII.* §. 4. Sed quidni huc referamus Deuter. XXI, 23. & exemplum septem filiorum Saulis, suspensorum a Gibeonitis, 2 Sam. XXI, 1 sqq. Fide autem MAIMONIDIS, Mosaica docet traditio, שכל מיתה האמורה בתורה סתם היא חנק *quod omne mortis infligendæ in Lege genus, simpliciter* & sine adjectione aut determinatione aliqua *dictum, significet strangulationem.* Quo confirmatur effatum R. SALOMONIS, ab Auctore §. *III.* prolatum.

Ad §. VI. pag. 120.

(2) *Num Judæis tempore eo, quo crucifigebant Salvatorem nostrum, fuerit permissum jus vitæ & necis?*] Vexata hæc est quæstio, circa quam in partes discesserunt viri docti. Talmudistæ & Rabbini, eosque secuti BVXTORFIVS *Lex. Targum. p.* 514 *sq.* CASAVBONVS *contra Baron. Exercit. XVI. cap.* 71. CONSTANT. L'EMPEREVR *in Not. ad Bertram. de Republ. Jud. cap.* 13. jus vitæ & necis, XL annis ante eversionem Hierosolymæ, ademtum Judæis fuisse statuunt, idque verba Seniorum populi diserte confirmare, Joh. XVIII, 31. Pilato regerentium: ἡμῖν ἐκ ἔξεςιν ἀποκτεῖναι ἐδένα. Traditur namque in Cod. *Avoda Sara cap. I. fol.* 8. *col.* 2. quoniam XL annis ante extremam Vrbis desolationem, judicia capitalia Synedrio ademerentur a Romanis, hinc illud edixisse: *præstat, migremus de loco in locum, ne rei fiamus.* In loco enim solenni τῆ Sanhedrin tenebantur, sontes morti adjudicare; ast si illic non fuerit Synedrium, nimirum in לשכת הגזית / judicia capitalia exercere non tenebatur. Ideo tum migravit Synedrium e conclavi cæso, & consedit in tabernis. Quin immo IOSEPH. SCALIGER *Animadvers. ad Euseb. num.* 2086. diu ante privatos hac potestate Judæos pertendit, annis scil. LXI ante Hierosolymorum destructionem, misso in exilium Archelao, Judæaque in formam provinciæ redacta, & per Procuratores, seu Rationales Cæsaris administrata. Contra vero ea, SELDENVS *de Synedr. lib. II. cap. XV.* §. *XI.* IOH. CHRISTOPH. WAGENSEILIVS *in Carmin-Lipmanniani Confut. p.* 299 *sq.* aliique viri graves, ea quoque potestate, quæ se ad jus vitæ necisque extendit, toto fere tempore, quoad Templum incolume fuit, Synedrium polluisse credunt, cit. autem loco Joh. Judæos ob festi religionem sibi fas non esse perhibuisse, occidere quenquam, ne judicio capitali polluerentur, & inepti ad comedendum agnum paschalem, impuritate sanguinis redderentur. ANTON. BYNAEVS *lib. III. de morte J. C. cap. I.* §. 14. *pag.* 27 *sq.* in eadem perstat sententia, quia IOSEPHVS *lib. II. contra Apion.* diserte testatur, quod Romani, uti reliquos devictos populos, ita Judæos etiam, permiserint τοῖς πατρίοις ἔθεσι καὶ ἱεροῖς χρῆσθαι, *patriis moribus & sacris uti.* Inter causas vero distinguit: & si quis in religionem peccasset aut sacra, aut crimen blasphemiæ commisisset, in eum potuisse Synedrium animadvertere censet, carcere, flagellis, quin & ipsa morte, ut constet Pauli exemplo, quem Festus hæreseos postulatum judicare noluerit, nisi Hierosolymis Act. XXV, 20; Apostolorum, de quibus occidendis deliberatum in Synedrio, ac severius in eos statutum fuisset, ni intercessisset Gamaliel Act. V, 26 sqq.; Stephani tandem, quem ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθοβόλων. Ast in crimine seditionis, læsæque majestatis, ac scelerum omnium, quæ adversus leges Romanas admittebantur, causæ cognitionem, & reorum condemnationem, non ad Judaicum Senatum, sed ad Romani Præsidis pertinuisse tribunal. Eo itaque sensu negare dicit Judæos, potestatem statuendi de capite Jesu sibi adesse, quia seditionis ac læsæ majestatis crimen ei impingebant.

Attamen,

Attamen, quia verba Judæorum, ex Johann. XVIII, 31. allegata, reum qualemcunque occidendi poteſtatem ipſis denegant, aliud nobis adhibere liceat moderamen; quo litem iſtam commodiſſime componi poſſe exiſtimamus. Diſtinguimus quippe inter cauſæ cognitionem, & ſententiæ capitalis vigorem ac executionem. Cauſæ cognitio, quin & ſententiæ capitalis adverſus ſontem pronunciatio, tunc temporis in poteſtate adhuc erat Judæorum, unde diſerte jus ſuum urgent: *habemus legem, & ex illa lege morte plectendus hic eſt:* quin & in Synedrio, ex crimine blasphemiæ, capitis in ipſum ſupplicium ſtatuunt. Aſt, ubi lata erat ſententia, recognoſcenda illa, confirmanda, & executioni demum mandanda erat a Romano Præſide; unde Chriſtum, poſt latam in ipſum ſententiam, Pilato adducunt, cauſæque cognitionem, rite a Synedrio inſtitutam, præmittunt Joh. XVIII, 30. *ille ſi non eſſet maleficus, tibi eum non tradidiſſemus.* Cumque vererentur, Pilatum in Chriſtum, ob aſperius in Templum dicta, non tam ſevere, ac ipſi cupiebant, animadverſurum, ſtatum quæſtionis malitioſe immutant, & crimen politicum adverſus Cæſarem, & tranquillitatem publicam, eidem impingunt: diſerte inter hæc faſſi, non hoc ſaltem tempore, ob religionem Feſti, aut ob criminis adverſus leges Romanas ſolum perpetrati, ſed reum omnino nullum, capite plectere fas ſibi eſſe. Quod ex gemina liquet negatione, ἐκ ἔξεςιν ἐδένα, quæ ex Græcæ linguæ genio, univerſaliter & fortius negat, hoc ſenſu: non licet omnino in quemquam nobis capitali ſupplicio animadvertere. Alias enim, ſi adhuc integrum ipſis jus vitæ & necis fuiſſet in criminibus religioſis & eccleſiaſticis, uti ſane potuiſſent facultate, a Pilato ſibi facta; dum ait: λάβετε αὐτὸν ὑμεῖς, καὶ κατὰ τὸν νόμον ὑμῶν κρίνατε αὐτόν· ad quæ verba, ironice prolata, facultatem hanc ſibi ſupereſſe omnino negant, animadvertere in quenquam. Sic optime conciliabitur hiſtoria, nec fides omnis derogabitur teſtimoniis antiquitatis, quæ judicia capitalia perhibent ademta.

Momenta BYNAEI facili negotio diluuntur. 1) IOSEPHI teſtimonium non ſtringit; quibus enim licuit, patriis moribus & ſacris vivere, iis nihilominus ademta eſſe potuit poteſtas ſuprema, animadvertendi capitaliter in ſontes, æque ut jus belli & pacis. 2) Exemplum Pauli, cauſæ cognitionem Hieroſolymis, & a Judæis inſtitutam probat, de pœna capitis autem nihil evincit: Apoſtolorum Act. V. denuo ſententiam condemnatoriam integram facit Synedrio, verum non executionem: Stephani autem, per tumultum actum, nihil probat. Vrget præterea LIGHTFOOTVS. *Hor. Hebraic. in Matth. XXVI, 3.* verba Salvatoris Matth. X, 17. παραδώσεσιν ὑμᾶς εἰς συνέδρια, quæ tamen nihil prorſus officiunt ſententiæ noſtræ: tum quoque metum Pauli, qui tam parum auſus eſt, Synedrio ſe credere, ut ad Cæſarem potius provocaret. Sed tumultum & inſidias timebat Paulus, maxime quod reſciviſſet, aliquot viros voto ſe obſtrinxiſſe, cibum ante ſe non ſumturos, quam e medio eum ſuſtuliſſent, quod certe per vim ac tumultum, neutiquam vero jure quodam moliebantur, quod in ipſorum non erat poteſtate.

Ad §. XI. pag. 121.

(3) *Modus lapidationis ita habuit*] Quemadmodum uniuscujusque ſupplicii capitalis, ita lapidationis *locus* ſemper extra urbem erat: tum, ne Senatus videatur cædibus delectari; tum, ut ſpacium ſic prorogetur pro innocentia damnati reperienda, proferendaque; tum, quia dictum: *educ blaſphemum* Lev. XXIV, 14. Altus autem hic locus fertur in Miſchna Cod. *Sanhedrin cap. VI.* §. 4. duorum hominum ſtaturam, & quidem proceram. Vbi abeſt reus ab hoc loco quatuor cubitos, *veſtes* ei detrahunt anteriores, usque ad verenda: mulieris etiam poſteriora denudata nonnulli tradunt, verum SELDENVS *lib. II. cap. XIII.* §. 4. fide Miſchnæ ac MAIMONIDIS perhibet, feminas non alibi nudatas, quam in pectore, quod in ſaxum illidendum erat. Confer Miſchn. *Sanhedrin cap. VI.* §. 3.

§. 3. Sed & testes deposuisse vestem suam superiorem laxamque, quo expeditius & absque impedimento pœnam exequi possent, constat ex Act. XXII, 20. *Modus* supplicii duplex habebatur, aut dispari saltem modo irrogari solebat lapidatio: altero, qui *cit. loc.* Mischnæ exponitur, quo reus מבית הסקילה *ex loco lapidationis*, ita pronus in terram, lapidibus stratam, præcipitabatur, ut mors ejus inde expectaretur, atque hunc דחייה *impulsionem*, appellabant, quem, si ex eo mortem nondum oppetiisset, statim excipiebat alter, proprie סקילה seu *lapidatio* dictus, ubi testes ingens saxum levarunt, eorumque alter in pectus rei illud immitteret, ex quo si nondum occubuisset, alter testis alium in ipsum projecit lapidem, quem tota spectatorum concio sequebatur. Vtrumque denotari volunt Judæi verbis Exod. XIX, 12. כי סקול יסקל או ירה יירה *aut lapidibus injectis obruatur, aut jaciendo jacietur*, h. e. ita præceps in terram e sublimi detur, detrudatur, projiciatur, ut sic vita privetur. Ita omnino verbum יירה R. SAL. IARCHI interpretatur, per יושלך למטה לארץ *deorsum mittatur in terram*, simili sensu, quo verbum hoc adhibetur Exod. XV, 4. *currus Pharaonis & exercitum ejus* ירה בים *projecit in mare.* Vt idem notet ac Græcis ῥίπτειν, jacere, projicere, præcipitare, ut sit proprie *projiciendo* seu præcipitando e sublimi *protrudatur.* Verum aliter hunc locum Græci reddiderunt: ἐν γὰρ λίθοις λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται, *lapidibus obruetur, aut jaculo* seu sagitta ex arcu emissa *transfigetur.* Consentiunt ONKELOS, & *Arabs*, IONATHAN autem, & Hierosolymitana Paraphrasis, sagittas ignitas addunt. Sic & LVTHERVS: *oder mit Geschoss erschossen werden*, & Belgæ: *offte sekerlick doorschoten werden.* Adstipulantur ex Latinis ARIAS MONTANVS, VATABLVS, TREMELLIVS. Eaque interpretatio a Spiritu Sancto probatur, Hebr. XII, 20. κἂν θηρίον θίγῃ τοῦ ὄρους, λιθοβοληθήσεται, ἢ βολίδι κατατοξευθήσεται· Ex ipsis Judæis ABEN EZRA id tenet, si reus minus apprehendi, & sic vel detrudi, vel lapidari posset, jaculo confodiendum fuisse. Sed uti in Vulgata totum hoc posterius membrum omittitur, ita in compluribus Codicibus Græcis idem desiderari, observavit SELDENVS *lib. I. cap. V. pag.* 39. Licet vero aliud JCti Hebræorum ad loc. Exod. velint, ea tamen propter nec vis Paulino Textui inferenda, nec erroris ipse postulandus est. Vniversum tamen hunc lapidationis processum impugnat, & *nihil aliud esse, præter insulsam fabulosarum circumstantiarum farraginem*, evincit laudatus paulo ante HEINIVS *Dissert. Sacrar. lib. I. cap. X.* §. 14. *pag.* 146 *sq.* quia exemplis lapidatorum, in Scriptura obviis, prorsus repugnat. Sive enim blasphemi in deserto Lev. XXIV, 14. sive Achanis Jos. VII, 25. sive Nabothi 1 Reg. XXI, 10, 13. sive Zachariæ sacerdotis 2 Chron. XXIV, 21. sive Stephani Act. VII, 58, 59, 60. supplicium contempleris, lapidibus omnes a tota concione petitos & obrutos deprehendes, minime vero de colle sive rupe præcipitatos. Velut autem testimonium ex Exodo, imperite ac ἀπροσδιονύσως huc trahitur, quod bestiam justo propius ad montem accedentem, eminus vel lapidibus petere, vel jaculis aut sagittis trajicere injungit, quia hominibus eodem loci appropinquare fas non erat, quod in lapidandum non quadrat, quem præ manibus habebant, & coram cum ipso agebant; ita ex allatis constat, quam inique verba Mosis torqueant, saltem ut Magistrorum consulant traditioni. Quare nec ipsi dubitamus, non alio modo, quam immissione lapidum in reum, ita tamen, ut testes primi in ipsum conjicerent, lapidationem fuisse peractam, per Deut. XVII, 7.

Ad §. XII. pag. 122.

(4) *Suspensus est, usque ad occasum Solis*] Ita diserte sancit Mischna *paulo ante citat.* כל הנסקלין נתלין *lapidati omnes suspenduntur*, ex sententia R. ELIESERIS. *At Sapientes ajunt: non suspenditur, nisi blasphemus & idololatra. Mas suspenditur, faciem populo obversus: mulier, faciem conversa ad arborem.* COCCEIVS *ad h. l.* §. 9.

§. 9. monet, suspendium lapidatorum praeceptum censeri Deut. XXI, 22, 23. Non igitur כדרך שהמלכות עושה *sicut a regibus fieri solet*, viros suspendunt, sed mortuos; idque vergente ad occasum sole, ita ut uno ligante alter solvat, ad praecepto de suspendio satisfaciendum. Quae iterum nugae sunt Magistrorum. De suspendio enim mortuorum legitur quidem exemplum Jos. X, 25, 26. sed gladio caesorum, minime autem lapidatorum, e quibus nullum proferre poteris, post mortem suspensi: vivos autem suspendi ex ligno consuevisse, ex Deuter. XXI, 22, 23. Jos. VIII, 23, 29. Num. XXV, 4. & 2 Sam. XXI, 6, 9. liquet. Sed & hic committi Talmud poterit cum IOSEPHO. Gemara enim suspendisse ipsos, quasi in puncto occasus solis, pertendit: IOSEPHVS autem *lib. IV. Antiqu. cap. 8.* *μείνας δι' ὅλης τῆς ἡμέρας, εἰς θέαν τῶν ἁπάντων, θαπτέσθω νυκτὸς*, *toto die in spectaculum omnium mansisse* testatur, *noctu sepeliendum*, h. e. ante occasum solis. Nisi dixeris, non in trabe suspensum, sed in terra prostratum, ejusmodi maleficum spectaculo fuisse; aut posteros derogasse quid de more majorum.

Ad §. XIII. pag. 122.

(5) *Combustioni destinati decem erant*] Quemadmodum facinorosos ceteris suppliciis tollendos, ita quoque igne interimendos, ex fide Mischnae, curate recenset Auctor, aeque ac SELDENVS *lib. II. cap. XIII.* §. 5. qui tamen monet, poenam ignis in delictis ejusmodi incestuosis locum tantum habuisse, quoties quis concubitu ita peccaret, *superstite adhuc uxore sua.* Ea autem mortua, obnoxium eum fuisse Excisioni, in omnibus incestus peccatis. Hinc, quae in filiam Sacerdotis Levit. XXI, 9. poena statuitur, locum habere Rabbini non dicunt in libera, sed aut in desponsata, aut in domum ducta. Vnde R. OBAD. DE BARTENORA in Mischn. *Sanhedrin cap. IX.* §. 1. non aliam dicit filiam Sacerdotis ob scortationem condemnari combustionis, nisi quae adulteravit.

Ad §. XIV. pag. 122.

(6) *Modus combustionis fuit duplex*] De priori comburendi modo R. ELEASAR fil. SADOK, in Mischna *Sanhedrin cap. VII.* §. 2. exemplum commemorat filiae Sacerdotis, quae scortata, ac eapropter, aggestis circumquaque fascibus cremiorum, combusta fuerit: verum *ibidem* quoque de hoc supplicii modo additur, ex ignorantia Synedrii profectum, adeoque illegitimum fuisse, מפני שלא היה בית דין של אותה שעה בקי *quod Senatus ejus temporis rudis statutorum fuerit*, Sadducaeorum quippe haeresi infectus, *τῷ ῥητῷ* Scripturae presse inhaerens, & traditionum *πατροπαραδότων* imperitus. Nec enim alius comburendi modus, ordinarie locum habebat, quam qui *cit. loc.* Mischnae ita traditur: *Damnatus fimo immergitur usque ad genua. Tum linteum durum molli involvitur. In collo ejus circumdatur, atque in diversa hinc inde a duobus trahitur, eo usque, donec os hiscat. Quo facto, filum candefactum* (ex plumbo liquefacto & fusili) *ori ejus illiquatur, quod in viscera ejus descendens, cibum ustulet.* Quod si reus ope strangulationis ante extinguatur, quam plumbum candefactum immittatur, nondum satisfactum censebant praecepto, sed aperiunt os enecati forcipe, & metallum candens ori illiquant. Hunc combustionis processum ab exemplo filiorum Aaronis Lev. X, 6. arcessunt, de quibus dicitur: *Fratres vestri, universa domus Israel deplorabunt combustionem, quam incendit Dominus;* qui tamen igne divino interius solum enecati, exterius autem illaesi manserant. Hanc autem poenae rationem elegerunt, mortis accelerandae causa. In omni enim genere, mortem & faciliorem, & minus turpem selegerunt, vi praecepti: *Diliges proximum tuum, sicut teipsum. Et quia unusquisque, si mortis condemnatus esset, eligeret mortem leviorem, & minus cruciantem, idcirco nos idem praestare debemus in aliis, ut, si quis lapidationis condemnatus sit, uno obruatur lapide; & si combustionis condemnatus sit, etiam ipsum comburimus eo, quo diximus, modo:* ut ad h. l. Mischnae commentatur MAIMONIDES.

Ad §. XV. pag. 122.

(7) *Hujus decollationis modus*] In Mischna *cit. loc.* §. 3. ita sancitur: *Institutum de puniendis gladio, tale est: Caput ejus ense præsecabatur, quomodo jussu regio fieri assolet.* R. IEHVDA *ait: indecorum hoc quidem est* (quando eum occidunt erectum, ut decidat, ut BARTENORA supplet:) *sed caput impositum trunco, securi præcidebatur. Responsum ei est: turpius hoc genere mortis nullum est.* Vbi uterque monet Glossator, decisionem non esse juxta R. IEHVDAM, sed juxta sapientes, qui non ex jussu regio, sed ex Legis præscripto Levitic. cap. XVIII, 3. hanc, ope gladii peractam interemptionem probant.

Ad §. XVII. pag. 122.

(8) *Modus strangulationis ita fuit*] Convenit Auctor cum Mischnæ *cit. paragrapho*, nec est, quod addamus. Hoc solum, cum SELDENO *lib. II. cap. XIII.* §. 4. observare liceat: a capitalibus pœnis abstinentiores se debere esse, profiteri Magistros; unde vocare solebant, velut convicio, Synedrium, quod morti intra septennium quempiam tradidisset, סנהדרין חבלנין *Synedrium destructorium,* fide Mischnæ, Cod. *Maccoth cap. I.* Interim tamen pro facinorum frequentia, reos morte, quocunque tempore legitimo, damnabant; ita tamen, ut eodem in die binos neutiquam judicarent, nisi idem utriusque facinus, eademque pœna, ut adulteri, & adulteræ.

AD

LIB. V. CAPVT VIII.

DE POENIS NON CAPITALIBVS.

Ad §. II. pag. 122.

Vincula, compedes, manicæ &c.] Quatuor cumprimis vinculorum genera, Græcis usitata, quin & Romanis, ad Judæos quoque translata memorat SAM. PETITVS *ad leges Atticas lib. V. tit. IX.* eorumque differentiam exponit, *ποδοκάκην, ποδοςράβην, & παυσικάπην, πεντεσύριγγον.* Ποδοκάκη lignum erat, quo pedes constringebantur, quod expertus Paulus & Silas Philippis, ubi *τὰς πόδας αὐτῶν ἠσφαλίσατο εἰς τὸ ξύλον,* Act. XVI, 24. Ποδοςράβη, quo pedes & manus: Παυσικάπη, quod collo injiciebatur, & Πεντεσύριγγον ξύλον, quod quinque habebat foramina, per quæ pedes & manus, & collum immittebant. Carcerem apud Romanos triplicem fuisse, Vrbanum, ut sunt turres, Rusticum, ut sunt ergastula, & Castrensem, quando captivi trahebantur catenati, observat IVST. LIPSIVS *Comment. ad lib. III. Annal.* TACITI *p.* 147. Apostolorum cum vinctorum, tum militibus appositis custoditorum, qualis in vinculis fuerit conditio, vide in Act. V, 18, 23. XII, 4, 6. XVI, 24. De variis carcerum generibus apud Græcos conferat, cui volupe est, IOH. PHIL. PFEIFFERI *Antiquitat. Græcar. lib. II. cap.* 24.

Ad §. III. pag. 123.

(2) *Tenebatur pœna*] Illustrari hoc poterit ex Act. XII, 19. ubi Herodes, cum Petrum custodia elapsum intelligeret, *ἀνακρίνας τὰς φύλακας, ἐκέλευσεν ἀπαχθῆναι, inquisitione facta de custodibus, jussit eos duci,* ad supplicium scilicet, ut non inepte interpretatur BEZA. Eodem metu Philippis perculsus commentariensis, vim sibi inferre tentavit, vinctos effugisse suspicatus, Act. XVI, 27. Atque confer *Leg. XII. ff. de Custod. Reor.*

Ad

Ad §. III. pag. 123.

(3) *Liberam custodiam*] Ea, φυλακὴ ἄδεσμος dicta, non unius erat generis. *Vel* enim reus Consuli, Prætori, Aedili, interdum & Senatori, etiam non e magistratu apud Romanos, committebatur, si esset illustrior. Ita SALLVSTIVS *bell. Catilin. pag.* 37. *Senatus decrevit, ut abdicato magistratu Lentulus, itemque ceteri, in liberis custodiis haberentur: itaque Lentulus, P. Lentulo Spinthəri, qui tum Aedilis erat, Cethegus Q. Cornificio, Statilius C. Cæsari, Ceparius Cneo Terentio Senatori, traduntur.* Conf. TACITVM *Annal. lib. VI. cap. III.* HIERONYM. *adv. Vigilantium. Sint ergo non tetro aliquo carcere, sed amœna & libera custodia, tanquam Patres quidam ordinis Senatorii.* Vide LIPSIVM *in* TACIT. *Annal. cit. loc. pag.* 254. *Vel* apud vades, de qua nunc non attinet dicere. Denuo vid. LIPSIVM *ad* TACIT. *Annal. lib. VI. p.* 254.

Ad §. IV. pag. cit.

(4) *Tam reum, quam militem tenet*] Erat hæc custodia militaris, ita comparata, ut is, qui in noxa esset, catenam manui dexteræ alligatam haberet, quæ eadem militis sinistram vinciret, custodiæ ejus præfecti. Catenæ autem longiusculæ erant, ut ambulare, incedere pariter, non incommode possent. Exemplum habes in Paulo Act. XXVIII, 16, 30. Probat ATHENAEVS *lib. V. cap. XI.* Ῥωμαίων δὲ στρατηγὸς μὲν Παμφυλίας Κόϊντος ὁ ἵππιος παραδοθεὶς ἀκολουθεῖ δέσμιος. Μάνλιος δὲ Ἀκύλλιος ὁ ὑπατευκὼς, ὁ τὸν ἀπὸ Σικελίας καταγαγὼν θρίαμβον, συνδέτην ἔχων ἁλύσει μακρᾷ βαστάρνην πεντάπηχυν, πεζὸς ὑπὸ ἱππέως ἕλκεται. *E Romanis vero, Prætor Pamphyliæ Q. Oppius* (ita pro *Hippius*, corrigit LIPSIVS) *deditione acceptus, sequitur in vinculis. Manius autem* (denuo ex emendatione LIPSII) *Aquilius Consularis, qui de Siculis triumphavit, colligatum secum habens longa catena Bastarnam quendam quinque cubitorum, pedes ab equite trahitur.* Addo utrumque, ad quem Auctor noster provocat SENECAE locum, quia rem egregie illustrat. Ita autem *Epist. V.* habet: *Quemadmodum eadem catena & custodem* (mavult *custodiam* LIPSIVS, ita enim ipse captivus dicebatur) *& militem copulat, sic ista, quæ tam dissimilia sunt, pariter incedunt.* Et *lib. I. de tranquillitate vitæ cap.* 10. inquit: *Omnes cum fortuna copulati sumus. Aliorum aurea catena est, & laxa: aliorum arcta & sordida. Sed quid refert? eadem custodia universos circumdedit, alligatique sunt etiam, qui alligaverunt. Nisi tu forte leviorem in sinistra catenam putas.* Plura in hanc rem dabit laudatus LIPSIVS *in Comment. ad* TACITI *lib. III. Annal. p.* 147 *seq.* quocum confer BARN. BRISSONIVM *de formulis lib. V. p.* 473 *sq.*

Ad §. VI. pag. ead.

(5) *Restitutio*] Hæc pœna fuit furti, quod non capite, sed multa, plectebatur, vi legis Exod. XXII, 1 sqq. Quam necessaria illa, secundum Judæos fuerit, ut non offeratur oblatio pro reatu, nisi prius restituatur ablatum, vel possessori, vel Sacerdoti, testimoniis ex Talmude & MAIMONIDE allatis probat LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. V,* 23. cui adde SCHOETTGEN. *Hor. Hebr. in Luc. XIX,* 8. Non uno autem modo peragebatur restitutio, verum alia gravior erat altera. *α*) Qui ex conscientiæ stimulis, proprio motu restituebat ablatum, ultra non tenebatur, *partim* quia sic ad spontaneam restitutionem invitandi erant fures, *partim* quia is tantum Exod. c. l. vers. 9. ad restitutionem dupli tenebatur, quem condemnabunt Dii. Ast, qui seipsum condemnat, immunis est a pœna. *β*) Quod si quis testibus legitimis esset convictus, rem furto abstulisse, duplum rependere tenebatur proprietario, v. g. si denarium furatus sit, duos solvit, si asinum aut camelum, aut vestimentum, duplum ejus pretii dabat. *γ*) In peculatu ovium atque pecorum minorum restitutio quadrupli lege sancita erat. *δ*) In armentorum boumque furto, quintuplo restituendum erat ablatum, ex lege Exod. XXII, 1. cujus di-

versitatis ineptam reddit causam R. IOCHANAN filius ZACCAI, quam vide apud R. SALOMONEM *in h. l.* Causa vero exasperatæ pœnæ in animalibus mundis est, quod hæ brutorum species sacrificiis idoneæ, magisque ex usu sacro æstimari solitæ fuerint, quam immundorum, aut jumentorum.

Ad §. VIII. pag. 123.

(6) *Habac. II,* 11.] Ita locum exponit R. SALOMO: האבנים אשר גזלת תזעקנה מן הקיר *Lapides, quos rapuisti, clamabunt ex pariete, & tignum e ligno respondebit ei, lapidi scilicet e regione ejus ambo clamant.*

Ad §. IX. pag. cit.

(7) *Talio: erat ea æqualis retributio*] Græcis ταυτοπάθεια, ARISTOTELI τὸ ἀντιπεπονθὸς, alias Jus ἀμοιβαῖον dicta, non tantum præcepto ac lege divina, sed exemplis quoque in Scriptura comprobatur, quin & in gentes varias emanavit, velut Rhadamantus in SENECAE *Herc. furente Act. III.* ait: *Quod quisque fecit, patitur: auctorem scelus repetit, suoque premitur exemplo nocens.* Hoc autem jure adæquata fuere 1) instrumenta instrumentis, Sap. XI, 17. ut quæ fuerunt delectamenta homini peccanti, evaderent instrumenta Domino punienti, velut ignem alienum igne luerunt filii Aaronis, Lev. X, 2. suffocationem suffocatione, adeoque aquam aqua Aegyptii Sap. XVIII, 5. bestiarum cultum bestiarum dentibus iidem cap. XI, 16. comam ducentos siclos pretio æquantem, comæ suspendio Absolom, patibulum patibulo Haman Esth. VII, 10. 2) Damna damnis, spolia spoliis, Jes. XXXIII, viduitatem afflictam viduitate compensatam Exod. XXII, 24. sanguinem sanguine, quemadmodum *Julius Cæsar*, qui terrarum orbem sanguine impleverat, ipse tandem sanguine suo Curiam implevit. 3) Tempora temporibus, loca locis expiata, dies XL totidem annis Num. XIV, 34. agrum crudelitatis conscium, rubentibus sanguinis notis 1 Reg. XXI, 19. desertum deserto Gen. XXI, 14. foveam fovea Dan. VI, 24. 4) Mensuram mensura, ex oraculo Christi Matth. VII, 2. cædes Vriæ cæde domestica mulctatur, libidinis furta solis conspectu 2 Sam. XII, 9 sqq. pretium triginta siclorum totidem siclis: tanti enim veniebant triginta Judæorum venditi, quanti unus ab iis emtus Salvator, juxta IOSEPHVM *lib. VI. de B. J. cap. XII.* Late hoc jus persequitur, & exemplis illustrat Mischna Cod. סוטה *cap. I.* §. 7, 8, 9. Conf. H. GROT. *lib. II. de Jure B. & P. lib. II. cap. XX.* §. 32. & e nostris cumprimis DANNHAVER. *Hodos. Phænom. VIII.* edition. de A. 1666. *p.* 700 *sqq.* Huc Judæorum pertinet scitum: במירה שארם מורר בה מורדין לו *mensura, qua homo metitur, remetiuntur ei*, in Mischn. *cit. loc.* quod rotundius ita efferunt Rabbini: מרה כנגר מרה *mensuram, pro mensura.* Quæ huic respondent, exempla pariter, ac Græcorum testimonia & adagia, vide in IOACH. ZEHNERI *Adagiis sacris, Cent. II. adag.* 61. & *Cent. III. adag.* 10.

Ad §. eund. pag. eand.

(8) *Hebræis placet Talio similitudinis*] In foro Judaico pœna talionis, השלומה dicta, non afflictiva corporis, sed compensativa æris erat, non per similem pœnam corporis, sed per æstimationem pecuniariam peracta. Hinc inter judicia pecuniaria, a Triumviris exercenda, primo loco ponunt חבלות judicia *de læsione.* Illa in Mischna Cod. *Bava Kama cap. VIII.* §. 1. expenduntur, læsionisque compensationem æstimant בנזק בצער ברפוי בשבת ובבושת *in damno, in dolore, in curatione, in cessatione, & in ignominia.* Ad quem locum CONSTANT. L'EMPEREVR, doctissimis annotationibus suis, MAIMONIDEM, leges Exod. XXI, 23. Levit. XXIV, 20. Deut. XIX, 21. de mulcta pecuniaria solum exponentem, graviter & solide refutat. Liquido enim Talmudistarum statuta a lege divina deflectunt, licet colorem non inveniant, quo palliare perversam interpretationem possint.

Sed

Sed prolixiora hæc ſunt, quam quæ huc transferri queant; unde ad ipſos remiſiſſe ſufficiat fontes.

Ad §. XI. pag. 124.

(9) *Aut fiebat virgis, aut flagellis*] Duplex erat flagellatio apud Judæos: מלקות דאורייתא *flagellatio legalis*, quæ & a numero plagarum מלקות ארבעים *flagellatio quadraginta* plagarum dicitur; & מכת מרדות *fuſtigatio contumaciæ*, nec non מכת דרבנן *fuſtigatio Rabbinica*, quæ non in Lege præcepta, ſed Rabbinorum ſcito erat definita. De *priori* notamus I) Delicta, quibus infligebatur. MAIMONIDES in Hilcoth *Sanhedrin cap. XVIII.* generatim ea perſequitur, *cap. XIX.* copioſe & ſigillatim. In genere huic pœnæ ſubjacent delicta, quæ in præcepta incurrunt negativa, nimirum α) quæ interdictum violant, quod כרת *excisionem* animæ minatur, qualia MOSES AEGYPTIVS *cap. XIX.* viginti & unum numerat, & in Miſchna *Maccoth cap. III.* §. 1. 2. 3. 4. recenſentur. β) quæ interdictum, quod מיתת בידי שמים mortem θεήλατον, a כרת diſtinctam, interminatur, v. g. ſi Sacerdos egrediatur e Sanctuario tempore cultus præſtandi, qualia juxta MAIMONID. ſunt XVIII. γ) quæ interdictum operis, v. g. de veſtibus ex lana & lino non conficiendis, aliiſque intermittendis, lædunt, ſuntque numero LXVIII. δ) quæ interdictum transgrediuntur, quod tranſit in mandatum, niſi fecerit mandatum, quod in eo comprehenditur. aut ε) interdictum quodvis aliud, quod pœna capitis, vel compenſatione damni dupli, quadrupli &c. non ſancitum eſt &c. II) Modum, qui Deut. XXV, 2. reum in terram proſtratum, apud Magiſtros vero columnæ, ſeu palo terræ infixo ita alligatum tradit, ut carnem, ſeu corpus incurvum attingeret palus, & huic quaſi infixus videretur, dum medio corpore inclinatus in palum incumberet flagellandus. Hinc non in altum ſurgens columna, ſed bipedalis erat palus, cui incumbere poterat reus. Vniverſam vapulandi rationem Miſchna in Codice *Maccoth cap. III.* §. 12 *ſqq.* ita definit: *Quomodo flagellant illum? alligat aliquis duas manus ejus columnæ ab utroque latere: quo facto miniſter Synagogæ* (חזן הכנסת) *prehendit ejus veſtes, nihil moratus, ſive rumpantur illæ, ſive diſſolvantur, donec pectus ejus denudaverit. Pone illum lapis poſitus, in quo miniſter Synagogæ conſiſtit, habens in manu ſua lorum vitulinum duplicatum, cujus plica una in duas abit, duæ in quatuor. Duo autem lora aſcendunt & deſcendunt in eo* (laxari poſſunt & contrahi). *Manubrium palmi longitudinem habet, ipſum quoque lorum latum eſt palmum, tam vero longum, ut ad umbilicum pertingat. Tertiam plagarum partem antrorſum, duas vero reliquas retrorſum ei infligit. Neque vero erectum flagellat aut ſedentem, ſed inclinatum, ſecundum illud* (Deut. XXV, 2. en conciliationem modi Rabbanitarum, cum Scriptura): *& proſternet eum judex. Cædens una manu cædit, quantis poteſt viribus. Interim Præco hæc verba recitat* (ex Deut. XXVIII, 58. 59.): *Si non curaveris facere* &c. *mirabiles faciet Deus plagas tuas* &c. *quam pericopam idem repetit. Porro* (ex Deut. XXIX, 9.): *Et obſervabis verba fœderis hujus. Claudit tandem verbis* (ex Pſal. LXXVIII, 38.) *Ille vero miſericors expiabit peccatum: quæ itidem repetit.* In eandem ſententiam deſcribit MAIMONIDES Hilc. *de Synedriis & Pœnis cap. XVI.* §. 8 *ſqq.* hoc ſolum addens, tres adſtitiſſe ſupplicio judices, quorum ſupremus tempore flagellationis legat ex Deut. XXVIII, 58 ſq. medius numeret plagas, & tertius dicat ad lictorem: הכה *percute.* De numero plagarum mox ad paragr. ſequ. dicemus. Nunc addimus *de poſteriori*, illam baculo vel fuſte peractam, nec definitum habuiſſe plagarum numerum, ſed ab arbitrio judicum dependiſſe, & pro delicti ratione nunc auctum, nunc imminutum fuiſſe, ita ut ad necem uſque ſontis interdum procederetur: מכין אותו עד שתצא נשמתו *cædunt eum, donec animam exhalet:* teſte BVXTORF. *Lex. Targum. fol.* 1252. & COCCEIO *Not. ad Miſchn. Maccoth cap. III. p.* 123.

Ad

Ad §. XII. pag. 124.

(10) *Tantum 39 impegerunt*] Verberum numerus diserte ad XL restringitur Deut. XXV, 2. Juxta hanc legem infra quadragenarium numerum cædi poterat, qui pro reatus & personæ conditione a Synedrio determinabatur; sed non ultra, propter disertam prohibitionem. Hinc ne quadraginta plagas forte excederent, XXXIX solenni ritu infligebant, flagro ab Auctore *paragr. sequ.* recte descripto. IOSEPHVS eapropter appellat plagas μιᾶ λειπέσας τεσσαράκοντα, & Paulus τεσσαράκοντα παρὰ μιάν 2 Cor. XI, 34. Hebræi efferunt ארבעים חסר אחת *quadraginta, minus una.* Atque hoc erat סייג לתורה *sepimentum legis*, tantopere Judæis celebratum, ubi plus, minusve observabant, quam in lege erat præscriptum, saltem ne legis literam transgrederentur. Refertur hoc inter monita virorum Synagogæ magnæ: עשו סיג לתורה *facite sepem pro lege*, in *Pirke Abboth cap. I.* §. 1. ad quem locum conf. FAGII & LEVSDENI *Annotat.* Cumprimis vide SELDEN. *lib. II. de Synedr. cap. XIII.* §. 6. & ante omnes τὸν πάνυ, BVXTORFIVM *in præfatione* ad PHIL. MORNAEVM, ante libellum *de Abbreviaturis.* Monet, præter ea, quæ diximus, SELDENVS, *partim*, si quis inter cædendum, fimo aut urina sua se conspurcaret, liberum eum fuisse, propter verba Devter. XXV, 2. *ne contemptibilis fiat frater tuus, in oculis tuis: partim*, quod nullam infamiæ notam hæc pœna intulerit, sed illa affectus חוזר לכשרותו *rectitudini suæ*, seu statui priori in integrum *sit restitutus*, nec crimine commisso exprobrandus, quia, cum fuerit verberatus, ecce tunc etiam, ex effato Scripturæ, frater tuus est. Quin &, qui excisioni, pœnæ כרת divinitus infligendæ, obnoxius fuerat, indeque verberibus affectus, solvebatur inde excisione sua. Etiam Pontifex M. licet a Triumviris, aliisve Synedriis rite verberatus, חוזר לגדולתו *restituebatur in majestatem suam*, nedum Sacerdotes reliqui. Hoc tamen in ראש הישיבה *Synedrii Principe* ita temperatur, ut ille sic verberatus, אינו חוזר לשרותו *haud restitueretur ad præfecturam suam.*

Ad §. XVI. pag. 125.

(11) עקרבים *scorpiones*] Tertium hoc flagellationis genus, Tyrannicum nuncupat CARPZOVIVS *Annot. ad Schickard. Jus Regium Cap. II. Theor. VII. p.* 147. & ex Rabbinis in cit. loc. 1 Reg. XII, 11. eleganter illustrat. Ex quibus R. DAVIDEM KIMCHIVM audire lubet: עקרבים קשים משוטים שהם עוקצים בקוצים שבהם ות״י מרגנין *Scorpiones graviores sunt flagellis, quia pungunt spinis illis, quas habent additas, &* IONATHAN CHALD. *reddidit spinas aculeatas.* Ne quis ergo scorpios somniet, sed spinas aculeatas intelligat, quibus Gideon seniores urbis Succoth flagellabat Jud. VIII, 16. vel calcaria aut aculeos ferreos, flagelli loris in extremitate insertos, qualibus in Papatu cutem lacerare solent flagellantes. Commode rem & luculenter exponit ISIDORVS *lib. VI. Etymolog. cap. ult. Virgæ sunt extremitates frondium, arborumque; si lenis, virga est; si autem nodosa, vel aculeata, scorpio rectissimo nomine vocatur, quia arcuato vulnere in corpus infligitur.* Confer ANTON. GALLONII *de Sanctor. Martyrum cruciatibus*, edit. Antwerpiens. *p.* 200.

AD

LIB. V. CAPVT IX.

DE SVPPLICIIS, AB ALIIS NATIONIBVS ADSCITIS.

Ad §. I. pag. 125.

Propria Romanis erant] Crucis supplicium, apud Judæos æque ac apud Romanos vel Græcos, usu fuisse receptum BARONIVS contendit *Annal. Tom. I. A. XXXIV. num. 92.* SIGONIVS *de Republ. Hebræor. lib. VI. cap. VIII.* LIPSIVS *de Cruce lib. I. cap. II.* GRETSERVS *de Cruce lib. I. cap. XIX.* laudatus modo GALLONIVS *cap. I. p. 2.* &, qui hos sequuntur, alii plures: addito discrimine, ut Romani facinorosos clavis per manus ac pedes adactis suffixerint, Judæi funibus alligaverint. Tribus nituntur argumentis: *α*) quia Moses, jubente Deo, cultores Baal-Pehoris suspendit, Num. XXV, 4. *β*) quia reges Cananæorum Jos. VIII, 29. X, 26. & posteri Saulis 2 Sam. XXI, 9. suspensi memorantur ex ligno: *γ*) quia Paulus illud Devter. XXI, 22. applicare ad Christum Galat. III, 13. vix commode potuisset, nisi crucifixio in lege innuatur. Verum rectius, Judæis priscis incognitum crucis supplicium asseruerunt, CASAVBONVS *Exercit. XVI. c. Baron. num. LXXVI.* HOORNBEECK *c. l. cap. XV. num. XI. p. 395.* IOH. NICOLAI *Annot. ad c. l. Sigonii p.* 489. & quotquot alii, doctissimi CASAVBONI vestigia legerunt. Ita vero vir summus silentium urget Judæorum: *Si nullum veteris linguæ Hebræorum est verbum, quod crucem proprie dictam significet: si nullum verbum actioni crucifigendi proprium: si denique in toto Vet. Test. nullum extet certum de eo supplicii genere testimonium: sequitur, quod illi populo fuerit olim ea pœnæ forma incognita.* Sane præter memorata superius capitis supplicia, crucem universa ignorat Judæorum antiquitas. Et facile diluuntur, quæ allata fuerunt momenta. Ad *α*) & *β*) non crucifixionem, quæ nullis fidiculis inde extorqueri poterit, sed laqueo peractam in arbore vel stipite præfocationem, describi. Quam enim plerique hic fingunt, humi factam strangulationem, posthæc vero ex utroque brachio factam suspensionem & ostentui expositionem, nullo probare possunt idoneo documento. Sed hic obiter, & ὡς ἐν παρόδῳ inquirere liceat, quinam Num. XXV, 4. memorentur suspensi? De primatibus capiunt Interpretes passim, unde SEBAST. SCHMIDIVS vertit: *Sume omnia capita populi, & suspende ea Jehovæ coram sole.* Ante ipsum, pariter CALOVIVS *in Bibl. Illustr. h. l.* GROTIVM notans, primores populi suspensos existimat. Secus autem sentiunt VATABLVS & GROTIVS, omnes quidem principes convocandos arbitrati, ut sententiam dicerent in sontes, sed suspensos solum eos, qui deliquerant. PAVL. FAGIVS etiam *in h. l.* verba Hebræa ita intelligenda esse negat, ac si principes essent suspendendi; sed eos convocandos fuisse, ut judicium ferrent contra transgressores. Pronomen *eos* referendum non ad principes, sed ad populum, h. e. ad eos, qui ex populo deliquerant. Hac expositione præeuntes sequuntur Hebræos. R. SALOMO glossatur: *Accipe nunc omnes Principes populi,* לשפוט את העובדים לפעור *ad judicandum eos, qui colebant* idolum *Peor.* Ita Targum Hierosolymitanum pariter, ac quod IONATHANI adscribitur, licet ampliori verborum apparatu edisserunt. R. LEVI BEN GERSOM *in Pentateuch. fol.* 197. *col.* 4. *Accipe omnes Principes populi, nempe Judices, qui erant Tribuni & Centuriones, & Præfecti quinquagenis, & Decuriones, ut isti judicia exerceant in idololatras: & suspende peccatores Domino in oculis congregationis, ut reliqui erudiantur.* In eandem sententiam incedit ABARBENEL *in Pentateuch. fol.*

fol. 310. *col.* 3. Sed salva res est. Tam ex primoribus, quam ex populo complures scelere isto se contaminasse, ex historia liquet, nec præter sontes, animadvertendum in alios erat. Omnes tamen in universum principes deliquisse, vero non fit simile, & reclamat vers. 5. Hinc ex principibus Moses suspendit reos, & vers. 5. judices insontes excitavit, ut in vindicando scelere admisso satisfacerent officio. Qui plura cupit, adeat CHRISTOPH. CARTWRIGHTI *mellificium Hebraicum lib. I. cap. III. ad h. l.* Vt autem e diverticulo in viam redeamus, γ) restat objectio. Nisi eadem suspensionis & crucis ratio fuerit Christi, cum illis ex Vet. Test. memoratis, quomodo Devter. XXI, 22 sq. de maledictione suspensi pronunciatum, applicari & pertrahi queat ad Christum Gal. III, 13? Sed respondeo, non propter identitatem supplicii applicationem institui, sed propter similitudinem abominationis. Quia enim utrobique suspensio fit in ligno, nuda autem suspensio tantum secum fert abominationem, ut maledictio censeatur suspensus, multo magis abominabilem redditum fuisse suspensum de cruce, acerbiori longe modo, & graviori supplicio; unde argumentum maledictionis hic, quam ibi, certius est, magisque manifestum.

Ad §. II. pag. 125.

(2) *Arbori, seu palo simplici*] Præter KIPPINGIVM *de Cruce Exercit. XII.* stipitem simplicem sine ligno transverso, *crucem* veteribus dici, negat quoque SALMASIVS *de Cruce Epist. II. p.* 422 *sq.* sed præter rem, cum istam vocis σαυρȣ̃ notionem idoneis documentis evicerit BYNAEVS *lib. III. de morte J. C. cap. V.* §. 9. & ante ipsum CASAVBONVS *loco supra citato contra* BARONIVM. De pœnis autem capitalibus quando agitur, stipitis infixionem, & ad crucem affixionem, longe diversa fuisse supplicia constat. Interdum quidem junguntur, tanquam utrumque ex omnibus suppliciis acerbissimum, ut *in Apologetico* TERTVLLIANI: *crucibus & stipitibus imponitis Christianos:* hoc tamen ipso a se mutuo distinguuntur. Quantis autem, & quam variis cruciatibus Martyres, palis sive stipitibus affixos vel alligatos, torserint Gentiles, strictim exponit GALLONIVS *c. l. cap. I. p.* II.

Ibidem.

(3) *Posterior rursus est triplex*] Triplicem hanc Crucis figuram IVSTVS LIPSIVS *lib. I. de Cruce cap. VII. VIII. IX.* ex quamplurimis Patrum testimoniis & allusionibus exsculpsit; aliam nimirum *decussatam* ad formam literæ X, ubi in medio sui uterque palus transversim junguntur; aliam sine capitello, *commissam*, cum ligno erecto brevius alterum superne, & in ipso capite, committitur, sic ut nihil promineat, ad formam literæ T Græcorum & Latinorum; aliam denique *immissam*, quæ capitata, ad instar mali navis, cum antenna sua, ✠ quando ligno erecto transversum alterum injungitur atque immittitur, sed ita, ut ipsum secet. Verum, uti CLAVD. SALMASIVS supra laudatus *pag.* 431. definitiones has LIPSII, ut futiles, frivolasque ridet; ita dubitari potest, an crucis species olim fuerit triplex. Sane IOSEPH. SCALIGER *in digressione de literarum Jonicarum origine, ad* EVSEBII *Chron. num.* 617. *in lib. X.* negat, decussatam crucem in usu olim fuisse. Nullo etenim idoneo comprobari posse testimonio, nec aliunde ejus enatam fuisse formam, quam ex ISIDORI *Origin. lib. I. cap. III.* iisque Patrum allegoriis, quæ Jacobum in benedicendis Josephi filiis, decussatum ponentem manus suas, ad crucem Christi digitum intendisse tradunt. Sed & commissam crucem docti explodunt, eosque Patres, qui literam T crucis figuram referre perhibent, vel ad eminentiam illam ligni erecti supra transversum, non multum attendisse, vel priscam ac vetustam respexisse volunt literæ T figuram, de qua ISAAC. VOSSIVS *de translatione LXX Interpretum cap. XXIX.* testatur, eam in vetustis Græcorum monumentis σαυροειδη̃ fuisse, crucisque exacte retulisse figuram, quamvis in hodierno Græcorum alphabeto apex superior desideretur. Hinc, quis

quia cruces olim ad figuram hominis fabricatæ erant, qui brachia expandit, & cujus caput eminet, censendum omnino, tales fuisse, ut rectum lignum emineret, aliquantulum supra transversum. Immo in cruce necessarius fuit ille vertex, ait SCALIGER *cit. loc. in litera Tau*, quod *αἰτία* & titulus criminis in eo affigeretur. Vna ergo tantum remanet forma crucis, scilicet immissa. Nos tamen, ad ductum Auctoris, lustrabimus singulas.

Ad §. III. pag. 125.

(4) *Crux decussata*] Hanc Patres ex Gen. XLVIII, 13, 14. elicuerunt, ubi Jacobum, quando Josephi filiis transversis & obliquatis manibus ita benedixisse memoratur, ut dextram poneret super caput Ephraimi, qui stabat ad sinistram ejus, & sinistram imponeret Manassi, qui versus dextram ejus consistebat, crucis formasse figuram existimant. Loca TERTVLLIANI, HIERONYMI, ISIDORI, & DAMASCENI, huc facientia congessit LIPSIVS & ANTON. BYNAEVS *de morte J. C. lib. III. cap. V.* §. 10. quæ huc transferre supersedemus. Erudite de illa MOLANVS commentatur, *libro III. Histor. Imagin. cap. LVII.* Minus autem commode Andreanam, a martyrio Andreæ dici, COMBEFISIVS *in Notis ad* HIPPOLYTVM *de XII Apostolis* monuit, quod HIPPOLYTVS Andream, Patrem in Achaja, in olea arbore rectum cruci affixum tradiderit. Confer ITTIGII *Hist. Eccles. Sæc. I. cap. VII. Sect. V.* §. *XX. p.* 454. Hanc demum crucis formam tempore *Constantini M.* qui signum X e cælo visum, *Labaro* suo inscripsisse, ab EVSEBIO aliisque Veterum narratur, vel maxime celebrari cœpisse, a vero non est alienum.

Ad §. IV. pag. 126.

(5) *Crux commissa*] Istam comminiscendi, Patribus ansam subministravit oraculum Ezech. IX, 4. quam autem perverse ac inepte, CAMPEG. VITRINGA *Observatt. Sacrar. lib. II. cap. XV.* contra HVETIVM, & recentissime HENRIC. BENZELIVS *Syntagm. Dissert. I. p.* 110 *sqq.* erudite docuerunt. Elegans quidem est apud LVCIANVM *in judicio Vocalium* locus, in quo humanum genus queritur de litera *Tau*, quoniam tyranni ad imitationem illius efformarunt crucem; unde commissam in supplicio crucifixionis, si minus ubique, frequenter tamen, obtinuisse colligas locum. Sed ludere LVCIANVM in propatulo est. Demum GOROPIVS BECANVS *Hieroglyphicorum Lib. XVI. p.* 247 *sq.* literam T crucis referre figuram, copiose demonstrare satagit, & *p.* 250. crucem Christi ejusdem fuisse figuræ perhibet, talemque crucifixi Sospitatoris imaginem, in ære descriptam, oculis subjicit; indeque *Hermathenæ lib. V. p.* 108. crucem Christi multis rationibus *Tau* vocari, evincere contendit. Attamen virum eruditum, luxuriante ingenio, nugas ut plurimum egisse, in vulgus notum est, nec opus, ut exemplis demonstretur.

Ad §. V. pag. cit.

(6) *Crux Christi, ex qua pependit benedictus Salvator noster*] Nec potuit fuisse alia, propter *τίτλον*, quem *ὁ Πιλάτος ἔθηκεν ἐπὶ τοῦ σταυροῦ* Joh. XIX, 19. & quidem *ἐπάνω τῆς κεφαλῆς* Christi crucifixi Matth. XXVII, 37. Aliud præterea lignum cruci addunt scrutatores antiquitatis. Primus quippe, FRANCISCVS NANSIVS *ad* NONNI *paraphrasin in Joh. XIX*, 18. in crucis stipite arrectario suppedaneum fuisse observat, *πῆγμα*, in quo pedes affigebantur; idque IRENAEI testimonio confirmat. Sed negant, qui rem paulo curatius pensitant, & fefellisse NANSIVM existimant sedile lignum, cui inequitabat crucifixus. Id enim, ex IVSTINI MARTYRIS, IRENAEI, & TERTVLLIANI testimoniis constare perhibet SALMASIVS, in medio arrectarii stipitis impactum fuisse lignum eminens, cui insidebat is, qui cruci affigebatur. Agnoscunt sane istud vetusti Ecclesiæ Doctores, qui ea vixerunt tempestate, qua crux in usu adhuc vulgari fuit. Multus in ea disputatione est

BYNAEVS toties laudatus §. *XI. XII. p.* 230 *sqq.* ubi profligato suppedaneo, calculum fert pro sedili. Pariter GERH. IOH. VOSSIVS *Harm. Passion. lib. II. cap. VII.* §. 28. *Si quis quærat,* inquit, *utrum potius censeam in Christi cruce fuisse, sedilis excessum, an suppedaneum: de priori dixero: idque ob* TERTVLLIANI *& aliorum auctoritatem, qui vixere, cum crux obtineret. Suppedaneum vero qui certo agnoverit in cruce Dominica, ante Turonensem habemus neminem. Immo neutrius mentio est apud Veterum ullos, qui de cruce inventa ab Helena, & forma ejus crucis egerunt. Solum enim meminere stipitis recti, antennæ & tituli.* Quam autem luculentis, variisque crucifixio Christi præfigurata fuerit typis, copiose exponit EDZARD. *ad Avoda Sara cap. II. p.* 226. *usque* 243. nec non *p.* 374.

Ad §. VI. pag. 126.

(7) *Cædebant sontem*] In adjectis crucifixioni probris, primo loco memorat Auctor *flagellationem,* quæ Romano more, ab Judaica illa, capite præcedente descripta, multum differt. Illa solennis erat crucifixionis antecessor, & raro in crucem dati, nisi sic purpurati, inquit LIPSIVS *de Cruce lib. II. cap. II.* quod ibidem LIVII, CVRTII, IOSEPHI, ac aliorum testimoniis probat. Ex hoc more FRANC. VATABLVS, IOH. DRVSIVS, & alii permulti existimant, Pilatum jussisse, ut Jesus, antequam suffigeretur cruci, cæderetur flagellis. Rectius vero EDMVNDVS MERYLLVS *Not. Philol. in Pass. Christi ad cap. XIX. Joh. num.* 10. Pilatum ideo Christum flagellasse perhibet, ut voluntati Judæorum quodammodo satisfaceret, eumque castigatum dimitteret: ita enim apud Lucam, cap. XXIII, 22. ipse ait: *παιδεύσας αὐτὸν ἀπολύσω.* Respexit enim hic Pilatus morem Judæorum, qui flagellatum dimittebant liberum, immo restituebant in integrum. Quo itaque & iram populi placaret, & innocentem dimitteret, flagellandum eum pronunciat. Ita quoque magnus noster GERHARDVS. Obvertit autem BYNAEVS *lib. III. cap. IV.* §. 5. ex more Romano flagellatum Jesum, quia mox cruci esset dandus, Matthæi & Marci testimonio nixus, quod Pilatus Jesum *φλαγελλώσας παρέδωκεν, ἵνα σαυρωθῇ.* Vtrumque jungit GERH. IOH. VOSSIVS *lib. II. Harm. Passion. cap. V.* §. 13. *Id a Pilato factum, partim, quia sic mos ferret Romanus, ut, qui crucifigendi essent, prius flagellis cæderentur: partim etiam, quod speraret, hoc supplicio posse emolliri duros Judæorum animos.* Velut autem in hac conciliatione, membrum unum evertit alterum, sic ad BYNAEI testimonium respondeo, alium esse ordinem rerum gestarum in historia passionis Christi, aliam flagellandi rationem. Hanc Johannes reddidit ipsis Pilati verbis, unde quoque post flagellationem, innocentiam Christi adhuc testabatur Prætor, & producens illum in conspectum, dicebat: *ecce homo!* ut sic animos sanguinem sitientes, expleret & flecteret; illum autem tradunt Matthæus c. XXVII, 26. & Marc. XV, 15. Tria porro momenta circa flagellationem Christi, laudatus VOSSIVS excutit: 1) virgisne cæsus, an flagellis? quod de flagellis affirmat, ob vocem *φραγελλώσας,* Matth. XXVII, 26. Marc. XV, 15, ut fallatur MALDONATVS, qui pro virgis fert calculum: 2) de numero plagarum, quem Romano more incertum fuisse pronunciat, quicquid LANDVLFVS de 5475 verberibus, alii aliter definiant: 3) quo corporis situ? num procumbens, an stans? ubi stantem & columnæ alligatum, flagella sustinuisse probat, & quæ de ista tradantur columna, producit. Ceterum, de flagellatione Servatoris, præter eos, qui in historiam passionis commentati sunt, evolvatur HOORNBEECK *Vet. & Nov. Tom. I. p.* 396 *sq.*

Ibidem.

(8) *Injiciebant humeris illius crucem portandam*] Patibulatus eo nomine audiebat, qui patibulum gestaret, hoc est furcam, sive stipitem erectum, in summo habentem ramos bifidos, quibus cervices inserebat furcifer, manibus deinde ad eam deligabatur. Is, sic procedens, a carnifice,

fice, vel conservis, ut acceleraret gressum, stimulis pungebatur, vel virgis cædebatur. Romanis autem consuetudinem fuisse, ut ne aliis crux imponeretur, quam qui illi erant affigendi, LIPSIVS *lib. II. de Cruce cap. V.* ARTEMIDORI & PLVTARCHI testimoniis confirmat. Romano itaque more Jesus Hierosolyma egreditur ad supplicii locum, *βαστάζων τὸν σταυρὸν αὐτοῦ.* Ast, quia Servator vigiliis, flagellis, inprimis vero agone ad Olivetum, largoque sanguinis profluvio lassus, defatigatusque, deficere sub onere crucis, quam vix ac ægre per Vrbem tulerat, videbatur, milites Simonem Cyrenæum, temere & casu arreptum, adegerunt, ut crucem bajularet. Num solus, an sociam præstans operam & simul cum Christo? dissentiunt Interpretes. Pictores ad eum modum historiam effingunt, ut priorem crucis partem Christus ipse, posteriorem autem gerat Simon. Sed magis verisimile censet VOSSIVS *lib. II. Harmon. cap. VI. §. 7.* totam in Vrbe a Christo bajulatam, extra Vrbem vero in Simonem translatam: ORIGENEM, ATHANASIVM, HIERONYMVM, AVGVSTINVM, LEONEM M. aliosque Veterum in eandem sententiam citans. Copiosius adhuc hanc controversiam perorat BYNAEVS *lib. III. cap. V. §. 17.* & cum VOSSIO facit.

Ad §. VI. pag. 126.

(9) *A Romanis vocatur Titulus, aut Elogium*] De hoc titulo supra, jam pauca prælibavimus *ad Cap. V. §. VII. Annot. 5.* integra autem tractatione illum persequutus est HONORATVS NICQVETVS libris II. *Titulus Sanctæ Crucis* inscriptis. Hic mos non semper constabat Romanis. Nonnunquam enim contenti fuerunt *superdictione*, id est, ut Præconis præeuntis voce populo nunciaretur crimen, ob quod supplicium de aliquo sumendum esset. Interdum autem scriptam adhibebant tabellam, & elogium, quod vel præferebatur, vel appendebatur damnatis e collo. Hoc in supplicio Jesu observatum memorant Evangelistæ, satisque indicant, hunc titulum non ipsi cruci inscriptum, sed tabellæ fuisse separatæ, atque cruci posthæc impositæ, quam tabellam SALMASIVS *λεύκωμα* fuisse vult, tabulam albam, nigris literis, non miniatis, quod aliis visum, notatam. Contra vero NICQVETVS *lib. I. cap. VI.* dealbatum titulum largitur, *cap. VII.* autem, literis miniatis inscriptum contendit.

Ad §. eund. pag. ead.

(10) *Christus passus est nudus*] Prorsus nudos consuevisse crucifigi sontes, profani affatim testantur Scriptores, eandemque sententiam ad Christum crucifixum passim referunt Patres. Inter Pontificios tamen multi disputarunt, Christum linteo præcinctum, & verenda velatum, in cruce pependisse. Passionem quippe Christi fuisse dicunt voluntariam, nec alia pati decrevisse, quam quæ decerent: propterea vitasse, quicquid honestati repugnaret, quale fuisset, si a matre & feminarum aliis, conspiceretur prorsus nudus. VOSSIVS autem, qui *lib. II. Harmon. Pass. Cap. VII.* §. 3. copiosus est in hac inquisitione, plane nudum crucis supplicium sustinuisse existimat Christum. Ad gravitatem enim passionis pertinuisse, si mors ejus maxime fuerit ignominiosa: opprobrium vero auget, si nullo fuerit tectus velamine. Interim pictorum probat pietatem, qui pudori consultum cupientes, Christum verenda contectum pingunt. Consentit BYNAEVS *cap. VI. §. VIII. p. 293 sq.* Christum plane nudum, quales natura in vitam inducit, educitque, in crucem actum asseverans, eoque nomine GERHARDVM nostrum, qui *Harmon. Evang. in Pass. cap. XIII.* Christo publicæ honestatis causa relicta fuisse feminalia linea tradiderat, confutans. *Quis enim cogitare potest*, inquit, *Romanos milites, supplicii crucis ministros, insoliti quiddam circa Jesum egisse, ac partes, quas tegi voluit natura, vel linteo tectas, vel feminalibus fuisse, cum homines in crucem dari prorsus nudi solerent?* Vnde absurditas, immo impudentia elucescit Ordinis Dominicanorum, qui Papæ Johannis sive XXII, sive XXIII, (diversimode enim

numerant) præsidio & auctoritate nixi, sæculo XIV. eo progressi sunt dementiæ, ut contra Franciscanos, Christum nudum pependisse in cruce asserentes, magno supercilio & animorum motu pertenderent, Christum in cruce pependisse, ornatum in capite corona regia & aurea, indutum vero prætexta, id est, toga purpurea, usque ad talos demissa, & limbis aureis prætextata, insuper & cinctum zona, aureis bullis insigni, pedesque calceis deauratis seu bracteatis circumdatum. Talem scilicet Christum crucifixum Johannes, & cum eo Dominicani, etiam pingi, & in templis suspendi curarunt, testante BVLLINGERO *in M. S. historia Job. XXII.* sua etiam ætate multis in locis visas esse imagines tales Domini crucifixi, vetustate propemodum erosas. Confer IOH. HENR. HEIDEGGERI *Histor. Papatus Per. V.* §. 129. *p.* 158.

Ad §. VII. pag. 126.

(11) *Serræ dissectio*] Non tam inter ordinaria Romanorum supplicia, quam inter crudelitatis tyrannorum exempla, serræ dissectio refertur. Ita sane SVETONIVS Caligulam, *sævitiam ingenii* per hoc etiam, inter alia crudelitatis documenta, *ostendisse* perhibet, quod *multos honesti ordinis viros, deformatos prius stigmatum notis, ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad bestias condemnavit, aut bestiarum more quadrupedes cavea coercuit, aut medios serra dissecuit: in vita cap. XXVII.* Ast Orientalibus familiare hoc fuisse supplicium, testis est HERODOTVS *lib. VII. p.* 454. & Judæi in Africa *rebellantes Romanos & Græcos, a vertice discidere medios,* teste DIONE *lib. LXVIII. pag.* 786. De Jesaiæ autem serra dissecti, quod fingitur, martyrio, prolixe nos egimus, *Introduct. ad libb. Vet. Test. Prophetic. cap. II.* §. 2. *p.* 96 *sq.* ubi legant, qui plura cupiunt. E recentissimis tamen doctoribus, IOH. BRAVNIVS *Comment. in Hebr. XI,* 37. fuisse contendit aliquod supplicii genus, quo sontes serra dissecabantur; eumque in finem ad 2 Sam. XII, 31. provocat, ubi David devictos Ammonitas, Vrbis Rabba & reliquarum Ammoniticæ regionis Vrbium incolas, subjecisse memoratur serris & tribulis ferri, & transire fecisse per fornaces laterum &c. Noster quoque BRENTIVS *Comment. in h. l.* omnino occisos eos his instrumentis arbitratur; & SANCTIVS Jesuita, inter scelera Davidis hanc refert crudelitatem, Rabbamque putat expugnatam esse, antequam Nathan venisset ad Davidem, & hic pœnitentiam egisset. Mitius autem sentit SEB. SCHMIDIVS *Comment. in h. l. pag.* 544. serram, tribulos, & alia ejusmodi torturæ instrumenta humi posita fuisse existimans, ut dentes sursum erecti essent; quibus impositi Ammonitæ semel aut iterum, ut vulnera alta non facerent, signarent tamen corpus & cruciarent, atque æternam in corpore gererent memoriam, ne rebellarent contra Davidem, simulque omnibus videntibus, ignominia ista appareret. Vnde potius ad exasperati victoris excessum, quam ad pœnas ordinarias referre malim. De loco *Hebr. XI,* 37. nos pariter mentem aperuimus, *loco mox allegato.*

Ad §. VIII. pag. cit.

(12) *Damnatio ad bestias*] Auctores seditionis & tumultus, populo concitato, bestiis objiciebantur: talibusque nulla erat missio: *Leg.* 38. *ff. de pœnis.* Qui autem ad bestias dabatur, si feram confecisset, & certamine pœnam luisset, crimine solutus erat. Vide BVLENG. *de Venat. cap. XXXIII.* BVDAEVM *in Pandect. pag.* 240. r. FABRVM *Semestr. lib. II. cap. XI.* Sed neque tenuiores cives Romanos, neque Latinos quoque Libertinos, immo ne servos quidem, quæ hominum extrema conditio est, florente republica Romana, tali supplicio damnatos aut affectos credit SAM. PITISCVS *Lex. Antiqu. Roman. Tom. II. p.* 273. *a.* ab Afris autem primum usurpari cœpisse.

Ibidem.

(13) *Vocabantur Bestiarii*] Ita dicebantur, qui cum bestiis pugnabant, sive judicis sententia

bestiis,

bestiis quis objiceretur, sive ad id conductus, aut alioqui confisus viribus, & virtutis ostentandæ causa, ultro in arenam descenderet. Malefici autem & captivi adeo exhorruerunt hoc genus supplicii, ut multi sibi necem consciverint, ne bestiis objicerentur: teste SENECA *epist.* 70.

Ad §. VIII. pag. 126.

(14) *Cum bestiis depugnarit Ephesi, 1 Cor. XV,* 32.] Insignem Auctorum sylvam, de hac θηριομαχίᾳ Paulina, exhibuit WOLFIVS *in Curis ad h. l.* qui tamen cum MAIO & DEYLINGIO, certamen cum ferinis hominibus intelligit: nec aliter BEAVSOBRE *in Annotat. Gallicis ad N. T. h. l. p.* 399. hunc totius commatis sensum faciens: *Ni Deus ipse mihi spem immortalitatis dedisset, stolide satis & imprudenter agerem, cum feris bestiis me committens; nisi testimonia resurrectionis haberem & argumenta, divina omnino, non humana:* per bestias pariter homines efferatos describi censet, qui omnem fere humanitatem exuerunt, eo sensu, quo IGNATIVS *in Ep. ad Rom.* milites, quorum custodiæ mandatus erat, Leopardos appellat, quibuscum in universo itinere, per mare, per terram, sibi sit confligandum.

Ad §. eund. pag. eand.

(15) *Christianos in primitiva Ecclesia exercuit*] ARNOBIVS *lib. I. adversf. Gentes p.* 14. *Ad extremum nos feris & beluarum laniatibus objectatis.* Bestiis autem objectabantur, cum venationes darentur: alias enim non licebat. Hinc, cum *Polycarpum* ad leonem postularent, respondit Proconsul, fieri hoc non posse, quia venationes peractæ erant, teste epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud EVSEBIVM *lib. IV. Hist. Eccles. cap.* 15. unde factum, ut vivus cremaretur martyr. TERTVLLIANI, ad quem Auctor remittit, *Apologet. cap. XL.* locus ita habet: *Si Tiberis adscendit in mœnia, si Nilus non adscendit in arva, si cælum stetit, si terra movit, si fames, si lues, statim: Christianos ad leones.* Et *Exhortat. ad castitatem cap.* 12. ait idem: *Ne modo non sint, qui exclament: Christiani ad bestias.*

Ad §. IX. pag. 127.

(16) *Proverb. XX,* 26.] Acutissimus interpres, MART. GEIERVS *in h. l.* figuratum hic agnoscit sermonem, per metaphoram, quam in priori hemistichio Salomon inceperat, ex re rustica continuatam. Inductis quippe plaustrorum rotis supra triticum, in area dispositum, grana excutiebantur e folliculis, quæ paleæ postmodum ventilatione prorsus difflabantur. Fruges namque, usui hominum aptandæ, solebant vel excuti baculo, vel exteri tum ungulis boum, maxime in Judæa, Deut. XXV, 4. tum tribula. Hæc autem tribula duplex erat: vel tabula sola, lapidibus ferrove asperata, quæ imposito auriga, vel pondere aliquo grandi, trahebatur jumentis junctis; vel ex asseribus dentatis cum orbiculis, quod vocatum est plostellum Punicum; in quo quis sederet, atque agitaret trahentia jumenta. Hoc ipsum instrumentum posterius HIERONYM. *ad Amos. I,* 3. describit, esse plaustrum, quod rotis subter ferreis atque dentatis volvitur, ut excussis frumentis, stipulam in area conterat, & in cibos jumentorum, propter fœni sterilitatem, paleam comminuat. De quo copiose FVLLER. *lib. VI. Miscellan. cap.* 12. Hunc ergo œconomicum rotarum plaustri usum ad trituram, etiam apud Israelitas obtinuisse, ex Jes. XXVIII, 27 sqq. XXV, 10. XLI, 5. Amos. I, 3. II, 13. constat: ad quorum locorum proniorem explicationem, ista hic repetiisse juvat. Hinc itaque depromtam esse allegoriam, curate docet laudatus GEIERVS, & hunc verborum reddit sensum: Sicut agricola, paleas a granis separaturus, rotam multoties redire facit, vel convertit super manipulos substratos, ut hoc modo secernantur ea, quæ fruges hominum alias faciunt esui ineptas; ita rex sapiens talia subinde instituit examina, tales actus judiciales, tales executiones, quibus subditi inutiles ac perniciosi secernantur a probis, turbatores a tran-

quillis, impiosque *per rotæ inductionem*, hoc eſt, rigoroſam quæſtionem & examen, a probis ſegregatos ventilat, & e medio tollit. Senſum moralem, ejusque applicationem, uberius exponit THOM. CARTWRIGHTVS *Comment. in hunc locum.*

Ad §. IX. pag. 127.

(17) *Apud Græcos hoc ſupplicii genus*] Non tam ad enecandos maleficos adhibebatur, quam torturæ potius inſtrumentum erat, quo & ſevere caſtigabantur ſervi, & examinabantur rei. SVIDAS, ad quem provocat Auctor, luculenter & erudite hanc machinam exponit, quem, inſtar omnium audiviſſe, ſufficiet. Vocem τροχισθεῖσα *torta* interpretatur βασανισθεῖσα, *cruciata*, & ἀπὸ τοῦ τροχοῦ *a rota* dici docet, ὅπερ ἐστὶν ὄργανον βασανιστικὸν, καὶ διατεῖνον τὰ σώματα, *quod eſt inſtrumentum tortorium & corpora diſtendens.* Probat ex ARISTOPHANE *in Pace p.* 449. *v.* 16. *Schol. Annotat.* 12. ubi de ſervo transfugere parato dicitur, ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γ' ἕλκοιτο μαστιγούμενος, *in rota* ligatus *trahatur, flagris cæſus*: οὕτω γὰρ οἱ δοῦλοι ἐπὶ τροχοῦ δεσμούμενοι ἐτύπτοντο, *ſic enim ſervi, rotæ alligati, verberabantur.* Et rurſus ARISTOPH. *in Pluto p.* 43. *v.* 17. ἐπὶ τοῦ τροχοῦ γὰρ δεῖ σ' ἐκεῖ στρεβλούμενον εἰπεῖν ἃ πεπανούργηκας. *In rota enim* ligatum *oportet te illic tortum declarare* facinora, *quæ callide feciſti.* Pariter APVLEIVS *Metam. lib. III. p.* 79. *nec mora, cum ritu Græcienſi, ignis & rota, tum omne genus flagrorum inferuntur*; & *lib. X. p.* 326. *nec rota, vel equuleus, more Græcorum, tormentis ejus apparata jam deerant.* Sed & in tormentis martyrum ſæviſſimum mortis genus erat rota, ubi martyr rotæ radiis ita illigabatur, ut miſerum corpus, dum innecteretur radiis, cum ſummo cruciatu frangeretur, exoſſaretur, & exvertebraretur; hinc tundebatur quantum poterat; porro rotabatur in gyrum, & tanta volubilitate circumagebatur, ut effunderentur viſcera, ac membra omnia miſerum in modum divellerentur; tandem ſubjiciebatur ignis, ut ita radiis flammas contrahentibus crematur. Hinc apud TERTVLLIANVM *ſarmentitii* dicti ſunt Chriſtiani, a ſarmentis congeſtis ad cremationem, cum eſſent in rota; item *ſemaxii*, ut eſt *Apologet. cap. L. Licet nunc ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii axis revincti, ſarmentorum ambitu exurimur.* Ita nimirum fiebat illigatio, ut axi eſſet proxima, quo pacto magis inflectebatur corpus. Confer CVIACIVM *Obſervat. lib. III. cap.* 28. TVRNEBVM *Adverſar. lib. IV. cap.* 3. & *lib. VII. cap.* 16. HERALDVM *in* ARNOB. *l. II. p.* 82. TIRAQVELLVM & COLERVM *in* ALEXANDRI AB ALEXAND. *Dier. Genial. lib. III. c.* 5.

Ad §. X. pag. 127.

(18) καταποντισμός, *Submerſio in ponto*] Hoc inter ſupplicia Judæis recepta primus intulit HIERONYMVS, qui *ad Matth. XVIII,* 6. *ſecundum ritum provinciæ*, ait, *loquitur* (Chriſtus) *quia majorum criminum iſta apud veteres Judæos pœna fuit, ut in profundum, ligato ſaxo, demergerentur.* Verum non ſine cauſa DRVSIVS *lib. I. Præter. p.* 40. addit: *Fides penes* HIERONYMVM *eſto. Nam inter genera ſuppliciorum, quæ in ea gente uſurpata, nulla mentio demerſionis.* Attamen in hac ſententia minus ſibi conſtitiſſe DRVSIVM, ex *lib. III. Obſervat. cap. XXIII.* apparet, ubi diſerte: *In conſuetudine apud veteres Hebræos poſitum fuit, ut, qui crimen aliquod gravius commiſerat, is, ſi deprehenſus eſſet, in profundum ſaxo ingenti alligatus, demergeretur. Id cognoſcimus ex* HIERONYMO &c. Pariter CASAVBONVS *in Notis ad N. T. h. l.* aſſerit, καταποντισμὸν etiam Palæſtinis & Græcis, erga ſceleratiſſimos homines uſurpatum, ſed diverſimode. Palæſtinos ſaxum ſubmergendis alligaſſe: Græcos reum in plumbeum vas conjeciſſe, quod poſterius ex ATHENAEO *lib. XIV.* probat: prioris autem fidem nullo ullius Scriptoris teſtimonio fecit. Scriptorum certe Judaicorum, vel aliorum, qui gentis iſtius ritus expoſuerunt, nullus ſupplicii iſtius mentionem fecit. Vnde HOORN-

BEECK

BEECK *lib. I. Vet. & Nov. cap. XV. p.* 390. *Romani*, inquit, *Græcique habuerunt in usu καταποντισμόν· vel si forte apud vicinos Syros quoque usitatus, & vel hinc derivari illa Christi locutio potuerit, vel simpliciter petita sit ab eo, quod obvium, quique modus extinguendi facilis, certusque cunctis apparet: certe in Judæorum judiciis non fuit usurpatus: quare locutio illa inter paroemias, quales in sermone Christi frequenter occurrunt, referri potest.* Pariter LIGHTFOOTVS *in Hor. Hebr. ad h. l.* annotat: *Quod Christus hic de genere mortis, forsan nullibi, certe nunquam apud Judæos usitato, loquitur, aut in aggravationem rei id facit, aut in allusionem ad submersionem in mari mortuo, in quo mergi quis non potuit absque pondere aliquo, ei appenso, & in quo quid submergere, communi phraseologia notabat, abjectioni, odio, atque execrationi devovere.* Sane proverbialem hic agnoscere loquendi rationem, similes suadent locutiones v. g. projectionis peccatorum in profundum maris Mich. VII, 19. submersionis libri prophetici, appenso lapidis pondere, in Euphratem Jer. LI, 63, 64. quibus omnimoda memoriæ ejus deletio & irreparabilis oblivio innuitur, ut h. l. mens Servatoris eo redeat: præstare homini, ut prorsus extinguatur, nec ulla unquam ejus fiat memoria, &, si fieri possit, redigatur quasi in nihilum, ut esset, ac si nunquam fuisset, quam ut scandalum per eum veniat, æternis gehennæ ignibus luendum. Græcis autem illam submersionis in Ponto pœnam usu receptam fuisse, CASAVBONVS *supra laudatus* idoneis evicit documentis: nec de Romanis dubitare nos sinit SVETONIVS, qui Augustum, ministros superbe avareque in provincia grassantes, oneratis gravi pondere cervicibus præcipitari jussisse in flumen, testatur *in vita cap.* 67. Ita CICERO parricidium punitum perhibet *Orat. pro Roscio Amer. Quanto*, inquiens, *majores nostri sapientius supplicium in parricidas singulare excogitaverunt, ut quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine pœnæ submoverentur, insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen dejici* &c. Sed culeo postmodum sub Imperatoribus, quatuor animalia, canis, gallus, vipera, & simia, una sunt conclusa, quæ hoc ordine & numero habet *Lex Pompeja de Parricidiis* dicta, IVSTINIANVS Imperator *§. alia deinde lex. I. de publ. Judic.* recenset. Vide MARC. ZVERIVM BOXHORNIVM *Quæst. Rom.* 36. *p.* 117 *sq.*

Ad §. XI. pag. 127.

(19) Τυμπανισμός] Hunc GROTIVS, & alii viri docti, exponunt de crudeli quadam distensione; quemadmodum pellis tympani extenditur fidiculis, ut graviorem sonum edat, ita & homines per tyrannos trahi & distendi solitos fuisse, ut hac crudelitate, tanquam per torturam, cruciarentur ad mortem usque. Ita ante ipsum jam ERASMVS & BEZA. Contra vero ERASM. SCHMIDIVS observat, *τὰ τύμπανα* notare fustes, sive baculos, quibus tympana pulsantur: postea in genere quosvis fustes sive baculos, quibus aliquem percutimus: ex *τύπανα, τύπτω, ἔτυπον, ἐπενθέσει τοῦ μ.* Inde *τυμπανίζειν, τυπάνοις vel τυμπάνοις cædere:* hinc apud Paulum Hebr. XI, 35. illud *ἐτυμπανίσθησαν* exponit, *sie sind geprügelt worden.* Consentit CAMERARIVS, qui *τυμπανίζεσθαι* ait *pulsationis & jactationis* fuisse *supplicium.* Sequuntur hi SVIDAM, qui *τύμπανα* exponit, *ξύλα, ἐν οἷς ἐτυμπάνιζον, ligna*, sive fustes, *quibus aliquem cædebant: ἐχρῶντο γὰρ ταύτῃ τῇ τιμωρίᾳ, hoc enim supplicio* Judices olim in maleficos *utebantur*, quod Græci *tympanismum*, Latini, *fustuarium* vocant, interprete AEMILIO PORTO. Acquiescunt in hac sententia ex recentissimis commentatoribus IOH. BRAVNIVS, Reformatus, & SEBAST. SCHMIDIVS, nostras. Contra vero HENRIC. STEPHANVS, *τύμπανον*, inquit, significat *palum*, ad quem alligati fustibus contundebantur sontes. Reus ita palo *κρεμασθεὶς* funibus alligatus & distentus, *ξύλῳ πλήσσεται καὶ ἐκδέρεται, ligno percutiebatur, & excoriabatur*, quin tanta crudelitate cædebatur, ut toto dorso pellis quasi extracta fuerit: atque

ſic percutiebatur ad mortem. Sic differebat τυμπανισμὸς a fuſtigatione, ἀπὸ τῶν μαςίγων, quia fuſtigatio non ad mortem, ille vero ad necem usque peragebatur. Quæ nobis potiſſima videtur vocis & ſupplicii expoſitio. A qua tamen multum abit Scholion CHRYSOSTOMI in IOH. GREGORII *Novo Teſtam. h. l.* juxta quod τυμπανισμὸς λέγεται ὁ ἀποκεφαλισμὸς, *tympaniſmus vocatur decollatio*, & a Paulo ad Johannem Bapt. ac Apoſtolum Jacobum reſpicitur, capite truncatos. Additur tamen ex OECVMENIO, illud ἐτυμπανίσθησαν idem eſſe, ac διὰ ῥοπάλων ἀπέθανον, *clavis percuſſi interierunt*, qui alias etiam ῥοπαλισμὸς, *percuſſio, quæ fit clava* dicebatur. *Mſr.* DE BEAVSOBRE tamen *Obſervat. in h. l.* per decollationem exponit, auctoritate inductus HENR. VALESII, qui apud EVSEBIVM *lib. V. Hiſtor. Eccleſ. cap. I.* ubi Imperatorem L. Verum, Præſidibus Viennenſibus & Lugdunenſibus in mandatis dediſſe memorat, omnes, qui Chriſtianos ſe profiterentur, ἀποτυμπανισθῆναι, vertit, *ut gladio cæderentur*, eamque verbi notionem, in ſubjecta annotatione vindicare ſatagit. Sed ridet hanc interpretationem CLERICVS *ad* HENR. HAMMONDI *Annot. ad Hebr. XI, 35.* qui admodum prolixe in hanc vocem commentatus, *crediderim*, inquit, *proprie intelligendum de iis, qui fuſtibus ad mortem usque cæſi ſunt.* Præ ceteris omnibus hic evolvi meretur THOM. GATAKERVS *Adverſar. cap. XLVI.*

Ad §. XI. pag. 128.

(20) *Quam Hebræi vocarint* צנוק] Audiamus IVNII *in Jer. XXIX, 26.* verba integra: *Hebraicam vocem, quæ nusquam alibi legitur, penuria Latinitatis ita ſumus coacti reddere* (in ſcapha) *ut nefarius iſte zelus gradatione aliquatenus explicetur. Eſt enim vox Hebræa compoſita, ſignificans genus illud cruciatus, cujus meminit* PLVTARCHVS *in Artaxerxe: Compingebantur duæ ſcaphæ pari commenſu inter ſe reſpondentes, ita ut corpus hominis inditum quaſi in vagina eſſet*, (extantibus capite, manibus, pedibusque). *Quod genus cruciatus, ſive ad cuſtodiam atrociſſimam, ſive ad quæſtionem, ſive ad necem offerretur vinctis, præbebatur illis mel temperatum lacte, & invitis etiam infundebatur in os, unde viverent* (immo quoque, unde ſuccreſcerent vermes, qui intus corpus rodebant): *quæ ibi* PLVTARCHVS *copioſe narrat. Quamobrem Hebræi, ex forma cruciatus & victus, una voce dixerunt Naviculas ſugentis, quia homo in binas naviculas hoc pacto inditus alebatur ſuctu, & hac appellatione anguſtiſſimum quemque carcerem duriſſimumque deſignarunt: qualis hodie videtur in muris, quem Galli vocant Caligam, a ſimilitudine illius ſacci, ubi fit & percolatur aromatites, quod vinum Hippocraticum appellatur.* Non ergo IVNIVS, a Jeremia *Naviculam ſugentis* proprie indigitari cenſet, ut verba ejus accepiſſe videtur & Auctor noſter, & IAC. ALTINGIVS *Comment. in h. l. Jerem. Tom. I. Opp. pag. 835. b.* ſed figurata hac deſcriptione arctiſſimum ſolum ac moleſtiſſimum deſcribi carcerem putat. Hebræi vero, ut R. SALOMO, צנוק per סרן *compedem*, ABARBENEL per *inſtrumentum, cui manus includunt*, æque ut R. DAV. KIMCHI apud Auctorem noſtrum, definiunt. DAVID DE POMIS in *Zemach David h. v.* exponit ככל אשר בו קושרים הידים *clauſuram, qua manus conſtringuntur.* MERCERO eſt nervus, cippus, truncus, habens manicas, quibus captivi includuntur & torquentur. Vincula manuum aut pedum rectius intelliguntur, quam ſi quis memoratam ſomniet *Naviculam ſugentis.*



ANNO-



ANNOTATIONES
AD
LIBRVM VI.
DE RITIBVS MIXTIS.
CAPVT I.
DE CIRCVMCISIONE.

Ad §. I. pag. 129.

Duo Sacramenta] Exactius Auctor noster duo tantum Vet. Test. Sacramenta statuit, quam Glossator ejus REIZIUS ex BURMANNO plura numerat, ex trito Reformatorum principio, quasi Sacramenta sacra tantum sint signa. Distinguendum omnino est inter symbola adumbrativa, & inter media gratiæ Divinæ oblativa & exhibitiva, quæ Sacramentorum nomine proprie veniunt. Horum forma interna in unione consistit sacramentali rei terrenæ ac visibilis, cum re cælesti & invisibili; quæ unio in Vet. fœdere adumbrativa erat, in Novo formalis & effectiva: quod fusius Theologi in scholis suis inculcant.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Signum atque sigillum fœderis*] Omnino Paulus Rom. IV, 11. & σημεῖον τῆς περιτομῆς, *signum circumcisionis* memorat, & idem signum σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, *signaculum justitiæ fidei* appellat: ea tamen propter Reformati non obtinent, quod contendunt, omnem circumcisionis indolem ac naturam in significando solum positam fuisse, idque, quia quævis Sacramenta nuda sint signa rerum, etiam absentium, figuratarum. Signum nempe erat Circumcisio, non ratione naturæ sacramentalis, sed ratione externæ administrationis, quod in membro genitali perageretur, & hoc pacto signaret semen benedictum, ex populo Israelitico proditurum, in quo omnis gratia Judæis obtingat. Paulina tamen propositio ita venit explicanda: signum circumcisionis non est nudum signum, sed ejusmodi, quod signaculum sit justitiæ fidei, eam de novo exhibens & obsignans. Quin & signum est aliquod in corpore, signans corpus, & a gentibus præputiatis, tanquam manifesto indicio, distinguens. Rursus autem, quando Apostolus hoc signum circumcisionis vocat in prædicato σφραγίδα τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, tum insigne notandum est discrimen

inter sigilla Dei, & inter sigilla hominum. Intercedit quidem inter utraque convenientia quædam, quod, quemadmodum sigilla hominum custodientia faciunt, ut aliquid custoditum & asservatum sit, nec possit sine sigilli læsione, & violentiæ illatæ manifestatione, quicquam dimoveri, ita sigilla Dei asservent & custodiant corda fidelium, ut Deo consecrata & dedita maneant, nec mundo mancipentur. Ast præterea, sigilla Dei conferunt bona, quæ custodiunt, eademque augent, muniunt, & valide corroborant: quod exemplo Spiritus Sancti patet. Ille pariter *σφραγὶς*, *signaculum* sive sigillum est, quo a Deo fideles obsignantur, 2 Cor. I, 22. Eph. I, 13. IV, 30. sed, velut Eph. III, 16. explicatur, tale signaculum, quod hominem interiorem donis suis mactat, insignibusque incrementis auget & conservat. Pari ratione circumcisio divinum erat signaculum, fidem Abrahami quidem, quam jam habebat in præputio, effective adaugens, confirmans & corroborans, ast infantibus actu illam conferens, collatamque postea muniens & confirmans. Pluribus ista persequitur SEBAST. SCHMID. *de Circumcis. P. III. cap. I. p.* 310 *seqq.* & *cap. VI. p.* 476 *sqq.* Quo autem pacto, Apostolica illa descriptione, geminus circumcisionis finis principalis, alter, qui gratiæ salutaris est collatio, alter, promissionum gratiæ obsignatio, demonstretur, CALOVIVS docuit *Theol. Apost. Rom. Oraculo XXXVIII. p.* 138. ubi §. 8. *pag.* 140. simul ostendit, disparem esse rationem Abrahæ, & infantium circumcidendorum; quod illi fuerit circumcisio signaculum justitiæ acceptæ, his medium accipiendæ pariter & obsignandæ.

Ad §. III. pag. 129.

(3) *Circumcisio multis gentibus usurpabatur*] Cupide hunc paragraphum arripiunt SPENCERVS *de legibus Hebræor. ritual. Lib. I. cap. IV. Sect. IV. p.* 74 *sqq.* & MARSHAMVS *Canon. Chron. Sæc. V. p.* 47 *sq.* edit. Lips. uterque inde concludere satagens, Patriarchas inter Aegyptios versatos, circumcidendi ritum ab iisdem didicisse; quos solide refutavit SAM. BASNAGIVS in *Exercit. Historico Crit. ad* BARONII *Annales A. XXXV. num. XXIX. p.* 118 *sqq.* cum divina institutio Gen. XVII. non gentilem imitationem, sed divinam voluntatem, pro fundamento habeat. Vnde ab hoc Sacramento gens Judaica, *περιτομὴ* dicta, a gentibus, quæ *ἀκροβυστία* appellantur, distinguitur Rom. III, 30. quod fieri non posset, si ex gentili ritu, per imitationem illud Judæi accepissent. Eandem tamen cum in scenam revocasset MARSHAMI & SPENCERI sententiam TINDALIVS in libro cui titul. fecit: *Christianismus mundo coævus:* D. MIDLETON, Bibliothecæ Cantabrigiensis Præfectus, epistolam ad D. WATERLANDVM, Canonicum Ecclesiæ Cathedralis S. Pauli Londinensem, exaratam publici fecit juris, Londini in 8. A. 1731. qua suum TINDALIO cum antecessoribus calculum addens, Judæos circumcidendi ritum ab Aegyptiis mutuo petiisse statuit. Cui citata Anglorum scripta ad manus non sunt, excerpta ex iis, huc facientia, leget in *Bibliotheca Britannica Tom. I. P. II. A.* 1733. *p.* 328 *sqq.* refutationem autem istius opinionis paulo post *pag.* 346 *sqq.* Recentissimam pariter *Spenceriani* commenti discussionem vide in IOH. RVDOLF. FISCHERI *Observat. in varia Scripturæ Sac. loca T. I. P. II. n. V. p.* 73 *sqq.* & antiquiorem IOBI LVDOLFI in *Commentario in Hist. Aethiop. lib. III. cap. I. num.* 3. *p.* 269 *sq.* Ceterum Colchos, Aegyptios, Aethiopes & Troglodytas circumcidendi morem a Judæis didicisse, & posthæc inter suos adhibuisse, testes sunt auctores gravissimi, de Colchis & Aegyptiis HERODOTVS *in Euterpe*, & ORIGENES *lib. V. contra Celsum*, de Troglodytis PHOTIVS *in Biblioth. num.* 250. & DIOD. SICVLVS *lib. III. cap.* 3. Aethiopum porro circumcisionem, non improbat modo, sed mortiferam quoque esse, nec inter adiaphora habendam, pronunciat, & rationibus adstruere satagit CLOPPENBVRGIVS *Spicilegii Scholæ Sacrificior. cap. IV. Tom. I. Opp. p.* 77 *sq.* Verum de Habessinis copiose IOBVS LVDOLFVS *Histor. Aethiop. Lib. III. cap. I. n.* 19. agit, cujus verba, cum multa

multa in compendio exhibeant, huc transferre juvabit: *Circumcisionem non Judæi tantum, sed etiam aliæ gentes & olim usurparunt, & etiamnum usurpant, sine scientia originis, aut cultus alicujus sacri cogitatione. Aegyptios illam primitus instituisse, vel ab Aethiopibus didicisse: dehinc ad alias gentes, Colchos, Phœnices, Syros, manasse, vetustissimi Historicorum, ignoratione veræ originis, tradiderunt.* (HERODOT. in Thalia cap. 104.) *Alnajah, gens Aethiopum, cultris lapideis circumcisionem peragit. Homeritas, ex quibus nostri Habessini oriundi, inter alios expresse nominat* EPIPHANIUS. (hær. XXX. §. 30.) *Ut taceamus Troglodytas, Nigritas, aliasque innumeras gentes, quæ vel causam ejus ignorant, vel munditiem prætexunt* (apud HERODOTUM d. L. II. c. 27.) *vel circumcisionem generationi utilem esse fingunt,* (PHILO *Judæus* cap. peculiari *de Circumcisione,* has & plures alias rationes affert): *vel quod illis præputium longius & propterea præcidendum sit, ut probabiliter* THEVENOTIUS *scribit* (in itinere Orient. P. I. cap. 32.) *ne scilicet puri illi Musulmanni saccato humore, quem tamen in vesica gestant, polluantur. Nec* MUHAMMEDES *imitatione Judæorum illam Arabibus suis tradidit, sed repertam reliquit, nec ullam in toto suo Alcorano illius fecit mentionem. Ad hæc permagna est inter Judæorum, & aliarum gentium circumcisionem differentia: hæ enim genitalia tantum circumcidunt, illi vero pelliculam etiam unguibus lacerant, ut glans plane detegatur, deciduo utrimque præputio* &c. quæ in erudito *Commentario in Hist. Aethiop. p. 268 sq.* uberius declarat, & testimoniis idoneis confirmat. Quod autem denuo ad originem circumcisionis attinet, prorsus singularis hic est HERO SIBERSMA, *in de Lamp en Ligt voor 't Oude en Nieuwe Israel, cap. I. pag. 9 sq.* quando Deum Abrahamo circumcisionem in pœnam congressus cum Hagare ancilla injunxisse docet, qui tam pudendo, cruento & doloroso animadversionis genere culpam adulterii in membro luerit, quo peccaverat: etsi sanctissimum Numen postmodum, pro immensa erga suos misericordia, castigationem istam in signum fœderis converterit. Quæ tamen sententia, etsi forte novitatis gratia se commendat, tot gravissimis premitur incommodis, & Scripturæ adeo adversatur, ut vix assensum apud eruditum, piumque lectorem impetraturam confidam.

Ad §. IV. pag. 129.

(4) *Carnis, cordis, labiorum, aurium*] Diversæ vocis acceptiones facile in ordinem rediguntur. Circumcisio enim *vel* proprie sumitur, pro amputatione præputii, *vel* sacramentaliter, ut de Johanne legitur Luc. I, 59. ἦλθον περιτεμεῖν τὸ παιδίον· *vel* mystice ac spiritualiter, pro cordis emundatione, & subjugatione carnalium concupiscentiarum, quo pacto fit sine externa præputii amputatione, unde quoque Col. II, 11. περιτομὴ ἀχειροποίητος vocatur, & περιτομὴ χειστȣ̃· *vel* denique metaphorice, de circumcisione cum labiorum, ubi quis sibi temperat a peccatis linguæ, tum aurium, ubi quis resistentiam adversus auditum verbi deponit, quo sensu Stephanus Act. VII, 51. auditores suos incircumcisos cordibus & auribus dicit, quod indurati verbum ejusque auditum repellerent. Ceterum, quo sensu Græcis Patribus περιτομὴ καρδίας Rom. II, 29. & ἡ κατὰ σάρκα περιτομὴ distinguatur, exponit, ipsorumque verbis illustrat SUICERUS *Observat. Sacr. cap. III. p. 56.*

Ad §. VI. pag. cit.

(5) *Tempus erat dies octavus*] Ita Lex præcise definit Gen. XVII, 12. *filius octo dierum circumcidetur,* & Lev. XII, 3. *die octavo* scilicet a partu, *circumcidetur caro præputii ejus.* Hinc Judæi colligunt, si quis infantis sui circumcisionem ultra octavum diem protrahat, quod singulis diebus peccetur, ideoque sanciunt, ut בית דין negligentem patrem cogat, in *Schülchan Aruch. Sect.* 261. Ex quo consequitur, quod omnis mas, qui octavum diem excessisset, inprimis qui jam adoleverat, sine mora circumcidendus fuerit, quamprimum id commode fieri potuerit,

fuerit, ita tamen, ut qui informationis capaces erant, prius informarentur, atque tum Sacramentum in vera fide perciperent. Tricantur tamen circa diem octavum Magistri, & in Mischna *Schabbath cap. XIX.* §. 5. ita definiunt: *Infans circumciditur die* 8, 9, 10 & 12. *non antea, non postea. Quomodo* (hoc intelligendum est?) *Ordinarie die octavo. Si natus sit inter soles* (i. e. in crepusculo vespertino) *circumciditur die nono. Si in crepusculo vesperæ Sabbathi, circumciditur die decimo. Quodsi dies ille, qui Sabbathum excipit, sit festus, circumciditur die undecimo. Quodsi duo dies in principio anni Sabbathum excipiant, in duodecimum differtur circumcisio.* Nimirum, qui nascitur inter soles, dubium est, utrum die an nocte nascatur? Circumcisio autem non poterat administrari noctu, uti MAIMONID. in Hilc. מילה *cap. I.* §. 8. docet: *Non circumciditur unquam*, אלא ביום אחר עולת השמש שנאמר ביום השמיני ולא בלילה *nisi de die, orto jam sole, sicut dicitur* Gen. XVII, 12. *die octavo, non nocte.* Ideo differunt hujus infantis circumcisionem in diem sequentem, qui a natali nonus est.

Ad §. VI. pag. 130.

(6) *Licet cum Sabbatho coincideret*] Trita est apud Judæos regula: מילה דוחה את השבת *circumcisio pellit Sabbathum*, ita ut cultus Sabbathi non impediat circumcisionem. Est enim hæc actio sacra, & medium salutis, adeoque vel maxime Sabbatho congrua; quo Christi spectat effatum Joh. VII, 22 sq. Quomodo autem juxta illa, quæ *Not. præced.* ex Mischna sunt allata, nunc pellat Sabbathum, nunc non pellat, ex MAIMONIDIS *Commentar. in cit. loc. Mischnæ* clarius exponit SIXTINUS AB AMAMA *Anti-Barbari Bibl. lib. III. p.* 611 *sq.* Alia tamen ratio est partim itinerum, partim morborum. In itinere enim, post exitum ex Aegypto, universus populus Israeliticus XL annis distulit circumcisionem Jos. V, 5, 7. rursus vero Zippora in ipso itinere filium suum circumcidere coacta est Exod. IV, 25, 26. Itaque distinguunt Judæi inter necessarium ac divinitus injunctum iter, quod moram non patitur, & circumcisionem differt; & non necessarium, qualis reditus Zipporæ cum infantibus ad patrem erat, cui præceptum de circumcisione utique præferendum est. Ita quando morbus, si vel maxime in se non periculosus, reddebatur tamen per circumcisionem, differenda illa erat. Atque inde generalis emergit regula: ubicunque timendum erat vitæ periculum, ibi differendam fuisse circumcisionem; neque enim Deus per eam occidere hominem, sed servare volebat.

Ad §. VII. pag. cit.

(7) *Rationes, cur Deus noluerit anticipari diem octavum*] Hanc quæstionem ita occupat & definit SEB. SCHMIDIUS *de Circumcis. P. III. cap. VIII. qu.* 2. *p.* 522. *Tutissimum sine dubio est, ad divinam voluntatem decurrere. Deus namque non in sua tantum voluntate liberrimus est, sed & sapientissimus. Sapientiæ itaque ejus omnis humana sapientia cedere, & in voluntate ejus omnis voluntas humana acquiescere debet.* Eandem posthæc rationem cum tueretur & uberius declararet ANTON. BYNAEUS in dissert. *de Circumcis. Jesu Christi*, subjuncta tract. *de die Christi natali*, §. *X. pag.* 17. acerbe in ipsum invehitur laudatus supra FISCHERUS *Observat. IV. p.* 50 *sqq.* ipse tamen pariter in sapientissimam Dei voluntatem recumbens. Ne tamen Judæi nihil hic dixisse videantur, R. BECHAI *in Gen. XVII.* hanc diei rationem reddit, quod sanguis circumcisionis sit sicut sanguis sacrificiorum, qui ante octavum diem legitimus non fuit; quod, præter acumen Rabbinicum, nihil solidi complectitur: alii in *Kol Bo Sect.* 73. hanc, ut ante circumcisionem fœdus Sabbathi super infantem veniret. Sanius MAIMONIDES *in More Nebochim P. III. cap. XLIX. Quod*, inquit, *octavo die fieri jubetur circumcisio, ideo factum est, quia omnia animalia, quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia,*

debilia, & fere non aliter, quam si adhuc in utero matris essent, idque usque ad finem septem dierum, post quos demum incipiunt numerari inter videntes aerem hujus mundi. Annon vides in bestiis idem quoque observari? sicut dicitur: septem dies erit cum matre sua: quasi ante illos dies esset abortivum. Sic itaque & homo circumciditur demum post completos septem dies. Res hæc plana est, & definita; idcirco ne des locum aliis conjecturis. Ita nimirum parcere Deus voluit tenerrimis humanis partubus, nec quamprimum egressi ex utero essent, doloribus circumcisionis afficere; sed & parentes eo citius, de salute infantum suorum, certiores facere, si non ultra octavum diem salutis medium, circumcisio, differretur.

Ad hanc de tempore disquisitionem, jure suo referenda est quæstio de tempore durationis: *Quousque Sacramentum circumcisionis durare debuerit?* Quam WAGENSEILIVS *in confutatione carminis Lipmanni*, quæ *in telis igneis Satanæ* legitur, *p.* 551. ex Genes. XVII, 4 sqq. solide definit, quamdiu Abrahami posteri, per generationes ipsorum, terram Canaan essent possessuri. Cohæret enim fœdus circumcisionis perquam intime cum promissione de multiplicandis Abrahami posteris, & de ampla regione, honoribusque maximis, iis concedendis, fuitque nota quædam discriminis, qua illi a reliquis gentibus dignoscerentur. Vnde consequens est, deleta Judæorum republica, & amissa terra Canaanæa, fœdus hoc simul exspirasse, immo Messiæ temporibus nullatenus convenire, quo secundum Prophetarum prædictiones, sublato inter Judæos, Abrahami sanguine cretos, & gentes alienigenas discrimine, utrique factis agminibus Messiæ adhærere, & omnia deinceps communia habere debebant. Hoc, ne ullo modo dubium relinquatur, Fœdus insuper Novum facit, quod Veteri speciali antiquato, Deus Messiæ interventu, cum mortalibus quibuscunque constituturum sese, nominatim est pollicitus. Accedit decisio Concilii Apostolici Hierosolymitani Actor. XV. & succedens ἀχειροποίητος περιτομὴ Coloss. II, 11. quæ illam sustulit in carne Galat. V, 16. Neque adversatur, quod carnis circumcisionem ברית עולם *fœdus æternum*, Deus appellavit; etenim vocem עולם non semper æternitatem absolutam, nullo tempore terminandam, sed longam durationem significare, Judæi haud gravatim concedunt, probantque ex locis Exod. XXI, 6. Psal. LXI, 5. Cohel. I, 10. Jes. XXXII, 14. &c. uberiusque docuit CHRISTO. SONTAGIVS in dissert. *de* עולם *periodico &* יום *æterno*, Altorfii An. 1695. publicata. Triplicem autem, pro temporum diversitate, rationem obtinuit circumcisio, utpote quæ sub Vet. Test. necessaria; in Novo, exortis Pseudo Apostolis, ut & hodie, noxia; sub initium Novi Fœderis inter adiaphora relata, ad tempus libere retinebatur, ita tamen, ut circumcisio nihil esset, & præputium nihil esset, sed observatio mandatorum Dei, 1 Cor. VII, 19. Non ergo mirum, Paulum, cum Lystram & Derben delatus, Timotheum Græco patre satum offendisset, Christianorumque cœtui adscriptum, itineris comitem adscivisset, circumcidisse; ubi ratio additur, διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις, Actor. XVI, 3. Idem tamen Apostolus, haud ita multo post, cum falsi ingressi essent fratres, Christianam libertatem exploraturi & proditituri, dum Titi necessariam urgerent circumcisionem, ne ad momentum cessit, & circumcisione Titum, in confessionis, doctrinæ, & hæreticæ contradictionis casu, carere voluit, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ apud Galatas, cap. II, 3 sqq. & cap. V, 3.

Ad §. VIII. pag. 130.

(8) *Modus circumcidendi*] Hunc qui scire avet, a BVXTORFIO curate descriptum leget in *Synagog. Jud. cap. IV. p.* 95 *sqq.* Tres hic notandæ veniunt circumstantiæ insigniores; I. Personarum, quæ sunt infans circumcidendus, מוהל περιτομεὺς, qui circumcisionem peragit, בעל ברית seu סנדק *Susceptor*, sive Compater, & Elias Propheta. II. Actuum, quorum alius est α) præparatorius; ingressus in Synagogam, ritusque

que observandi, β) formales; quibus ipsa circumcisionis substantia comprehenditur, ut sunt 1. מילה præputii *amputatio*, 2. פריעה *retectio*, seu denudatio glandis, 3. מציצה *exsuctio* sanguinis: γ) consecutivus; obligatio vulneris, & impositio emplastri. III. Verborum, seu benedictionum, quæ diversis actibus diversæ junguntur. Nos de singulis, ordine quem Auctor subministrabit, pauca monebimus.

Ad §. VIII. pag. 130.

(9) *Scutellam arena plenam*] Inter pueros, qui cum Susceptore una ingrediuntur Synagogam, & Circumcisori proxime adstant, est etiam aliquis, qui scutellam cum arena manu tenet, in quam מוהל, abscissum præputium statim projicit, ita docens fore, ut semen hujus pueri multiplicetur, velut arena maris, juxta Genes. XXII, 17.

Ibidem.

(10) *Sellam otiosam pro Elia*] Hunc etenim existimant simul cum puero ingredi, & altera sella sedere, ut observet, an circumcisionis fœdus rite administretur. In libro *Kol-Bo Sect.* 73. quam, licet prolixiorem, Latine convertit SEB. SCHMIDIUS *de Circumcis. p.* 245 *sqq.* ita hunc ritum tuentur: *Quod solent adornare sellam Eliæ, non est res vana. Nam in Medrasch invenimus istius fundamentum consuetudinis, quando legimus ibi: hora, qua dixit Elias: Zelando zelavi pro Domino Zebaoth, quia transgressi sunt fœdus tuum filii Israel* (1 Reg. XIX, 10.) *dixit ipsi sanctus & benedictus Deus: in æternum tu zelum exercebis pro me adversus errantes super revelatione nuditatis* (per scortationem) *quia scriptum est* (Numer. XXV, 11.) *Pinchasus, filius Eleasaris, cum zelum exercuit meum* &c. *similiterque zelum super fœdere circumcisionis: per vitam enim tuam, non inibunt filii Israelis fœdus circumcisionis, nisi tu videris oculis tuis. Hinc disposuerunt Sapientes nostri, ut paretur illi sella: quandoquidem ille sit Angelus fœderis, quem vos desideratis, ecce venit.* (Malach. III, 1.) Dicitur illa sedes, כסא אליהו *sella Eliæ.* Sellam illam dum sternunt ac disponunt, clara voce & disertis verbis dicere oportet: זהו כסא אליהו *hæc est sella Eliæ;* id enim nisi expresse dicatur, circumcisioni non interest, ceu non invitatus. Et ut ad extremum usque circumcisionis patienter expectet, sedile illius, nisi triduo exacto, loco suo non movetur.

Ad §. eund. pag. ead.

(11) *Veniet Elias, & omnia enodabit*] Tritum Judæis dicterium est, quando in quæstionem incidunt dubiam, quæ decidi non potest: רא תהא מונח עד שיבוא אליהו *hoc relinquetur in medio, donec veniat Elias:* depromtum ex Mischna *Bava Metzia cap. IV.* §. 4. *fin.* Huc pertinet symbolum, ex ראשי תיבות conflatum, תיקו׳ quod in Talmude sæpe recurrens ita exponitur: תשבי יתרץ קשיות ובעיות *Thesbites solvet objectiones & quæstiones.* Ante dies Messiæ enim adventurum credunt Eliam, ut res in orbe præparet, homines ad excipiendum Messiam disponat, & mi[illegible]ubia, quæ nulli Sapientes solvere potuerunt, explicet. Quam vanam de reditu Eliæ spem Judæorum, oraculo Malach. IV, 4. perperam intellecto superstructam, discussit WAGENSEILIUS *Confut. Carminis R. Lipmanni p.* 539 *sqq.* Qua corpus vero, an qua animam sit rediturus, de quo non convenit inter Judæos, ex illorum mente ambigue disputat CARPZOV. *ad Schickardi Jus Regium cap. VI. Theor.* 20. *p.* 452 *sqq.* qui Christianorum de hoc reditu commentationes, larga manu subjunxit.

Ad §. IX. pag. cit.

(12) *Qui testis, aut susceptor, aut compater est*] ELIAS *in Tisbi hac voce,* ab Auctore citatus, vocem סנדק adeo domesticam genti suæ esse ait, ut in nullo Scriptorum eam legerit, nec Lexicon *Aruch* ejus mentionem faciat. Judæos Italicos eum vocare בעל ברית in lingua Italica קומפארי *Compari,* in Germanica גיואטר *Gevatter.*

Gevatter. Quæ R. DAVID DE POMIS in suo *Zemach David h. v.* fideliter exscripsit. Officium autem ejus est, ut invigilet, quo omnia rite & legitime administrentur. Hinc pius, probus ac honestus vir sit, cujus causa tanto lubentius adveniat Elias: & ita quoque fiet, ut puer ipsi similis evadat.

Ad §. IX. pag. 130.

(13) *Mos susceptores instituendi in baptismate*] Velut baptismi, ita quoque rituum ejusdem originem, ex Judaismo perperam arcessere Auctorem, alias jam observavimus. IOSEPHUS VICECOMES *Observat. Ecclesiast. de antiquis baptismi ritibus lib. I. cap. XXX.* hunc ritum diligenter excutiens, tandem ab Apostolis incepisse p. 183. hoc modo argutatur: *Nam, cum ab incunabulis nascentis Ecclesiæ Christi, fidem in baptismo profiteri, maloque Dæmoni ac pompis ejus nuncium remittere, etiam infantibus receptissimum fuerit: necesse est, ex eo tempore fuisse aliquos, qui, quod pueris per ætatem non licebat, sua diligentia & opera præstarent. At hi, quocunque tandem nomine appelles, non nisi Susceptores fuerunt.* Quæ ratio cum non stringat, maluerunt alii primum Susceptorum in Ecclesia, quorum apud antiquissimos Patres fit mentio, ortum in medio relinquere cum HOORNBEECKIO *P. I. Vet. & Nov.* p. 500. GUIL. SALDENUS quoque *Otior. Theolog. lib. III. Exercit. VII.* erudite hoc saxum volvit, nihilque de natalibus ritus definiens, §. *VI. & VII. p.* 534 *sq.* tandem statuit, illius usum juris tantum humani, non divini, nihilo secius tamen necessarium esse, nec temere omittendum: præterea §. *II. p.* 531. istam loci Jes. VIII, 2. detorsionem, quam Auctor allegavit, valide impugnavit. DALLAEUS *lib. I. de cultibus Latin. religios. cap. II. p.* 10. Susceptorum sive Patrinorum officium, quod in usu fuisse apud Christianos secundi sæculi exeuntis docet TERTULLIANUS *de Bapt. cap. XVIII. p.* 264. perperam inter baptismi cerimonias censeri existimat: quæ vero de inepta Patrinorum interrogatione & responsione monet DAVID CALDERWOOD, videantur in *Altaris Damasceni cap. X. p.* 606 *sq.* edit. Batavæ de anno 1708. Nec enim ista hujus præcise sunt loci.

Ad §. X. pag. cit.

(14) *Parentes dant infantibus suis sua nomina*] Originem ὀνομαθεσίας in circumcisione peractæ, SEB. SCHMID. tract. *de Circumcis. P. I. p.* 86. ab Abrahami circumcisione arcessit, vi verborum Genes. XVII, 5. *Hinc arbitramur,* pergit, *etiam in populo Israelitico postea inolevisse morem, ut infantibus nomina in circumcisione eorum imponerentur. Cujus consuetudinis documentum habemus in circumcisione Johannis baptistæ Luc. I. & cœpta ea forte est ab ipso Abrahamo Genes. XXI,* 3, 4. Et hodie quidem in benedictione altera a τῷ מוהל nomen imponitur. Ista vero benedictio apud BUXTORFIUM *cit. loc. p.* 99 *sq.* ita habet: *Domine Deus noster, Deus patrum nostrorum, corrobora puerum hunc, & parentibus suis conserva, sitque nomen ejus in populo Israelis* (hic primum puero nomen indit) *Isaacus filius Abrahami: lætetur & gaudeat pater eo, qui ex lumbis ejus prodiit, delectetur mater ejus fructu ventris sui, juxta id, quod scriptum est* (Proverb. XXIII, 25.) *gaudeat pater tuus & mater tua, & exultet, quæ genuit te. A Propheta* (Ezech. XVI, 6.) *etiam dicitur: & transivi propter te; & vidi jacentem te in sanguine tuo, & dixi tibi, cum esses in sanguine tuo, vive; dixi, inquam, tibi in sanguine tuo, vive* &c. Alia affertur benedictionis formula in *Kol-Bo,* quæ ita habet: *Deus noster, & Deus patrum nostrorum, mitte sanitatem vitæ & misericordiarum puero huic, ut nominetur nomen ejus in Israel N. fil. R. N. quemadmodum sanasti aquas Maræ per manum Mosis, & aquas Jerichuntis per manus Elisæ: sic sana puerum hunc cito, & in tempore brevi.*

Ad §. XII. pag. 131.

(15) *Redeamus ad cerimonias Judæorum*] In his miror Auctorem sicco præteriisse pede פריעה

פריעה *retectionem, denudationem*, quam R. BECHAI *in Exod. IV.* adeo necessariam tradit, ut propter eam solam neglectam, reus quis mortis evadat; licet ex illa longe graviores & acutiores puero dolores accedant, quam ex circumcisione ipsa. Hinc illud Judæorum ex MOSE KOTZENSI & MAIMONIDE scitum: מל ולא פרע את המילה כאלו לא מל: *qui circumcidit, & non membranam denudat, perinde est, ac si non circumcidisset.* Hanc laudatus MOSES KOTZENSIS in *libro Præcept. magno fol.* 115. ita describit: *Totum præputium, quo tegitur glans, abscindunt, donec hæc tota appareat. Deinde retegunt teneram pelliculam inferiorem unguibus in utrumque latus, donec caro glandis videatur, postmodum exsugunt, ut sanguis locis illis pressis extrahatur, ne infans periclitetur.* Abscisso nimirum præputio, & in arenam scutellæ projecto, ubi manans ex vulnere cruor paululum cohibitus est, מוהל hamatis suis pollicum unguibus refectam, sive obtusam illam cuticulæ, glandem integentis partem, in duo discerpens, & retrorsum veluti decorticans, convolvit, ita ut glans omnimode retegatur & denudetur. Probant illam Judæi 1) ex Exod. IV. vers. ult. ubi vocem pluralem מולות *circumcisiones*, in uno puerulo Mose adhibitas, de gemino ejus actu, amputatione, & denudatione exponunt. 2) ex Jos. V, 2. ubi Deus mandavit Josuæ, ut filios Israel שנית *secundum* circumcideret, quibus verbis partem alteram circumcisionis, nempe denudationem imperatam credunt Josuæ, de qua Abraham nullum mandatum acceperat; licet alii hac parte Rabbini contradicant, & Abrahamum jam denudationem a Deo edoctum fuisse perhibeant. Quin & 3) ideo adhibendam eam esse dicunt, ut non amplius attrahi queat præputium, & ut eo evidentiorem in carne relinquat notam. Verum exploso universo commento illo, SEB. SCHMIDIVS *de Circumcis. P. III. cap. V. p.* 398. hæc quoque a detorsione vindicat loca, & rationes refellit. Jam ante ipsum FRISCHMVTHVS disp. *de circumcisione Zipporæ in Exod. IV,* 24 *sqq.* solide hunc profligaverat ritum *cap. II.* §. 8 *sq.* Attamen supra laudatus FISCHERVS *Observat. III. in diversa Scripturæ loca p.* 44. FRISCHMVTHVM confutans & RVSIVM *in Harmon. Evangel. T. I. p.* 199 *sq.* contendentes, ex ἐπισπασμῷ ἀκροβυστίας ortum traxisse hanc denudationem, longe antiquius ejus indicium reperisse sibi videtur Genes. XXXIV, 25. ubi urens dolor, & plenaria vitam tutandi imbecillitas, apud Sichemitas, non ex circumcisione solum, sed vel maxime ex פריעה ortum traxisse, innuatur. Naturæ autem rei hunc ritum convenire existimat, quia ad exsuctionem sanguinis & obligationem vulneris quam maxime conducat. SCHICKARDVS *de Jure regio Cap. V. Theor. XVII. p.* 329. potius censet, diruptionem hanc pelliculæ Rabbinos introduxisse, ut differrent ab aliis gentibus circumcisis, quam tamen veram ritus illius causam fuisse dubitat CARPZOV. *Annot. ad h. l.* ad impediendum epispasmum potius, causam ejus & originem referens. Etsi vero, in re obscura, rationes ad liquidum perducere non datur, in hac tamen, tanquam probabilissima omnium conjectura malumus acquiescere, quam invita, vel tacente certe Scriptura, ad primam circumcisionis vel institutionem, vel proximam ei referre ætatem.

Minister circumcisionis ordinarie vir est, ex Israelitis, in casu tamen necessitatis, feminas quoque Judaicas, communi calculo, censeri aptas ad peragendam circumcisionem, luculentis ipsorum suffragiis, copiose comprobat GEORG. ELIEZER EDZARDVS *in Tract. Avoda Sara cap. II. Not.* 65. *p.* 301 *sqq.* Christianorum autem, de circumcisione a muliere peracta, sententias prolixe discutit SEB. SCHMIDIVS *P. III. cap. III. p.* 370. ubi simul observat, quod hodie circumcisores Judæorum, illorum Chirurgi potius sint, quam viri docti & familiæ Leviticæ.

In *Jelammedenu fol.* 4. *col.* 4. septem creati perhibentur circumcisi. Sed R. GEDALIA in *Schalscheleth Hakkabbala fol.* 6. *b.* quatuordecim enumerat ex *Pirke Abboth* R. NATHANIS, hoc ordine: Adam, Seth, Noah, Sem, Melchizedek, Jacob, Joseph, Job, Balaam, Samuel, David, Jeremias,

remia, Serubabel, quibus ex *Vajikra Rabba Sect.* 4. Moses connumeratur. Videatur WAGENSEIL. *in Sota Cap. I. pag.* 199. His vero a Turcis accensetur Mahummedes, qui ab ISMAEL ABVLFEDA *in vita Muhammed. cap. I.* circumcisus fertur natus.

In *Pirke* R. ELIEZER *cap. XIX.* edit. Vorstii *p.* 65. R. ZEHIRA inquit: *Quinque sunt præputia in mundo, quatuor in homine, & unum in arbore.* In homine 1) præputium auris, juxta Jer. VI, 10. *incircumcisa est auris illorum:* 2) præputium labiorum, prout dicitur Exod. VI, 12. *& ego præputiatus labiis:* 3) præputium cordis, quia dictum est Deut. XI, 16. *& circumcidite præputium cordis vestri:* 4) præputium carnis, quia dicitur Genes. XVII, 11. *& præputiatus masculus, qui non circumciderit carnem præputii sui.* Vnum in arbore, juxta illud Lev. XIX, 23. *cum veneritis in terram, & plantaveritis omne lignum cibi, auferetis præputia fructuum illorum.* Quod postremum tamen R. ZERIKA ita restringit: *Lignum hic memoratum non est, nisi lignum vitis* &c. Ibidem *p.* 66. R. IOHANNES ait: *Quicunque comedit cum præputiato, is veluti cum cane edit. Vti canis non est circumcisus, sic & præputiatus non est circumcisus. Quisquis accedit ad præputiatum, is veluti mortuum contrectat. Quicunque lavat se cum illo, is quasi cum leproso se lavat. Sunt enim in vita sua, tanquam mortui, & in morte sua, veluti cadaver agri; neque illorum precatio ingreditur coram Sancto Benedicto, atque de iis ait* Psal. CXV, 17. annum mortui laudabunt Deum? *sed Israelitarum preces, quia sunt circumcisi, ingrediuntur coram Sancto Benedicto & de illis dicit* vers. 18. Nos vero laudabimus Deum ab hoc tempore usque in sæculum Hallelu-Jah! Ex quo colligere licet, quo loco, & in quo pretio Judæi habeant Christianos.

Nec vivis tantum puerulis adhibetur circumcisio, sed si quis etiam ante octavum diem incircumcisus moritur, in cœmeterio demum supra sepulcrum circumciditur, ut probrum præputii ab ipso auferatur, nec sepeliatur cum ipso, כי ערלה חרפה היא לו *quia præputium opprobrium ipsi est*, ut ratio additur in *Schülchan Aruch.* Sed nullæ super circumcisionem ejus concipiuntur preces: verum imponitur ipsi nomen, ut, cum in mortuorum resurrectione, una cum ceteris Judæis, vitæ restituetur, & quisque patrem, matrem, & suam familiam agnoscet, hic quoque infans a parentibus ex nomine suo agnoscatur.

Ad §. XIV. pag. 131.

(16) *Anima exscindetur ex populo suo*] De pœna כרת supra diximus *ad Lib. III. Cap. IV. de Paschate, Annot.* 19. nec est, ut ea hic repetamus. Jungatur SEB. SCHMIDIVS *P. I. p.* 187 *sqq.* & SELDENVS *lib. I. de Synedriis cap. VI.*

Ad §. XVI. pag. cit.

(17) *Parentes, pœnæ obnoxii fuerint*] Plectendus utique reus, qui est contemptor Sacramenti: dum infans adhuc tenellus est, non ipse, sed parentes, aut qui eorum loco, circumcisionem curare debebant, sed neglexerunt; in adulta vero ætate, ipsimet incircumcisi contemtores. Vnde patet, pœnam hanc infantes, ante diem octavum morte præfestina abreptos, & citra culpam incircumcisos, plane non ferire. Ex Judæorum tamen sententia אין הכרת תלוי אלא בערל עצמו *pœna excisionis spectat tantum ad ipsum incircumcisum:* docente ex ipsorum commentariis SELDENO *c. l. p.* 46 *sqq.*

Ad §. XVII. pag. 132.

(18) *Sibi præputium arcessebant*, 1 *Corinth. VII*, 18.] Hoc argumentum post IOBVM LVDOLFVM *Commentar. in Histor. Aethiop. Lib. III. cap. I. num. IV. pag.* 270 *sqq.* copiose & erudite discussit GABR. GRODDEK. pecul. disput. *de Judæis præputium attrahentibus ad* 1 *Corinth. VII*, 18. quam & CHRISTI. SCHOETTGEN. *Horis Hebr. & Talmudicis in Nov. Test. p.* 1159. recusam subjunxit, & CONRAD. IKENIVS *Thesauro Novo Theol. Philol. Tom. II. p.* 793. inseruit. Nos ex utro-

utroque pauca delibabimus. A verbo משך *trahere, attrahere*, Rabbini derivant משיכות *attractionem, protractionem*, quod ad illum actum refertur, quo cutis genitalibus attrahitur, & משוכים *attracti* dicuntur, sive attractum præputium habentes: quo fere solo sensu hæ voces in ipsorum scriptis occurrunt. Apud Græcos vocabula ἐπισπᾶσθαι, & ἐπισπαστικοὶ idem notant, eodemque sensu Paulus adhibet: περιτετμημένος τις ἐκλήθη, μὴ ἐπισπάσθω. Forte apud Latinos *Recutiti* appellatio, qua MARTIALIS Judæum insignivit, omnium optime iis respondet. Duplici autem ratione ἐπισπασμὸν fieri, Judæi contendunt: vel *per naturam*, si quis in tenella ætate circumcisus, ejus tamen sit roboris ac vigoris naturæ, ut sponte ei præputium iterum succrescat, quales Israelitas, quos Josua שנית *iterato* circumcidere a Deo jubebatur Jos. V, 1. fuisse, nonnulli existimant, quorum tamen refellitur conjectura commate 5. ubi vera ratio exponitur; vel *arte Medica*, ubi mediante aliquo instrumento Chirurgico, subducta atque distenta pellicula, novum sibi præputium quis comparaverat, eoque glandem denuo contexerat. Hujus criminis Achanem Jos. VII. occisum, in Tract. *Sanhedrin fol.* 44. *col.* 1. & Jehojakimum, impium Regem Judæ, in *Tanchuma* Talmudistæ insimulant; quin & DRUSIUS *Not. in* 1 *Cor. VII*, 18. tales attractos notari censet Jerem. IX, 25. quos Deus visitare velle minatur מולים בערלה *circumcisos in præputio*, aut, ut ille exponit, *circumcisos cum præputio*, h. e. qui licet circumcisi, præputium tamen habeant, quod sibi attraxerint. Eos quippe omnes libidinis causa sibi attraxisse præputium credunt. Potior autem spurcitiei hujus ratio erat, vel metus persecutionis, vel superstitio. Judæi enim, qui tempore Antiochi Epiphanis dirissime vexabantur, si se Judæos negarent, circumcisorum genitalium nota prodebantur: hinc ut Gentiles se mentiri possent, & sic persecutionem effugerent, arte quadam sibi præputium attrahebant, 1 Maccab. I, 16. Ita quoque, cum Romani rebus in Judæa potirentur, Judæi hostium injuriis agitati & vexati, eodem artificio religionis suæ professionem dissimulabant. Rursus Apostolorum tempore, multi eorum, qui ex Judaismo ad Christianismum conversi, probrosam sibi in Christianismo circumcisionem fore rati fuerant, ex superstitione præputium reducebant; quos cit. loc. Paulus notat. Sed & eundem morem apud Samaritanos obtinuisse EPIPHANIUS memorat libro *de Mensur. & Ponderibus Tom. II. Opp.* (edit. Coloniens. sive potius Lipsiensis An. 1682.) *p.* 172. ut quisquis Judæorum ad Samaritanos deficeret, is novo prius præputio comparato, nova circumcisione initietur, quemadmodum vicissim, qui a Judæis ad Samaritanos confugiunt, novam suscipiant circumcisionem. Quanquam apud Judæos non nova amputatio, sed sanguinis solum fœderalis sparsio, h. e. פריעה necessaria esset iis, qui a Samaritanis jam essent circumcisi. Potissima de modo est controversia, quem EPIPHANIUS ita describit: τέχνῃ τινὶ ἰατρικῇ, διὰ τοῦ καλουμένου σπαθιστῆρος τὴν τῶν μελῶν ὑποδερματίδα ὑποσπαθισθέντες, ῥαφέντες τε, καὶ κολλητικοῖς περιοδευθέντες, ἀκροβυστίαν αὖθις αὐτὴν ἀποτελοῦσι. *Medica quadam arte, eoque quem spatisterem vocant, glandis cuticulam attrahentes consuunt, ac glutino circum adstringunt, atque ita præputium recuperant.* IOBUS LUDOLFUS autem in hanc, de modo, inquisitionem cum cura incumbens, postquam HIPPOCRATIS, & præstantissimorum Medicorum evicerat auctoritate, abscissum semel præputium nulla resarciri posse arte, distinctione rem expedire conatur, ita ut quicquid est istius attractionis, non ad præcisam pelliculam referat, sed ad פריעה *denudationem*, quæ *vel* naturæ bonitate interdum obliteretur, cujus rei exempla profert, *vel* arte reparetur, si utraque particulæ ruptæ pars parumper refricetur & vulneretur, quæ vulneratio tantum bene obligata, etiam sine emplastro, multo magis eo adhibito, denuo consolidari possit, eodem modo, uti fissura labiorum curatur. Hinc Judæos in *Bereschith Rabba* affirmare, quod denudatio præputii, glandem tegentis facta, quater vel quinquies consolidari, totiesque rursus rumpi, & sic Judæus

Judæus in verum circumcisionis statum restitui possit, ne עריל præputiatus vocetur. Laudatus modo EPIPHANIVS auctor est, Esavum detestandum hoc excogitasse artificium, ut eo facilius Deum ejurare, acceptamque a majoribus religionem negare posset; unde natam illam Dei vocem existimat: Esavum odio habui, Jacobum autem dilexi. Quod unde EPIPHANIVS hauserit, mirum videtur BVXTORFIO *Lex. Talmud. p.* 1276 *sq.* qui hactenus se de eo, in Hebræorum libris, nihil reperisse fatetur. Denique, hoc crimine si quis se contaminasset, si ad Hebræorum legem reverti velit, ex sententia R. IEHVDAE, non amplius circumcidendus fuit, מפני הסכנה *propter periculum*, vel sterilitatis, vel vitæ; reliqui tamen Magistri, uno velut ore, omnes denuo circumcidendum decreverunt, אפילו מאה פעמים *etiam centies, si opus fuerit*, neque aliquod periculum metuendum esse, quia tempore *Ben-Cotzibæ*, Pseudo-Messiæ, ii quoque, qui sibi præputium adsciverant, si ad eum se contulissent, actu fuerunt circumcisi, citra ullam ipsorum noxam; ut est in Gemara Babylon. Tract. *Jevammoth cap. VIII. fol.* 72. Præterea prohibebantur attracti, quoad tales essent, comedere de תרומה seu *primitiis Sacerdotum.*

AD

LIB. VI. CAPVT II.

DE ΑΠΑΡΧΗ, PRIMITIIS FRVCTVVM FRVGVMQVE, ET PRIMOGENITIS.

Ad §. I. pag. 132.

Consecratio sequentium] Primitiæ pecorum, frugum, omniumque proventuum Deo erant sacræ, eo fine, ut usus succedentium pecorum, frugum, omniumque proventuum, & possessori licitus, & sub divina esset benedictione: quo Paulus respicit Rom. XI, 6. *si primitiæ sanctæ, etiam massa sancta est.* Atque hic ritus sanctificationis primitiarum tantam fert ætatem, ut Cain & Habel jam de primitiis frugum & pecorum Deo sacrificium offerrent, Genes. IV, 3. Vnde antiquissimis etiam temporibus ad Gentiles hic mos emanavit, ut de Græcis HOMERVS *Iliad. lib. I.* de Romanis autem PLINIVS testatur *lib. XVIII. Hist. Nat. cap. II.* Numam jam ordinasse, novas fruges, vel vinum, non ante usibus patere possessoris, quam sacerdotes primitias inde Diis consecrassent. In genere autem triplicis erant generis primitiæ: 1) Hominum, quo omnes primogeniti spectabant, de quibus jam actum, & sub finem Capitis tractatio recurret: 2) Frugum, vel arborum, vel agri: 3) Brutorum, sive gregum. Primitiæ frugum rursus in triplici erant differentia, *vel* arborum, *vel* terræ nascentium, *vel* areæ.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Primos arborum fructus, Levit. XIX,* 23, 24.] Verba legis clarissime rem omnem definiunt: *Cum veneritis in terram istam, & plantaveritis arborem ad cibum, & præputiabitis præputium ejus, fructum ejus, tribus annis erunt vobis præputiatæ: non comedetur. Anno autem quarto erit omnis fructus sanctitas laudationum Domino. Sed anno quinto comedetis fructum ejus, ut augeat vobis proventum suum: ego sum Dominus Deus vester.* Hinc intelligis, 1) ad arbores Terræ Sanctæ hoc præceptum spectare, in quam venturi erant Israelitæ, licet ABARBENEL generatim de quavis terra intelligit, quam habitaturi essent, & in ea plantaturi: MAIMONIDES tamen ad Cananæam restringit, stante in ea Ta-

bernaculo vel Templo: de vite autem placuit Rabbinis, eam ubivis locorum obligare ad redemtionem anni quarti: 2) Non tamen promiscue ad omnes arbores in Cananæa, sed eas solum, quas plantassent Israelitæ, sive occupata terra, sive nondum occupata. Quicquid plantatum fuit ante Israelis adventum a Cananæis gentibus, immune fuit; quemadmodum de cetero proventu terræ, sic quoque de fructu quarumvis arborum sine scrupulo edere licuit Jos. V, 11. 3) Fructus priorum trium annorum ערלתו *præputium ejus* vocatur, & ABEN ESRA interprete, integra phrasis notat, *æstimatus erit fructus, ceu præputium,* res inutilis & noxia, quemadmodum cum per metaphoram præputium labiis, auri, cordi adscribitur, noxium quid significatur. Idque integro triennio, a primo mensis Tisri, ad eundem diem anni quarti. 4) Exactis tribus annis præputii, & idcirco immunditiei, quibus a vescendis illis abstinendum fuit, annus quartus iniens finiebat omnem illum præputii & impuritatis horrorem, licentiamque ad escam dabat, sed religiosam. Hanc solis Sacerdotibus vendicant ABEN ESRA & ABARBENEL; at MAIMONIDES & ceteri Doctores, possessoribus liberam faciunt, intra tamen Hierosolymorum mœnia, & ab omni, quam adduxerant familia, in festivis epulis absumendam, pari jure cum decimis secundis Deut. XII, 18. XIV, 23. Gaudium autem requirebatur in esu fructus quarti, una cum solenni gratiarum actione, & laudibus decantatis, coram largitore omnium Deo, ideo קדש הלולים *sanctitas laudum* vocantur. 5) Fructus anni quinti, uti sequentium omnium, erant fruitionis privatæ, dicebanturque חול *profanum,* commune, sive privati usus, neque Sanctuarii legibus obnoxium. Causas hujus præcepti, cum ex Judæorum, tum ex Christianorum mente, plurimas recenset IACOB. ALTINGIVS *Heptad. V. Dissert. IV. in h. l. Tom. V. Opp. pag.* 135 *sqq.* in quibus placet cumprimis, quam HENRICVS AINSWORTHVS *in Annot. ad h. l. Anglicis* subjecit: *Lege ista de præputiatis aut impuris fructibus, Deus docuit suum populum contagium suorum peccatorum, ex quo primus homo comedit de fructu vetito. Propter quod peccatum terra fuit maledicta, Genes. III,* 17. *neque homines jus habent comedendi de proventu ejus (nam pollutis & infidelibus nihil est mundum Tit. I,* 15.) *donec fuerit sanctificatum verbo Dei & precibus,* 1 *Tim. IV,* 5. *Ita fructibus quarti anni, qui fuerunt sancti Domino, docuit ipsos sanctimoniam & gratitudinem: uti etiam primitiis, decimis &c. quas singulis annis dabant Domino, docuit ipsos, ut Deum honorarent sua substantia &c. Proverb. III,* 9, 10.

Ad §. III. pag. 132.

(3) *Variæ fuerunt species*] Terræ nascentium primitiæ, quæ quotannis exsolvi debebant Sacerdotibus, diversæ fuerunt. 1) Postridie Paschatis, sive die 16 Nisan, manipulus primitiarum messis, coram Domino agitabatur, Levit. XXIII, 10 sqq. 2) Die Pentecostes duo novi panes, sive panes agitationum Deo afferebantur Levit. cit. cap. vers. 17. Numer. XXVIII, 26. 3) Sub finem messis, pariter die Pentecostes, oblationem ferebant de primitiis similaginis in placenta Numer. XV, 20 seq. 4) Primitiæ areæ duplices erant; α) septem frugum, quibus abundabat Judæa, & de quibus Auctor *paulo post §. V.* agit; β) frumenti, musti, olei, quarum primitiarum modum & mensuram Deus non definiverat, sed cujuslibet patrisfamilias pietati liberam fecerat, daret, quantum vellet. Posthæc vero Sapientes ex Ezech. XLV, 13. constituerunt, ne quis infra sexagesimam totius messis, sive proventuum partem pro תרומה penderet. Qui autem liberalis erat, quadragesimam pendebat. Hinc in Tract. תרומות, *de Primitiis, cap. IV. Mischna* 3. legis: עין יפה *oculus bonus,* seu liberalis, *dat partem quadragesimam, sed juxta scholam* SCHAMMAI, *tricesimam:* הבינונית *qui mediocriter, quinquagesimam:* והרעה *qui parcissime, sexagesimam.* Ad quem locum Auctor noster etiam provocat *infra §. X.* Licet vero lex sigillatim definiat, quarum frugum solvendæ sint primitiæ Deuter. XVIII,

XVIII, 4. *primitias frumenti, olei & musti tui, & primitias tonsuræ tuæ dabis:* Judæorum tamen Magistri, Sacerdotum commodis inservientes, mandatum illud ad omnia terræ nascentia fere extenderunt, apud MAIMONID. Hilc. *Terumoth cap. II.* §. I. canonem generalem exsculpentes: כל אוכל אדם הנשמר שגדוליו מן הארץ חייב בתרומה: *Omnis cibus hominis, qui asservatur, & cujus incrementum est ex terra, obnoxius est oblationi* primitiarum. Ratio statim additur: *Præceptum est affirmativum, ut primitias solvant de eo* (omni quippe cibo) *quia dictum est* (cit. loc. Deut.) *primitias frumenti tui, musti tui, & olei tui mihi dabis. Ecquid est frumentum, mustum & oleum? cibus hominis, qui ex terra crescit, & qui Dominum habet, quia dicitur, frumentum tuum. Ergo & his similia sunt oblationi obnoxia.* Excipit tamen MAIMONID. §. 6: *Olera etsi sint cibus hominis, non tamen tenentur dare decimas, nisi ex statutis ipsorum* (scil. Sapientum) *propterea, quod dictum est de Decima:* decimato proventum sementis tuæ Deut. XIV, 22. *scilicet proventum frugum & similia. Sic videtur quoque mihi esse idem judicium de Terumoth: nam de iis dicitur: frumentum tuum, mustum tuum, & oleum tuum, & quæ sunt similia ipsis. Oblatio de oleribus est etiam ex statutis Sapientum, ut decima ipsa.* Inde ne mireris, quod superstitiosi sanctuli decimarint etiam τὸ ἡδύοσμον, καὶ τὸ ἄνηθον, καὶ τὸ κύμινον, *mentham, & anethum, & cuminum,* quos Christus notat Matth. XXII, 23. Vi legis enim, ejusmodi olera a primitiis erant immunia: tenebantur autem ad illas, ex decreto Magistrorum.

Ad §. IV. pag. 133.

(4) *Thenuphoth & Therumoth*] Ita DAVID DE POMIS *in Zemach David* voc. נוף *f.* 92 *a.* distinguit: שם תנופה הרמה עם נענוע בערבע כנפות הארץ / ובזה יש הפרש ממנה לתרומה שזו למעלה ולמטה היה הכוהן מרים אותה / לא לצדדיה: *Vocab.* Tenupha *elevatio, est oblatio hinc inde portata, & quodammodo ad quatuor mundi plagas ventilata, seu agitata: & in hoc differebat ab oblatione* Teruma, *quæ solum sursum & deorsum levabatur, non autem ad latera movebatur.* Porro R. SAL. IARCHI *ad Exod. XXIX,* 24. Tenupha factam testatur ei, qui Dominus est quatuor mundi plagarum, atque agitationem istam remoratam fuisse & cohibuisse pœnas, Spiritusque malos: Teruma autem, qua elevabat Sacerdos & demittebat donum, factam ei, qui cæli ac terræ est Dominus, eamque Umbras terrificas abegisse. Eadem repetit *ad Levit. XXIII,* 11. & antrorsum ac retrorsum mota fuisse dona ait, ad cohibendum malignos Spiritus, sursum autem ac deorsum agitata, ad Umbras terrificas prohibendas. Hanc vocum differentiam etiam BUXTORFIUS docuit *in Lex. Hebr. min.* voc. נוף. Sed plura de תנופה & תרומה ratione, differentia, & mystica cumprimis at typica significatione, dabit EDZARDUS *in Tr. Avoda Sara cap. II. not.* 33. *p.* 226 *sqq.* quem huc contulisse non pœnitebit. Aliam præterea distinctionem Mischna inculcat Cod. מנחות *de muneribus cap. V.* §. 5. & 6. inter הגשה *adductionem* oblationum, qua sacrificium ad altaris cornu meridionale occidentale adduci debebat, juxta Lev. II, 8. & inter תנופה *agitationem*, qua sacrificium agitabatur in quatuor mundi plagas: & alia sacrificia dicuntur postulare adductionem, & non agitationem; alia adductionem & agitationem simul; alia neutrum: quæ ibidem recensita vide. Hic loci autem תרומה speciatim oblationem notat separatorum fructuum, qui jam elaborati & perfecti erant ad usum hominis. Quando nempe frumentum erat excussum, ventilatum & purificatum, separabatur ab eo pars aliqua pro Sacerdote; pariter de musto, oleo, aliisque, hominis cibo servientibus. Diversis itaque tractatibus in Talmudis P. I. de תרומות *Oblatione Primitiarum* ex fructibus, rursusque de בכורים *Primitivis Fructibus*, P. V. autem de בכורות *Primogenitis* præcipitur.

Ad §. V. pag. 133.

(5) *Deut. VIII, 8.*] Quia in tract. בכורים *cap. I. Mischna* 3. dicitur, אין מביאין בכורים חוץ משבעת המינים *non adducunt primitiva, nisi de septem speciebus:* eas ut intelligas, provocant Doctores Hebræorum ad Deut. VIII, 8. ubi in laudem Terræ Sanctæ septem proventus citantur, triticum, hordeum, fructus vitisque, ficus, malogranatum, oliva, & דבש *mel,* quod de melle dactylorum exponunt BARTENORA & MAIMONIDES *ad cit. loc.* æque ac R. SALOMO *ad Deut. XXVI, 2.* dulcedinem palmarum reddit. *Nam omnis fructus dulcis dicitur* דבש *mel*, ait Idem *in Lev. II,* 11. contra vero דבש דבורים לא מז׳ מינין *mel apum non est ex septem illis speciebus*, quia לא שייך לומר פרי האדמה *non convenit dicere*, quod sit *fructus terræ.*

Ibidem.

(6) *Vellerisque ovium, Deut. XVIII,* 4.] Gemina legitur constitutio divina de velleribus ovium: Deut. XV, 19. *Primogenitas ovium tuarum non tondebis.* Et cap. XVIII, 4. *Primitias tonsuræ ovium dabis ei* (Sacerdoti). Sed proclivis utriusque est conciliatio. Primogenitæ ovium Deo erant offerendæ, & quidem cum vellere integro, hinc prius eas tondere, quam offerrentur, nefas: de omni autem reliqua ovium tonsura, sexagesima pars minimum, ad instar reliquarum primitiarum, pendebatur Sacerdoti, qui velut ex annuis proventibus agrorum, ita pariter ex annuis pecorum reditibus, adeoque de omni possessione Israelitarum, portionem suam capiebat. Primitiæ autem non debebantur, si quis minus quam quinque possederit oves, quæ lana sua pondus 60 siclorum conficerent, cujuslibet ovis lana 12 siclos æquante: tantum si minus effecerit, ad primitias non tenebatur. Si quis autem magnum primitiarum lanæ detonsæ haberet apparatum, eum inter Sacerdotes partiri poterat, minus tamen quinque siclorum pondere, uni Sacerdoti non dandum, ut parvæ saltem vesti ex ea conficiendæ sufficeret. Ceterum, quocunque colore a natura tincta esset lana, primitiarum lege tenebatur; sed si colore aliquo (excepto albo) tincta esset arte, antequam primitiæ separarentur, a primitiis erat exemta. Voluit enim Deus, ut lana, prout in se, & a natura est, Sacerdoti penderetur, quia scriptum est l. c. *dabis ei*, nempe, ut se natura habet. Denique lana illa de vellere primum, seu ab initio detonso, separari debebat, ut nomine ראשית *primitiarum*, jure veniret. Dicebantur enim ראשית הגז *primitiæ lanæ detonsæ.*

Ad §. VI. pag. 133.

(7) *Act. XIII,* 2.] Istud itaque ἀφορίζειν, Auctor a separatione primitiarum & portionis Domini *locis citatis* dictum existimat. DRUSIUS autem, ad quem provocat, *lib. II. de sectis cap.* 2. Rom. I, 1. ad pristinum Pauli Pharisaismum alludi hariolatur, tanquam, qui olim ἀφωρισμένος (נפרש) fuerit εἰς τὸν νόμον, nunc fit segregatus εἰς εὐαγγέλιον. Quæ ingenium magis, quam veritatem prodit conjectura. IOH. CUNR. DIETERICUS *in Illustram. Novi Test. h. v.* sumtam censet phrasin ex Vet. Test. ubi idem valeat, ac delectum esse cum quadam segregatione ad divinum usum, non communem, sicut de victimis id palam fit, & de agri consecratione Lev. XXVII, 21. ubi in Hebr. legatur חרבם quod proprie notat, *rem aliquam ab usu communi eximere & segregare, ut Deo consecretur.* Ad quam sententiam proxime accedit IAC. ELSNERUS *in Observ. Sacr. ad h. l.* qui non putat rectius aut elegantius verti posse, quam *destinatus* ad Evangelium Dei, cum verbum ἀφορίζειν, & Latinum *destinare*, de rebus aut personis, rei divinæ adscriptis & dedicatis, usurpetur. Cumque οἱ LXX Levit. XX, 26. ὁ ἀφορίσας ὑμᾶς ἀπὸ πάντων τῶν ἐθνῶν, εἶναί μοι, de Israelitis, a ceteris gentibus segregatis, consecratisque Deo, item Num. VIII, 11. de Levitis, & Exod. XXIX, 24. de Sacerdotibus, eximia & singulari ratione ad cultum divinum designatis, eodem verbo utantur,

utantur, utrumque locum de Paulo huc respicere existimat. Mihi potius ad *sanctificandi* verbum, הקדיש alludi videtur, quod, quæ sanctificabantur, ab usu vulgari & communi segregata, cultui divino aut usibus sacris destinarentur, velut de primogenitis Num. III, 13. de Sacerdotibus Exod. XXIX, 1. de Sabbatho Exod. XX, 5. Deut. V, 12. Neh. XIII, 22. Jer. XVII, 22. de vasis sacris Exod. XXIX, 36 sq. XXX, 29. XL, 9 sqq. de hominibus ad Deum appropinquare gestientibus Exod. XXIX, 22. & sexcentis id genus aliis, usurpatur. Quod itaque Exod. XXIX, 1. de Aarone & filiis ejus, ut sacerdotio fungerentur, a LXX interpretibus adhibetur: *ἁγιάσεις αὐτοὺς, ὥστε ἱερατεύειν μοι αὐτοὺς*, ad citata loca apprime quadrare censeo: æque ac verba Salvatoris, de Apostolis Patrem deprecantis, Joh. XVII, 17. *ἁγίασον αὐτοὺς*, *sanctifica illos*, CHRYSOSTOMUS in CORDERII *Catena in Johann.* commode ita exponit, *οἷον, ἀφόρισαι αὐτοὺς τῷ λόγῳ καὶ τῷ κηρύγματι*, *quasi dicat, segrega eos ad verbum & prædicationem*, ut isthæc exorata sanctificatio, destinationem & instructionem ad officium Apostolicum rite obeundum, designet.

Ad §. VI. pag. 133.

(8) תרומה גדולה *oblationem elevationis magnam*] Græcis *ἀφαίρεμα μέγα*, & *ἀφορισμὸς μέγας* dicebatur, & consistebat in prima ablatione & oblatione fructuum elaboratorum, antequam penderetur decima. Vocabatur *oblatio magna*, quia de universa massa ante dabatur, quam ex illa decerperentur decimæ. Post enim allatam תרומה גדולה/ solvebatur ex residuo decima prima Levitis, מעשר ראשון dicta: de hac Levitæ rursus pendebant decimam Sacerdoti, quæ מעשר יהוה *oblatio Domino* destinata, item *decima de decimis*, Num. XVIII, 26. audiebat, ut Auctor bene monuit & Cap. sequ. uberius declarabitur. De origine autem vocis תרומה non convenit inter eruditos, quam R. DAVID KIMCHI a רום derivat, & Hebraicum תרומה a Rabbinis ad hanc oblationem tractum & appropriatum existimat, MAIMONIDES autem *Comment. in Mischnæ* תרומות a peculiari radice תרם arcessit, quæ sit *tollere, removere, auferre*, a qua BUXTORFIUS etiam deducit *in Lex. Targum. p.* 2650 *sqq.* Hoc certe verbum Auctores Mischnæ frequentissime usurpant, quando hanc primam fructuum elaboratorum ablationem describunt, sive priscis Judæis in usu fuerit, sive minus.

Ad §. VII. pag. 134.

(9) *Possunt Biccurim comprehendi sub Therumah Gedolah*] Fluctus in simpulo movet Auctor, controversiam in medium proponens: Num primitiæ (בכורים) sub Teruma Gedola comprehendantur, an ab ea distinguendæ sint? Resp. Scriptura distinguit, quando Lev. XXIII, 10. & cap. II, 14. primitias spicarum, & manipulum primitiarum messis appellat, & ante oblationem magnam offerre jubet. Teruma autem, quod jam aliquoties inculcavimus, non in spicis, sed de elaboratis, & ad usum hominum jam præparatis fructibus exhibebatur: utraque ut & tempore, & materia, & forma, multum inter se differrent. Contra vero Rabbini, הבכורים *primitiva*, nomine Teruma quoque complectuntur. Testem laudo omni exceptione majorem, MAIMONIDEM, qui in Hilc. *Terumoth cap. XV.* §. 20. ita ex tripode pronunciat: תרומה גדולה ותרומת מעשר והחלה והבכורים כ׳לן נקראו תרומה *primitiæ majores, & primitiæ decimarum, & placenta, & primitiva, nomine* תרומה *primitiarum veniunt.* Probat de singulis: de primitiis decimarum ex Num. XVIII, 26. de primitiis magnis ex Num. XV, 20. ubi *primitiæ horrei* Terumam magnam designent, de placenta ibid. *auferetis placentam in Terumam:* de primitivis ex Deut. XII, 27. ubi per תרומה ידין *oblationem manuum tuarum* primitiva intelligantur. Idem urget in Hilc. *Biccurim cap. III.* §. 1. ubi diserte repetit: וכבר בארנו שה בכורים קרויין תרומה *Primitiva vocata fuisse Teruma dudum demonstravimus*, loco scilicet mox citato. Hinc facilis est responsio: ex

ex phrasi Scripturæ, Biccurim vocantur aristæ oblatæ, cum Teruma ex fructibus elaboratis, non confundendæ; ast ex phrasi Rabbinorum, Biccurim nomine Teruma pariter veniunt.

Ad §. X. pag. 134.

(10) *Isque illiberalis, qui non trigesimam*] De iis, quæ in hoc paragraph. præcedunt, supra diximus ex Talmude, *Annot.* 3. nec est, quod adjiciamus. De Pharisæis autem citatus EPIPHAN. *Hæres. XVI.* quæ Judaismi III. est, §. 1. *p.* 34. inquit: ἀπεδεκάτευν δὲ τὴν δεκάτωσιν· τὰς ἀπαρχὰς ἐδίδουν, τριακοντάδας τε καὶ πεντηκοντάδας· *Decimarum decimas dabant; primitias offerebant tricesimas & quinquagesimas.* Duplices ergo pendebant primitias, & medias, & summis ampliores, a Magistris definitas. *Quod si verum est,* (adnotat ad hæc verba DIONYS. PETAVIUS,) *egregia illorum liberalitas extitit, utpote qui præfinitum a Magistris terminum τῶν τεσσαρακοστῶν superaverint.*

Ad §. XI. pag. cit.

(11) *Modus dependendi has primitias*] Paulo plenius ex MAIMONIDIS Hilc. *Biccurim cap. IV.* §. 16. & 17. descriptam dabimus hanc festivitatem: כיצד מעלין את הבכורים *Quomodo adducunt* Israelitæ *primitiva* Hierosolymas, ad Templum? Resp. *Omnes civitates, quæ ad aliquam stationem* (in urbem scilicet stationariam, quam Præfectus illius stationis inhabitabat) *conveniunt, conferunt se ad urbem stationis suæ, ne singuli singulatim ascendant, q. d. in multitudine populi consistit gloria regis* (Prov. XIV, 28.) *Conveniunt itaque & pernoctant in platea urbis, ædesque ob tentorium impurum non ingrediuntur* (ne forte impuri redderentur & ad sanctum hoc opus peragendum inhabiles, si forte domus illa, aut Synagoga sepulcro fuisset inædificata, aut aliam contraxisset immunditiem): *mane autem exclamat Præfectus* illius stationis: *surgite, ascendamus Zionem ad Dominum Deum nostrum,* Jer. XXXI, 6. *Bos autem* pro sacrificio pacifico, *illos anteibat, cornubus deauratis, capiteque corona oleagina redimito, quo primitiva hæc e septem illis speciebus esse notabatur,* in quibus olea principem tenebat locum. *Is autem, qui tibia cecinit,* quod instrumenti Musici genus R. LIPMANN. ad Mass. *Eracin cap. II.* §. 3. ad sacrificiorum oblationem adhibitum fuisse docet, *ante faciem eorum ibat, donec Hierosolyma proxime attigissent, inter eundum vero semper sibi acclamabant: lætitia perfundor per illos, qui mihi dicunt, abeamus ad domum Domini,* Psal. CXXII, 1. *Singulis vero diebus non nisi duas diei partes absolverunt,* (non toto die iter facientes, sed duabus saltem de die partibus). *Quando urbem Hierosolymitanam proxime sunt assecuti, Legatos ad cives urbis ablegaverunt, qui id illis facerent notum; interea primitiva sua coronarunt, ornamentisque decorarunt, atque recentia si quædam præter sicca inter primitiva essent* (nam jam supra MAIMONIDIS *cap. II.* §. 5. monuerat, incolas ab Hierosolymis non longinquos, ficus & uvas recentes, magis vero dissitos, ficcas passasque attulisse) *visui obverterunt. Obviam tunc principes, antistites, & ærariis præfecti, illis ex urbe prodierunt, pro ratione advenientium, magno numero, si multi advenissent; parvo, si pauci. Statim atque omnes, portas Hierosolymorum fuerunt ingressi, recitare occœperunt* ex Psal. CXXII, 2. *pedes nostri steterunt in portis tuis, o Jerusalem! Omnes opifices Hierosolymitani coram illis consistentes, salute eos exceperunt, dicentes: fratres nostri, viri hujus vel illius loci, salvos vos venisse gaudemus. Ita in urbis medium penetraverunt, tibicine agmen præeunte ad montem Templi usque. Pede hucusque promoto, singuli canistrum humeris imposuerunt suis, dicentes: Hallelujah; laudate Deum in sanctitate sua, & quæ sequuntur, usque ad verba: omnis anima laudet Dominum, Hallelujah!* Psalm. CL, tot. *Hac ratione in monte processerunt canendo, usque ad Atrium, in quod postquam perventum fuit, Levitæ concinerunt: extollam te Domine, quia evexisti me* &c. Psal. XXX, 2 sq. Rite igitur ut omnia peragerentur, septem cerimonias

nias requisiverunt Magistri, quas in compendio exhibet MAIMONID. Hilc. *Biccurim cap. III.* §. 14. h. m. נמצת אומר שהבכורים טעונין שבעה דברים הבאת מקום וכלי קריאה וקרבן ושיר ותנופה ולינה: *Invenitur alicubi dictum, quod primitiva septem res diversas necessario requirant: Adductionem ad locum: Vas: Confessionem: Sacrificium: Canticum: Agitationem, & Pernoctationem.* Singula paucis exponemus. Nimirum 1) non reposcebantur primitiæ ex cujusque ædibus, sed quisque ultro, gratæ mentis ergo, afferre ad Templum, ibique sacra, & gratias Deo persolvere tenebatur. 2) Quia Deut. XXVI, 2. diserte præcipitur: *& pones in corbe,* vi legis inde eliciebant, ut unaquæque species, separato & distincto vase collocata afferatur, interim sin omnia in uno simul corbe adducerent, satisfaciebant etiam præcepto, modo septem illæ species distincte, concinno ordine, nec permistim, collocatæ perspicerentur. 3) Confessionem autem, קריאה / Deut. XXVI, 3-10. conceptis verbis expositam, edere quilibet offerens tenebatur lingua sancta, coram Sacerdote, non quovis, sed illo, qui tunc temporis secundum ephemeriam suam, in Templo cultum administrabat. 4) Oblatione pacifica quoque opus habebant primitiva, quoniam Deut. XXVI, 11. injungitur: *& gaudebis in omni bono:* æque uti de festis legitur Deut. XVI, 14. *gaudebis in festis tuis* &c. Cum ergo lætitia festi consistat in שלמים sive *Pacificis*, recte etiam illa junguntur primitivis. Interim, si vel omittatur sacrificium, nil tamen obstabat, quo minus legitima censeantur illa. 5) Postquam ad atrium pertigissent primitias offerentes, Levitæ canere occipiebant ex Psalm. XXX, 2. Præterea vero, quandoquidem adductio illa, magna peragebatur lætitia & pompa, in via, Hierosolymis, & in monte templi continuo canebant hymnos sacros, & laudes Deo; quapropter etiam a Levitis cantoribus canticis excipiebantur in atrio, quibus Deum laudabant, ob bona temporalia, populo præstita. 6) תנופה seu *Agitationem* versus quatuor orbis plagas requirebant, quia Deut. cit. loc. additur: *& accipiet Sacerdos corbem e manu tua*, quibus verbis agitatio Sacerdotis innuitur. 7) Pernoctationem denique requiri probant ex Lev. VII, 16 sq. ubi legitur: *Pacifica votiva vel spontanea comedantur eopse die, quo offeruntur, crastino autem, quod residuum fuerit de eo, etiam comedetur.* Ergo includitur nox inter diem oblationis & crastinum, Hierosolymis transigenda, quia extra Vrbem comedere nefas erat.

Ad §. XII. pag. 135.

(12) *Primitias hominum & bestiarum sibi adscribit Jehova Exod. XIII.*] Quia Deus omne primogenitum de hominibus & de brutis in Aegypto occidens, Israelitis pepercerat, hinc disertà lege omne primogenitum in Israele, tam de hominibus, quam de brutis animantibus, sibi jure vendicabat ac sanctificabat in omne ævum Exod. XIII, 1 sqq. Et de bestiis quidem mundis, & altari ac oblationi congruis, constituit, ut mactarentur & in sacrificium offerrentur Num. XVIII, 15 sq.: De hominibus autem, & immundis animalibus, ut ære vel certo pretio redimerentur, quod sacerdotibus cedebat. Quin asinorum, vel alias immundorum animantium primitias agno redimere, vel occidere licebat. Velut autem mundorum animalium primogenita altari consecrabantur, ita primogeniti hominum Deo pariter, ejusque ministerio addicebantur, donec Dominus tribum Levi, loco primogenitorum adoptaret Numer. VIII, 14 sqq. de qua surrogatione supra dictum, ubi de Sacerdotibus. Redimendus tamen, quinque siclorum pretio, erat primogenitus, junctis redemtioni sacrificiis, ut Luc. II, 22. videre est. Quomodo autem hodie primogenitorum peragatur apud Judæos redemtio, BUXTORFIUS *Synagogæ Judaicæ cap. VI. toto* prolixe docuit, ubi legas. Qui olim circa ipsos obtinuerint ritus, MAIMONIDES in Hilc. בכורות *lib. IX. in Gad* exposuit, ibique de primogenitorum separatione *cap. I.* §. 1 *sqq.* mactatione & comestione §. 8 *sqq.* in altari oblatione *cap. V.* §. 9, 10. hominum redemtione

emtione &c. ex instituto egit. Prolixioribus enim nobis esse non licet.

Ad §. XIII. pag. 135.

(13) *Omnia nos docent*] Primitiarum cumprimis oblatio, solennis erat testificatio, omnes nostras fruges, omnem messem, ex una Dei benedictione esse: hinc Deo primo offerendæ fuerunt illæ in gratiarum actionem, pro acceptis a Deo beneficiis. Sed & præfiguratio erat missionis Spiritus Sancti ἀπαρχῶν τοῦ πνεύματος, Rom. VIII, 23. quæ incidere debuit in eundem diem, quo lata lex, & per eam spiritus servitutis. Sic etiam præfiguratæ primitiæ novæ Ecclesiæ, & Apostolici muneris, & novi panis, quo pascuntur primum fideles Judæi, tum Gentiles Act. II. & X. Denique figura est sanctificationis nostræ, seu novitatis vitæ, & novorum fructuum spiritualium, quos operatur missio Spiritus Sancti. Typicam autem & moralem primogenitorum filiorum, Deo consecratorum, rationem larga manu suppeditatam vide a WILH. MOMMA *Oeconom. Tempor. Lib. II. cap. IV.* §. 25 *sqq. pag.* 114.

Disputandum hic quoque esset contra SPENCERUM, qui *de Legib. Hebr. Lib. III. Dissert. I. cap. IX.* leges de primitiis, Deo solvendis, latas fuisse contendit, ut Israelitæ donis illis, quibus aliæ gentes, & ipsi forsan in Aegypto, fictitios Deos colebant, Deo vero honorem exhiberent, eique, non Soli, Isidi, vel Cereri, se terræ fruges debere testarentur. Id ut evincat, 1) gentes antiquas Diis suis, ritu solenni, primitias obtulisse docet: 2) morem illum legibus, de primitiis Deo sacrandis, occasionem & materiam præbuisse, persuadere satagit: 3) objectionibus potioribus satis facere nititur. Ista quidem omnia si pro merito discutere aggrederemur, prolixa nobis scribenda foret tractatio, quæ nec hujus loci est, nec nostri instituti. Gentiles primitias Deo consecrasse, in confesso est & prolixa testimoniorum ac exemplorum recensione non eget; neque tamen causæ suæ quicquam lucratur inde SPENCERUS, cum huc demum omnis redeat quæstio: num oblationem primitiarum a populo Dei Ethnici acceperint, an ab his didicerit ille? Ante vero, quam in errorem cultus abrepti homines, idolis vel gentilismo operam darent, in Adami familia, primitiarum consecratio, Deo vero facta obtinuit, ut Caini & Abelis exemplo palam fit Gen. IV, 3, 4. Abelis autem sacrificium fide Deo placuisse, cum Paulus diserte perhibeat Hebr. XI, 4. liquido inde patet, oblationem istam expressa summi Numinis suffultam fuisse institutione. Primum itaque ortum ritus iste, primitias Deo consecrandi, a sapientissimo Numinis arbitrio & mandato traxit haud dubie, minime ex hominum ingenio vel gentili instituto. Qui etsi mature satis, & ante Mosis legem transire ad gentes potuit, sanctissimæ tamen voluntati & revelationi primævæ inhæsisse denuo in lege multo rectius & proclivius creditur Deus, quam ut ab Ethnicorum abusu, divinam hujus ritus sanctionem ad superstitionem suam impie transferentium, illam innovandi arripuisse dicatur occasionem. Verum istis diutius immorari non libet.

AD

LIB. VI. CAPVT III.

DE DECIMIS.

Duplices erant Decimæ, *Ecclesiasticæ*, quæ divino jussu Levitis & Sacerdotibus, tum quoque pauperibus pendebantur, Lev. XXVII, 30. Num. XVIII, 20. Deut. XIV, 22. & *Politicæ*, sive *Regales*, quæ tributorum ad instar Regibus debebantur 1 Sam. VIII, 15. De prioribus autem hoc Capite agitur. Quemadmodum enim primitiæ, sacrum velut vectigal quoddam erat de primis frugibus; ita decimæ pariter ejusmodi quoddam tributum, quod de omni facultate & substantia, secundum decimam partem, Domino exsolvebatur. Primitiæ Deo exsolvebantur in gratitudinis professionem pro frugibus & fertilitate terræ; decimæ Sacerdotibus, salarii velut loco, & ad ipsorum sustentationem, quod in cultu Dei omnem transigerent vitam. Accedebat, quod tribus Levi nulla inter fratres suos parte gauderet ac possessione in terra Cananæa Num. XVIII, 20 sq. Aequum ergo erat, ut Israelitæ, qui portionem hereditatis tribus Levi possidebant, inque suos vertebant usus, fratribus Levitis, de usufructu velut hereditatis ipsorum, decimas penderent. Etsi antiquissimum esset jus decimarum, dudum ante legem, ab Abrahamo, decimas Melchisedeko exsolvente Gen. XIV, 20. Hebr. VII, 2. & a Jacobo, decimas omnium facultatum suarum Domino spondente Gen. XXVIII, 22. agnitum & observatum. Vnde ad gentes quoque emanavit.

Ad §. II. pag. 135.

(1) *De his omnibus decimas solverunt*] Satis perspicue lex ita definit Levit. XXVII, 30. *Omnis decima terræ, de semine terræ tuæ, aut de fructu arboris, Domino est, sanctitas Jehovæ:* Sententiarum tamen divortium hic obtinuit. Ad fructuum omnium, quin & vilissimorum olerum hortensium, modo cibo inservirent hominum, decimationem, obligatos hac lege fuisse Hebræos, nonnulli ex Judæis affirmant *in Jalkut* parascha בחקותי *fol.* 200. *col.* 3. communem urgentes regulam, quæ in Mischna מעשרות *de Decimis cap. I.* §. 1. legitur: כל שהוא אוכל ונשמר וגדוליו מן הארץ חייב במעשרות: *Omne esculentum, quod custoditur, & ex terra capit incrementa, decimis est obnoxium:* & ex Christianis IOH. STEPH. MENOCHIVS *de Republ. Hebr. lib. II. cap.* 4. IOH. GERHARDVS *Comment. in Deut. p.* 897. & 765. SIXTIN. AB AMAMA *Comment. de Decimis Mosaicis*, præmisso ejus *Anti-Barbaro Bibl.* & alii plures. Hos & generale præceptum, de omni proventu terræ Deut. XIV, 22. XXIV, 12. & Servatoris verbum movet, ταῦτα ἔδει ποιῆσαι, κἀκεῖνα μὴ ἀφιέναι, Matth. XXIII, 23. Alii tamen ad tria solum frugum genera, olei, musti, &, cujus quinque enumerant species, frumenti, imperatam divinitus decimationem restringunt; de leguminibus autem, & seminibus hortensibus, ut sunt ceparum, allii, porri, nigellæ rapæ, & his similibus, non tam ex præscripto legis, quam Doctorum decreto, decimas olim fuisse solutas, contendunt. Ita MAIMONID. Hilc. מעשרות *cap. II.* §. 6. diserte pronunciat: *Quamvis olera sint cibus hominis, tamen illa decimationi non sunt obnoxia, nisi ex Sapientum decreto, quia dictum est*, Deut. XIV, 22. *de decima proventus seminis tui. Vbi id, quod proventus nomine venit, & huic simile, intelligendum est, sed olera sub hoc non intelliguntur.* Pariter ABARBENEL *Comment. in Legem fol.* 360. *col.* 1. decimas tantum ad frumentum, oleum & mustum refert: & R. SAL. IARCHI *ad Lev. XXVII*, 30. verba: *de semine terræ*, tantum de frumento accipit; reliqua vero: *de fructu ligni*, denotare ait mustum &

oleum.

oleum. Ex Christianis, BEZA *Not. ad Matth. XXIII.* IAN. DRVSIVS *Præterit. ad h. l.* ISAAC. CASAVBONVS *Exercit. I. contra Baronium n.* 9. & alii bene multi idem tuentur. Nos presse inhærendum existimamus literæ legis, ut & illam ad tria frugum genera decimarum restri-ctionem, Scripturæ derogare, & omnia in universum terræ nascentia iis comprehensa minime fuisse pronunciemus, sed quicquid decimarum lex requirit, ad ea saltem referamus, quæ semen agri supponunt, studiumque ac laborem hominum, in plantatione & propagatione requirunt, reliqua vero, quæ in Cananæa αὐτομάτην ac sponte succrescebant, & citra coloni operam obviam erant, exemta a decimatione fuisse credamus. Ita enim & Decima Lev. XXII, 30. & תבואה seu proventus terræ, unde illa exsolvebatur, Deut. XIV, 22. ad semen terræ ῥητῶς, nec temere revocatur. Hoc sententiarum velut moderamine præmisso, ad dicta, quæ obverti solent, facilis est responsio. Matth. XXIII, 23. non istud in vitio ponit Christus, quod decimarent Pharisæi & Scribæ mentham, & anethum, & cuminum, hoc enim ἔδει ποιῆσαι, *oportebat ipsos facere*, nec observatione juris illius laudem merebantur Luc. XVII, 10. verum quod in his minutiis justitiam quærerent, ceterisque se hominibus præferrent, gravissima inter hæc negligentes præcepta, quibus incumbere vel maxime erat opus, hoc erat, quod væ! Christi provocabat. Pharisæus Luc. XVIII, 12. sese jactans, ἀποδεκατῶ πάντα, ὅσα κτῶμαι, non tam decimando delinquebat, quam decimas de illis quoque, de quibus vi legis non tenebatur, sive reapse ac vere solvens, sive præter verum, verbis tantum prodens, & maxime, quod in illis superbiret, seseque super publicanum efferret, immo Deum velut debitorem sibi reddidisse crederet. Juvat hic audire ARIAM MONTANVM, quia ad rem facit: *Sapientum omnium, qui de religionis & mandatorum observatione scripserunt, communis sententia est, non deberi decimas, nisi ex fructibus terræ: quia sic scriptum est: fructus terræ tuæ decimabis. Sed hos non satis exacte solet decimare populus terræ; unaque ex illius notis hæc est, ut in Lib. Benedictionum Cap. VI. traditur; in libro vero de Nidda Cap. VI. excipiuntur a decimationis debito ova, & pisces, & lac, & caseus, quia non sunt fructus terræ, sed fructus aquæ, aut fructus fructuum: sed, ut ibidem docetur, qui integriorem legis observationem profitentur, omnia hæc etiam decimant. Eam igitur observationem sibi hac professione gratulatus Pharisæus.* Exemplum denique Israelitarum, temporæ Hiskiæ larga manu decimantium, quod ex 2 Chron. XXXI, 5. SIXT. AB AMAMA & VARENIVS urgent, non tam legis censeo interpretamentum præbere, quam liberalem gentis pietatem probare, bona mente afferentis, quicquid ei obviam veniret. Aeque ut majores ipsorum in deserto, ad exstructionem tabernaculi ampliorem, quam necessitas postulabat, apparatum afferebant Exod. XXXVI, 5 sqq.

Ad §. III. pag. 135.

(2) *Species decimarum*] In his recensendis variant iterum Interpretes, etsi in re ipsa maximam partem conspirant. מעשר ראשון *Decimæ Primæ* erant, omnium confessione, decima pars proventuum, quæ statim post primitias areæ, de proventibus detrahebatur, & dependebatur Levitis Numer. XVIII, 21. Hoc docet ABARBENEL *in Num. I*, 26. והוא שנתן ללוים כל מעשר בישראל והוא מעשר ראשון שניתן להם חלף עבודתם גב״ וגם במקום הנחלה שהיה להם לנחול הארץ: *Dum Levitis omnem decimam dedisse Dominus dicitur, intelligendum id est de Prima Decima, quam partim mercedis vice, partim loco hereditatis, in terra Canaan obtinendæ, acceperunt.* Decimas Secundas volunt nonnulli dici Decimas Decimarum, Levitis jam exhibitarum, quæ pendebantur Sacerdotibus Num. XVIII, 26 sqq. Neh. X, 38. Levitæ enim, cum accepissent ab Israelitis decimam proventuum partem, in suos eam convertere usus prius non poterant, quam decimam illius partem exsolvissent Summo Pontifici, ut inter ceteros divideret

videret Sacerdotes. Hac detracta, quæ supererant, Levitis erant חולין *communia*, & quasi profana, in quovis loco, attamen puro, consumenda, teste ABEN ESRA. Atque hæc מעשר מן המעשר *Decima de Decimis* Num. cit. loc. item *Decima sanctitatis* 2 Chron. XXXI, 6. dicebatur. Sed quod probe observat Auctor noster §. *IV.* & *V.* hæc, cum Decima secunda non est confundenda, nec a colonis præstabatur Sacerdotibus, sed a Levitis. Coloni autem, post Terumam magnam & Decimam primam, alteram nunc de residuo frugum suarum separabant Decimam, quæ proprie ac recte מעשר שני *Decima secunda, δεκάτη δευτέρα* Tob. I, 7. vocabatur, & nec Levitis pendebatur, nec Sacerdotibus, sed quam quisque colonus comedebat Hierosolymis, instructo convivio in atrio templi, ad quod Levitas & Sacerdotes hospites invitaret; vi sanctionis divinæ Levit. XXVII, 30 sqq. & Devter. XIV, 22 sq. Quando autem vel impeditior erat via longiorve, vel decima nimis larga, quam sine maximis impensis eo deportare colonus nequibat, huic difficultati occurrens legislator præcepit, ut adæraret eam, & ex pecunia inde redacta vinum, oleum, mustum, victimasque Hierosolymis denuo coemeret, ut ex illis laudatum epulum instrueret; hac tamen addita cautione, ut quintam adhuc partem adjiceret: cujus TOSTATVS ABVLENSIS causam reddit, ne Judæi sæpius tentarent redimere, sed decimas retinerent. De hac Auctor agit §. *V.*

Ad §. VI. pag. 136.

(3) *Decima pauperum anno tertio*] De ea lex sancit Deut. XIV, 28. *A fine trium annorum educes omnem decimam proventus tui in anno ipso, & repones in portis tuis.* Ad quæ verba ABEN ESRA notat: זה של שלש שנים יקרא מעשר עני *hæc decima tertii anni vocatur decima pauperis*, h. e. ut Græci efferunt, *πτωχοδεκάται*. Vnde annus quoque tertius, שנת המעשר *annus decimarum* Deut. XXVI, 12. dicebatur, quæ nomenclatura primo & secundo anno minime hærebat. Hæc non Hierosolymas deferebatur, ut prima & secunda; sed a quolibet colono in portis suis, post Terumam magnam, & Decimam primam, decima reliquorum proventuum pars separabatur, ut Levitæ, Proselyti, orphani & viduæ eam caperent. Hoc indicat Auctor *sub fin.* §. *V. Verum tamen non quovis triennio* &c. Hinc neque tres eo anno decimæ simul fuerunt solutæ, quod ABVLENSIS vult; neque prima peremta, ut SCALIGER, VARENIVS, & alii contendunt; sed secunda, quæ aliis annis colono cedebat, anno tertio in populo Israelitico dispensabatur. Consentit IOSEPHVS *lib. IV. Antiqu. cap. VIII.* §. 22. *ταῖς δὲ δεκάταις δυσὶν, ἃς ἔτους ἑκάστου προεῖπον τελεῖν, τὴν μὲν τοῖς Λευίταις, τὴν δ' ἑτέραν πρὸς τὰς εὐωχίας, τρίτην πρὸς αὐταῖς κατὰ τὸ ἔτος τρίτον συμφέρειν εἰς διανέμησιν τῶν σπανιζόντων, γυναιξί τε χήραις καὶ παισὶν ὀρφανοῖς·* *Præter duas decimas, quas quotannis solvere præcepi, alteram quidem Levitis, alteram vero ad epulandum, anno quoque tertio tertia conferatur, ad distribuenda, quæ desunt, mulieribus, viduis, & pueris orphanis.* HADR. RELANDVS quidem hæc IOSEPHI verba *in Annotat. ad eadem*, eo trahit, inde ut conficiat, tertias has decimas non easdem fuisse ac secundas, sed ab iis diversas, quia dicantur *τρίτη πρὸς αὐταῖς*. Verum, ut mihi videtur, a primis & secundis IOSEPHVS decimas tertias distinguit quidem, non autem cumulat vel auget, sed quæ prioribus annis Levitis, & in epulas impendebantur, tertio in pauperes, viduas & orphanos erogatas fuisse indicat, salva tamen Teruma, & decima prima, quæ quotannis erat necessaria. Confer ad h. l. doctissimam EDVARDI BERNARDI observationem, quæ universum de Decimis argumentum illustrat, a SELDENO tamen, SCALIGERO, aliisque viris summis, in diversum discedit. Tertia hæc decima Tobiæ quoque audit, cujus cap. I, 7. ita legis: *τὴν πρώτην δεκάτην ἐδίδουν τοῖς υἱοῖς Ἀαρῶν, τοῖς θεραπεύουσιν Ἱερουσαλήμ· τὴν δὲ δευτέραν δεκάτην ἀπεπρατιζόμην, καὶ ἐπορευόμην, καὶ ἐδαπάνων αὐτὰ ἐν Ἱεροσολύμοις καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν· καὶ τὴν τρίτην ἐδίδουν οἷς καθήκει, καθὼς*

ἐνετέλλετο Δεββώρα ἡ μήτηρ τοῦ πατρός μου. *Decimam primam dedi filiis Levi, ministrantibus in Hierosolymis, secundam autem decimam divendidi, & abii, & expendi ea in Hierosolymis singulis annis: & tertiam dedi, quibus competebat, quemadmodum mandaverat Debora, mater patris mei* &c. Hanc ergo, æque ac IOSEPHVS, τρίτην vocat, non quod super alias binas tertio quoque anno solveretur: sed quod alterius plane generis & conditionis esset a secunda, utcunque in ejus locum succederet. Hanc certe sententiam nostram valide confirmavit, & ab omnibus dubiis liberavit, IOH. CONRAD. HOTTINGERVS *de Decimis Judæorum Exercit. VIII. pag.* 182 *sqq.* Quærit adhuc BONFRERIVS *Comment. ad Deut. XIV,* 28. an epulæ ex hac decima pauperibus instructæ fuerint, ita ut conferens quoque cum iis comederit, an vero a quovis paupere sua portio in domum relata? Recte affirmat posterius, adstipulante TOBIA & IOSEPHO. Neque enim tertiæ hæ decimæ constitutæ erant ad hilaritatem, sed ad solandam solum pauperum indigentiam, ne vel mendicare, vel alienigenis inservire cogerentur.

Omisit, quod mirari subit, Auctor noster solennem illam וידוי המעשר *Decimarum Confessionem,* a legislatore Devter. XXIV, 12 sq. diserte præscriptam, & a Judæis inter præcepta affirmativa relatam. Edebatur non nisi post annum, quo decimæ pauperum solutæ erant, die ultimo Paschatis festi, במנחה *circa vesperam,* & quidem לפני יהוה *coram Domino,* h. e. in Templo, ante portam Nicanoris, ut phrasin exponunt Judæi in Gemara Hierosol. *Sota fol.* 17. *col.* 4. Eam præcedebat ביעור *remotio frugum,* ut quivis Israelita omnes fruges decimationi subjectas, e sua potestate removerit, & quodlibet donum, quibus debetur, tradiderit, ut bona fide in confessione dicere queat: *removi Sanctum e domo mea.* Ipsam confessionis formulam scita paraphrasi exposuit Mischna Cod. מעשר שני *cap. V.* §. 6, 7, 8. ubi evolvatur: nimis enim prolixa est, quam quæ huc transscribi queat.

Ad §. VII. pag. 136.

(4) *Decimabant quoque sua pecora*] Appellatur quidem hæc מעשר בהמות *Decima bestiarum,* ultra tamen boum vaccarumque armenta, & ovium atque caprarum greges, ad alia brutorum animantium genera non extendebatur, sed literæ legis presse hic inhærendum esse censebant Doctores, in Mischna בכורות *cap. IX.* §. 1. definientes: מעשר בהמה נוהג בבקר וצאן *bestiarum decima non nisi in bobus & ovibus obtinet.* Quod idem MAIMONIDES in Hilc. *Becoroth cap. VIII.* §. 1. paulo copiosius confirmat. Dicta autem animalia omnia, citra ullam sive inquisitionem, num integra sint an mutila, sive exceptionem, decimationi obnoxia erant, ita ut ad Mischnæ *c. l.* §. 4. ita glossetur R. OBAD. DE BARTENORA: *Mischna dicit, omne intrat stabulum, ad includendum omne, quod more quadrupedum init & initum est: & quod destinatum ad separandum illud ad idololatriam, aut quod jam cultui isti inservivit, & domum meretricis, & pretium canis, & obturatum, & androgynus, hæc omnia, etsi sint inepta ad sacrificandum, nihilominus intrare debent stabulum ad decimandum, quandoquidem nihil cautum est in lege, de eo, quod vitium contraxit de decimis, juxta id, quod* (l. c.) *dicitur*: לא יבקר בין טוב לרע *non disquiritur inter bonum & malum.* Excipitur tamen *ibid.* §. 3. a decimis, quod emtum est, vel dono datum; quod quomodo intelligendum sit, MAIMONID. *ad l. c. Mischnæ* exponit. Paria habet R. BECHAI *in Legem fol.* 122. *col.* 3. *Decimam de pecude, quam sibi acquisiverat, aut secum habebat, nemo tenebatur solvere, sed de eo, quod in suo grege progignebatur. Quin & agni, quos in foro emit, ab onere decimandi erant immunes.* Ex supra dictis autem liquet, vapulare hic TOSTATVM ABVLENSEM, quando *ad Lev. XXVII,* 32. de camelis quoque, equis & asinis, decimas solvisse contendit Judæos, quia alias horum animalium armenta in fraudem decimarum augeri potuissent, neglectis ovibus aut bobus, ex quibus tam frequentes decimæ erant separandæ. Neque

que enim vel lex divina huic sententiæ favet, vel Rabbinorum calculus, quem R. BECHAI *cit. loc.* ita fert: אנו לומדין מעשר בהמה מקרבן *nos ex sacrificiorum natura discimus, quænam animalia obnoxia fuerint decimationi.*

Ad §. VII. pag. 136.

(5) *Modum decimandi pecora*] Si quis habeat diversos greges, per sexdecim milliaria (si enim ultra distarent, non conjungebantur, & longius dissiti immunes erant a decimatione) ab invicem separatos, illos in medio conjungere, atque in unum stabulum cogere debebat paterfamilias. Hinc modum decimationis ita describit Mischna *c. l.* §. 7. *Faciunt in illo* (stabulo) *ostium parvum, ne accidat, ut duo simul exire possint, numerantque virga: unum, duo, tria, quatuor, quinque, sex, septem, octo, novem; decimum quod exit, minio tingunt, dicendo:* הרי זה מעשר *ecce hæc est Decima.* Eaque numeratio, & diserta Decimæ signatio & destinatio, adeo habebatur necessaria, ut si omitteretur, aut non rite perageretur, irrita caderet decimatio. Hoc notari tradunt Judæi, phrasi עבר תחת השבט *transire sub virga*, atque eo duo adhuc referunt Scripturæ dicta Jerem. XXXIII, 13. & Ezech. XX, 37. Verum vir summus, SAM. BOCHARTVS *Hierozoici P. I. Lib. II. cap. XLIV. p.* 459. verbis istis, numerationem a villico, præsente hero institutam, cum pecudes caulam ingrediuntur, indicari existimat. Solebant enim, qui accurati erant, pecus bis quotidie, mane, dum ad pascua vadit, & vespera, dum inde revertitur, numerare. Quo Vir laudatus verba quoque legis Lev. XXVII, 32. refert.

Ibidem.

(6) *Extra portam stant canes*] Vnde hæc hauserit GOODWINVS, plane me fugit, cum de canibus, extra portam latrantibus, apud MAIMONIDEM & IARCHIVM, ad quos provocat Auctor, quin & apud ceteros, qui hoc argumentum edisserunt, Judæos, altum sit silentium. Hinc obelo hunc locum jam transfixit HOTTINGERVS *in Notis ad* GOODWINI *hæc verba p.* 874.

Ad §. VIII. pag. 137.

(7) *Decimato propterea, ut ditescas*] In *Pirke Abboth cap. III.* §. 13. ex effato R. AKIBAE, מעשרות סייג לעושר *Decimæ* sunt *sepimentum pro divitiis.* quod ita exponit BARTENORA: עשר תעשר עשר בשביל שתתעשר *quia* (Deut. XIV, 22.) scriptum est: *decimando decimatis, igitur decimato, ut ditescas.* LEVSDENVS ad AKIBAE dictum, Auctoris nostri observationem confirmat, *Judæi religiosiores,* inquiens, *hodie loco Decimarum, de omnibus lucris pendunt eleemosynas, scil. decem florenos de centum, & viginti de ducentis* &c. *Si quis ergo decimas, vel eleemosynas, legitime distribuat, ejus divitiis non facile damnum inferetur.*

Ad §. IX. pag. cit.

(8) *Tempus anni, a quo decimas computabant*] Aliud observatur tempus, quo decimatio peragebatur, de quo Mischna *Becoroth cap. IX.* §. 5. denuo ex R. AKIBAE sententia definit: *Tres areæ sunt ad decimanda pecora: in dimidio Festi Paschatis, dimidio Festi Pentecostes, & dimidio Festi Tabernaculorum:* h. e. die XV ante Pascha, XV ante Pentecosten, & XV ante festum Tabernaculorum: Aliud, ex quo computabantur decimæ. Pro pecorum decimatione primum diem mensis Elul constituerunt, sic ut ovis eo anno nata diceretur, quæ inter initium unius Elul, & initium alterius nata esset: juxta Mischnam *Becoroth cap. IX.* §. 5. & MAIMONID. Hilc. *Becoroth cap. VI.* §. 7. Principium anni נטיעה *plantationis* arborum, novilunium erat mensis Tisri, ita ut, post tres annos præputii arborum exactos, anno demum quarto, mense Schebat, juxta Beth-Schammai die mensis primo, juxta Beth-Hillel autem, cujus sententia receptior est, die decimo quinto, decimæ fructuum solverentur. Messis denique gemina erat: hordeacea prior,

prior, in mensem Nisan ingruens, qui ideo etiam אביב vocatur Exod. XIII, 4, quia in illo hordei spicæ ad suam perveniebant maturitatem. Hinc altero post festum Paschatis die, qui erat XVI mensis Nisan, manipulus ex hordeo demetebatur, עומר תנופה *manipulus agitationis* dictus Levit. XXIII, 15. Hic dies erat ראשית קציר primitiæ messis vers. 11. ante cujus agitationem & oblationem falcem in segetem immittere non licebat. Posterior messis triticea, quæ extendebatur prope ad festum Pentecostes, quod inde festum messis Exod. XXIII, 16. audiebat, & in quo ex novo tritici proventu duo panes, in gratiarum actionem, pro feliciter absoluta messe, offerebantur. Festum autem Pentecostes incidebat in mensem Sivan, sic ut totum messis tempus intra duo illa festa, Paschatis & Pentecostes, vel a dimidio Nisan usque ad dimidium Sivan, & sic intra duos menses, absolveretur. Quæ autem Rabbinorum tricæ, & subtiles interveniant disputationes, expositas lege ab HOTTINGERO *de Decimis Exerc. IV. p. 67 sqq.* Citatum porro ab Auctore locum Talmudis ex ראש השנה supra integrum produximus *ad Lib. III. Cap. I. §. XIV. Annot.* 15. ubi videatur.

Ad §. XI. pag. 137.

(9) *Populus omnes in genere decimas negligeret*] Facit huc, quod habet MAIMONIDES in Hilc. *Maaser Scheni cap. XI. §. 1. In diebus Jochananis Pontificis Max. qui floruit post Simeonem Justum, emisit Synedrium M. ad inquirendum* (de Decimis) *in singulis provinciis terræ Israelis, invenitque omnes, quoad separationem Thrumæ magnæ, diligentes esse, verum decimam primam, secundam, & pauperis, vulgus non separabat, sed sibi ipsi retinebat; idcirco postea decretum erat, nullis in decimis tribuendam esse fidem, nisi hominibus fide dignis, fructus vero plebejorum* seu vulgi *semper pro dubiis habendos esse: quibus idcirco dicentibus, hi aut illi fructus sunt decimati, non habebatur fides, quorum inde fructus* דמאי *dubii vocabantur.* Depromsit ista MAIMONIDES ex Gemara *Sota cap. IX. §. 10.* cujus verba in medium attulit WAGENSEIL. *in Sota p. 936 sq.* Idem Jochanan abrogasse legitur confessionem decimarum, in Mischna *Sota cit. loc.* & *Maaser Scheni cap. V. §. 15.* ne invita & reclamante veritate, Israelitæ verba confessionis: *& dedi quoque de eo Levitæ*, pronunciarent, cum post reditum e Babylone, ex Esdræ decreto, nihil amplius decimarum penderent Levitis. Cum enim Esdras, cum reduce populo patriam repetiturus, in castris prope flumen, quod Ahavam alluit, congregatos ad se populares suos lustrasset, atque ad populum & Sacerdotes animadvertisset, conqueritur ipse: ומבני לוי לא־מצאתי שם *at ex filiis Levi neminem inveni ibi*, Esdr. VIII, 15. Velut enim frequentissimus Judæorum numerus Babylonicam terram relinquere, & in vastatam redire patriam recusabat, ita plurimi quoque Levitarum in Judæam ascendere, & sacris ibi fungi detrectabant: *Hinc Esdras mulctavit Levitas suo tempore, ne ipsis darentur decimæ primæ, sed Sacerdotibus, quia nolebant cum ipso repetere Hierosolymas*, ut legitur in Gemara *Jevammoth fol. 86. a.* & Gemara *Cetubhoth fol. 26. a.* Ne itaque præter verum jactarent Israelitæ, Levitis decimas se solvisse, universam confessionem abrogare maluit Jochanan. Conf. laudatum HOTTINGER. *de Decimis Exerc. VI. §. 8.* & *Exerc. IX. §. 17.*

Ad §. XII. pag. 138.

(10) *In rebus dubiis, quas vocabant* דמאי] Voce דמאי Rabbini exprimunt *rem dubiam* seu ignotam, de qua certo non constat, num ex ea decimæ sint datæ, nec ne? Componitur ab illis, ex דא & מאי *quid illud?* estne decimatum, annon? diciturque de frugibus עם הארץ ע״ה *plebejorum*. Cum enim, ut modo dictum, homines circa solvendas decimas negligentiores essent, hinc factum, ut religiosiores ægre quicquam e foro compararent, nisi de frugum istarum decimatione certiores essent facti, minus autem religiosi, fruges de decimis dubias, citra ullum

ullum ſcrupulum coemerent. Vtrisque ergo ut conſuleret Jochanan & Synedrium M. ſtatuit, ut omnes fruges ab עם הארץ *plebejis* emtas, pro דמאי *dubiis* haberentur, de quibus Trumam decimarum, & Decimas ſecundas, non vero Trumam magnam, Decimas primas, & Decimas pauperum ſolvere tenebantur. Habes integrum tractatum Talmudicum דמאי inſcriptum, qui in Seder זרעים ſive primo ordine eſt tertius.

Ad §. XII. pag. 138.

(11) *Matth. XXIII*, 23. *Luc. XVIII*, 12.] De utroque hoc Scripturæ loco, mentem noſtram ſupra *ad* §. *II. Annot.* 1. expoſuimus, nec eſt, quod hic addamus.

AD

LIB. VI. CAPVT IV.

DE MATRIMONIO.

Ad §. II. pag. 138.

Duas uxorum ſpecies] Geminæ omnino priſcis Hebræorum nonnullis erant uxores, quarum palmaria, non tam נשה, quod commune potius mulierum eſt attributum, quam אישה *virago* dicitur Geneſ. II, 23. viro nupta, ſecundaria פלגש *concubina.* Vnde videas Ceturam, ſecundam Abrahami uxorem, utroque nomine venire, tam אשה quam פלגש Geneſ. XXV, 1, 6. & 1 Chron. I, 32. cum Sara אשה ſolum audiat, nunquam פלגש. Id quod jam AVGVSTINVS obſervavit *lib. XVI. de Civ. Dei cap. XXXIV.* Ceterum, quia mas quivis matrimonio aptus, ex Judæorum ſententia, jure tenetur ad procreationem ſobolis, & multiplicationem generis humani, שכל המוסיף נפש אחר בישראל כאילו בנה עולם *quia, quisquis animam unicam adjecerit Iſraeli, eſt quaſi* qui *mundum ædificat,* MAIMONID. Hilc. אישות *cap. XV.* quod fuſe, multisque teſtimoniis probatum ivit SELDENVS *lib. V. de Jure N. & G. cap. III.* & *lib. I. Vxor. Hebr. cap. IX.* quin & *in Schülchan Aruch*, libro *Aben Haæzer cap. I.* præcipitur: *Nemo hominum eſt, qui non obligetur ad uxorem ducendam, ut creſcat, & multiplicetur genus humanum: quicunque autem Iſraelita liberis operam non dat, eſt velut homicida, quin & ſimilitudinem* (qua creatus eſt homo) *minuit, atque in cauſa eſt, ut* שכינה *majeſtas Divina ab Iſraele recedat:* hinc quoque poteſtatem faciunt in jure ſuo unicuique (præter Regem & Pontificem) uxores ducere, quotcunque velit, modo habeat, unde alantur. Vnde MAIMONID. *c. l. cap. XIV. Licet homini,* inquit, *ducere, quot voluerit uxores, etiam centum, ſive ſimul, ſive unam poſt alteram. Neque impedire poteſt uxor ejus*, quam ante habuerit, *modo ſcilicet ei ſuppetat, quo ſingulis victum, veſtitum, ac debitum conjugale præſtet.* Modum tamen ac finem ut ſtatuere norint, monebant Sapientes, quaternarium uxorum numerum ne quis, præter Regem, excederet, ut qui contra faceret, imprudens nimium atque majorum monitis & conſilio inobſequens haberetur. Id quod tamen, non tam præceptum, quam עצה טובה *conſilium bonum*, nuncupatur. R. IOSEPH KARO *in Schülchan Aruch c. l.* §. 10. ita commentatur: *Vbicunque loci mos obtinuit, ut uxor ducatur tantum unica, non licet aliam uxori ſuperinducere.* RABBAN GAMALIEL *etiam anathemate interdixit, ne quis uxori aliam ſuperinduceret, niſi tantum ex lege, de ducenda fratria fratri ſine liberis demortuo ſuperſtite: quod idem obtinere voluit etiam in ſponſalibus. Sed conſtitutio ejus paſſim vim non habuit.* Quæ omnia tamen Magiſtrorum placita, ex conſiliis, monito aut præſcripto eorum,

eorum, qui pro tempore & loco Judæis præfuerunt, non autem ex legis ſacræ interpretatione manarunt, qua nullum præſtitui uxorum numerum, receptiſſima inter ipſos ſententia eſt. Vnde liquet, quam longe dudum diſceſſerint a genuina præcepti VI ſententia, quam Chriſtus Matth. XIX. ex ipſa conjugii inſtitutione, ad unius mariti cum una uxore copulationem, diſerte reſtringit.

Ad §. II. pag. 138.

(2) *A* נשה *oblitus fuit, quaſi Oblivioſæ dictæ*] Vtramque originis rationem, ab Auctore allatam, BVXTORFIVS quoque allegat *in Lex. Min. Hebr. h. v.* Poſteriorem DRVSIVS cumprimis urget *Obſervat. lib. II. cap. XVII*, aliamque addit derivationem a nomine אנשים *viri*, per aphæreſin literæ primæ, quod mulieris caput ſit vir. Quo ſpectat Apoſtoli effatum Epheſ. V, 23. Atque hanc vocis originem probat DANZIVS *in Literatore* §. 55. Cave autem putes, id nominis nuptis tantum tribui uxoribus, quia non minus de virginibus, vel cœlibatum colentibus, quam de maritatis legitur Geneſ. XXXI, 35. Eſth. II, 3, 8, 9, 11. Job. XLII, 15. Jeſ. IV, 1.

Ad §. III. pag. cit.

(3) *Vocabant* פילגשים *uxores ſecundarias*] Eſt hæc derivatio ELIAE Levitæ *in Notis ad* DAVID. KIMCHII *Radices*, unde etiam derivat vocem Latinam *Pellex*, a qua eſt Græca παλλακή. Ita quoque MERCERVS *ad Geneſ. XXII*, 24. notat, Hebræos velle, concubinam dici פלגש quaſi פלג אשה *dimidium uxoris.* Probare eandem videtur HENR. AINSWORTH. *Notis ad Geneſ. XXII*, 24. ubi Hebr. פלגש exponit *an half wife, or a divided, and ſecondary wife*, quæ ad concubitum admitteretur, neutiquam vero ad honorem, & regimen familiæ. Sed ingenii luſus eſt, nec rem dat expeditam. DAVID DE POMIS *in Zemach David h. v.* ita deſcribit: אשה שהיא לתשמיש המטה בלתי כתובה וקדושין· אשר בניה אינם יורשים נכסי אביו אבל שולחים אותם עם מתנות *Vxor concubitus gratia, absque ſcripto ducta, & annuli ſubarratione; cujus filii non ſuccedunt patri in hereditate, ſed datis muneribus ablegantur.* Quæ in ſequentibus Auctor noſter ſigillatim perſequitur.

Ad §. IV. pag. 139.

(4) *Differentia inter has concubinas & uxores primarias*] In Gemara Hieroſol. *ad Tit. Cetubboth cap. V. fol.* 29. *col.* 4. ita definitur: נשים בכתובה ובקדושין פלגשים בלא כתובה ובלא קידושין *Vxores fiunt cum pactis dotalibus, & ſponſaliorum ſolennibus: concubinæ neque his, neque illis.* Id vero licet obtinuerit poſt legem, ante legem tamen eam differentiam obſervatam eſſe, minime liquet. Quin potius hoc interceſſiſſe ſolum diſcrimen videtur, quod concubina quidem eſſet vera uxor, mutuo conſenſu delecta, perpetua vitæ ac thori ſocia, ſed quæ dignitatis longe minoris, & obſcurioris generis eſſet, quam maritus. Vnde nec liberi ex ea ſublati, hereditatem adire poterant eandem, quam uxoris non-concubinæ; atque talis erat ancilla, cui nupſerat herus. DRVSIVS vero *Annotat. ad Geneſ. XXV*, 1. ita diſpeſcit: Vxorum aliæ primariæ erant, aliæ ſecundariæ. Primariæ exempli cauſa, Rahel & Leah: ſecundariæ, Bilha & Zilpa. Vtriusque liberi legitimi cenſebantur, & patris hereditatem adibant. Rurſum, aliæ legitimæ erant, & aliæ illegitimæ, quas *concubinas* appellant, quæ cum viro ſine dote & cerimoniis legitimis conveniebant; unde filii earum in hereditatem paternam non ſuccedebant. Cethuram tamen, quæ ſane פלגש Abrahami Geneſ. XXV, 6. dicitur, legitimam omnino dixerim uxorem, licet ſecundariam, forte ex ancillarum grege delectam. Vnde LYRA quoque obſervat, in Scriptura uxorem quandoque vocari concubinam, ut Jud. XIX, 2 ſqq. ubi verſ. 1. jungitur utrumque: אשה פילגש *uxor ſecundaria:* æque ut 2 Samuel. XV, 16. Davidis decem נשים פלגשים memorantur. Quod autem non eodem, cum

cum uxoribus primariis, dignitatis gradu & loco haberentur, ex 1 Reg. XI, 3. liquet, ubi Salomoni DCC fuisse perhibentur נשים שרות *uxores principes*, at CCC פילגשים *pellices*, inferioris longe ordinis ac dignitatis. Ejusmodi uxores secundariæ leguntur *ante legem*, Abrahami Gen. XX, 6. Nachoris cap. XXII, 4. Jacobi cap. XXXV, 22. Eliphasi cap. XXXVI, 12. *post legem* autem, Calebi 1 Chronic. II, 46, 48. Manassis 1 Chron. VII, 14. Gideonis Jud. VIII, 31. Davidis & Salomonis *ll. cc.* Rehabeami 2 Chron. XI, 21. Conferri huc potest SELDENVS *de Jure N. & G. lib. V. cap. VII.* ubi in differentiam illam prolixe inquirit; nec non ADR. A CATTENBVRCH *Synt. Sap. Mos. lib. V. cap. I. §. 22 sqq. p. 258 sq.*

Ad §. VI. pag. 139.

(5) *Neque donum, neque scriptum daretur*] Bene quidem, juxta illa, quæ ex Talmudis & Rabbinorum sententia in medium afferri solent. At enim vero ABARBENEL hic in diversum discedit, & auctoritate nixus R. SALOMONIS, tritam Talmudis lectionem in mendo cubare observans, Concubinas ductas fuisse perhibet בקדושין *per legitima sponsalia*, sed בלא כתובה *absque dotis scriptione & assignatione.* Hinc Concubinas veras fuisse uxores contendit, quia desponsatæ, alias fuissent meretrices, quæ lege divina a populo Dei arcebantur. Prolixam ejus, contra MOSEN NACHMANIDEM disputationem, *Comment. in Jud. XIX.* insertam, latine exhibet & calculo suo munit IOH. BVXTORF. fil. dissert. *de Sponsalibus & Divortiis §. 17 p. 11 sqq.* dignus omnino, qui huc conferatur. A communi enim tam Judæorum, quam Christianorum mente abit, nec sine ratione.

Ad §. VII. pag. cit.

(6) *Liberi concubinæ dono emittebantur*] Rursus ex traditione Hebræorum, & exemplo Abrahami. Sed quid fiet de filiis Jacobi, ex Bilha & Silpa, פלגשים certe sublatis, qui & pari, cum ceteris ejus filiis, censu veniunt Gen. XXXV, 25 sq. & hereditatem paternam ac avitam, æque cum ceteris, adierunt? Vnde liquet, hoc discrepantiæ momentum non apud omnes & ubique, locum habuisse. Magnus itaque SELDENVS *de Success. in bona defunctor. cap. III.* hereditatem paternam proli concubinarum a Rabbinis negatam se comperisse negat, deflectens in eo a supra citato DAVIDE DE POMIS, IOHANNE DRVSIO, IOHANNE PINEDA *de rebus Salomonis lib. II. cap. III.* & viris doctis aliis: DAVIDEM KIMCHIVM *ad 2 Samuel. IX, 7.* secutus, qui Saulis, ex Rizpa Concubina filios, cum Mephibosetho, ejusce ex Jonathane filio Nepote, in paterna bona succedere debuisse contendit, si perduellionis crimen non intervenisset. Alia ratio est spuriorum, ex meretrice natorum, de quibus *eod. cap. paulo post* agit SELDENVS: locum denique Jud. IX, 2. de Jephta, ab hereditate paterna excluso, excutiens.

Ad §. eund. pag. ead.

(7) *Duas paternæ hereditatis portiones*] De hac Primogenitorum prærogativa, statim in limine diximus *ad Lib. I. Cap. I. §. I. Annotat. 1.* unde non repetemus.

Ad §. VIII. pag. ead.

(8) *Intervallum temporis*] De eo BVXTORFIVS *de Sponsal. & Divort. §. 67.* brevissimis ita habet: *De tempore, quo desponsati manent, usque ad completionem matrimonii per nuptias, nihil certi constitutum lego.* Ex LEONE MVTINENSI tamen adjicit, quæ *P. IV. cap. III. Historiæ suæ* scribit: *Quidam ita desponsati manent per integrum annum: alii per semestre; plus scilicet vel minus, pro voluntate, vel commoditate partium contrahentium.* De nubendi ætate autem, qua matrimonium contrahere fas sit, Judæi cavent, ne minorennes se desponsent. Hinc filiæ XII annos & menses sex, filio tredecim annos & diem unum, ad majorennem definiunt

 ætatem,

ætatem, qua conjugium ineundi facultatem faciunt. Festinant autem ad matrimonium, idque exemplis Scripturæ probare satagunt, contendentes regem Judæ Ahasum anno ætatis X conjugium iniisse, cui anno XI natus sit Hiskias filius; Josiam pariter annos habentem XIII, uxorem duxisse, ex qua anno XIV Eliakimum sustulerit successorem. Conf. R. DAVID GANZ *in Zemach Dav. ad A. Millenarii IV.* 199. & *ad h. l.* VORSTII *Observat. p.* 241. ubi GANZIUM corrigit. Cumprimis autem, quia in *Seder Olam Rabba p.* 3. & *Annot.* MEYERI *ad h. l. p.* 256 *sq.* Rebecca annos nata XIV nupsisse perhibetur Isaaco, amant plerumque hanc ætatem puellæ apud Judæos, & si proci adsint ac faveat occasio, eodem ætatis anno lubentissime nubunt.

Ad §. VIII. pag. 139.

(9) *Decem menses, ac per hos intelligunt annum dierum*] Ita nimirum Gen. XXIV, 55. exponit *ad h. l.* R. SALOMO: Dictio ימים *dies* hic significat *annum, veluti* Lev. XXV, 29. *diebus erit redemtio ejus. Sic enim dabant virgini tempus duodecim mensium, ut sibi præpararet ornamenta sua.* Rursusque ad verba: או עשור *aut decem*, ita glossatur: *Decem menses: Quodsi dixeris, dies ipsos* hic intelligendos esse, non annuum tempus, respondeo: *non solere eos, qui aliquid petunt, rem parvam petere; ac si non volueris concedere annum integrum, da nobis maximam partem ex illo* tempore. Probat suo calculo hanc explicationem IAC. CAPPELLUS *Observat. in Gen. h. l.* verba Textus ita vertens: *Resideat apud nos puella annum, aut menses decem:* & addens: *Quod vocem* menses *supplemus, facimus id auctore Chaldæo Interprete: quod autem vocem* ימים *vertimus* annum, *eo facimus, quia significat annum, quoties durationem temporis significat, sine numerata durationis nota.* In eandem sententiam pedibus incedit HUG. GROTIUS *ad h. l.* Rectius autem DRUSIUS *in Notis major. ad h. l.* verba ימים או עשור notare censet, *diebus aliquot, saltem decem, q. d. ad minimum decem,* quo etiam LXX tendunt, vertentes, ἡμέρας ὡσεὶ δέκα, *dies circiter decem*, vel, ad decem dies. Ceterum Idem *Animadversion. lib. I. cap. I.* alias non insolens esse observat in Scriptura, ימים annum notare; quod aliunde etiam constat, & exemplis probari potest, ad hunc Genes. locum autem non quadrat. Ceterum ex hoc loco morem fluxisse sequentibus sæculis apud Hebræos, ut moram aliquam traheret sponsa in ædibus paternis, ante consummationem matrimonii, recte colligit ADRIAN. A CATTENBURCH *in Synt. Sapient. Mosaicæ lib. V. cap. I. §. XIV. p.* 253. negat autem, eundem apud Chaldæos antiquitus usu fuisse receptum, nec petitionem illam Eliezeris spacium illud intercurrens sponsalia & nuptias indicare, sed prodere tenerum matris & fratrum amorem, aversantium tam festinatum discessum. Non dubium autem est, quin utriusque rei indicium, hoc rei gestæ momentum in apricum ponat.

Ad §. IX. pag. 140.

(10) *Ritus contrahendi matrimonium*] In gratiam eorum, qui non nimium in Judæorum scriptis sunt versati, e re fore censemus, explicationem præmittere vocabulorum, in caussis matrimonialibus usu receptorum. Vocabulum שרוכין, a שרך in Pihel, quod est *tranquillum reddere, placare*, in materia sponsalium autem *spondere, affinitatem* vel *nuptias inter aliquos conciliare, internuncium & proxenetam inter duas partes agere*, vel *adhibere*, magna cum cura explicavit BUXTORF. *de Sponsal. & Divortiis §. LI. p.* 68. *sq.* observans, eam notare *desponsionem privatam*, cui opponatur voc. קדושין *desponsatio solennis*, quæ fit coram testibus & adhibita consecratione. Velut itaque שרוכין sponsiones ejusmodi privatas, negant esse ratas & efficaces, nisi accesserint קדושין sponsalia solennia & publica, ita vicissim prohibent sponsalia publica inire בלא שרוכין *sine conciliatione* ejusmodi privata, h. e. ne quis temere & subito ad aliquam de præsenti sibi desponsandam provolet, cujus statum & conditionem non antea exploraverit, cujus animum & volun-

voluntatem non prius tentaverit, & tum honesto ambitu, tum amicabili ſponſione ſibi conciliarit. קרושין itaque, *deſponſatio ſolennis*, eſt a קרש in Pihel, quod apud Rabbinos, actum conſecrationis ſponſæ ad conjugium, ſive *deſponſare, deſpondere* ſignificat, unde אשה מקורשת & מתקרשת eſt *mulier deſponſata.* Integer, qui *de ſponſalibus* agit, tractatus Talmudicus, קרושין inſcribitur: idem porro vocab. rem ipſam, per quam fit deſponſatio, velut annulum, aut donum, quo deſponſatur puella, deſignat. Eodem ſenſu, a Chaldæo verbo ארס *deſponſare*, eſt אירוס/ Plur. אירוסין *deſponſatio, ſponſalia.* Hæc utraque vocabula deſponſationem notant eo ſenſu, quo ſunt mentio & repromiſſio nuptiarum futurarum; item *contractum ſponſaliorum*, qui etiam לקוחין audit, velut *ſumtiones, acceptiones*, quia iisdem ducebatur uxor. Ab his diſtinguuntur נישואין *nuptiæ*, a נשא *nubere, uxorem ducere*, in Hiphil השיא *deſpondere filium, vel filiam*, id quod parentum eſt, qui faciunt, ut ducat filius uxorem, & nubat filia marito, in Niph. נשא *nubere, accipi*, quod ſponſæ eſt. Hinc נשוא & נשוי *uxoratus, conjugatus*, in Fœm. נשואה *nupta*, quibus opponuntur פנוי *otioſus, cœlebs*, & פנויה *innupta.* Notat itaque vocab. נשואין/ *conſecrationes*, quæ fiunt ſub חופה, quando mutuæ promiſſiones in conjugium, ſolenniter & publice confirmantur. Hinc ſponſa ſtatim poſt conſecrationem ſub חופה, vocatur נשואה/ etiamſi cum illa nondum fiat congreſſus, qui nunc primum licitus eſt, non ante. Itaque *licet nondum vel a viro cognita, vel in domum mariti ſui ſit ingreſſa,* היא אשת איש *eſt uxor viri: & qui rem cum ipſa habet, excepto marito ipſius, reus eſt ſupplicii capitalis, a domo judicii infligendi: & ſi maritus*, ſeu ſponſus *ejus velit eam*, licet nondum vel cognitam, vel domum ductam, *repudiare, oportet ut id faciat libello repudii*, inquit MAIMONIDES Hilc. אישות *cap. I.* §. 3. Sponſa itaque ארוסה vocatur, donec in thalamum, ſeu domum mariti traducatur ſponſus ארוס: tempore nuptiarum, quæ per ſeptem dies durant, Sponſus dicitur חתן/ Sponſa כלה. Nuptiis celebratis eſt אשת איש גמורה *uxor viri mera & abſoluta.* Nuptiæ quoque appellantur כניסה לחופה *deductio in domum aut thalamum*, quem ritum mox uberius illuſtrabimus. Demum שטר in genere quasvis literas contractus, ſpecialius autem inſtrumentum matrimoniale, & hinc plenius שטר ארוסין *contractum ſponſalitium*, vel שטר כטובה *inſtrumentum dotale* notat, quod ſcribendum & confirmandum eſt ante introductionem in thalamum. כתובה *dos* eſt, unde integer tractatus Talmudicus, כטובות, *de jure dotium* proſtat.

Recte autem Auctor, ex mente Judæorum, tres definit modos, quibus deſponſari queat uxor, ita ut ex MAIMONIDIS deciſione, concubitu & inſtrumento literarum id fiat, ſecundum legem Moſaicam, pecunia vero, ſecundum verba Scribarum. Pecuniam, vel rem pecuniæ æquivalentem, non minoris eſſe pretii volunt, quam פרוטה *Pruta*, qui nummulus ſit exiguus, ponderis dimidii grani hordeacii, ex argento puro: de quo vide SELDENVM *de Jure Nat. & Gent. lib. VI. cap.* 2. edit. Argentorat. *pag.* 702. Libello, ſive ſcripto fiebant ſponſalia, ubi arrha aut pretio, ſive dato, ſive neglecto, verba ejusmodi a ſponſo coram teſtibus idoneis inſcriberentur, ipſeque libellus ſponſæ ab eo traderetur, ita tamen, ut nec ſponſa inſciente inſcriptio fieret. Nam ſi inſciente ea inſcriberetur libellus, tametſi traderetur ſcienti, ſponſalia irrita habebantur. Hunc modum Scriptura niti, ex oppoſito evincere conantur. Divortium enim, quo conjugia diſſolvuntur, libello peragebatur ex lege Deut. XXIV, 1: ergo, ut ſponſalia, quibus contrahuntur, libello itidem fierent, æquum æſtimarunt. Formulam autem Contractus ſponſalitii SELDENVS exhibet *Vxoris Hebr. lib. II. cap. II. p.* 96. edit. Francofurt. pluresque BVXTORFIVS ſub finem diſſ. *de Sponſal. & Divort. pag.* 156 *ſqq.* Deſponſationem per concubitum pariter probare ſatagunt ex cit. Deut. XXIV, 1. ubi legitur: *cum acceperit vir uxorem, & coierit cum ea*, &c. Adhibitos porro teſtes, obſervat

BUXTORF. §. 47. *p.* 67. non actui concubitus, sed stipulationi, qua testabatur sponsus, se hoc concubitu, in loco segregato perficiendo, hanc sibi desponsare. Hujus tamen desponsationis usus a majoribus interdictus, eodem fere apud Judæos loco, quo clandestinæ nuptiæ inter Christianos, habetur; idque sub pœna verberationis, & quidem ut BARTENORA ad Mischnam *Kidduschin cap. I. §. 1.* commentatur: שלא יהיו בני ישראל פרוצין *ne Israelitæ* hac in re *impudici fiant.* Monet porro BUXTORF. ad sponsalia rite peragenda requiri, ut fiant בפני עדים *in conspectu testium,* minimum duorum §. 46. ne mulier desponsetur, nisi voluntarie, virum tamen ad sponsionem cogi posse invitum §. 49. ne fiant in platea §. 50. licite contrahi posse per Legatum seu Procuratorem §. 52. adhibendam quoque esse benedictionem seu consecrationem, his conceptam verbis: *Benedictus sit Dominus Deus noster, rex mundi, qui nos præceptis suis sanctificavit, & a scortatione separavit, qui desponsatas nobis prohibuit, & per nuptias ac desponsationem ductas, concessit. Benedictus sit Dominus Deus, sanctificans Israelem:* §. 56. Annulo quoque, loco nummi argentei, desponsationem confirmari §. 57. tandemque accedere שמחת אירוסין *festivitatem sponsaliorum,* sive *convivium,* §. 59.

Ad §. IX. pag. 140.

(11) *Quem sua lingua dicunt* חופה *tabernaculum*] De חופה Hebræorum peculiari disputatione egit CARPZOVIUS, quæ in Volum. *Disputationum Academicarum num. X. pag.* 399 *sqq.* legitur. Nomen Chupa, vel cum Kübbuz & Dagesch, Chüppa, ut Jes. IV, 1. Joel. II, 16. Ps. XIX, 6. derivatur a חפף *operuit, obtexit,* & *operimentum* notat, seu *obtectionem.* A Rabbinis transfertur 1) ad Tegmen illud thalami, quo sponsus simul cum sponsa velut obteguntur, h. e. ad conclave interius, in quod ante nuptias perfectas, atque undiquaque absolutas, deductio fiebat. Unde solennis actus nuptialis est כניסה לחופה *introductio* sive ingressus *in Chuppam,* seu in conclave interius, ubi thalamus erat nuptialis: 2) ad Velamina sponsæ pariter & sponsi, e sindone, aliaque simili materia confecta, quibus monilia & lemnisci, aliaque id genus, pro utentium lubitu, appendebantur: 3) ad Tentoriolum, quo sponsus & sponsa obumbrari olim, hodieque in ipsa nuptiarum festivitate, consueverunt. Hinc vel ipsæ nuptiæ hoc nomine veniunt, ut v. g. קרוא לחופה *invitatus ad nuptias* dicatur. Est itaque Chuppa conopeum vel tentoriolum expansum, & quatuor perticis, a totidem pueris eas tenentibus, sublevatum, sub quo sponsus & sponsa, a Rabbino ipsis adstante, certis ritibus ac cerimoniis copulantur. Deus autem ipse phrasin ex hoc ritu mutuatus videtur Ezech. XVI, 8. Joel. II, 16. & Psalm. XIX, 6. Quam solide demum ac erudite, ex hoc Chuppæ ritu, ἐπισκιασμὸν Mariæ Luc. I, 35. laudatus CARPZOVIUS declaret, *Sectio posterior* citatæ disputationes *p.* 426. uberius docebit.

Ad §. X. pag. cit.

(12) *Ritus nuptiales*] Hos, post BUXTORFIUM *Synag. Jud. cap. XXXIX.* CARPZOVIUS *cit. disp. cap. III. §.* 11 *sqq.* fusius exponit, paulo arctius a nobis comprehendendos. Dum sublimis tenetur sub dio Chuppa, sponsus a viris aliquot huc invitatis primum, postea quoque sponsa a mulieribus, itidem ad hoc rogatis, deducitur, singulis, qui adstant, acclamantibus: ברוך הבא *benedictus, qui venit.* Accedens sponsa tribus vicibus sponso circumducitur, vi verborum Jerem. XXXI, 22. *femina circumdabit virum.* Hanc acceptam dein sponsus semel ipse circumducit, & ad latus dextrum collocat, per Psal. XLV, 10. Sponsæ autem oculis velum obtendunt mulieres, quæ usque ad Chuppam deduxerant, præ pudore, ut sponsum ne adspiciat, Rebeccæ pudici ingenii exemplo Gen. XXIV, 65. Constituta ita sponsa ad dextram sponsi, faciem habet uterque ad meridiem obversam, tergum autem

autem ſeptentrionem verſus, idque benedictionis & procreationis multorum filiorum cauſa. Sponſus Sponſæ manum prehendit, cœtu, qui invitatus adeſt, frumentum in illos conjiciente, & acclamante פרו ורבו ex Gen. I, 28. quo ipſo pacem ac abundantiam inter novos conjuges denotari volunt, juxta Pſal. CXLVII, 4. Quin ſolent etiam ditiores pecuniam pro pauperibus, frumento adſperſo immiſcere, & ſimul projicere, quam pauperes poſtea colligunt. Hinc Rabbi, qui Chuppæ ſolennibus præeſt, toga indutus, ſponſæ ſub Chuppa adſtat, ejusque caput velo ſponſi ſacro, quod *Talles* vocant, tegit, ac benedictionem ſponſalitiam, ברכת ארוסין/ adhibito vini vel cereviſiæ poculo recitat. Finita illa, poculum ſponſo ac ſponſæ bibendum porrigit, atque mox, accepto a ſponſo annulo pronubo, par teſtium advocat, quærens: probusne ſit annulus, & an פרותה שוה nummuli valori ſit exæquandus? id illis affirmantibus, in teſtium præſentia ſponſus annulum digito ſponſæ indici induens, ait: הרי את מקודשת לי בטבעת זו כדת משה וישראל: *En, deſponſata mihi es hoc annulo, ſecundum ritum Moſis & Iſraelis.* Annulo tradito, præſentibus duobus aliis teſtibus, pacta dotalitia clara voce præleguntur, juxta inſtrumentum ſupra recenſitum: atque tum demique ſequitur ברכת נישואין benedictio nuptiarum, a priori illa ſponſalitia caute diſtinguenda, quam pari, cum priore, modo, adhibito vini aut cereviſiæ poculo, recitant, additis poſtea ſeptem benedictionibus, quas SELDENVS exhibet *de Vxor. Hebr. lib. II. cap. XII.* Poſt hanc alteram benedictionem, ſponſo ac ſponſæ altera quoque vice, poculum vini propinatur, qui ubi ſub Chuppæ umbra ebiberunt, ſponſus prius illud poculum, poſt priorem benedictionem allatum, quod manu adhuc tenet, confringit, ad parietem allidens, ſi virginem ducat, in terram vero projiciens, ſi viduam: idque in memoriam templi Hieroſolymitani devaſtati. Fracto poculo Chuppa ſolvitur atque ad convivium nuptiale ſeceditur.

Ad §. X. p. 140.

(13) Υἱοὶ τȣ͂ νυμφῶνος; *filii thalami Matth. IX, 15.*] Confer parallel. Luc. V, 34. Dicebantur שושבינים *ſocii, comites, amici* ſponſi ac ſponſæ, ac Jud. XIV, 11. מרעים, ubi νυμφαγωγȣ̀ς verterunt LXX. Joh. III, 29. autem φίλοι τȣ͂ νυμφίȣ, æque ut αἱ παρανύμφιοι virgines vocantur רעות *ſociæ* ac *amicæ ſponſæ* Pſal. XLV, 15. Iſta enim loca omnia dubium non eſt, quin huc alludant. *Narrant Judæi, collocatis in cubili conjugibus, hos ſodales extra thalamum ſtetiſſe, ac deinde in thalamum regreſſos, ad cognoſcenda ſigna illa, de quibus agitur Deut. XXII, 17.* inquit H. GROTIVS *ad Matth. cit. loc.* Fide nituntur hæc utriusque Gemaræ, cujus ad Tract. *Cetubboth cap. I.* verba SELDENVS *lib. II. de uxore Hebr. cap. XVI.* produxit. Sed dubium omnino eſt, num tam obſceno functi ſint in Judæa officio, cujus apud Galilæos, eos puduerit. Potius de iis, quæ ad apparatum lætitiamque ſponſorum attinebant, eos proſpexiſſe crediderim, quin & in ſocietatem gaudii veniſſe, & ſuavibus jocis atque colloquiis, luſibusque, nuptiarum ſolennitatem ornaſſe; quod exemplo ſociorum Simſonis haud obſcure colligitur. Aliquod tamen diſcrimen, inter υἱȣ̀ς τȣ͂ νυμφῶνος & Paranymphum, eruit ex MAIMONIDE, FRID. ADOLPH. LAMPE *in Joh. III, 29.* ita ut Filiorum thalami nomen latius patere cenſeat, quam τȣ͂ שושבין ſeu Paranymphi, domum ducentis ſponſam. Provocat hoc fine ad Jud. XIV, 11. ubi triginta juvenes Simſoni delectos fuiſſe omnes credit Filios thalami, inter quos tamen unus præ reliquis, ut Paranymphus ſeu השושבין eminuerit. Et huic diſtinctioni favere ait diſcrimen, quod inter Johannem baptiſtam ac reliquos diſcipulos interceſſit. Quæ utut timidiuſcule dicta, a vero tamen parum abeſſe videntur. HENR. HAMMONDVS *ad Matth. ac Joh. loc. cit.* licet eosdem faciat υἱȣ̀ς τȣ͂ νυμφῶνος & φίλȣς νυμφίȣ, præeunte tamen IVLIO POLLVCE, uni ex illis prærogativam præ ceteris tribuit. Illuſtrat ex

ex PHAVORINO, quod *φίλοι νυμφίυ* sint, qui *τῷ ὀχήματι ἅμα τῇ νύμφῃ καὶ τῷ νυμφίῳ ὀχῦνται*, *eodem curru vehuntur ac sponsus & sponsa*, vel etiam eos comitabantur *πεζῇ*, *pedibus*, & aliquam circa nuptias curam, in gratiam sponsi suscipiebant. Porro ex Græcorum Liturgiis observat, Paranymphos in Ecclesia Græca fuisse mediatores inter sponsum & sponsam, & operam suam contulisse, ut vinculo connecterentur maritali; unde in *Liturgia Matrimonii*, dicatur unus ex iis *ἀλλάσσειν τὰ δακτυλίδια*, *permutare annulos*, qui ideo vocatus sit *σύντεκνος*, vel barbara voce, corrupta ex Latina *compar*, *κωμφάρος*. Definitur a SIMEONE Thessalonicensi, *ὁ τῆς ὁμοφροσύνης καὶ ὁμονοίας ἀνάδοχος*, *qui castitatem ac amorem inducere* inter sponsum & sponsam *aggreditur*, *καὶ διδάσκαλος τῆς ὁμοφροσύνης, καὶ ἀγαθῆς συζυγίας γενόμενος*, *& magister est concordiæ, & bonæ conjunctionis*; atque is erat susceptor in matrimonio ac baptismate, & in Ecclesia pro sponso spondebat. Ante omnia conferendus est CHRIST. SCHOETTGEN *Hor. Hebr. ad Joh. III*, 29. qui larga manu contulit, quæ huc faciunt. Mihi satis est, Amicum Sponsi, & alterum Sponsæ, Filios thalami antecelluisse, ut Johannes discipulos reliquos.

Ad §. XI. pag. 140.

(14) *Formula hujusmodi benedictionis*] Paulo aliter ex Pandectis Talmudicis eam exhibet SELDEN. *lib. II. de uxore Hebr. cap. XII.* ubi plura de illa monet.

Ad §. XII. pag. 141.

(15) *Quatuor Claves sunt in manu ejus*] De numero Clavium in manu Dei, non convenire inter Judæos, Auctor libri נשמת חיים *fol.* 148. *col.* 1. docet, cum Judæi מדנחאי *Orientales*, Babylonii nempe, in Talmudis Cod. *Sanhedrin fol.* 113. *col.* 1. & Cod. *Taanith fol.* 2. *col.* 1, 2. tres tantum ei largiantur של חיה *partus*, של גשמים *pluviæ*, & של תחיית המתים *resurrectionis mortuorum:* מערבאי vero *Occidentales* cum Targum Hierosolymit. *ad Gen. XXX*, 22. quatuor enumerent: *Quatuor sunt Claves, quæ in manu Dei repositæ sunt, & quas neque Angelo, neque Seraphino committit, nempe* מפתח מטרא *Clavis pluviæ*, מפתח פרנסה *Clavis cibationis*, מפתח קבריא *Clavis sepulcrorum*, & מפתח עקרתא *Clavis mulieris sterilis*. Provocat ad hanc traditionem HAMMONDVS *ad Act. XIV*, 17. & quoad pluviam uberius illustrat; nec non vir in Orientali literatura apprime versatus, CAR. HENRIC. ZEIBICHIVS, *Diss. de Christo, vero Deo* κλειδύχῳ, §. 3.

Ad §. XIV. pag. 141.

(16) *Tempus nuptiarum*] Cumprimis caverunt Judæorum Sapientes, ne pridie Sabbathi, nedum ipso Sabbatho, aut alio die festo, nuptiæ celebrarentur, מפני כבוד שבת *ob reverentiam Sabbathi*, atque ne ex apparatu epulari, sive initio Sabbathi, sive fini proximante, forte violaretur dies sanctus; ut est in Mischna *Moed Katon cap. I.* §. 7. & apud MAIMONIDEM in Hilc. אישות *cap. X.* Diem hebdomadis autem, nuptiis destinatum, ita definit Mischna in Tract. *Cetubhoth cap. I.* §. 1. *Virgo deducitur feria quarta, & vidua, quinta feria. Nam bis in hebdomade sessiones habentur forenses in urbibus, oppidisque, feria secunda, & feria quinta, adeo, ut si quid habeat Sponsus, quod in Sponsæ virginitatem objiciat, forum ei statim liceat adire.* Sensum hujus constitutionis uberius declarat SELDENVS *lib. II. Vxor. Hebr. cap. XI.* De septenario autem dierum, quibus שמחה הנשואין *lætitia nuptialis*, h. e. epulum & solennitas nuptiarum celebratur, luculentus testis est R. ELIESER, qui in suis *Pirke cap. XVI.* ex edit. Vorstii p. 33. ita tradit: R. IOSI *inquit: Vnde discimus, convivium nuptiale esse septem dierum? A patre nostro Jacobo, qui cum duceret Leam, instituit convivium septem dierum, prout dicitur: comple septimanam hujus* (Gen. XXIX, 27.) *Convenerunt autem omnes viri istius loci, ut benignitatem præstarent*

ſtarent Jacobo, juxta illud verſ. 22. *& congregavit Laban omnes homines iſtius loci, & paravit convivium* &c. Plura in hunc Geneſeos locum vide apud SELDENUM *lib. V. de Jure N. & G. cap.* 5. circa fin. & cumprimis apud HEIDEGGER. in *Hiſt. Patriarchar. Tom. II. Exerc. XV.* §. II. *p.* 433. Negat tamen, de tempore ſeptiduani convivii accipiendum hunc locum ADR. A CATTENBURCH *Synt. Sap. Moſ. Lib. V. cap. I.* §. *XVIII. p.* 256. cum non pauci Interpretes hebdomadem annorum intelligant; quæ tamen interpretatio Jud. XIV, 17. liquido refellitur, ut cum Auctore noſtro adhuc faciamus.

Ad §. XV. pag. 141.

(17) Ἀρχιτρίκλινος *Joh. II,* 19.] Ejus officium GAUDENTIUS, Epiſcopus Brixianus, *Tractat. IX.* ad hunc modum exponit: *Nuptiæ apud Judæos cum fierent, unus (quantum ex traditione comperimus) dabatur de Sacerdotali ordine, qui morem diſciplinæ legitimæ gubernaret, curamque pudoris ageret conjugalis, ſimul & conviviorum apparatum, miniſtros atque ordinem diſpenſaret; & hoc pro officio, Architriclinus, h. e. triclinii Præpoſitus diceretur.* Non aſſentitur GAUDENTIO CASAUBONUS *Exercitat. XIII. c. Baron.* §. *XIX.* eum confundere ratus Architriclinum cum Præfecto morum, qui in nonnullis civitatibus publice apponi ſolitus ſit convivis, in ſolemnibus epulis. Pariter BEZA *ad h. l.* a *Magiſtro Convivii* diſtinguit Architriclinum, qui totum convivium curabat, quemque Græci Ἐλέατρον vocabant, ἐπιστάτην τῆς ὅλης διακονίας, προγεύστην, *prægustatorem*, & προθέντην dictum, cujus officium erat, dapes convivis apponere; quod ex ATHENAEO illuſtrat; ſed vereor, ut cum Judæorum moribus convenerint Græci, nec non, ut Ἀρχιτρίκλινος idem ſit, qui Gen. XLIII, 16. אשר על הבית vocatur, quod ibidem cenſet BEZA. Etſi hanc vocem, una cum more convivandi a Romanis ad Judæos tranſiiſſe exiſtimat LAMPIUS *in h. l. Joh.* qui alia de hoc officio affert.

Ad §. XV. pag. 141.

(18) *Fortuna bona*] Ita vocem quoque interpretatur ELIAS GERMANUS *in Tisbi h. v.* מזל, *planetam* notat, *ſidus, aſtrum,* & per metonymiam effectus, *influentiam cæleſtem:* quia ergo felicitatem vel infelicitatem inferiorum dependere credunt Judæi ab influxu ſiderum, hinc *fortunam* quoque, *fatum, providentiam*, hac voce notarunt. Trita ergo gratulantis vox erat: מזל טוב *Fortuna bona!* cum proſpera quævis perſonæ, vel negotio, comprecaretur. Unde non tam ad ſobolis procreationem, quæ Auctoris conjectura eſt, quam ad omnigenam conjugii proſperitatem, hanc formulam referre malim. Annulo pronubo eandem inſculpi ſolere, obſervat quoque BUXTORFIUS diſſ. *de Sponſal. & Divort.* §. 57. & exponit: *fauſtum felixque ſit.*

Ad §. XVI. pag. 142.

(19) *Inſtrumentum literarum*] De dote ſcribenda ita conſtituit Miſchna Tr. *Cethubboth cap. V.* §. I. *Etſi dixerint, virgo exigit ducentas* (zuzas) *& vidua centum, tamen ſi addere voluerit* (ſponſus) *etiam centies centum* (zuzas) *addat.* Tandem ſubjicitur: R. MEYER *dicit, ſi quis diminuerit virgini ducentas, & viduæ centum,* הרי זו בעילת זנות *ſicuti matrimonium meretricum eſt.* Zuzam autem (זוז) Denario Romano argenteo æqualem faciunt, & Syriaca Nov. Teſt. verſio pro Drachma Matth. XV, 24. & Luc. XV, 8. ſubſtituit. Ejusmodi zuzæ, quia multum æris habebant admiſtum, argento ſuo, quartæ parti ſicli argentei, ſingulæ erant æquales; at ſi argenteæ totæ eſſent, binis ſingulæ æquiparabantur ſiclis. Quinquaginta ergo ſiclos virginalem dotem cum lex ipſa conſtituat Deuter. XXII, 29. hinc colligunt, ducentas zuzas quinquaginta ſiclos conficere, centum autem zuzas viginti & quinque valere ſiclos. Inde numerus argenti, pro dote dandi, fuit conflatus. Si autem ſponſus doti adderet incrementum, diſtinguebatur

 ita

ita, ut hoc תוספה כתובה *incrementum dotis*, illa vero עיקר כתובה *dos principalis* ſeu *dos ipſa* nuncuparetur: quæ & in libello dotali ſemper erant diſcriminanda. Confer denuo SELDEN. *lib. II. Vxor. Hebr. cap. IX.*

Ad §. XVII. pag. 142.

(20) *Copia hujus inſtrumenti dotalis*] Tale quoque שטר כתובה *inſtrumentum dotale*, Hebraice ac Latine lege apud BVXTORFIVM ſub finem diſſert. *de Sponſal. & Divort. p.* 162 *ſqq.* & apud SELDEN. *cit. loc. cap. X.*

Ad §. XVIII. pag. cit.

(21) *Vxor a marito tria poſcere poterat*] Memoratis ab Auctore, *tribus* iſtis ſecundum legem officiis mariti, uxori præſtandis, ſeptem alia, ex majorum placitis, addunt Rabbini, 4) עיקר כתובה ut dotem principalem, in inſtrumento dotalitio definitam, ei præſtet: 5) ut medicinæ ſumtus, ſicubi uxor ægrotaverit, ſuppeditet: 6) ut redimat eam, ſi fuerit capta: 7) ut funebres in ipſam ſumtus irroget ſuperſtes: 8) ut alatur ipſa ex ejus bonis, & in ædibus ejus degat poſt mariti mortem, quamdiu vidua fuerit, nec dotem acceperit: 9) ut filiæ ejus, ex ipſo ſuſceptæ, ex illius bonis alantur, usque dum fuerint deſponſatæ: 10) ut maſculi ab eo ſuſcepti, ſuccedant in dotem ejus, præter partes, quas cum fratribus inſuper capiunt hæreditatis paternæ. Sex iſta doti principali adjecta, dotis conditiones ſeu appendices vocantur. Rurſus uxor marito quatuor debet officia. 1) ut opera manuum ejus in commodum mariti ac poteſtatem veniant: 2) ut quicquid ei caſu poſt nuptias accederet, mariti fieret: 3) ut qualiscunque ſubſtantiæ uxoris, dum ſuperſtes fuerit, uſus fructus in mariti cederet commodum: 4) ut ipſe ſuperſtes uxori, velut hæres ſuccederet. Vid. SELDEN. *lib. III. Vxor. Hebr. cap. IV.* ubi capitibus ſequentibus ſingula iſta uberius perſequitur. De familiari autem uxoris opera, marito præſtanda, ita præcipit Miſchna Tract. *Cethubboth cap. V.* §. 5. *Hæc ſunt opera, quæ uxor faciet marito ſuo: molet, coquet panem, lavabit, coquet, lactabit infantem ſuum, ſternet illi lectum, & operabitur in lana. Si unam ſervam illi introduxerit, non molet, nec panem coquet, nec lavabit; ſi tres, non ſternet illi lectum, nec operabitur in lana; ſi quatuor, ſedebit* בקתדרא *in cathedra.* R. ELIESER autem *dicit, etſi introduxerit illi centum ancillas, imponunt illi, ut operetur in lana,* שהבטלה מביאה לידי זימה *quia otium dat occaſionem luxuriæ:* verum annotante MAIMONIDE, deciſio non eſt juxta ſententiam R. ELIESERIS. Quæ ſingula ſibi explicanda ſumſit SELDENVS *cit. lib. cap. X.*

Ad §. XVIII. pag. 142.

(22) *Debitam benevolentiam,* 1 *Cor. VII,* 3.] Tritam, plenamque lectionem contra MILLIVM, eosque, qui ſimpliciter ὀφειλὴν legunt, ſolide tuetur doctiſſimus WOLFIVS *in Curis Exeg. ad h. l.* Rationem vocis εὐνοίας ſcite reddit ERASMVS SCHMIDIVS: εὔνοιαν *nominat caſte, tum quia ex animo erga conjugem benevolo, ejusque amante potius, quam ex æſtu libidinis proficiſci debet: tum quia ab utroque conjuge, ſine moroſitate, absque ſtudio τοῦ ἀποςερεῖν alterum, ceteris paribus, de quibus v.* 5, *præſtari debet.*

Ad §. XIX. pag. cit.

(23) *Tegmine, in ſignum ſubjectionis*] Velatas apud Hebræos inceſſiſſe virgines, uxores ac viduas, Scriptura plus vice ſimplici, ſine tamen diverſo, affirmat. Leges ibi כסות עינים *tegmen oculorum* Saræ exhibitum Gen. XX, 16. רדיד *velamen* ſponſæ ſpiritualis Cant. V, 7. Ruthæ viduæ המטפחת *peplum*, cap. III, 15. צעיף *linteolum*, ſeu vittam tegendæ faciei aptam, θέριςρον ſeu θερίςριον Gen. XXIV, 65. & alia, in ornatum & ob faſtum adhibita velamina Jeſ. III, 22. quæ ſtudioſe diſcuſſit SAM. FRIDER. BVCHERVS diſput. de חפויות נשים ſeu *velato Hebræorum*

braeorum Gynecaeo, Vitembergæ A. 1715. Commode huc referimus, quæ ERASM. SCHMIDIVS *in* 1 *Cor. XI*, 10. commentatur: *More antiquo feminae, sive virgines, sive maritatae, si in publicum prodirent, aut viris obviae fierent, caput obvelabant, modestiae, reverentiae, & pudoris causa. Maritatae quidem in signum, quod sub potestate viri essent, unde nubere vel nupsisse dicebantur illi, cujus potestati sese honesto matrimonio subjecissent. Huic enim Nuptae sive Velatae testabantur, sese subjectionem debere: virgines vero, quia sub potestate parentum vel tutorum erant, & ut pudoris signum esset* &c. Varia quoque, & erudita de hoc velandi more affert ADRIAN. A CATTENBVRCH, *Synt. Sap. Mos. lib. V. cap. I. §. XV. sq. pag.* 253. ubi in Gen. XX, 16. simul inquirit. Duplex autem velaminis genus in nuptiis adhibitum, observat SELDENVS *lib. II. cap. XV.* alterum, quo sponsorum capita, ut flameo obtecta, alterum, quod in ipsa benedictione nuptiali eos, velut tentoriolum portatile obumbrabat. Posterius חופה dictum, supra excussimus. Velatas itaque sponsas, cum verecundiæ causa, tum in signum subjectionis & defensionis incessisse, passim produnt Interpretes. Quam autem turpe existimatum fuerit filiabus Israeliticis, nudo capite, nec velatas, in publicum prodire, CARPZOVIVS docuit *in Schickardi Jus Reg. cap. V. Theor.* 17. *pag.* 356 *sq.*

Ad §. XIX. pag. 142.

(24) Ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐξουσίαν ἔχειν, 1 *Cor. XI*, 10.] Præter rem, ac perperam, Apostoli verba ad ritum, velo sponsas obnubendi, transferri censet, laudatus modo CATTENBVRCH: contra vero ea facit cum Auctore nostro potior interpretum pars, ἐξουσίαν pro velamine positam consentientium, signatum nempe pro signo; licet in explicatione signi, a se mutuo paulisper discedant. GLASSIVS *Rhetor. Sacr. Tract. I. cap.* 18. *pag. marg.* 466 *sq.* 1 *Cor. XI*, 10. inquit, *velamen capitis mulieris dicitur ἐξουσία, potestas, quia signum & testimonium potestatis est, non active, sed passive acceptae; comprobat nimirum eo signo, se sub viri potestate esse: per metonymiam catachresticam.* Idem paulo ante *pag. marg.* 49. afferens, ita declarat: *Congruum sane signum, cum caput velamine tegatur, ut inferius a superiori: perinde, ut uxor sub potestate viri, ut superioris, constituta esse, ejusque protectione & tutela frui debet. Quocum conferri phrasis matrimonialis potest Ruth. III*, 9. *alas mariti expandi super uxorem, h. e. hanc quasi obvelari illius potestate, tutela & patrocinio.* Magnam interpretum in hac sententia acquiescentium nubem affert IOH. FRID. MAYERVS *in Eclogis Evangelicis ad F. Michael.* edit. Venerandi Neumeisteri *P. II. p.* 656. *sqq.* & ampliorem adhuc WOLFIVS *in Curis Philol. ad h. l.* suum uterque calculum iisdem adjicientes. Quem tamen alii præterierunt, addam vastæ eruditionis & acerrimi judicii Criticum, CLAVD. SALMASIVM *in Epist. de Caesarie viror. & mulierum coma p.* 693 *sqq.* ubi mentem suam ita promit: *Per ἐξουσίαν Apostolum intellexisse velamen, extra controversiam est, cum de eo inter omnes constet. Inde & ἐξουσία in quibusdam Glossis Sacris exponitur velamen.* Per κάλυμμα, ex OECVMENIO explicat in Glossa, IOH. GREGOR. *in N. T. cum Scholiis Graecis h. l.* Cur autem ἐξουσία velaminis significationem hic habeat, paulo subtilius inquirens SALMASIVS *p.* 695 *sq.* virum capite libero & detecto αὐτεξουσίας suæ indicium & argumentum præferre existimat, & Hebræo verbo פרוע ex Lev. XIII, 14. illustrat, hinc ita inferens: *Cum igitur liberum dicatur caput apud Hebraeos, id est* פרוע*, quod velamen non habet, contrarium de eo, quod velatum est, convenit dici, ut nimirum pro subjecto & obnoxio habeatur. Quod non est liberum, sub alicujus potestate est. Cum velamen autem prohibeat caput dici & haberi, esseque liberum, merito Paulus ἐξουσίας nomine velamen appellavit, quia nota est subjectionis, & proinde quasi potestas imposita est capiti, dum in causa est, ne liberum sit.* Ita ex Hebræorum sententia locutum esse Apostolum

 ratio-

ratiocinatur, quia longe aliter de tegmine capitis senserint Romani & Græci, qui libertatis insigne pileum esse voluerunt.

Ad §. XIX. pag. 142.

(25) *A verbo* רדד, *subdidit, subjecit, potestate usus est*] Vereor, ne memoria lapsus Auctor, duas hic confuderit radices, quarum altera רדד *extendit*, notat, *expandit*, unde רדיד *peplum*, ab expansione dictum, altera רדה *dominatus est, subegit, subjecit*: etsi prius verbum Psal. CXLIV, 2. & Jes. XLV, 1. etiam *subigendi*, & *subjiciendi* notionem, ex Lexicographorum nonnullorum mente, metaphorice sustineat. Apud Jesaiam tamen, verbum רד pariter ex רדה derivat, & infinitivum Pihel esse existimat, VITRINGA *Comment. in h. l.* æque ut Jes. XLI, 2. רדד autem in Psalmo, extendendi sensum obtinere potest; unde b. GEIERUS *in Commentar.* quoque vertit, *qui expandit*: maxime cum R. NATHAN per פרישה ורקוע *expansionem aut diductionem* exponat. Nomen רדיד certe vel subjiciendi potestatem habere, vel paria cum Græco ἐξουσία facere, nunquam probabitur.

Ad §. XX. pag. 143.

(26) *Admissus est libellus repudii*] Lex de divortio Deut. XXIV, 1 sq. legitur, ubi non modo permissum illud volunt, sed lege quoque imperatum. Ideo Pharisæi Matth. XIX, 7. diserte perhibent, *Mosen mandasse*, dare libellum repudii, eamque dimittere. Verum duplex uxorum genus erat, in quo illud locum non habebat: alterum earum, quæ præreptæ virginitatis falso, idque in judicio capitali, accusabantur, de quibus Deut. XXII, 19. lex sancit: *habebit eam in uxorem, nec poterit dimittere eam cunctis diebus suis*: alterum earum, quæ vi comprimentibus nuptæ, de quibus ibidem vers. 29. legitur: *nec poterit eam dimittere cunctis diebus suis.*

Ad §. XXI. pag. ead.

(27) *Fundamenta & rationes repudii*] Triplex de iis sententia recensetur in Mischna גיטין seu *de divortiis cap. IX.* §. 10. qui totius tractatus ultimus est, his verbis: *Schola* SCHAMMAI *dicit: nemo repudiabit uxorem, nisi in ea repertum fuerit quid inhonesti, uti scriptum* Deut. XXIV, 1. *quoniam invenerit in ea turpitudinem rei. Schola* HILLELIS *dicit, etiam, si combusserit decoctum ejus, uti scriptum est* ibid. *quoniam invenerit in ea turpitudinem rei.* R. AKIBA *dicit, etiam, si illa pulchriorem inveniat aliam, uti scriptum est* ibid. *si non invenerit ea gratiam in oculis ejus.* Nimirum Schola SCHAMMAI nititur voce ערוה *rei inhonestæ*; schola HILLELIS, voce דבר, ut quæcunque res non probaretur, causam præberet divortii: R. AKIBA demum formæ venustate, si non invenerit gratiam in oculis mariti, præ pulchriore alia: decisio autem est juxta scholam HILLELIS, observante Glossatore utroque, BARTENORA & MAIMONIDE. Hinc *longa est injuria, longæ ambages*, ut levissima de causa vel culpa, vel etiam ob nullam, uxori repudium mitterent. Prolixe in eas inquisivit SELDENUS *lib. III. Uxor. Hebr. cap. XVIII sqq.* & BUXTORF. cit. toties dissertationis §. 88 *sqq.* Aliæ quippe repudii causæ sunt, ex quibus fiebant uxores illicitæ maritis, sive ex ipsa lege, sive ex sancitis majorum, & propter quas necessario repudiandæ, idque plerumque sine dote; aliæ, propter quas saltem impudicæ, turpesve haberentur uxores, atque ideo etiam merito repudiandæ, tametsi non necessario, aut ex sententia fori; aliæ denique, ubi sive forma, sive ætas, gestus, aliave res quæcunque levicula uxoris, marito displiceret, adeo ut non inveniret ea gratiam in oculis ejus. Ita tamen repudiata uxor dotem, & res suas sibi semper habere debuit. Demum etiam *in Præfat.* libri *Zohar p. 8. col. 2. & ad Exod. fol. 107. col. 1.* legitur, velut ex majorum traditione acceptum, morem fuisse Israelitis, quotquot in militiam profecturi erant, non ante proficisci, quam libello uxores dimiserant. Id non

non modo R. SALOMO, & R. DAVID KIMCHI *ad* 2 *Sam. XII.* repetunt, hac tamen addita cautela, libellum iſtum divortii non prius vim ſuam ſortitum fuiſſe, quam ſi maritus in bello obierit; verum etiam HIERONYMUS confirmat, *in Tradit. Hebraic. ad* 1 *Samuel. XVII*, 18. (ubi pater Davidi, in caſtra proficiſcenti, ait: *Et fratres tuos viſitabis in pace,* ואת ערובתם תקח *& pignus eorum ſive arrham* vel ſponſionem *eorum tolles* aut capies,) inquiens: *Pignora in h. l. Hebræi libellos repudii intelligunt. Siquidem uſum illius gentis fuiſſe ferunt, ut quando ibatur ab eis in pugnam, libellos repudii uxoribus darent, ut ſi contigiſſet, virum in prælio capi, & in captivitatem duci, mulier ejus, expectatis tribus annis, ſi vir ejus non rediiſſet, alium duceret virum.* Hoc applicant plerumque Rabbini ad factum Davidis, commiſſum cum uxore Vriæ, quem in bellum iturum, pariter libellum repudii Bathſebæ dediſſe credunt, cujus argumento David ſe ab adulterii crimine immunem futurum crediderit: 2 Samuel. XII. Conf. SELDEN. *cap. XIX.*

Ad §. XXI. pag. 143.

(28) *Traderet uxori*] Has, aliasque plures repudii conditiones, requirunt Judæi, ne temere ad illud provolarent mariti, & innumera inde orirentur ſcandala. Ita ſane ABARBENEL *ad Deut. XXIV*, 1 *ſq. Ad offendicula iſta vitanda & removenda,* inquit, *præcepit Deus, ne homo uxorem ſuam expellat, niſi cum libello, eoque multis conditionibus limitato, teſtibusque adhibitis ratificato. Hæc enim eo faciunt, ne res hæc nimis facilis ſit marito: &, ſi forte in ira & indignatione animum inducat, uxorem ſuam expellere, ut actio hæc gravis & difficilis fiet in oculis ejus, atque interea animus ejus placetur: ne item mulier occaſionem habeat, falſo & mendaciter dicendi, ſe expulſam eſſe.* Iis gemella fere tradit MAIMONIDES *in More Nevuch. P. III. cap. XLIX.* Vnde obſervat BVXTORF. *Synag. Jud. cap. XL.* hac de cauſa hodie æque rara eſſe inter ipſos divortia, ac inter Chriſtianos, ſi non rariora. Quodſi vero adulterii cauſa repudium quis uxori mittere velit, tantæ remoræ non fiunt. Talem libellum vocant גט המצות *libellum præcepti,* qui etiam peculiari quadam arte ſcribendus ſit.

Ad §. XXII. pag. cit.

(29) *Formula libelli illius*] Vocatur libellus iſte ספר כריתות *libellus abſciſſionis* vel diſciſſionis, גט פטורין *libellus dimiſſionis*, אגרת פטורין *epiſtola dimiſſionis*, ספר תירוכין *libellus expulſionis:* nititurque præcepto divino Devter. XXIV, 1. *& ſcribet ei libellum repudii, quem tradet in manum ejus:* unde conficiunt, non niſi libello repudii ſcripto, mulierem poſſe dimitti: & hunc libellum reapſe quoque in manum ipſi eſſe tradendum. Hodie adhuc requirunt, obſervante BVXTORFIO *c. l. Synagogæ p.* 643. ut duodecim præciſe lineis, nec pluribus, nec paucioribus conſtet: eo quod גט in numeris XII valeat. Id curate refertur in tabula ænea, libellum repudii comprehendente, in Miſchna SVRENHVSII *P. III. p.* 324. Et Veteres quidem in Miſchna *Gittin cap. IX.* §. 3. hac formula utebantur: הרי את מותרת לכל אדם *Ecce, tu eris licita viro cuicunque. Atque hic eſt inter te & me libellus repudii, relictionis epiſtola, ac inſtrumentum dimiſſionis, adeoque tibi liberum ſit, cuicunque velis nubere.* Poſthæc plures acceſſerunt formulæ, & verba ſolemnia, ut videre eſt apud Auctorem noſtrum, apud SELDENVM *lib. III. cap. XXIV.*, & apud BVXTORFIVM *Synag. c.l.* & ſub finem diſſertationis citatæ *pag.* 164 *ſq.* Modum tradendi libellum uxori, BVXTORFIVS *in Synag. p.* 644 *ſqq.* pariter prolixe exponit, totumque repudii delineat actum, ex quo liquet, libellum repudiatæ non relinqui, ſed ubi traditum accepit, mox a Rabbino, negotii directore ac præſide, repeti, & שתי וערב *forma crucis* dilacerari & diſcindi, poſtmodum dimiſſæ injungi, ne intra tres menſes alteri nubat. Libellum autem uxori ideo non reſtitui, ne quis

 forte

forte contentiosus scrupulosius eum examinet, & aliquid inveniat, quo in dubium eum vocare & illegitimum facere conetur.

Ad §. XXIII. pag. 143.

(30) *Scriptus est a Notario*] Licet scribendi facultatem haberet tam ipse Maritus, quam Procurator ejus, quod passim fatentur Rabbini, usu tamen invaluit, ne scriberet, nisi Notarius, ut haud injuria AVGVSTINVS *lib. XIX. contra Faustum Manichæum cap. XXVI.* perhibeat, nefas fuisse has literas exarare, nisi scribis, legis apprime peritis. R. SALOMO autem *ad Hos. I,* 10. ab Auctore excitatus, obiter saltem Scribæ mentionem facit, his verbis: *Res similis est Regi, qui iratus est uxori suæ, arcessivit Scribam quendam, ut veniret ac scriberet ei libellum repudii, antequam autem veniret Scriba, reconciliaretur uxori* &c. Vnde colligere non licet, a Notario præcise libellum ejusmodi fuisse exarandum.

Ad §. XXIV. pag. cit.

(31) *Recepta apud Romanos consuetudo fuit*] Aliud erat apud Romanos *Repudium*, quo sponsalia dissolvebantur, hac formula solemni: *Tua conditione non utor:* aliud *Divortium*, quo aut vir uxori, aut uxor marito, vel præsenti, vel absenti, nuntium remitteret; hujus formula erat: *Res tuas tibi habeto:* juxta CAIVM *ff. XXIV.* 2. 1. Vxori exeunti reddebatur, quicquid in domum mariti secum attulerat, claves autem ei adimebantur. Multa, de divortii formula, tradit BARN. BRISSONIVS *lib. VIII. de Formulis p.* 722. quem vide. Nemo autem ante annum DXX. ab V. C. divortium cum uxore fecisse perhibetur. Qui primus fecit, Spurius Carvilius Ruga fuit; qui M. Pomponio, C. Papirio, vel ut aliis placet, M. Atilio, P. Valerio COSS. uxori nuntium nova de causa remisit, quod eam sterilem esse diceret, seque quærendorum liberorum causa uxorem habere jurasset. DIONYS. HALICARNASS. *II. pag.* 96. A. GELLIVS *N. A. IV.* 3. VALERIVS MAX. *II.* 1. 4. Ceterum, nec maritus solum uxorem, sed uxor quoque maritum pro lubitu dimittebat tam apud Romanos, quam Græcos, maxime Athenienses, quibus, ubi maritum reliquit uxor, ἀπόλειψις, ubi uxorem vir ejecit, ἀποπομπὴ dicebatur. Conf. IOS. SCALIGERVM *Animadvers. ad* EVSEB. *num.* 2015. & SELDENVM *de Jure N. & G. lib. V. cap. VII.* Scilicet uxor non poterat dicere ἀποπέμπειν τὸν ἄνδρα, quod uxor nupta deduceretur in domum mariti, nec ejicere eum ex illis ædibus poterat, quarum illa domina non erat; at ἀπολείπειν relinquere eum, atque ab illius ædibus recedere poterat. Morem divortii Græci describit IOH. PHIL. PFEIFFERVS *lib. IV. Antiqu. Græcar. cap. XXIII. p.* 658.

Ad §. XXIV. pag. 144.

(32) *Et apud Hebræos valebat*] Id vero plane contra leges Judaicas invaluisse testatur IOSEPHVS, quando *lib. XV. Antiqu. Jud. cap. VII.* §. 10. Salomen, Herodis, Antipatri filii, sororem, annis aliquot ante C. N. libellum repudii marito Costobaro misisse, memorans, subdit: ὀ κατὰ τοὺς Ἰουδαίους νόμους· ἀνδρὶ μὲν γὰρ ἔξεστι παρ᾽ ἡμῶν τοῦτο ποιεῖν, γυναικὶ δὲ οὐδὲ διαχωρισθείσῃ καθ᾽ αὐτὴν γαμηθῆναι, μὴ τοῦ πρότερον ἀνδρὸς ἀφιέντος· *contra quam ferunt Judæorum leges. Nam viro quidem apud nos id facere licet, neutiquam vero feminæ, quæ sponte discesserit, alteri nubere fas est, nisi prius a marito dimittatur.* At enim vero, de facto Salomes, sententiam lege SELDENI *lib. III. Vxor. Hebr. cap. XIX.* & BVXTORFII *cit. Dissert.* §. 86. qui tamen addit: *Quamvis mulier non possit ita, ut vir, pro suo arbitrio, libellum repudii viro mittere; potest tamen, in ceteris causis & casibus, a viro libellum divortii petere, immo quandoque ad eum sibi dandum, Judicis etiam interposita auctoritate, cogere.*

Ad

Ad §. XXVI. pag. 144.

(33) *Quam vocabant Rabbini* נדוניא] ELIAS *in Tisbi v.* נדן definit, מה שהאשה מכנסת לבעלה בשעת הנשואין *id, quod affert uxor marito suo tempore nuptiarum.* Quando Judæi derivare nituntur ex Ezech. XVI, 33. dubitat ELIAS, jure ne id fiat, cum inter mercedem meretricis, Ezechieli memoratam, & id, quod uxor marito affert, insigne intercedat discrimen. Quæ ad verbum transscripsit DAVID DE POMIS in suo *Zemach.* Curatius definit ex MAIMONIDE, BVXTORF. *in Lex. Targum. h. v.* facultates, quas affert uxor ad maritum suum, sive sint bona immobilia, sive mobilia, sive servi, licet scriptæ sint in instrumento dotis, tamen non vocari כתובה sed נדוניא: quo etiam ornamenta, monilia, & pretiosa sponsa refert. Omnium exactissime תובה *dotem,* a נדוניא peculio sponsæ illato, seu paraphernis discernit WAGENSEIL. *in Sota cap. IV. Mischnæ §. I. p.* 551 *sqq.* quem consulat, qui plura cupit.

AD

LIB. VI. CAPVT V.

DE SEPVLTVRA.

Ad §. I. pag. 144.

Clausit oculos mortui] Ritum hunc Judæis familiarem confirmat ABEN ESRA *ad Genes. XLVI,* 4. כן מנהג החיים על המתים *hæc consuetudo erat viventium circa mortuos.* Rationem reddunt eam, quod cum morientes apertis oculis exspirent, qui, ut postremo omnium perficiuntur, ita primi signa mortis & argumenta proferunt, quia Spiritus, ingruente morte, extinguuntur; ita ut in illa parte, quæ in viventibus maxime fulget, post mortem maxima appareat deformitas. Pii autem & fideles rectius dicuntur oculos mortuis clausisse, ut significarent, eos dormire, suo tempore resurrecturos: rebus quidem humanis defunctos esse, sed rursus aperiendos eis esse oculos, in mortuorum resurrectione. Magnam tamen hic adhibendam esse cautionem, monent Magistri in Mischna tract. *de Sabbatho cap. XXIII. §.* 5. אין מעמצין את המת בשבת ולא בחול עם יציאת נפש והמעמץ עם יציאת נפש הרי זה שופך דמים: *Non claudunt oculos mortui in Sabbatho, neque in profesto die, dum exit anima. Nam qui claudit oculos in exitu animæ, ecce hic est homicida,* ei similis reputatur, *quia,* ut glossatur R. OBAD. DE BARTENORA, *per rem exiguam festinat mortem ejus.* Nam *motu leviculo,* ut habet ibi Gemara, *acceleratur mors: instar candelæ extinguibundæ, in quam si quis manum suam imposuerit, statim extinguitur.* Erudite de hoc ritu commentatur SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap. VII. §.* 12. ubi Romanis & Græcis idem in more positum fuisse, idoneis evincit testimoniis: cui GEIERVM junge, *de luctu Hebræor. cap. V. §. 6.* & quos magno numero ibi alios allegavit Auctores. De Gentilium idem observantium ritu, evolvi meretur doctissimus KIRCHMANNVS *lib. I. de Funerib. Roman. cap. VI. p.* 45 *sqq.* de Christianis primorum sæculorum PAVL. ARINGHVS *lib. I. Romæ Subterr. cap. XXI. §.* 12 *sqq. p. 69.* qui Christo in cruce defuncto, indeque sublato, idem supremæ pietatis officium virginem Deiparam præstitisse §. 15. satagit demonstrare.

Ad §. II. pag. cit.

(2) *Lavabant cadaver*] Aqua calida, cui hodie addunt flores chamæmeli & rosas siccas, studiose abluitur mortuus, ut purus & mundus sit,

sit, cum peccatorum ratio coram judice supremo erit reddenda. Conf. GEIERVM *c. l.* §. *VII.* Addit BVXTORFIVS *Synagog. Jud. cap. XXXV. p.* 699. ablutionem istam a quibusdam domi peragi, antequam efferatur funus; in nonnullis autem locis, præsertim ubi magna copia confertim habitant Judæi, in cœmeteriis tabulæ, quam מטה *lectum* vocant, impositum in certam quandam ædiculam, quæ est in cœmeterio, deferunt, in qua eum abluunt, & post ablutionem loculo includunt. Post ablutionem, os hians tenui fascia constringitur, nasusque ac omnia foramina corporis obstruuntur, cum deformitatis, tum tetri odoris avertendi causa. Genitalibus hoc pariter more receptum fuisse, docet DOVGTAEVS *in Analect. Novi Test. Excurs. LII.* De Christianis, HIERON. SOPRANES, *in Davide, Digress. secunda de funere Hebræor. cap. IV. p.* 465. ubi non contemnenda quoque de Paganis affert.

Ad §. II. pag. 144.

(3) *Ablutio pollutionis accersitæ ex contactu mortui*] De his, quid fieri fas sit, diserta Deus lege docuit Num. V, 2. & XIX, 11 sqq. nec non, ubi circa Paschatis solemnitatem ejusmodi ingruat impuritas Num. IX, 6 sqq. Quomodo ex lege illa, de expiatione immundi ex attactu mortui, sacrificium pro defunctis recentiores exsculpant Judæi, verbis R. SAMVEL Cohen de Pisa, *in Zaphnath Pahneach cap. XIV.* docet CARPZOVIVS dissert. *de Vacca rufa P. II. cap. II. p.* 90.

Ad §. II. pag. 145.

(4) *Lotio pro mortuis*, 1 *Corinth. XV*, 29.] In difficilem hunc, & vexatissimum locum, qui sententias Interpretum collectas cum ἐπικρίσει, legere avet, adeat e Nostris SEB. SCHMIDIVM *Disp. de Baptismo super mortuis*, quam posthæc etiam ab objectionibus vindicat *Diss. de Sabbatho* δευτεροπρώτῳ statim ab initio: ex Reformatis FRIDER. SPANHEMIVM fil. *de Veterum propter mortuos baptismo, diatriba*, quæ Lugduni Batav. prodiit in 8. An. 1673. posthæc etiam *Opp. Tomo III. P. I. p.* 577. inserta conspicitur; & succincte, sed curate tradentem IOH. HENRIC. HEIDEGGERVM *Laborum Exegetic. in h. l. pag.* 163. Nos in brevem mittemus epitomen, quæ hic dici solent. Sunt 1) qui ad locum administrati baptismi verba referunt, quod super mortuorum sepulcris, Martyrum monimentis, & in cœmeteriis baptizarent; cujus tamen ritus idonei ex universa antiquitate testes produci possunt nulli. Alii 2) de vicario baptismo pro amicis & consanguineis, morte interceptis, antequam tingi potuissent, explicant, cum quibus facit §. *III. & IV*, qui rursus dubiæ admodum fidei est, nec adstrui valide potest. Demum alii 3) de Clinicorum baptismo dictum capiunt, qui in mortis instanti baptizabantur, idque ob spem resurrectionis, unde CAPPELLVS verba ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, reddit: *sub mortis tempus.* Velut autem mos iste, vitio non carens, tempore Apostolorum nondum usu erat receptus, ita nec eum Paulus calculo suo munivisset & approbasset. Tandem 4) nonnulli baptismum ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, quasi ellipticum, supplent voce ἔργων, pro operibus mortuis abluendis, in spem vitæ æternæ, vel, ut sint quasi mortui, vel commortui Christo, per hanc immersionem, juxta Rom. VI, 3, 5. quæ tamen dura nimis & frigida est verborum interpretatio, D. Paulo plane inusitata. Discedit ab his 5) SEB. SCHMIDIVS, qui *in cit. Disp.* §. 37. mentem ita exponit: *Quia resurrectio mortuorum certo futura est; immundi fiebant, quicunque tangebant mortuos, atque baptizabuntur super illis, ut ritu isto profiterentur, se propter resurrectionem mortuorum credere omnino, immundos peccato gravissimo reddi, quicunque minus pie & honeste mortuos tractarent, & ablutione a peccato opus habere: se quidem testari, non tetigisse mortuos ex animi levitate, sed casu, aut necessitate quadam; & si per errorem aliquid factum, quod fieri non debuisset, a Deo humiliter petere, ut quemadmodum ipsi corpus abluerent, sic Deus propter Messiam, unicum Mediatorem, ipsorum animam & corpus ab omni peccato purificaret.* Proxime accedit

cedit interpretatio COCCEII, quæ tamen in quantum differat, in vindiciis laudatus SCHMIDIVS demonstrat. Eandem BERTRAMI interpretationem, quæ Apostolum de lotionibus Hebræorum, propter pollutionem ex mortuis contractam, *Lucubrat. Franktallenf. cap. VIII.* exponit, suam quoque fecit & scite pinxit laudatus supra HEIDEGGERVS. Attamen plures una suppetunt rationes, quæ vereri suadent, ut caussam lustrationis Judaicæ, ob impuritatem ex mortuis contractam, Apostolus hic peroret. Placet itaque 6) sententia SPANHEMII omnium facillima, & menti Paulinæ maxime accommodanda, quod baptismus innuatur propter martyres, & Christianos strenue vita functos, suscipiendus. Qui enim Christiani mortem sive violentam, sive ex morbo naturalem, in spem beatæ resurrectionis animo forti subierant & intrepido, multos inducebant Gentiles, qui ejusmodi mentis constantiam & robur in infidelibus suis nunquam visam, mirabantur in Christianis, ut ad fidem Christi & baptismi desiderium excitarentur. Hæc sententia 1) Verbis ac phrasi Apostoli ex asse convenit. Ita enim plana & simplicissima fluit oratio Paulina: οἱ βαπτιζόμενοι, *qui baptizantur*, ad baptismum accedunt, illoque initiantur, ὑπὲρ τῶν νεκρῶν, *propter mortuos*, eorum causa, impulsu, sive propter ea constantiæ, spei & gloriationis exempla, quæ in sanctis demortuis fuere admirati. Nam & ὑπὲρ Græcis pro διὰ, ἕνεκα, χάριν, quomodo τὸ על Hebræorum, cui ὑπὲρ respondet, usitatissime est *propter*. Adeoque sensus dicti hic erit: τί καὶ βαπτίζονται, quid adhuc quotidie ad baptismum hoc impulsu (scil. propter mortuos) accedunt multi, si nulla omnino resurrectio est expectanda? 2) Congruit etiam scopo & argumento Apostoli. Neque enim fuit solatium aliud majus morituris, sive Christo, sive pro Christo, inter gravissimos corporis cruciatus & sepulcri horrores, quam a fiducia resurrectionis. Vnde frustra fuisset, & horum fiducia, & aliorum scil. τῶν βαπτιζομένων imitatio, si nulla resurrectio. Hinc, τί ποιήσουσι, *quid facient?* quid fructus, quid lucri ex baptismo suo, hoc intuitu suscepto, reportabunt? Innuens, non absurdos modo esse tales, sed & miseros, siquidem illi mortui, quorum scilicet intuitu & ipsi transiissent in Christi disciplinam, ἀπώλοντο, *periere?* Multos autem subinde Gentiles, martyrum, sola immortalitatis consequendæ spe contentorum & suffultorum, constantia, resurrectionis professione, mortisque & cruciatuum contemtu, ad fidem Christi amplexandam permotos fuisse, historia persecutionum & Scriptores Ecclesiastici affatim testantur.

Ad §. V. pag. 145.

(5) *Pollinctura corporis*] Hebræos ab Aegyptiis hunc didicisse ritum, fidem facit exemplum Josephi, supremo hoc officio patrem Jacobum honorantis Genes. L, 3. Atque tum quidem necessitas istam corporis condituram exigebat, quia ex Aegypto in Cananæam, haud modico itinere, & per regiones calidas erat transportandum: posthæc autem in Regum quorundam funeribus adhibita legitur, ut post mortem regis Asæ, 2 Chron. XVI, ult. in pompam & splendorem: denique pietatis & venerationis causa usurpabatur circa Christi in cruce denati corpus, cujus honori Nicodemus Joh. XIX, 39 sq. centum libras myrrhæ & aloes impendisse fertur: quo piæ mulieris etiam referendus est conatus, Christum cœnæ assidentem inungentis, ipsius ut pollincturæ præveniret, quod factum Servator elogio suo ornat, & contra invidiam ac suggillationem Judæ tuetur, Matth. XXVI, 10. Istum tamen morem nec perpetuum Judæis, nec apud omnes receptum fuisse, exemplum evincit Lazari Bethaniensis, cujus demortui corpus medicatum fuisse (uti POMPON. MELA *lib. I. cap. IX.* appellat) putredo & fœtor prohibet, die post mortem quarto illud invadens Joh. XI, 39. Hæc apud Judæos observantur. Apud Aegyptios autem triplicem obtinuisse condiendi corpora rationem, testis est HERODOTVS *medio libro secundo*, ex quo sua mutuatus est SCHICKARDVS *de Jure Regio cap. VI. Theor. XIX. pag.* 411 *sqq.*

Con-

Consentit DIODORVS SICVLVS *lib. I. cap. XCI.* qui ita perhibet: Sepulturæ triplex eſt conditio: ſumtuoſiſſima, mediocris, & viliſſima. In primam argenti talentum inſumitur; in ſecundam, viginti minæ; in ultimam perexiguæ fiunt impenſæ. Libitinarii, qui funus curant, artem a majoribus acceptam factitant. Hi cujusque rei, in funus impendendæ, conſignatione mortuorum domeſticis oblata, quomodo exequias celebrari velint, ſciſcitantur. Vbi de omnibus inter ipſos convenit, acceptum inde cadaver miniſtris, ad uſitatum hoc munus conſtitutis, tradunt. Hinc procedendi modum prolixe ac ordine delineat. Hanc demum artem eo valuiſſe teſtatur, ut ſingula membra ſuam habeant integritatem, & palpebrarum etiam ac ſuperciliorum pili, adeoque tota corporis ſpecies invariata perſiſtat, & formæ priſtinæ effigies agnoſcatur. Hinc multi Aegyptiorum, addit, in magnificis apud ſe ædiculis majorum cadavera aſſervantes, tam expreſſe multis ante ſuam nativitatem ſæculis defunctorum facies contemplantur, ut ſingulorum complexum corporis ac lineamenta faciei contuentes, mirifica voluptate, non ſecus ac ſi adhuc ſecum vivant, afficiantur. Hæc conditurae iſtius ratio, quam CICERO etiam confirmat, *mortuos ab Aegyptiis condiri & domi ſervari* teſtatus *Tuſculan. Quæſt. lib. I.* Sed & alium præterea corporum conditorum uſum DIODORVS *cap. XCIII.* docet: Hic etiam mos ipſis eſt, inquiens, ut parentum cadavera denatorum pro creditis oppignorent: qui nexos non repignorant, improperium hos maximum, & poſt exceſſum e vita ſepulturæ privatio, conſequitur. Qui denique ſepulcro condendi apud ipſos mos obtineat, Idem *cap. XCII.* tradit. Plura qui de unctura ferali apud gentes varias cupit, KIRCHMANNVM adeat *lib. I. de Funer. Roman. cap. VIII. & IX. p.* 58 *ſq.*

Ad §. VI. pag. 146.

(6) *Cremabant cadaver, oſſa urna condentes, Amos. VI, 10.*] Ita quidem Auctor exiſtimat, cujus excitato oraculo alii, idem tenentes, funus regis Aſſæ addunt, ſuper quo combuſſerunt combuſtionem valde magnam 2 Chron. XVI, ult. Et ABVLENSIS *in* 1 *Reg. XXXI. quæſt.* IV. præciſe definit, combuſtionem tantum in funere regio receptam fuiſſe, ita ut non tota cremarentur corpora, ſed eatenus tantum, ut carnes diffluerent, ſervatis oſſibus; vel ut ſolummodo amburerentur, ut diutius odorem conceptum cadavera, ſuffitibus afflata, retinerent. Quicquid autem eſt iſtius ſententiæ, id omne SCHICKARDVS *cit. loc. p.* 422 *ſqq.* & GEIERVS *de Luctu cap. VI.* §. 2 *ſqq.* explodunt, ad exempla pariter ac dicta Scripturæ, ſcite reſpondentes. Obſervant autem, lectum emortualem cum aromatibus tantum deflagraſſe. Multum quippe diverſa fuiſſe Hebræa buſta & Romana. Hebræos ſupellectilia tantum, & quidem magnatum ſive imperantium, Romanos vero ipſa corpora cremaſſe. In funere regis apud Hebræos rogus ſtruebatur, ſelectiſſima myrrha & plurimo thure refertus, qui accenſus abſumebat omnia, quæ regi in quotidiano uſu, quoad decumberet, & chara fuerant. Non ulli parcebatur ſindoni, non pretioſis periſtromatibus, non aulæis, non cervicalibus; ipſæ ſellæ regales cremabantur, ſolo ſceptro & corona exceptis, quæ tamen recondebantur una cum cadavere. Vnde MAIMONID. Hilc. *Malachim cap. II.* §. 1. non utuntur, inquit, ulla ſupellectili regia, ſed cum rex moritur, comburunt univerſam coram ipſo. Aſt apud plebejos ſupellectilem, qua in morbo uſus erat defunctus, velut pulvinaria, linteamina, vaſcula &c. una cum defuncto ſepeliebant. Non enim decere putabant, ut quis alius iſtis poſt obitum poſſeſſoris utatur. Præcipiunt tamen Sapientes, cavere, ne quid facile una defodiatur, quod aut pretioſum ſit, aut honeſtius, utiliusque poſſit egenis erogari. Adſtipulatur ſententiæ de combuſtis, in funere Judæorum regio, aromatibus ac utenſilibus, citra tamen cadaveris combuſtionem, KIRCHMANNVS *lib. III. cap. VI. in fine, p.* 248 *ſq.*

Ad

Ad §. VII. pag. 146.

(7) *Sepulcretum*] Sepulcra sua Hebræi partim in agris, & extra urbem, partim domi suæ, vel in urbe habebant. Vtriusque exempla affatim suppetunt in Scriptura. In agri spelunca Abraham condidit Saram Genes. XXIII, 16. quod posthæc commune & patrium Patriarcharum sepulcretum evasit cap. XXV, 9. XLVII, 30. XLIX, 29 sqq. L, 13. Sic extra urbem Nain efferebatur juvenis demortuus sepeliendus Luc. VII, 12. pariter extra urbem Lazari Bethaniensis erat sepulcrum Johan. XI, 30 sq. nec non Elisæi 2 Reg. XIII, 21. extra urbem in sepulcris degebant obsessi Matth. VIII, 28. Huc pertinet horti, extra urbem siti, velut Josephus Arimathensis in horto sibi excidi curaverat sepulcrum in saxo, Matth. XXVII, 60. quod haud dubie nec ipse primus, nec solus instituit. Ast intra urbes sepulcra regia quoque memorantur, velut קברי דוד *sepulcra Davidis*, h. e. domus Davidis, ad Austrum Hierosolymæ, non longe a muro Zionis Australi sita, evidenter colliguntur ex Neh. III, 16. Licet enim hodie monumenta regia, extra Hierosolymam, in tractu ejus Aquilonari, ostendi consueverint, teste MAVNDRELLO *in Narrat. Itiner. Hierosol. p.* 97. incertam tamen pariter modernæ Hierosolymæ sedem, a veteri haud parum diversam, ac traditionis fidem esse constat. Hebræus, quem *in cippis Hebr.* produxit & Latine vertit HOTTINGERVS, *p.* 43 *sq.* in monte Zionis monstrat speluncam, in qua tumulati sunt Reges domus Davidis; ad quem locum vide HOTTINGERI *Annotat.* Porro 2 Reg. XXI, 18, 26. intra urbem sepulcra regia memorantur, Manassis & Ammonis, in horto domui regiæ contiguo. Quo forte etiam referendum est sepulcrum Samuelis, quem condiderunt בביתו ברמה *domi suæ in Rama* 1 Sam. XXV, 1. nec non Joabi, qui 1 Reg. II, 34. sepultus fertur בביתו *domi suæ* in deserto: ubi vix credendum est, sepulcra in ipsis ædibus sub tecto fuisse, propter oriundam inde immunditiem Leviticam, juxta Numer. XIX, 16, 18. quapropter synecdochice per domum rectius intelligitur id omne quod ad domum pertinet, eidemque cohæret ac proin etiam area, vel hortus, in cujus forte angulo exteriori tale quoddam exstruxerunt monumentum, ut scite colligit GEIERVS *c. l.* §. *IX.* ubi multa de sepulcris Hebræorum affert. Idem §. *X.* contra MENOCHIVM & SANCTIVM, asserentes, sepulcreta publica, in quibus cuilibet jus fuerit tumulari, in usu fuisse negat.

Ad §. VII. pag. cit.

(8) *Facies ejus loci hæc fuit*] Mischna integra *in Bava Bathra cap. VI.* §. 8. ita habet: *Interius in spelunca faciet quatuor cubitos super sex, & aperiet in ea octo foveas, tres ab hac, & tres ab illa parte, & duas e regione: longitudo fovearum erit quatuor cubitorum, altitudo autem septem, & latitudo sex.* R. SCHIMEON *dicit, intra speluncam sex super octo faciet cubitos, & tredecim foveas aperiet in medio illius, quatuor ab hac, & quatuor ab illa parte, & tres e regione, & unam ad dextram portæ, & alteram ad sinistram; at supra os speluncæ atrium faciet, sex super sex cubitis in mensura feretri, at in medio illius aperiet duas speluncas; unam ab hac, & alteram ab illa parte* &c. Explicationem verborum subministrant Glossæ BARTENORAE & MAIMONIDIS. Velut autem sepulcra omnia ejusdem vel amplitudinis fuisse vel structuræ, nemo facile dixerit, sic magni nominis viri eadem perhibent utplurimum in rupibus aut cryptis, magno sumtu & labore excavari & excindi consuevisse, ut AVGVST. VARENIVS contendit *Comment. in Jes. P. II. Orat. XI. p.* 213 *sq.* quin & parata ad modum ædicularum probe munitarum, in quibus plures essent loculi, subinde in eam ductarum altitudinem, ut crypta una alteri esset imposita: quod innuit Mischna, & confirmat Jes. XXII, 16. Ad hunc vero modum excisa monumenta, aut ex integra rupe excavata fuisse negat SALMASIVS *Plinian. Exercit. in Solinum p.* 849 *sqq.* sed fornicata, & ex structura facta evincit, & cumprimis de Christi Domini, æque ac

Lazari ſepulcro *p.* 851. *b.* ita commentatur: *De rupe vix veriſimile eſt, in ea inciſum fuiſſe Dominicum monumentum. Hortus fuit, in quo ſub terra conſtructum illud monumentum, non ſaxoſus nec ſcrupoſus, ſed qualem decuit horti agrum eſſe, in quo nullæ rupes, nec rupinæ. Sed nec terram ipſam horti ὑπόπετρον fuiſſe credibile eſt. Spelunca illa, ſive Crypta manu facta, quæ monumenti uſum præbebat, ſtructura & fornice conſtans, horti ſolo ſuberat. In ipſo ſolo foramen, cui lapis impoſitus operculi vicem, in horti area illud erat monumentum, ſub terra lapide quadrato ſeptum, & fornice tectum, foramine deſuper patente, quod ſaxo advoluto operiebatur* &c. Ceterum ſpacioſa integrarum familiarum ſepulcra Romanis dicebantur *Loci Communes*, de quibus legi meretur TAVBMANNVS *ad* PLAVTI *Caſinæ Prologum p.* 366. cui junge QVENSTEDIVM *in Sepult. Veter. cap. X. pag.* 226.

Ad §. VII. pag. 146.

(9) *Solebant ingens ſaxum apponere*] Hic ex præcedentibus repetenda ſunt, quæ de ſaxo ſepulcri ex SALMASIO attulimus. Januis quoque inſtructa fuiſſe Conditoria, quibus vel aperiretur aditus, vel clauderetur, prout uſus ferebat, iisque Janitores interdum appoſitos, KIRCHMANNVS docet *lib. III. cap. XV. p.* 436 *ſq.* IOH. HIERON. SOPRANES *digreſſione II*, quæ *ritus Hebræorum in funere* exponit, ſubjuncta ejusdem *Davidi, cap. VII. p.* 508. ita inſtituit: Oſtia ſpeluncæ non una ſe ratione habuiſſe omnia: alia enim ad latus fuiſſe aperta, alia ſuperne, & poſteriora formam habuiſſe putei. Chriſti ergo Domini ſepulcrum, quod duplicem credit ſpecum fuiſſe, exteriorem & interiorem, duplici oſtio clauſum fuiſſe, utroque ad latus: at Lazari ſuperne patuiſſe, propterea lapidem in hujus ſepulcro ſuperpoſitum dici, in Chriſti vero advolutum ad oſtium. Prius de Chriſti monumento Textus confirmat Matth. XXVII, 60. poſterius autem Scriptura non admittit, quæ Joh. XI, 44. egreſſum ſepulcro mortuum teſtatur, linteis pedes manusque vinctum. At ſi putei ad inſtar, lapide ſuperimpoſito, excavatum fuiſſet ſepulcrum, extrahendus potius fuiſſet, quam ut vincto egredi licuiſſet. Idem porro *cap. VIII. p.* 512. duplicem facit ſepulcrorum ingreſſum, alium ad veſtibulum, alium ad conditorium. Hunc lapide fuiſſe clauſum, non illum. Hinc, quando apud Matth. c. l. advolutum fertur ſaxum magnum ad oſtium monumenti, non oſtium intelligi totius ſepulcri, ſed interioris, relicto libero ingreſſu ad veſtibulum, quia mulieres ingreſſæ in monumentum dicuntur Marc. XVI, 5. & vidiſſe revolutum lapidem & Angelum ſedentem ſuper eum: *Quomodo enim ingreſſæ*, quærit, *ſi non intelligimus, lapidem tantum ad conditorium ipſum advolutum, primo veſtibulo patente?* Sed nec iſta Textui ſatis reſpondent. Ante enim, quam ingrederentur monumentum, animadvertiſſe traduntur verſ. 4. lapidem devolutum: Angelum enim devoluto ab ingreſſu monumenti lapide, aditum aperuiſſe, teſte Matthæo cap. XXVIII, 2. qui idem quoque cap. XXVII, 60. Joſephum teſtatur lapidem τῇ θύρᾳ τοῦ μνημείου, *oſtio ſepulcri*, exteriori ſane, advolviſſe, quin & verſ. 66. obſignato lapide, ingreſſum ſepulcri cuſtoditum & prohibitum memorat. Quæ monuiſſe grave non fuit, ne quis temere fidem habeat Jeſuitæ, hæc & alia velut e tripode pronuncianti.

Ad §. VIII. pag. cit.

(10) *Sepulcra dealbata*] Haud parum rurſus hallucinatur SOPRANES, quando *cap. VII. pag.* 510. Hebræorum *ſepulcra dealbata*, quorum Chriſtus mentionem facit Matth. XXIII, 27. de magnifica mole conditoriis ſuperſtructa exponit, nec levi tantum calce aut gypſo illita, ſed marmoreis cruſtis plane circumdata: ita nimirum, ex CICERONE verba Servatoris declarare, aggreſſus. Non nego, ſepulcris Hebræorum cippos, ædiculas, aliaque ſuperimpoſita interdum fuiſſe monumenta, viatoribus obvia, ſatisque ſumtuoſa: hoc autem ſibi ſermonem Chriſti velle, evictum non dabit Jeſuita. Quomodo enim ſplendidæ ejusmodi ſtructuræ, apud Lucam cap. XI, 44. dici

dici possent *μνημεῖα ἄδηλα*, *monumenta non apparentia?* Verum conciliandis his Evangelistarum locis haud pœnitendam impendit operam POCOCKIVS *Not. ad Portam Mosis cap. V. p. 73 sq.* quem tutissimum fuerit sequi. Scite enim, & magno cum doctrinæ apparatu, *τάφυς κεκονιαμένυς, ἔξωθεν ὡραίυς*, apud Matthæum, ac *μνημεῖα ἄδηλα*, apud Lucam, idem valere, ex Judæorum more demonstrat. Nimirum sepulcra juxta Numer. XIX, 16. tantam homini affricabant impuritatem, ut qui ea tetigerit, Levitica immunditie, septem diebus laboraret. Hæc impuritas, juxta Judæos est בוקעת ועולה בוקעת ויורדת *perrumpens & ascendens, perrumpens & descendens*, i. e. sursum ac deorsum se diffundens, ut obambulantes æque pollueret, ac circumambulantes. Hanc ut præcaverent, sepultis plerumque cippos erigebant, נפשות dictos, vel certe ציון ponebant, secundum Ezech. XXXIX, 15. & 2 Reg. XXIII, 17. signum, & cadaveris sive sepulcri indicem, ita ut nullum apud Judæos sepulcrum absque indicio quodam, sive ציון, sive נפש relinqueretur, partim ob perpetuum immunditiei contrahendæ religiosioribus metum, alias oriturum, partim ob manifestum damnum, quod hoc neglecto, Terra Sancta in eundem redacta fuisset statum cum profanis gentium terris, quæ ex Magistrorum sententia adeo immundæ erant, ut qui eas calcaverit, immo vel in aerem ejus caput & majorem corporis partem immitteret, immundus ipse evadat. Quin & lege sancitum erat, si quis forte invenerit sepulcrum, vel mortuum, aut de mortuo quicquam, quod obumbratione polluit, eum teneri signum juxta ipsum statuere, ne aliis in offendiculum cedat. Immo & ipse Senatus rem tanti momenti sibi curandam duxit, ideoque statis temporibus, בחול של מועד *diebus profestis solennitatis* cujusdam, prodibat e domo judicii, ad signanda sepulcra, si forte monumenta tempestas, vel aqua delevisset, in signum viatoribus, sive illac prætereuntibus, ne per locum pollutum transirent. Signant autem calce, quam aqua maceratam effundunt super locum immunditiei. Hinc ergo patet, *τάφυς κεκονιαμένυς* fuisse, qui recens calce affusa erant dealbati; rursus *μνημεῖα ἄδηλα*, sepulcra, quorum signa delevisset tempestatum aut aeris, vel ætatis injuria, ut dignosci statim a prætereuntibus non possent. Ἄδηλα, utpote gramine & herbis obducta, *ὡραῖα*, *speciosa* hominibus apparebant, adeo ut iis inambulantes incauti polluerentur, ea *κονίᾳ*, *calce* aqua temperata, pro more signabantur. Non enim ideo, quod *κεκονιαμένα* essent, *ὡραῖα* videbantur, sed contra, quod speciosa, herbis forsan virentibus tecta atque vestita, adeoque *ἄδηλα*, nulla latentis immunditiei nota insignita, calce in cautelam notabantur. Quodsi quis dealbata, atque opere albario incrustata ad ornatum putaverit, totam similitudinis vim evertet. Neque enim istiusmodi ornatus immundiciem sepulcri tolleret, sed omnibus manifestam redderet, & ne propius accederent, admoneret, ut ulteriori cautela opus haud fuisset. Jam vero Christus, qui intimos cordium recessus perspectos habuit, tales depingit, qui exterius nihil nisi sanum & speciosum, nihil quod hominibus suspicionem moveret, instar sepulcri, herbæ qua tegitur, grato oculis virore fallentis, præ se ferentes, plani intus fraudis & versutiæ erant, quibus ne ulterius hominibus imponerent, hæc ejus redargutio *κονίας* seu calcis in signum affusæ instar erat, quæ immundiciem ipsorum omnibus ob oculos poneret.

Ad §. VIII. pag. cit.

(11) *Prov. X, 7.*] Εὐφημία hæc est, Hebræis usu recepta, quando piorum, sapientum, aut bene meritorum mentionem faciunt defunctorum, זכרונו לברכה *memoria ejus sit in benedictione*, seu piæ memoriæ: vel plenius ita: זכרונו לחיי העולם הבא *memoria ejus sit ad vitam futuri sæculi*, abbreviate זלה״ה: cum quibus paria facit; עליו השלום seu ע״ה *super eum pax sit*, quiescat in pace. De quibus evolve BVXTORF. *de Abbreviatur.* suis locis.

Ad §. IX. pag. 146.

(12) *Ordinaria ipsorum Epitaphia*] Elegans de Epitaphiis apophthegma est in Talmude Hierosolym. Tract. שקלים cap. 2. אין עושין נפשות לצדיקים דבריהם הם זכרונם *non faciunt epitaphia justis: verba* enim *ipsorum ipsis memoriam conservant.* De epitaphiis autem, variisque Judæorum monumentis, legi meretur mole exiguus, sed rerum copia refertissimus, HOTTINGERI *de Cippis Hebraicis* libellus, notis brevibus ast eruditis instructus. Confer, quæ de epitaphiis Judæorum commentatus est GEIERVS *de luctu cap. VI.* §. 25.

Ad §. IX. pag. 146.

(13) *De loco sepulturæ*] Locum resurrectionis fore terram Israelis, seu Terram Sanctam uno omnes ore affirmant Rabbini, quorum testimonia larga manu attulit DASSOVIVS *de resurrect. mortuor. cap. VI.* §. 2. *p.* 172 *sqq.* Locum autem, ubi in Palæstina sint prodituri mortui, alii Montem olivarum definiunt, alii Vallem Josaphat, apud eundem *p.* 186. Priorem sententiam calculo suo munit PARAPHRASTES CHALDAEVS *in Cant. Cantic. VIII,* 5. כד יחון מיתיא עתיד לאתבזעא טור משחא וכל מיתיא דישראל עתידין למפק מתחותוהי ואפילו צדיקיא דמיתו בגלותא עתידין למיתו אורח כוביא מלרע לארעא ונפקין מן תחות טור משחא: *quando reviviscent mortui, Mons olivarum findetur, & omnes Israelitæ mortui inde prodibunt: justi quoque, qui in captivitate mortui sunt, exibunt de imis montis olivarum partibus.* ABARBENEL vero *Comm. in Proph. fol.* 43. *col.* 3. Vallem Josaphat assignat. Sed utraque sententia parum ab invicem secedit.

Ad §. IX. pag. cit.

(14) *Viam subterraneam expedire dignetur*] Decantatissimum Judeorum dogma de גלגול המתים *volutatione* subterranea *mortuorum* extra Judæam, ut in Terra Sancta resurgant, domesticis ipsorum testimoniis comprobavit, post BVXTORF. *Synag. Jud. cap. III. p.* 35 *sqq.* & HOTTINGER. *Fascic. Dissertat. I.* §. 22. *p.* 42. laudatus DASSOVIVS *cap. VI.* §. 3. *p.* 187 *sqq.* In his R. MEIER BEN GABBAI *in Asod. Hacc. fol.* 53. ita argutatur: *Fortassis propterea opus habebunt justi, ire per cavernas subterraneas ad Terram Sanctam, ubi foras prorumpent & ascendent, ut aptentur corpora resurgentium ad subsistentiam & æternitatem mediante anima sancta, ad quod non fuissent apti, si prorupissent in terra polluta.* Ne tamen subterranea ista corporum circumrotatio nimium justis afferat dolorem, Deum ipsis cavernas parare fingunt, per quas deveniant ad terram Israelis. Ita in *Tanchuma fol.* 22. *col.* 2: *Dixit ad eum* (R. CHANINAM) R. SIMON: *si hoc ita est,* (quod morientes in terra extranea duplici morte moriantur) *peribunt justi, in terra extranea sepulti. Absit autem; Deus enim Bened. facit ipsis cavernas instar speluncarum profundarum, per quas se volvunt, & veniunt, donec ad terram Israelis pertingant. Posteaquam eo pertigerunt, Deus Bened. indit illis spiritum vitalem, ut subsistant, juxta illud: & educam vos ex sepulcris vestris populum meum, & introducam vos in terram Israelis; & postea: & indam vobis Spiritum meum & vivetis* (Ezech. XXXVII, 13). Sunt, quos fabulæ istius puduit, unde ABARBENEL *in Daniel. fol.* 50. *col.* 1. & R. MENASSEH BEN ISRAEL *lib. II. de Resurrect. cap.* 2. hanc volutationem, quam etiam המחלות dicunt, allegorice intelligendam, cupiunt, cum alias pugnaret cum resurrectione apud Ezechielem descripta, quippe quæ extra Terram Sanctam contigerit: ast serio, & secundum literam ita credere plerosque, testatur cura sepulturæ in Palæstina, & *sæpe mihi,* inquit laudatus BVXTORFIVS, *retulerunt Judæi, opulentiores suæ gentis & pietati addictiores, vel hoc solo nomine in terram Israelis proficisci, ut post mortem corporibus suis quietem concilient.* Ita certe de MAIMONIDE, eum vel in Palæstina fatis concessisse, vel si, quod alii volunt, Cairi in Aegypto diem obiit, cadaver tamen

tamen ejus in Terram Sanctam transportatum, demumque sepulcrum ejus in monte Nebo A. 1655. repertum fuisse memorant: de quibus WOLFIVM consulas in *Biblioth. Hebraea P. I. p.* 836 *sq.* De isto denique volutationis figmento, ἐπίκρισιν & confutationem lege DASSOVII §. 6. *pag.* 198 *sequ.*

Ad §. X. pag. cit.

(15) SALOMO IARCHI *ad Gen. XLVII*, 20.] Integra SALOMONIS verba dabo, sed brevitatis studio, Latine: *Ne quaeso sepelias me in Aegypto: futurum enim est, ut pulvis ejus fiant pediculi. Praeterea illi, qui extra Terram Sanctam moriuntur, non resurgunt in vitam,* אלא בצער גלגול מחלות *nisi per angustiam subterraneae revolutionis. Tandem vereor, ne faciant ex me Aegyptii* ע״ז *idolum.*

Ad §. XI. pag. eand.

(16) *Convivium funebre*] Prima vespera, qui luget, cibo suo non vescitur, sed amici accedunt, cibum suum secum afferentes: idque, quia 1) lugens circa curam mortui occupatus, non cogitat de cibo sibi parando, 2) lugentes inde consolationem capiunt, cum vident, se aliis curae cordique esse, eosque sibi condolere, 3) Deus luctum Ezechieli prohibens cap. XXIV, 17. dixit: *& panem hominum ne comedas.* quae verba quomodo huc trahant, vide apud BVXTORF. *Synag. Jud. cap. XLIX. p.* 708. Sed enim vero IOH. HIERON. SOPRANES *digress. II. de Hebr. funere cap. II. p.* 521 *sq.* ex Jer. XVI, 16. caute distingendum docet inter funebria convivia, quae ab ipsis mortui cognatis instruebantur, & ad quae reliquos propinquos & familiares convocabant; & inter panem lugentium, sive cibum, quem consolatores praeparabant, & in lugentium domum inferebant: atque hunc morem existimat Judaeis proprium, & vix ulla in alia gente usu fuisse receptum. Praeter hunc cibum lugentium, *cap. V, VI, VII. p.* 524 *sqq.* tres observat sepulcrales epulas: *Coenam mortui,* quae ad sepulcrum deferebatur, & ibi relinquebatur, quasi illa mortuorum Manes & Vmbrae vescerentur; quam superstitionem a Gentilibus mutuo petiisse & imitatos quoque Judaeos fuisse, ex Sirac. XXX, 18. colligit: Graecis enim in usu fuisse, testis est LVCIANVS *mox citandus p.* 766. τρέφονται δὲ ἄρα ταῖς παρ' ἡμῖν χοαῖς, καὶ τοῖς καθαγιζομένοις ἐπὶ τῶν τάφων, *aluntur enim* (defunctorum umbrae) *nostris libationibus, inferiisque, quae sepulcris inferuntur* &c.: *Epulum sepulcrale,* quando dapes defunctis saltem libatae, a vivis postmodum absumebantur, quo Tob. IV, 18. refert, & publicam ciborum distributionem in honorem defuncti, ab opulentioribus solum institutam, qualem IOSEPHVS *lib. II. de bello Jud. cap. I.* de Archelao, Herodi patri exequias celebrante, & septem diebus epulas populo prolixe exhibente, memorat: & *Convivium funebre,* quod domi agitabatur post aliquanto, quam defunctus esset sepulturae mandatus, ab ipsis cognatis & amicis mortui, & nonnunquam singulis annis vel mensibus, stata & solenni celebritate, in defuncti memoriam repetebatur; quod 2 Sam. III, 31. innui censet. Hoc Graecis περίδειπνον audiebat, nec nisi exacto triduo a morte propinqui, parabatur. Lubet hic ridentem audire LVCIANVM περὶ πένθους, circa fin. *Tom. I. p.* 774 *sq.* ἐπὶ πᾶσι τούτοις τὸ περίδειπνον, καὶ πάρεισιν οἱ προσήκοντες, καὶ τοὺς γονέας παραμυθοῦντες τοῦ τετελευτηκότος, καὶ πείθουσι γεύσασθαι, ὡς οὐκ ἀηδῶς, μὰ Δί', οὐδ' αὐτοὺς ἀναγκαζομένους, ἀλλ' ἤδη ὑπὸ λιμοῦ τριῶν ἑξῆς ἡμερῶν ἀπηνδηκότας. *Posthac omnia superest Exequialis Coena. Jamque adsunt necessarii, ut defuncti parentes consolentur, suadentque, uti cibum capiant: quanquam illi per Jovem, non illibentes ad id compelluntur, quippe perpetuum jam triduum enecti fame.* Sed vereor, ut tria ista epula, apud Hebraeos aeque ac apud Gentiles, passim in exequiis obtinuisse, SOPRANES evincat. Primum ipse largitur, ex pagana superstitione manasse, nec moris apud Judaeos fuisse universos; medium pariter vel paucorum erat, vel

cum

cum ultimo idem; ultimum frequentius, aſt non omni tempore, nec apud omnes. Ceterum de funeralibus apud Judæos conviviis, conſuli quoque poterit IOH. NICOLAI *de luctu Chriſtianor. cap. XXIII.* §. 2. *p.* 160. Vinum tamen apponere lugentibus ſuadent Judæi, ex effato Salomonis, Prov. XXXI, 6, 7. attamen modum definiunt apud MAIMONID. Hilc. אבל *de luctu cap. XIII.* ultra decem pocula in æde funebri a nemine exhaurienda eſſe, tria ante convivium, tria ſuper menſa, & quatuor finito convivio; ne quis inebrietur. Cavent præterea, ne vitris albis, ſed coloratis potus porrigatur, ne confundantur pauperes, quorum vinum ignobilius eſſe ſolet.

Ad §. XII. pag. 147.

(17) *Seipſos ſecabant*] Recte Auctor noſter feritatem hanc lugentium a Gentilium ritu derivat. Ita enim Græcorum luctum perſtringit LVCIANVS *loco cit. p.* 767: οἰμωγαὶ δὲ ἐπὶ τούτοις, καὶ κωκυτὸς γυναικῶν, καὶ παρὰ πάντων δάκρυα, καὶ ςέρνα τυπτόμενα, καὶ σπαραττομένη κόμη, καὶ φοινισσόμεναι παρειαί· καί πȣ καὶ ἐσθὴς καταῤῥήγνυται, καὶ κόνις ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πάσσεται. *Accedunt ad hæc mulierum ejulatus, omnium certe lacrymæ, pectorum planctus, comæ dilaniatio, genarum cruentatio. Aliis autem & veſtis diſcerpitur, & pulvis capiti inſpergitur* &c. οἱ μὲν γὰρ χαμαὶ κυλινδȣ̃νται πολλάκις, καὶ τὰς κεφαλὰς ἀράττȣσι πρὸς τὸ ἔδαφος. *Nam illi* (lugentes) *humi volutantur ſæpe numero, & capita ſolo allidunt.* Vbi ſtrictim complectitur, quæ Auctor ſigillatim proſequitur. Idem de Romanis prodit SERVIVS *in Aeneid. III:* VARRO *dicit, mulieres in exequiis & luctu ideo ſolitas ora lacerare, ut ſanguine oſtenſo Inferis ſatisfaciant.* Quem tamen morem Athenienſibus ſuis jam olim Solon, & Romanis Decemviri ſevere interdixerunt. In XII Tab. ſcriptum memorat CICERO *de Legib. lib. II. cap.* 23. *Mulieres genas nõ radunto.* AVGVST. & VRSIN. *ad Leg. XII. Tab.* §. 44. Barbarus hic ritus tranſiit quoque ad Hebræos, & gemino in Scriptura vocabulo inſignitur, altero התגודד *incidit ſemet ipſum*, ſævam in ſeipſum fecit ſeu unguibus, ſeu cultellis, aliisve inſtrumentis invaſionem, a גדד *turmatim convenit, depopulatus eſt*, altero שרט *incidere ad ſanguinem usque, lacerare ſcalpello, aperire, ſcarificare.* Vſurpantur autem in interdictis divinis Lev. XIX, 28. XXI, 5. Deut. XIV, 1. His non obſtantibus, mos tamen peregrinus in populo Dei invaluiſſe intelligitur ex Jer. XVI, 6. XLI, 5. XLVII, 5. XLVIII, 37. Ex quibus teſtimoniis concludit GEIERVS *de luctu cap. X.* §. 2. Philiſtæos, Moabitas, Gentilesque ceteros, Iſraeli conterminos, ejusmodi luctus teſtificationibus indulſiſſe, quibus aſſimilari populum ſuum nolebat Dominus: quemadmodum ſacrificuli Baalis 1 Reg. XVIII, 28. eo ipſo, dum ob ſilentium ſui Numinis conſternati, extrema quaſi doloris ſerii indicia prodebant, pariter *incidebant ſe cultellis & lanceolis, usque dum effunderetur ſanguis.* Vnde liquet, adhibita in tali inciſione fuiſſe, præter ungues dentesve proprios, ſæva ejus generis inſtrumenta. Plura qui cupit, adeat IOH. GEORG. MICHAELIS *Obſervat. Sacr.* qui *Exercit. II.* tota *p.* 131 *ſqq. de inciſura propter mortuos* data opera diſſerit.

Ad §. XIII. pag. 147.

(18) *Sibi ipſis calvitiem faciebant*] Circa caput, in luctu uſitatum erat: 1) ut lugentes illud ex affectus vehementia, priore ſuo ornatu aut tegumento orbarent, &, velut diſcindebant veſtes, ſic etiam detraherent pileum; unde Deus Lev. X, 6. ſacerdotibus interdicit, ne capita ſua nudent in luctu, ſuetumque tiararum ornamentum detruderent: 2) ut lugubri alio mox involverent peplo vel tegmine, quod Davidis exemplo conſtat, qui 2 Sam. XIX, 5. filium lugens Abſolomum, לאט *operuit* faciem ſuam, clamavitque voce magna: 3) ut cumprimis calvitium, vel capillorum evulſione, vel capitis tonſione, contraherent. Ita Jobus, poſt nuncios triſtiſſimos, tandem ſurgit, veſtes lacerat, & totondit caput ſuum cap. I, 20. Sic Jeſ. XXII, 12. *& vocabit*

cabit Dominus exercituum in die illo ad fletum & ad planctum, & ad calvitium, & ad cincturam sacci. Confer Jerem. VII, 29. XVI, 6. XLI, 5. Ezech. VII, 18. Am. VIII, 10. & GEIER. *de luctu cap. VIII. §. 6. & cap. XI. §. 4 sqq.* Rationem autem capitis seu demessionem comæ, inter solemnia domus funereæ & officia pietatis erga defunctos, prolixe exponit BOCHARTVS *Hieroz. P. I. Lib. II. cap. XLV. pag.* 481 *sq.* ubi comarum tonsionem in luctu non minus receptam fuisse probat, quam evulsionem, ut nihil obtineant, qui Jobum *loc. cit.* ob subitum πάθος non tonsionem, sed vulsuram adhibuisse existimant cum COCCEIO. Chaldæus sane *forcipe*, DRVSIVS *tonsione* usum fuisse Jobum perhibent, ad calvitiem sibi inducendam. Ex profano Gentilium more, ritibus lugentium addi posset 4) capitis allisio ad parietes & fores, teste SVETONIO *in Aug. cap.* 23. *n.* 4. *Adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses caput interdum foribus illideret:* & SENECA *de ira lib. I. cap. XVI. Quid opus est, se in columnas impingere?* Plura dabunt CASAVBONVS *in* SVETONIVM & CAPITOLINVM, & TVRNEBVS *Adversar. lib. XII. cap. V.* Apud Hebræos autem tale quid obtinuisse, non memini legisse.

Ad §. XIV. pag. eand.

(19) *Ibant nudo capite*] Apud Romanos, superstites filii caput operiebant, filiæ aperiebant, in funus parentis prodeuntes. In ritus causas inquirens PLVTARCHVS *Quæstion. Romanar. XIV. An quod patres*, inquit, *tanquam Deos a maribus suis coli convenit; quos tamen eosdem filias nudas luctu prosequi magis deceat? An ea lugenti accommodata sunt, quæ sunt inusitata? Consueverunt autem magis aperto capite mulieres, atque viri contra operto in publicum prodire. Apud Græcos enim, si quid adversi acciderit, ut mulieres tonderi, sic viri comas alere consueverunt, quod viros tondere, mulieres vero promissiores habere crines moris est.* Contra vero Hebræis, caput nudare in luctu nefas habebatur. Ita MAIMONID. Hilc. אבל *cap. V. §.* 19:
מניין לאבל שאסור בפריעה הראש שהרי
נאמ׳ ליחזקאל לא תעטה על שפם מכלל
ששאר האבלים חייבין בעטיפת הראש:
Vnde est, quod lugenti prohibita capitis nudatio? nimirum, quia Ezechieli dictum (cap. XXIV, 17.) *non operies barbam: prorsus itaque lugentes reliqui tenebantur operire caput. Et quidem sudarium illud, quo operiebant caput suum, operiebat etiam ex parte labium lugentis, juxta id, quod* cit. loc. *dicitur: barbam* seu os ipsum *operies: ubi* ONKELOS *exponit: sicut lugens sese operit.* Contra Auctorem itaque pronunciat MAIMONIDES, & operuisse caput lugentes perhibet: quod Davidis etiam exemplum, tam Absolomi cladem, 2 Sam. XIX, 4. quam miseram suam lugentis sortem cap. XV, 30. & oraculum Jeremiæ cap. XIV, 3, 4. luculenter probat. SOPRANES *digress. I. p.* 358 *sqq.* allatis in utramque sententiam rationibus, eas ita componere gestit, ut velare caput, lugubrem fuisse habitum largiatur, sed non qualicunque modo, verum prorsus insolito, cooperiendo totum undique & obvolvendo, pallio scilicet, vel toga, a cervice super caput adducta, quod in quotidiano usu non fiebat. Quando autem Pontifici Levit. XXI, 10. præcipitur, ne caput suum discooperiat, aut vestimenta scindat in suorum funere, id non evincit, alios nudo capite in luctu incessisse, sed cavet, ne Sacerdos tiaram suam a capite avellat, cum sacra operto facerent capite, multo minus illud capillo decalvet, quia oleo sanctitatis fuerat initiatus Lev. X, 6. Restat itaque, non nudo, sed obvoluto capite, luxisse Hebræos.

Ad §. XV. pag. cit.

(20) *Ibant nudo pede*] Discalceati etiam prodibant in publicum, qui versabantur in luctu; unde David exul incedebat יחף *sine calceis* 2 Sam. XV, 30. atque Achab metu perculsus & pœnitens 1 Reg. XXI, 27. discalceatus incedebat, & ut IOSEPHVS de ipso *lib. VIII. Antiqu. cap.* 7. habet, γυμνὸς τοῖς ποσὶ διῆγεν. MAIMONID.

 Hilc.

Hilc. אבל *cap. V.* §. 6. ita diſputat: *Vnde eſt, quod lugenti prohibita ſandaliorum aſſumtio? eo quod Ezechieli* (ad diſſimulandum luctum) *dictum fuit: calceum tuum appones pedi tuo: unde generatim cuivis* (calceos in luctu) *prohibitos fuiſſe elicitur. Si quis iter faciat, calceos induit ac abit: aſt, cum in urbem ſe recipit, eosdem rurſus deponit.* Conf. huc GEIERVM *de luctu cap. XV.* §. 4, 5. & ANTON. BYNAEVM *de calceis Hebr. lib. II. cap. V.* §. 7, 8.

Ad §. XVI. pag. 147.

(21) *Obvelabant labia*] Redeunt hic, quæ de obvelatione capitis paulo ante *Annotat.* 19. diximus, quibus adde GEIERVM *cap. XI.* §. 5.

Ad §. XVII. pag. cit.

(22) *Diſſuebant veſtes ſuas*] Ad ſubitam magni doloris cauſam, excitati ex occurſu alicujus calamitatis, aut ex injuria Numini facta, violentas veſtibus injiciebant manus, & ſcindebant in partes, laciniis aliquandiu pendulis relictis, ut hoc pacto cor ſuum dolore laceratum teſtificarentur. Obtinebat hæc ſciſſio 1) propter blaſphemias in Deum aut Sacra ſparſas, exemplo Caiphæ Matth. XXVI, 65. 2) propter iniquitates proprias, indigniſſime adverſus Deum admiſſas, ejusdemque minas ac vindictam, 2 Reg. XXII, 11, 19. 1 Reg. XXI, 27. 3) propter iniqua aliorum adverſus nos dicta vel facta, ut cum rex Syriæ ab Iſraelitico curationem lepræ poſtulaſſet, 2 Reg. V, 7. aut cum Athalia, ſe a regno pulſam fremebat cap. XI, 14. 4) propter ingens infortunium, ſive noſtrum, ſive noſtrorum, v. g. cum Jephta filiam ſibi habet obviam ideo brevi immolandam Jud. XI, 13. cum Mardochæus paratam ſibi, ſuæque genti ſtragem intelligit, Eſth. IV, 1. 5) In funere charorum, v. g. Joſephi Gen. XXXVII, 29, 40. filiorum ſimul plurium Job. I, 20. regis, chariſſimique Jonathanis 2 Sam. I, 11. &c. Duplex autem cum obtineret apud antiquos veſtimentum, interius unum, alterum exterius, quorum illud כתונת χιτὼν, *tunica*, hoc מעיל ἱμάτιον, *pallium, toga*, dicebatur, ſciſſionem hanc lugubrem modo pallium experiebatur, modo tunica, modo utrumque. De pallio, ſive veſte exteriore vide Job. I, 20. II, 12. Gen. XXXVII, 34. de tunica 2 Sam. XV, 32. de utraque Eſdr. IX, 4. quo Pontificis Cajaphæ quoque referendum eſt exemplum, qui Matth. XXVI, 64. τὰ ἱμάτια veſtimentum exterius, & Marc. XIV, 63. τὰς χιτῶνας αὐτȣ͂ tunicam interiorem, adeoque utramque veſtium, propter indignationis vehementiam, laceraſſe legitur. Copioſe de hac ſciſſione commentatur GEIERVS *de luctu cap. XXII.* §. 9 *ſqq.* & §. 15. ruptionem hanc manibus peractam, non adhibito cultro, aut forfice fuiſſe factam, demonſtrat, §. 16. autem SOPRANEM notat, qui *digreſſ. I. cap. II.* §. 12. ſciſſuram veſtium, utpote denſarum ſæpius, beneque compactarum, non de diſſectione in partes, ſed de violenta diſſibulatione, diloricatione, aut detractione intelligendam, perperam cenſuerat, cum verbum קרע de hoc actu paſſim uſurpatum, talem non admittat ſenſum. Eundem quoque Romanis & Græcis, in uſu fuiſſe morem, præter SOPRANEM *digreſſ. III. cap. 7. p.* 539. KIRCHMANNVS docet *de Funer. Roman. lib. II. cap. XVII. extremo pag.* 241 *ſequ.*

Ad §. XVIII. pag. cit.

(23) *Lumbos cingebant cilicio, Geneſ. cap. XXXVII, 34.*] Saccus & cilicium plerumque junguntur, & de veſte craſſiore, abjecta, & lugubri accipiuntur. MENOCHIVS *l. VIII. Reip. Hebr. c. 6. Qu.* 4. hæc duo vel idem fuiſſe vel certe inter ſe affinia cenſet, ejusdem quippe materiæ ac rationis. Erat enim ſaccus tunica villoſa, ſive cilicina, ex hircorum ſive caprarum pilis, ſubinde etiam nigris, texta, eaque arcta & talaris, ad pedes usque demiſſa, quæ inſuper balteo ejusdem generis, absque ornatu ullo, cuti arcte adſtringebatur, unde σάκκος τρίχινος, *ſaccus cilicinus* Apoc. VI, 12, & cap. XI, 3. ſimpliciter

σάκκος

σάκκος dicitur. Duo de hoc vestimenti genere observari vult VITRINGA *ad Jes. XX, 2. p. 595. b.* alterum, quod saccus ille lugentium sæpius confectus videatur ex pilis nigris, qui color mœroris est indicium, uti alba vestis lætitiæ, quod ex Apoc. VI, 12. colligit; alterum, quod in gravi luctu saccus ipsi carni *ἀμέσως* fuerit adstrictus, velut 1 Reg. XXI, 27. & 2 Reg. VI, 20. quod tamen in omni casu obtinuisse, affirmare non audet. Præterea Prophetas veste villosa fuisse indutos, exemplo Eliæ probat 2 Reg. I, 8. & Johannis baptistæ Matth. III, 4. perinde ac Apoc. XI, 3. duo testes, tempore corrupti status Ecclesiæ, dicuntur concionaturi esse in saccis. Ritum hunc arcessit ab Elia, Elisa, Prophetisque iis similibus, qui corruptis reipublicæ & Ecclesiæ temporibus, publici erant præcones pœnitentiæ; ad quos proin pertinebat, summam in disciplina morum præ se ferre severitatem & austeritatem, ut publice testatum facerent, se renunciasse sæculo, luxui, libidini, vitiisque carnis, & hoc nomine hominibus sui temporis exemplo essent. Vsos itaque fuisse veste cilicina, non tanquam lugentes, sed ut præcones pœnitentiæ, & interioris ac veræ sanctimoniæ, laudatus existimat VITRINGA. De lugentium autem sacco, post alios, ex instituto agit GEIERVS *de luctu cap. XXII. §. 6 sqq.* eumque aliquando supra togam talarem atque laxam, lumbis adstringi, interdum autem supra carnem, immediate imponi consuevisse observat ex Job. XVI, 15. & citatis supra locis. Qui autem cilicii usus in castris fuerit, & apud nautas, SALMASIVS exponit *Exercit. Plinian. in Solinum p.* 347. Miror, Auctorem hic præteriisse *femoris percussionem*, inter signa luctus relatam Ezech. XXI, 12. in quam erudite commentatur IOH. DOVGTEIVS *Analect. Sacr. Excurs. CLXX. p.* 459.

Ad §. XIX. pag. 147.

(24) *Musici*] *Τὰς αὐλητὰς, tibicines* adhibitos in Jairi Archi-Synagogi ædibus fuisse, ad funus filiolæ, testatur Matthæus cap. IX, 23. SCHICKARDVS tamen in *Jure Regio cap. VI theor.* 19. *p.* 418. ritu Hebræo id factum negat sed Romano. Apud veteres enim Hebræos nullum eorum vestigium, licet curiose inquisiverit, deprehendere se potuisse testatur. Consentientes eidem viros doctos complures in scenam producit GEIERVS, in eandem & ipse sententiam incedens *cap. V. §.* 16. Secus ac HVGO GROTIVS *in Matth. cit. loc.* statuit, qui a Judæis hoc Musicæ genus ad gentes manasse opinatur. Accedit tamen SCHICKARDO, HENR. HAMMONDVS *ad h. l.* & instrumenta Musica in luctu numerari inter *ἄκαιρα*, ex Eccles. XXII, 6. monet. Cantum lamentationis obtinuisse largitur ex Jer. IX, 17. Amos VI, 15. Jer. XXXIV, 5. XXII, 18. sed assa voce, non junctis instrumentis. Distinguit ergo tempora, & Christi ætate hunc morem a Romanis, qui rerum potiebantur, ad Judæos transiisse, docet ex IOSEPHO *lib. III. B. Jud. cap.* 15. ubi de expugnatione Joppes exemplum profert. Hac adhibita restrictione, intelligendum existimo EVERH. FEITHIVM, quando *Antiqu. Homer. lib. I. cap.* 13. *§.* 4. *magnus utique tibiæ in funere usus*, inquit, *non apud Græcos & Romanos solum, sed & apud Hebræos: uti constat ex Matth. IX,* 23. Apud Romanos autem *Siticines* appellabantur, qui apud *sitos* canere soliti erant, hoc est vita functos & sepultos: illosque habuisse proprium genus tubæ, a ceterorum differens, testis est GELLIVS *lib. XX. cap.* 2. Erudite in hos commentatur KIRCHMANNVS *de Funer. Rom. lib. II. cap. IV. & V.* tubisque ac tibiis cecinisse eos evincens, *p.* 143. probe observat, discrimen istud, GELLIO notatum, in eo constitisse, quod sicut tibias, ita quoque tubas, ceteris longiores ac latiores adhibuerint, quo gravior, nempe lugubris, emitteretur sonus, quales in antiquorum sepulcris exsculptæ videntur.

Ad §. XIX. pag. 148.

(25) *Fœminæ, eodem fine conductæ*] Erant hæ המקוננות *lamentatrices*, Jer. IX, 17. laudatæ,

 de

de quibus MAIMONID. Hilc. אבל *cap. XII.* §. 1. ההספד כבוד המת הוא· לפיכך כופין את היורשין ליתן שכר מקוננים והמקוננות וסופרין אותו· ואם צוה שלא יספדוהו אין סופרין אותו: *Planctus vergit in honorem defuncti, ideo tenentur hæredes mercedem solvere planctoribus & planctricibus, ut eum plangant. Sin autem præceperit* (defunctus) *ne plangant eum, id intermittunt.* Duo hinc discimus: 1) quod utriusque sexus hominibus hoc demandatum fuerit officium, æque ut Amos V, 16. memorantur יודעי נהי *periti lamenti:* 2) quod, ubi testamento caverit mortuus, ne hoc fieret, pariter omitti potuerit. Opponitur enim *ibid.* apud MAIMONID. sepulturæ, quæ, licet prohibita esset a defuncto, juris tamen divini sit, ut illa defungi necessario incumbat. Quod vide quomodo conciliaveris cum sententia R. IEHVDAE, qui in *Cetubboth fol. 46. col.* 1. scifcit, lamentatricum ad minimum unam adhibendam funeri fuisse uxoris, a pauperrimo etiam inter Judæos. 2 Chron. XXXV, 25. dicuntur השרים והשרות *cantores & cantatrices*, lessum super Josiæ morte concinentes. Observat GEIERVS *cap. V.* §. 19. Præficas istas fuisse חכמות *sapientes*, vel solerter instructas ad nænias scite decantandas: quin & ex Jer. IX, 20. conjicit, formulam lessus forte fuisse: *ascendit mors per fenestras nostras* &c. cui addi posset ex Thren. V, 15 sqq. *cessavit gaudium cordis nostri* &c. *cecidit corona capitis nostri* &c. Etsi certo persuasum habeo, non idem apud omnes obtinuisse carmen, sed pro persona, dignitatis, ac meritorum ratione, suas cuique laudes proprias fuisse. Ita Romanis *Præficæ* dicebantur, mulieres, quæ pretio conductæ ad tibias funebres canebant lamentabile, & inconditum carmen, ad deplorandum & collaudandum mortuum, apprime accommodatum: de quibus cum innumeri præceperint, tum inprimis vide KIRCHMANNVM *de Fun. Rom. lib. II. cap. VI.* MOREST. *Pomp. Feral. lib. II. c.* 29. & GYRALDVM *de Var. Sepel. Rit. cap. XII.*

AD

LIB. VI. CAPVT VI.

DE IVREIVRANDO.

Ad §. I. pag. 148.

Sæpe fiebat elevatione manuum versus cælum] Nimirum, cum Deum jurisjurandi testem advocarent prisci mortales, eum, veluti manu ad cælum, ejus sedem porrecta, digito ostendebant. Sic jurato Deum in partes vocans Abraham Gen. XIV, 22. ait: *Levo manum meam ad Dominum, Deum excelsum, possessorem cæli & terræ* &c. ubi recte R. SALOMO glossatur: לשון שבועה מרים אני את ידי לאל עליון: *Formula juramenti est: attollo manum meam ad Deum excelsum.* Hinc in parœmiam abiit, ut *manum efferre*, vel, *manum levare ad Dominum*, idem sit, ac jurare. Sic enim qui levabat manum, indicabat, Deum se præsentem agnoscere, & veritatis testem, ac perjurii vindicem arcessere. Confer MART. DEL RIO *Adagial. Sacr. Tom. I. Adag. XVI. p.* 20. & WILHELM. MOMMAE *Oeconom. temp. Tom. I. Lib. II. cap. VI.* §. 30. *p.* 127. Hinc Deus ipse juramenti verba ab hoc ritu mutuatur, Deut. XXXII, 40. Ezech. XX, 5, 6. Apoc. X, 5. Vnde liquet, & vetustissimum hunc jurandi ritum fuisse, & sanctissimum, quem Deus ipse usurpare dignatus sit, & in N. quoque Test. non abrogatum. Præterea, manus elevatio, & preces significat Psal. CXLI, 2. 1 Tim. II, 8. & petitionem attentionis Jes. XLIX, 22. Vtrumque locum hic habet. Elata ad cælum manu jurans, tam Deum invocat testem, quam attentionem

tionem ejus petit, ut teſtis. Apud Gentiles idem jurantium ritus. Hoc videas in numo inſigni Imperatoris Diocletiani, quem exhibet EZECH. SPANHEMIVS *ad* IVLIANI *Orat. I. p.* 60. in quo conſpiciuntur ille Imperator, & ejus Collega Maximianus, ſiniſtra pariter orbem terrarum tenentes, at dextra, ejusque prioribus digitis elatis, concordiam ſibi invicem jurantes. Ita VIRGIL. *Aeneid. lib. XII.* 195 *ſqq. Sic prior Aeneas: ſequitur ſic deinde Latinus, Suſpiciens cælum, tenditque ad ſidera dextram: Hæc eadem, Aenea, terram, mare, ſidera juro* &c.

Ad §. II. pag. 148.

(2) *Jurans ponebat manum ſuam ſubter femore alterius*] IOSEPHVS hic a Moſe diſcedit, qui ſervum ſolum manum ſuam heri femori ſuppoſuiſſe teſtatur: aſt ille *lib. I. Antiqu. cap. XVI.* §. 1. obſtrictionem fidei ſervi ita deſcribit: *γίνονται δ᾽ ἅυται τȣ̃τον τὸν τρόπον· ὑπὸ τȣ̀ς μηρȣ̀ς ἀλλήλȣς τὰς χεῖρας ἐπαγαγόντες, ἔπειτα ἐπικαλȣ̃νται τὸν Θεὸν μάρτυρα τῶν ἐσομένων· illa vero hoc modo obligata erat: manus invicem femoribus ſuppoſuerunt, dein futurorum teſtem Deum invocarunt:* quod ſymbolicæ ritus hujus ſignificationi refragatur. De ratione ritus divortium deprehendimus ſententiarum. Maxima Hebræorum pars ad reverentiam Sacramenti circumciſionis refert, quod ſigillum erat fœderis Divini, cum Abrahamo pacti. Ita R. ELIESER *in Pirke cap. XXXIX. ab initio,* inquit, *priſci illi jurabant in fœdus circumciſionis, ante legem latam.* Et explicatius R. SALOMO *ad h. l.* לפי שהנשבע צריך ליטול בידו חפץ של מצוה כגון ספר תורה או תפלין והמילה היתה מצוה ראשונה לו ובאה לו על ידי צער והיתה חביבה עליו ונטלה *Quoniam is, qui juramentum præſtat, opus habet, ut manu ſua accipiat rem pretioſam præcepti, v. g. librum legis, aut precum. Circumciſio autem fuit ei primum præceptum, eaque per afflictionem* (dolorem) *ei evenerat, ac* (propterea) *ipſe illam dilexit, eamque ſuſcepit.* Illuſtrat quippe ex ritu hodierno, quo jurans apprehendere tenetur librum legis, aut ſacrum alium, in quo nomina Divina ſunt ſcripta, eaque apprehenſio vocatur נקירת חפץ: ita ſervum regionem heri pretioſiſſimam, circumciſione conſecratam, manu ſuppoſita, tetigiſſe. Hunc in finem *in Baal Hatthurim* Kabbaliſtica allegatur ratio, quia נא ירך per Gematriam idem valet ac מילה *circumciſio.* Vero tamen vix videtur ſimile, poſteros circumciſionem ſancte obſervantes, hoc Abrahami patris inſtitutum miſſum eſſe facturos, ſi tale quid ex mente Patriarchæ ſignificaſſet. Hinc alia incedentes via priſci Eccleſiæ Doctores, in ea fuerunt ſententia, ritu illo innui *magnam prophetiam, quod ſcilicet* Chriſtus, *Dominus cæli & terræ, in ea carne venturus eſſet, quæ de illo femore propagata eſt,* ut loquitur AVGVSTINVS *lib. XVI. de C. D. cap. XXXIII.* Hebræi quippe, ſicut per uterum & lumbos, ita etiam per femur ſignificant generationem. Itaque *apponere manum ad femur,* idem eſſe putant, ac jurare per Meſſiam, qui ex illo femore naſciturus erat. Ita HIERONYMVS, AMBROSIVS, AVGVSTINVS, PROSPER, THEODORETVS, alii: ex noſtris POLYCARP. LYSERVS *in Joſepho, ad Geneſ. XLVII, 29. p.* 447. Verum ne ſic quidem pii Iſraelitæ intercidere paſſi fuiſſent ſymbolum & velut Sacramentum, quod ſolennem complecteretur de Meſſia profeſſionem. Itaque recentiores alii certius arbitrantur, ritum illum teſtificationem fuiſſe obſequii, & devotionis jurantium inferiorum, erga ſuperiores. Herus enim poſtulabat hoc a ſervo, & cap. XLVII, 29. pater a filio, ut uſitatum quiddam & more receptum, quod explicatione nulla indigeret. Ita confidenter exponit ex Judæis ABEN ESRA: *Perinde eſſe, ac ſi diceret Dominus: ſi tu ſub poteſtate mea es, adeoque paratus ad juſſa mea capeſſenda, pone manum tuam ſub femore meo: quo dicto Dominus ſedere ſolebat, poſito femore ſuper jurantis manum. Qui autem jurabat, ſic dicebat: ecce, manus mea ſub femore tuo: fateor, me tibi eſſe obſtrictum, ad faciendum voluntatem tuam.* Eamque conſuetudinem adhuc in India obtinere contendit. In hac ſententia RIVETVS acquieſcit *Exercit. CXI. in h. l.*

& plures allegat, eidem qui adstipulantur. Idem tenet HEIDEGGERVS *Hist. Patriarch. Tom. II. Exerc. III.* §. 60. indeque elicit, *fuisse hunc morem receptum tum temporis inferiorum jurantium erga superiores.* Hoc satis elucet, humilitatis & subjectionis indicem potius hunc ritum fuisse, quam mysterii symbolum. Conjungi tamen has rationes omnes posse, censet CALOVIVS *in Bibl. Illustr. h. l.* Quod denique, vir cetera doctissimus, IACOB. PERIZONIVS, *in Epistola, præmissa* DITHMARI *in* MAIMONIDEM *de Jurejurando Commentario*, haud procul a fine, hariolatur; quia ea fuerit apud Hebræos femoris significatio, ut totam familiam, cognationem, atque omnes consanguineos symbolice notaret, hinc illos, qui in promittendo & jurando alterius femur contingebant, declarare voluisse & promittere fidem & necessitudinem, quæ inter consanguineos, seu inter fratres & cognatos, qui ex eodem exierunt femore, naturaliter esse solet & debet: id mihi longe petitum, & ab exemplis Scripturæ videtur esse alienum. Hanc sane necessitudinum fidem jurato promittentes Jacob & Laban cap. XXXI, 44 sqq. 54. ritum tamen, hoc tempore vel maxime vigentem, non adhibuisse leguntur.

Ad §. III. pag. 148.

(3) *Jurabant, stando coram altari 1 Reg. VIII, 31.*] Vt major jurisjurandi religio incesseret homines, in Templo & ad Aram interdum illud præstabatur. Ibi enim locorum, ubi destinatior Deo cultus & sacra agebantur, Deum vel maxime præsentem, testemque adesse credebant. De Hebræis fidem facit Auctor ex 1 Reg. VIII, 31. Sed nodo non caret ille locus. Primo VATABLVS observat, in verbis: ובא אלה לפני מזבחך בבית הזה subintelligendum esse nomen איש h. s. *& venerit vir juramenti ante altare tuum in hanc domum*, ut intelligatur is, cui sive a Judice, sive ab Actore, delatum sit juramentum: cum alias Fœmin. אלה cum verbo Mascul. בא construi nequeat. Deinde nondum satis hinc liquet, juramentum coram Altari præstitum fuisse. Rabbini, quos inspexi, ABARBENEL, R. SALOMO, alii, altum silent. Ex Christianis sunt, qui affirmant. Ita SEB. SCHMID. *ad h. l. Videtur omnino, vi hujus phraseos dicendum, quod licet ex aliis urbibus juraturi, juramentum præstare Hierosolymis coram Altari non coacti sint: id tamen Hierosolymis, ubi prope erat Templum, factum fuerit; aut saltem peti potuerit a deferente, ut in Templo coram Altari Domini juraretur. Forte etiam, quando extra Templum juramenta præstita fuerunt, nihilominus, sicut orans, sic jurans, versus Templum se vertit: ut hac ratione manifestum esset, ipsum Deum, templum inhabitantem, jurare* &c. Velut autem, quod secundo loco conjicit celeberrimus interpres, non est לפני מזבח *coram altari*, æque ut Daniel cap. VI, 10. facie Hierosolymas & ad Templum conversa preces fundens, non tamen eapropter coram altari precatus fuisse dici potest: ita prius lubrica nititur conjectura, nec præter Auctoris *Videtur*, alio gaudet fundamento. Pari fiducia affirmat FRANCISC. BVRMANNVS *h. l.* interdum Israelitas in Templo, coram Altari, solemni ritu jurasse perhibens; non quidem proxime Altari adstantes, sed in Atrio Israelitarum, e regione Altaris constitutos. Verum absque teste idoneo, absque auctoritate ulla, hoc ex ingenio asserit, & perperam ad Athenienses, Pœnos, ac Romanos remittit, ex quorum moribus ritum, in populo Dei religiosum, nemo solide probaverit. Hinc frustra quoque est HVG. GROTIVS, quando Textui subjicit: *tacto altari jurare, mos omnium prope gentium:* addo enim, *excepta Judaica*, in qua, præter Sacerdotes, tangere altare ceteris nefas erat. In tanta itaque rei incertitudine, IVNIVS & TREMELLIVS jurandi ritum ex his verbis exsculpere non audent, satis habentes ea figurate exposuisse, h. m. *Synecdochice, quasi dicat: in caussis omnibus dubiis, quæ hominis inquisitione pervestigari non possunt, ut ea sunt, in quibus lex ad jurisjurandi religionem remittit Exod. XXII, 8. & 11. Num. V, 15. & alibi, tu, qui omnia nosti, justum judicem te declara.* Pariter LVC. OSIANDER ita παραφράζει· *Si quis injuria*

injuria affecerit proximum, & tamen juramento id negarit, nec poterit testibus convinci, ideoque, qui damnum accepit, supplicabundus coram altari tuo querelas effuderit, tuamque opem imploraverit &c. *tum exaudi.* Rectissime omnium: nec enim de jurejurando, coram altari recitato, sed de viro juramenti, sive expiationis, sive divinæ vindictæ causa, ad altare accedente, sermo est. Rem tamen denuo, velut exploratam, magna cum παῤῥησίᾳ tradit THOMAS HYDE *in Hist. Religion. Veter. Persarum cap. I. p.* 12. *Si quis solemni juramento adigendus erat,* inquiens, nempe apud Persas, *id fiebat coram igne in eorum ara ardente, uti Judæi idem faciebant, sistendo solemniter jurantes coram Altari Hierosolymitano, cum igne ardente super eo.* Quorum prius velut haud gravatim admittimus, & huc spectare largimur, ita posterius vehementer cuperemus, ut evictum dedisset. De Ethnicis dubium nullum relinquunt testimonia, non a GROTIO solum, sed aliis quoque viris doctis allata. Luculentum in his, illud est ex PLAVTI *Rudente, Act. V. Scen. II.* 46 *sq.* GR. *Tange aram hanc Veneris.* LA. *Tango.* GR. *Per Venerem hanc jurandum est tibi.* LA. *Quid jurem?* GR. *Quod jubebo:* ubi confer, quæ notavit TAVBMANNVS. Sic Hannibal se, patris voluntate & jussu, ad aram adductum, eamque tenentem jurasse affirmat, nunquam se in amicitia cum Romanis fore: apud NEPOTEM *in Hannib. cap. II.* Pariter apud Christianos *tacto altari* jusjurandum præstitum fuisse, auctor est CHRYSOSTOMVS *Homil. IX. in Act. Apost.* haud procul a fine, ubi in jurandi temeritatem invehens, σὺ ὁ μεμυημένος, inquit, τῆς ἱερᾶς ἅψασθαι τραπέζης τολμᾷς, ἧς ἐδὲ πᾶσιν ἱερεῦσιν ἅψασθαι θέμις, καὶ ὅτως ὀμνύναι; *tu, qui initiatus es, audes sacram mensam tangere, quam nec omnibus Sacerdotibus tangere licet, & sic jurare?* Nobis nunc sufficiat, illustre subjicere perfidiæ Papalis documentum, quando Paschalis Papa ad altare stans, Imperatori Henrico fidem gravissimo ac solemni adstrinxit juramento, execrationibus atrocissimis, si fidem falleret, pessima sibi quæque imprecatus. Testis est BARONIVS *Annal. ad A. C.* III. *num.* 26. tenentem consecratam hostiam, eamque dividentem, ac altera ejus parte sumta, alteram Imperatori tradentem, hanc recitasse formulam, Pontificem: *Sicuti pars hæc vivifici corporis divisa est, ita divisus sit a regno Christi Domini nostri, qui pactum hoc violare tentaverit.* Attamen Papa, libertate recuperata, jusjurandum istud in Concilio Lateranensi An. 1116. publice rescidit, extortum fuisse causatus. Confer ex ipsis Pontificiis, FRANCISCI PAGI *Breviar. Pontif. Roman. Tom. II. Sæc. XII. p.* 554 *sqq.* & FLEVRY *Hist. Ecclesiast. Tom. XIV. p.* 130 *sqq.*

Ad §. IV. pag. 149.

(4) *Jurans dicitur confiteri Deum*] In hunc certe sensum Judæi præceptum, de non jurando in vanum, exponunt apud HOTTINGERVM *Juris Hebr. Leg.* 32. *p.* 43. Ratio hujus præcepti est, ut sciant homines, cordibusque suis imprimant, & fidem in cordibus suis corroborent, כי האל ב״ה אשר בשמים ממעל חי וקיים לעד אין קיום כקיומו *quod subsistentiæ Dei benedicti, qui in cælis superne vivit, & quem testem adornat, subsistentia nulla sit similis.*

Ibidem.

(5) *Objectum legitimi juramenti erat solus Deus*] Ita recentiores Judæi sanciunt. MAIMONID. Hilc. שבועות *cap. XI. §.* 1. מצות עשה שישבע מי שנתחייב שבועת בבית דין בשם *Præceptum affirmativum est, ut cuicunque præstandum fuerit in foro juramentum, is juret per nomen Dei. Nam jusjurandum in nomine Magni & Sancti, est species cultus divini, & honor atque sanctificatio magna est, jurare in nomine ejus.* Vnde nec nomini Dei, aliam rem quamcunque, ad latus jungi patiuntur a jurantibus: אסור להשבע בדבר אחר עם שמו *nefas est, jurare per rem aliam, una cum nomine Dei. Scilicet, quisquis associaverit aliquam rem aliam in jurejurando, cum nomine Sanctissimi illius & Benedicti, exstinguatur e mundo. Neque enim Nomen, præter solum illud bene-*

benedictum, habetur, quod dignum sit, cui communicetur gloria, per illud jurandi, ut præcipit MOSES KOTZENSIS *Præcept. affirm.* 123. Eandem tamen, quæ nominis proprii est, religionem & reverentiam esse tradunt cognominum Divinorum, v. g. per nomen ejus, qui est gratiosus, qui misericors est, qui longanimis &c. ut MAIMONIDES *cit. Cap.* docet. Vbi tamen, quid Gemaristæ ad Cod. שבועות *fol.* 35. *col.* 1. *fin.* de valore & pondere juramenti per cognomina ista, tricentur, videre poteris apud GEORG. ELIES. EDZARDVM *ad Cap. II. Avoda Sara Annot.* 56. *p.* 287 *sq.* Ceterum non possunt per alium jurare Judæi, præter solum Deum, si genuinam de juramento sententiam tueantur, quam ex R. ABRAHAMI mente, ita edisserit R. BECHAI *Comment. in Pentat. fol.* 90. *col.* 2. העובר על השבועה כאלו מכחיש וכופר בשם יתברך כי כוונת השבועה כאשר השם אמת כן יהיה דברי אמת ואם לא קיים דברו הרי זה כמכחיש את השם יתברך: *Quisquis pejerat, is quasi Deum mendacem facit, eumque inficiatur. Quippe jurisjurandi ea significatio est, (quod jurans profitetur;) quemadmodum Deus ipsa est veritas, sic & verba mea vera sunt. Quodsi igitur verba non impleat, ecce, Deum quodammodo efficit mendacem.*

Ad §. IV. pag. 149.

(6) *Vox Hebr.* נשבע *passiva est*] Hoc & RIVETVS monuit *Comment. in Exod. XX,* 7. *T. I. Opp. fol.* 1279. Verbum in Niphal *potius* jurejurando adstringi *significat, quam* jurare: *quia nemo jurare debeat, nisi ad id impulsus legitime.* A septenario autem numero jusjurandum Hebræis appellatur, quia septem utplurimum testes adhibebantur antiquitus, ad confirmationem juramenti, exemplo Abrahami, qui jurejurando suam Abimelecho regi fidem adstringens, septem agnas statuit, ad solemne rei documentum Gen. XXI, 30. Quem etiam morem imitatos fuisse Arabes, qui fœdera pacturi, septem lapides in medio positos, sanguine inungebant, testis est HERODOTVS *Lib. III. ab init.* Hinc pariter in Jure Canonico lege cautum est, ut purgatio, quæ Canonica dicitur, septem testium auxilio perageretur, *Can. XII. XIII. Cap. II. quæst. V.* Hinc PETRVS BVNGVS *in Numeror. Myster. num. VII. p.* 311 *sqq. Vocatur & numerus juramenti,* inquit. *Hinc apud Hebræos jurare dicitur septenare, quasi per septem obtestari.*

Ad §. V. pag. cit.

(7) *Jurare per creaturas*] Quam profane ac temerarie Gentiles, v. g. Socrates *per hircum, canem, anserem,* Demosthenes *per terram, per fontes, per fluvios, per latices,* Scythæ *per ventrem & acinacem, per Spatham,* Aegyptii *per cæpe & allia,* Gentes pene omnes *per caput,* Romani cumprimis *per caput & salutem Imperatoris,* æque ac Aegyptii *per caput Regis,* Persæ *νὴ τὸν Μίθραν, per Solem,* alii aliter jurare soliti sint, copiose docuit IOHANN. FILESACVS *Selector. libr. II.* qui *jurisjurandi religionem* complectitur, *cap. II. p.* 77. cui adde IOH. BAPTIST. HANSENIVM *lib. de jurejurando Veterum cap. XX. XXVII. XXVIII.* Non minus profane MVHAMMED, jurando per cælum *Surat. XCI.* 5. per solem & lunam *ibid. c.* 1. 2. per stellam *Surat. LIII.* 1. & *LVI.* 77. per alias res inanimatas *Surat. LII.* 1 *sq.* modum suis præivit. Quin immo, Deum inducit jurantem, per ventos, per nubes aquosas, naves, Angelos, per montem Sina, librum Corani, domum exaltissimam, per auroram, per noctes decem, per feminas extrahentes & excavantes profundum, per calamum, ficum, olivam, & plura ejusmodi. *Surat. LXI. LXVI. LXXVIII. XCV. XCVI.* immo per Dæmonem, *Surat. LXXXVII.*

Ibidem.

(8) *Judæi præprimis jurabant*] Hanc per creaturas jurandi temeritatem, in Judæis atro carbone jam notarunt, LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. V,* 33. SELDENVS *lib. II. de Synedr. cap.*

cap. XI. §. 7. & GEORG. ELIEZ. EDZARDUS *in cap. II. Avoda Sara*, *Annot.* 56. *p.* 286. quos evolvat, quem talia juvant. Nobis hic liceat geminum obſervare momentum. א. quod iſta per cælum, per terram, per templum &c. jurandi conſuetudo, ex locis Scripturæ male intellectis, ortum forte traxerit, v. g. Amoſ. VI, 8. *Juravit Dominus Deus per animam ſuam, inquit Jehova Deus Zebaoth*, & cap. VIII, 7. *Juravit Jehova per excellentiam Jacob:* quod R. DAV. KIMCHI primo quidem recte exponit, idem valere ac ſi dixiſſet: *per meipſum juravi, quia Deus ſit excellentia Jacobi;* mox tamen addit, poſſe etiam deſignare juramentum Dei בבית המקדש *per templum*, quod proprie ſit excellentia Jacobi; unde poſthæc manavit formula jurandi המעון הזה *per habitaculum hoc*, i. e. per templum, quod etiam efferebatur היכלא *per templum*, ut legitur *in Juchaſin fol.* 56. *col.* 1. & in init. Cod. *Cerithuth Rabban* SIMEON BEN GAMALIEL teſtatur, זה מנהג בישראל *ſic mos fuit in Iſraele.* Ita, quia Joſephus Geneſ. XLII, 15, 16. *per vitam Pharaonis* juraſſe legitur, conſuetudo invaluit poſthæc, quam R. BECHAI *loco ſupra citato* ediſſerit: *Apud Aegyptios in hunc usque diem ea conſuetudo eſt, ut ſi quis* בחיי המלך per vitam Regis *juret, nec jusjurandum ſervet, pejerans ultimo ſupplicio afficiatur, nec vitam redimere poſſit, ſi maxime tantum, quantum ipſe æquat, auri pondus offerat, quippe quod Regem propalam contemſiſſe judicatur:* quæ, iisdem fere verbis, R. ABEN ESRA quoque perhibet. Erat quippe hoc ſummum, ac inviolabile Sacramentum. Ita quoque Vrias Davidi jurat, חיך וחי נפשך *per vitam tuam, & per vitam animæ tuæ*, 2 Sam. XI, 11. paulo auctius ITHAI GITTHAEUS: חי יהוה וחי אדני המלך *per vitam Dei, & per vitam Domini mei Regis*, cap. XV, 21. Similem juramenti formulam exſculpit R. DAV. KIMCHI ex Jeſ. VIII, 20. לתורה ולתעודה *ad legem & ad teſtimonium*, ubi ille: שבועה *jusjurandum hoc eſt*, כארם האומר בתורה יהיה כך וכך *cum homo dicit, per legem erit iſtud ſic vel ſic.* Hinc forte ortum, ut jurantes Judæi libro legis manum imponant, idque ſolum pretii eſſe ſtatuant jusjurandum, cetera vilipendant. ב. quod monemus, eſt, quod ejusmodi per creaturas juramenta, neminem obligare cenſeant Judæi recentiores. Diſerte MAIMONIDES Hilc. שבועות *cap. XII. Si quis juret per cælum & per terram, perque ſolem & ſimilia, quamvis non intendat jurare, niſi per illum, qui creavit iſta, tamen non eſt juramentum. Et ſic etiam, ſi quis juret per prophetam quendam e numero prophetarum, aut per librum quendam hagiographum codicis ſacri, etſi non intendat jurare, niſi per illum, qui miſit prophetam iſtum, aut per eum, qui præcepit, ut liber iſte codicis ſacri ſcriberetur, tamen non eſt verum juramentum.* His gemella habet MOSES KOTZENSIS *in Lib. Præceptor. magno, Præc. negativo* 241. *fol.* 70. *col.* 3.

Ad §. VI. pag. 149.

(9) *Si autem per donum ſuper eo, tenebatur*] Perſpicue hæc exponit LIGHTFOOT. *in Horis ad h. l.* quaſi pro nihilo fuiſſe apud Judæos, jurare המעון הזה *per Templum*, & המזבח *per Altare*, unde ſe obſtrictos non ſunt opinati; at vero, ſi קרבן *Korban* jurarent, vinculo indiſſolubili ſe mancipatos cenſuiſſe: e. gr. ſi quis ſic juraret: *per templum*, aut *per altare*, aurum, pecora, bona mea, tibi non proderunt, licuit tamen juranti, ſi vellet, per hæc ei prodeſſe; at, ſi ſic juraret: *Korban templo aurum meum*, *Korban altari pecora mea*, hoc nullo modo fuiſſe violandum.

Ad §. VII. pag. cit.

(10) *Juramento Korban*] Conferri denuo meretur LIGHTFOOT. *ad Matth. XV*, 5. ubi vocem קרבן rem ſacratam, atque uſui ſacro dicatam exponit, ut ita Κορβᾶν ac Δῶρον ipſum, idem faciant; nec hoc ſibi velit, rem iſtam in uſus ſacros dicatam eſſe, nec etiam, ſeſe obligare ita jurantem, ad eam ſacrandam, ſed ab iſta re ſolum obligando cohibere, cui negandæ tali formula eſt uſus: v. g. ſi a filio alimoniam poſceret egenus pater, reſpondet filius iracundus & cum

contemtu: ficut res facrata fit, quodcunque e meis bonis tibi prodeffe queat. Res autem facratæ non erant in ufus communes & profanos erogandæ. His itaque verbis, licet irreverenter prolatis, obligatum tamen cenfebant Judæi filium, ut patri indigenti nequaquam licuerit fuccurrere. Ad dicanda fua in facros ufus per hæc verba nullatenus tenebatur; ad non juvandum patrem autem tenebatur inviolabiliter. Senfu haud multum diverfo POCOCKIUS *Not. Mifcell. ad portam Mofis p.* 414. Korban in hac loquendi forma idem vult valere ac אסור *vetitum prorfus*, ut perinde fit, ac fi diceret אסור מקרבן *non minus vetitum quam Korban* attingere. Cafum ita format: Pater ad inopiam lapfus, filii opem expofcit. Refpondet filius, voto fe impediri, quo minus hoc præftet. Provocat pater ad mandatum Dei, promiffis & minis undique munitum, quo fibi in filii bona id juris conceffum, quo a nemine mortalium fpoliari debeat. Opponit filius traditionem Sapientum, qua ipfi votum fuum, vel hujus, vel alius cujusvis mandati neglectu ac contemtu, præftandum docent, ideoque fedulo cavere jubent, ne ad patrem aliquid ex bonis fuis commodi perveniat. Hoc eft, quod ipfis improperat Chriftus: *καὶ ὐκ ἀφίετε αὐτὸν ὐδὲν ποιῆσαι τῷ πατρὶ αὐτῦ ἢ τῇ μητρὶ αὐτῦ, ἀκυρῦντες τὸν λόγον τῦ Θεῦ τῇ παραδόσει ὑμῶν, ᾗ παρεδώκατε.* Denique funt, qui Korban juramentum effe cenfeant, cum Auctore noftro, & BENED. ARIA MONTANO *in h.l. Nov. Teft.* Plura qui cupit, adeat SELDENI *de Jure N. & G. lib. VII. cap. II.* & WILH. MOMMAE *Oecon. Tempor. Tom. II. lib. III. cap. V.* §. 139 *fqq.* Nobis quid videatur, diftincte proponemus. א. Vi vocis קברן a קבר *appropinquavit, acceffit,* fignificat *munus,* quod appropinquantes Deo offerimus, five cruentum fit, ut victima, five incruentum, ut *δῶρον,* ex voto Deo oblatum. Triplicem autem notionem obtinet, & partim omne illud notat, quod Deo dicatum & confecratum eft; unde omnino Naziræi *Κορβᾶν αὐτὺς ὀνομάσαντες τῷ Θεῷ· δῶρον δὲ τῦτο σημαίνει κατὰ ἑλλήνων γλῶτταν*, *feipfos Korban nominaverunt, Deo: fignificat autem hoc vocabulum Donum in lingua Græca*, interprete IOSEPHO *lib. IV. Antiqu. cap. IV.* partim thefaurum, ex donis collectum, ut Luc. XXI, 4. *ἅπαντες γὰρ ὗτοι ἐκ τῦ περισσεύοντος αὐτοῖς ἔβαλον εἰς τὰ δῶρα τῦ Θεῦ*, *in thefaurum Dei:* partim ærarium eleemofynarum, *γαζοφυλάκιον* nuncupatum, ut Matth. XXVII, 6. fummi Sacerdotes inquiunt: *ὐκ ἔξεςι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν, ἐπεὶ τιμὴ αἵματός ἐςι.* Sic pariter vocem exponit IOSEPHUS *libro II. de Bell. Jud. cap. IX.* §. 3. *μετὰ δὲ ταῦτα ταραχὴν ἑτέραν ἐκίνει (ὁ Πιλάτος) τὸν ἱερὸν Θησαυρὸν, καλεῖται δὲ Κορβανᾶς, εἰς καταγωγὴν ὑδάτων ἐξαναλίσκων. Pofthæc autem alium tumultum excitavit (Pilatus) facrum thefaurum, isque Korbanas appellabatur, in conftructionem aquæ ductus impendens.* Nifi inter *κορβᾶν* & *κορβανᾶν* diftinguere velis, cujus tamen utriusque vocis eadem vis eft. Erat quoque in Templo לשכת קרבן *Conclave Korban,* quod in eo effent agni, facrificio jugi deftinati, & aliud adhuc לשכת קרבני ברק הבית *Conclave τῶν Korban, confecratorum inftaurationi templi.* Sed ut ad rem ipfam redeamus, ב. Korban num ad juramenta referendum fit, an ad votum? ambiguum videri poteft. Auctor nofter ad juramenta refert, æque ac MAIMONIDES Hilc. *de jurejurando cap. VI.* §. 11 *fqq.* ubi varios hujus juramenti cafus format; LIGHTFOOT. autem *citato loco* ad vota fpectare cenfet. Si dicendum, quod res eft, fæpe votum concurrebat cum juramento, ut effet votum jurato confirmatum. Vbi tamen diftinguendum cenfemus inter id, quod eft voti, & id, quod acceffit juramenti. Erant enim tales quoque vovendi formulæ, absque juramento, v. g fi quis diceret: הקדש יהי כל מה שאני עושה מלבוא על פי אבא *facrum efto, quicquid paravero in futurum, quantum ad os patris,* ut eft apud COCCEIUM *in Excerpt. Gem. Cod. Sanhedr. cap. VII.* §. 5. *Not.* 9. ubi votum habes in הקדש יהי absque tamen juramento. ג. Senfus formulæ apud interpretes eodem fere redit, licet diverfimode efferatur. In verbis enim: *donum feu res facra fit, qua ego tibi profim,* aut *qua tu utilitatem ex me*

me capias, aperta eſt beneficii, a parentibus petiti, cum indignatione quadam, negatio, & ſubſidii conferendi recuſatio, quaſi filii ægre ferentes, quod a parentibus moleſtia afficiantur, & variis petitionibus macerentur, & continuis largitionibus debilitentur, cum ipſi habeant familiam, cui ſit proſpiciendum, in votum ruant præcipites, voventes: *munus ſit, quicquid ex rebus meis attigeris, utilitatis cauſa.* Licet, quod ſupra inculcatum fuit, nec res iſtæ conſecratæ ſint, nec ita poſthæc habeantur, ſed ut ſolum denegentur petentibus. Quin immo filius, qui ſe nullam utilitatem patri daturum voverat, ne quidem alteri dono quid dare poterat eo animo, ut patri proſit; ut eſt in Tract. *Nedarim cap. V.* §. *6.* ubi vide BARTENOR. & MAIMONID. *in c. l.* ד. Pari valore pater, eadem formula, liberis alimenta negare, immo ipſa hereditate excludere poterat, teſte Miſchna *in Nedarim cap. IX.* §. 10. *Qui dicit filio ſuo,* קונם אי אתה תהנה כשלי *munus* vel Korban *ſit, quicquid utilitatis perceperis ex meo: ſi mortuus ſit* pater, *heres ejus eſt* filius, *ſi in vita & poſt mortem ſuam* pater interdixerit filio bonis ſuis, *non erit heres, patre mortuo.* ה. Denique in ſolenni formula: קונם שאיני נהנה לערלים *Voveo, quod nullam utilitatem ſim percepturus ex præputiatis:* קונם שאיני נהנה למולים *Voveo, quod nullam utilitatem ſim percepturus ex circumciſis* &c. per omnes fere Codices Talmudicos mendum irrepſiſſe, ut negative legant שאיני / quod affirmative legi debebat שאני / magna cum cura & operoſe obſervavit & emendavit EDZARD. *ad Avoda Sara cap. II. pag.* 292 *ſqq.* ubi ſimul in hoc voti genus, ejusque genuinum ſenſum, copioſe inquiſivit.

Ad §. VIII. pag. 149.

(11) *Comitata ſit execratio*] Fallor, an huc ſpectat juramentum, quo Judæi nonnulli *ἀνεθεμάτισαν ἑαυτȣ̀ς*, *devoverant ſeſe*, nihil guſtaturos prius vel comeſturos, quam e medio ſuſtuliſſent Paulum Actor. XXIII, 12. Scite SANCTIVS *in h. l. Act.* ſenſum verborum ita eloquitur: Devoverunt ſe, i. e. diris ſe, ac Dæmonibus, aut aliis ſimilibus infortuniis tradiderunt; vel, optarunt ſibi, ad Synagogam, piorumque conventum aditum præcludi, ſi jejunium ullo modo ſolverent, ni Paulo prius e vivis ſublato. Hanc devovendi rationem ex 1 Sam. XIV, 24. arceſſit, ubi Saul adjuravit populum, ne quis panem comederet usque ad veſperam, donec ultionem ſumſerit ab hoſtibus.

Ibidem.

(12) 1 *Samuel. XIV,* 44. 1 *Reg. XX,* 10.] ABARBENEL *ad l. c. Sam.* contra reliquorum Interpretum conſenſum, hanc jurisjurandi formulam eſſe negat, maledictum autem, vel execrationem eſſe tuetur, q. d. *Ita faciat mihi Deus*, ut non reſpondeat mihi ad quæſita, *& ita addat,* facere iteratis vicibus, ſi non moriatur Jonathan. Pariter *ad l. c. Reg.* ſenſum ita reddit: *Ita faciant mihi Dii*, ſecundum id, quod a te poſtulavi, h. e. vicem mihi reddant, *& adhuc addant* rependere mihi mala, præter ea, quæ a te poſtulavi &c. Sed nil obſtat, quo minus execratorium vocari queat juramentum, quo laudatus ſupra SANCTIVS tendit, quando *ad loc. cit. Samuel.* opinatur, aliquid ſubaudiri execratorium, *ut in aliis ſæpe jurisjurandi formis.*

AD

LIB. VI. CAPVT VII.

DE MODO SCRIBENDI, MASORETHIS, IPSORVMQVE OPERE.

Ad §. II. pag. 150.

De auctoribus & inventoribus literarum] Copiose & erudite hoc argumentum discussit GER. IOH. VOSSIVS *lib. I. artis Grammaticæ cap. IX. X. XI.* & in epitomen coegit *de IV. Artib. Popular. cap. II. §. 8.* Vetustis versibus Trochaicis, sed incerti Auctoris, quos refert LILIVS GYRALDVS *dialogo I. de Histor. Poetar. p. 9 sq.* omnes literarum inventores comprehenduntur hoc modo:

Primus Hebræas Moyses exaravit literas:
Mente Phœnices sagaci condiderunt Atticas:
Quas Latini scriptitamus, edidit Nicostrata:
Abraham Syras, & idem repperit Chaldaicas:
Isis arte non minore protulit Aegyptias:
Gulfilas promisit Getarum, quas videmus, literas.

Primus quidem literarum & scriptionis inventor & auctor Adamus, censetur AVGVSTINO *Quæst. 69. in Exod.* ubi disputat, qui sint γραμμάτων εἰσαγωγεῖς: *Nonnullis*, inquit, *videtur, a primis hominibus literas cœpisse, & productas esse ad Noe: & inde ad populum Israel.* Ita SVIDAS in voce Ἀδάμ· τούτου τέχναι, καὶ γράμματα. Rursus Phœniciis hæc gloria passim tribuitur a Gentilibus. PLINIVS *lib. V. cap. XII. Ipsa gens Phœnicum*, inquit, *in gloria magna literarum inventionis, & siderum, navaliumque ac bellicarum artium.* Quando autem Phœnices primi literas invenisse, & Phœnicum literæ omnium antiquissimæ dicuntur, res ita conciliari potest, quod Phœnices ipsimet sint Cananæi, unde literæ cum Phœniciæ, tum veteres Hebrææ prorsus sunt eædem. Cum ergo Abrahamus ex Chaldæa in Cananæam migraverit, ibique cum posteris egerit, donec terra ista in patriam cederet Israelitis, detulit ille secum literas, si non prius jam Phœnices, sive Cananæi, scribere noverint. Cumque in magna esset, etiam apud Gentiles regionis incolas, auctoritate, velut princeps Dei Genes. XXIII, 6. factum hinc est, ut Abrahami literas & artes addiscerent Cananæi, & ipsius evaderent disciplinæ alumni. Græci autem haud dubie, & veterum omnium consensione, a Cadmo Phœnice literas suas acceperunt, unde Cadmeæ ipsorum literæ, ad Jonicas proxime accedere HERODOTO perhibentur. Figuram autem Cadmearum, sive Jonicarum potius literarum exhibet SCALIGER *in Digressione de literis Jonicis, ad numer. Eusebianum* 1617. Latini suas literas ab Evandro Arcade habent, vel ab ejus matre Nicostrata, quacum in Italiam appulit, teste TACITO *Annal. XI.* Vt adeo literarum & scriptionis non modo artificium, sed & figura ac modus, primo in sedibus familiæ Adami, & Patriarcharum antediluvianorum commorata sint, post diluvium a Setho in novum orbem translata & propagata, inde in Chaldæam, atque ex hac per Abrahamum in Cananæam seu Phœniciam sint transportata. Ex Phœnicia Cadmus, Thebanæ in Bœotia arcis conditor, detulit ea in Græciam, unde a Bœotis acceperunt Arcades, & ex Arcadia in Latium migrarunt. Ita VOSSII ferunt rationes, a quibus parum discedimus nos in diversum. Si minus Adam, incertus sane auctor, incerta ætas, Mose tamen longe prior. In tanta vero rerum caligine & vetustate, certi quid definire a temeritate non multum abest. Ita sane animatus sum, ut, cum urbium condendarum, operis ferrarii, quin & Musicæ, aliaque inventa, diluvium multo antecessisse Genes. IV, 17 sqq. memorentur, hoc tam præclarum, & ad commoda generis humani juvanda aptum natum

εὕρημα

εὕρημα literarum, haud multo ſequius exiſtimem. Quis enim credat, mundum priorem, ultra ſedecim ſæcula, ſcriptione omni & literarum monimentis caruiſſe? licet nec libro Henochi, nec Sethianis columnis, nec aliis id genus fabulis adſtipulemur. Hinc literas, ante Moſen fuiſſe ab Abrahamo e Chaldæa in Canaan, indeque a Jacobo in Aegyptum traductas, probat F. M. B. AB HELMONT *in Alphabeti Hebraici delineatione, p.* 14 *ſqq.*

Ad §. II. pag. eand.

(2) *Firmiore fundamento ſtatuitur Moſes*] Hanc, poſt alios, ornandam, tuendamque ſibi ſumſit ſententiam IOH. HENR. VRSINVS *T. I. Analect. Sacr. lib. VI. cap. I. p.* 327. & fuſius confirmare ſategit, in univerſa illa *de Zoroaſtre, Hermete Trismeg. & Sanchoniathone* tractatione, maxime *Exercit. III. Sect.* 2. *pag.* 191. ubi Adamum, & *Sect.* 3. *p.* 203. ubi Sethum & Sethianos, literas ignoraſſe, ſuaque ætate omnem ſcientiarum ambitum orali ſolum inſtitutione ad poſteros propagaſſe propugnat. Recentiſſime Vener. HENR. BENZELIVS *Syntagm. I. Diſſertat. p.* 160 *ſq.* licet in incerto fluctuat, in tantum tamen ſententiæ huic accedit, ut literarum uſum ante Moſis ævum, fuiſſe neget. Etſi vero facile damus, primum fuiſſe Moſen ſcriptorem, cujus monimenta ætatem tulerunt, & ad ſeram transmiſſa ſunt poſteritatem, totis tamen bis mille annis & amplius, genus mortale ſcriptionis ſubſidio caruiſſe, perſuaderi nobis non patimur. Quod enim BENZELIVS cum aliis urget, longævitatis beneficium librorum defectum compenſaſſe; iſtud tamen, velut mortalibus omnibus commune fuiſſe, valido ſatis nullo evictum hactenus eſt argumento, cum rectius alii cenſeant, Deum privilegium iſtud ſanctis Patriarchis, iisque gratioſe indulſiſſe, quibus id datum erat negotii, ut doctrinam ſalutarem ac revelatam poſteros docerent, reliquos autem anguſtiori longe ambitu vivendi ſpacium deſcripſiſſe; ita nil prohibet, quo minus & viva voce, præſentes coram, & literarum monimentis abſentes inſtruerent. Moſes ſane Act. VII, 22. in omni Aegyptiorum ſapientia inſtitutus perhibetur, adeoque literas dudum inventas, & ſcripta exarata, in Aegypto adhibuit. Quin & ante Moſen, Joſephus in Aegyptum translatus, a Davide Pſal. CV, 22. principes edocuiſſe morem ſuum, & ſeniores ſapientiam memoratur, quod per nudam oris traditionem, absque literarum ſcriptorumque ſubſidio factum, vix vero videtur ſimile. Graviter itaque, PETR. DAN. HVETIVS *Demonſtr. Evang. Propoſ. IV. cap. XIII. p.* 282. STEPH. MORINVS *Exerc. I. de lingua prim. p.* 151 *ſq.* cumprimis vero Venerab. LOESCHERVS *Comment. de cauſis L. H. Lib. II.* §. 17. *p.* 218 *ſq.* literarum ortum Moſe dudum anteriorem demonſtrant, eumque in finem poſtremus ad Job. XIX, 23, 24. provocat, ubi ſcribendi, librorumque, ante Moſis ætatem, fit mentio, cui quidem dubio, laudatus VRSINVS *Exerc. III. de Sanchoniath. Sect.* 4. *p.* 222. occurrere anniſus eſt, verum ita, ut minus ſatis fecerit eruditis. Demum vero ADRIAN. A CATTENBVRCH *lib. I. Synt. Sap. Moſ. cap. III.* §. *VIII. p.* 19. citra hæſitationem pronunciat, quemadmodum divinæ bonitatis documentum ſit, quod genus humanum ſcientia ſignificationis verborum, & facultate, ea pronunciandi, cum ipſo ortu fuerit imbutum; ita non hic ſubſtitiſſe concludit Dei beneficium, ſed & porro acceſſiſſe donum, exprimendi verba, characteribus vel literis, absque vocis ſono. Quæ licet ex mera aſſeruntur conjectura, pia tamen illa eſt, & talis, cui locum facile dandum exiſtimamus.

Ad §. III. pag. cit.

(3) *Materia, cui inſcribebatur*] De hac ex inſtituto & prolixe egit, laudatus ſupra VOSSIVS in *Ariſtarchi* ſive *de arte Grammat. lib. I. cap.* 35 *ſqq. p.* 44. ultra quem non eſt, ut expetas plura. In compendio idem argumentum pertractat HEVMANNVS *Conſpect. reip. literar. cap.* 3. & paulo copioſius adhuc, laudatus A CATTEN-

BURCH, *cit. lib. cap. III. p.* 19 *ſqq.* docetque, in rupibus & ſaxis, in foliis vel corticibus arborum, in lamellis plumbeis, in linteis voluminibus, in tabulis ceratis, in ebore, in ære, in inteſtinis animalium, in charta vel papyro, in pellibus & membranis, priſcos mortales ſcribere conſueviſſe.

Ad §. III. pag. 151.

(4) *Inſtrumento quodam ferreo*] Conſulatur denuo VOSSIUS, eique jungatur IOHAN. SCHEFFERUS *de ſtylo*, ſtatim a capite libri. De utroque ſtyli uſu, ſcite canit PRUDENTIUS *hymno* 9. *de Caſſiano Martyre: Inde alii ſtimulos, & acumina ferrea vibrant, Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur: Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti Rurſus niteſcens invenitur area.* Quod autem VOSSIUS ex NICOL. TRIGAULTII *Expedit. Sinic. lib. I. cap.* 14. obſervat, apud Sinenſes, in ſcribendo uſum eſſe penicilli, quem atramento tingunt, quique ſit e pilis leporinis, id haud inique in multos intorſeris ſæculi noſtri ſcriptores ineptos, quos a ſcribendo abſtinuiſſe præſtitiſſet.

Ad §. IV. pag. cit.

(5) *Voluminibus papyri aut membranarum*] Voluminis antiqui figuram ære expreſſam, ac multa alia, hoc argumentum illuſtrantia, & vix ab ullo alio obſervata, habes apud ISAAC. VOSSIUM *in Obſervat. ad* CATULLUM *p.* 54. Dicitur autem Hebræis *volumen* מגלה a verbo גלל, *volvere, convolvere* &c. æque ut a נסך *expandit*, eſt מסכת *volumen*, ex folio expanſo convolutum; ab antiquiſſimo more, quo libri in membranis aut chartis plicabilibus ſcribebantur, quas ſuper cylindrum, ſeu axem ligneum in orbem circumvolvebant, ſicut telæ radio textorio circumvolvi ſolent; quod hodienum in libro Legis, ad uſus Synagogæ publicos adhibito, videre licet. *Liberius* quidem *a S. Amore*, qui IOH. CLERICUS eſt, *in Epiſt. X. Theol. p.* 267. veteres nonniſi libris volubilibus uſos fuiſſe negat. Præter pugillares enim, habuiſſe quoque libros membranaceos, qui *maſſæ* nomine apud Latinos, & *σωματία* apud Græcos veniunt, qui ex multiplicibus foliis, ex utraque parte ſcriptis conſtruebantur, haud ſecus ac hodie libri noſtri ſolent, qui ex multis conſtant foliis, aliis ſuper alia ſtructis ac inter ſe compactis. מגלה ergo & ספר ita vult differre, ut ספר generalior ſit, & tam volubiles libros, quam qui involvi non poſſunt, complectatur; מגלה vero volubiles, qui plagulis ad plagulas agglutinatis, in longam paginarum ſeriem extenſis, & in rotulum convolutis, conſtabant. Hinc porro concludit, Pſal. XL, 8. מגלת ספר per hypallagen dici, pro ספר מגלה/ nec tam *volumen libri*, vel *librum involutum*, quam potius *librum volubilem*, ſeu *volumen*, exponendum eſſe. De his ſi ferenda ſit ſententia, ספר a contentis, ſive materia dicitur, ex verbo סָפַר *recenſuit, narravit*, quia recenſionem complectitur rerum quarumcunque, velut Gen. V, 1. expoſitio, ſive liber generationum Adami, rurſusque liber, ſive commentarius bellorum Domini, Num. XXI, 14. laudatur; & Deus, delectis ex gente captiva Judaica juvenibus, intelligentiam largitus fuiſſe fertur בכל ספר וחכמה *in omni ſcriptura & ſapientia* Dan. I, 17. unde quoque pro epiſtola uſurpatur 2 Reg. X, 1. Eſth. III, 12. מגלה vero, a forma voluminis externa, quia juxta R. MORDECHAI NATHAN *in Concordantiis*, omnia vocabula ex verbo גלל deducta, ſunt לשון גלגול וסבוב *notionis convolvendi & circumdandi.* Nec dubitare ſinit Zach. V, 1. ubi מגלה עפה *volumen volans* conſpicitur, non convolutum, ſed apertum, idque *longum* 20 *cubitorum*, & *latum* 10 *cubitorum*, unde veterum voluminum magnitudo æſtimari poteſt. Utrumque ergo quando jungitur vocabulum, non unum idemque notat utrumque, quod viſum eſt IOH. HENR. MAIO *Diſſert. Sacr. I.* §. 7. *p.* 10. ſed emphatice *volumen recenſionis* ſacræ, ſive oraculorum divinorum, deſignat. Idem vero, quando a Paulo Hebr. X, 7. *κεφαλὶς βιβλίου* appellatur, CLERICUS cit. loc. hypallagen denuo

denuo intrudit, ut dicatur pro βιβλίον κεφαλίδος, & ita vocari credit volumina, ob figuram summitatum rotundarum baculi, cui circumvolutæ erant membranæ. Has enim extremitates rotundas κεφαλίδας fuisse dictas, ex EVSTATHIO probat, ut κεφαλὶς βιβλίȣ, nihil sit aliud, præter *volumen*. Hoc vero dilutum mihi videtur. Primo meminerimus, locutum hic fuisse Paulum cum LXX. ut scriptores N. T. sæpe in more habent positum. Porro, cum κεφαλὶς, SVIDA interprete, idem sit ac εἴλημα *volumen*, quod etiam ex Ezech. II, 9. III, 1, 2, 3. liquet, ubi LXX מגלה per κεφαλίδα exponunt, haud absurde dixerim, voluminis voce totam Scripturam, in quantum Davidis ætate prostabat, pro gentis & linguæ genio denotari, κεφαλίδα vero partem seu librum aliquem singularem designare, ut secundum literam reddendæ sint hæ duæ voces in libello quodam codicis sacri, illustria ejusmodi de Christo vaticinia legi consignata. Alii malunt per κεφαλίδα βιβλίȣ, *initium Scripturæ Sacræ* intelligere, ut ad præclarum, de semine mulieris oraculum Genes. III, 15. respiciatur: quod suo loco relinquimus. Quod vero antiquissimis temporibus, Mosis ac posthæc Davidis, libros extitisse CLERICVS contendit, non convolutos modo, sed nostrorum quoque similes, ex pluribus foliis sibi mutuo impositis compactos, id nec Latinorum, nec Græcorum conficiet auctoritate, quorum quippe ætas ac literatura ad Mosis & anteriorem plane non assurgit antiquitatem. Ceterum מגלה Judæis κατ᾽ ἐξοχὴν vocari libellum Estheræ, quod a primis ille temporibus seorsim, & peculiari volumine, in Synagogæ & festi Purim usum, & quidem sine ullis distinctionum notis consignari consueverit; quali antiquissimo exemplari se gavisum BVXTORFIVS memorat *de Origin. Punctor. p.* 49. id alias jam in *Introduct. ad lib. V. T. P. I. cap. XX. §. 1. p.* 351 *sq.* monuimus, æque ac חמש מגלות *quinque libellos*, Canticum, Ruth, Threnos, Ecclesiasten, ac Esther, dici a Judæis Germanis, & plerumque jungi observavimus *ibid. cap. XI. §. 1. p.* 195 *sq.*

Ad §. V. pag. 151.

(6) *Quasi totidem areolis*] Hebræi volumina sua scribebant lineis, non per longitudinem totius membranæ deductis, sed multis spaciis & columnis, quasi totidem areolis, a se invicem distinctis, ut paginas quodammodo, non autem folia nostra referrent. Hinc Jerem. XXXVI, 23. signanter דלתות *januæ* dicuntur, propterea, quod multarum januarum, una serie collocatarum speciem exhibent. R. DAV. KIMCHI exponit דפין *folia* vel *paginas*: recte quidem, sed nimis frigide rationem reddit: לפי שנפתחים ונסגרים כדלתות *quod, velut januæ, aperiantur & claudantur*; cum rectius ita dici existimentur a figura externa, quia folia vel paginæ librorum habeant formam ostiorum, vel januarum. Mirari tamen subit, qui factum sit, ut IAC. ALTINGIVS *Comment. in h. l. Tom. I. Opp. p.* 893. in eandem incesserit sententiam, & דלתות vocari folia existimaverit, quia sint instar januæ, quæ super cardinem suum movetur, ut claudat spacium quod videbatur, quando illa vertuntur: quod in totum magis quadrat volumen. Potius columnæ istæ, unius voluminis plures & distinctæ, formam januæ referunt, inprimis, si, ut fieri solebat, per lineas ductas includebantur & distinguebantur.

Ad §. VII. pag. eand.

(7) *Quod attinet Masorethas*] De Masora & Masorethis nos cum cura egimus *Critic. Sacr. P. I. cap. VI. p.* 283. cui si jungas copiosam tractationem, quam doctissimus IOH. CHRIST. WOLFIVS *Bibliothecæ Hebrææ libro III. de Masora p.* 460. instituit, vix erit, quod in hoc argumento desiderare amplius possis. Recentissime quoque Vir Clar. ANDR. GEORG. WAEHNERVS *Antiqu. Hebr. Vol. I. sect. I. cap. XXXVI. p.* 93. eidem incubuit labori, nobis ut prolixioribus esse hinc non liceat. Istud tamen, ad retundendas variorum objectiones, negligere non possumus, quin paucis repetamus, trium ætatum

tum viris Masorethas constare. *Primi* erant *Viri Synagogæ magnæ*, qui, cum in eo essent, ut reduci ex captivitate Babylonicâ populo de emaculatis Codicibus prospicerent, eoque fine Canonem Vet. Testa nenti componerent, scriptaque genuina a subreptitiis & spuriis discernerent, eadem simul opera Textum sacrum recensuerunt, quæ in exempla minus exacta irrepserant mendæ, correxerunt, veramque ac sinceram lectionem Codicibus reddiderunt. Quam ut sartam tectam servarent in posterum, observationes quasdam textuales, ex quotidiana Sacri Codicis lectione enatas, circa versuum numerum ac ordinem, circa voces rariores vel insolito constructas nexu, circa anomala, & irregulariter punctata vel scripta, & id genus alias, in chartam conjecerunt, & ad suos pariter ac posterorum usus adhibuerunt. Hæc prima Masoræ initia, eaque satis rudia fuerunt & tenuia. Atque de his bene monet Auctor noster §. *IX.* quod hoc Collegium ad minimum XL annis perstiterit, atque in Simeone Justo, sub Alexandri M. imperio desierit. CXX. complectebatur Assessores, sed qui non una eademque vice & ætate congregarentur, verum alteri succederent alteris. *Intermedii* sunt סופרים *Scribæ* & Numeratores, qui partim ab Antiochi Epiphanis ætate, partim subsequentibus, ad natum usque Servatorem nostrum, sæculis in eandem incubuerunt curam. Hi Doctorum veterum schedas diligenter conquirebant, inque suos vertebant usus, ac novis subinde annotatis augebant; horum porro auditores idem premebant institutum, ita quidem, ut thesaurus iste ex doctorum virorum industria & ingenio, nova singulis ætatibus caperet incrementa, & ab aliis subinde aliter adornaretur ac instrueretur. *Tertii* denique sunt *Doctores Tiberienses*, qui sub finem V. aut initium VI post C. N. sæculi, in Academia Tiberiensi confluentes, libros Masorethicos undique conquisiverunt, mutuo contulerunt, in meliorem ordinem redegerunt, suis novisque locupletarunt inventis, & ultimam velut limam manumque huic doctrinæ generi adhibuerunt. Equidem recentiores quoque Magistri, maxime a sæculo XI & amplius, suam pariter Masoræ operam addixerunt nonnunquam, & a majoribus prætermissa, a se autem observata adjecerunt. Masorethas tamen eos non dicimus, quod levis eorum opella, hanc doctrinæ partem nec ex instituto tractaret, nec insigniter juvaret & ornaret. Nisi forte duumviros, Ben Ascher & Ben Naphtali, hoc encomio digneris, quorum variantium lectionem syllabus haud proletariam in hac palæstra solertiam probat.

Ad §. X. pag. 152.

(8) *Opera ipsorum, munusque*] In eo nimirum Masoretharum versabatur labor, ut 1) Canonem componerent, cujus sparsa hactenus volumina seorsim in Doctorum manibus hærebant: 2) scripta Canonica ad authentica exemplaria recognoscerent; πρωτότυπα enim, licet dudum periissent, authenticam tamen auctoritatem obtinebant illa, quæ a viris θεοπνεύστοις, qui Synagogæ magnæ præfuerant, approbata erant & recepta: 3) Codicem in suas partes, Legem scilicet, Prophetas, & Hagiographa, juxta Luc. XXIV, 44. librosque in sectiones, Sidras, Paraschas & Haphthoras, dispescerent: 4) Criticis annotationibus suis lectionem genuinam adversus corruptelas pariter, ac malesanam sciolorum Criticen munirent & confirmarent. Hæ vero notationes *partim* versantur circa Textus sacri versus sive commata, quos & numerarunt, & juxta varias ipsorum affectiones in vocibus ac literis, consideraverunt: *partim* circa voces, quarum tum genuina scriptio & lectio, tum situs & locus, tum structura, & vel cum aliis vocibus conjunctio, vel cum servilibus literis compositio, tum significatio, si ambiguitate laborent, fuit notata: *partim* circa literas, quarum mox qualitas in figura, majuscula an minuscula, inversa aut suspensa, mox quantitas in numero expensa: *partim* circa literarum puncta, tam vocalia, quam accentualia.

Ad

Ad §. XI. pag. 152.

(9) *Castigabant libros Canonicos ab omni errore*] Hæc verba ita sunt mitiganda, ut de errore solum particulari, in Codicibus quibusdam, non universali Scripturæ, veniant intelligenda, juxta illa, quæ *in Crit. Sacr. P. I. cap. III.* §. 3. *p.* 91 *sqq.* caute & copiose sumus persecuti.

Ibidem.

(10) *Et versus*] Versuum distinctionem, una cum Auctore nostro, BVXTORFIVS etiam Masorethis tribuit, *Tiberiad. cap. XI. p.* 27. Nos autem primis librorum sacrorum Scriptoribus vindicavimus *citat. loc. cap. IV.* §. 5. *sect.* 2 *sqq. pag.* 153.

Ad §. XIV. pag. 153.

(11) *Vocales non agnoscunt auctores Masorethas*] Recte ita statuit Auctor, modo distincte formetur status quæstionis. Non enim quæritur: num extiterint Vocales eodem cum literis, seu Consonis tempore? sed, an per puncta literis adscriptæ & expressæ fuerint, ante Tiberienses, & quo tempore adscribi cœperint? Nos primævam punctis vocalibus antiquitatem asseruimus *Cap. V.* §. *XI. p.* 242 *sqq.* nec pœnitet nos sententiæ, licet recentiorem ipsis ætatem recentissime denuo affinxerit Clariss. WAEHNERVS *cit.* supra *loco*, §. 213 *sq.*

AD

LIB. VI. CAPVT VIII.

DE METATIONIBVS TENTORIORVM ET CASTRIS ISRAELITARVM.

Ad §. II. pag. 153.

Castra distinguebantur in tres partes] Vniversam castrorum Israelis rationem, eamque sapientissimam, Moses delineat Numer. II. atque ex eo haud ita pridem concise quidem ADRIAN. A CATTENBVRCH *in Syntagmate sapientiæ Mosaicæ lib. IV. cap. IV. sect.* 2. *p.* 240 *sqq.* sed copiosius & data opera enarravit BERNHARD. LAMY, Congregationis Oratorii Presbyter, in splendidi, *de Tabernaculo Fœderis, de S. Civitate Jerusalem, & de Templo ejus*, operis *L. III. p.* 323 *sqq.* Paucis ac summatim nos cuncta complectemur. I.) Omnem exercitum Israelis Scriptura in quatuor partitur castra, secundum quatuor orbis plagas, quorum singulis tres comprehendebantur tribus, quarum una principalis totis castris præerat. Versus *orientem*, respectu tabernaculi fœderis, exercitus Judæ, qui præter suam, tribum quoque Sebulon & Isaschar comprehendebat; versus *meridiem*, exercitus Ruben, cum tribu Simeon & Gad; versus *occidentem*, exercitus Ephraim, cum tribu Manassis & Benjamin; versus *septentrionem*, exercitus Dan, cum tribu Asser & Naphtali, castra metabatur. Hi exercitus, versus quatuor mundi plagas constituti, amplissimam aliquot miliarium aream in medio includebant, in cujus medio rursus *Tabernaculum Fœderis* erat expansum, cum columna nubis super Sanctissimo, ita quidem, ut ejusdem ingressus, atrium, & altare holocausti versus Orientem, Sanctum in medio, & Sacrosanctum versus Occidentem esset situm. Circa tabernaculum, ex omni parte, castra Levitarum erant, sed justo ordine disposita, ita ut versus ortum Solis ad dextram Moses, ad sinistram Aaron; versus meridiem Cahathitæ, versus septentrionem Meraritæ; tandemque post tergum Sacrosancti ver-

ſus occidentem, Gerſonitæ caſtra haberent fixa. Non ergo quatuor illa caſtra, in quæ Levitæ cum Sacerdotibus dividebantur, poſita erant in angulis tabernaculi, ſed tenebant latus unum quadraturæ ejus, quæ circumſcribebat caſtra Dei. Veluti enim Prætorium apud Romanos, media occupabat caſtra, ita Tabernaculum fœderis apud populum Dei: ut diſerte præcipitur Num. II, 2. מנגד סביב לאהל מועד יחנו *e regione circa tentorium conventus caſtra metabuntur filii Iſrael.* Vbi circumſpecte dicitur: *circa* quidem tabernaculum tendant Iſraelitæ, quod undique cingebant; aſt *e regione*, quia eorum caſtra non jungebantur cum caſtris Dei, ſed quæ non erant de tribu Levi, minimum bis mille cubitis a tabernaculo Dei diſtabant; pariter ut in itinere, intervallum bis mille cubitorum inter caſtra Iſraelis & tabernaculum diſtabat, unde Joſ. III, 2, 3. diſerte proclamatur in populo: *Quando videritis arcam Domini Dei veſtri, & Sacerdotes ſtirpis Leviticæ portantes eam, vos quoque conſurgite & ſequimini præcedentes, ſitque inter vos & arcam ſpatium cubitorum duum millium, ut procul videre poſſitis, & noſſe, per quam viam ingrediamini, & cavete, ne appropinquetis ad arcam.* Inde colligunt Rabbini, in caſtris ſimile intervallum requiri inter caſtra Dei, & Iſraelitarum; velut R. SALOMO *ad Num. II, 2.* diſerte ad cit. loc. Joſuæ provocat, ut hoc probet. Porro hinc conficiunt Judæi, univerſam caſtrorum menſuram fuiſſe, duodecim miliaria, tam in longitudine, quam in latitudine. Non autem definiunt, quæ illa ſint miliaria, num paſſuum, an cubitorum? Probabiliter tamen de cubitis intelligenda ſunt, cujus menſuræ frequentiſſimus eſt uſus in Scriptura, & in hoc ipſo argumento. Juxta Targum Pſeudo-IONATHANIS, caſtra Dei, h. e. tabernaculum, cum circumjacentibus Levitarum & Sacerdotum caſtris, quatuor miliaria occupabant; eorum autem area erat ſexdecim mille cubitorum, junctis ſcilicet his quatuor miliaribus, duodecim reliquis, quæ tenebant caſtra Iſraelitarum. Iſtud tamen, Moſaicum *e regione*, ita interpretatur CAIETANVS, *quod non terga, ſed facies caſtrorum diſponerent verſus tabernaculum: & inſtitutus eſt talis ſitus, ad honorandum tabernaculum.* Scitam univerſorum caſtrorum Iſraelis delineationem dedit EDVARD. BERNARDVS *Notis ad* IOSEPHI *Antiqu. lib. III. cap. XII.* §. 6. edit. Haverkampi *Tom. I. p.* 187. quæ cum data hactenus deſcriptione curate conſentit. II.) Quod ad tentoriorum Iſraelis materiam attinet, BERN. LAMY *cit. loc. p.* 340. illa cenſet ex pellibus confecta fuiſſe, quæ diu durant propter pilos, ex quibus imber defluit, & perinde, ut veſtes Iſraelitarum, non detrita ſunt. Eaque Iſraelitæ, qui vitam paſtoritiam agebant, & ex pecoribus victum capiebant, de facili parare poterant in Aegypto, aut pelles certe magno numero, quæ hunc in finem in ſtationibus itineris aptarentur, ſecum aſportare. Tum & ſecum deduxerunt armenta, quæ partim in ſacrificiorum, partim in victus uſum vertebant; ex quorum pellibus tentoria quoque parare ſubinde poterant nova, vel vetera inſtaurare & amplificare. Ex ramis & foliis arborum ſua tabernacula Iſraelitas contexuiſſe, innuit PHILO, cum de ſecunda eorum ſtatione in deſerto in Elim loquens, obſervat multas ibi arbores fuiſſe, quaſi dicere voluerit Moſes, ex arboribus decerptas frondes ad conflanda tabernacula; verum ibi tantum mentionem facit LXXII palmarum, quæ erant in Elim Exod. XV, 27. Interim, licet de omnibus id admittendum non ſit, cum in quavis ſtatione, de novis frondibus proſpicere ſibi neceſſe habuerint, nec vel pluviarum ac imbrium vim, vel ſolis æſtum cohibuiſſent a ſcenitis, ſive incolis ſuis; facta tamen ex ramis arborum tabernacula ſaltem quædam, maxime ab initio, cum pelles nondum in tabernaculorum uſum aptaſſent, vero ſit ſimile, inde, quia deinceps Feſtum Scenopegias in memoriam habitationis per XL annos in tentoriis fuit inſtitutum, cujus ſolennitatem tabernaculis, ex frondibus arborum conſtructis, dedicare conſueviſſe, ſupra ſuo loco percepimus. III.) De forma tentoriorum Iſraeliticorum idem LAMY cit. loc. conjecturam capit,

partim

partim ex Romanorum tentoriis, partim ex tabernaculo Dei, quod quadrangulum erat, partim ex commoditate & capacitate, fuiſſe illa quadrata, quod illius formæ ſtructura capiendis & diſponendis ſarcinis magis idonea ſit quam rotunda. Denique laudatus toties LAMY p. 339. D. militari ſepimento, foſſa, & terreo aggere includit caſtra Iſraelitarum, immo etiam circumfluentibus aquis, ut miraculum denotetur, quod Paulus 1 Cor. X, 4. celebrat: in quo tamen ingenii figmento, nec ipſe ſibi conſtat, nec nos habet conſentientes.

Ad §. V. pag. 145.

(2) *Quemadmodum in foris, emebatur vendebaturque*] Ita nimirum habet IOSEPHVS, paulo ante citatus §. 5: *ὁδοί τε διὰ μέσων ἐτέτμηντο· καὶ κόσμος ἦν ἀγορᾶς, καὶ τῶν πολουμένων ἕκαστον ἐν τάξει διέκειτο, καὶ δημιουργοὶ τέχνης ἁπάσης ἐν τοῖς ἐργαστηρίοις ἦσαν· οὐδενί τε ἄλλῳ ἢ πόλει μετανισταμένῃ καὶ καθιδρυμένῃ ἐῴκει.* *Inter ea* (tribuum tentoria) *patebant viæ. Forum etiam adornabatur, resque venales ſuo quæque loco diſpoſitæ erant: & omne genus opifices ſuas habuerunt officinas, atque civitatis, huc illuc commeantis, imaginem, plane referebat.* Quæ ſcite ex ingenio ſic picta & aucta videntur. Sane, quæ Auctor noſter de Inſtitoribus Cerealibus garrit, liquido falſitatis arguuntur, quando recordamur, populum præter Manna, & ſemel coturnicum carnes, alium in itinere cibum nullum guſtaſſe.

Ad §. IX. pag. ead.

(3) *Secundum colores gemmarum in pectorali*] De vexillis, eorumque ſignis diſerte legitur Num. II, 2. *Quisque ad vexillum ſuum cum ſignis, juxta familias ſuas, caſtra metabuntur Iſraelitæ.* Ad quæ verba RASCHI commentatur: *Vnicuique vexillo erit ſignum,* nimirum *mappa colorata ei appenſa erat. Color unius, non erat ſimilis colori alterius,* ſed *uniuscujusque* ſigni *color erat idem, qui erat lapidis pretioſi, qui inſitus erat pectorali; & hoc modo cognoſcet unusquisque vexillum ſuum.* Iſtud vero uberius perſequitur Pſeudo-IONATHAN in Targum hoc modo: Qui caſtra habebant ſua verſus Orientem, habebant inſignia trium colorum, referentium tres lapides, qui erant in pectorali, ſardium, topaſium, & pyropum; & adſcripta inibi nomina tribuum Judæ, Iſaſchar & Sebulon; in medio autem hæc verba: *ſurge Jehova, & diſpergantur inimici tui, & oſores tui fugiant a facie tua:* eratque inibi depicta imago catuli leonis, pro principe filiorum Judæ, Nahaſſon, filio Aminadab. Vexillum exercitus Rubenis pariter inſignia gerebat trium colorum, referentium alterum ordinem in pectorali, chryſopraſium, ſaphirum, & adamantem, inibique inſcripta nomina trium tribuum, Rubenis, Simeonis & Gadis: in medio vero ecce! hæc verba: *audi Iſrael, Dominus Deus noſter Deus unus eſt:* picta quoque figura hinnuli, aut, ut alii Targum vertunt, cervi. Pingenda quippe fuerat forma juvenci; ſed Moſes immutavit, cervumque pro bove indulſit, ut caveret occaſionem cogitandi de vitulo. Vexillum caſtrorum Ephraim trium colorum erat, referentium tertium ordinem lapidum in pectorali, cyanum, achatem, & amethyſtum; inſcripta porro nomina tribuum, Ephraimi, Manaſſis, & Benjaminis: inque medio hæc verba: *& nubes Domini erat ſuper ipſos de die, quando proficiſcebantur e caſtris:* picta demum inibi erat forma pueri. Vexillum caſtrorum Dan, tribus coloribus referebat ultimum lapidum ordinem in pectorali, beryllum, thalaſſium, ſardium & jaſpidem. Nomina juncta tribuum Dan, Naphtali & Aſſer; inque medio hæc verba: *cum vero quieſceret illa, dicebat: revertere Jehova ad myriadas, ad millia Iſraelis.* Picta quoque erat figura ſerpentis vel aſpidis. Erigebantur ergo vexilla, ubi ſingulæ tribus poſituræ erant caſtra, & ibi ſtatuebant tentoria, quæque על רגלו *juxta vexillum ſuum.* Erant quoque ſingulis tribubus propria אותות *ſigna,* unde juxta ſigna domus patrum ſuorum, caſtra metatus quisque legitur. Nec tribus modo integræ, ſed

& familiæ & cognationes, habebant propria sua signa, quibus a se invicem distinguebantur. Sed quænam illa familiarum fuerint signa, nemo facile dixerit. Neve quis objiciat, omnem imaginum usum interdictum a Deo fuisse Israelitis, unde vexilla ista locum habere non potuerint; respondet MAIMONIDES tract. *Avoda Sara cap. III. sect.* 12. non prohiberi formare propter ornatum (modo ne ad idololatriam) imaginem, præterquam hominis, sed solum in forma protuberante, quales sunt figuræ gypseæ, aut marmoreæ. Sin autem figura sit depressa, vel coloribus distincta, aut intexta operi textorio, licita habebatur. Forma itaque hominis in vexillo Ephraim cum texta esset, potuitque esse depressa, licite & impune adhibebatur. Sed & ceteris tribubus, præter memoratas quatuor, ex benedictione ultima Jacobi, sua quibusque signa tribuunt Judæi: 1) vexillo Gad, turmam seu exercitum, propter verba Gen. XLIX, 19. *Gad accinctus præliabitur ante eum:* 2) vexillo Simeon, urbem, nempe Sichem, in memoriam interfectorum per fraudem incolarum Sichemi: 3) vexillo Manassis, monocerotem, sive Rhinocerotem, propter verba Deut. XXXIII, 17. 4) vexillo Benjaminis, lupum, ob verba Gen. XLIX, 27. 5) vexillo Asser, oleam, symbolum pinguedinis, quam huic tribui portendebat vaticinium Jacobi cit. loc. 20. *Asser, pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus:* 6) vexillo Naphtali, cervam, ob vers. 21. *Naphtali cerva emissa:* 7) vexillo Isaschar, solem atque lunam, testes & indices peritiæ in astris, a qua laudantur Isascharitæ 1 Chron. XII, 32. 8) Sebulonis vexillo, navem, symbolum mercaturæ. Quæ tamen, nisi ingenii Rabbinici, fide nituntur nulla. Ceterum qui de vexilli apud Orientales usu & erectione, & quomodo Jes. XI, 10. Christus, ejusque Evangelium vexillo erecto comparetur, legere avet, adeat ARNOLDI BOOTII *Animadvers. Sacr. lib. I. cap. V, VI, VII, VIII.* &c. & recentissime WILH. ERN. EWALDI *Emblem. Sacr. lib. I. Exercit. III. pag.* 25 *sqq.*

Ad §. XI. pag. 155.

(4) *Ab* HIERONYMO *dissentit* AVGVSTINVS] Iste tam magnorum luminum dissensus, in diversa quoque traxit partes sequentium, ita tamen, ut vicerit HIERONYMVS, ejusque expositionem passim sequantur omnes, cum *Augustinianam* sententiam prope publica deleverit oblivio. Tertia denique, quam ex veteri membrana prodidit CASP. BARTHIVS *Adversar. lib. XI. cap.* 23. leonem Marco ereptum donat Johanni, vicissim hujus aquilam transcribit Marco; quæ ab omni doctorum suffragio destituitur. Conferri huc meretur, qui totum istud latifundium exhausit, IACOB. THOMASIVS *Dissertationum* sive Programmatum potius Academicorum, *num. XXXVIII. p.* 423. & copiosius adhuc disputat. A. 1667. Lipsiæ publicata, quæ *insignia quatuor Evangelistarum* ex instituto excutit, & una sufficere potest. Nostrum enim non est, his immorari.

Ad §. XII. pag. cit.

(5) *Ratione nubis, quæ ipsos comitabatur*] Non unam, sed septem nubes præsto fuisse Israelitis, per deserta vagantibus, Targum *in Cant. II, 6.* tradit, cujus solum versionem damus: *Cum Israelitæ in deserto vagarentur, septem nubes circumdabant eos, quatuor ad quatuor mundi plagas, ut ne oculus malus eos fascinaret. Vna supra eos, ut ne sol & æstus, aut imber & grando eos læderet. Alia infra eos, quæ eos portaret, uti nutritius infantem in sinu suo. Alia præcurrebat eos itinere trium dierum, ad deprimendum colles, & exaltandas valles, & interimendos omnes serpentes ignitos & scorpios, qui in deserto fuere, & explorabat eis locum idoneum ad pernoctandum & commorandum.* Ne vero absque Scriptura hæc venditari existimes, habes quoque in *Tanchuma* in Parascha בשלח *fol.* 19. *col.* 4. rei indicium. Prima probatur ex Exod. XIII, 21. Altera, ex Num. XIV, 14. Tertia, ibid.

ver-

verbis: *& in columna nubis.* Quarta, ex Num. XIX, 19. Quinta, ex Exod. XL, 36. Sexta, ibid. vers. 37. Septima, ibid. vers. 38. Mirari autem subiit, qui factum sit, ut Angeli, ductoris in nube, nullam Auctor injecerit mentionem. מטטרון *Metatron* ille Judæis audit, de quo multa rhetoricatur R. BECHAI *Comment. in Legem fol.* 105. *col.* 4. nomenque vel ab origine Græca derivat, ut מנטטור Μηνύτωρα, h. e. מליח *Legatum* notet, vel a Chaldaica, in qua מטרת idem sit ac משמרת *custodia*, על שהוא שומר העולם נקרא שומר ישראל *quia, qui Custos mundi est, etiam custos Israelis vocatus est.* Licet vero prior derivatio BUXTORFIO non tam probatur, quam laudatur *Lex. Targum. h. v. p.* 1192. posterior adstipulatorem nacta est Judæum, R. KEMPER *in Comment. ad LL. II. in porta de Metatore*, qui ex Hebræa Rad. נטר *custodivit* deducit, ut *Custodem* notet: neutra tamen satisfacit doctissimo Sueco, ANDREAE NORRELIO *in Phosphoro orthodoxæ fidei veterum Kabbalistarum ex libro Sohar p.* 5 *sq.* qui vocem hanc ad Latinum *Mediatoris* vocabulum reducere satagit, fassus tamen, se hanc originationem pro vera haudquaquam venditare, hoc tamen exploratum habere, Metatronem, qua dignitatem, officium ac merita eundem esse cum nostro Mediatore. Illustris auctor *Kabbalæ denudatæ Tom. I. p.* 528. observat, id nominis si scribatur cum י nempe מיטטרון Schechinam denotare, sed sine י Angelum, legatum Schechinæ: hinc Exod. XXIII, 21. ubi dicitur: *quia nomen meum in medio ejus*, intelligi Schechinam, quæ in ipso occulta sit. Denique eandem facit hanc vocem, cum Latina *Metator*, IAC. CRAMERUS *in Theol. Israel. P. II. Exercit. in Exod. XXIII*, 20-23. ubi postquam Latinæ vocis vim ac usum ex vetustis Scriptoribus curate exposuerat §. *XV. pag.* 103. tandem §. *XX. p.* 110. ita Metatronem Judæorum describit: *Metator est, quia in deserto, ut Dei legatus, Israelitis iter carpentibus præiit, castris locum assignavit, & mansiones commodas ostendit & præparavit, ut singuli locum suum nossent, haberentque: id quod in columna nubis & ignis præstitit* &c. Prælusit ei cit. loc. BUXTORFIUS, eaque haud dubie firmissima est sententia. Etsi vero Judæos Messiam in Metatrone designatum voluisse, satis liqueat ex elogiis, quo ipsum ornant; recentiores tamen certe, ejusdem cum Deo essentiæ esse negant, Angelum Deo inferiorem statuentes, æque ac Judæi in Talmude, eundem in numerum vulgarium Angelorum referunt, quin & virga ignea pulsatum blasphemant. Copiose de hoc Angelo Metatore BUXTORF. Fil. egit *Histor. Arcæ Fœderis cap. XIV. p.* 131 *sqq.* & post allatas prolixas & perplexas Rabbinorum sententias, quibus perquam magnifice de hoc Angelo statuunt, tandem concludit, aliquid sublimius hic notari, quod a Deo quidem exiverit, & missum sit, tale tamen simul fuerit, cui Divina nomina, attributa & opera competebant, & propterea cum Patre verus sit Deus. Ita quoque GEORG. ELIES. EDZARDUS *ad Tract. Berachoth cap. I. Annot.* 64. *p.* 229 *sq.* postquam Rabbinorum suffragia de hoc Angelo Metatore larga manu attulerat, tandem *p.* 237 *sq.* concludit, & rationibus evincit, ex Judæorum mente, Deum illum esse, & legatum tamen a mittente personaliter distinctum, ut unius in Deo essentiæ plures certo statuerint personas. Rursus tamen eo ineptiarum prolabuntur, ut cum Pseudo-IONATHANE *ad Genes. IV*, 25. Metatron Henochum faciant, & alia de ipso blaterent indigna, ut facile appareat, posterioris ævi Judæos hic non habere, ubi pedem figant.

Ad §. XIV. pag. cit.

(6) *Tubis edebant sonum fractum*] De tubis, earumque usu, cum supra nonnulla tetigimus ad *Lib. III. Cap. VII.* ubi de Festo tubarum, tum plura dabunt SAL. VAN TIL *in de Digt- Sang- en Speel-Konst der Ouden Hebreen P. III. cap. VI. pag.* 476 *sqq.* & IOHANNES D' OUTREIN *de clangore Evangelii Dissert. V. sqq pag.* 79. Hic notamus, quatuor cumprimis temporibus & occasionibus, editum in Israele fuisse tubarum clangorem: 1) Ad convocationem & congregationem,

nem, sive totius coetus, sive solorum Principum, ad ostium Tabernaculi conventus; ubi תקיעה aequabilis edebatur clangor, & quidem cum una solum tuba, quando convocabantur Principes, sive capita chiliadum Israelis; duabus, cum populus universus in concilium evocaretur, Numer. X, 4: 2) Ad profectionem castrorum, ut cum castra movere, stationemque pristinam deserere deberet populus, novumque aggredi iter, ubi varius erat tubarum clangor, ex quo intelligeret Israel, quod huic vel illi exercitui, aut his vel illis castris e populo esset agendum, num quiescendum, an proficiscendum, ut *paragr. praeced.* ex Num. X. docuit Auctor: 3) Ad praelium contra hostes ineundum, quod mediante תרועה sono concitato & varie fracto intimabatur: 4) Ad intimandas & celebrandas festivitates Num. X, 4.

Ad §. XIV. pag. 155.

(7) *Hebraei duplicem clangorem esse statuunt*] Nimirum α) a תקע *fixit, infixit*, item *clanxit, plausit*, ut Proverb. XVII, 18. & 1 Sam. XIII, 3. est nomen תקוע *tuba*, & תקע *clangor*, & תקיעה clangor tubae, sono fixo & aequabili: rursus β) ab הריע laeta personare, laetum edere sonum, est תרועה/ quod aliquando notat *vociferationem* seu *jubilationem*, quae laetantium fit ore, ut 2 Sam. VI, 15. 2 Chron. XV, 14. Job. VIII, 21. aliquando *clangorem* buccinae vel tubae, eumque fracti, concitati, & inaequabilis soni, ut Levit. XXIII, 24. XXV, 9. Numer. XXIX, 1. LIGHTFOOTUS *de ministerio Templi Hierosolymitani cap. VII. sect.* 2. diversas clangoris istius species ita dispescit, ut cantus tubae primus esset unius tenoris & longus, alter fractus & tremulus, tum iterum longus & uniformis: hos Judaei vocant תקיעה / תרועה / תקיעה / quod in compendiis Scripturae sic exprimunt תת״ת. Sacerdotes juxta Mischnam *Tamid* תקעו והריעו ותקעו *canebant, fractum sonum edebant, demumque clangorem producebant.*

Ad §. eund. pag. ead.

(8) *Belli causa unctum*] משוח מלחמה *Unctus belli* duplici sensu dicebatur. 1) Dux ille belli, quem respublica in subitaneo periculo exercitui praeficiebat, eumque extraordinarie ungebat, ut hoc velut signaculo, ad fortitudinem animaretur, quod peculiarem virtutem oleo sanctificationis tribuerent, ut ex MAIMONIDE docet SCHICKARDUS *in Jure Regio cap. I. Theor. IV. p.* 77. 2) Sacerdos castrensis, praelii causa consecratus, qui hoc nomine specialiter unctus erat, ut cohortatione sua universo exercitui animos inderet, ceteros autem, qui abessendi privilegio gauderent, solenniter dimitteret, Deuter. XX, 1 sq. MAIMONIDES in libro המצות *praec. affirm.* 191. *fol.* 73. plenius & distinctionis causa eum appellat כוהן משוח מלחמה *Sacerdotem ad bellum inunctum*, ejusque duas esse ait partes, α) ut orationem, in lege ipsa praescriptam Deut. XX, 5, 6, 7. e libro praelegat, & discedere jubeat aedificantes, plantantes, novos maritos, timidos &c. β) ut superaddat alias subinde oratiunculas, cordium ad bellum excitatorias, quibus milites permoveat, ut periculo se exponant pro religione, ad serviendum Deo, & custodiendum praecepta ejus, utque vindictam sumant de hostibus, qui Terram sanctam infestant. Huic adjungebatur Sacerdos alius vulgaris, voce pollens, & alii Praecones, qui haec ipsa, quae diceret, cominus audita, singuli suis cohortibus repeterent eminus, & late diffusis: idque per vices, ita ut, quando unum versum unctus belli recitasset, eundem Sacerdos substitutus, voce, quantum poterat, clarissima, toto populo divulgaret, & sic per singulos procederent versus. Haec tamen omnes perhibent, locum saltem habuisse in bello ultroneo; ast in bello legali omnes omnino exivisse in castra, etiam sponsum e cubili, & sponsam e thalamo suo. Bellum enim duplicis erat generis: alterum מלחמת מצוה *bellum praecepti*, ad quod ex praecepto divino obstringebantur, & מלחמת הרשות *bellum ultroneum*, pro eorum, qui rebus praeessent, arbitratu sive gerendum,

rendum, five prætermittendum. De utroque uberius commentatur SELDENVS *lib. VI. de Jure Nat. & Gent. cap. XII. ab init.*

Ad §. XV. pag. 156.

(9) *Pacem debebant offerre*] Ita diserte MAIMONIDES Hilc. *Melachim cap. VI. §. 1.* אין עושין מלחמה אם ארם בעולם עד שקוראין לו שלום אחד מלחמת הרשות ואחר מלחמת מצוה *haud unquam cuiquam bellum infertur, nisi pace ei prius oblata, sive lege divina imperata, sive ultronea expeditio fuerit.* Quod probat ex Deut. XX, 10. Illa vero pacis oblatio, juxta MOSEN KOTZENSEM *Præc. affirm.* 118. tres molestas complectebatur conditiones: 1) שיקבלו שבע מצוות *ut* pacem impetrantes gentes *VII. præcepta Noachidarum susciperent,* 2) שיהו למס עובד *ut fiant tributarii,* 3) שיהו עבדים כבושים תחת יד ישראל לעשות ככל אשר יצוה המלך *ut sint servi humiliati sub manus Israelitarum, & omnia facere parati, quæ rex jusserit.* Ab hac tamen pacis oblatione excepti erant Moabitæ & Ammonitæ, quibus solis pax non offerenda, concedenda tamen, si ultro eam rogarint; exemplo Davidis, qui Hanonem, novum Ammonitarum Regem, per legatos salutavit & consolatus est 2 Sam. X, 2. Quo minus autem pax eis offerenda sit, prohibere legem Deut. XXIII, 6. *non quæres pacem vel bonum eorum, ullis diebus tuis in sæculum.* Ceterum, juxta legem ante allatam, MAIMONID. *c. l.* §. 5. R. BECHAI *Comment. in Legem fol.* 225. *col.* 4. & *En Israel fol.* 53. *col.* 4. Josuam ante invasionem terræ Canaan, ad incolas ejus tres misisse memorant Epistolas, quarum prima scriptum esset: כל מי שרוצה להשלים יבוא וישלים *quisquis pacem inire cupit, veniat, & pacificatur;* secunda: כל הרוצה להפנות יפנה *quisquis se alio vertere velit, vertat;* tertia: כל הרוצה לעשות מלחמה יעשה מלחמה *quisquis belligerare voluerit, conferat prælium.* Quin & fuisse e gentibus Cananæis, quæ singulis subscriberent: Gibeonitas enim pacem iniisse, Gergesæos alio se vertisse, & in Africæ fugisse provinciam, reges autem XXXI. bellum elegisse, eoque occubuisse. E Christianis hæc repetunt SELDENVS *cit. loc. cap. XIII. p.* 772, SCHICKARDVS *de Jure Regio cap. V. Theor. XVI. p.* 306. & WAGENSEILIVS *in Sota Mischnæ cap. VIII. p.* 844 *sq.*

Ad §. XVI. pag. cit.

(10) *Dissecando bestiam, & inter partes transeundo*] Modum feriendi fœderis, per cæsum divisumque pecus, Deus ipse præivit, Gen. XV, 9 sqq. in fœdere, quod pepigit cum Abrahamo; forte quoque servatum a Jacobo in victima illa, quæ post fœdus Labanicum est immolata, & ex cujus reliquiis δόσιμον instructum fuit & fœderale convivium cap. XXXI, 54. Posthæc luculentum istius ritus testimonium legitur Jer. XXXIV, 18. Hinc manavit ad gentes, & belli Trojani tempore jam obtinuit, ut Q. SEPTIMII, sive DICTYOS CRETENSIS testimonio liquet, quod cum valde sit perspicuum, & ad rem faciat, ex *lib. I. de bello Trojano* huc transferre non gravabimur: *Chalcas, filius Nestoris, præscius futurorum, porcum marem in medium forum afferri jubet, quem in duas partes exsectum orienti, occidentique dividit, atque in singulos nudatis gladiis, per medium transire jubet. Deinde mucronibus sanguine ejus oblitis, adhibitis etiam aliis ad eam rem necessariis, inimicitias sibi cum Priamo per religionem confirmant, neque prius se bellum deserturos, quam Ilium, atque omne regnum eruissent.* Paribus Romani, cum populo Albano fœdus sancientes, usi cerimoniis leguntur apud LIVIVM *Annal. lib. I. cap. XXIV.* ubi memorabile a Feciali pronunciatum carmen perhibetur: *Audi Jupiter, audi Paterpatrate populi Albani, audi tu populus Albanus, ut illa palam prima postrema, ex illis tabulis cerave recitata sunt, sine dolo malo, utique ea hic hodie rectissime intellecta sunt: illis legibus populus Romanus prior non deficiet. Si prior defecerit, publico consilio, dolo malo: tu illo die Jupiter, populum Romanum sic ferito, ut ego hunc porcum feriam: tantoque magis ferito, quanto ma-*

to magis potes, pollesque. Inde phrases, *ſancire fœdus*, a ſanguine, *icere, ferire, percutere fœdus*, ab animali percuſſo & occiſo, originem traxiſſe, poſt alios BARNAB. BRISSONIVS *lib. IV. de Formulis p.* 399. docuit. Sed nec uno modo ſanguine ſanciebantur fœdera inter gentes, verum humanum quoque ex membris ſuis elicuere ſanguinem, hauſtumque fœderis velut ſigillum conſtituerunt. De Scythis LVCIANVS refert *in Toxari*, & POMPON. MELA *lib. II. cap. I. Ne fœdera quidem incruenta ſunt: ſauciant ſe, qui paciſcuntur, exemtumque ſanguinem, ubi permiſcuere, deguſtant.* Et de Catilina SALLVSTIVS: *Fuere, qui dicerent, Catilinam humani corporis ſanguinem, vino permixtum, in pateris circumtuliſſe, Inde, cum poſt exſecrationem, omnes deguſtaviſſent, ſicut in ſolennibus ſacris fieri conſuevit, aperuiſſe conſilium ſuum.* De Medis, Lydisque, Naſamonibus, Armeniis & Iberis paria perhibet ALEXANDER AB ALEXANDRO *lib. V. cap. III:* alios multos ut taceamus.

Ad §. XVII. pag. 156.

(II) *Fraus Gibeonitarum communi opinione major ſit*] De his dubium movet MAIMONID. Hilc. *Melachim cap. VI.* §. 5. cur aſtu, doloque petierint pacem, gentem ſeſe procul diſſitam fingentes, cum tamen recta via pervenire ad hoc, quod cupiebant, potuerint? & reſpondet, hoc ideo ab ipſis patratum, quod ablatam antea pacem non accepiſſent, ſed alto ſupercilio ſpernentes, exciſionem meruiſſent. Nec ſpreverunt modo, ſed percuſſo cum Iſraelitis fœdere obtinuerunt quoque, ut tueri eos adverſus inſurgentes quinque reges Cananæorum Joſ. IX. & X. tenerentur Iſraelitæ. Arabes autem quo pacto fraudem hanc Gibeonitarum deſcribant, vide apud HOTTINGER. *Smegmat. lib. I. p.* 509 *ſq.*

AD

LIB. VI. CAPVT IX.

DE MENSVRA.

Ad §. I. pag. 157.

Menſuræ Hebræis uſitatæ] De menſuris Hebræorum veterum multi erudite præceperunt, e quibus nominari merentur, BEN. ARIAS MONTANVS *Antiquitatum Judaic. libro VII, Tubal-Cain* inſcripto, qui *Crit. Anglic.* edit. Francofurt. *Tom. VI. fol.* 645. ſubjunctus legitur: IOH. BAPTISTA VILLALPANDVS *Commentar. in Ezechiel. Tom. III.* qui inſcribitur: *Apparatus Vrbis ac Templi Hieroſolymitani, Part. II. Lib. I.* ubi de ponderibus & menſuris, capitibus VI Geometrice agit, *a p.* 249-328. *Lib. II.* de ponderibus & numiſmatis Romanorum, Græcorum, Hebræorum promiſcue, diſputationibus IV, *a p.* 329-431. *Lib. III.* exponit de Romanorum, Græcorum, Hebræorum menſuris, *a p.* 433. *usque ad finem.* ATHANAS. KIRCHERVS de ponderibus Orientalium veterum præcipit *in Oedipo Aegypt. Tom. I. Part. II. Claſſ.* 3. *cap.* 5. *p.* 161 *ſqq.* CASP. WASERVS *de Antiquis Hebr. menſuris libb. III. Crit. Angl. cit. loc. fol.* 1033. EDWARD. BERNARD, in conciſa, ſed exacta, & multo cum judicio & ſtudio concinnata, explicatione *menſurarum* tam *concavarum*, quam *diſtantium*, quæ ad calcem *Commentarii Anglic. in vaticin. Hoſeæ* EDWARDI POCOCKII exhibetur: STANISLAVS GRSEPSIVS, *de menſuris Hebraicis tam aridorum, quam liquidorum*, ſub finem *Faſciculi II. Opuſculor.* THOM. CRENII *p.* 397. & qui haud ita pridem huic ſtudio inſudavit, BERNHARD. LAMY, Congregat. Orator. Presb. in ſplendido *de Tabernaculo Fœderis, de ſancta civitate Jeruſalem, & de*

Templo

Templo ejus opere, Parisiis in folio 1710. excuso, *cap. VIII. fol.* 93.

Ad §. I. pag. 157.

(2) *Duarum fuerunt specierum*] Alii aliter dispescunt. Auctoris partitioni ansam præbuit duplex quantorum mensurandorum species. Est enim quantitas alia *continua*, cujus partes sibi invicem junguntur & cohærent, velut ædificiorum, viarum &c. alia *discreta*, cujus partes distinctos habent terminos, nec sibi cohærent, v. g. frumentum, liquida &c. Generale vocabulum, quo Hebræis, Chaldæis atque Syris *metiri* vel *mensurare* effertur, est מדד, quod ædificiis proprie, synecdochice aliis quoque rebus dimetiendis accommodatur. Hinc nomen מד vel מדה vel מדון mensura continuorum, modius, velut ex adverso משורה est discretorum. Nonnunquam pro instrumento mensorio, quod alias quoque קו dicitur, poni consuevit, ut Lev. XIX, 35. *nec exerceto perversitatem* במדה *in mensura*, ne scilicet Funiculus sive Arundo, justo sit vel longior, vel contractior. Ceterum a verbo isto elegantissimæ natæ sunt phrases parœmiales: v. g. *Metiri aquas certa mensura*, quod de Deo dictum, notat, quod sapientissime globum terraqueum composuit & gubernat Job. XXVIII, 25. Idem *pugillo aquas metitur*, Jes. XL, 12. dum nullo prorsus labore maxima & minima curat: *in sinum metitur*, cum peccatoribus admetitur pœnam prolixe & cumulate, velut sine numero dantur, quæ in sinum vel gremium solent profundi. *Eadem metiri mensura*; quod est, par pari referre, ἴσον ἴσῳ, sive ut Hebræi loquuntur, מדה כנגד מדה, quod Christus ita effert: ἐν ᾧ μέτρῳ μετρεῖτε, ἀντιμετρηθήσεται ὑμῖν Matth. VII, 2. &c.

Ad §. II. pag. cit.

(3) *Granorum hordeaceorum*] Ita cum Hebræis, ARIAS MONTANVS *cit. loc. ab init.* pronunciat: *Fuit & ponderis & mensuræ prima æstimatio ex hordei granis. Sex enim hordei grana, simul conjuncta ea parte, qua crassiora sunt, digitum unum pollicem constituunt.* Indeque factum existimat, ut hordeo nomen שעור/ quod Latine *putatio, cogitatio* & *quantitas* significat, imponeretur. Istud autem primum mensuræ initium repudiat BERNARD. LAMY *p.* 94. quia granorum tritici in mensuris sacris nulla fiat mentio, sed digitorum. Neque vero Scripturæ illam tribuit ARIAS, quæ licet in partienda mensura, infra digitum non descendit, locum tamen reliquit Hebræorum Magistris, in primum quantitatis continuæ principium inquirendi, cui grano hordeaceo in crassitudine, aptius aliud non invenerunt. Vnde BERNARDVS, Anglus, quoque digiti latitudinem definit, *quantum spacium faciant sex hordeola.*

Ad §. III. pag. cit.

(4) אצבע *Digitus, seu latitudo pollicis*] Hujus in Scriptura semel tantum fit mentio Jer. LII, 21. ubi crassitudo columnarum æneārum ארבע אצבעות *quatuor digitis* polluisse memoratur. Est hæc definitæ mensuræ species, pars pedis decima sexta, & sic minima mensurarum continuarum, quæ quia per digitos, tanquam suum principium declarantur, *Filiæ digitorum* appellantur. Et recte quidem de pollicis latitudine Auctor, cum ceteris doctoribus, exponit. Quia vero nomen Hebræum non magis dicit majorem digitum, sive pollicem, quam minimum, LAMY intelligere mavult digitum communem. Quin quatuor istos digitos, qui latitudine sua crassitiei columnarum æquiparantur, censendos esse statuit *quatuor transversos digitos, inter quos pollex non numeratur.* Qui scrupulus quoque, a FRANC. IVNIO injectus, vellicasse videtur Auctorem nostrum. Quia tamen inter latitudinem pollicis & minimi digiti, notabilis intercedit diversitas, nihil certi hac mensura definiretur, si promiscue de digitis acceperis. Præstat itaque, communi stare sententia, quam Hebræi passim tuentur. Inde varia rursus nata adagia. *Metiri digitis*, pro, rem ad pulvisculum excutere, & accura-

curatius fere expendere, quam par erat: *Transversum digitum non secedere*, pro, exacte ductum sequi, ne vel minimum a regula aberres. *Extremis attingere digitis*, cum levissime aliquid tractatur &c.

Ad §. IV. pag. 157.

(5) *Palmus*] טפח Hebræis audit, Græcis παλαιστής, de quo R. IECHAIAS in *Schalchælet Hakkabbala*, 'ר טופח האמור בכל מקום ד אצבעות: mensura *Tophach omni loco est spacium quatuor digitorum*, & quidem exponente R. DAVID. KIMCHIO, אצבעות דבוקות *digitorum cohærentium* seu conjunctorum. Quinam autem Rabbinis *Palmus dolens* qui *Palmus ridens* vocetur, infra monebitur *Annot.* 9. HIERONYMVS modo *Palmum*, modo *quatuor Digitos*, modo *tres Vncias* reddit: Palmus enim tres Vncias habet, quatuor autem Digitos. Græcis appellatur δοχμή, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι, *ab accipiendo*, sive comprehendendo, & δακτυλοδόχμη, quasi comprehensio per quatuor digitos. Exod. XXV, 25. coronæ aureæ, qua præcingenda erat mensa, altitudo præcipitur esse טפח. Confer etiam 2 Chron. IV, 5. & 1 Reg. VII, 26. Adagialiter quoque, pro brevi & exiguo alicujus rei modulo adhibetur, quando Psalm. XXXIX, 6. David conqueritur, Deum dies sibi dedisse טפחות *palmos*, h. e. brevissimos, quibus non plus ævi superfit, quam est palmus. Porro *parvulos palmorum*, Jeremias perquam brevissimæ staturæ & tenerrimos appellat, Thren. II, 20. horrendam ævi sui famem depingens, in qua matres comederint liberos suos adhuc palmares.

Ad §. IV. pag. ead.

(6) *Major vocatur* זרת] Illam, quam Auctor adhibet, inter Palmum majorem & minorem, distinctionem GVIL. BVDAEVS dicitur adinvenisse; & eo facit, ut Latinus Interpres vetus concilietur & excusetur, qui utramque mensuram, טופח & זרת communi *palmi* vocabulo reddit, quam curatius expresserunt Græci, illam παλαιστήν, hanc σπιθαμήν exponentes. Et multum omnino utraque differt. זרת & Chaldæis atque Syris זירתא, tribus constat palmis, sive digitis duodenis, vel novem pollicibus, & ut R. DAV. KIMCHI in libro *Radicum* definit, tantum continet intervallum, quantum est digitis expansis, inter pollicem & digitum minimum sive auricularem, quæ *Spithama* est, Latinis *Dodrans pedis*, vel simpliciter *Dodrans*, mensura novem constans unciis. Hujus mensuræ, & in longitudine, & in latitudine, fuisse perhibetur pectorale Pontificis, cui inditum erat Vrim- & Thummim Exod. XXVIII, 16. XXXIX, 19. Præterea Goliath altus fuisse perhibetur sex cubitos, & spithamam, 1 Sam. XVII, 4. Quando autem Jes. XL, 12. Deus dicitur cælos expandisse בזרת *spithama*, tum idem est, ac levissimo negotio. Versatur enim Propheta in celebranda Dei majestate & omnipotenti virtute, qua ad stupendas cum excitandas, tum sustentandas moles, nullis opus habet machinis, sed quasi pugillo & palmo, mare & cælos constituit, & adhuc conservat. Juvat perspicuam & solidam totius commatis paraphrasin, Theologi accuratissimi, IOH. GEORG. DORSCHEI, hic inserere, quam *in Disput. XIII. Pentadecadis ex Psal. CX.* §. 49. *p.* 465. subministrat: *Deus vastissimas & profundissimas totius Oceani aquas tam facile continet, quam facile homo paucas aquæ guttas pugillo complectitur. Totus ergo Oceanus Deo res est adeo parva, quam est aqua, quam vola vel pugillo metimur & stringimus. Idem cælos palmo ponderavit. Palmus est extensa manus, ab extremo pollice, usque ad minimum digitum; quod si contrahas manum, fit pugillus: q. d. sicut Atlas a Poetis fingitur, cælum humeris sustinere, ita vere Deus, cæli mundique Atlas, immo creator, non humeris, sed palmo, seu manu sua supposita, non tantum metitur, sed & appendit, librat, & quasi ponderat, ingentem illam molem & vastitatem:* &c. In eandem sententiam, elegantissimam lege, licet explicationem verborum vernaculam, in GEIERI *de omnipræsentia Dei Medit. XXXI. p* 607. Ast VITRINGA *Comment. in h. l.* per spithamam intelligit canonem

nem, & menfuram perfectiffimi judicii, quæ eft perfecta ratio, fummæ potentiæ juncta, quæ in nullo Ente eft, quam in Deo. Hoc ut evincat, provocat ad Jerem. X, 12. Jobi XXVI, 13. Pfal. XXXIII, 6. tanquam ad parallela. In iis quidem locis, fapientiæ divinæ creatio cælorum tribuitur, fpithama autem apud Jefaiam per fapientiam illam directe non explicatur.

Ad §. V. pag. cit.

(7) פעם *Pes*] Ab ARIA MONTANO inter menfuras Geometricas refertur, idem faciens ac רגל *Pes*, juxta ARIAM duobus, juxta Auctorem noftrum, quatuor conftans Palmis minoribus. In dimenfione templi Ezechielis legitur cap. XLI, 6. atque tot peperit difficultates, ut VILLALPANDVS, & Interpretes paffim, obfcuritatem loci, ex hac voce oriundam, graviffime accufent. Rever. IOH. FRIDER. STARCKIVS *in Comment. ad h. l.* פעמים *pedes* reddi poffe negat, quia Angelus non pedibus, fed cubitis, metitur. Hinc ipfe *vices* exponit, & cubicula certis vicibus diftincta defignari obfervat, quorum numerus ad XXXIII affurrexerit. Vterque vocis fignificatus crebro Scripturæ ufu confirmatur; hic tamen præferendus pofterior. Certe Pedis menfuram laudatus fupra EDVARD. BERNARDVS *in Menfuris Diftantium §. IX.* prifcis Orientalibus plane denegat, inquiens: *Hebræi, Chaldæi, Perfæ, Arabes, Aegyptii, & reliquus quafi orbis, faltem brachio fuo, ejusque partibus funt ufi, quod urbanius equidem factum, & facilius & accuratius, ad reliqua intervalla comprobanda.*

Ad §. VI. pag. 157.

(8) אמה, *Cubitus, Vlna*] Quæ dicitur אמה *Vlna*, appellatur etiam גומד, quod utrumque vocabulum *hinc* fenfu proprio, cubitum, five os brachii extenfum, ab ima manu ad brachii curvaturam, quo offe innitimur, defignat, *hinc* translato fenfu menfuram denotat cubitalem, quæ a brachii flexu ad digiti medii fupremam usque partem putatur. In genere pro quacunque menfura ponitur, ut Jerem. LI, 13. *advenit cubitus avaritiæ tuæ*, h. e. tempus, quo Deus teterrimæ avaritiæ, & nefando quæftui modum ac menfuram fixit. *Statuit enim Deus modum peccato, quamdiu tolerare velit, priusquam ad vindictam procedat, ut Genef. XV, 13.* inquit IAC. ALTINGIVS *ad h. l. Tom. I. p. 942. b;* ubi menfuram avaritiæ, cum Epha impietatis Zach. V, 6. confert. SEB. SCHMIDIVS autem exponit: Venit finis tuus, *quem meruit menfura, impleta avaritia, oppreffione, & deprædatione multorum populorum, tyrannice tractatorum.* Sed prior expofitio ponderofior æque ac fimplicior eft. Hinc etiam proverbia manarunt, v. g. *eadem tibi menfura, eodem cubito metientur*, quo jus talionis defcribitur: item, *κατὰ πῆχυν ἐπεδίδε, juxta cubitum profecit*, de eo, qui profecit maximis acceffionibus: etfi aliter reddant alii, de eo nimirum, qui promotus effet ad majora, aut qui ordine legitimo progreditur, tanquam fi dicas, a minoribus ad majora paulatim, & *κατὰ πόδας* proceffit. Ceterum, antiquiffima hæc deprehenditur fuiffe menfura, ante diluvium jam ufurpata, qua nimirum arcæ modus a Deo Noæ præfcriptus legitur Genef. VI. Pofthæc univerfum opus Tabernaculi eadem in deferto eft definitum, Exod. XXV fqq. Sacerdotalium urbium fuburbana, millenos in ambitu cubitos ex his continebant Numer. XXXV, 4. Bis mille cubitorum fpacium inter Ifraelitas & arcam, viarum ductricem, erat præfinitum Jof. III, 4. Denique tota Templi, atque aliorum, quæ a Salomone perfecta funt, ædificiorum fabrica, hujus menfuræ rationibus conftabat 1 Reg. VI fqq. Sed & lignum ad Mardochæi necem ab Hamane paratum, L cubitis altum fuiffe, bis commemoratur Efther. V, 14. & VII, 9. Ezechielis quoque templum ad cubiti menfuram æftimabatur cap. XL fqq. Et Zacharias volumen volans, viginti cubitorum longum, & decem latum, vifum fibi refert cap. V, 2. Huc etiam WASERVS *cap. VI. Pygmæos* refert, a cubiti menfura, extremæ Indiæ incolas, quos *ternos dodrantes non excedere* PLINIVS memorat;

& MÜNSTERUM notat, qui Ezech. XXVII, 11. per *Gammadim* tales homunciones designari existimaverat.

Ad §. VI. pag. 157.

(9) *Continet Pedem & dimidium, seu sesquipedem*] Ut Judaei metiuntur, sex טפחים *Palmis* constat, h. e. Digitis viginti quatuor. Est enim mensura duplo major, quam זרת tribus constans Palmis; adeoque semicubitalis. Ita MAIMONIDES ad Massech. עירובין *de commistionibus termini Sabbathici*, statim *ad cap. I. Mischn. I. Praeterea scito*, inquit, *quod quaevis Ulna, cujus in Erubhin, in Succah* (cujus Mischna I. praecipitur, quot ulnis patere debeat Tabernaculum in latitudine & altitudine) *in Kelajim fit mentio, sit* אמה בינונית ר"ל שש טפחים בכל מקום *Ulna media*, h. e. *quod habeat sex Palmos in omni loco*. Idem repetit R. OBAD. DE BARTENORA ad h. l. sed uberioris explicationis gratia adhuc addit: *Palmus vero omnis habet quatuor Digitos in pollice* (h. e. 4. pollices) *nisi quod nonnunquam metiendum sit* טפח עצב *per Palmum Dolentem*, *h. e. ejusmodi palmum, in quo non relinquet quicquam laxationis, inter digitos pollicis, unum & alterum, sed constricti sint, ut unus alterum tangat: nonnunquam vero danda sit aliqua laxatio inter pollicem & pollicem, ut alter alterum non tangat, qui palmus vocatur* טפח שוחק *Palmus Ridens*, h. e. non adeo constrictus & rigorosus. Posthaec paulo latius exponit, quo tempore metiendum sit per Palmum dolentem seu strictum, quo iterum per Palmum ridentem, seu latiorem, quae huc transferre non facit ad rem. Hic itaque est πῆχυς μέτριος communior cubitus, seu אמת האיש *cubitus viri* Deut. III, 11. ἑξάδωρος, *sex palmorum*, qui frequentissime occurrit.

Ibidem.

(10) *Cubitus sacer*] Communis Rabbinorum sententia fert, velut geminum Siclum, ita geminum pariter obtinuisse Cubitum in mensuris, Communem, de quo hactenus dictum, & Sacrum, qui duplo fuerit major. Verum non eodem modo declarant. R. ABRAHAM הרופא in libro שלטי הגבורים *cap. LXXII.* (quem locum BUXTORFIUS quoque produxit *in Histor. Arcae Foed. cap. VII. p.* 85.) ita habet: *Sciendum, Cubitos, de quibus Rabbini nostri loquuntur, non fuisse omnes aequales, & ejusdem generis. Nam Cubiti altaris aurei, cornuum, ambitus, & fundamenti seu fundi ejus, fuerunt quinque Palmorum, secundum* R. IEHUDA in Talm. Menachot cap. XI. Mischna 5. *Et hi vocantur* אמות קטנות Cubiti parvi. *Verum Cubiti structurae templi, & reliquarum rerum sacrarum, fuerunt sex palmorum, secundum sententiam* R. MEIR, *quam omnes sequuntur. His cubitis dimensus est Moses Tabernaculum, & vocantur* אמות של משה Cubiti Mosis; *item*, אמות בינוניות Cubiti mediocres: *quod in Sanctuario cubiti fuerint his aliquanto majores* &c. Juxta hanc interpretationem, Cubitus communis fuerit quinque palmorum, sacer vero sex; quam metiendi rationem etiam ARIAS MONTANUS tuetur, cubitum legalem sex palmorum, communem autem quinque tantum fuisse asserens, atque secundum posteriorem, lectum Ogi, Regis Basan, h. e. sepulcrum aut loculum ferreum, ut ipse interpretatur Deut. III, 11. metitur, ita ut in longum ferme XLV, in latum autem XX continuerit palmos. In eandem sententiam concedit WASERUS *cap. VI.* illam vero opinionem, quod communis Hebraeorum cubitus, palmis duntaxat tribus, sacer vero, utpote duplo major, palmis sex definiatur, non alio niti observat fundamento, quam a paritate Sicli, qui vulgaris duplo minor, sacer duplo major sit aestimatus. Atqui geminum statuentes cubitum, ad Scripturae provocant auctoritatem, quae altitudinem columnarum aenearum Salomonis 1 Reg. VII, 15, XVIII cubitis, sacris nempe, 2 Chron. III, 15 vero, XXXV cubitis, communibus quippe, duplo minoribus, definiat: porro Ezech. XLIII, 13. mensuram altaris describat, *cubito, cubito & palmo*; unde eliciunt, cubitum Babylonicum minorem fuisse Hebraeo sive Sacro, uno palmo. Denique in subsidium vocant 1 Reg.

I Reg. VII, 10. ubi lapides fundamenti Templi, mensurati cubito sacro, habuisse perhibentur octo cubitos, sed profano, cubitos decem. Verum quicquid est istius distinctionis, id omne BERNARD. LAMY *pag.* 96 *sq.* explodit, nec nisi unum cubitum in Scripturis constanter adhiberi contendit; quia alias in omnibus Scripturæ locis, ubi cubitorum fit mentio, animus merito anceps fluctuaret, cum nullibi Scriptores Sacri admoneant, quis Cubitus ipsis innuatur, Sacerne, an Communis. Hinc IOSEPHVS quoque distinctionem illam ignorat. Loca autem illa, pro evincendo gemino cubito in medium prolata, facili negotio invicem componit. In libro Regum quæque columna alta statuitur XVIII cubitorum, Paralipomenis, ambæ simul junctæ XXXV habuisse dicuntur cubitos, uno scilicet dimidio vel ad caput, vel ad pedem singularum relato. Apud Ezechielem genus mensuræ definiri ait, scilicet in mensura cubiti, qui in palmos dividitur. Lapides vero fundamenti, cui Templum innitebatur, omnes quidem innui fuisse grandes, dispares tamen, alios X, alios VIII cubitorum. EDVARD. BERNARDVS ita conciliat: *Instauratores Templi secundi, cauti nimis, Pollice uno auxerant Cubitum veterem, sive Mosaicum. Aurifabri etiam, sub Herodibus, modulis vasium sacrorum, dimidium pollicem addiderant. Masicta Celim cap. XVII. §. 9. Cubitus denique ἑπτάδωρος direxit Templum Propheticum, Ezech. XL.* Verum nulli dubitamus, LAMIO nostrum adjicere calculum, & geminum cubitum Rabbinorum saltem commentum censemus. Cum enim adeo dissentiant duplicis cubiti patroni, ut inter πεντάδωρον, ἑξάδωρον & ἑπτάδωρον fluctuent ancipites, testimonia vero Scripturæ commodam patiantur interpretationem, non est, cur in tantam nos immergamus hæsitationem, ex qua emergere vix datur. Vnus Ezechielis locus nimium favere videtur sententiæ priori: in quam eundem rapit quoque WASERVS. Sed omne dubium tollit Propheta, quando cap. XLI, 8. מלו הקנה *plenitudinem calami*, diserte definit שש אמות *sex cubitis*, absque ullo palmi additamento; nec dubium est, quin eadem in tota ædificii, partiumque ejus commensuratione, obtineat ratio. Hinc superius data ad cap. XLIII, 13. sufficiat responsio, quam LAMIVS uberius confirmat *Lib. V. cap. VII. sect.* 4. *p.* 825. Quod denique *de Cubito Regio*, qui trium digitorum longitudine superaverit Cubitum communem, Auctor addit, nullo Scripturæ nititur fundamento, a STANISLAO GRSEPSIO tamen *cit. loc. p.* 412. magna confidentia asseritur his verbis: *Apparet Reges antiquitus pondera & mensuras suas habuisse, quæ peculiari nomine* Regiæ *dicebantur; nec id apud Hebræos solum, sed & apud alias gentes Regibus usu venisse, credendum est. Nam &* HERODOTVS *scribens de rebus Persicis, cubiti quoque regii meminit, quem vulgari cubito dicit majorem tribus digitis fuisse. Majores mensuræ apud Hebræos, Regiæ peculiariter dictæ, sicut & pondere, sesquiplam habuerunt proportionem ad minores mensuras, quas minores communes cum aliis suæ gentis hominibus habuerunt. Batus regius major sesquibatum minorem capiebat* &c. Quæ omnia, ut ex Scripturis probasset, optarem. Constet enim HERODOTO sua fides de Persis: de Hebræis tamen nondum video evictum.

Ad §. VIII. pag. 158.

(II) חבל *Funiculus, Funis*] Interdum diserte restringitur addita usus nota, חבל המדה *Funiculus mensorius*, Zach. V, 2. utplurimum autem vocis notio, ex Contextu, aut substrata materia est petenda. Varie enim accipitur: *vel* pro agrimensorum instrumento, quo Josua terram promissam tribubus Israel dispartitus est cap. XVII sqq. Ita Amos. VII, 17. dicitur: *& terra tua dividetur funiculo*, h. e. aliis in possessionem cedet: *vel* metonymice pro regione, vel tractu, ut Deut. III, 4. *& cepimus totum funiculum*, h. e. regionem *Argobi*, Zeph. II, 5. *væ habitatoribus funiculi maris*, i. e. regionis maritimæ: *vel* pro cœtu & societate, ut I Sam. X, 5. *funiculus*, h. e. globus, seu turma *Prophetarum* appellatur: *vel*, pro portione hereditaria, sive pos-

possessione, funiculo velut definita, quomodo *funiculus possessionis Dei* Deut. XXXII, 9. Dei peculium salutatur. Confer Ps. XVI, 6. LXXVII, 55. Vnde Michæ II, 5. *projicere funiculum* dicitur, pro hereditatem partiri. Recte autem monet Auctor, justam ejus longitudinem ignorari, quia aliis contractior erat, aliis productior. Ex HERODOTO enim & PLINIO de Persis, ex STRABONE de Aegyptiis, quibus utrisque familiaris perquam & frequens erat funiculi sive τȣ̃ σχοίνȣ mensura, affatim constat, ejus longitudinem, in quibusdam locis CXX stadiis, in aliis XL in aliis LX in aliis XXX constitisse. Sic Jos. XVII, 15. Manassi dicuntur *decem funiculi* accidisse, cujus incertum est, quot stadia complexa sit hereditas.

Ad §. IX. pag. 158.

(12) קנה *Arundo, Calamus*] קנה proprie est calamus aquaticus, seu arundo in ripis limosis plurimum nascens, unde *arundo quassata* Jes. XLII, 3. *arundo a ventis agitata*, Matth. XI, 7. & 1 Reg. XIV, 15. nec non, *in arundinis quassatæ scipione confidere*, 2 Reg. XVIII, 21. Jes. XXXVI, 6. Ezech. XXIX, 6. elegantissima metaphora, in adagiis usurpatur. Præterea calamus aromaticus est Exod. XXX, 23. quem quidem WASERVS saccharum producere perhibet: calamus quoque in candelabro sacro Mosis, propter externam similitudinem Ex. XXV, 29. Hic loci autem perticam notat mensoriam, dimetiendis structuris & agris idoneam, sex cubitos longam, juxta ea, quæ ex Ezech. XLI, 8. paulo ante disseruimus. Sin vero, cum Rabbinis & WASERO, commati 5. capitis XL. inhærere cupias, juxta ea, quæ supra *Annot.* 9. observavimus, loco priore palmos strictiores, posteriore laxiores intelligas, & hoc pacto palmum unum sex cubitis adjiciens, facillime utrumque Prophetæ locum conciliabis. Quia Græcis & Romanis decem pedes producta erat, μέτρον δεκάπȣν *Decempeda* vocabatur. Contra vero ea, Cannam Hebraicam ἑξάπηχυν, *sex cubitorum*, sive 36. palmorum; h. e. novempedam facit ED. BERNARDVS *cit. loc.* §. 18. & a Decempeda Græcorum ac Romanorum §. 19, 20. distinguit.

Ad §. X. pag. 158.

(13) *Minima hujus generis fuit* צעד *Passus*] Passuum quidem naturalium ac proprie dictorum, stata nulla est & fixa mensura, quia non æquali homines omnes incedunt gressu, sed breviores alii, alii longiores conficiunt. A Geometris autem ad certam & definitam passus revocatus fuit distantiam, ita ut passus Hebraicus pedibus quinis æquetur. Isque *passus major* vocatur, seu Geometricus, ad quem verba referas 2 Sam. VI, 13. Ab hoc distinguitur *passus minor*, qui proprie *gressus* est, quantum nimirum spacii in progrediendo intercedit, inter digitos prioris pedis & calcaneum posterioris, quod duos pedes habet & semis, quodque est dimidium passus majoris, & פשע vocatur 1 Sam. XX, 3. ubi adagialiter spacium perexiguum notat, quo præsentissimum capitis sui periculum David scite describit. Vocatur etiam a Rabbinis פסיעה / cum elementorum permutatione, & מפשעה.

Ad §. XI. pag. ead.

(14) Στάδιον, *Stadium*] Vti Aegyptii Schœnis locorum intervalla metiebantur, quibus singulis stadia tribuebantur XL; & Persæ Parasangis, quæ singulæ stadia Attica continebant XXX vel passuum Persicorum, Hebraicorumve tria millia; ita Græci stadiis, quorum singula CXXV passuum, PLINIO auctore, vel pedes DCXXV teste COLVMELLA, utrosque quippe Romanos, complectebantur. SVIDAS ita definit: ςάδιον κατὰ μῆκος ἔχει πόδας χ´. *stadium in longitudine habet pedes sexcentos.* In putando stadio Græco miram demonstrat industriam ED. BERNARDVS §. 22. ubi simul observat, FLAV. IOSEPHVM loca sacra stadiis ejusmodi Græcis dimetiri, sicut eadem milliaribus, sive signis Romanis, EVSEBIVS, HIERONYMVS,

MVS, & IOH. PHOCAS describit. In Novo Fœdere Luc. XXIV, 13. de discipulis Emaunticis memoratur, die resurrectionis Dominicæ eos profectos fuisse εἰς κώμην, ἀπέχουσαν σαδίοις ἑξήκοντα ἀπὸ ἱερουσαλὴμ, *in pagum distantem stadia sexaginta ab Hierosolyma.* Rabbini, Syra voce אסטרון & אסטרותא efferunt, & Græcorum morem ac mensuram imitantur. Talmudicorum stadium ריס vel רום vocatur, *curriculum*, ab Hebr. רוץ *currere*, & 625 פסיעות gressuum minorum sive pedum, ac 125 passuum æstimatur. Videntur hac voce ad locum certaminis digitum intendere, qui stadii nomine pariter venit, quo Paulus respicit, quando ad τοὺς ἐν σαδίῳ τρέχοντας, *eos, qui in stadio currunt*, 1 Cor. IX, 24. provocat. Vnde stadium Olympicum, stadium Laodicenum &c. dictum. Ἱππικὸν σάδιον, *Circus equestris*, quatuor stadia complectebatur, quale adhuc Constantinopolitanum, & alia visuntur. Sic Hippodromium Oenomai, quatuor stadia longum, unum latum &c. In N. T. præter citata loca, stadiorum fit mentio Joh. VI, 19. XI, 18. Apoc. XIV, 20. XXI, 16.

Ad §. XII. pag. 158.

(15) *Milliarium est spatium mille passuum, plurium tamen apud Hebræos*] A numero mille passuum cujusvis populi, nomen sortita est hæc distantia, ut *milliare* sive *milliarium* Romanis, μίλιον vel μιλιάριον Græcis, eademque voce Hebræis מיל & מילא diceretur. Pro diversitate ergo passuum, qui genti uni majores, alteri minores in usu erant, disparitas putanda est milliariorum. Hebræis porro cum passus recepti essent duplices, majores, qui proprie *passus* dicti, & minores qui *gressus* erant, ut supra *Annot.* 13. monuimus, hinc duplicis generis enata sunt milliaria, *majora*, secundum passus æstimata, & *minora*, secundum gressus. Vnum itaque majus duo conficiebat minora. Hinc intelligi potest MAIMONIDES, quando Hilc. *Tephillath cap. IV.* ארבע מילין *quatuor milliaria* metitus, dicit: שהם שמונה אלפים אמה *quæ octo mille cubitis constant.* מיל enim quarta pars τῆς פרסה erat, quæ octo mille cubitos, seu gressus continebat; itaque milliare duo millia gressuum, h. e. passus majores mille complectebatur. Quando vero WASERVS *cap. IX.* §. 2. observat, Veteres quia spacium milliare lapidibus & cippis signabant, Hebræos אבן & מצבה vel מצבת Latinos vero cippum & lapidem pro milliari accepisse; nisi quis forte malit de statuis Mercurialibus intelligere, quas ad commonstrandam iter facientibus viam, κατὰ χώρας olim erexerunt. De Romanis facile largior, quod apud FLORVM, LIVIVM, VALER. MAXIMVM, aliosque probæ notæ scriptores veteres, nil frequentius est, quam quod *ad Lapides* itinera metiantur. Hebræis autem iste vocum usus plane ignoratur. Monimenta quidem erigebant & lapides, verum nec viarum indices, nec mensurarum testes, sed ad memoriam rei gestæ conservandam & ad posteros propagandam; quale de Jacobo Gen. XXVIII, 22. XXXV, 14, 20. de Mose Exod. XXIV, 4. de Samuele 1 Sam. VII, 12. aliisque bene multis, memoratur. Vt frustra sit, qui hanc lapidibus & statuis apud Hebræos vel notionem tribuit, vel consuetudinem. Milliaris autem mentionem injicit Christus, quando Matth. V, 41. *si quis te angariabit ad milliare unum, abi cum eo duo*, ut significet, Christianos a vindictæ cupiditate tam procul abesse debere, ut duplices potius plagas, sive incommoda ferre malint, quam malum malo rependere.

Ad §. XII. pag. citat.

(16) *Apud quos vox* כברה] Ter hoc vocabulum, & semper voci ארץ junctum, in Scripturis legitur, Gen. XXXV, 16. XLVIII, 7. & 2 Reg. V, 19. nec tamen satis liquet, quid proprie notet. Duplex enim circa illud controversia agitatur. una: utrum sit vocabulum simplex, an cum כ servili & præfixo compositum? altera: quis proprie ejus sit sensus? Compositam credit Auctor, secutus MERCERVM, PAV-

LVM

LVM FAGIVM, atque hi KIMCHIVM. Alii, absque præfixo servili, nomen simplex statuat, ab הכביר *multiplicavit*, cui adstipulatur WASERVS, quasi ἀντιφραστικῶς exiguum terræ spacium notet; quod longe petitum videtur. Doctissimus FVLLERVS *Miscell. lib. II. cap. XV.* vocem כברה per metathesin unius literæ, idem esse vult ac רכבה, *equitatio*, cursus equestris, quia Græcorum Hippodromum, de quo mox, habuit in mente. Sed convenientior nobis videtur sententia LVDOVICI DE DIEV, qui ברה agrum designare observat, quem Rabbini בר dicunt, ut hic in forma constructa arvum designet, sive tantam agri longitudinem, quantam CC sulcis efficit arator. Quocum paria faciunt TREMELLIVS & IVNIVS, pro spacio exiguo, sed ignoto habentes. Nobis, cum definire distantiam non detur, communi quodam vocabulo, quale est *jugerum*, circumscribenda videtur, ut כברת הארץ *circiter agrum terræ* notet. Præterea, sensum vocis multum implicarunt interpretes. LXX Græci reddiderunt: ἐγένετο δὲ, ἡνίκα ἤγγισε χαβραθὰ τοῦ ἐλθεῖν εἰς Ἐφραθὰ, ubi χαβραθὰ ipsum est Hebr. כברת: sed paulo plenius mentem suam exponunt c. XLVIII, 7. ἐγγίζοντός μου κατὰ τὸν ἱππόδρομον χαβραθὰ τῆς γῆς, τοῦ ἐλθεῖν Ἐφραθὰ, *appropinquante me, secundum Hippodromum, Chabrata terræ, ut venirem Ephrata*, ut via Hippodromi designent, quantum restiterit viæ ad urbem Bethlehem, a loco mortis & sepulturæ Rachelis. Multum insudat Hippodromi spacio excutiendo HEIDEGGER. *in Hist. Patriarch. P. II. Exerc. XIII.* §. 21. Sed laterem lavat, qui vel Jacobum, vel Mosen, Hippodromum cogitasse somniat, licet omnino tanto agri spacio Interpretes Græci cippum Rachelis a Bethlehemo abesse declarent. Res autem ipsa reclamat, cum uterque locus plus quam unius Hippodromi intervallo fuerit disjunctus. Arabs sane vertit *milliare terræ:* idemque statuunt Hebræorum nonnulli, quos tamen R. BECHAI auctoritate MAIMONIDIS confutat, qui *suis se oculis vidisse* testatus sit, *non esse inter statuam Rachelis & Bethlehem, ne quidem milliare.* Hinc etiam testis αὐτόπτης, R. BENIAMIN TVDELENSIS *in Itinerario p.* 47. distantiam illam esse ait כחצי מיל *dimidium circiter milliare:* quod Hippodromi stadium multum adhuc excedit. Vulgatus inepte vertit: *venit verno tempore*, quod calculo suo approbant CORN. A LAPIDE, & PERERIVS, quasi diceretur: juxta tempus, quo terra cibum & segetes profert, idque tempus non de autumno, sed vere intelligunt. Dudum ante hos, hanc interpretationem, ex aliorum suæ gentis mente, recensuit, &, quæ non sit פשוטו *sensus loci literalis*, repudiavit R. SAL. IARCHI *ad Gen. XXXV*, 16. Vt autem taceam, laudatum supra HEIDEGGERVM satis evicisse, Jacobum autumno potius, quam vere, Bethlehemum venisse; textus diserte docet, non de tempore, sed de spacio itineris, locique distantia, sermonem esse; & suffragatur parallelia 2 Reg. V, 19, ubi viæ distantia liquido innuitur, quando Gehasi narratur insecutus esse Naamanem, cum abiisset ab Elisæo כברת הארץ *quasi tractum terræ.* Vrget hoc argumentum excitatus jam IARCHIVS, additque: *existimo ego, quod* (istud כברת) *sit nomen mensuræ soli, ut puta spacium milliaris, vel amplius, sicut tu dicis:* צמד כרם *jugerum vineæ* (Jes. V, 20.) *item:* חלקת שדה *partem agri: ita in ambulatione hominis datur nomen mensuræ* כברת ארץ *spacium terræ.* Etsi vero circa milliaris spacium mihi non conveniat cum R. SALOMONE, quod nimis mihi censetur remotum, reliqua tamen, quæ affert, sententiam meam, quam supra produxi, confirmant.

Ad §. XIII. pag. 158.

(17) *Quædam mensuræ aridorum, & quædam liquidorum*] Quemadmodum continuorum dimensio, propria & generalissima voce, מדה, ita discretorum, שורה vel משורה appellatur. Est autem שור in sensu simplici & primo, *principatum tenere*, in metaphorico, *dimetiri*, quia dimensio quædam quasi rerum dividendarum princeps & dominus est. Generalis vocis significatus observatur Lev. XIX, 35. *ne per-*

perversitatem exercitote in dimensione (agrorum scilicet, vinearum, vel spaciorum) *in pondere* (sive trutina vel libra) ובמשורה *aut in mensura*, aridorum vel liquidorum. Sic I Chron. XXIII, 29. Levitæ dicuntur constituti *ad rationem mensuræ*, h. e. quantitatis aridorum & liquidorum, quæ ad sacra facienda adhibebantur, v. g. farinæ, olei, vini, & aliarum, ad oblationem munerum requiri solitarum, rerum, ut justam præceptamque continerent mensuram. Quando autem Ezech. IV, 11, 16, 18. denunciatur Judæis, eos in funesta obsidione Hierosolymitana, aquas bibituros במשורה *in mensura*, dira siti, horridaque fame, eos misere cruciatum iri, significatur. Mensuras apud Græcos & Romanos, ita dispescit IAC. SPONIVS *Miscell. Erud. Antiqu. Sect. IX. p.* 305. culleum, amphoram, urnam, congium, fuisse tantum liquidorum: modium, tantum aridorum: sextarium, heminam, quartaria, acetabulum, cyathum, ligulam, utrorumque. Idem porro ex Scheda, PITHOEI manu exarata, mensuras ita distinguit: *Cochlear habet dimidiam drachmam: Cochlearia tria Concham faciunt: Conchæ octo cyathum: Cyathi novem, heminam: Heminæ duæ sextarium: Sextarii sex, congium: Congia quatuor, modium: Modius unus & semis, urnam: Vrnæ duæ, Amphoram: Vrnæ tres, Cadum seu Artabam: Modii quindecim, Gomor: Gomor duo, Corum.* Quæ lucem affundunt iis, quæ sequuntur.

Ad §. XIII. pag. 158.

(18) *Certo testarum gallinacearum mediocris magnitudinis numero*] Principium mensuræ liquidorum apud Judæos, est ביצה h. e. capacitas ovi gallinacei mediocris, quod rursus in quinque partes, tanquam unciolas, dividitur. Ita definiunt Magistri in Tract. כלים *de Vasis* (non *Chelaim*, ut perperam allegatur ab ARIA MONTANO, indeque vitiose transscribitur a BERN. LAMY *cit. l. Sect. III. p.* 103.) *cap. XVII. Mischn.* 6. כביצה שאמרו לא גדולה ולא קטנה אלא בינונית *quando dixerunt* (Magistri), *instar ovi, non magnum, nec parvum, sed mediocre intelligunt.* Ad quæ verba MAIMONIDES commentatur: *Notum est, quod mensurandi modi per quantitatem ovi, instituti sint ex Lege, sicuti dictum est, quod ovi quantitas polluit immunditie cibi.* Ita *Mischn.* 5. *cit. loc.* de malogranato; & *Mischn.* 8. de oliva pronunciat, utrumque in genere mensuræ nominatum, nec magnum, nec parvum, sed mediocre designare. Quod autem de pollutione cibi monet MAIMONIDES, explicatur ab ipso ad tract. ערלה *de arborum præputiis cap. II, Mischn.* 4. ubi ex sententia HILLELIS in genere edicit, *edulia polluta non polluere alia, nisi in iis inveniatur quantitas ovi:* hæc enim censebatur minima, unde ad constituendum mensuræ cujusvis principium fuit relata in cavis. Num vero vas quoddam minutæ mensuræ, antiquitus in usu fuerit, quod a forma externa, Ovum appellabatur, quod vult GRSEPSIVS *cit. l. p.* 434. an saltem ex ovorum capacitate æstimatæ sint mensuræ majores, quod vero magis videtur simile, nunc non definimus; licet facile damus, veteres inter pocula cyathum habuisse, formam ovi referentem, quod ATHENAEVS & HESYCHIVS testantur, unde tamen vas mensuræ minimæ nondum constatur.

Ad §. XIV. pag. cit.

(19) *Intelligo id juxta mensuras Wintoniæ*] Ita Auctor noster, æque ac EDVARD. BERNARDVS, uterque Anglus, ad patriæ suæ mensuras, pondera & nummos, pariter BERN. LAMY ad Gallicas rationes, ista omnia revocat & componit, satius facturi omnes, si, ut exteris consulerent, vel antiquis Græcorum aut Romanorum mensurandi & æstimandi modis fuissent usi, vel descriptionibus ejusmodi generalibus mentem suam declarassent, quas caperent omnes.

Ad §. XV. pag. 159.

(20) קב *Cabus continebat tantum*] Inter τὰ μέτρα ξηρά, *aridorum mensuras*, minima Hebræis

bræis eſt Cabus, quæ ſextam continebat partem Seæ vel Sati, & tantum capere perhibetur, quantum continere poſſunt teſtæ ovorum gallinaceorum XXIV, & homini ſobrio diurni cibi menſura æſtimabatur. Quando autem 2 Reg. VI, 25. tam dira Samaritas preſſiſſe fames memoratur, ut quarta pars Cabi ſtercoris columbarum quinque ſiclis argenteis venderetur; adeo in diverſas rapuit ſententias hæc narratio Interpretes, ut perlectis omnibus, vix invenias, in quo acquieſcas. Stercus columbinum in cibum vertere, quod plerique hic factum credunt, licet horrenda fames adigere potuiſſet obſeſſos, fruſtra tamen id tentatum fuiſſe perhibent alii, quod in columbinis excrementis, calidiſſimis omnium, nihil ſuperſit, quod ab homine digeri, aut in nutritionem corporis expectari poſſit. Hinc alii eo prolabuntur, ut ſtercore iſto Samaritanos non pro cibo, ſed pro lignis, uſos fuiſſe cenſeant, cum tempore obſidionis lignatum exire non liceret. Verum reclamat Textus, juxta quem non frigoris, ſed famis, quærebatur levamen. KIMCHIVS, R. DAVIDIS parens, novam invenit viam, ita explicans: *Eſt quarta pars ejus, quod eſt in ventriculo columbarum, nempe frumenti. Evolabant enim columbæ, & in agris comedebant frumentum; reverſæ in urbem capiebantur ac interficiebantur: homines autem frumentum illud ex ingluvie earum colligebant ac vendebant, ut inde durante obſidione viverent.* Ita quidem קב poneretur pro קבה *ingluvie, ventriculo*, atque חריונים *ſtercus*, pro comprehenſo in ingluvie frumento. Quæ velut coacta ſunt & dura, ita vix fidem invenit commentum. Quot enim columbarum ingluviem evacuaſſe oportuit, ad unum implendum Cabum? & tot occiſis in dies columbis, quamdiu duraturus fuiſſet iſte mercatus? Denique ut permutationem vocis חריונים cum דביונים taceam, quam verecundiæ cauſa intrudunt Judæi, aliasque prætercam explicationes; vaſti vir ingenii & infinitæ lectionis, SAM. BOCHARTVS *integro Cap. VII. lib. I. Hierozoici, P. II.* in hunc locum data opera inquirens, profligatis ſeptem ſententiis, ipſe demum cibum viliſſimum hoc ſtercoris columbini nomine indigitari exiſtimat, & genus ciceris exponit, magnoque cum doctrinæ apparatu ex Arabiſmo tuetur. Paulo aliter CASPAR. NEVMANNVS *Diſſert. Epiſt. ad* LEIBNITIVM *p.* 21. mavult purgamenta leguminum & frumentorum intelligere, columbis alias projicere ſolita. Nos primæ adhuc, utut triſtiſſimæ, verbis tamen Textus omnium optime reſpondenti, inhæremus interpretationi, ad id, quod obvertebatur, regerentes, urgente Saguntina ejusmodi fame, miſeros mortales, non tam quid alimentum præbeat corpori, quam quod latrantem expleat ſtomachum, quærere, atque iſtud interdum deglutire, quod primum eſt obvium, licet alias a natura ſit alienum.

Ad §. XV. pag. 159.

(21) *Abſtulerunt mulieres*] De garrulitate mulierum, præter dicterium ab Auctore citatum, quod in Gemara Maſſ. *Kidduſchin fol.* 49. *col.* 1. legitur, frequens Hebræis eſt proverbium: הדבור מצוי בנשים *Loquacitas reperitur in mulieribus.* Cui jungas, quæ ex profanis ſcriptoribus notarunt Chriſtiani, ZEHNERVS *Cent. II. Adag.* 55. *p.* 340. DEL RIO *Adag. Sacr. I. p.* 572. VALESIANA *p.* 96. VELLOSO *Comment. in Judith. Præfat.* **. PINEDA *Comment. in Job. XXV*, 4. *pag.* 418.

Ad §. XVI. pag. 159.

(22) עמר *Omer continet*] Hujus menſuræ capacitas diſerte definitur Exod. XVI, 37. והעמר עשירית האיפה הוא *eſt autem Homer decima pars Ephæ:* unde Paraphraſtis Chaldæis עשרון, IOSEPHO ὁ Ἀσσαρὼν transfertur, quin & Num. XV, 4. עשרון *Decima ἁπλῶς*, & κατ᾽ ἐξοχὴν vocatur. Epha ergo cum definiatur LXXX Cabis, h. e. capacitate teſtarum ovorum gallinaceorum CCCCXXXII; Homeren capere inde colligitur, Cabum cum dimidio, & quintam Cabi partem, ſeu quantum capiunt teſtæ ovo-

ovorum XLIII & quinta ovi pars. Descendit vocabulum vel ab עמר *ministerio alicujus uti*, vel *commodum ex aliqua re percipere*, ut sit Homer quasi, mensura subministrando & percipiendo Israelitis victui quotidiano serviens: vel ab עמר quod est *manipulus frugum*, ut mensura sit, continens tantum granorum, quantum communiter ex manipulo frugum excuti potest. BARTENORA *Comment. ad Cod.* חלה *cap. II. Mischn.* 6. ita definit: *Omer erat decima pars Ephæ: Epha continebat tria Sata, Satum autem sex Cabos, unde fiet, ut XVIII Cabi sint in Epha: Cabus continet quatuor Logos: decima pars LXXVII efficit Logos, & decima pars duorum Logorum efficit quintam ovi partem & ovum, quia Logus conficit sex ova.* Monet autem simul, non eandem omni tempore hujus mensuræ fuisse rationem, quia in terra Canaan, sextam partem addiderint majores mensuris; unde factum, ut Omer, qui in deserto valebat septem Logos, & ovum cum quinta parte ovi, posthæc Hierosolymis valeret sex Logos. Porro cum venerunt Zippori, addiderunt sextam mensuris Hierosolymitanis, ut sex Logi fierent quinque, & hanc esse *quinquies quartam partem farinæ*, de qua ad conficiendam חלה *placentam* dicto loco præcipit Mischna. Ceterum Homer, Græcis Γομὸρ, non aridorum solum, sed & liquidorum fuisse mensuram, decem Cotulas capientem, ex Ezech. XLIV, 13, 14. liquet, ubi de primitiis olei sermo est, statimque subjicitur: ὅτι αἱ δέκα κοτυλαὶ εἰσι γομὸρ, *quia decem Cotylæ sunt Gomor:* quod in Hebræo legitur, *decem Bath sunt Homer.*

Ad §. XVII. pag. cit.

(23) סאה *Seah*, Σάτον, *Satum*] Σάτα juxta SVIDAM, quod est Chaldaicum סאתא. Est tricesima Cori, & tertia pars Ephæ, quandoquidem XXX Sata Corum, & III, Epham præcise ceperunt: singula vero tres Homeres, & Homeris trientem, sive sex Cabos, vel quantum capiunt testæ ovorum gallinaceorum CXLIV. Gen. XVIII, 6. Abraham uxorem jubet *tria Sata similæ*, pro tribus hospitibus parare; Levitic. XXII, 14. *quintæ partis* Sati fit mentio; 2 Reg. VII, 1, 16, 18. Elisa prædicebat, fore ut postero die Satum similæ uno statere, & duo Sata hordei tantidem venirent, quod & ita evenit. Matth. V, 15. τῷ μοδίῳ fit mentio, quod Syrus Interpres סאתא *satum* exponit; unde simul constat, stante posteriore Templo, eandem in usu fuisse mensuram. Et hinc Interpretes Latini vulgo reddunt *modium*, respectu habito ad modium Atticum, vel Syriacum, vel Babylonicum, vel Arabicum, cui exacte & præcise respondet סאה Hebræorum. Quando autem de mensura agri dicitur, *Seah conficit quinquaginta ulnas per quadratum*, inquit BARTENORA *ad Mischn.* 1. *Cap. III.* in Tract. פאה *de angulo:* unde intelligi potest, quod 1 Reg. XVIII, 32. dicitur, Eliam circa altare suum canales effodisse, *quantum soli caperent duo Sata seminis.* MAIMONID. *Not. ad Mischn.* 2. *Cap. II.* tract. כלאים *de Heterogeneis* ita pariter definit: *Spacium Sati est spacium quinquaginta cubitorum, per quadratum, cujus spacii mensura conficit duo millia & quingenta cubitorum; & totum spacium per computum Geometriæ erit duo millia cubitorum & quinquaginta, tam per lineam circularem, quam quadratam, aut triangularem, aut cujuscunque figuræ.*

Ad §. XVIII. pag. cit.

(24) איפה *Epha continet tria Sata*] LXX Interpretibus οἰφὶ, vel ὕφι, 3 Sata explebat, 18 Cabos, 72 Logos, 6 Hinnos, 288 Rebiitas, & 432 Ova. Tantum nimirum capiebat in aridis, quantum in liquidis Bathus, velut Ezech. XLV, 11. diserte dicitur: *Epha & Bath mensuræ unius sunto, ad tollendas decimas Chomeris pro Batho, & decimam partem Chomeris pro Epha. Juxta Chomerem enim erit mensura tua.* Chaldæus pro Epha Hebræorum ponit תלת סאין *tria Sata*, Exod. XVI, 37. Hinc colligit R. SALOMO, decimam partem Ephæ capere, quantum capiunt testæ ovorum 43, & quinta pars testæ. Et tantum quidem accipi solebat pro oblatione pla-

centæ, חלה dictæ, & pro Minchis, seu oblationibus cibariis. Frequentissima ejus in Scripturis fit mentio, quando v. g. Rutha Moabitis, ex spicis collectis & excussis, Epha invenisse memoratur, Ruth. II, 16. Eandem hordei mensuram Gideon in panes coxit, Angelo se allocuto proponendos Jud. VI, 19. Tantumdem farinæ Hanna, Samuelis mater, obtulisse sanctuario legitur 1 Sam. I, 24. Tantum polentæ David, fratribus in militia agentibus, a Jesse patre, ad Tribunum deferre jussus est 1 Sam. XVII, 17. Sic Jes. V, 10. in prædicta terræ sterilitate, semen Chomer Epham producturum minatur. In Novo Test. per σάτα τρία describitur a Christo Matth. XIII, 33. Hinc colligit ARIAS MONTANUS, regiam & maxime communem ac celebrem hanc fuisse mensuram, ceterarumque mensurarum omnium rationes continentem, ad publica etiam commercia maxime omnium usurpatam; cumprimis, quod, cum de mensuris vel æquis vel iniquis agitur, hujus tantum generis, tanquam ceterorum exemplaris, fit mentio, ut Deut. XXV, 14. *Non erit in domo tua Epha & Epha, verum Epha integra & justa erit tibi.* Conf. Prov. XX, 10. Amos. VIII, 5.

Ad §. XIX. pag. 159.

(25) לתך *Lethech continet quindecim mensuras*] Definiente KIMCHIO, RASCHIO, & Judæis ceteris, est חצי חומר *dimidia pars Chomeris*, quæ alias Hebræis ארדוב / Græcis ἡμίκορος, HIERON. *semicorus* dicitur, quod geminam Lethecam caperet Corus vel Chomer. Hinc apparet, continuisse illam V Ephas, Sata XV Chomeres XXV, Cabos XL. Ejus fit mentio Os. III, 2. *& mulierem adulteram comparavi mihi Chomere hordei & Leteca;* ubi per Chomerem Corus intelligitur, per Lethecam vero Semicorus, sive dimidius Chomer. Hebræis æstimatur *justum asini onus.*

Ad §. XX. pag. ead.

(26) חמר *Chomer*] Quia LXX Interp. toties pro χόμορ, inscite & ambigue posuerunt γόμορ, tantum turbarum dederunt EPIPHANIO & THEODORETO. Valet autem XXX modios Hebraicos, X Ephas, II Lethecas, DCCXX Logos, & Hebræis *justum* æstimatur *onus cameli:* quod contra Auctorem notamus. Est enim sacrarum mensurarum maxima, sicut מקוה Rabbinicarum. Confer Levit. XXVII, 16. Num. XI, 32. Ezech. XLV, 11. Non tam a חמור *asinus*, quod Auctori cum aliis placet, quam a חומר & חמור *cumulus, acervus*, appellatur Jud. XV, 16. Exod. VIII, 14, 10. Hab. III, 15. quod tantum frumenti, quantum mensura illa capiebat, justum cumulum faciat: unde ISIDORUS: *Chomer*, inquit, *a similitudine collis sic vocatur. Concervati enim modii triginta, instar collis videntur, & onus cameli efficiunt: Lib. XVII. Origin. cap. XXV. fin.*

Ad §. XXI. pag. cit.

(27) כור *Corus, eadem mensura fuit cum Chomer*] Juvat sane huc afferre observationem STANISLAI GRSEPSII *cit. supra loco p.* 397: *Hoc saltem interest, quod Chomer est vox antiquior, & Hebræis usitatior, &, ut ita dicam, magis vernacula. Corus autem, quem Hebræi Cor dicunt, vox non perinde antiqua videtur, nec ita Hebræis usitata. Non enim vel in Mosis libris, vel apud Prophetas, usquam reperitur, præterquam apud Ezechielem, cap. XLV,* 14. *Esdram, cap. VII,* 22. *& in libris Regum,* 1 *cap. IV,* 22. *V,* 11. *ac* 2 *Paralip. II,* 10. *& XXVII,* 5. *& videtur ad Hebræos ab externis pervenisse, quibus, ut apparet, magis usitata, quam Hebræis fuit: id quod ex scriptis* IOSEPHI, *& Septuaginta translatione colligi potest.* IOSEPHUS *enim Græce scribens, Cori voce sæpe utitur, Chomer autem vox, nusquam in scriptis ejus reperitur. Septuaginta vero pro Chomer, sæpe Corum interpretantur; quod satis arguit, externis vocem hanc magis notam & usitatam fuisse, contra quam Hebræis, quibus vocem Chomer magis usitatam & vernaculam fuisse constat.* Idem tamen utramque vocem notare, Doctores omnes fatentur. Adhuc vero laudatus GRSEPSIUS *pag.* 399. observat, quod decima Cori pars, etiam

Corus

Corus dicatur, ficut decima talenti, talentum. Hinc componere nititur IOSEPHVM, cum Sacris literis. Quod enim I Reg. V, II. traditur, Salomonem Tyriorum regi quotannis præbuiffe viginti millia Coros tritici, IOSEPHVS pro viginti millibus fcripfit duo millia, decem Coros pro fingulis Coris computans; quod ex alio IOSEPHI loco fufius declarare fatagit. Verum in HAVERKAMPI editione IOSEPHI, lectio FLAVII cum Textu Sacro ex affe confpirat, quando *lib. VIII. Antiqu. cap. II.* §. 9. ita habet: σίτȣ μὲν ἀυτῷ κατ᾽ ἔτος πέμψας δισμυρίȣς κόρȣς, καὶ τοσȣ́τȣς ἐλαίȣ βάδȣς. *Mittens quotannis tritici quidem viginti Cororum millia, oleique totidem Batos.* Meliorum Codicum fide, hanc lectionem, in locum vocis δισχιλίȣς, perperam pofitam mendofis editionibus, fe reftituiffe teftatur IOH. HVDSON *Annot. ad h. l.* Operam ergo ludit GRSEPSIVS, utriusque numeri conciliatione: quod obiter noto.

Ad §. XXII. pag. eand.

(28) *In rebus aridis metiendis*] Nec hoc per omnia fidem meretur. Corus enim tam liquidarum quam ficcarum rerum menfura erat, teftibus melioris notæ interpretibus omnibus. Vnde in cit. I Reg. loco, qui in Codice Hebræo cap. V, commate 25. legitur, כור tam de חטים *tritico*, quam de שמן כתית *oleo contufo*, adhibetur.

Ad §. XXIII. pag. cit.

(29) לוג *continet fex Ova*] Minima Hebræorum in liquidis, poft Ovum, menfura eft לוג & Syr. לוגא, unde enatam effe Latinorum *Lagenæ*, & Græcorum λαγύνȣ vocabulum, magno confenfu paffim viri docti tradunt. Vide GER. IOH. VOSSII *Etymolog. p.* 279. *a.* Comprehendit hæc menfura fex ovorum communium capacitatem; vigefimam quartam partem Seæ vel Sati, & duodecimam Hinis, adeo ut XXIV Logi æquales fuerint Seæ, & XII Logi æquales Hini. Captu pronior eft hæc defcriptio, illa MAIMONIDIS, quam *Not. ad cap. VIII. Mifchn.* 5. Tract. פאה fubminiftrat, quam ob nominis in gente fua celebritatem, adfcribimus: *Dicimus, menfuram illam, quæ continet quatuor digitos fuper quatuor digitos, & in altitudine continet duos digitos ad feptem denas digitorum, hic autem digitus, quo menfurat quantitatem eam, eft ex digitis manus, pollex, quando in concavo continet iftam, quam diximus quantitatem, five ea fit figuræ quadratæ, aut circularis, aut triangularis, aut alius figuræ, effe eam dicimus* לוג *Logum: & quarta ejus pars vocatur* רביעית, *& dimidia pars* רביעית *vocatur* שמינית *octava pars;* קב *Cabus continet quatuor Logos.* Vnde fimul colligitur, Logum in quatuor, quin & in octo partes, tanquam uncias fubdividi confueviffe.

Ad §. XXIV. pag. 159.

(30) הין *conficit 72 Ova*] Creberrimus hujus menfuræ ufus, in vini & olei rationibus exponendis, occurrit in Scriptura; v. g. Exod. XXIX, 40. ubi decima pars Ephæ fimilaginis mifcebatur quarta parte Hinis, olei contufi, & libaminis quartæ partis Hinis vini, in agnum offerenda præcipiuntur: Cap. XXX, 24. ad conficiendum unguentum facrum, præcipitur afferri Hin olei olivæ: Num. XV, 9. fit mentio dimidii Hinis olei, & verf. 7. trientis Hinis vini, & verf. 4. quadrantis Hinis olei: Ezech. IV, II. propheta populo horribilem, in diuturna obfeffione Hierofolymorum, famem fitimque minatus, prædicit fore, ut aquam ad menfuram bibat, fextam partem Hinis, de tempore in tempus ftatum. HIERONYMVS *Comment. in Ezech. cit. loc.* definit: *Hin duos Choas Atticos facit, quos nos appellare poffumus, duos fextarios Italicos.* Rabbinis continet Hin XII Logos, dimidiam partem Sati, feu modii Hebraici, fextam Ephæ feu Bathi, tres Cabos, 48 Rebiitas, 72 Ova. Hinc dimidius Hin tantum capiebat, quantum 36 ovorum teftæ; triens Hinis, quantum capiunt 24 ovorum teftæ; quadrans, quantum

 capiunt

capiunt 18 ova. Ab ED. BERNARDO mensura tam liquida censetur, quam sicca.

Ad §. XXV. pag. 159.

(31) בת Βάτος, *Bathus, ejusdem erat quantitatis cum Epha*] Ejusdem in liquidis capacitatis fuisse, cujus in aridis fuit Epha, ex Ezech. loc. cit. patet. In liquidis continebat VI Hines, sive LXXII Logos. Quando autem mare æneum Salomonis 1 Reg. VII, 26. bis mille Bathos capiebat, ast 2 Chron. IV, 5. tria millia comprehendisse perhibetur, gemina suppetit conciliandi ratio. Alii enim, cum ABARBENELE, bis mille Bathos liquidorum, tenere censent ter mille aridorum, eo quod cumulus ex aridis additus mediæ parti totius excepti æqualis sit. Alii vero bis mille numeratos credunt ordinarie, qui ex instituto regis inferebantur, cum alias totum mare usque ad summitatem ejus capere posset ter mille; uti componit WASERVS. GRSEPSIVS p. 422. hic iterum Bathum regium & communem distinguit, cujus mutuo sesquipla fuerit proportio, unde componi possit numerus uterque: quod est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν.

Ad §. XXVII. pag. 160.

(32) Ξεςός, *Sextarius*] Nomen apud Græcos vetustiores non obvium: ξέςην autem e Romana dictione corrupta formatam esse sequioribus temporibus, GALENVS testatur *lib. I. de compositione medicamentor, secundum genera:* ubi diserte perhibet τῆς ξέςης neque mensuram, neque nomen apud vetustiores Atticos reperiri, sed una cum imperio Romano utrumque in Græciam pervenisse, quamvis mensura impar sit Romanæ. Purioribus Græcis κοτύλη, Cotyla major & Attica ejus loco usurpari consuevit, utpote quæ ad sextarium proxime accedit. Juxta ED. BERNARDVM §. 17. sexta pars est Congii, duas Cotylas continens, tam rei humidæ, quam siccæ mensura, qua triticum, oleum, aqua, mel, ponderari ac æstimari consuevit.

Ad §. XXVIII. pag. ead.

(33) Χοῖνιξ, *Chœnix, mensura*] Cum ipsum vas denotat, tum rem vase dimensam, sive liquidam, sive aridam; utrisque enim inserviit. Sed variæ fuerunt Chœnices, & disparis magnitudinis, de quibus erudite præceperunt BVDAEVS *de Asse, ejusque partibus lib. V. p.* 538 *sqq.* WASERVS *de Mensur. Hebr. lib. II. cap.* 3. ED. BERNARD. §. 19 *sq.* Harum minima *Chœnix Opilionum* dicebatur, eratque bilibris; porro *Attica*, quæ villicorum censebatur, trilibris, quam & Aegyptiam BERNARDVS dicit; hanc ἡμερήσιον τροφὴν, *cibarium frumenti diurnum* existimatam SVIDAS perhibet, sive frumenti mensuram, quam unus homo quotidie absumere possit. Evidenter hoc patet, ex computo HERODOTI, qui de Xerxis exercitu, quem maximum adversus Græcos duxit, ejusque victu, verba faciens *in Polymnia* seu *lib. VII. p.* 508, tandem subdit: εὑρίσκω γὰρ συμβαλλόμενος, εἰ χοίνικα πυρῶν ἕκαςος τῆς ἡμέρης ἐλάμβανε, καὶ μηδὲν πλέον, ἕνδεκα μυριάδας μεδίμνων τελεομένας ἐπ' ἡμέρῃ ἑκάςῃ, καὶ πρὸς τριηκοσίας τε ἄλλας μεδίμνας καὶ τεσσαράκοντα: *siquidem ut Chœnicem frumenti quisque in singulos dies acciperet, & nihil amplius subducta ratione invenio centena dena millia medimnum quotidie absumi potuisse, & trecenta præterea quadraginta medimna.* Vnde apparet, Chœnicen victum hominis sani diurnum fuisse reputatam. Inde Corinthios χοινικομέτρας Apollinem Pythium appellasse existimant, quod servos multos, isthoc dimenso nutriri solitos, possiderent. Hinc illa quoque Attica κατ' ἐξοχὴν μέτρον dicebatur. Denique Chœnix *Italica* erat, *Vinitorum* cognominata, quæ pendebat uncias tritici duodequinquaginta, h. e. libras quatuor, unde quoque quadrilibris dicta. Porro Chœnix *Georgica*, tritici Romanas uncias quinquaginta pendebat, quia mensuræ Georgicæ ratione sesquialtera Atticis erant majores. Vltimo Chœnix *Militaris*, pendens Romanas uncias LXXX, dimensum erat diurnum ingenuis olim militibus, quæ Hebræorum Cabo exacte respondebat.

Ad

Ad §. XXIX. pag. 160.

(34) Μετρητὴς, *Metreta, Joh. II, 6.*] Hic in nuptiis Canæ Galilææ, appositæ memorantur sex ὑδρίαι λίθιναι, ἀνὰ μετρητὰς δύο ἢ τρεῖς, *singulæ capientes circiter duas aut tres Metretas:* aut, si inæquales fuerint, sensu disjunctivo, ita ut una altera esset capacior, & nonnullæ duas, aliæ tres caperent mensuras. Quia vox μετρητὴς a LXX pro Hebræorum בת *Batho* ponitur 2 Chron. IV, 5. is vero 18 aut 20 mensuras aquæ communes cepisse censetur, talis hydria duobus tribusve Bathis constans, dimidii dolii, quod Ohma dicitur, seu quod excedit, capacitatem habuisse censetur LAMPIO *in h. l.* Sane de Attica Metreta passim traditur, sextarios septuaginta duos continuisse, quam Batho quoque mensuram tribuit IOSEPHVS *lib. VIII. Antiqu. cap. 2.* Ex instituto *in Hydriarum sex Joh. II. capacitatem* commentatus est MATTHAEVS HOSTVS, cujus dissertatio *Tom. VII. Criticor. Sacr. p.* 1441. legitur inserta.

AD

LIB. VI. CAPVT X.

DE MONETA HEBRAEORVM CVPREA, ARGENTEA, ET AVREA.

Ad supra memoratos Auctores *Cap. præced. Annotat.* 1. qui omnes etiam de Nummis Hebræorum scripserunt, addi poterunt ATHANAS. KIRCHERVS, de Nummis veterum Hebræorum, Chaldæorum, Syrorum, *in Oedip. Aegypt. Tom. I. Part. 2. class. 2. cap.* II. *disquisit.* 3. §. 1. & 2. *pag.* 88-102. EDVARD. BREREWOOD, cujus *de Ponderibus & Pretiis veterum numorum* liber *T. VI. Critic. Sacr. p.* 1093. legitur: HERMANN. CONRINGIVS, cujus *de Nummis Hebræorum paradoxa* Helmstadii prodierunt A. 1675. IOH. HENR. HOTTINGERVS *de Nummis Orientalium, Hebræorum maxime, ac Arabum,* quæ dissertatio *Cippis Hebraicis* subjuncta est *p.* 89. ADRIAN. RELANDVS, cujus *de Nummis veterum Hebræorum Samaritanis* dissertationes quinque Trajecti lucem adspexerunt anno 1709. quibuscum conferri merentur, ex recentissimis, ERASMI FROELICH, Lojolitæ, *Annales Compendiarii Regum & Rerum Syriæ, Nummis veteribus illustrati, Prolegom. P. V. pag.* 74. & *Tab. XVIII.*

Ad §. II. pag. 160.

(1) Λεπτὸν, *Minutum, seu quadrans ultimus, Luc. XXI, 2. Marc. XII, 42.*] Est æs minutum, dimidium quadrantis, ut ex Marco liquido constat. A Syro שמונא *octans,* seu pars octava Assarii redditur. Ponderabat Semidrachmam, valebatque denarii Romani partem octuagesimam, ut quadrans quadragesimam. Assarius vigesimam; interprete BREREWOODO *cap.* 2. פרוטה nummus minimus Judæorum, a פרט *particulatim, singulatim aliquid agere,* hinc הפורט סלע est, qui in minutos nummos mutat Siclum. Observat autem BVXTORF. *Lex. Targ. h. v.* duplicem fuisse Prutam, aliam argenteam, aliam ex ære, adeo vero vilem, ut in partes minores non divideretur; æquivalebat enim dimidio grano hordeaceo, juxta MAIMONID. Hilc. שקל *capite primo.*

Ad §. III. pag. eand.

(2) Κοδράντης, Quadrans] Palæstinis קרדינטס / Babyloniis vero קונטריק dicitur; Assarii

sarii quadrans, duo Λεπτὰ valens, juxta EDVARD. BERNARDVM. Ast BREREWOOD quartam partem Assis notare mavult, dimidium Assarii, ponderans Drachmam. Quando autem Matth. V, 26. dicitur: *Non egredieris e carcere, ἕως ἂν ἀναποδῷς τὸν ἔσχατον κοδράντην, donec solvas ultimum Quadrantem,* integra restitutio innuitur, cui nihil quicquam desit. Est itaque phrasis proverbialis, qua rigida ad ultimum usque nummum persolutionis exactio indicatur, ita, ut ne quadrans quidem, vel vilissimi numismatis quicquam remittatur.

Ad §. IV. pag. 160.

(3) Ἀσσάριον, *Assarius vel Assarium*] De hujus valore MAIMONID. Hilc. שקלים *cap. I.* ita præcipit: סלע *Salah valet, quatuor* דינרין *Denarios:* דינר, *sex* מעין *Obolos:* מעה, *duo* פונדיונין *pondiola:* פונדיון, *duo* איסרין *Assaria:* פרוטה, *unam octavam Assarii.* *Pondus autem unius* מעה *est sedecim hordeorum: pondus* איסר *Assarii, hordeorum quatuor:* פרוטה, *dimidii hordei.* Locum autem citatum ex Matth. X, 29, ex proverbiali locutione Hebræorum, qua dicunt באיסר *assario*, de re minimi precii & quasi nihili, collata Mischna Tract. חולין *cap. ultimo,* egregie illustrat BVXTORF. *Lex. Targum: hac voce pag.* 175 *sq.*

Ad §. V. pag. 161.

(4) גרה *Gerah, erat vigesima pars Sicli*] Ita diserte definitur cit. loc. Exodi, & Levitic. XXVII, 5. Nummorum argenteorum levissimus inter Hebræos, cujus pondus, ex mente præstantissiorum Magistrorum, ita definit RALBAG *in Exod. XXX,* 13. גרה הוא במשקל יו׳ גר גרי שעורה בינונית לפי מה״ז שקבלו הגאונים: *Gerah pondere æquat sedecim grana hordei circiter, prout excellentissimi* Doctores nostri *prodiderunt.* In vocis *Gerah* etymologiam prolixe inquirit WASERVS *libr. II. cap.* 13.

Ad §. VI. pag. 161.

(5) אגורה *Agorah*] Legitur 1 Sam. II, 36. *eritque omnis residuus in domo tua; veniet ad incurvandum se illi* לאגורת כסף *pro nummo argenti, & pro torta panis* &c. ubi tanta posteritati Eli pauperies prædicitur, ut pro minimo numulo argenteo ventura sit, incurvatum se coram Zadoko Sacerdote, quod impletum legitur 1 Reg. II, 26. & 2 Reg. XXIII, 9. Moneta fuisse argentea, hinc intelligitur, & *Scrupulum argenti* a FORSTERO, *Minutum argenti* a PAGNINO vocatur; ejusdem ponderis ac valoris cum *Gerah.* Ab אגר *colligere, coacervare,* Chaldæis vero *mercari, mercede conducere, & locare,* derivatur, de qua WASERVS *lib. I. cap.* 15. & *lib. II. cap.* 14. consulendus est.

Ad §. VII. pag. 161.

(6) קשיטה *Keschitah*] Si signatus fuit nummus, imaginem Agni retulit impressam, unde nomen quoque sortitus est, quemadmodum γλαῦκες Athenis, vel Βοῦς aliis Græcis dicebantur. Posses conferre cum nostris Cruciatis Jochimicis, ratione nominis a figura petiti, non ratione valoris. Vetus autem hic nummus Chaldæorum aut Arabum fuisse videtur, ut ex tribus locis, quibus ejus fit mentio Genes. XXXIII, 19. Jos. XXIV, 32. & Job. XLII, 11. liquido apparet. Vir summus, SAM. BOCHARTVS *Hierozoic. P. I. p.* 433 *sq.* rejecta notione agni, quia nuspiam, ubi de ovium pastu, proventu, immolatione agitur, hæc vox comparet, Kesitham interpretatur sinceram monetam, quæ & justum habeat pondus, & ἀκίβδηλος esset, immo quod ex auro & argento purissimo conflata esset, & in qua pondus rigide & exacte observetur. קושט enim Hebræis *veritas* est Psal. LX, 6. & קשיט Chaldæus sæpe adhibet pro *vero, genuino & sincero.* Hinc existimat, licet in Numis τὸ ἀκίβδηλον ubique requiratur, potuisse tamen unam quandam speciem præ ceteris קשיטה nominari, quæ ex purissimo esset argento,

argento, nihil admistum habente metalli alieni. In medio relinquit, cujus fuerit valoris: rejicit autem Rabbinos, qui obolum minutum induxere, quia vero non sit simile, agnatos & amicos Jobi, qui gratulatum accedentes, Kesitham singuli ei obtulerunt, vile adeo ac exiguum donum dedisse. Ob hanc ipsam rationem, ovem mavult Jobo a singulis amicis oblatam, quam nummulum unicum, ADRIAN. A GATTENBVRCH *Synt. Sap. Mos. lib. V. cap. V. §. VI. p.* 286. ALBERT. etiam SCHVLTENS *in Commentar. in Job. cit. loc.* agni notionem pariter respuit, quod nullum, ne in vicinis quidem linguis, Chaldaica, Syriaca, Arabica, Aethiopica, Samaritana, illius significationis vestigium compareat; ipse vero *massulam auri* exponit *ad stateram exacti*, quamvis summa ipsa nec dum finiri queat. Contra vero HOTTINGER. diss. *de nummis OO. p.* 110. nummos hoc nomine notari existimat, quibus agnorum sive ovium insculpta fuit figura. Sed debilibus militat argumentis, quibus BOCHARTI & SCHVLTENSII sententiam præferendam duco.

Ad §. VIII. pag. 161.

(7) כסף Ἀργύριον, *Argenteus*] Proprie *Argentum* significat, quando autem sensu specifico, pro nummo sumitur, velut Gen. XX, 16. XXIII, 16. XLIII, 21. 2 Sam. XVIII, 11 sq. Siclum denotat, & cum Chaldæo nummo סלע & סלעא cum Hebræo autem שקל paria facit. Hinc in *Schalscheleth hakkabbala fol.* 88. *col.* 2. regula generalis traditur: כסף האמור בתורה הוא השקל והוא כ׳ מעות *quoties Argentum in Lege exprimitur, Siclum notat, i. e. viginti obolos.* Valore scilicet aut pondere, non moneta. Recte enim præcipit FROELICHIVS infra citandus, *p.* 83: *Nonnunquam loco Sicli argentei ponitur Argentum, Hebraice* כסף, *attamen hoc vocabulum ante Macchabæorum tempora usurpatum, vel de rudis argenti pondere, vel de argentea aliarum gentium moneta accipiendum censeo.* Attamen post illa tempora, eidem respondet in N. T. ἀργύριον, argenteus scilicet nummus Judæorum, qui Siclus est, unde EVSEBIVS *lib. X. Demonstr. Evang. cap. IV.* ubi a Zacharia prædictum Judæ scelus memorat, τριάκοντα στατῆρας nominat, quos mox, ex AQVILAE & SYMMACHI versione, per τριάκοντα ἀργυροῦς, *triginta argenteos* exponit. Siclum enim Sanctuarii, ejusdem ponderis fuisse cum statere tetradrachmo Græcorum, monet GRSEPSIVS *cit. loc. p.* 356. Quocum tamen confer, quæ paulo post *Annotat.* 12. ex FROELICHIO de pondere Sicli trademus. At enim vero ἀργύριον Actor. XIX, 16. ubi de nummis Græcis sermo est, Drachmam Atticam valet. Græci enim pecuniarum summas numerabant Drachmis, velut Judæi Siclis, Romani Sestertiis, nos hodie Imperialibus, sive uncialibus. De Græco quidem ἀργυρίῳ Matth. XXVI, 15. & capite XXVII, 3 seqq. diversum sentiunt viri docti, IOACHIMVS CAMERARIVS & THEODOR. BEZA, ἀργύρια idem valuisse perhibentes, ac Minam Atticam, centenariam videlicet, i. e. centum drachmarum Atticarum, sive Romanorum denariorum. Hoc itaque calculo, juxta BEZAM, Christus proditus fuisset coronatis Francicis trecentis. CAESAR BARONIVS *ad A. C. XXXIV. n.* 15. ἀργύρια singula valuisse argenti libram contendit, adeoque pretium illud sanguinis fuisse vel librarum argenti 30, vel aureorum coronatorum trecentorum, probare variis rationibus nititur. Sed huic opinioni multa graviter opposuit ISAAC. CASAVBONVS *Exercit. XVI. cap.* 8 *sq.* eamque argumentis explosit haud contemnendis, ἀργύρια Siclos fuisse demonstrans, cum שקל & כסף æquipolleant. Hinc judicium quoque ferre licet de sententia GRSEPSII, qui *p.* 389 *sq.* ita argutatur: *Si quidem* τριάκοντα ἀργυρίους *scriptum haberemus, necessario intelligeremus triginta* Argenteos. *Verum cum* τριάκοντα ἀργύρια *scriptum sit, possumus intelligere triginta summulas, ut ita dicam, hoc est triginta Siclorum auri pretia. Nam quod non triginta denarios hic intelligere debeamus, res ipsa arguit. Constat enim, pecunia illa agrum emptum esse, in sepulturam peregrinorum. Triginta autem denariis emi non poterat: quid enim tantillo pecuniæ emas? nam triginta denarii non multo plus valent quatuor taleris:*

quapropter hic triginta ἀργύρια accipiemus, pro pretio triginta Siclorum auri. Vtebantur autem tunc Judæi, ut constat ex Evangeliis, Romana moneta. Romanis autem Aurei didrachmales erant; quapropter XXX Aureorum hujusmodi pretium trecentos superat denarios &c. Si hoc non est, quadrata miscere rotundis, nescio quid demum sit. Argenteos enim nummos cum aureis permutat, Siclos singulos in Denarios convertit, quorum singuli drachmæ æquipollebant, h. e. Sicli quadranti, nummos ex thesauro Templi depromtos, pro vulgari Romanorum moneta habet, ex iisque aureos didrachmales procudit, & denique in τριάκοντα ἀργυρίοις tricatur, ubi bene monente ERASMO SCHMIDIO, voce νομίσματα subintellecta, Textus est supplendus. Tandem ante GRSEPSIVM, jam BARONIVS precium agri obverterat, hujus ut vitula illum arasse constet. Cur autem ager hic non potuit emi precio tantillo, cum Jeremias agrum, uti videtur, non malum precio emerit argenteorum septendecim? capite XXXII, 9. Forte autem sterile solum, quod εἰς ταφὴν sufficiebat, nec admodum amplum terræ spacium, largius pretium non exigebat. Communi ergo Interpretum sententia, cum HENR. HAMMONDO, aliisque viris gravissimis inhæremus, per nummos argenteos in μισθῷ ἀδικίας Judæ τοῦ προδότου, Siclos intelligentes, de quibus mox uberius erit dicendum.

Ad §. IX. pag. 161.

(8) *Δίδραχμον, Didrachmum, Matth. XVII, 24.*] Erat nummus argenteus, duas valens Drachmas, h. e. dimidium Sicli; dimidium Stateris; quadrantem Vnciæ. Pendebant enim Judæi, ex lege divina Exod. XXX, 13. quotannis dimidium Siclum sanctuarii, singuli ab anno vicesimo ætatis ad sexagesimum, in usus sacros, maxime ad conservationem Templi, impendendum. Ast, post reditum e captivitate, cum semisiclorum tanta ipsis non suppeteret copia, diversa nummorum specie annuum illud tributum pensitasse memorat Mischna tract. שקלים *cap. II.* §. 4. דכשעלו ישראל מן הגולה היו שוקלין דרכונות חזרו לשקול סלעים חזרו לשקול טבעים ובקשו לשקול דינרים *Cum e captivitate rediissent Israelitæ, loco Sicli sui Darbonoth* (monetam Persicam, quæ ipsis tum erat in usu, & cujus dimidium pro semisiclo suo quisque pendebat) *offerebant, dein Selaim, tum Thabaim,* (cujus pretium erat פלגות סלעין *dimidium unius Selæ*) *& volebant tandem Sicli loco offerre Dinarim,* quartam Sicli partem æquivalentes, quam tamen census sacri defraudationem nummularii reprimebant. Confer WVLFERVM *ad hunc locum.* Cum autem Pompejus M. Aretam, Arabiæ Petrææ regem vicisset, & Hierosolymam Templumque occupasset, anno ante N. C. LXI, reditus hos Templi in ærarium Senatus, populique Romani transtulit; a quo tempore δίδραχμον singulis Judæis indixerunt Romani, quotannis de quolibet capite pendendum in Capitolium. Census iste per certas personas, quales hic οἱ τὰ δίδραχμα λαμβάνοντες dicuntur, quotannis colligi solebat, & Romam transferri. Errat itaque EDVARD. BREREWOOD *cap. I.* ubi h. loc. tributum Romanum designari negat, quia id Romanis nummis pensitatum fuerit, juxta Matth. XXII, 17 sqq. Romanos autem nummos denariis majores non percussisse. Verum distinguere hic liceat inter tributa Romanis solvi solita, ex prima institutione, & ex recentiori sanctione. Posterioris generis erat census ille, de quo Matth. XXII. agitur: ast hoc tributum translatum erat e Templo ad ærarium Romanum, hinc secundum primam ejus institutionem quoque tam valorem, quam nummi genus integrum reliquerunt Romani, & in ea moneta assumserunt, qua erat institutum.

Ad §. X. pag. cit.

(9) *Στατὴρ, Stater*] Græco nomine Siclum Hebræorum notat, stateri Attico pondere omnino æqualem. Duo enim continebat didrachma, adeoque tributo pro duobus, Christo &

& Petro, pendendo sufficiebat Matth. XVII, 24. Erat quippe nummus argenteus *τετράδραχμος*, quatuor drachmas valens. Quare autem hic loci, pro se & Petro tantum, non etiam pro reliquis discipulis, tum se comitantibus, *δίδραχμον* pependerit Salvator, causa est, quia ipse tantum & Petrus, ut apparet ex Matth. IX, 1. VIII, 14. cives Capernaumitani erant. Exigebatur autem census ab unoquoque in loco suæ sedis. Reliquorum vero discipulorum quisque in sua civitate *δίδραχμον* illud quotannis pendere necesse habuit, si domicilio alicubi fuerint gavisi.

Ad §. XI. pag. 161.

(10) *Δηνάριον*, *Denarius*] Nummus argenteus, plane Romanus, aut lupam Romuli, aut sæpissime, præter bigas, quadrigasque, & notam sui X Romæ caput ostentans, cum Consule *ἐπωνύμῳ*, anno V. C. CCCCLXXXIV. primum percussus. Vltimis temporibus Cæsaris imaginem & inscriptionem referebat, teste Matth. XXII, 19. EDVARD. BERNARDVS §. 25. quadruplicem reperit denarium: Gordianicum, Consularem, Tiberianum, & Vespasianicum, quorum differentias, secundum cujusque pondus & valorem, curate ibidem evolvit. HOTTINGERVS p. 102. vocem דינר apud Hebræos, varie accipi observat, 1) pro quolibet nummo meliori post Siclum, 2) pro nummo aureo, vel argenteo, quorum ille 25 denarios argenteos valeat: ubi de valore denarii, ex Hebræorum Magistris plura. Argenteus quartam partem Sicli valebat & ponderabat. Quæ autem Auctor noster de Denario Sacro & Vulgari monet, mox in descriptione Sicli discutientur.

Ad §. XII. pag. 162.

(11) זוז *Zuz*, *erat quarta pars argentei Sicli*] Quadrantem Sicli valere, hinc ex versionibus liquet; velut Chaldæus 1 Sam. IX, 8. quartam partem Sicli, זוזא exponit, & Syrus idem nomen Luc. XV, 8. pro *δραχμῇ* ponit: hinc ex diserta Judæorum definitione, v. g. ELIAE GERMANI in *Tisbi*, & KIMCHII *ad Ezech. XLV*, 12. ubi uterque Zuzam per drachmam explicant. Drachmæ ergo Atticæ, & denario Romano par fuit. In Mischna tract. פאה *cap. VIII.* §. 8. ducentis Zuzim determinatur victus annuus honestus homini pauperi, quantum qui habet, si mendicet, excommunicandus sit: ubi R. OBAD. DE BARTENORA monet, Sapientes ducentarum Zuzarum reditus seu proventum sufficere æstimasse pauperi, quod ad vestitum & alimentum, per totum annum. Valent autem CC. Zuzim, quinquaginta Siclos.

Ad §. XIII. pag. cit.

(12) שקל *Siclus*] Hujus, quia prolixior est discussio, notamus I. *Appellationem.* A Rad. שקל *appendit, libravit, ponderavit*, est שקל *Schekel*, Siclus, cum pondus notans, & quidem definiente RASCHIO *in Exod. XXI*, 32. חצי אונקיא *dimidiæ unciæ*, quo ponderandi sensu legitur Exod. XXX, 23. 1 Sam. XVII, 5, 7. Amos. VIII, 5. 2 Sam. XIV, 27. tum celeberrimum monetæ genus. Vnde CONRINGIVS *supra laudatus cap. IV. pag.* 23. probe monet, Sicli vocem proprie pondus significare *τετράδραχμον*, atque ita omnis generis metallo adjici posse, ac a IOSEPHO sæpe æri jungi, si illud ejus fuerit ponderis; hinc vero, saltim post solutam captivitatem, aut parta jam per Hasmonæos libertate, hoc nomine *ἁπλῶς* usurpatam fuisse monetam argenteam, eodem IOSEPHO teste.

II. *Valorem.* Pondus Sicli recte definivit RASCHI per semiunciam, sive quatuor drachmas, ut IOSEPHVS, HIERONYMVS, HESYCHIVS, & tantum non omnes prodiderunt, qui de eo verba fecerunt. Licet autem LXX שקל sæpe reddunt *δίδραχμον*, ut Genes. XXIII, 15. Exod. XXI, 32. Lev. XXVII, 3 sqq. non tamen de drachma Attica, sed Alexandrina sunt intelligendi, quæ Atticæ dupla fuit, ut didrachmum pondere Alexandrino, tetradrachmum esset Attico.

tico. Siclus ergo Iſraelitarum, Athenienſium Stateri omnino par fuit, eaque de cauſa interdum SYMMACHO & AQVILAE στατὴρ redditur: juxta noſtram monetam exacte conficit dimidium Vncialem. EDVARD. BERNARDVS §. 34. *qui curatius loqui malunt*, inquit, *Moſis Siclum perpendunt granis hordeolis* 320 *argentum ſane purum, Tyriumque: Siclum vero ædis ſecundæ, quam Selam proclivius nuncupant, granis hordei mediocribus* 384. ER. FROELICH, mox citandus, ita tradit: *Siclus integer pondus granorum CCXXIX. quam proxime exæquat: grana vero hic ſumimus libræ Venetæ, quæ eadem Norimbergenſis, Pharmacopolis etiam noſtratibus uſitata - - Eſt iſta libra diviſa in Vncias XII, more Romano, Vncia in Drachmas VIII, Drachma in Grana LX.* Mox porro obſervat: *Nummi Attici argentei τετράδραχμοι, granis LV. Hebraici Sicli pondus fere excedere obſervantur.* Ex diverſa igitur granorum æſtimatione diverſus etiam eorum numerus prodit.

Porro III. *Figuram.* Altera nimirum facie Vrnam refert, in qua Manna ſervabatur in ſanctuario, cum inſcriptione: שקל ישראל *Siclus Iſraelis*, altera Virgam Aaronis effloreſcentem, cum lemmate: ירושלים הקרושה *Hieroſolyma Sancta.* Vrnam Mannæ, ne cum calice aperto, in nummis nonnullis male expreſſo, confundamus, ſollicite & erudite monet RELANDVS *Diſſert. II. p.* 5 *ſqq.* Poſt VILLALPANDVM, KIRCHERVM, HOTTINGERVM, aliosque, recentiſſime genuinos Siclos, æri inciſos oculis ſubjecit ADRIAN. RELANDVS, & ERASM. FROELICH, Jeſuita, *in Annalibus Regum & rerum Syriæ Tab. XVIII.* quorum explicationem ſupra exhibuit *Prolegom. P. V. cap.* 4. Ex quibus omnibus apparet, inſcriptos illos eſſe literis priſcis rotundis, quas perperam eruditi quidam cum Samaritanis confundunt. Vnde CONRINGIVS ex inſtituto ſibi probandum ſumſit *cap. VII. nullum nummum Aſſyriis, aut Hebræis literis inſcriptum, eſſe bonæ notæ, aut multum vetuſtum: Cap. VIII. non poſſe certis argumentis demonſtrari, nummos, qui Samaritanis characteribus ſunt inſcripti, captivitate Babylonica eſſe antiquiores: Cap. IX. omnes Samaritanis literis inſcriptos nummos, eſſe Haſmonæorum & Herodum ætate cuſos.* Conſentit FROELICHIVS *Proleg. P. V. cap. I. Charactere Samaritano inſcripti ſunt nummi omnes ſub Macchabæis ſignati, quales tenemus citra dubium antiquos. Contra vero Numiſmata, Aſſyrio charactere inſignia, quotquot ego viderim, vidi autem complura, omnia recentioris eſſe manus fabricam deprehendi, & procul ab ea, quam epigraphe mentitur, vetuſtate.* Enim vero, HOTTINGERVS *Diſſert. III. §. XI. p.* 132 *ſq.* tamen fluctuat, & utrisque antiquitatem largitur.

IV. *Diſtinctionem.* Auctor noſter, cum ſuperioris ætatis doctoribus Chriſtianis, CASP. WASERO, aliisque, in quorum ſocietatem BEN. ARIAS MONTANVS *in Ephron*, ſeu *de Siclo*, ſe abripi tamen non patitur, duplicem ſtatuunt Siclum, *Sacrum*, ſive *ſanctuarii*, & *Communem*, qui alias quoque *Regius* appelletur, & quorum ille ponderis duplo hunc ſuperaverit. Ita Rabbinorum, Patrumque veterum auctoritas ſuaſit, qui ex verbis Levit. XXVII, 25. *omnis æſtimatio tua fiet ſecundum Siclum ſanctuarii*, geminum hunc Siclum exſculpſerunt. HOTTINGERVS *p.* 124. allatis utriusque ſententiæ momentis, licet propter conſtantem Hebræorum traditionem fluctuet, in eam tamen magis propendet, non niſi unum obtinuiſſe Siclum. Aſt CONRINGIVS *cap. X. p.* 95. data opera negat, Siclum alium Sacrum, alium Profanum, olim in uſu fuiſſe: eundemque Viri docti noſtræ ætatis BERN. LAMY *lib. I. cap. VIII. ſect. IV. p.* 105 *ſq.* FROELICHIVS *cit. loc. p.* 84. ANT. BYNAEVS *de morte J. C. lib. I. cap.* 4. *p.* 363, aliique bene multi, omnino, & jure, explodunt. Siclus enim Sanctuarii *in Levit. cit. loc.* dicitur, quia in ſanctuario aſſervabantur ponderum & menſurarum exempla, ad quæ cuncta a Sacerdotibus exigebantur, ad quorum quippe officium pertinebat, ut eſſent לכל משורה ומרה *ſuper omne pondus atque menſuram;* nulla vero ratione, quod geminus

nus esset Siclus, & ille Sanctuarii esset duplo gravior Profano. Certe, cum non sacra tantum, sed & profana, Siclo sanctuarii æstimentur; Siclique pars dimidia nunquam appelletur Siclus profanus, communis aut regius, sed inscriptionem ferat חצית השקל / *Sicli Dimidii;* illius porro nec MAIMONIDES nec IOSEPHVS, nec fide digni alii meminerint scriptores vetusti; nec ullus etiam unquam visus fuerit profanus, cum omnes, quotquot reperti sunt, semunciæ Romanæ antiquæ, sive Talero Imperiali dimidio ex æquo respondeant; & nihil demum certi afferant viri docti, qui distinctionem illam sequuntur: Hinc omnino concludimus, olim in usu non fuisse duplicem Siclum, quorum alter duplo gravior altero fuerit, sed unum, qui Siclus Sanctuarii dictus, in omnibus tamen contractibus, emtionibus, & negotiis civilibus rerum potiebatur.

V. *Materiam.* Aereos quoque tuetur FROELICH. *p.* 83. *Sicli Hebræis erant*, inquiens, *nummi argentei & ænei:* solide tamen CONRINGIVS *cap. IV. p.* 20 *sq.* evicit, nummos omnes Hebræorum, qui dicti sunt Sicli, fuisse olim argenteos. Quos Vir doctus *Tab. XVIII. n.* 5, 6, 9, 12, 13, 14, 21, 22. &c. produxit, & *Proleg. p.* 87 *sq.* explicavit, nummos Judaicos fuisse largior, Siclos nego: quin & eam ob causam voc. כסף *Argentum*, cum Siclo permutari supra docuimus, quia Sicli, præter argenteos, non erant in usu. Quando autem IOSEPHVS Siclum æri addit, ponderis causa id eum facere, non quod Sicli ænei in hominum manibus versarentur, a nobis jam monitum est. Vnde constanter, & uno fere ore viri eruditi Siclum, definientes, nummum argenteum dicunt.

VI. *Subdivisionem.* Vt enim Siclus cynosura erat, ad quam reliqui nummi examinabantur & æstimabantur, ita ille pariter proportionatam subdivisionem in partes admittebat. Habebat quippe semisses, trientes, quadrantes. Semissis, sive semisiclus Hebræis dicitur בקע Genes. XXIV, 21. Exod. XXXVIII, 26. vel חצי / aut מחצית שקל Exod. XXX, 13, 15. Triens Sicli, השלישית השקל erant annuum tributum, templo secundo ab Hebræis, civili decreto exhibitum Neh. X, 32. Quadrantem Hebræi רובע vel רביעית vocant, cujus diserta fit mentio 1 Sam. IX, 8. Denique in מעות *Meas* Sive obolos XXIV Siclum Rabbini diviserunt, mente quidem, ut Siclos in tetradrachmas Græcas, & denarios Romanos eo facilius resolvere possent, non vero moneta signata.

Ad §. XIV. pag. 162.

(13) זהב] In genere quamlibet notat pecuniam, cujusvis materiæ vel formæ, prout nos certam pecuniæ summam, sive argento, sive auro pendatur, *Aureos* sive *Aurum*, Germ. *Gulden* appellamus. Hoc sensu legitur 2 Samuel. XXI, 4. *non agitur mihi cum Saule* על זהב *de pecunia:* Jes. XLVI, 6. *prodigunt* זהב *aurum*, h. e. nummos & facultates suas. Quo referre licet 1 Petr. I, 18. nos non redemtos esse φθαρτοῖς ἀργυρίῳ ἢ χρυσίῳ *corruptibili* pretio, *argento vel auro.* Hoc sensu Rabbinis est frequens. Speciatim autem certum nummorum aureorum genus designat, *sive* Denarios aureos, qui æquipolleant nostris Ducatis, *sive* Siclos aureos, qui didrachmum aureum erat 1 Chron. XXI, 25. asserente HOTTINGERO *p.* 130 *sq.* Priores dicebantur דינר *Denarius*, qui aureus valebat 25 Denarios argenteos, juxta Hebræos apud eundem HOTTINGER. *p.* 102. Sic ED. BERNARD. §. 28. דינר של זהב *aureus Judæorum denarius pendebat æque didrachmum argenteum, valuitque juste contra* 25 *denarios argenteos, in præstantia auri, ut* 25 *ad* 2. Sed de posteriori disceptatum fuit inter HOTTINGERVM & CONRINGIVM, ut prioris epistola, *in Paradoxis* CONRING. *p.* 13. & posterioris responsio *ibid. p.* 26. docet. Attamen caute observavit CONRINGIVS, de pondere, non de nummis sermonem esse, quod ipsa verba fontium requirunt, שקלי זהב משקל שש מאות *Siclos auri, pondus sexcen-*

centorum. Nec enim ea ætate moneta ſignata utebantur Judæi; nec Sicli ex auro unquam fuerunt conflati. Confer, quæ contra Siclum aureum diſputat WVLFERVS ad Miſchnæ *de Siclis cap. II.* §. I. *pag.* 51. ubi locum vexatum ex I Chron. ſcite exponit & vindicat. Commode ARIAS MONTANVS *in Ephron: Non putamus, auream monetam aliquam fuiſſe, quæ Siclus diceretur: neque æream etiam. Quanquam non inficias ibimus, fuiſſe aureas & æreas monetas, verum aliis nominibus dictitatas.* Ceterum quia diſparem numerum exhibet poſterior lib. Sam. cap. XXIV, 24. ויקן דוד את הגורן ואת הבקר בכסף שקלים חמשים & *emit David aream & boves, in argento Siclis quinquaginta*, BERN. LAMY *cit. loc. cap. IX. ſect.* 6. *p.* 127. fontes ſollicitat, ut ſunt Pontificii in convicium textui ſacro faciendum proni. *Subolet mihi*, inquit, *antiquarium aliquem, cui quinquaginta Sicli videbantur ſumma exigua, notas numericas depravaſſe, & Siclos argenteos in aureos mutaſſe.* Sed parum emunctæ naris fuiſſe videtur LAMYVS, cum hoc ipſi ſuboleret. Non enim notis numericis, ſed integris vocibus Sacri Scriptores numeros exprimunt, quo minus corruptelæ vel lapſui locus relinquatur. De auro autem & argento, conſenſus teſtatur Græcorum & Latini interpretum, IOSEPHI, & Commentatorum. Vterque autem conciliationem liquido ſubminiſtrat. Primo emit David aream, cum bovibus & inſtrumentis, L Siclis argenti, cum ſolum meditaretur ſacrificium, quod memoratur in libro Samuelis. Poſthæc autem, ubi vidit Deum placatum, templumque ibi ædificare conſtituit, univerſum montem, cum adjacente regione, ſexcentis Siclis auri ſibi acquiſivit, ut diſerte monet Scriptor Paralipom: quod nec ipſum R. DAVID KIMCHIVM fugit.

Ad §. XV. pag. 162.

(14) אדרכון / *de quo Eſr. VIII,* 27.] דרכון / אדרכון & דרכמון uterque vel idem nummus ἔγγραφος eſt, I Chron. XXIX, 7. Eſr. II, 69. & VIII, 27. &, velut cum Auctore noſtro ED. BREREWOOD cenſet, Perſicus, a Dario nomen habens, ut idem ſit, ac Daricum Perſarum aureum dixeris. Nam & Darius Hyſtaſpis filius tunc regnavit, cum hi nummi aurei Eſdræ tempore oblati dicuntur in templi ſtructuram; & ab illo Dario procuſos fuiſſe aureos optimos, HERODOTVS teſtis eſt, qui eam quoque ob cauſam Darici dicebantur, quod PLVTARCHO teſte, in altera facie, Darii imaginem exhiberent. *Valebat Daricus & Philippeus nummus*, inquit ED. BERNARDVS §. 38, *aut nummus in ſcenis Græcanicis* PLAVTI, *& Alexandreus, & abſolute* χρυσοῦς (qua voce LXX דרכמון reddunt) *inter Scriptores Atticos, argenti drachmas Atticas* 20 *ſuo pretio, didrachma* 10 *aut* 5 *ſtateres argenteos: nec non* 5 *Darici æque potuerunt in mercatura contra* 100 *drachmas Atticas, quæ ſunt mina tota argenti.* Et paulo ante: *Pondere autem duarum drachmarum Atticarum argenti, pretio libuit decuplo, ſive quanti viginti drachmæ argenteæ, cudebantur olim* στατῆρες χρυσοῖ, *ſive Darici, qui iidem nuncupantur* ἀδαρκονὶμ, אדרכונים. De his vide, ſi placet, HOTTINGER. *p.* 103. & WASER. *lib. II. cap. XVI.* Confer denuo WVLFERVM *ad loc. paulo ante cit. p.* 50. qui inter Judæos non ſatis conſtare monet, num pretio æquales fuerint Darcon & Darchemon, ABEN ESRA & KIMCHIO diverſam ponderis rationem ſtatuentibus, aliis tamen ſecus ſentientibus.

Ad §. XVI. pag. 163.

(15) מנה Μνᾶ, *Mina, libra ſeu pondo*] Hebræa auri Mina continet C Drachmas Hebraicas, ſeu, ut Auctor noſter bene habet, C Siclos, h. e. ducentas Drachmas Atticas. EDVARDO BERNARDO autem Mina Hebraica, ſive Propheтarum, valet duas cum dimidia libras, ſive 240 Drachmas Atticas: Talmudica Rabbinorum C Drachmas. Vbi tamen non modo inter Minam auri & argenti, docente Auctore noſtro, & BREREWOODO *cap. IV.* verum etiam inter veterem & novam, caute diſtinguas, quarum hæc vilior

vilior & levior eſt illa, ut WASERVS præcipit *lib. II. cap. XVII.*

Ad §. XVII. pag. 163.

(16) *Secunda ſumma fuit* ככר *Talentum*] Talenti argentei ratio facili negotio inveſtigatur *ex cit. loc. Exodi*, unde intelligitur, quod MMM Sicli, ſive hodierni 1500 Vnciales vel Taleri, talentum conficerent, duplum nempe talenti Attici; talentum vero auri, duodecies argentum ſuperabat, & ex WASERI *cap. XVIII.* computo, æquivalebat duodecies mille aureis hodiernis Hungaricis, ſive CXX auri libris. ED. BERNARDVS §. 68. calculos ita ponit, ut Ciccar, ſeu talentum Hebraicum argenti valeat libras Sterlingias 343 $\frac{3}{4}$: auri vero 4125 libras Sterlingias, ad abacum FL. IOSEPHI: verum ex modo Moſis Legumlatoris, 450 libras Sterlingias talentum argenti, aureumque contra libras Sterlingias 5400.

Ad §. XVIII. pag. citat.

(17) *Hebræi, etſi tandem receperint uſum ſignatorum nummorum*] De prima, monetæ ſignatæ apud Hebræos, ætate, diſcrepant ſententiæ. Multi viri inſignes, quia Siclorum frequens apud Moſen, ante Regum tempora, & ſub Templo priori fit mentio, & tractatæ ab Iſraelitis monetæ cuſæ veſtigia Gen. XXXVII, 28. 2 Chron. XXXIV, 14, 17. occurrunt, ab antiquiſſimis temporibus ſignatos nummos in populo Dei obtinuiſſe, nulli dubitarunt. CONRINGIVS *cap. VI. p.* 58. ſero admodum ſignaſſe æs ſuum Hebræos contendit, & *cap. IX. p.* 77. a Demetrio Nicatore demum, factam fuiſſe Simoni Ethnarchæ poteſtatem cudendi pecuniam ex I Maccab. X obſervat. BERNARD. LAMY *cit. loc. pag.* 109. usque ad Eſdræ ætatem ubique in Codice Sacro emtionis & venditionis contractum, interventu ponderationis peractum animadvertens, inde concludit, prius quoque Hebræos pecunia ſignata uſos non fuiſſe. Demum ADRIAN. RELANDVS *Diſſ. I. de nummis Samaritanis pag.* 7 *ſqq.* non Abrahami tantum ævo Gen. XXIII, 16. ſed & Davidis 1 Chron. XXI, 25. & Jeremiæ cap. XXXII, 9. tempore, aurum argentumve ad ſtateram expendi conſueviſſe obſervans, colligit inde, ætatem nummorum cuſorum ad tempora Templi ſecundi tantum ſpectare. In eandem pedibus incedens ſententiam ERASM. FROELICH *Proleg. P. V. cap.* 2. in Maccabæorum ætate primam figit monetæ apud Hebræos cuſæ originem: *Compenſatis*, inquiens, *momentis omnibus, certi nullo modo ſumus, ante Macchabæorum principum ætatem Hebraicos nummos, proprio gentis typario & charactere ſignatos fuiſſe; quando nec e Sacro Inſtrumento, nec e nummis ipſis teſtimonium afferri pro antiquiore moneta ſatis firmum poteſt; aſt pro Macchabæorum nummis utrumque poteſt.* Quia vero nemo diligentius & exactius in hoc argumento verſatus eſt laudato RELANDO, qui *p.* 49 *ſqq.* etiam cum FORTVNATO SCACCHO in arenam deſcendit, quod is ſignatæ monetæ uſum, inde ab Abrahami ævo inter Hebræos fuiſſe adeo certum putavit, ut *lib. II. cap. III. Myroth. Sacror. Elæochriſm.* dicat, illos, qui id negant, media in luce cœcutire: veſtigia viri doctiſſimi paucis legemus. 1) Varia monetarum nomina in Scripturis obvia urſerat SCACCHVS. Ad quæ reponit RELANDVS, nomina iſta pondus notare, nullum æri ſignum impreſſum, v. g. ככר *maſſam* ſimpliciter ſignificat, שקל certam ponderis ſpeciem, גרה minutum pondus. 2) Ad IOSEPHVM provocaverat SCACCHVS, qui *lib. III. Antiqu. cap. I.* prælium deſcribens inter Joſuam & Amalecitas, multum auri & argenti inventum fuiſſe in caſtris Amalecitarum, vaſa etiam ærea, πολὺ δὲ ἐπίσημον πλῆθος ἑκατέρων, *magnam etiam pecuniæ ex utroque metallo ſignatæ numerum.* Regerit RELANDVS, per ἀργύριον ἐπίσημον, non præciſe numiſmata, ſed argentum factum & vaſa argentea deſignari: quin, quod præter fidem Moſis, ex ingenio ſuo effinxit FLAVIVS, nec fidem hic meritus, nec examen. 3) Memorari Gen. XXIII. & alibi, Siclos argenti expreſſo illo-

illorum numero, quod de rudis argenti frustulis, nullo signo publico cusis, intelligi posse SCACCHVS negaverat. Ast omnino illa ætate Siclos frustula fuisse affirmat RELANDVS, certo pondere, 20 scilicet Gerarum nota & definita &c. Nos, licet inter tantos viros arbitrari non ausimus, quam tamen fovemus sententiam, paucis, sed modeste, exponemus. α) Verum quidem est, & appensum fuisse argentum apud veteres Hebræos, & monetas nomina a ponderibus sortitas, quin & pondera denotasse. β) Mirari præterea subit, qui factum sit, ut nullus huc dum repertus sit nummus, sub Templo priore cusus, sed ad unum omnes victorum arbitrio ac imperio abolitos esse, cum tamen in nummophylaciis principum ac virorum doctorum, vetustissima Persarum, Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium numismata conspiciantur asservata. γ) Nulla denique definiri vel ætas potest, vel Regis aut Principis Judaici epocha, qua cudi cœperit in populo Dei pecunia. At enim vero, δ) quia absque insigni molestia fieri non potuit, ut in negotiatione rerum vilis pretii, ad stateram appenderetur argentum, & ε) RELANDVS fatetur, Siclorum frustula argenti, notam impressam ponderis 20 Gerarum habuisse, quod dubium non est, quin auctoritate publica sit factum: ζ) nec existimandum est, vel Salomonem, virum suæ ætatis sapientissimum, vel ex posteris regem aliquem, præclarum istud & utilissimum mercaturæ subsidium penitus neglexisse, maxime cum Salomonis ævo, *tam* immensa auri argentique vis undiquaque in Judæam comportaretur, *quam* multum Israelitis commercii cum exteris intercederet, η) ipsique ab aliis gentibus, Aegyptiis, Assyriis, Babyloniis, quibuscum semper eis erat negotium, signatam pecuniam acciperent Judæi, qua in gente & patria sua, multo cum fructu utebantur: Ex his θ) utique vero fit simile, ipsos & finitimarum gentium nummos in quotidianum vertisse usum, & tam salutare institutum imitatos, signatos pariter domi procurasse nummos, licet, (ad modum aureorum Hispanicorum veterum,) rudi perquam Minerva, solisque forte ponderis ac valoris notis insignirentur. Cumprimis vero ι) symbolæ Israelitarum, ad restaurationem Templi collatæ, 2 Reg. XII, 9, 10. XXII, 4, 9. 2 Chron. XXXIV, 9, 14, 17. & cistæ sacræ per angustum foramen superne immissæ, & quando aperiebatur cista, non appensæ, sed numeratæ, monetam signatam haud obscure arguunt. Quod autem κ) reduci e captivitate populo facultas monetam cudendi prius non indulgeretur, quam jugum Persarum, Græcorum ac Syrorum excussisset, ut obvertebat CONRINGIVS, id nec mirum cuiquam videri debet, nec prohibet, quo minus ante captivitatem, cum sui adhuc esset juris, eadem fuerit usus. Ita media nos incedere credimus via, nec spuriis, qui obtruduntur, nummis fidem habentes, nec gentem politiorem, omni signata pecunia, tot sæculis plane orbantes.

Ad §. XIX. pag. 163.

(18) *Siclus Sanctuarii æquavit duos Siclos Communes*] Quicquid est istius, de Siclo duplici, Sacro & Communi, commenti, paulo ante jam *Annot.* 12. *num. IV.* explosimus, & facilem habent, quæ pro illo in medium proferuntur momenta, discussionem. Qui plura desiderat, IOH. WVLFERVM conferat *ad Mischnæ* tractat. שקלים *cap. I.* §. *I. p.* 3 *sqq.* qui & in *Addend. pag.* 168. recentiorum Judæorum, hanc utriusque Sicli distinctionem repudiantium, calculum adjicit.

Ad §. XX. pag. cit.

(19) Κέρμα *Joh. II,* 15.] Ἀπὸ τῦ κείρειν, quod est *in minuta frusta concidere*, est κέρμα, minutissima nummorum species, quæ cum Prutha fere paria facit. Vide SVIDAM *h. v.* Nimirum, qui longius habitabant ab Vrbe, ut vel ob viæ longinquitatem, vel ob decimarum copiam, decimam secundam, in nativa sua specie

cie afferre commode non possent, qua Hierosolymis vescerentur, licentiam a Deo nacti fuerant Deut. XIV, 24 sqq. ut fruges domi venderent, allatoque earum pretio, Hierosolymis similes venditis res emerent, easque in loco sancto absumerent. In ipso autem Templo, sive potius in monte ædis sacræ, ejusque atriis multi erant, qui ex isto commercio quæstum faciebant, alii pecora eo deferentes, quæ venientibus ex remotiore loco venderentur, & decimæ secundæ vicem subirent, alii minutum æs permutantes cum argento, ex dissitis regionibus allato. Multa de hac mercatura & nummorum permutatione legis in Mischna tract. *Maaser Scheni cap. II, III, sqq.* & apud MAIMONID. Hilc. *Maaser Scheni cap. IV. §. 1 sqq.* Quam autem avaritiam & fraudem hic exercuerint Sacerdotes, pluribus exponit LAMPIVS *ad cit. loc. Joh.* Sed præter hæc, Mischna tract. שקלים *cap. I.* §. 3. monet, a vigesimo quinto mensis Adar ad principium usque mensis Nisan, nempe circa Paschatis festum, in Sanctuario שולחנים *Nummularios* consedisse, ad Siclorum pensilationem excipiendam, quia eo tempore didrachma pro tributo annuo solvi consueverint. Et olim quidem, Sacerdotes ipsos semisiclum a populo accepisse, ex 2 Reg. XII, intelligitur, donec in suspicionem fide eorum tracta, arcam quandam rex Joas erexisset, in quam ipse populus pecuniam deferret. Ast tempore Christi, Nummularios non alios fuisse admissos, non inepte credit FRANC. LVCAS BRVGENSIS *ad Matth. XXI.* quam qui Sacerdotibus certum penderent tributum pro concesso loco tam fructuoso, ad quæstumque accommodato. Vnde Sacerdotibus quoque integrum non erat, avaritiæ & fraudibus ipsorum modum statuere, quia partem lucri capientes, in societatem sceleris veniebant.

Ad §. XXI. pag. 164.

(20) κερματισταὶ, κολλυβισταὶ, τραπεζῖται] Hæc tria vocabula promiscue passim usurpantur, seque mutuo exponunt, unde HESYCHIVS: *τραπεζίτης, κολλυβιστὴς, κερματιστὴς, δανειστὴς, mensarius, argentarius, nummularius, fœnerator:* interdum tamen aliquod admittunt discrimen. τραπεζῖται, *Mensarii* publico fungebantur & perquam honesto munere, cujus dignitatem graviter tuetur SALMASIVS *de fœnore trapezitico pag.* 545. Horum officium erat pecuniam moderato fœnore tam elocare, quam mutuo dare petentibus, nummos porro probare, & falsos a veris distinguere, unde Græcis quoque Ἀργυρογνώμονες & Δοκιμασταὶ dicti, ut Idem *de usuris* docet *pag.* 511 *sq.* Sed & auctionibus Mensarii præerant, pretia rerum venditarum colligebant, & redigebant. Apud eos cujusque generis res deponebantur, quia publicæ fidei erant veluti sequestres. Idcirco & promittebant, se soluturos, aut reddituros pro aliis res quascunque mobiles, vel immobiles: ut Idem habet *de modo usurarum cap. XVI. p.* 722. Apud eorum mensam pecuniæ deponebantur custodiendæ & fœnebres locabantur. Atque huc respicit Christus apud Lucam cap. XIX, 23. *Cur non dedisti argentum meum* ἐπὶ τράπεζαν; καὶ ἐγὼ ἐλθὼν σὺν τόκῳ ἂν αὐτὸ ἔπραξα; *Mensario? ut ego veniens cum fœnore exegissem eam?* Κερματισταὶ, *Nummularii*, illorum erant famuli, mensæ ab ipsis præfecti, *προεστηκότες τῆς τραπέζης,* & *ἐπὶ τῇ τραπέζῃ καθήμενοι,* ut idem Vir summus docet *de trapezitico fœnore pag.* 580. Horum minor erat dignatio, officium autem, si dextre illo fungerentur, non minus honestum. Aeque ut supra *ad Lib. I. Cap. II. num.* 5. de Publicanis monuimus, Quæstorum Romanorum officium perquam honorificum fuisse Publicanorum, qui ab illis erant constituti, aliquanto vilius, ast cum exactores avaritiæ, fraudibus, ac tyrannidi dediti essent, odium toti ordini suo apud gentem Judaicam conflasse: ita cum Trapezitis & Argentariis quoque res habet. Hinc Κολλυβισταὶ & Κερματισταὶ, qui in permutandis nummis majoribus ac præstantioribus, cum minoribus ac vilioribus invidiam sibi contraxerunt,

runt, & odioſam exercuerunt fœnerationem, quod immodico quæſtu & inhoneſtis fraudibus rem ſuam faciebant. Velut enim **κόλλυβος** æque ac **κέρμα**, minutum nummum dicit, ei præcipue rei inſervientem, ut pecunia major, ſive aurea ſit, ſive argentea, in plures ejusmodi æreos diviſa, diſtribueretur atque erogaretur petentibus, docente denuo SALMASIO *de Vſuris cap. XVII. pag.* 494 *ſequ.* ſic iſta permutatio multis interdum cum fraudibus erat conjuncta, & minus longe pretii reddebat permutantibus, pro majori & nobiliori metallo. Hoc erat, quod propudioſum id vitæ genus reddebat: *injuſta* enim *omnia, ut turpia, ſic indecora ſunt*, CICERONE judice *de Offic. lib. I. cap.* 27. eoque magis Atrium vel Templum profanabat, quo exactiorem loci ſanctitas juſtitiam requirebat. Quam autem Collybiſtæ, in hac nummorum permutatione, præter jus fasque exercuerint avaritiam, denuo WVLFERVS exponit ad Miſchnæ *de Siclis cap. I. §. 6. p.* 42 *ſq.*

S. D. G.



MANTIS-

MANTISSA
DE
SACRIFICIIS.
SECTIO I.
DE PRIMA SACRIFICIORVM ORIGINE.

Status Quæstionis.

Cæsis hostiis, & oblatis muneribus Deum colendi ratio, pervetusta est, eandemque cum sacrorum religione fert ætatem: quibus autem auspiciis sit orta, & utrum ad Deum auctorem referenda, an in humanis habenda sit inventis, dubia & anceps est quæstio, non heri demum aut nudius tertius, a viris doctis varie disceptata.

II. Si sententiarum censum ineamus, in tres cumprimis familias abeunt & partes. *Prima* eos complectitur doctores, qui Sacrificiorum originem ex arbitrio sacrificantium arcessentes, Abelem, Noachum, ceterosque mortales, qui ante Legem victimis Supremum Numen coluerunt, nullo Dei explicato jussu, sed pia animi sui inductione, istud præstitisse contendunt. Ita, post Judæos, R. LEVI BEN GERSOM *Comment. in Genes. IV*, 3. & ISAAC ABARBENEL *Comment. in Leg. fol.* 228. *col.* 2. Sociniani statuunt & Arminiani, SIM. EPISCOPIVS *Lib. I. Instit. Theol. de Theolog. Nat. cap. II.* HVG. GROTIVS *ad Genes. IV*, 3. & *Annot. ad lib. V. pro verit. Rel. Christ.* §. 8. STEPH. CVRCELLAEVS *Instit. Rel. Christ. lib. III. cap. XI.* §. 10. tum quoque PETR. CHAVVIN *de Relig. Nat. P. II. cap. IV.* & ex Anglis IOH. SPENCERVS *lib. III. de Legibus Hebr. Rit. Diss. II. cap. IV. p.* 669 *sqq.*

Media eos, qui ad mandatum divinum, disertamque institutionem eandem referunt, novumque Theologiæ, post lapsum a Deo revelatæ, articulum de Sacrificiis asserunt, quo doctrina, de justificatione gratuita hominis peccatoris, per & propter meritum sanguinis & mortis Servatoris nostri, Jesu Christi, declarata, & velut ob oculos posita fuerit Patriarchis & fidelibus Vet. Test. Sic Nostrates tantum non omnes, FRANZIVS *Schol. Sacrif. Disp. II.* § 58 *sqq. p.* 28. BVDDEVS *Hist. Eccles. Vet. Test. Per. I. Sect. I.* §. 30. *pag.* 143 *sqq.* IOH. HENR. MAIVS *Dissert. Sacrar. Loc. VIII. cap. II. p.* 554 *sqq.* & Vener. SALOM. DEYLING. *Observat. Sacr. P. II. Observ. IV. p.* 40 *sqq.* Ex Reformatis IOH. CLOPPENBVRG.

Schol. Sacrif. cap. II. Tom. I. Opp. fol. 10 *sqq.* IOH. HENR. HEIDEGGER. *Hist. Patriarch. P. I. Exerc. V.* §. 14. *p.* 156. ANDR. RIVETVS *Exerc. XLII. in Genes. Tom. I. Opp. fol.* 171. GVIL. SALDENVS *Otior. Theol. lib. II. Exerc. VI.* §. 3. *p.* 327, HERM. WITSIVS *Oecon. Fœder. lib. IV. cap. VII.* §. 6. PETR. IVRIEV *Hist. Crit. Dogmat. & Cultuum P. I. cap. XII. pag.* 81 *sqq.* SAM. BASNAGIVS *Exercitat. Historico-Critic. c. Baronium ad A. XLIV. num.* 86. *p.* 677 *sqq.*

Postrema denique, quæ ob silentium Mosis & universæ Scripturæ, rem omnem in medio relinquit, nec certi quid, circa natales hujus cultus, definire audet. Talem ἐποχὴν elegit GVIL. OVTRAM *lib. I. de Sacrificiis cap. I.* §. 6. *p.* 11. quem primæ sententiæ fuaisse, neque tamen, palam illam tueri, usum favisse, ex eo intelligitur, quod speciose perquam refellit mediæ, nec minus operose primæ classis adstruit argumenta.

III. Jam ut ὕστερον πρότερον committamus, tertia classis jure merito exploditur, quia Sacrificiorum, non modo cultum, sed & adumbrationem typicam in suspenso relinquit, cujus utriusque tamen fidem non fluctuare, & ancipiti circumagi contemplatione, sed liquido sibi constare, & firmo niti oportet talo.

IV. Inter priores vero disputantium partes alterutri cum sit accedendum, istud, in quo cardo vertitur quæstionis, rite est definiendum. Non itaque quæritur: num Sacrificia legis fuerint naturalis, & cum cultu ipso mentibus hominum per naturam insculpta? quod perperam contendunt Pontificii, BELLARMINVS *de Missa lib. I. cap. XX.* GREGOR. DE VALENTIA *de Missæ Sacrificio lib. I. cap. IV.* & alii, contra quos curate disputat citato loco RIVETVS: Ita namque abrogari non potuissent vel antiquari, cum lex naturalis immobilis sit ac æterna; Nec de eo: an ex indultu Dei, aut tacita saltem directione, primitus sint suscepta? Vnde enim de indultu illo constare potuisset sacrificantibus, ut tuto in illo acquiescere potuerint? Sed istud est, de quo disputatur: num ex diserto Dei mandato, & clara disertaque institutione sacrificandi religio promanarit? an vero ex libero hominum piorum, Deum placare, vel grata mente prosequi cupientium, arbitrio & consilio, primum traxerit ortum, quod Deus dein ratum esse jusserit, suoque munierit calculo? Nos cum EVSEBIO *Demonstrat. Evangel. lib. I. cap. X.* a Divina institutione, mandatum explicitum, & disertam promissionem complexa, Sacrificiorum originem derivamus.

Probatio sententiæ nostræ.

V. Probamus α) ex Apostolica de Habelis sacrificio testificatione Hebr. XI, 4. quod fide obtulerit, Deique ornatus sit suffragio. Fide enim nihil peragitur, nisi quod ipsius Numinis sit monitu, eo quod fides & ex verbo est Rom. X, 17. & disertam Dei promissionem requirit, cui innitatur, nisi in temerariam degenerare velit persuasionem. Absque χρηματισμῷ enim, quo Deus revelasset, Sacrificiis se coli velle, nulla fuisset ἐλπιζομένων ὑπόστασις, fidesque omnino nulla, per Hebr. XI, 1. Nec est, ut *vel* cum SPENCERO *p.* 671. excipias, acceptationem sacrificii Habelis probæ ipsius vitæ tribui Genes. IV, 7. 1 Joh. III, 12. fidemque operibus probatam ab Apostolo intelligi; *vel* cum IVRIAEO metuas, ne eodem argumento Caini quoque oblationem Deo æque acceptam evincas, quod & ille divino jussu sacra faceret: quam argutationem etiam BVDDEO fucum fecisse miror, ut hunc in aciem producere locum dubitaret *p.* 144. Nam & illa testimonia, Habelis quidem personam describunt, rationem vero, propter quam sacrificium ejus Deo placuerit, non reddunt, ut fallaciam committat SPENCERVS, quam dicunt non causæ, ut causæ: & Sacrificium Deo acceptum est, non verbo solo sive mandato, sed fide verbo innixa, & oblata per promissionem bona apprehendente, Jes. I, 11 sqq. Psal. L, 9 sqq. qua destitutus Cain externo solum opere defungebatur. Ratum itaque firmumque manet, fide Habe-

Habelem offerre non potuiſſe, niſi verbum ſupponas, cui fides ejus ſuperſtruatur. Nec magis proficit SPENCERVS, quando voces captat, & utriusque fratris Ferta, non *debita*, ſed δῶρα ab Apoſtolo appellari tricatur, unde pateat, Abelis oblationem e pio voluntatis propriæ motu potius, quam legis alicujus præſcripto prodiiſſe. Verum δῶρα eſſe poſſunt, etiam quæ indefinite imperata, pio motu cordis, absque coactione offeruntur, licet non absque verbo, ſed juxta verbum ferantur. Sic procul dubio δῶρα erant, quæ Iſraelitæ ad exſtruendum Tabernaculum, & paranda vaſa Sanctuarii ferebant Exod. XXV, 2. XXXV, 5 ſqq. 29. explicato tamen Dei juſſu ab illis poſcebantur. Dicuntur itaque δῶρα ob ſpontaneam ultroneamque oblationem, & ratione cultoris offerentis, non autem ratione regulæ ac normæ, quaſi nudum fuerit hominum arbitrium.

VI. Vrgemus β) ἐθελοθρησκείας periculum, nullo non tempore Domino inviſæ. In hoc potiſſimum momento diſcrepantia elucet, inter cultum Deo placentem, & inter ἐθελοθρησκείαν, quod ille & ex fide præſtatur, & divinæ voluntatis revelatione nititur, ex qua conſtat, cultum iſtum voluntati Numinis reſpondere; hæc τὰ ἐντάλματα καὶ διδασκαλίας τῶν ἀνθρώπων ſectatur Coloſſ. II, 22, 23. quarum παράδοσις irritam reddit τὴν ἐντολὴν τοῦ Θεοῦ Matth. XV, 3, 6. Quicquid ejus rei eſt, planta eſt, quam Pater cæleſtis non plantavit, ſed eradicabit verſ. 13. Sacrificia ergo rite oblata cum Deo placuiſſe Scriptura teſtetur, recte inde colligitur, quod non ingenio humano, ſed divino præcepto ſuos debeant natales. Obvertit SPENCERVS *pag.* 672. HENR. HAMMONDI copiis ſuffultus, Apoſtolum ἐθελοθρησκείαν ſenſu non malo intellexiſſe, quem tum demum obtineat, cum cultum notat ſchiſmaticum vel hypocriticum, id eſt, cultum ritibus privatis & ab uſu Eccleſiæ diſſidentibus, vel cerimoniis indifferentibus, magna cum religionis opinione peragendum. Ceterum Eccleſiam, Judaicam æque ac Chriſtianam, cerimoniis diverſis, & ingenio tantum humano excogitatis, cultum nullo non tempore præſtitiſſe, nec eapropter divinam incurriſſe vindictam. Sed prona eſt ac facilis ad utrumque reſponſio. Quicquid ſit de voce ἐθελοθρησκείας, quæ forte trahi nonnunquam poſſet in ſenſum μέσον, vocis tamen uſus, in verbis Paulinis, ſequiorem omnino innuit ſignificatum. Tota enim orationis compages & συνάφεια docet, in malam partem hic accipi, ubi colorem deſignat, quo ſeductores illius ævi falſo jactatam ſapientiam ſuam pingere & ornare ſolebant: nec in bonam partem intorqueri poteſt, ſi conferatur cum iis, quæ proxime ei adſtant. Neque vero de ritibus adiaphoris, & circumſtantiis Sacrorum, in Eccleſiæ arbitrio & poteſtate ſitis, ſed de ſubſtantia cultus hic agitur, ubi de Sacrificiis eſt ſermo. Hanc neceſſe eſt, Deus ipſe ut definiat, aſſerente Chriſto Matth. XV, 9.

VII. Militat nobis γ) rationis inſufficientia, ad excogitandum cultum Deo congruum & acceptum. Licet enim & natura dictet, Deum non tacita ſolum mentis veneratione, ſed etiam externo ritu & opere eſſe honorandum, & omnibus gentibus, extra revelationis divinæ commercium poſitis, hoc uſu ſit receptum: Deo tamen dignas, gratasque fore inſontium animalium cædes, carniumque, extorum, & adipum nidore & concrematione peccata noſtra expiari, vel Deum ritus, merum ſanguinem olentes, cultus & obedientiæ loco habiturum eſſe, nulla vel excogitare potuit ratio, vel certa eſſe, id ratum quoque Numini, & acceptum eſſe futurum. Regerit SPENCERVS: 1) Sacrificia, non ut animalium cædes, ſed ut animi Deo devoti & obſtricti ſigna eſſe ſpectanda, quo intuitu Patriarchæ, ex innatis bonitatis & gratiæ divinæ notitiis, ſibi facile perſuadere potuerint, Deum hujusmodi munus, grato & devoto animo oblatum, benigne accepturum: 2) quo minus pecudis oblatæ caro cum Dei natura conveniat, eo magis illam primorum hominum ruditati reſpondere. Verum neutra ſat prægnans eſt ratio. Non enim de animo

 offe-

offerentis, sed de substantia cultus, & de delectu muneris quæritur, quo pacto ratio sibi relicta, animalium carnes, sanguinem ac adipem Deo Spirituum vel placando, vel honorando congruere, potuerit judicare; quod demonstrari nequit. Nec ruditas primæ ætatis, ab acumine rationis, hac ultima mundi senecta de cultu Numinis sollicitæ, multum superatur, neque Deo pariter congruit, quod mortalium congruit ruditati.

VIII. Denique δ) a relatione typica ad Christum, argumentamur. Sacrificia non Mosaica tantum, sed Patriarcharum quoque, typi erant cum translationis nostræ in hostiam nostram noxæ, tum expiationis peccatorum, sacrificio Christi peragendæ: eoque nomine Hilastica erant, in quantum adumbrata iisdem, & fide apprehensa expiatio Christi imputaretur offerenti, teste cumprimis Epistola ad Hebræos. Neutrum itaque cum ratio sibi relicta perspectum habeat, necesse est, ut ipse Deus de tali expiationis medio & modo, revelatione quadam homines reddiderit certiores. Excipit SPENCERUS *p.* 673: homines ante legem, pia quadam simplicitate ductos, victimas obtulisse, non quod certo persuasi, sed spe læta suffulti essent, benignum Numen, respectu ad eorum dona, pio affectu oblata habito, veniam offensis concessurum, eosque in pristinam gratiam recepturum. Quod ex Ethnicorum sententia pateat, qui e naturæ simplicis instinctu judicantes, victimas eundem apud Deum, quem dona apud iratos Principes, locum gradumque habere, credidisse videntur. Sed respondetur, 1) si pia ista simplicitas congruens fuit divinæ voluntati, non simplicitas, sed summa fuerit prudentia; sin vero minus, errori hominum annuisse dicetur Deus, quod oppido absurdum: 2) neque Habeli, piisque ante legem sacrificantibus, titubans spes aliqua, sed ea tribuitur fides, quæ ἐλπιζομένων ὑπόστασις, πραγμάτων ἔλεγχος οὐ βλεπομένων esset, Hebr. XI, 4, 7. coll. 1. Ut taceam 3) cultum Deo acceptum, non spem lætam quidem, sed dubiam, cui innitatur, verum immotam animi πληροφορίαν requirere, vacillare ac hæsitare nesciam, Rom. XIV, 5.

Refutatio Adversariorum.

IX. Nunc audiatur & altera pars, & prodeant in lucem argumenta, quibus adversæ sententiæ nituntur patroni. *Primo*, silentium causantur Scripturæ. *Ne susurrum quidem Legis alicujus,* (inquit SPENCERUS *num. V. p.* 670.) *de Deo Sacrificiis honorando, primis hominum patribus datæ, per totam Scripturam percipere licet. Omni vero probalitate caret, Scriptores Sacros ejusmodi legem, si qua fuerit, tanquam rem parvi momenti, tacite præterire voluisse.* A silentio vero Mosis, ad negationem rei, quæ evidentibus indiciis aliunde colligitur, concludere non licet. Plura omnino & magna sunt, quæ in tanta scriptionis concisitate, rerumque consignandarum copia, sicco Moses præteriit pede, quæ hanc ob causam tamen, in dubium vocare, integrum non est. Nusquam ille Henochi vaticinium, nuspiam Lothi labores, contra perversos Sodomæorum mores, nuspiam pii Noæ monita recenset, de quibus tamen ex Epist. Judæ vers. 14. & 2 Petr. II, 5, 7, 8. liquido constat. Caini vero & Abelis sacrificia cum eo solum consilio tetigerit, ut natum inde odium, nefariumque parricidium induceret, opus non erat, Sacrificiorum pandere originem, quorum ὡς ἐν παρόδῳ solum injiciebat mentionem.

X. *Secundo*, disparem sacrificiorum Caini & Abelis urgent materiam, diversis eorum facultatibus & studiis maxime respondentem. Nam Cain agricola, de frugibus terræ, Abel autem pastor, de primogenitis gregis, munus Jehovæ afferentes, probabili conjecturæ locum faciunt, eos sacrificia in spontaneum solum grati animi testimonium, Deo labores ipsorum dispares secundanti, obtulisse, & rationem iis, non minus sacrificandi cultum, quam oblatum munus, subministrasse. Ista vero conjectura superioribus refellitur argumentis, quæ ex præscripto & mandato

dato Numinis eos obtulisse evincunt: quod cum generali conceptum esset formula, facultatem cuique fecit, quas vellet & in promtu haberet, primitias adducendi, quas pro diverso utique vitæ instituto, alter de proventu agrorum, alter de pecoribus suis, Deo consecravit. Delectus ergo primitiarum in cujusque arbitrio situs erat, ipsa vero sacrificii religio & ritus, imperio nitebatur divino.

XI. *Tertio*, in aciem producunt diserta Scripturæ oracula, quibus Deus negat, se majoribus Israelitarum quicquam de sacris offerendis, in mandatis dedisse, nimirum Jes. I, 12. & Jerem. VII, 22. Sed salva res est. Vterque locus non negat sacrificandi institutionem, ast perversam improbat apud Judæos sacrificandi rationem & modum, cum absque fide & pœnitentia offerentes, suo se satis fecisse crederent officio, modo externo defuncti essent opere ac ritu, de obedientia præceptis Dei præstanda parum solliciti. Obedientiam itaque spiritualem, & interiorem in sacrificiis ipsorum requirit religionem, non originem divinam, quæ omnino, postquam ex Aegypto excesserant, ex lege cerimoniali affatim constabat: quam, nisi cum Jeremiæ loco perperam committere velimus, necesse est, ut extra dubitationis aleam ponamus.

XII. *Quarto*, ad omnium gentium provocant consensum, quo Sacrificiorum ritus toto orbe sit receptus. Nullus certe, ex sola pendens revelatione, cultus in omnes ita transiit gentes, ut universali calculo gaudeat & assensu. Gentes itaque cum tantum non omnes Sacrificiis Deos colere consueverint, pronum inde est colligere, sola natura duce & magistra in eo fuisse usos. Sed tantum abest, ut hoc argumentum pro humanis sacrificiorum auspiciis militet, idem potius ut pro divina institutione, apud SPENCERVM, *num. VII. p.* 674. videas allegari. Hic etenim cultus a gentibus receptus fuit ex vetustissima traditione, quam a statoribus quæque suis ad posteros transmissam, antiquitatis veneratione tuentur. Statores autem illi, dubium non est, quin ante γλωττοσύγχυσιν Babelicam, in vera Ecclesia eam didicerint, atque sic ex divina hauserint institutione, verum applicatione pessima, ad Idola & Dæmonem transtulerint, aliisque ex ingenio, vel Diaboli instinctu promanantibus cerimoniis auctam, turpiterque depravatam, tradiderint posteritati. Accedit Satanæ, impudentissimi Dei simiæ, κακοζηλία, qua ejusmodi quoque cultoribus suis sacrorum rationem suggessit, qualem verum Deum Ecclesiæ præcepisse habebat compertum. Vt taceam, frustra & falso asseri, sacrificandi religionem nulli non hominum generi communem esse, vel semper fuisse. Nulla olim sacrificia cognita, vel in usu fuisse veteribus Germanis, IVLIVS CAESAR testis est *lib. VI. de bello Gallico,* quod ipsum de Barbaris Americanis, sub Christianorum jugum nondum missis, ii perhibent, qui mores ipsorum scriptis delinearunt.

XIII. *Quinto*, suffragium Veterum jactant, qui pro humano sacrificiorum ortu calculum tulerunt, v. c. Constitutionum Apostolicarum *lib. VI. cap. XX.* IVSTINI MART. *Responsion. ad Orthodoxos Qu.* 83. item CHRYSOSTOMI *Homil. XII. ad Pop. Antiochen.* quorum testimonia GROTIVS, OVTRAMVS, SPENCERVS, ῥητῶς allegant. Velut autem ne harmonico quidem Patrum quinquesæculari assurgimus consensui, in quæstionibus Scripturæ adversis, ita multo minus unius vel alterius auctoritate, a tramite recti nos dimoveri patimur. Et si veterum effatis esset standum, in promtu essent EVSEBII *de Præparat. Evangel. lib. I. cap. X.* ATHANASII, aliorumque, pro divina institutione, pronunciata, quæ sententiam nostram egregie confirmant. Quæ dum excitavit laudatus SALDENVS *p.* 328. testimonia, otium hic nobis fecit.

Originem Sacrificiorum, quo pacto Deus cum hominibus communicaverit?

XIV. Asserta nunc divina Sacrificiorum origine, proximum est, ut, qua ratione Deus hanc suam,

ſuam, de cultus iſtius ratione ac modo, voluntatem teſtatam fecerit hominibus, indagemus. WILHELMVS MOMMA ad inſtinctum & impulſum Spiritus Sancti internum id omne refert, cui externum acceſſerit teſtimonium Dei, igne de cælo oblata conſumentis. Confer *Oeconomiæ Tempor. Lib. I. cap. IV.* §. 11. ubi ita habet: *Is, qui in omnibus ſanctis* ἐστιν ὁ ἐνεργῶν καὶ τὸ θέλειν, καὶ τὸ ἐνεργεῖν *Phil. II,* 13. *num & hoc velle in illis non ſit operatus? Fidem dedit, (eſt enim Spiritus fidei) in qua obtulerunt, & voluntatem offerendi non dederit? Hic internus Spiritus Sancti inſtinctus, hæc interna ejus illuminatio, vocis & loquelæ inſtar fuit ad animum fidelium. Ita, ut dixit Spiritus Philippo Apoſtolo: i, & accede ad currum Eunuchi, Actor. VIII,* 29. *& ut dixit Petro: ecce, tres viri quærunt te, Actor. X,* 19. (*confer Actor. XI,* 12.) *non ſane externe ad aurem, ſed interne ad animum, ita etiam fidelibus dixit, ſanctosque juſſit ire, & in fide ſacrificia offerre. Ad hunc internum Spiritus Sancti inſtinctum, acceſſit externum de cælis ſignum,* συνεπιμαρτυροῦντος *ita* θεοῦ σημείοις, *conteſtificante Deo ſignis, Hebr. II,* 4. *quod innuitur Geneſ. IV,* 4. quod de ἐμπυρισμῷ exponit. Et paulo poſt, §. 12: *Spiritus Sanctus interne illos egit, ut offerrent. Deus igne de cælo oblatum conſumſit, & teſtatum fecit, ſe tali fidelium actione delectari. Igitur, ut acti a Spiritu Sancto locuti ſunt olim* οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι, *ſancti Dei homines, 2 Petr. I,* 21. *ita acti a Spiritu Sancto* θυσίας προσήνεγκαν, *victimas obtulerunt ſancti primitivæ Eccleſiæ, filii & heredes.* Verum, quo minus ipſius ſententiæ accedamus, prohibet 1) Fidei origo, Rom. X, 17. quæ non tam ex inſtinctu interno, quam ex prædicato & audito verbo externo, ordinarie pronaſcitur: 2) Voluntatis ipſorum norma. Cum Deus in illis *velle* operaretur, opus erat, ut iſtud velle ad diſerti verbi regulam & normam eſſet compoſitum; alias enim diſcernere non potuiſſent, utrum propriæ voluntatis hic motus, an Dei operantis eſſet inſtinctus? 3) πληροφορίας defectus, antequam offerrent, quæ tum demum acceſſiſſet, cum Deus igne cæleſti abſumeret oblata: 4) Emergens abſurdum circa ſacra hypocritarum, qualis Cainus. Quo cum premi ſe animadverteret MOMMA, infeliciter ſe extricare nititur §. 13. hoc pacto: *legitur autem & Cain obtuliſſe, qui tamen Spiritum Dei non accepit. Obtulit ſane, at non actus a Spiritu Dei bono, ſed a Spiritu Dei malo (confer 1 Sam. XVI,* 14, 15.) *a carnis ſenſu & a mentis concupiſcentia,* &c. Aſt durum dictu eſt, eundem qui Deo placuit, & a Deo ſanctis ſuis fuit revelatus, ſacrificandi ritum & cultum, Diabolum pariter ac carnis ſenſum, docuiſſe Cainum. ψυχικὸς γὰρ ἄνθρωπος, qui eſt carnis ſenſus, οὐ δέχεται τὰ τοῦ πνεύματος τοῦ θεοῦ, qualia erant Sacrificia 1 Corinth. II, 14. Neque maligno Genio, cultus Deo placentis ratio & modus, ante revelationem patet. Potius Cain diſerto Dei mandato ſe morem geſturum, vel ſimulavit, vel cenſuit, ſed absque fide, &, ut Pontificii loqui amant, ex opere operato.

XV. Neceſſe itaque fuit, ut fides primorum ſacrificantium diſerto niteretur & mandato divino, & promiſſo gratiæ. Perquam ergo mihi arridet ſententia doctorum virorum, Deum in Paradiſo, quando Protevangelium de ſemine mulieris, contrituro caput ſerpentis, promulgabat, ſacrificii ſignaculum promiſſioni addidiſſe, atque ita modum præiviſſe, omnemque Sacrificiorum præſcripſiſſe ritum. Illam poſt CLOPPENBVRGIVM, adoptarunt SALDENVS *cit. loc. p.* 330. FRANCISC. BVRMANN. *Wet ende Getuigeniſſe pag.* 522. LEYDEKKER. *de Republ. Hebr. lib. I. cap. II. p.* 10. *a.* ubi ſimul adverſæ ſententiæ patronos ſtringit, HEIDEGGER. *in Libert. a lege cibaria c.* CVRCELLAEVM *cap. III.* §. 4. *p.* 36. E noſtris dudum ante CLOPPENBVRGIVM, ita ſenſit b. LYSERVS *in Geneſ. III. p.* 371. *coll. cum* 325 *ſq.* & *in Gen. VIII. p.* 218. eumque ſecuti ſunt BVDDEVS, DEYLINGIVS *p.* 46. IOH. WOLFG. IAEGERVS *Diſſert. de Cultu Dei in Vet. Teſt. per Sacrificia varia pag.* 8. aliique bene multi. Ita vero ſtatuimus α) ob tunicarum pellicearum ortum, quibus Deus primos homines amiciens Geneſ.

Genef. III, 21. unde illas petiit? non nifi ex mactatis pecudibus: cur mactatæ pecudes? ad offerendum victimas, iisque adumbrandam & applicandam protoplaftis piacularem feminis promiffi mortem. Quo ipfo demum intelligebant, quid fibi promiffio ifta velit. β) Ob fymbolicum iftarum tunicarum ufum. Non enim tegendæ nuditatis caufa tantum tunicas eisdem Sanctiffimum Numen aptavit, fed & easdem propitiationis fymbolum effe voluit, qua nuditas tegeretur peccatorum, ut ex Jef. LXI, 10. & Apocal. III, 18. liquet. Hinc arceffenda videtur lex illa Lev. X, 8. qua Sacerdoti conficienti pellis addicitur victimæ Holocaufti, quod Adamus forte Sacerdotis partes obiret, Deo ipfum de fingulis ritibus curate inftruente. γ) Ob fœderis antiqui fanguine factam dedicationem Hebr. IX, 18. Etfi enim Apoftolus de fœdere loquitur, per Mofen ad montem Sinai pacto, iftud tamen non novum, fed veteris, cum protoplaftis initi, erat folum repetitio, ejusdem cum illo ritus, ufus, fructus. Promiffioni ergo de venturo femine mulieris, junctum fœdus, fanguine facrificali dedicari oportebat. δ) Ob remiffionem χωρὶς αἱματεκχυσίας, quæ Sacrificiorum eft character, nunquam locum habentem Hebr. IX, 22. Quæ ut obtingere poffet lapfis parentibus primis, fanguinem pofcebat victimarum, ejusque fparfionem.

SECTIO II.

DE SACRIFICIORVM DIVISIONE.

Sacrificia *ante Legem.*

Dudum itaque ante Mofen locus erat Sacrificiis, quibus tamen Mofaica inftitutio paulo alium induebat habitum ac modum. Hinc prima nafcitur diftinctio Sacrificiorum ante Legem, eorumque fub Lege. Vtraque ad divinæ revelationis componebantur regulam ac normam, attamen priora *ante Legem* 1) certo refpectu libera erant, nulli loco, tempori, aut hominum ordini alligata, Genef. IV, 3, 4. 2) nec ea neceffitatis lege injuncta, ut procul his ἱλασμὸς non concederetur: 3) nec denique, aut jugi ad inftar premebant, aut maledictionem præferebant, eamve quotidie ingeminabant, aut cum convitio peccata exprobrabant, fed maximam partem euchariftica erant, & votiva, ut Genef. VIII, 20. XV, 9 fqq. quæ ad fidelium confirmationem & confolationem faciebant, velut pignora gratiæ divinæ, & bonæ confcientiæ ἐπερωτήματα, 1 Petr. III, 21.

poft Legem.

Poft Legem longe adftrictiora, 1) ad certos cafus, tempora, loca, & ad Sacerdotium Leviticum pertinebant, fingula fuis limitibus & legibus circumfcripta, de quibus valebat, quod Deut. IV, 1 fqq. XII, 1, 5, 6 fqq. Num. XV, 39 fq. & paffim inculcatur: 2) ad expiationem admifforum, & emundationem a noxa & culpa, neceffario requifita: 3) pars erant pædagogiæ fervilis Gal. III, 23 fq. IV, 1. & jugi ἀβαςάκτȣ Actor. XV, 10.

Sacrificia *poft Legem varie diftinguuntur.*

II. Hæc denuo non uno modo difpefcuntur, & ut MAIMONIDES tract. *de Oblation. cap. I.* docet, vel *publica* erant, quæ a tota offerebantur Ecclefia, erantque Holocaufta, Sacrificia pro peccato, & duo Sacrificia pentecoftalia, ab animalibus fumta; vel *privata*, nempe Holocauftum, Sacrificium pro peccato, Sacrificium pro reatu, & Sacrificia falutaria, five pacifica. Planius autem facrificiorum diverfitatem Chriftiani Doctores explicant, vel *ratione finis & ufus*, ut alia fint Expiatoria, alia Euchariftica; vel *ratione fubjectorum*, in quorum commodum offerebantur, ut

alia ſint pro privatis, alia pro perſonis publicis, ſive ſit Pontifex, ſive Magiſtratus, ſive univerſus cœtus; vel *ratione principii*, ut alia eſſent imperata & neceſſaria, ut pro puerperis, leproſis, impuritate alia contaminatis, alia vero voluntaria, pro cujusque arbitrio & facultate; vel *ratione temporum*, quæ vel Quotidiana, vel Sabbathica, vel Feſtiva erant. Verum ſimpliciſſima & generalis diviſio generum eſt, quam Scriptura ipſa diſtinctis ſubminiſtrat nominibus, ut alia ſint עולות *Holocauſta*, quæ tota cremabantur; alia שלמים Salutaria, ſive *Pacifica*, quæ pro variis beneficiis, ſive jam impetratis, ſive demum obtinendis offerebantur; alia חטאות Sacrificia pro peccato, ſive *Piacularia*, quæ pro peccatis involuntariis commiſſis mactabantur; alia אשמות, quæ pro admiſſa noxa, ſive illa dubia, ſive certa, cædebantur. His accedebant מנחות *Ferta*, munera, quæ ex farina, vel panibus & placentis, oleo & vino conſtabant, & animalium victimis diverſimode jungebantur. Iſta vero omnia, communi קרבנות vocabulo comprehenduntur, in quantum קרבן in genere *προσφορὰν* dicit, & omne id notat, quod Deo pro ara offerebatur.

Sacrificia Holocauſta.

III. עולה *Holocauſtum*, (dictum ab עלה *aſcendit*,) erat, quod totum aræ impoſitum, igneque ſolutum, maximam ſui partem ſurſum aſcendebat. Talia late patebant, & partim vi legis divinæ, partim ex voto & arbitrio hominum, quacunque demum de cauſa, immolabantur. Ex lege offerebant holocauſtum, Naziræus, ſive funere inquinatus, ſive voto ſuo perfunctus Num. VI. porro, quotquot a lepra, quotquot a ſanguinis, aut genituræ morboſo fluxu purgandi erant Lev. XIV. XV. mulier quoque poſt puerperium Lev. XII. Pontifex in feſto Expiationis Lev. XVI. omnesque adultiores Iſraelitæ, tribus majoribus feſtis, ad Sanctuarium confluentes, coram Deo apparituri Deut. XVI, 16. quod Holocautomatum genus Judæis עולות ראיה *Holocauſta apparitionis* audiebat. Ex voto autem & arbitrio hominum oblata quoque fuiſſe, ex Pſal. LXVI, 13 ſqq. LI, 20, 21. & aliis exemplis conſtat.

Sacrificia Pacifica.

IV. שלמים Sacrificia Salutaria, item *Pacifica* & *Euchariſtica*, a שלם *retribuit, pace & felicitate uſus eſt*, nomen ſortita, ita dicebantur, *vel* quia ex hoc ſacrorum genere Deus, offerens, & Sacerdos, ſuam quisque partem ſortiretur, *vel*, quia quaſi ſymbola pacis erant, & amicitiæ, inter Deum, Sacerdotes, & offerentes. Inter hos enim tres dividebatur hoc ſacrificium, ita ut הדם והאמורים היו למזבח וחזה ושוק לכהנים והעור והבשר לבעלים *ſanguis & exta Aræ cederent, pectus & armus Sacerdotibus, pellis & caro Offerentibus*, obſervante R. LEVI BEN GERSOM *ad Lev. III*, 1. Alii a שלום *pace & proſperitate* appellata exiſtimant, ut quæ ſemper de rebus proſperis fieri ſolerent, impetratis jam, aut impetrandis; aut *quoniam afferunt mundo pacem*, ut *ad cit. loc.* R. SAL. IARCHI exponit. Tria autem genera *τῶν* שלמים memorantur in Scripturis: 1) נדבה *Voluntarium*, quando proprio pio motu quis ductus, præter neceſſitatem præcepti, Domino ſacra faciebat. 2) נדר *Votivum*, quando voto quis vel ſeipſum, vel animal quoddam mundum, ad offerendum obſtrinxerat. 3) תודה *Euchariſticum*, pro bonis impetratis, & præſertim fiebant ab his, qui vel e periculis gravioribus liberati erant, vel magnis beneficiis affecti, ut Noa Geneſ. VIII, 20. ut Manaſſes, patriæ regnoque ſuo redditus 2 Chron. XXXIII, 16. ut David Pſal. CXVI, 16, 17. Huc quoque referuntur איל הנזיר *aries Naſiræi*, & שלמי חגיגה ושמחה *ſalutaria feſtiva & lætifica*, feſtis ſolemnioribus offerri ſolita, Deut. XVI, 2, 10 ſqq.

Sacrificia Piacularia.

V. חטאות *Piacularia* pro peccato involuntario, vel ex ignorantia commiſſo. Ea duplicis gene-

genereris faciunt Judæi. Aliud חטאת קבועה *Sacrum piaculare definitum,* quo talia contra leges prohibentes insciorum aut imprudentium facta expiabantur, qualia si conscioruni fuissent, exitio divinitus inferendo, כרת dicto, luenda essent; de quibus constitutio Numinis legitur Lev. IV, 2. Et quatuor quidem hujus peccati conditiones ponunt Judæi, 1) ut contra legem prohibentem, 2) incogitato fieret, 3) in facto ipso consisteret, non dictis tantum, aut cogitatis, 4) quale, si a sciente volente patratum fuisset, peccantis exitio, & pœna כרת *excisionis* e populo suo, fuisset luendum: quæ vero dictis & cogitatis, per imprudentiam peccabantur, pœnitenti cuivis, sine sacrificio, condonabantur. Aliud עולה ויורד *Ascendens & Descendens*, h. e. majus, minusve erat, pro facultatibus nempe & arbitrio offerentis expiandi, ut cui v. g. nec agnæ, nec capellæ facultas esset, hic unum turturem, columbæve pullum, piaculi nomine sacrificaret, de quo Levit. V. præcipitur; eratque leprosorum, si convaluissent, puerperarum, post puerperium finitum, &c.

Sacrificia pro Reatu.

VI. אשמות Sacrificia *pro admissa noxa* offerri solita. Ante vero, quam ad hujus generis sacrorum explicationem progrediamur, expedienda erit quæstio: *Quæ inter* אשמות *&* חטאות *intercedat differentia?* adeo quidem implicata, ut GVSSETIO *Comment. L. H.* ad voc. אשם *p.* 100. desperata videatur explicatu. Novissime tamen, omni ingenii contentione in hoc discrimen inquisiverunt duumviri doctissimi, HERMANN. VENEMA *Dissertation. Sacrar. Lib. II. cap. VI. §. 18. p. 322.* & longe copiosius BERN. SEBAST. CREMERVS *in Antiquit. Sacrar. Pœcili Tom. II. Specul. III. pag. 75 sqq.* quorum legentes vestigia, mysterium istud indagabimus. Et VENEMA quidem contendit, חטאה in gravioribus passim delictis, אשם in levioribus locum habuisse: v. g. cum Pontifex, totus cœtus, aut Princeps se contaminasset, חטאה obtinuisse, non אשם Lev. IV. porro cum quis de peccato certior erat factus, vel ejus convinci poterat, חטאה oblatum fuisse, ubi autem res dubia, nec juris aut facti certa esset notitia, אשם expiasse; illud in convictione per testes, hoc in spontanea peccati confessione, fuisse requisitum. Denique observat, in אשם oblatos tantum fuisse masculos, non in חטאה: quæ quidem aliquod, verum non omne exponunt discrimen. Vlterius progressus CREMERVS, 1) Ad discrimen vocum attendit, & omnem quidem חטאה suum observat habere אשם *reatum*, æque ac reatus quovis comprehendatur peccato, quod ex Lev. IV, 13, 22, 27. & V, 2 sqq. probare satagit, אשם tamen restrictam habere significationem, nec notare nisi violationem fœderis, sive respectu Sacerdotis, pervertendo aliquid de rebus sacris, Sacerdoti ex fœdere officii debitis, sive respectu proximi, in non servandis contractibus de deposito & mutuo, & restitutione rei perditæ, accedente mendacio & perjurio: vel etiam ex Lev. XIX, 20 sqq. in violatione fœderis matrimonialis, si quis vitium intulerit servæ desponsatæ, nec dum manu missæ: 2) Ad discrimen utriusque Sacrificii; quod אשם præcise sacrificium notet conscientiosum, ut vocat, hoc est tale, quod ex solo conscientiæ instinctu offerretur, cogente hominem, ut reatum suum, quem clam hactenus habuerat, confiteretur, ejusque expeteret expiationem, quod ex Lev. IV. XIX, 20 sqq. & Esth. X, 18, 19. demonstrat, hinc ad אשם Nasiræi transfert Num. VI, 9 sqq. ubi denuo expiationem violati fœderis urget, ex nexu conscientiæ expetitam; pariter ad leprosi hostiam Lev. XIV, 12. quæ אשם dicatur, quia lepra signum & testis fuerit violati fœderis divini & humani, & ex Judæorum sententia, non nisi fœderatis Dei, nunquam peregrinis, infligeretur. Hæc illi: quibus probe ponderatis, subjungere licet illud Comici: *Fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum.* Nos ita procedimus: omne istud differentiæ genus ex sapientissimo legislatoris arbitrio pendere, ad certas autem expiationum classes legibus fuisse revocatum, 1) in delicto dubio, cujus incerta erat conscientia, Lev. V, 17, 18. 2) in in-

quinatione Naziræi Num. VI, 12. 3) in vi illata servæ desponsatæ cap. XIX, 20 sq. cui Sacerdotum ex Babele reducum illegitimum, cum extraneis uxoribus, matrimonium affine est Esdr. X, 19. 4) in incognita sacrorum defraudatione Lev. V, 16. 5) in interversione rei alienæ, vel concreditæ, vel casu repertæ, vel vi extortæ, & jurato abnegatæ Lev. VI, 2 sqq. Hinc enata est Judæorum distinctio inter אשם תלוי *Sacrificium pro noxa dubia*, primi nempe generis, ex memoratis, & inter אשם ודאי *Sacrificium pro noxa certa*, quod tam ad corporis quasdam immunditias, quam ad noxas proprie dictas, rite expurgandas adhibebatur, quo reliqua dicta genera quatuor spectant. Præterea rituale utriusque Sacrificii discrimen legibus sancitur, ut v. g. ad אשמים arietes semper, agnive masculi, ad חטאת tales plane nulli usurparentur; præterea sanguis ex חטאת altarium cornibus, ast ex אשם lateribus altaris adspergeretur; denique חטאות universo Judæorum cœtui imperata essent, אשמות solum privatis.

Ferta.

VII. Denique מנחות *Ferta*, dona farinacea huc spectant, quæ ex farina triticea aut hordeacea constabant, quorumque aliis libamen vini accedebat, aliis non item. Oleo autem subigenda erant, eademque semper conjungenda cum aliquo victimarum genere, nunquam citra victimam danda. Victimæ autem, quibuscum Deus Ferta conjungi semper voluit, erant omnia totius cœtus, omniaque hominum singulorum Holocausta, & Sacra salutaria, ex grege vel armento lecta, sed nulla ex volatilibus data, nisi quando volatilia ista quadrupedi substituta essent, nulla quoque Sacrificia piacularia, nisi a leproso data. Ferta, vini libamento aucta, sale quoque semper condienda erant Lev. II, 13. (Fallor, an ex hoc instituto, ut Minchæ sale & oleo semper subigerentur, ritum suum per κακοζηλίαν mutuati sint Syri Monophysitæ, quo panem Sacræ Cœnæ non nisi cum oleo & sale temperatum adhiberi jubent, ut ex domesticis Doctorum istius gregis testimoniis docuit EVSEB. RENAVDOTIVS *Liturgiar. Oriental. Tom. I. p.* 191. & *Tom. II. Differt. prælimin. XXIII.* & post hunc ASSEMANVS *Biblioth. Orient. Tom. II. pag.* 144. *b.* & 182 *b. sqq.*) Ea vero, quæ absque vino afferebantur, *vel* totius Hebræorum cœtus erant, ut Omer primitiarum, coram Deo agitatus Levit. XXIII, 11. duo panes, quos die Pentecostes offerunt ibid. vers. 17. panesque facierum in sanctuario Exod. XXV, 30. *vel* singulorum hominum erant, ut Fertum initiationis sacerdotalis, Fertum patellarium, cui thuris pugillus addendus, Fertum sontis, qui, cum piaculi reus esset, nec agnam tamen, nec capellam, nec par turturum aut columbarum, quo se purgaret, consequi poterat, ac Fertum zelotypiæ, quod vir zelotypus ad uxoris stuprum coarguendum, pro ea offerendum curabat. Præterea voluntaria Ferta quinque Judæi numerant, Fertum similæ incoctæ Lev. II, 1. Fertum in patella plana coctum ibid. vers. 6. Fertum in sartagine frictum vers. 7. Fertum in clibano, furnove pistum vers. 3. & placentarum quoddam genus, רקיקין dictarum ibid. quæ quidem oleo delibutæ, minime vero perfusæ erant.

De singulis istis Sacrificiorum generibus, erudite commentatur GVIL. OVTRAM *de Sacrificiis lib. I. cap. X - XIII. & cap. VIII. §. 3 sqq.* strictim & concise WILH. MOMMA *Oeconom. Temp. lib. II. cap. XI.*

SECTIO III.

DE SACRIFICIORVM RITIBVS.

Etsi sua victimis singulis, eaque varia & diversa erant solemnia cum verba, tum facta, generales tamen quosdam observare juvat ritus sacrificales. Horum aliqui peragebantur ab *Offerentibus*,

rentibus, ut 1) Victimarum Oblatio, qua in atrio Sanctuarii, ante altare holocaustorum solemniter coram Deo sistebantur: 2) In nonnullis sacris, pecudum sive in altum Elevatio, quæ תרומה dicebatur, sive versus quatuor mundi plagas Agitatio, quæ תנופה, 3) סמיכה Manuum Impositio, quæ cum certa conceptaque formula, sive confessionis, sive precum, sive laudis & gratiarum actionis erat conjuncta. Aliqui vero spectabant ad *Sacerdotes*, ut (1) Mactatio, quæ in quadrupedibus cultro, gulam, arteriam asperam, venarumque jugularium partem maximam persecando, in avibus, ungue caput avellendo, peragebatur: (2) Sanguinis adspersio, quæ pro diversitate victimarum variabat, & vel ad altaris latera, vel ad ejusdem cornua, vel intra Sanctuarium fiebat: (3) Pellium detractio: (4) Partium prosectio, & separatio adipum: (5) Salitura eorum, quæ super altare erant adolenda: (6) In struem lignorum magnam super altari projectio & dispositio. Quibus FRANZIVS noster, ὁ μακαρίτης, *Schol. Sacrific. Disp. IV. sqq. p.* 61. (7) Conciones sacrificales, & offerentium a Sacerdote instructionem, de antitypo Sacrificiorum, ejusque rita & fiduciali applicatione, accenset. Denique (8) in Sacris salutaribus Epulum accedebat sacrum, ex carnibus residuis victimæ paratum.

1) *Oblatio Viva.*

II. In his itaque ritibus, qui ab Offerente peragebantur, primum locum tenet *Oblatio*, sive *Repræsentatio*, qua victima rite lecta, ante aram holocaustorum, in atrio Sacerdotum, Domino sistebatur. Hoc fine præcipitur, quisque ut immolaturus, victimam suam ad ostium Tabernaculi ducat, & Domino sistat, Levit. XVII, 4, 5, 9. coll. cap. I, 3. IV, 4, 14. XII, 6. XIV, 23. XV, 14, 29. &c. In Templo posteriori præsentatio illa fiebat ad portam Nicanoris introrsum; eratque adeo necessaria, ut mulieres quoque, quæ alioquin omnino arcebantur atrio, si victimam adducerent, necesse haberent in hoc ingredi, & in propria persona sistere Domino. Hanc demum adductionem nomen dedisse sacrificiis, ut קרבנות dicerentur, ab הקריב *adduxit*, censet BERN. LAMY *de Tabernac. p.* 447. Tribus de causis id factum existimo: *α*) ut prius victima, quam cædatur, curate adspiceretur a Sacerdote & examinaretur, num integra, labisque omnis expers, & idonea sit Sacrificio, an vitio quodam laboret, quo rejectanea censeatur, & ab altari arceatur? *β*) ut hac repræsentatione Domino sanctificaretur, h. e. ab omni usu profano, censuque communi exemta, altari destinaretur, Deoque traderetur: *γ*) ut ab omni loco alio, sive privato, sive publico, Sacrificiorum religio removeretur, & ad locum Sanctuarii, cultusque publici, revocaretur. Ne quis tamen in oblationis voce tricetur, distinguit OVTRAM *lib. I. cap. XV.* §. 4. inter oblationem victimæ adhuc viventis, de qua hic sermo est, & oblationem sanguinis atque ablegminum, in ignem altaris immissorum; sive, quod eodem redit, inter victimæ oblationem mox mactandæ, quæ erat offerentis, & victimæ jamjam mactatæ, quæ Sacerdotis erat. Notandum præterea, quod, quando hostiæ piaculares totius cœtus nomine fierent, Senatores, populi personam referentes, victimam ad aram ducerent, Deoque sisterent, Lev. IV, 14 sq.

2) *Agitatio & Elevatio.*

III. Sequitur תרומה & תנופה *Elevatio* & *Agitatio*, de qua supra quædam monuimus, sed pro re nata, paucis *ad Lib. VI. Cap. II.* §. 4. *Annot.* 4. Pariter duplex hæc erat, vel hostiæ vivæ, quæ a solo fiebat Sacerdote, vel partium ac segmentorum mactatæ, in qua offerens & Sacerdos juncta opera agebant. Aequipollere utramque vocem, perperam contendit HISKVNI, & promiscue interdum acceperunt LXX Interpretes, sed rectius distinguit ABEN ESRA *ad Exod. XXIX*, 27. אין יונף כמו יורם כי יורם למעלה ולא יונף *Agitatio non est idem, quod Elevatio: nam elevatio fit sursum, non autem agitatio.* Vnde

 passim

passim ita distinguunt Rabbini: התרומה *Elevatio* מעלה ומוריד *facit ascendere, & descendere:* sed התנופה *Agitatio* מוליך ומביא *removet & reducit.* Prior peragebatur in altum elevando & demittendo: posterior extendendo antrorsum & retrorsum, dextrorsum & lævorsum, h. e. ab oriente in occidentem, & a septentrione in meridiem. In Pacificis nimirum totius Ecclesiæ, hircum, atque duos agnos Levit. XXIII, 20. & in Piaculari leprosi, agnum Levit. XIV, 12, 24. ab offerente accipiebat Sacerdos, & agitabat Domino: ast in consecratione Aaronis & filiorum ejus Exod. XXIX, 22 sqq. in omnibus sacrificiis eucharisticis Levit. VII, 30, 34. similiter de ariete eucharistico Nasiræi Numer. VI, 20. partes nonnullæ victimarum ab utroque agitabantur. Ita R. SALOMO *ad Exod. XXIX,* 24. describit: *In hac agitatione occupantur Sacerdos & Offerentes. Nam Sacerdos ponit manum suam sub manu offerentium* (partibus istis repleta & onusta) *atque ita movet sive agitat. Ceterum in hoc ritu* (consecrationis sacerdotalis) *Aaron & filii ejus offerentes erant, & Moses Sacerdos.* Hinc toties חזה התנופה *pectus agitationis,* & שוק התרומה *armus elevationis* junguntur in disciplina sacrificiorum, quia duæ istæ partes præ ceteris huic ritui erant dicatæ. Ritus autem hujus agitationis hodie adhuc vestigium quoddam servant Judæi. Cum enim ex Synagoga sua discessum faciunt, finitis omnibus precationibus, sic ultimo loquuntur: עושה שלום במרומיו הוא יעשה שלום עלינו ועל כל ישראל אמן Deus, *qui facit pacem in excelsis suis, ipse faciat pacem super nos, & super universum Israel, Amen.* Hanc orationem cum dicunt, tribus passibus retrocedunt, inclinando se dextrorsum, levorsum, & antrorsum: tantumque huic precationi tribuunt, ut putent, Deum hinc non tantum sibi, sed universo quoque orbi benedicere. Conf. PAVL. FAGIVM *in Exod. XXIX.* ubi Judæorum de agitationis hujus fructu & significatu somnia pandit.

3) *Manuum Impositio.*

IV. Spectat porro huc סמיכה *Manus Impositio,* de qua, in alio prorsus negotio *ad Lib. V. Cap. V. §. IV. Annot.* 5 *sqq.* jam verba fecimus. Hic notat religiosam manus impositionem vel χειροθεσίαν, quando offerens, ad ostium Sanctuarii, sive ante aram constitutæ victimæ capiti, manum utramque imponebat, confessionem suorum peccatorum edens, conceptasque preces devota mente fundens. Ita MAIMONID. Hilc. *Korbanoth cap. III: Omnibus victimis, quæ a quopiam privato offerebantur, sive ex præcepto, sive ex arbitrio offerrentur, oportebat ipsum imponere manus, dum vivebant adhuc, exceptis tantum primitiis, decimis, & agno paschali.* Verum publicis quoque, pro toto cœtu cæsis hostiis nonnullis, adhibebatur hic ritus. Requirebatur itaque, ad omnia singulorum hominum holocausta Levit. I, 4. ad sacra pacifica cap. III, 2, 8, 13. ad sacra pro peccato facta, ex quadrupedibus cap. IV, 4. Idem de sacris pro noxa sive reatu factis, pronunciant Judæi, negant autem de sacris volatilibus, iisque quæ jam excepit MAIMONIDES. Peragebatur autem a domino victimam offerente, qui ipse imponere debebat, nec licebat id per alium facere, si victimæ essent privatæ: sin pro tota congregatione offerrentur, tum Deputati seu Vicarii erant, nomine totius cœtus hoc ritu defungentes: denique si plures una sacrificium idem offerrent, oportebat unumquemque sigillatim manus victimæ imponere. Interim ad solos mares, Israelis satu oriundos, eosque adultos, sensibus & intellectu satis valentes, hanc cerimoniam restringunt; ad mulieres autem, pueros, extraneos, servos, surdos, cœcos, aut fatuos, pertinuisse negant. Peragebatur in atrio, ubi fiebat præsentatio, adeo ut si manus imposuisset victimæ, qui eam adducebat, antequam esset in atrio, impositionem iterare oporteret: si vero offerens esset extra atrium, sed intro manus protenderet, & victimæ intra atrium constitutæ imponeret, satis esset: quod etiam

circa

circa leprosum observabant in porta Nicanoris. Præterea hoc ritu defungentes, occidentem, sive Sanctuarium versus faciem oculosque convertebant, ob adjectas preces, quas non, nisi facie ad Sanctuarium versa fundere oportebat. Num ambas manus imposuerint, an alterutram solum? disputant Judæorum Doctores, neque desunt, qui in utrasque abierint partes: omnes tamen in eo acquiescunt, ut dicant, sive una, sive utraque imponeretur, offerentem certe בכל כוחו, ut præcipit MAIMONIDES, *totis suis viribus*, & quanto potest conatu, imponere debuisse. Quod ipsum indicat verbum סמך *innixus fuit, incubuit*, si construitur cum part. על / sin absolute ponitur, *fulcivit*, *sustentavit*, & usurpatur de Simsone, columnis templi Dagonis graviter innixi, ut corrueret Jud. XVI, 29. de homine innitente baculo, ne labatur Jes. XXXVII, 17. & sensu morali, de piis, quando tota mentis fiducia Deo, ceu rupi & petræ suæ innituntur Psal. LXXI, 6. *Manum* ergo *imponere*, idem est, ac cum pondere ac onere alicui inniti. Targum IONATHANIS, quod unam tantum manum vult impositam fuisse, ita scriscit: *imponet dexteram omnibus viribus.* MAIMONIDES: *debebat*, inquit, *imponere ambas manus, idque quam maxime vi poterat.* Porro, inter duo cornua capiti quadrupedis imponebantur. Nec autem muta hæc erat cerimonia, sed, quod jam tetigimus, explicata eidem semper jungebantur verba, quæ rem susceptam declarabant, eique congruebant, ita ut סמיכה vel precandi, vel imprecandi ac devovendi, vel confitendi peccata, vel Deum celebrandi, & gratiarum actionis formulam secum ferret, pro conditione & qualitate sacrificii, quod peragebatur. Formulam confessionis, in die Expiationis, pro toto cœtu recitatam, supra exhibuit Auctor noster *Lib. III. Cap. VIII.* §. 6. & nos *Annotat.* 3. & 4. adjecimus reliquas: tritissima vero, in Sacrificiis privatorum, a MAIMONIDE in *Maase Korban cap. III.* hoc modo traditur: אנה השם חטאתי עויתי פשעתי עשיתי כך וכך וחזרתי בתשובה וזו כפרתי: *Obsecro Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc & illud feci, nunc autem conversus sum per pœnitentiam,* sitque hostia *hæc expiatio mea.* Nullus autem dubito, quin olim, quando purior Judæis constabat religio, clariorque sacrificii mediatorii Christi cognitio, explicatior & amplior fuerit admissorum deprecatio, ac disertam fidei fecerit mentionem, & translationis culpæ in hostiam coram Deo unice valentem, Messiam, ex cujus solius, non animalis oblati, virtute, offerens remissionis peccatorum solatium fiducialiter sibi applicaverit. Eo demum universus hic spectabat ritus, ut offerentis cum culpa, tum pœna in victimam transferretur, eaque in locum vicemque surrogaretur peccatoris. Non omnino abludit, nimis licet rudis, nec plena explicatio, quæ in *Nizzachon* veteri apud WAGENSEILIUM *in telis igneis Satanæ h. l. pag.* 11. in hunc sensum legitur: *Quando homo pecudem sacrificat, in animo suo secum cogitat: ego magis bestia sum, quam hæc præsens. Etenim ego peccavi, & ob peccatum, quod ego commisi, hanc offero. Scilicet magis æquum erat, ut homo qui peccaverat, quam ut bestia mactaretur. Sic igitur homo ope sacrificii pœnitere occipit.* Rectius vero dicemus, quod offerens & confessus agnosceret, se mortem commeruisse: quia vero mediante סמיכה peccata sua veluti transmittebat in victimam, pro ipso morituram, hinc se quoque a pœna sperabat immunem fore, illam vero sequi delictum, ejusque pœnam per illius mortem posci atque sumi. Huc phrases Scripturæ pertinent, ex hoc ritu illustrandæ, 2 Sam. I, 16. *sanguis tuus sit super capite tuo* &c. 2 Sam. XII, 13. *Dominus* העביר *transire fecit* seu transtulit *peccatum tuum, non morieris.* Esth. IX, 25. de Hamane: *revertatur cogitatio ejus mala, quam cogitavit contra Judæos, super caput ejus* &c. Psal. VII, 17. *revertetur labor ejus in caput ejus, & super verticem ejus violentia ejus descendet.* Ezech. XXXIII, 4. *sanguis ejus super capite ipsius erit:* & si qua sunt hujus generis loca alia. Cumprimis autem hoc ritu adumbrabatur mysterium translationis peccatorum nostrorum in Christum,

ſtum, vadem noſtrum ac hoſtiam, tam in acquiſitione ſalutis, quam in applicatione. Præfigurabatur enim, Deum peccata noſtra, a nobis ablata, conjeciſſe in Chriſtum, victimam vicariam & piacularem Jeſ. LIII, 6. ut cum reatus, tum ſupplicium noſtrum a nobis auferretur, ac ſuſtineretur ab ipſo. Sicut etiam aggravabat victimam is, qui omni ſuo robore innitebatur eidem, ſic peccatorum onus aggravabat Chriſtum, dolor in caput ejus redundabat v. 4. cum Deus eum, qui peccatum non noverat, redderet pro nobis peccatum &c. 2 Cor. V, ultim. Hinc etiam intelligebatur, quomodo nos peccata noſtra, manu fidei rejicere debeamus in Chriſtum, qui tulit ea in corpore ſuo, 1 Petr. II, 24. Nam ut manu tangenda victima, ſic fidei manu apprehendendus eſt Chriſtus, victima pro nobis factus. &c.

(1) *Mactatio.*

V. Sacerdotis nunc erat שחיטה *Mactatio*, quam liber Talmudicus חולין præcipit, & peculiaris libellus שחיטה ובריקה *mactatio & inquiſitio*, rei ſcilicet mactatæ, inſcriptus, tradit explanate. Poſt impoſitas enim victimæ manus, peractasque rite preces, continuo cædenda erat pecus, & ita quidem, ut in vas pecudis jugulo ſubjectum omnis emanaret ſanguis. Iſta itaque mactatio peragebatur להוליך ולהביא הסכין *ducendo & reducendo cultrum* mactatorium, ut duplici ſaltem ictu, vel ſecatione, quam הלכה והבאה *abitum & reditum* cultri per jugulum tracti appellabant, & gulæ & arteriæ aſperæ, ac venarum denique jugularium partem maximam perſecarent; de qua vide MAIMONID. Hilch. *Maaſe Korban. cap. IV.* Nam cavendum erat, ne ſi lente occideretur hoſtia, ſanguis intro revocatus in illa ſiſteret, & quibus caro comedenda deinceps erat, hi ſanguinis eſu polluerentur. Vt ergo proclivius patrari poſſet victimæ cædes, prope boreale latus altaris, in atrii pavimento fixi erant annuli quidam, quibus injici pecudum mactandarum colla, vel, ut aliis placet, pedes alligari & conſtringi ſolebant. Hos Talmud curate deſcribit, Cod. *Middoth cap. III. Miſchn. V.* ad quem locum omnino confer, quæ CONSTANT. L' EMPEREVR notavit *pag.* 119 *ſq.* Aves autem ad altaris cornua Sacerdotis ungue cædendæ erant. Nempe, quæ Holocauſtis erant deſtinatæ, ad cornu ejus Euroauſtrale ſic cædebantur, ut capita a corporibus avellerentur; aſt vero Piaculares ad cornu Notozephyrinum ungue ſecabantur, caput autem iis non penitus avellebatur. Modum cum cura expoſuit, & nitida icone ob oculos poſuit THEODOR. DASSOVIVS in diſput. A. 1697. Vitembergæ publicata, cui titulum fecit *Avem ungue ſectam, inque Sacrificium oblatam, ad illuſtranda commata Levit. I, 14 ſqq. & c. V, 7 ſqq.* Quam longe autem hinc, Gentilium in jugulandis hoſtiis, abierintritus, ediſſerit LAMY *de Tabernac. & Templo lib. III. cap. VI. Sect. IV. p.* 449.

(2) *Sanguinis Aſperſio.*

VI. Immolationem continuo excipiebat *Sanguinis Aſperſio*, Sacerdotibus adeo propria, ut cum, certo caſu, alii etiam Iſraelitæ mactatione poſſent defungi, ſanguinem tamen ſpargere, præter Sacerdotem, fas eſſet nemini. Pro ſacrificii autem & temporis diverſitate, diſpar erat ritus & locus. Enim vero, aliæ erant victimæ, quarum ſanguis in Sanctuarium ferendus erat, quales totius cœtus hoſtiæ omnes piaculares, pro re nata immolatæ Levit. IV, 16. hircus pro eodem cœtu, & juvencus pro familia Pontificis, uterque die Expiationis cæſus, Lev. XVI, 14, 15. denique juvencus piacularis, Sacerdoti Maximo imperatus Lev. IV, 5. Reliquæ autem omnes victimæ ita offerebantur, earum ut ſanguis cornibus altaris exterioris, aliarum autem lateribus ejus adſpergeretur. Nam quoties victimæ ex bobus, ovibus, caprisve lectæ mactabantur, aliquantum ſanguinis, ſingulis aræ cornibus Sacerdotis digito illinendum erat, reliquum aræ baſi affundendum; quo in loco, in angulo nempe Notozephyrino, duo patebant

bant foramina, per quæ in ductum subterraneum, inde in fluvium Kedron fluxit. Porro sanguis ille, alius supra mediam aram, alius infra spargebatur. In quo ne errori esset locus, filum coccineum mediam cingebat aram, quod Cod. *Middoth cap. III. Mischn.* 1. חוט של סיקרא vocatur, להבדיל הרמין העליונים לרמין התחתונים *ad discernendum inter sanguines superiores, & inferiores.* Sparsiones quippe ad spacium quinque cubitorum supra filum, dicebantur superiores, quæ vero ad quinque cubitorum spacium infra filum, inferiores audiebant. Superiores erant de avibus, quæ in Holocausta cædebantur: inferiores autem de avibus piacularibus, quo pertinet etiam sanguinis affusio reliquarum omnium victimarum. Atque hæc sanguinis aspersio, ritus omnium sanctissimus erat, quippe quo vita animave hostiæ Deo reddi censebatur pro anima rea, Lev. XVII, 11 sq. Vt autem spargi posset sanguis, cavebant Sacerdotes, ne concresceret, eumque in finem in phialis acuminatis exceptum, sedulo agitabant & baculo atterebant, vel cochleari commovebant, volvebantque, ut liquidum tenuemque conservarent: ut pluribus exponit ROBERT. SHERINGHAMIVS *in Joma cap. IV.* §. 3. *p.* 86 *sqq.*

(3) *Pellium Detractio.*

VII. Suscipienda nunc erat *Pellium Detractio,* quæ ut esset expeditior, ad boreale aræ latus, Mischna Cod. *Middoth cap. III.* §. 5. octo memorat columnas lapideas, iisque transtra interjecta, in quibus singulis tres uncorum ferreorum lineæ erant fixæ, ut victimæ grandiores de uncis supremis, minores de mediis, minimæque denique de infimis suspensæ, pellibus commode exui possent. De excoriandi modo ita habet MAIMONID. Hilch. *Maase Korban. cap. V.* §. 18 *sq. Hostiis primum detrahebatur pellis, tum exta extrahebantur: nec detrahebatur pellis, usque dum sparsus fuerat sanguis. Excipi debent hostiæ pro peccatis illæ, quæ cremabantur, quibus omnino pellis non detrahebatur, ideo quia de his dicitur* Levit. VIII, 17. *cum pelle & carnibus* &c. - - Hic videant Judæorum Magistri, quomodo hoc componi possit cum effato Talmudis tract. *Sebhachim cap. XII. f.* 103. *a.* ubi de מזבח *altari* dicitur: אין לו עור בכל מקום *ei nullo in loco cedit pellis.* Sed pergit MAIMONIDES: *Victimarum sanctiorum seu publicarum, seu privatarum, pelles Sacerdotum erant: scriptum est enim* Lev. VII, 8. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus: victimarum autem minus sanctarum pellis redibant ad dominos. Porro, cujus holocausti carnem altare non obtinebat, ejusdem nec pellem consequebantur Sacerdotes.* Quo pacto autem Sacrificium pelle nudatum typum gesserit Christi denudati, erudite exequitur HENR. SCHARBAV *Observ. Sacrar. P. II. Observ. II. p.* 245 *sqq.*

(4) *Sectio Victimarum.*

VIII. Ventum nunc est ad *Profectionem Victimarum,* unde exta ipsa, ex fibris hostiarum dissecta, Gentilibus *profecta* dicebantur. Hebræis אמורים vocantur, incerta vocis origine, quia quam ex BAAL ARVCH denominationis rationem profert BVXTORF. *in Lex. Targ. h. v. p.* 124 *sq.* futilis est. Erant autem exsecta victimarum, ex quadrupedibus lectarum, ablegmina, adeps nimirum, qui operit intestina, ambo renes eorumque adeps, cum adipe ilibus adhærente, reticulum jecoris, cum particula quadam jecoris; quibus accedit ex genere ovillo, cauda integra una cum articulis, ad renum regionem pertingentibus. Ovium enim in Syria, Aegypto & Arabia perquam grandes pinguesque esse caudas, quam ob causam Deus voluerit in Sacrificio eucharistico, ex ovibus sumto, caudam sibi adoleri, BOCHARTVS docuit *lib. II. Hieroz. cap. XLV. p.* 494 *sqq.* Inter hæc autem ablegmina, num cor & cerebrum numerari debeant? nonnullis dubium est visum. Operæ ergo se pretium facturum credidit IOH. GEORG. MICHAELIS, si in Holocau-

 stis

ſtis & ſacrificiis avium, cor ac cerebrum ſimul oblata, aſt in Sacrificiis pro peccato, pro reatu, & in Pacificis, excepta fuiſſe ab altari, peculiari exercitatione evinceret, quæ *Obſerv. Sacr.* ipſius eſt *Prima, p.* 1. Iſta porro victimarum diſſectio etiam ad membra corporis pertinebat, ita ut in Holocauſtis quadrupedum, pecudis caput, crura, armi, reliquaque omnia majora membra ab aliis dividerentur, atque in his pedes & interanea, aqua rite lavarentur Lev. I, 9. Singulorum quoque hominum Pacificis armus dexter, una cum pectuſculo, pariter arieti Nazíræi armus alter exſecandus erat; quippe quæ partes primo cum ablegminibus agitandæ erant, hinc ab eis auferendæ, & ſacerdotibus in victum dandæ. Atque hic redit agitatio, qua partes victimarum a Sacerdote in offerentium traditæ, deinde manibus Sacerdotis manibus offerentium ſuppoſitis, elevabantur, demittebantur, & quaqua verſus porrigebantur. Iſta erat partium תנופה ſeu *Agitatio*, ab illa viventium ac integrarum victimarum agitatione, quam ſupra indicavimus, diſtincta.

(5) *Salſura.* (6) *Illatio in Altare.*

IX. Partes autem iſtæ, in ara adolendæ, ſale prius adſpergi & condiri debebant. Sed hunc ritum peculiari reſervamus tractationi, nunc ad ablegminum & partium *ad Altare Delationem & Projectionem* progreſſuri. Jam Holocauſta totius cœtus, rite proſecta, vinumque ac Ferta his addenda, certum quendam numerum Sacerdotum ad aræ clivum attuliſſe, memorant Judæi, ita ut juvencorum proſecta, ferta ac libamina, XXIV, arietum, XI, agnorum autem hædorumque, VIII, agnos autem, ad ſacra quotidiana adhibitos, alias novem, alias decem, alias undecim, alias duodecim Sacerdotes, pro varia temporum ratione, ad aram apportarent. Etſi vero nulli dubitamus, certum in adolendis Sacrificiis ordinem, in tanta Sacerdotum turba fuiſſe ſervatum, nec vel uni totum impoſitum fuiſſe onus, vel promiſcue & pro lubitu accurriſſe ſingulos credamus: iſta tamen quæ magna cum pompa hic tradunt Rabbini, citra ullum Scripturæ veſtigium aut fundamentum, ex ipſorum promanaſſe ingenio perſuaſum habemus, quæ qui cupit, in compendium redacta cognoſcere poterit ex OVTRAMI *de Sacrific. lib. I. cap. XVI.* §. 12. Iſtis autem, in ſtruem ignis magnam, ſuper altari, partibus diſpoſitis, adſtitiſſe Sacerdotes, & fuſcinis adhibitis caviſſe, ne qua victimæ pars vel a ſtrue decideret ac devolveretur, vel intacta ab igne, vel ſemiambuſta reſtaret, ſed quicquid illatum fuerat, integrum flammis abſumeretur, vero ſane ſimile videtur.

(7) *Conciones Sacrificales.*

X. Haud abs re, WOLFGANG. FRANZIVS ſupra laudatus conjicit, acceſſiſſe *Conciones Sacrificales*, quibus Sacerdos conficiens his, qui offerebant, beneficia paſſionis ac mortis Chriſti explicabat, typum in Sacrificiis ob oculos poſitum, ad antitypum in futuro Meſſiæ ſacrificio exhibendum applicabat, fidemque ipſorum inſtruebat, dirigebat, & confortabat, quin & pias preces ſuggerebat ac præibat. Nullum quidem in Scripturis concionum talium, vel præceptum proſtat, vel exemplum ſatis luculentum, ſex tamen rationibus, quinque ex Veteri, & una ex Novo Fœdere depromtis, pius doctusque Vir, id liquido evincit. Non enim Sacrificia mutas fuiſſe cerimonias, nec profuiſſe ex opere, quod ajunt, operato, ſed fide in Meſſiam, pro omni totius mundi noxa olim ſacrificandum, nitentibus & offerentibus ſalutares exhibuiſſe fructus, adeoque neceſſe fuiſſe, ut veteres ſub Sacrificiis expenderent paſſionem Chriſti, & manu velut ad has meditationes a Sacerdote conficiente ducerentur, valide probat 1) ex materia Concionum Adamicarum, quam Protevangelium, de ſemine contrituro caput ſerpentis præbebat, 2) ex hiſtoria Abrahami, qui per fidem vocatus auſcultavit Deo, ut abiret in locum, quem accepturus erat pro hereditate &c. Hebr. XI, 8, 9. 3) ex Pſal. CX. quem de Chriſto loqui, Matth.

Matth. XXII, 43 ſq. diſerte traditur, 4) ex Jeſ. LIII. 5) ex Dan. IX. 6) ex Hebr. VII - - X. His calculum ſuum addit, utut FRANZII nomine ſilentio ſtudioſe preſſo, ANDR. RIVETVS *ad Gen. XLVI. Exercit.* 170. mox poſt princ. *Tom. I. Opp. p.* 645. *a. Additas fuiſſe*, inquiens, *Sacrificio preces, & commonefactiones; invocationem nempe publicam nominis Dei, & explicationem cauſarum ad familiæ ædificationem, pro certo habendum eſt; quia veterum Sacrificia putandum non eſt fuiſſe muta ſpectacula, qualia fuerunt ſpectacula theatrica Ethnicorum, poſt invectam ſuperſtitionem, ſed ſigna ſacra, quibus verbum inſtitutionis jungebatur.* Quæ, iisdem fere verbis, paulo ſaltem conciſius, repetiit HEIDEGGER. *Hiſtor. Patriarch. Tom. II. Exerc. XXI. §. 1. p.* 671.

(8) *Epulum Sacrificale.*

XI. Colophonem Sacrificiis impoſuit *Convivium ſolemne* & ſacrum, ex carnibus victimarum reſiduis paratum. De omnibus enim שלמים, omnibus præterea piacularibus, niſi quorum ſanguis in ædem ſacram inferendus erat, de agno paſchali, de fœtu maſculi primogeniti, & de pecore decimato, inſtruebantur epula. Sed & his diſtinctæ ac variæ rationes erant & leges. Victimis enim piacularibus aut pacificis totius cœtus, nemini, niſi Sacerdoti, ejusque filio veſci licuit, nec niſi intra Sanctuarium, purumque habentibus corpus Lev. XXII, XXIII. Ceſſit præterea Sacerdotibus caro omnis fœtus primogeniti, armusque dexter & pectus de Pacificis hominum privatorum, quibus de ariete Naſiræi armus alter, isque coctus, acceſſit. Verum his omnibus, ubivis intra Hieroſolymam, non Sacerdotibus tantum ipſis, & ipſorum filiis, veſci licuit, ſed etiam uxoribus ac filiabus, aut nondum nuptis, aut repudiatis, viduisve, paternam in familiam revocatis, modo vel nullos omnino liberos, vel a Sacerdote genitos haberent; ut ſecundum ABEN ESRAM *ad Lev. XXII,* 13. contra MAIMONIDEM, pronunciat OVTRAM *cit. loc. cap. XVII. §.* 4. *p.* 182. Quin & tota ſacerdotalis familia, vernæ quoque & ſervi pretio emti, comedere de iis poterant, ſed non mercenarius aut inquilinus. Reliqua autem, poſt ablatas Sacerdotis partes, caro Pacificorum, offerentibus cedebat, eaque veſci viris, feminisque Iſraeliticis, ubivis intra Hieroſolymam licuit Deuter. XII, 6, 7, 12. XIV, 26 ſq. XVI, 11. XXVII, 7. Diſcrimen tamen facientes Rabbini inter Sacrificia leviora & ſanctiora, idem obtinuiſſe tradunt in Epulis ſacrificalibus, ita ut leviorum convivia in quavis æde privata, aſt Hieroſolymis, ſanctiorum autem epula non habuiſſe locum ſtatuant, niſi in Templo, teſte MAIMONIDE in Hilch. *Maaſe Corbanoth cap. II. §.* 5. Etſi vero SPENCERO non damus, quod *lib. III. de Legibus Hebr. cap. II. Diſſert. II. cap. II. ſect. II. p.* 663. obiter ſaltem, & ὡς ἐν παρόδῳ inſpergit, patres veteres id, ante alia, in Sacrificiis curaſſe, *ut ad convivii naturam quam proxime accederent, & Deus cibo & potu gratiſſimo exciperetur*, quam perverſam hypocritarum opinionem Dominus ipſe Pſal. L, 12, 13. graviter profligavit; homines tamen ſacris epulis refectos, in communionem altaris venire, quia de Sacrificiis comedunt, Paulus diſerte affirmat 1 Cor. X, 18. Hinc eſt, ut immundus quisque a ſacris his epulis, ſub exciſionis pœna, divina lege arceretur Lev. VII, 20, 21. Ex hoc etiam fonte OVTRAM *cit. loc. §. VI. p.* 184. morem derivat, ut quisque victimam piacularem prius faceret, quam ſalutarem, ſeu pacificam, quoties utrumque illud genus eodem die immolaret, Exod. XXIX, 14, 22. quod hoc pacto hoſtia piaculari prius purgaretur, gratiamque apud Deum recuperaret, quam ſalutari veſceretur. Quod denique Diabolus, ſueta ſibi κακοζηλία, hunc etiam morem ſuis perſuaſerit, ut peractis Sacris, convivia pararent ex iisdem, poſt MICH. DILHERRVM *de Cacozelia Gentilium cap. XII. Diſputat. Academ. Tom. II. p.* 270. viri docti paſſim obſervarunt. De quibus Gentilium Epulis Sacrificalibus, evolvi poterunt IOH. SAVBERTVS *de Sacrific. cap. XXVI.* & EVERH. FEITHIVS *Antiqu. Homeric. lib. I. cap. X. §.* 7. Viciſſim ab iſtis Judæorum

Conviviis ſacris in Templo, fluxiſſe primorum Chriſtianorum Agapas, CONST. L'EMPEREVR cenſuit *in Middoth cap. II. ſect. 6. p.* 81. laudatus DILHERRVS *cit. loc. p.* 279. & recentiſſime LAMY *cit. loc. lib. V. cap. X. ſect. I. p.* 865. quas tamen, vetuſtiſſimorum Scriptorum fide, ex charitate potius primorum Chriſtianorum, & prolixa in refocillandos pauperes, & exercendam communionem ac dilectionem mutuam voluntate, arceſſunt HOORNBEECK *Veter. & Nov. libr. I. cap. XX. pag.* 587 *ſeqq.* & IOSEPHVS BINGHAM *Origin. Eccleſiaſt. libr. XV. cap. VII.* §. 6 *ſqq.*

Vniverſam de Sacrificiis Judæorum diſciplinam, ex Judæis ex inſtituto tradidit, MAIMONIDES, in Hilch. *Maaſe Hakkorbanoth*, & in *Temidin Vmuſaphin*, qui in *Jad Chaſaka libri VIII* ſunt *Tract. V. & VI.* & quos Latine converſos notis illuſtravit LVDOV. COMP. DE VEIL, cujus labores THOM. CRENIVS *Tom. VI. Faſcic. Opuſcul. pag.* 282, 425. inſeruit: & ABARBENEL *in Præfat. Comment. in Leviticum*, quam pariter Latine verſam L. C. DE VEIL, MAIMONIDI de Sacrific. adjecit: ex Chriſtianis, poſt toties excitatum OVTRAMVM, LVNDIVS *im Jüdiſchen Heiligth. lib. III. cap.* 33 *ſqq.*

SECTIO IV.

DE PECVLIARIBVS CIRCA SACRIFICIA CONSTITVTIONIBVS DIVINIS.

I. DE SACRIFICIORVM OMNIVM CONDIMENTO SALE.

Salſuræ Sacrificiorum 1) *Neceſſitas:*

Omnem Mincham, omnem pariter ex animantibus victimam, non niſi ſale conditam, offerri ſibi ſupremus Legiſlator juſſit Lev. II, 13. ut qui inſulſum offerrent ſacrificium vel munus, irritum agerent & nefas. Iſtud porro ne antiquaretur præceptum, aut in deſuetudinem abiret, repetiit multo poſt tempore Deus Ezech. XLIII, 24. Hinc HOTTINGERVS *Juris Hebr. Lege* 127. *p.* 168 *ſqq.* neceſſitatem hujus condimenti ex Hebræis adſtruit, & tria fuiſſe loca ſolemnia in Templo docet, unde ſal peteretur: Conclave ſalis, & in clivo, ſive aſcenſu altaris, & in capite ſeu faſtigio altaris. In primo ſaliebant membra ſive partes animantium inferendas altari: in medio, partes victimæ, in ignem mox immittendas; in ſupremo manipulum, & thus, & munerum partes comburendas, & holocauſta avium. Nec enim ſinguli offerentes ſal ſimul afferebant, ſed ſal ſacrificiorum pariter ac ligna, communi totius cœtus ſumtu, ex annuo videlicet dimidii ſicli cenſu, comparabantur.

Num Sal in Menſa panum propoſitionis?

II. Sed &, quia inter vaſa illa aurea, quæ menſam panum propoſitionum ornabant, memorantur קערות / quæ utplurimum vertuntur *ſcutellæ*, patinæ profundiores, & alias ſæpius quoque v. g. Exod. XXV, 28. XXXVII, 16. Num. IV, 7. VII, 15, 19. &c. recurrunt, nec doceri poteſt, cui uſui impoſita hæc vaſa fuerint menſæ aureæ, inde VILLALPANDVS *in Ezech. XLI. T. II. lib. IV. cap.* 57. & FORTVNAT. SCACCHVS *Myrothec. P. II. cap. XLI. p.* 492 *ſq. Salina* interpretantur. Quia nimirum ſal fœderis ab Iſraelitis Deus exquirebat, nullumque aliud in tota tabernaculi ſupellectile vas, ad ſalem ſervandum memoratur, SCACCHVS inde conjicit, his vaſis aureis, ſive ſalinis menſæ ſacræ, una cum thure & panibus propoſitionis, ſalem fuiſſe impoſitum, qui ſemper eſſet coram Domino. Lau-

Laudat in hanc ſententiam, quam altum ſilet Scriptura, PHILONEM, qui *lib. III. de vita Moſis p.* 669. diſerte teſtatur: ἡ δὲ τϱάπεζα τίθεται πϱὸς βοϱείοις, ἐφ' ἧς ἄϱτοι, καὶ ἅλες, *menſa autem poſita eſt verſus ſeptentrionem, ſuper quam panes & ſales.* Addi poſſet uſus ſalis, quando thura panibus priſcis impoſita, & cum novis permutanda, in altari holocauſti a duobus Sacerdotibus cremanda, non niſi ſale condita & permiſta, in memoriale panum, tanquam אשה *ſacrificium ignitum*, Deo offerre licebat. Vide MAIMONID. Hilch. *Temidin cap. IV.* §. 10. Non abſurda eſſet hariolatio iſta, modo Scripturæ quodam niteretur fundamento, quæ menſæ aureæ fabricam, apparatum, & uſum ſtudioſe delineavit, nullum autem ſalis in ea veſtigium ullibi prodit. קערות autem Rabbini paſſim *formas* interpretantur, ſeu talia inſtrumenta, quæ non tam ad menſam, quam ad uſum conficiendorum panum requirebantur, ut in illis vel maſſa ad certam figuram formaretur, vel cum ipſis maſſa jam formata, in furnum poneretur, vel denique, ut furno panes extracti, in his formis ad craſtinum diem conſervarentur: ut allatis Hebræorum teſtimoniis luculenter exponit LVDOVIC. WOLTERS *in Diſput. I. de Menſa & Panibus propoſitionis*, ſub præſidio RHENFERDII, Franequeræ An. 1703. publicata, §. *XXVI. pag.* 22 *ſqq.* Vide quæ nos ſupra *ad Lib. II. Cap. I.* §. *VIII. Annot.* 16. γ. commentati ſumus. PHILONIS equidem non omnem defugio auctoritatem, nec in BONFRERII pedibus incedo ſententiam, qui *ad Levit. XXI,* 14. rituum templi plane ignarum ipſum pronunciat. Quem tuto ſecutus Vir induſtrius, CHRIST. LVDOVIC. SCHLICHTERVS *de Panibus Facierum P. I. p.* 50 *ſq.* PHILONEM teſtem αὐτόπτην fuiſſe negat, *ſed, quæ de ritibus ſacris in templo Hieroſolymitano obſervatis habet, ex fama, aliorumque relatione tantum accepiſſe* cauſatur, *cum ipſemet Alexandriæ in Aegypto vixerit*, quin immo *textum Hebræum non legerit, vir in lingua illa parum verſatus.* Iſtud vero ἔγκλημα ipſius PHILONIS verbis liquido refellitur, quibus in τῷ πεϱὶ πϱονοίας *de Providentia libro* diſerte teſtatur, ſe per Aſcalonæ urbis fines iter feciſſe, ad precandum & ſacrificandum in Templo. Fragmentum ingens iſtius libri ſervavit EVSEBIVS *lib. VIII. de Præparat. Evangel. cap. XIV*, integrum autem ab interitu vindicavit, & novæ PHILONIS editioni Londinenſi inſeruit THOMAS MANGEIVS, ubi verba apud EVSEBIVM *p.* 398. edit. Colonienſ. ſive potius Lipſienſis An. 1688. & apud PHILONEM MANGEII *Tom. II. p.* 647. ita habent: τῆς Συϱίας ἐπὶ θαλάττῃ πόλις ἐστὶν, Ἀσκάλων ὄνομα· γενόμενος ἐν ταύτῃ, καθ' ὃν χϱόνον εἰς τὸ πατϱῷον ἱεϱὸν ἐστελλόμην εὐξόμενός τε καὶ θύσων, quæ VIGERIVS ſic vertit: *Vrbs quædam eſt Syriæ maritima (Aſcalonem vocant) ubi, quum aliquando verſarer, quo tempore patrium in templum precationis & ſacrificii cauſa proficiſcebar*, reliqua. Ex his citra controverſiam evincitur, PHILONEM ſive ſemel in vita, ſive iteratis vicibus, Hieroſolymam, quam ἱεϱόπολιν toties, & ἁγίαν πόλιν appellat, adiiſſe, templum & quæ in eo fierent ſacra, ſuismet oculis uſurpaſſe, & teſtem eorum αὐτόπτην omnino fuiſſe. Quando autem ille, ſalem panibus facierum in menſa propoſitionis additum, loco ſupra citato perhibet, ab ipſo ſolo rem mihi perſuaderi non patior. Vel enim thura, quæ tacet ille, cum ſale permiſcuit, nec diſtincte ac recte tradidit; vel ſi fides ipſi conſtet, iſtud ſolum ſequitur, ultima demum ætate, pro arbitrio ſcioli cujusdam Pontificis, ſal adjectum fuiſſe, cum antehac nunquam id vel lege ſancitum, vel more fuiſſet receptum. Salem itaque cum panibus propoſitionum jugiter coram Domino poſitum, cum & Scriptura ignoret, & univerſa taceat Judæorum antiquitas, ex ingenio inferre Sanctuario, religioni ducimus. Iſtam vero obſervationem, de PHILONIS circa miniſterium & vaſa templi auctoritate, non injucundam fuiſſe autumo, vel intempeſtivam.

2) *Salſuræ Species.*

III. Ad ſpeciem ſalis quod attinet, multum diſcedunt Hebræi, atque hos ſecuti Interpretes

e Christianis doctiores, ab iis, qui salem hic cogitant culinarem. In Tract. enim Talmudico *Menachoth cap. II.* exponunt: תמלח ואי זו מלח זו מלח סדומית *falies*, imperat Scriptura: *sed quo sale?* Resp. *sale Sodomitico.* Id vero alii de bitumine, alii de sale vero, sed ex bitumine cocto ac producto interpretantur. HERMANN. VON DER HARDT *Ephemerid. Philol. Discurs. IX. pag.* 143 *sqq.* bitumen intelligit lentum, coloris nigri, ex fundo lacus Asphaltitis propullulans, ejusdemque superficiei innatans, adeo ut λίμνη Ἀσφαλτίτης, *lacus Asphaltites*, Hebræis ים סוף dictus, cognomentum inde traxerit ים המלח *maris bituminosi.* Vocabulum enim מלח utrumque notare contendit, tam *sal*, unde communis orta sit opinio, sal, quo nostros condire cibos solemus, in Templo fuisse usurpatum, quam *bitumen*, cujus in confinio & agro Sodomæ, ante ejus eversionem, complures erant fontes, & magna vis propullulare & lacu Asphaltite solet, undisque innatare. Istud vero accensum, ad modum succini ardere, & suavem ex se spargere odorem. Duplici ergo de causa victimis omnibus fuisse adjectum: partim, quod facile flammam conciperet, & cum aliis communicaret: carnes enim adolendas, ut eo facilius consumerentur, adspersas fuisse hoc bitumine, quod ob pinguedinem suam ignem velocius concipiebat, & in flammam prorumpens, oblationem comburebat; partim, ne ex crematis carnibus vel farina, ingratus oriretur fœtor, qui præsentium, maxime Sacerdotum, nares pungeret, eosque ab ara depelleret; cum potius suavis ex sacrificiis odor deberet ad Deum mitti, unde toties sacrificiis a Mose additur character, ריח ניחוח ליהוה *odoris Deo grati.* Fusius ista auctor persequitur, & multis, pro more, rhetoricationibus pingit, solidis autem rationibus non firmat, nec primus sententiæ hujus inventor, quam dudum ante ipsum LIGHTFOOTVS *in Hor. Hebr. & Talm. Cent. Chorogr. in Matth. cap. V.* in scenam introduxit. Habent tamen viri docti, quod in illa jure meritoque reprehendant. Velut enim מלח *sal* Hebræis notat, sive fossile, sive coctile, nec ullo idoneo probari potest exemplo, idem quoque vocabulum *bitumen* notare, quod ordinarie & ubique חמר appellatur, quando v. g. bitumine, calcis vice utebantur conditores urbis & turris Babylonicæ, Genes. XI, 4. quando Mosis mater eodem oblevisse narratur arculam, quæ filium infantem in aquis vehebat Exod. II, 2. & quando putris bituminosis referta dicitur vallis Sittim, in regione Sodomæ Genes. XIV, 10; velut etiam verbum מלח *sale condivit, salivit*, nusquam per universam Scripturam, *bituminavit* designat: ita pariter apud Græcos, ἡ ἅλς, vel τὸ ἅλας, semper & ubique, tam apud LXX, quam apud profanos Scriptores, *Sal* proprie dictum significat, nullibi *bitumen*, quod LXX nomine ἄσφαλτε reddunt: ita quoque perpetua collatio versionis Græcæ cum fontibus Hebræis docet, quotiescunque in Hebræo legitur מלח, semper illud LXX exponere per ἅλας, nullibi per ἄσφαλτον, quo ex adverso semper & ubivis vocabulum חמר exponunt. Hinc sole clarius liquet, geminam illam & æquivocam notionem, sive bituminis potius significationem, voci מלח præter jus fasque, & præter genium ac usum linguæ Hebrææ, gratis obtrudi. Nec obverti potest terræ ratio prope Sodomam, & ipsum mare Asphaltitis, quod quando ים מלח Genes. XIV, 3. vocatur, mare potius bituminosum, quam salsum sit dicendum. Hoc enim est τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν. Cur enim non *salsum* κατ' ἐξοχὴν dicatur hoc nomine, eo quod hoc mare salsugine & amaritudine omnia alia maria longe superet? Sane LXX eo loco τὴν θάλασσαν ἁλῶν, non vero λίμνην ἀσφαλτίτην vertunt. Verum est, quod mare illud scatens bitumine, protrudat tum a bituminosi maris fundo, tum a litoribus, limum crassum, pinguem, lentum, sulphureum, nigricantem, & vehementer cohærentem, eaque de causa recte dicatur λίμνη ἀσφαλτίτης, ab ἀσφάλτω: ast, quando ים המלח appellatur, non tam ad bituminosas, quam ad salsuginosas partes respicitur, præsertim cum e bituminis illius genitrice terra, ac limo ebulliente, salsugo enascatur

adeo

adeo adſtringens, ut nec piſcibus, nec ulli quidem reptili tolerari poſſit, quod Geographus Nubienſis *Clim. III. Part. V.* recte obſervavit, & aquæ ſalſuginoſæ omnino tribuit. Quanquam, ſi fides ſit SALMASIO *ad* SOLIN. *fol.* 433. *col.* I. amaræ ſint hujus maris aquæ, aſt plane non ſalſæ, & mare ſalſum dicatur ob ſterilitatem & deſolationem, æque ut מלוחה *deſolationem* Hebræis notat, quo ſenſu etiam mortuum vocetur. Vereor tamen, ut conſentientes habeat SALMASIVS arbitros ſatis rerum peritos. IOSEPHVS ſane *lib. IV. de B. J. cap. VIII. §.* 3. edit. Haverkamp. lacum Aſphaltitin & Tiberiadis mutuo opponit, quod ille ſit ἁλμυρώδης καὶ ἄγονος, *ſalſus & ſterilis*, Tiberiadis vero aqua γλυκεῖα καὶ γόνιμος, *dulcis & fœcunda;* & paulo poſt §. 4. ubi lacus Aſphaltitis indolem ac rationem ex inſtituto deſcribit, λίμνην πικρὰν vocat καὶ ἄγονον, *amaram & infœcundam*, amariciem ex ſalſedine oriundam liquido docens. Deinceps quoque extra dubium poſitum non eſt, quod tanta cum fiducia HARDTIVS ſupponit, ea ſuavitate & fragrantia polluiſſe bitumen, cum adoleretur, ut omnem nidorem carnium & adipum abſorberet & depelleret. Bitumen enim accenſum tam ſuaviter olere, fide dignis demonſtrari oportebat documentis, cum ex adverſo ſulphur, nitrum, & picis gluten, ex quibus conflatum eſt bitumen, graviſſimum potius exhalent fœtorem. Quin immo bitumen illud, quod in pharmacopoliis, a loco natali Judaicum dicitur, & Theriacæ admiſcetur, tantum abeſt, ut gratum odorem ſpiret, ut potius intolerabili moleſtum ſit fœditate. Quo evicto, tota Viri corruit argumentatio, & uſus quem adſperſi bituminis fingit. Quid autem fiet *de ſale Sodomitico*, quod univerſa loquitur poſterioris Templi antiquitas? Reſp. Non opus eſt, ut ſimpliciter idem faciamus cum bitumine, ſed ſalem potius intelligo, e mari Sodomitico arte elicitum & excoctum. Sicut enim ſalium eſt varietas, ita ſal Sodomiticus dicitur, qui ex aquis Sodomiticis ſeu maris Aſphaltitis, arte extrahitur, prout ſalem nitroſum, ſal Ammoniacum, & alia ejus generis, οἱ ἰατρῶν παῖδες norunt. Propterea autem ſal eſſe non deſinit, & virtutem quandam ſali congruam exſerere, etiamſi uſum culinarem non per omnia præſtet. Amarior enim ille ſal, quam qui humanis uſibus conveniret, fuiſſe videtur, uti qui e bituminoſis, nitroſisque halitibus, amaritudinem non minus, quam ſalſedinem contraxit, cui ſimile videri queat alumen atque nitrum. Et hoc ſenſu admittere poſſumus, ſal Sodomiticum victimis & Minchis fuiſſe adſperſum temporibus Templi poſterioris, licet non conſtet, aut inde ſequatur, annon hæc, quam præ manibus habemus, lex divina, ſal culinare requiſiverit.

3) *Salſuræ Rationes.*

IV. Reſtat, ut ad rationes progrediamur, propter quas ſale condiri Sacrificia Deus voluerit? Vbi MAIMONIDES *in More Nevochim lib. III. cap. XLVI.* craſſam prodit ignorantiam, quando in diſciplina ſacrorum apud Gentiles ullam ſalis mentionem fieri, aut uſum fuiſſe negat, ideo Deum adhiberi Sacrificiis omnibus ſal, præcepiſſe. Contrarium enim ex profanorum Scriptorum documentis apparet. Sal θεοφιλέστατον, *Diis cariſſimum* appellat PLATO, & in vulgus nota ſunt *mola ſalſa*, & *ſalſæ fruges* Veterum: unde PLINIVS *lib. XXXI. H. N. cap. VII. Salis*, inquit, *maxime in ſacris intelligitur auctoritas, quando nulla conficiuntur ſine mola ſalſa.* Sinon itaque apud VIRGIL. *lib. II. Aeneid.* aræ ſe deſtinatum fingens, apparatum Sacrificii ita deſcribit. *Jamque dies infanda aderat mihi ſacra parari Et ſalſæ fruges.* Ad quæ verba SERVIVS annotat: *Salſæ fruges, ſal & far, quæ dicitur mola ſalſa, qua & frons victimæ, & foci adſpergebantur, & cultri.* Hinc in contrarium diſcedens SPENCERVS *lib. III. de Legib. Hebr. Diſſert. II. cap. II. pag.* 662. FRANCISCI VALESII adſtipulatur ſententiæ, & quia mortalium omnium antiquiſſimi ſalem addiderint Sacrificiis, eundem quoque in lege Moſaica Deum approbaſſe & retinuiſſe cenſet. *Cum enim legem traderet Deus*, inquit, *id egiſſe vide-*

videtur, ut cultum publicum a ritibus novis & superstitionem olentibus liberaret, eumque ad simplicitatem Patrum ævo receptam reduceret, qua nempe populi Hebraici ruditas & pervicacia paterentur. Sed quamvis forte concedi queat, quod tamen nondum est evictum, jam Patriarcharum sacrificiis salem fuisse additum, non tamen inde sequitur, hanc fuisse rationem, propter quam Deus hanc legem conderet. Quin immo ulterius foret inquirendum: cur Deus in prima Sacrificiorum disciplina, Patriarchis, immo protoplastis tradita, salem adhiberi voluerit? Absurdus hic est SPENCERVS, quando persuasum nobis cupit, Patres ante Mosen res tantum ad cibum bonas Deo obtulisse, & id ante omnia curasse, ut Sacrificium ad convivii naturam quam proxime accederet, & Deus cibo ac potu gratissimo exciperetur. Nam 1) ita supponitur, Patriarchas ex suopte ingenio & arbitrio Sacrificiorum rationem ac modum excogitasse, quod tamen secus se habere, supra evicimus: 2) Falsum est, omnia ex cibis petita fuisse, quæ Deo obtulerunt, cum thuris ipse SPENCERVS h. l. faciat mentionem, cujus in cibo usus nullus est: 3) Falsum præterea, Deo in Sacrificiis mensam structam, & epulas fuisse paratas, quam sententiam MARPERGERVS *de Agno*, plus vice simplici rejecit.

Salsuræ Sensus Mysticus.

Sunt ergo, qui mysticum sectantes sensum, figuratum fuisse Christum tradunt. Hic enim verissimum Sal est, hic solus reddit nos sapidos, i. e. gratos Deo, hic vere præservat a corruptione, instar salis, tum animam nostram, tum etiam corpus per futuram resurrectionem, unde Aegyptii condiebant sale corpora defunctorum. Præterea verbi divini symbolum esse credunt, quo salimur, i. e. mundamur & sanctificamur. Nam verbum Dei salis instar penetrat, incidit, mordet, immunditiem abstergit, vulnera sanat, corruptionem arcet, &, quod etiam sal facit, pinguedinem & fœcunditatem inducit. Vid. SPANHEM. *in h. l. Levit. Tom. III. Opp. fol.* 624. Sunt autem istæ allegoriæ & accommodationes ingenii humani, quarum sensus ex lege demonstrari nequit.

Sensus Moralis.

Nos moralem potius respectum subesse divinæ huic sanctioni censemus, qui officii sui admoneret offerentes, & in Nov. Test. commodam admittit applicationem, a Spiritu Sancto luculenter ostensam. Sal nimirum symbolum est I.) constantiæ & incorruptibilitatis, unde non modo amicitiæ condendæ & firmandæ sal olim adhibebatur, ut constantem fore illam & immarcescibilem ita innueretur, verum etiam *Sal fœderis* diserte appellatur Lev. II, 13. qui adspergebatur muneribus & victimis. Hoc etenim sensu, cum toto genere humano fœdus gratiæ in Christo, ejusque Sacrificio expiatorio pepigit Deus, se fore hominibus propitium & gratiosum, si Christum, ejusque Sacrificium fide apprehenderent, sibique applicarent. Hoc Sacrificium Christi in vetere œconomia repræsentabatur, ejusque fructus applicabatur fidelibus per symbola & typos Sacrificiorum legalium: & ne quis dubitaret, Deum fœderis sui firmam habiturum esse rationem, memoremque futurum, sal, nota perennitatis & stabilitatis, adjiciendus erat omnibus sacrificiis, partim ad significandam incorruptibilitatem ac æternitatem fœderis Dei, quam alias Deus suavissimis confirmaverat promissionibus Jes. LIV, 9. 10. Psal. LXXXIX, 29. & CXI, 9. Jerem. XXXIII, 20, 21, 25. ut firma fiducia offerens apprehenderet sacrificium Christi, immoti fœderis divini immotum fundamentum; partim, ad monendum populum, incorrupte & constanter servandum esse fœdus Dei, ut adeo *Sal fœderis* esset, qui adhibendus erat in oblationibus secundum fœdus Dei, sive secundum id, quod Deus præceperat in fœdere suo. Inde porro *Fœdus salis*, ברית מלח Numer. XVIII, 19. de lege fœderali, inviolabiliter servando, & 2 Chron. XIII, 5. ubi regnum datum dicitur Davidi & semini ejus fœdere salis

lis a Deo, h. e. irrevocabili, incorruptibili, firmo & perpetuo, quia ſal corruptionem arcet, & carnes aliaque ſervat incorrupta.

Sal II.) prudentiæ ſpiritualis ſymbolum eſt, qua intus conditi eſſe jubemur, ut vigorem fidei perpetuo ſervemus, Deoque ac hominibus accepti ſimus. Hoc itaque condiri oportet, tam ſacrificia noſtra ſpiritualia, quia, quod ſine ſcientia offertur, inſipidum & inſulſum eſt, quam ſermones noſtri, ex monito Pauli Coloſſ. IV, 6. ubi per gratiam atque ſalem prudentia deſignatur pia & religioſa, a Spiritu Sancto dimanans, quæ cor primum, deinde linguam hominis atque ſermonem dirigit, ad loquendum cum ſalubritate, interprete IOH. DAVENANTIO *in Epiſt. ad Coloſſ. h. l. pag.* 437. Sacrificiis itaque additus, monebat offerentes officii ſui, ut & ad ſacra ſua probe attendentes, λογικὴν λατρείαν præſtarent Rom. XII, 1. & ſeipſos Deo hoſtiam ſiſtentes, corde ac ore puro accederent, nec ſalem fatuum exhiberent Marc. IX, 50.

Sal denique ſymbolum eſt III.) præconii Evangelici, quo ſenſu Chriſtus Matth. V, 13. Apoſtolos τὸ ἅλας τῆς γῆς appellat, *Sal terræ*, quia per prædicationem verbi divini, homines a corruptione carnis purgant, eosque Deo, cui antea non placebant, ſapidos & acceptos reddunt, prohibentque, ne aliquando in priſtinam recidant corruptionem; ſicuti ſal a rebus ſalitis arcet putredinem, a qua etiam in poſterum eas præmunit, & cibos, qui inſulſi erant, ſapidos reddit. Quando autem *Sal terræ* κατ᾽ ἐξοχὴν dicuntur Apoſtoli, per terram hic univerſum orbem intelligi monet WOLFIVS *in Curis Philol. ad h. l. pag.* 81. contra LOMEIERVM *Dier. Genial. Dec. I. Diſſ. VII.* &, qui hunc ſequitur, AMELIVM *P. II. pag.* 331 Judæam tantum intelligi cupientes ideo, quia illi primum doctrina Evangelii fuit oblata. Sed vero, cum Apoſtoli gentium doctores a Chriſto fuerint conſtituti, quam ob rem etiam comm. 14. τὸ φῶς τοῦ κόσμου ſalutantur, rectius amplior vocis notio τῆς γῆς aſſeritur. Porro, quia oppoſitum ſalis eſt fatuitas, ſive inſulſitas, in quam ſi ſal, acrimonia & virtute ſaliendi deperdita, degeneraverit, nulli amplius eſt uſui, adeo quidem, ut, cum aliæ res corrumpuntur & putreſcunt, alicujus certe ſint uſus, ſal vero ἐὰν μωρανθῇ, ſi infatuatus & inſulſus factus fuerit, nihil amplius proſit vel valeat, & ne quidem ad terram, aut ſterquilinium, i. e. ad fimum conficiendum aptus ſit Luc. XIV, 35. ſed foras abjiciatur & proculcetur: hinc Chriſtus ſimili iſto innuere voluit, miniſtros Eccleſiæ, quibus officium incumbit, ſinceræ doctrinæ prædicatione, & ſanctæ vitæ exemplo, ſaliendi alios, ſi ipſi inſipidi fiant, fidem nimirum & bonam conſcientiam amittentes, vix unquam ad reſipiſcentiam revocari, ita ut in peccatis computreſcant, & omnibus merito deteſtabiles fiant. Aeque ut ſal inſipidum ad Sacrificium adhiberi, aut in Sanctuarium inferri non debebat. Et ad hoc Chriſti verbum reſpexit ECEBOLIVS Sophiſta, qui cum fidem Chriſtianam ſæpius abnegaſſet, poſtea reſipiſcentiam ſimulans, ante portam Eccleſiæ ſe pronum abjecit, vociferans: πατήσατέ με, τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον, *conculcate me, ſalem infatuatum*, teſte SOCRATE *lib. III. Hiſtor. Eccleſ. cap. XIII.* Denuo autem hic excludimus HARDTII gloſſema, qui *cit. loc. pag.* 149. bitumen ſuum intrudit, verba in hunc ſenſum exponens, Apoſtolos *ſal terræ* dici, ut ſint inſtar ſalis Sodomitici, ſive bituminis, quo arcte inter ſe compingantur & uniantur homines. Bitumen enim infatuari, ſive inſulſum reddi, nunquam deprehenditur. Ad rem propius ſpectat, ſi dicamus, Sacrificiis omnibus ſalem adjici juſſum, quia omnibus, inde ab antiquo, juxta illa, quæ ſupra ex FRANZIO obſervavimus, præconium Evangelicum erat jungendum a Sacerdote, de vero Novi Fœderis ſacrificio olim exhibendo, & de rita ac ſalutari virtutis Sacrificii applicatione.

V. Denique locus superest, ex difficillimis Nov. Testam. Marc. IX, 49. πᾶς γὰρ πυρὶ ἁλισθήσεται, καὶ πᾶσα θυσία ἁλὶ ἁλισθήσεται, κ. τ. λ. Circa quem quot capita, tot sensus. IOH. CLOPPENBVRGIVS *Scholæ Sacrific. Spicileg. cap. III. Tom. I. Opp. pag.* 74. data opera in hæc verba inquirens, confutato SCALIGERO, sibi tamen ipsi parum constat. *Vel* enim de verme non morituro, qui fomitem faciat ignis æterni, verba exponit, & ita vertit: *totus enim* (ὁ σκώληξ, de quo mox præcesserat) *igne salietur*, ut per particulam ætiologicam γὰρ, arctissime hoc comma cohæreat cum præcedente. Sic *igne saliri*, ipsi est fomitem facere ignis æterni. *Vel* ad antecedens remotius vers. 42. refert, ut de homine intelligatur, offendiculum ponente parvulis, qui *totus igne salietur*, & hinc præstare ipsi, si appenso saxo molari projiceretur in mare: *totus enim*, omnibus membris perfectus, æterno igne cruciabitur. Verba autem sequentia, per conjunctionem καὶ, ita accipit, ut τὸ καὶ sit particula adversativa, qua consilium illud salutare, quod ter præcessit inde a vers. 43. concludatur per antithesin illius conclusionis hujusmodi: *omnis autem hostia sale salietur. Bonum est sal istud, quasi dicat, melius autem est, saliri sale fœderis ad vitam æternam, quales sale fœderis aspersas hostias vos ipsos Deo offeritis, mortificantes membra vestra terrestria, manum, pedem, oculum, quæ vos scandalizaverint, id est, sollicitaverint ad offensionem unius ex parvulis istis.* Posterior explicatio sat commodum reddit sensum, modo ne offendat, quod ad geminum sermo referatur subjectum, alius ad damnandos, alius ad salvandos; præterea, quod πᾶς *totus* reddatur, cum in eodem commate 49. *omnem* notet, & istud καὶ, in eodem commate adversative per *autem* vel *attamen* exponatur, quod sæpius tamen membra ejusdem orationis conjungit. Magnus itaque DORSCHEVS *Comment. in IV. Evangelist. ad h. l. pag.* 526. post discussas alias interpretationes, totum sermonem ad unum refert subjectum, illos nempe, qui ingredi volunt regnum cælorum. Omnis talis debet igne quodam affligi, & sale tribulationis, juxta Pauli effatum 1 Corinth. III, 14, 15. In vers. 48. & 49. geminum intelligit ignem, illum, qui destinatus est hominibus Deo sacrificandis, & ignem æternum. In vers. 49. talem intelligi censet salitionem, quæ fit in hac vita, quæque est ignis sacrificialis & præservativus. Metaphoram autem desumtam censet a Chirurgis, quando illi amputant manus, aut aliud quoddam corporis membrum, sanguinem ferro ignito restinguunt; hanc esse quasi quandam salitionem per ignem; sic quando in spirituali sanatione versamur, oportere quoque adesse ignem illum. Dominum autem serio monere Apostolos, ut probe attendant, ne quem scandalizent, sed, quantum possent, purificent. Quando enim ipsi præbituri sint occasionem scandali, fore eos sal insulsum, adeoque neque pro se, neque pro aliis futuros utiles. His gemella tradit *in Commentario in Marcum*, seorsim edito a IOH. FRID. MAYER, Kilonii An 1690. Denique D. IOH. PETR. GRÜNENBERG, peculiari dissertatione, *de salitura ad ignem æternum*, Rostochii An. 1702. ex instituto in hunc locum inquisivit, eumque de damnandis solum accipiens, in hunc exposuit sensum: *Omnis enim* πυρὶ igni, vel *ad ignem salietur*, æque ut olim *omnis victima sale saliebatur*. Vbi quidem per *salem*, verbum correptionis, per ἁλίζειν, *salire*, verbo correptionis perfricare aliquem, significabit. Cum ergo præcesserit: *in gehenna, in igni inextinguibili, vermem eorum*, qui scandalis & alios & semetipsos corrumpunt, *non mori, ignem eorum non extingui*, statim sequitur: *unusquisque enim* eorum, qui in gehennam abjiciuntur, (si forte, cur vermis & ignis eorum non extinguatur, dubites aut quæras) *ad ignem salietur*, i. e. per verbum correptionis, olim spretum, nunc sentiendum, perfricabitur, velut sale, atque ita præparabitur, flammas concipere

pere æternas non tantum, sed & tolerare incorruptus ut possit. *Et omnis victima* ad gehennam damnata, *salietur sale*, nimirum verbo correctionis & emendationis, olim spreto, nunc sentiendo, cum dolore æterno Joh. XII, 47, 48. *Bonus* quidem *ille sal est*, verbum nempe correptionis: *si vero*, vitio præcipue offerentis & proponentis, *sal iste factus fuerit insulsus*, expers scilicet effectus, hominem emendantis, *quanam in re illum condietis?* h. e. quomodo vos Apostoli salem istum, verbum correctionis inter homines distributuri, qui illum sæpe per vestrum vitium, exemplum & neglectum, velut insulsum redditis, atque ita prædicandum a vobis emendationis verbum suo fructu orbatis, facietis, ut neglectus, vel prave adhibitus, aut exemplo vestro infirmatus sal, novum robur in animo hominis acquirat? Jubeo igitur: *habete in vobis salem*, qui vos ipsos, & alios mutuo emendet, fraterne corripiat, & a scandalis & gehenna præservet, *& inter vos paci studete*, ne ita verbum illud proferatis, ut alios astute ac malitiose mordeatis, devoretis, & in vos concitetis. Vt adeo sal sit idem, ac verbum, quod a Christo prædicatum, dicitur reprobos judicaturum, & condemnaturum esse in judicio extremo Johan. XII, 48. verbum, quod torquere dicitur homines Apocal. XI, 5. sicut & reprobi & iræ divinæ subjiciendi dicuntur, esse hostia θυσία, ἣν θύει ὁ θεὸς, Ezech. XXXIX, 17, 19. Satis ingenii & acuminis hæc explicatio spirat, & pronum fundit sensum. Quia tamen ista salis interpretatio pro arbitrio adoptatur, & innumeri eorum, qui damnantur, verbo correptionis nunquam fuere admoniti, quod tamen contigisse omnibus per vers. 49. oportuisset, nec per omnia de damnationis causa & modo, verum omnino etiam vers. 45, 47. de ingressu in cælum Christo pariter sermo est; simplicior, minusque coacta nobis videtur explicatio DORSCHEI, qua tamdiu stamus, donec aliam percipiamus solidiorem.

De Sale qui multa confertim legere cupit, ex omni antiquitate congesta, disputationem ISR. CLAVDERI adeat *de Sale*, sub præsidio IOH. CHRISTFR. SAGITTARII Jenæ ventilatam anno 1650. De bitumine autem prolixa legitur descriptio apud STRABONEM *Geograph. lib. XVI.* (edit. CASAVBON. An. 1587.) *pag.* 511 *sq.*

II. DE FERMENTO ET MELLE, ARCENDO AB ALTARI.

I. Mellis quidem & fermenti usus non omnis ab oblationibus excludebatur. Vtrumque enim Sacerdotibus primitiarum nomine afferre tenebantur Israelitæ Levit. II, 12. panesque agitationis in primitias Domino fermentatos ferebant, die Pentecostes Levit. XXIII, 16, 17. Sic etiam in Eucharisticis placentas azymas, & lagana azyma, diserte placentæ fermentatæ impositas afferre jubentur cap. VII, 13. Melle pariter ac fermentato vesci licebat Sacerdotibus, etiam in loco sacro; hinc oblata mellea, & fermentata dona, Sacerdotibus cedebant in victum, nec repudiabantur. Id tamen, quod tam sollicite sanctissimum Numen Levit. II, 11, 12. cavit, hoc erat, ne tale quid altari inferatur, Domino accendatur, aut Sacrificii ratione veniat in Sanctuario.

II. Causam interdicti, Legislatori constitisse gravissimam, non est quod dubitemus. Hanc autem varii varie fingunt, ex testimoniis Scripturæ demonstrare non valent. Plurimi ad monita vitæ, & moralia præcepta, quicquid est istius rei, referunt. Talia BOCHARTVS *in Hierozoic. P. II. col.* 530. ex Patribus, & HOTTINGERVS *de Legibus Hebræor. p.* 166.

ex Judæorum monimentis, multa in medium protulerunt. IOHAN. DE MEY *Comment. Phyſ. in Pentateuch. ad Levit. II,* 13. *pag.* 129: *Arceri a ſacris juſſit Deus mel, & fermentum, quia mel voluptatis carnalis, fermentum malitiæ ſymbolum eſt,* 1 *Corinth. V,* 7, 8. *Conſtat quippe, teſte* ARISTOTELE, *ob voluptatem ſæpe homines improba agere, & ob dolorem res honeſtas poſthabere. Vnde fit, ut qui Dei ſit futurus amicus, voluptatis contemptor, & doloris patiens eſſe debeat.* Eodem tendit OVTRAM *de Sacrif. Jud. lib. I. cap. VIII. §. IX.*

III. Malunt alii hiſtoricam urgere rationem, Deum ab altari mel removiſſe, ut ſua Sacrificia ab Ethnicorum profanis ſacris liquido ſepararet. Hoc poſt BOCHARTVM *citat. loc.* SPANHEMIVS *Obſervat. in Levit. h. l. Tom. III. Opp. fol.* 624. allegat. Inter gentes enim mellis libatio Diis Inferis, & Heroibus fato functis, pene propria & peculiaris habebatur. Vnde Deus ipſe exprobrat Judæis idololatris, quod ſimilam, oleum, & mel, in odorem ſuavitatis, Deaſtris ſuis & Idolis obtulerint Ezechiel. XVI, 18, 19. Hanc ſuam Helenam pingit ac ornat SPENCERVS *lib. II. de Leg. Hebr. cap. IX. ſect. II. num.* 2. ubi de mellis uſu, in ſacris Gentilium, multa erudite congeſſit, ut obtineat, ex Ethnicorum conſuetudine, Deum vel mutuo petiiſſe ſacrorum ſuorum ritum, vel occaſionem nactum fuiſſe, ad inſtituendas cerimonias Leviticas; hinc mellis favum in altare ſuum venire noluiſſe, ut ſuorum ſacra ad primævam revocaret ſimplicitatem. Verum hæc ratio ſi militaret, 1) ad mel tantum ſpectaret, quid autem fieret de fermento, cujus prohibitio ex ritu gentili derivari non æque poſſet? 2) Eodem autem jure, ſal pariter, farina, thus, ejusque generis alia, in Gentilium ſacrificiis nunquam non adhibita, arcenda fuiſſent ab altari, cum eadem ratio eandem producat concluſionem.

IV. Non caret ſpecie illorum ſententia, qui phyſicam huic interdicto ſubeſſe cauſam exiſtimant; eo quod fermentum corruptionem involvit, cum in omni putrefactione & corruptionem operetur fermentatio; mel vero ex rebus etiam impuris colligitur, modo dulcedinem habeant, quam delibant apes, quæ & ipſæ ex cadavere aliorum animalium poſſunt generari. Deum autem partim poſcere dona ejusmodi, quæ optima ſint, & in integritate, non in corruptione, conſtituta; partim omnem corruptionem & impuritatem naturalem, cum a cultu ſuo, tum a cultoribus removere. Vtut autem ſcita iſta ſit meditatio, Sanctiſſimo tamen Numini genuinam hanc fuiſſe condendæ legis rationem, nemo temere affirmaverit.


V. Eodem piæ meditationis titulo venit cauſa Theologica, quam laudatus SPANHEMIVS primo loco profert, hoc interdictum ad Chriſtum ſpectaſſe contendens, *qui vere panis vitæ, expers fermenti, corruptionis & peccati. Ita Chriſti oblatio in cruce, condita non melle, ſed felle amariſſimo, unde herbæ amaræ præſcriptæ, quæ eſſent comedendæ cum pane azymo Exod. XII,* 4. Quæ vere omnia dicuntur, hac tamen lege præfigurata fuiſſe, nunquam poterunt evinci.

VI. Ne itaque nos pudeat, ſacram profiteri ignorantiam, ubi Deus nos mentem ſuam ignorare voluit. Vbi rationes decretorum, legum, inſtitutorum ſuorum Deus ipſe ſiluit, ibi τίς ἔγνω νοῦν Κυρίου, ἢ τίς σύμβουλος αὐτοῦ ἐγένετο; Roman. XI, 34. Tutiſſime ergo dicemus, cauſas legis iſtius fuiſſe arcanas, nec certo reddi a nobis poſſe. Si tamen inter ſenſum myſticum, a Spiritu Sancto intentum, & inter accommodationes humanas diſtinxeris, locum habebunt piæ ejusmodi meditationes.

Scriptu-

Scriptura enim ipſa 1 Corinth. V. fermentum, tanquam ſymbolum malitiæ, hypocriſeos, contaminationis ex alienis peccatis, exponit, & in ritu expurgationis Paſchalis adumbratam typice fuiſſe docet remotionem omnis nequitiæ ejusmodi, quam jugis feriatio Chriſtianorum, & cultus Nov. Teſtam. non patiatur. Hinc facile colligas, quemadmodum in Novo Teſtam. Deus omne fermentum a Feſtis, & ab altari ſuo excluſit, ita pariter ab acceſſu ſuo in precibus, cultu, auditu verbi & ſacris Nov. Teſtam. omnem prohibere malitiam, & quicquid fermento adumbrari poteſt. Eſt illud quoque ſymbolum ſuperbiæ & faſtus. Jam pariter odit Deus omne ſuperbum; ſuperbis obſiſtit, humilibus dat gratiam, 1 Petr. V, 5. Mel prohibitum, quia & ipſum fermentandi vim habet. Primis enim diebus fervet, ſeque purgat, vigeſimo die coaleſcit, mox obducitur tenui membrana, qua fervoris ipſius ſpuma concreſcit. *Sed nec in oblationibus ſpiritualibus placet Deo mel humanæ eloquentiæ, ſeu humani ſermonis* 1 *Corinth. II,* 4. *quæ præſidia Gentilium fuere,* ut denuo monet SPANHEMIVS. Sed iſta ſufficiant.





I.

צְדָקָה

SIVE

ELEEMOSYNAE IVDAEORVM

EX

ANTIQVITATE IVDAICA DELINEATAE

A. D. X. Septembr. A. CIↃIↃCCXXVIII. *in Auditorio Paulino Lipsiens.*

Dissertatione publica assertæ.

RESPONDENTE

M. GOTTLIEB LVDOVICO ASTERO

KOETSCHENBRODA-MISN.

§. I. *Instituti ratio.*

Insignem plane, antiquitates Judaicas, earumque uberem & luculentam cognitionem, præstare usum, per universum, quo late patet, Theologiæ ambitum, & præ ceteris in explicandis innumeris Scripturæ Sacræ locis, nemo facile in dubium vocaverit. Prostant hujus rei tot testimonia, quot sunt elogia, quot laudes, quot commendationes hujus studii, vel integris justisque commentariis traditæ, vel, ut usu venire plerumque consuevit, præfaminum loco, disquisitionibus ejusmodi, ex antiquitate sacra institutis, præmissæ. Ego vero aut suspicionem incurrerem, animi, de felici quem fecerim, delectu, exultantis, aliisque persuadere cupientis, aut actum agere viderer, si jam nonnulla de Eleemosynis, ad res Judaicas maxime pertinentibus, commentari aggressus, in eundem excurrere campum sustinerem. Methodi tamen & ordinis rationem redditurus, id ante omnia mihi dari postulo, veritates historicas non adeo evictas ac ostensivas esse, ut omnem oppositi formidinem excludant. Nituntur enim testimoniis, relationibus, auctoritate & fide aliena magis, quam propria, quæ fallere omnino possunt, tanto quidem facilius, quanto longius a nostris temporibus distant, indeque firmas, indubitatasque conclusiones ducere non semper licet, sed ad illud inprimis tunc respiciendum est, quod rationibus maxime probabilibus suffultum, similitudinem veri, demonstrationi proximam, præ se fert. Hoc de rebus veteris reipublicæ Judaicæ quoque, immo de Eleemosynis

nis

nis eorum, צדקות appellatis valere existimó. Ideoque hujus denominationis veram indolem, rationemque hac dissertatione expositurus, ita procedam, ut *primo* omnium, *adæquata definitione nominali, conceptum vocis* צדקה *figente*, ac ad mentem ipsorum Judæorum composita, falsas, tam a Judæorum Magistris suppeditatas, quam a viris Christianæ Ecclesiæ eruditissimis approbatas, de origine ac emphasi hujus denominationis sententias removeam, atque sic dicta Scripturæ Sacræ utriusque fœderis, ab ipsis in partes suas tracta, vindicem, veriorem interpretationem seligam, argumentisque maxime idoneis corroborare allaborem, hinc tales quoque attingam sententias, quales instituto succurrent: *demum* de *re* ipsa, ejusque differam *ritu*.

§. II. *Eleemosynarum* 1) *Appellatio* צדקה.

Judæorum Doctores, Eleemosynas, hoc est, dona pauperibus data, appellasse צדקה, neminem, nisi in his rebus plane hospitem, fugit. Fidem huic rei faciunt innumera veterum ac recentiorum Judæorum testimonia & effata, maxime vero R. BECHAI in כד הקמח *titulo* צדקה, & insignis juris patrii restaurator R. MOSES MAIMONIDES in יד חזקה libri VII. זרעים inscripti, tractatu II. qui הלכות מתנות עניים inscribitur: qui data opera hoc argumentum excutientes, haud alio fere, quam צדקה nomine, piam illam in pauperes liberalitatem insigniunt. Cumprimis Lexicographos audire juvabit, in quibus R. ELIAS LEVITA *in Tisbi h. v. p.* 191. הרגילו רז"ל לקרא למתנת עניים צדקה וכן פירשו וצדקה תציל ממות: צדקה תרומם גוי: *Rabbini, quod pauperibus datur,* צדקה *appellare solent, qua in significatione exponunt illud, Proverb. X,* 2. *XI,* 4. *justitia* (h. e. eleemosyna) *liberat a morte, item, cap. XIV,* 34. *justitia* (eleemosyna) *exaltat gentem.* Additque paucis interjectis: וקראו הצדקה בלשון הנוים אלמוזן והוא נלקח מלשון יון *Christiani autem Eleemosynam vocant* Almosen, *quod a Græcis desumtum est.* Sic DAVID DE POMIS צמח דוד *h. v.* postquam vocem istam, *justitiam* notare docuisset, addit: ומורה גם מתנה שנותנים לעניים׳ דניאל ד׳ *notat etiam donum, quod damus pauperibus, Dan. IV.* Pariter Chaldæos Interpretes, hac voce ad Chaldaismum inflexa, צִדְקְתָא & צִדְקָא, nec non צִדְקָתָא eleemosynarum sensu sæpius usurpare, BUXTORFIUS docet *Lex. Chald. & Rabb. h. v.*

§. III. *Nomen* צדקה *omni beneficentiæ non competens.*

Neque tamen omni Eleemosynarum generi nomen צדקה imposuisse, inde mihi videntur, quoniam MAIMONIDES, & alii, quorum loca adducit SELDENUS *de Jur. Nat. & Gent. L.* 6. *C.* 6. *p. m.* 724. septemplex statuunt genus eorum, quæ pauperibus, ex lege sacra sive Hebræis civili, debebantur. Primum est פאה *angulus*, secundum est לקט *spicilegium*, tertium vero עללות *racemationes*, quartum פרט particulæ uvarum, sive *acini decidui*, & de his quatuor præcipit omnino lex divina Levit. XIX, 9, 10. De quinto, quod est שכחה *oblivione relictum*, habetur præceptum Deut. XXIV, 19. De sexto, scilicet מעשר עני *decima pauperum* agitur Deuter. XIV, 28. Septimum denique est צדקה *Eleemosyna.* Et has tanquam species septem, sub uno illo conceptu generaliori מתנות עניים, *munerum pauperibus dandorum* comprehendere solebant.

§. IV. *Probatio ex* Deuter. XV, 7 *sq.*

Ad specierum harum septimam צדקה, trahunt Hebræi locum Deuter. XV, 7 sqq. ubi vocabuli צדקה nulla quidem fit mentio, res ipsa tamen, seu officium erga pauperes, satis perspicue inculcatur. Quodsi enim penitius inspiciamus verba, simulque cum versu proxime sequenti undecimo conferamus, haud difficile est, inde eruere, quod non de mutuo, (de hoc enim versus 8. præcipit,) sed potius de dono, fratri egeno dando, agatur. Sic namque ordo & scopus

ſcopus totius locutionis optime ſibi conſtat. Sub initium ſtatim capitis Deus ſancit quædam de anno ſeptimo remiſſionis: cum vero hoc ipſo anno omnia debita & mutuo data eſſent remittenda, addit ſapientiſſimus Legislator, ſe ideo non probaturum, ſi quis ob inſtantem forte annum hunc ſeptimum non ſuccurreret fratri ſuo egeno; ſed præcipit unicuique pro abundantia ſuarum virium ſeu opum, erogationem ſubſidiorum donorumque pauperibus, & quidem indefinitam verſ. 7. & 11, mutui quoque dationem, ſi miſeria proximi egeni id poſtulet, verſ. 8. Accedit, quod mutuum, ſi jam præſens ſit annus ſeptimus remiſſionis, non amplius pro mutuo, ſed pro donato ſit habendum.

§. V. צדקה *ſpecialius diſtincta.*

Si itaque ſumamus hunc locum, tanquam a Judæorum Magiſtris ad probandas ſuas צדקת adductum, ſi porro in diſtinguendis מתנות עניים ſeu donis pauperum, ſequamur MAIMONIDIS ordinem, quem, cur hac in re Scripturæ Sacræ veſtigia prementem, deſerere debeamus, nulla ſubeſt ratio, ſi, inquam, ſeptem illa modo adducta membra dividentia, ea qua par eſt, accuratione, ſibi invicem opponamus, ſtatim videbimus, ſeptimum, quod nomine צדקה venit, ſic a reliquis ſex generibus differre, ut non, æque in eo aliquid dandum certo determinetur, ac in ſex prioribus modis, ſed indefinita tantum, ad nullum locum, ad nullum tempus, ad nullam perſonam, ad nullum numerum reſtricta erga pauperes liberalitas, a Deo tamen non minus, quanquam ſic indefinite præcepta, inſinuetur.

§. VI. *Significatio vocis impropria.*

Hæc vocis צדקה ſignificatio non propria, non primitiva, non, ut ita dicam, originaria eſt, ſed pro impropria, figurata, ſecundaria, merito habetur, cum linguæ purioris Hebraicæ, antiquiſſimæ, qualem Sacro Codici indubitate aſſerimus, conſideratio nos doceat, radicem צדק *juſtum eſſe*, & inde derivatum nomen צדקה *juſtitiam* perpetuo Scripturæ Sacræ uſu denotare; cujus uſus pleniorem explicationem paulo poſt ſubminiſtrabo. Videre licet præter alios de hac ſignificatione Cl. GVSSETIVM *Commentar. Lingu. Hebr. pag.* 710.

§. VII. צדקה *in S. Codice quæſita.*

Diſquiſitione itaque haud indignum exiſtimarunt illi, qui lumen accendere hiſtoriæ Judaicæ ſatis tenebroſæ, ſibi datum crediderunt, qua ratione eo devenerint Judæi, ut Eleemoſynas nomine illo plane honorifico צדקה *juſtitiæ* expreſſerint. Enim vero, quandoquidem inter omnes de ratione hujus denominationis non ſatis conſtet, in eo tamen plurimi, quos mihi quidem adire licuit, amice conſpirant, Judæorum Magiſtros hanc denominationem ex ipſis Scripturæ Sacræ locis, numero non paucis, in quibus quidem ea ſignificatio, quam §. V. poſuimus, vocis צדקה obtineat, aut ſaltem actum erogandi ſtipem, ſi non donum ipſum denotet, in commentaria linguamque ſuam tranſtuliſſe.

§. VIII. Ἄγραφος *& mere Rabbinica.*

Vnus fere Anglus, de antiquitate Judaica apprime meritus, HVMPHREDVS PRIDEAVX *in* MAIMONIDE *de jure pauperis apud Judæos cap. X. not.* 3. *pag.* 106. in diverſum diſceſſit, cujus ut exactius percipiamus mentem, verba ipſa audiamus: *Vox* צדקה *proprie & primario tantum* juſtitiam *ſignificat, nec aliquo alio ſenſu unquam in Scripturis legitur; cum vero eo tempore, quo Talmudici conſtitutiones ſuas de Eleemoſynis tradiderant, lingua Hebræa vocem non ſuppeditaret, quæ eas proprie ſignificaret, ob defectum, quem tunc, utpote poſt exciſas Hieroſolymas, diſſipatamque gentem, paſſa fuerat, vocem* צדקה *ob convenientiam, quæ inter Eleemoſynarum largitionem & juſtitiam intercedit, ad eas ſignificandas aſſumebant, (juſtum enim eſt, pauperibus ſuccurrere, maxi-*

maximumque viri justi insigne est) & hinc primum obtinuit apud Judæos, ut hæc vox æque Eleemosynas ac justitiam significaret; MAIMONIDES *autem, vel, quod hoc non adverteret, vel potius, quod proposito suo inserviret, quasi hæc vocis significatio non tantum apud recentiores Judæos reciperetur, quin etiam eadem primario & antiquo in usu esset, cum præstantiam & necessitatem Eleemosynarum hic probaturus sit, eos Sacræ Scripturæ textus, in quibus justitia per vocem* צרקה *expressa, aut laudatur, aut nobis exercenda commendatur, quasi pro largiendis Eleemosynis facerent, huc adducit.* Hoc etenim sensu MAIMONIDES ad Genes. XVIII, 19. ad Jes. LIV, 14. & ad Cap. I, 27. Cap. X. §. 1. porro ad Jes. XXXII, 17. Deuter. XIII, 17. Jer. L, 42. Deuter. XIV, 1. §. 2. & sic amplius provocat. Hanc doctissimi Angli sententiam sequi nunc animus est, non certe quoad omne assertum, sed in quantum negatur, vocem צרקה in ipso Sacro Codice Eleemosynarum significatum admittere. Eo enim tutius ab ejus partibus stare nos posse arbitror, quanto facilius ad ipsa Scripturæ Sacræ loca, ab affirmativæ sententiæ patronis in suam causam allata, responderi potest.

§. IX. *Non obstat* Gen. XVIII, 19.

Et primo quidem loco, MAIMONIDES, quod dixi, in hunc sensum profert Genes. XVIII, 19. ubi verba ipsius Dei sic fluunt: *Et cognovi eum,* scilicet Abrahamum, *quod præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini* לעשת צרקה ומשפט. Horum verborum sensum planiorem, veriorem, atque menti Spiritus Sancti convenientiorem, quam quem cupit MAIMONIDES, ut ostendam, ad varia mihi attendendum esse video momenta, quæ si fuerint conjuncta, id, quod debent, satis evincunt.

§. X. *Vera notio voc.* צרקה *evoluta ex* Genes. cit. loc.

Adest in allato loco vocabulum צרקה, quod quidem in suas MAIMONIDES trahit partes, atque adeo operæ pretium erit, genuinam significationem, quam in Scripturæ Sacræ locis optimi quique Hebrææ linguæ Interpretes ei assignant, & res ipsa assignare jubet, quærere, quoniam hæc quoque in reliquis locis, ad quæ provocat MAIMONIDES, & suæ causæ patroni, vindicandis valebit. Nimirum צרקה nomen substantivum a radice צרק / uti §. VI. jam brevibus monui, primaria ac propria sua significatione, omne id notat, quod est justum;. Hoc vero, uti recte definitur, per complexum omnium virtutum moralium, sumtarum cum relatione hominis cujusque ad ceteros homines, & hanc justitiam *universalem* apposite, ut puto, vocat IAC. THOMASIVS, *philos. pract. Tab.* 24. Tum etiam speciali quadam ratione, designat eas tantum virtutes, seu quod idem est, eorum tantum officiorum exercitium, quæ ad conservationem alterius plane necessaria sunt, hinc ab altero stricto jure exiguntur, ac absque exceptione sunt præstanda, id quod justitiam *particularem*, sive unam justitiæ speciem constituit. Altera enim species concernit æquitatem, quæ non minus est & dicitur justitia, cum ad omne æquum, homo quisque alteri præstandum, non minus sit obligatus, ac ad officia jure stricto debita, & necessaria, hoc tantum discrimine, ut id, quod æquum est, non semper ex tanta convictione de obligatione præstetur, nec præstari possit, quanta quidem officium quoddam juris stricti, adeoque sæpe intermittantur officia æquitatis, non quidem ex defectu obligationis, sed ex considerationis defectu propriæ obligationis.

§. XI. *Vberior declaratio.*

Ita sane utrumque conceptum, tam generalem, quam specialem, voci צרקה inhærentem in sacris literis semper invenimus. Vniversalem sive generalem, quam diximus, justitiam, appellari צרקה / vel ostendunt dicteria Salomonis, regis sapientissimi, quæ in Proverbiis ejus de justitia occurrunt. Hanc enim intelligit, quando ait: כן צרקה לחיים Cap. II, 19. & Cap.

Cap. XIV, 34. צדקה תרומם גוי, sic infinita alia loca, quæ Concordantiarum usus facile suppeditabit. Atque hæc ipsa universalis justitia, recte quoque appellatur Justitia Legalis in scholis Theologorum, cui amissæ a nobis, per peccatum paradisiacum, successit secundum œconomiam divinam, Justitia illa Evangelica, h. e. Christi Servatoris, quæ per gratiosam Dei imputationem, ac per appropriationem fidei, fit nostra, & talis est צדקה illa, quæ Abrahamo imputatur, Genes. XV, 6. Quæ ideo quoque appellatur justitia Dei, Rom. I, 17. δικαιοσύνη τῦ Θεῦ, quæ a Deo maxime misericordi patre propter Christum, homini confertur sive imputatur per veram fidem, uti elegantissime explicat SAL. GLASSIVS *Philol. S. L. III. Tract. I. p.* 104. Hæc est causa justificationis nostræ: & sic sensu sano admitti potest, quod quidam dicunt, צדקה interdum sumi in Scriptura Sacra pro causa justificationis nostræ, si nempe de justitia Christi sit sermo. Quæ ideo etiam causa est, cur piis & justis per fidem in Christum, tribuatur justitia quædam inhæsiva, quanquam inchoata tantum atque imperfecta, scilicet serium divinæ voluntati conformiter vivendi studium, quod docet GEIERVS *Commentar. in Psalm.* CXII, 3. Immo huc respicit צדקה illa, quæ ipsi Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuitur, ac, si recte modo & θεοπρεπῶς explicetur, cum non possit esse æquatoria, quæ est inter æquales, sed tantum rectoria, quæ est inter superiorem & inferiores, monente BVDDEO *Theol. Dogm. L. II. C. I.* §. 37. tunc recte quoque dispescitur, in vindicativam & remunerativam, quarum utraque Deo expresse asseritur in sacris literis sub nomine צדקה: prior Psalm. VII, 18. posterior Psalm. XXXI, 2. Et hoc sensu generaliori, opponitur quoque צדקה quando de hominibus usurpatur, תום *integritati, pietati*, h. e. officiis erga Deum immediate directis Psalm. VII, 9. quanquam negandum non sit, צדקה quandoque Scripturæ usu, hæc officia erga Deum immediata includere, teste REIZIO *Not. ad* GOODWINI *Mos. & Aar. L. II. Cap. I,* §. 18. *not.* 1. Sed & speciali significatu צדקה interdum est pro justitia solum juris stricti, quod patet, si ejusmodi justitiæ juris stricti descriptio, §. anteced. allata, conferatur cum verbis Jesai. V, 15. In probanda altera speciali significatione, totum esse video VITRINGAM, virum Hebræarum literarum peritissimum, qui *L. III. P. I. C.* 12. *de Synagoga Vet.*] postquam divisionem justitiæ quandam, nostræ fere analogam tradiderat, & GROTIVM secum sentientem adduxerat, his principiis superstruit diffusam satis probationem istius significationis, juxta quam צדקה est pro æquitate, h. e. pro ea animi virtute, qua quis alteri tantum tribuit, quantum recta ratio, cum amore in alterum latissime explicata suadet, vel uti MAIMONIDES in *More Nevoch. Part.* 3. *C.* 53. loquitur, pro eo quod solius virtutis & honestatis causa aliis facimus, vel quod idem est, pro beneficentia, si sumatur, uti vult DRVSIVS *Quæst. Hebr. L.* 2. *C.* 6. quem in suam causam allegat VITRINGA, multis insuper adductis Scripturæ Sacræ locis, hanc significationem præ se ferentibus, quorum plurima (omnia enim sub examen vocare instituti ratio non permittit) id quod debent, adstruunt. Quamobrem me probatione hujus posterioris specialis significatus vocis צדקה supersedere posse arbitror, cum hactenus VITRINGAE, cum quo postea præ ceteris pugna mihi erit, assentiar, eidemque largiri facile queam, hunc usum vocis צדקה obtinere; sicut & solidissima sunt, quæ de indole & significatu vocis חסד / & de differentia ejus ab ipso conceptu vocis צדקה habet *loc. cit. pag.* 794 *sq.* Eas vero, quas ex priori significatione vocis צדקה speciali, trahit conclusiones, ad determinatam iterum speciem, scil. Eleemosynam, refellendi statim locus mihi erit.

§. XII. *Conjunctio voc.* צדקה *cum voc.* משפט.

His de ambitu vocis צדקה disputatis, si ad scopum meum ac dictum, contra MAIMONIDEM vindicandum, propius accedere voluero, addere

addere omnino debeo, obſervationem IAC. GVSSETII plane ſingularem, quam habet de copulatione Biblica vocum צרקה & משפט *Comment. Ling. Hebr. p.* 710. Scilicet *phraſin regiam* hæc duo ſibi juncta per copulationem vocabula conſtituere ait, h. e. de functionibus regiis plerumque dici: rationem autem phraſeos inde ducit, quoniam משפט ad ſeveritatem exercendam, צרקה vero ad bonitatem ſæpius relata reperiantur; regium autem eſſe, ſevere punire malos, & benigne ſubvenire oppreſſis, hoc quidem ſolum alios quoque tentare poſſe, ſed illud in ſola ſuprema poteſtate ſitum eſſe, addit. Et recte ſeſe hæc omnia habere, indoles utriusque harum vocum extra conjunctionem non ſolum docet, ſed ſi jam ſint conjunctæ, alio modo ſibi invicem ἀκριβῶς opponi (tavtologicam enim copulationem, ſine ratione quis aſſereret) non poſſunt, niſi hoc modo, quo vult GVSSETIVS, cum namque משפט notet *judicium*, quo ſecundum dictata juris ſtricti pronunciatum, & jus vere dictum, uti alias, *p.* 881. monſtrat GVSSETIVS, tunc certe צרקה quæ extra conjunctionem, eundem conceptum includit, juncta voci משפט non poteſt non in ſenſu ſpecialiori, tali ſcil. qui contra diſtinctus eſt judicio ſeu juſtitiæ juris ſtricti, h. e. pro æquitate & bonitate accipi. De regiis autem functionibus plerumque dici, ſufficientem, ut puto, rationem iterum tradit: quanquam enim omnibus omnino hominibus datum ſit, certo modo exercere צרקה & משפט, *eminenter* tamen hoc ſpectat ad majeſtatem Regis, ſummique magiſtratus. Accedit inductio locorum, ubi Regibus tribuuntur hæc duo, ſic David dicitur adminiſtraſſe צרקה ומשפט omni populo 2 Sam. VIII, 15. idemque de ſe profitetur Pſalm. CXIX, 121. Quin immo Deus ipſe tanquam Rex regum, ſummo qui gaudet in creaturas jure, ſe ipſum manifeſtat עשה משפט וצרקה Jerem. IX, 23. Et Meſſiam venturum, tanquam firmantem ממלכתו במשפט וצרקה ſiſtit Jeſaias Cap. IX, 6. conf. Jerem. XXIII, 5.

§. XIII. *Significatio vocis* צרקה *apud voc.* משפט.

His fundamenti loco jactis, nunc eo tutius tranſire licebit ad locum, quem præ manibus habemus, Geneſ. XVIII, 19. Hic, etiamſi utroque vocabulo משפט וצרקה rem unam junctim deſignari, cum aliis Interpretibus plurimis, dicere nihil prohibeamur, tamen ſi vel maxime diſtinguenda illa, & diſtinctim exponenda veniant, nulla tamen neceſſitate adigimur, ut poſterius צרקה ad Eleemoſynas præciſe reſtringamus. GVILIELM. ROBERTSONVS *in Theſauro Lingu. Sacr. p.* 867. ita diſtinguit, ut *juſtitiam facere* ſit, quod verum, rectum, & juſtum eſt, facere; amare Deum, eum glorificare, etiam inprimis, tanquam eum, qui juſtificat improbum; proximum amare, & ejus juſtificationi operam dare: *judicium facere* autem, diſcernere veritatem & mendacium, & facientibus veritatem agglutinari, recedere autem a facientibus mendacium. Nos, præmiſſa συναφείᾳ Textus, ita inſtituimus, ut GVSSETII veſtigiis preſſius inhæreamus. Agitur quidem hic, non tam de imperantium, quam civium pariumque officiis, ab Abrahamo familiæ inſtillandis, ſed & hæc ad eundem diſpeſci poſſunt modum. Nimirum, ſi contextum noſtrorum verborum, non quidem ſolum quoad proxima verba, ſed quoad totum etiam caput, uti boni interpretis eſt, circumſpiciamus, duo præcipue, hoc capite contineri momenta videmus, *primo* quidem confirmationem promiſſionis, quæ antea dicta erat de filio e Sara naſcituro, *tum* etiam vaticinium de inſtante incendio urbium Sedom & Gomorra, Abrahamo revelatum ab Angelo יהוה. De hoc altero momento ſtatim cauſa impulſiva hujus revelationis traditur, hoc quidem ſenſu: Fortaſſis, inquit Dominus, miraris, Abrahame, quod duo mei comites proficiſcantur Sedomum verſus, verſ. 16. ego vero ſolus remaneam tecum, clare itaque tibi exponam cauſam, quomodo enim celare te hanc rem poſſum, verſ. 17. Scio

probe, te, cujus posteri permulti & potentes erunt, vers. 18. omnem navaturum esse operam, ut hoc exemplum, quod in Sedom statuetur, commendetur toti tuæ posteritati, & ab una generatione ad alteram transmittatur, tanquam testimonium iræ divinæ ardentissimæ, ac severissimorum suppliciorum, impiis certo imminentium, cujus occasione tu præcipies filiis tuis, & domui tuæ post te, ut custodiant viam, seu quod idem est, voluntatem Domini Dei tui, lege patefactam, faciendo justitiam & judicium vers. 19. Et hoc fit, administrando omnia & singula officia juris stricti, necessaria, ipsa lege omnium insita cordibus, debita, quorum intermissio conscientias reddit ἀναπολογήτους Rom. I, 20. tum sincero erga Deum amore, timore & pietate, tum etiam non fucato erga homines amore, quippe ex quo omnia, quæ ad conservationem proximi faciunt, officia promanant, quo urgente, jus cuique suum tribuitur, omnis vero læsio & injuria, qualis erat חטאת סדם ואמרה כברה tollitur ac inhibetur: denique etiam exercendo officia æquitatis, honestatis, benignitatis, ad quæ amor proximi quemque obligat, per §. X. adeoque צדקה sunt, uti illa nomine משפט injunguntur. Sequitur tunc ipsa revelatio, de causa perditionis harum urbium, malitia scilicet incolarum gravissima vers. 20. & pœnæ jamjam ab illis ob hanc causam sumendæ vers. 21 sq. Ad hunc explicandi modum, Eleemosyna non omnino excluditur a צדקה hic imperata, sed nec illam solam designat, verum longe patet latius, & ad quæcunque charitatis exercitia refertur. Ita e nostris b. BRENTIVS *Comment. in h. l.* exponit, e Reformatis ANDR. RIVETVS *Exerc. XCIII. in Genes. Tom. I. fol.* 360. per *justitiam & judicium* in genere intelligens, quæ a Deo præscripta sunt in utraque legis tabula, duasque illas voces conjunctas, ubi agitur de omnium hominum communibus officiis, id notare censens, *quod rectum & justum est*; quo comprehenduntur, quæcunque in lege Dei præscribuntur. Sed & in eadem interpretatione acquiescere video Judæorum Magistros. Etsi enim illorum plurimi, qui Genesin commentariis illustrarunt, ABEN ESRA, R. SAL. IARCHI, ABARBANEL, BECHAI, quin & *Jalkut* SIMEONIS, specialem harum vocum explicationem sicco prætereunt pede, versio tamen Judæo-Germanica, apud VRI VEIBSCH impressa, h. loc. ita reddit: *Denn ich weiss, er wird befehlen seine Kinder, und seinem Haus nach ihm, dass sie Gottes Weg sollen halten, und thun was recht und gut is.* Pariter Commentarius Germanicus Judæorum צא ינה וראינה inscriptus, vulgo *Zenorenna* dictus, verba Domini h. l. ita παραφράζει: *Denn Abraham is fromm, und gebietet seine Kinder* מצות *und* תורה: quo ipso non legis verba solum, sed vel maxime sensum & contenta, intellecta cupit.

§. XIV. *Locus* Jes. I, 27.

Jesaiæ tamen, si minus Mosi, coævam evicturum se credit MAIMONIDES significationem Eleemosynarum, voci צדקה competentem, provocans ad Jes. I, 27. ubi Deus gratiose pollicetur: *Zion* במשפט *redimetur & revertentes ejus* בצדקה. Hinc enim probaturus instantem Judæorum, quam sperant, liberationem, nonnisi merito Eleemosynarum ipsis procurandam esse, & vulgatum verparum dicterium: גדולה צדקה שמקרבת גאולה *tam magna est Eleemosyna, ut acceleret redemtionem*, confirmaturus, vocem צדקה ad stipem erogandam pauperibus trahit. Idem tenent LXX, qui *justitiæ* vocem ἐλεημοσύνην reddunt, quos secutus est CHRYSOSTOMVS. Verum quando hic occurrunt iterum *judicium & justitia* sibi juncta, paulo accipienda sunt alio sensu, ac Genes. XVIII, 19. Denuo enim observatione GVSSETII standum, regiam hanc esse phrasin, quod vel ex prædicato haud obscure intelligitur. פדה *redimere, liberum facere* denotat, teste Script. Sacr. usu, & consentientibus LXX Interpretibus, qui hanc vocem per λυτροῦσθαι vertunt. Redimere vero nemo potest, nisi qui viribus pollet plane singularibus, quales sunt imperantium. Idque si

de

de redemtione corporali ſit ſermo, ab hominibus præſtanda. Hic vero Deus redimit, eaque redemtio eſt ſpiritualis, quod ſcopus totius hujus capitis, ſive concionis, & cumprimis v. 24. liquido oſtendit. Hortatur Jeſaias, mandato divino, Zionem ſive populum Iſraeliticum ad pœnitentiam, ita, ut initio peccata eorum reprehendat, deinde rejiciat juſtitiam eorum hypocriticam, ſacrificiorum copia, cultusque externi, ex opere operato præſtiti, frequentatione jactatam, tunc exigat veros fructus pœnitentiæ, bonaque opera, poſtremo corruptioni eorum aliud promittat remedium, nimirum ſpiritualem illam, magnam redemtionem, per *judicium & juſtitiam*, adventu Meſſiæ revelandam, ita ut שבים *revertentes*, pii ſerventur, impii vero intereant, uti accurate docuit BRENTIVS *Comment. in Jeſ. ad h. l.* Deus itaque redemtor eſt, האדון יהוה צבאות אב יר ישראל verſ. 24. æque ut infra Cap. XLV, 25. Propheta inquit: *in Jehova juſtificabitur & gloriabitur totum ſemen Iſraelis.* Non ergo, redemtio illa Zionis, merito juſtitiæ, quam fecerit Iſrael, accepta erit ferenda, quod R. SALOMO, R. DAVID KIMCHI, & ceteri Judæorum Interpretes hic ſomniant, nec merito Eleemoſynarum, juxta MAIMONIDEM, ſed immenſæ bonitati ac miſericordiæ divinæ, per Hoſ. XIV, 3. Mich. VII, 18, 19. &c. Hanc vero dum futuram Deus promittit per judicium & per juſtitiam, particula ב modum redemtionis indicat, qui tantum abeſt, ut vel juſtitia operum ſit futurus, vel Eleemoſyna, ſed potius *judicium*, quo Deus damnat peccatum, peccatorem, & omnem juſtitiam mundanam, & ſic demonſtrat ſanctitatem ſuam, & per *juſtitiam*, illam nimirum, quæ coram Deo valet, & per quam nos ipſi reddimur juſtitia coram Deo, 2 Cor. V, verſ. ult. quamque Chriſtus perfectiſſima legis impletione pariter, ac paſſionum mortisque tolerantia præſtitit abſolutam, numerisque omnibus perfectam. Conf. Jeſ. XI, 5. LIII, 11. Ita Chriſtiani Interpretes paſſim illuſtre hoc vaticinium, & recte quidem exponunt, in quibus recentiſſime VITRINGA hoc comma ex præcedente verſ. 26. eleganter declarat, & per juſtitiam & judicium intelligenda παθήματα J. C. quatenus iis facta eſt ἔνδειξις τῆς δικαιοσύνης τȣ̃ Θεȣ̃, Rom. III, 25. fuſe demonſtrat.

§. XV. *Alius locus* Jeſ. LIV, 14.

Idem Propheta Cap. LIV. vaticinatur de felicitate ſpirituali Eccleſiæ N. T. fructuque, quem ex præſtita & peracta redemtione Chriſti, juxta Cap. præced. LIII. ſit perceptura. Hinc fauſta illa acclamatio verſ. 1. *lætare ſterilis* &c. palmarium conſtituit tractationis illius momentum, per totum caput reliquum uberius & κατὰ μέρος declarandum. In felicitatis autem iſtius ſpiritualis partibus, haud infimum tenet locum ea, quam commate 14. pollicetur. בצדקה תכונני *in*, ſive, *per juſtitiam firmaberis.* Sed qualis hic juſtitia intelligenda veniat, de eo non ſatis convenit inter Interpretes, quorum tamen nullus, quod iterum Judæi ſomniant, hic invenire ſibi viſus eſt. Ipſe VITRINGA, qui in hoc argumento a partibus ſtat Judæorum, hæc verba longe aliter, quam de Eleemoſynis, ſumenda docet, modo laudato *in Jeſaiam Comment. in h. l.* Tres affert explicationes, & per juſtitiam intelligi hic loci poſſe ait, vel obedientiam Jeſu Chriſti, totius Eccleſiæ baſin, vel regimen juſtum, ſub quo nulla timenda oppreſſio; vel denique juſtitiam, h. e. ſtudium omnis virtutis, ab incolis hujus ſpiritualis Hieroſolymæ colendum & exercendum. Mediam harum explicationum eligendam cenſet, ideo, quia hæc juſtitia opponatur עושק *oppreſſioni*, inſuper quoque ſupponatur Eccleſia hæc, jam liberata & vindicata, in ſtatum libertatis & ſalutis poſita. Neque refragari adeo huic interpretationi, meum eſt, quamvis etiam de juſtitia Chriſti commode accipi poſſit, cum VARENIO *ad h. l.* Mihi ſufficit, quod Eleemoſynæ ſignificatus a nemine Interpretum, præter MAIMONIDEM, hic obtrudatur, nec ſalva ſenſus amplitudine in Textu locum habere poſſit.

§. XVI. *Locus* Pſalm. XVII, 15.

Vnicum adhuc locum, quem allegat MAIMONIDES ad probandam ſuam ſententiam, quanquam nihil hæc allegatio probet, niſi judicium Rabbinicum, inſpicere liceat. Sunt verba Davidis Pſal. XVII, 15. in quibus צדקה non poteſt ſignificare Eleemoſynas, quoniam plane non extat in hoc toto verſu: adeſt quidem בצדק *videbo faciem tuam.* Vbi traditionem habent Judæi Talmudiſtæ, ſic R. BEN SYRAE *Peruſch.* 10. *Alph.* 1. dicente: Hebræorum ſenes referre, Davidem quotidie feciſſe Eleemoſynas, hinc quoties in Synagogam iviſſet, dixiſſe: in juſtitia videbo faciem tuam, h. e. in Eleemoſynis. Tale vero figmentum pari, qua excipitur, explodi quoque facilitate poterit, nec contextui pſalmi reſpondet. Contra vero ea, quod probe obſervavit MART. GEIER *Comment. in h. l.* abſtractum cum præfixo ב ponitur pro concreto, vel adjectivo, ut quemadmodum *conſiliarius* בשכל *in intelligentia,* i. e. ac intelligens 1 Par. XXVI, 14. *vox Domini in vehementia* i. e. ac vehemens, Pſal. XXIX, 4. ita *ego in juſtitia* perinde ſit dictum, ac ego juſtus ac innocens, ratione hujus perſecutionis & calumniarum, *intuebor faciem tuam,* quæ hactenus a me abſconſa fuit; quanquam non deſint, qui cum b. HENR. HOEPFNERO in *Commentario MSCto in h. l.* juſtitiam imputatam hic quoque intelligant, ut fide in Meſſiam juſtus coram Deo reputatus David, & præmiis temporalibus atque æternis dignus habeatur. Malim tamen priori inhærere ſententiæ, quæ juſtitiam cauſæ coram hominibus, tribuit Davidi. Porro *viſio vultus divini,* quam ſibi pollicetur juſtus ille, cum de gratioſo hujus vitæ, tum de glorioſo aſpectu futuræ, exponi poteſt. Vultus enim, qua ſerenus eſt, ſymbolum eſt favoris, & per metaphoram Deo accommodatur, ad ſignificandam ejus gratiam ſive miſericordiam, quam videndam præbet in verbo & ſacramentis, tanquam in ſpeculo, 1 Cor. XIII, 12. quamque ipſo demonſtrat opere, cum expetitam ſperatamque fert opem, ſuosque ſolatio, auxilio, & gaudio ſpirituali refocillat. Cumprimis autem viſio vultus Dei, eaque beatifica expectatur in altera vita. Et ad hanc cumprimis ſpectare videtur verbum בהקיץ *in evigilare,* h. e. poſtquam evigilavero a ſomno mortis, in futura reſurrectione. Quamquam & iſtud a viſione gratioſa, quam diximus, non omnino ſit alienum. Somnus enim alius crucis eſt, quando pii calamitatibus, velut denſa nocte oppreſſi jacent, ita ut gratiam divinam in cordibus, tam manifeſto non ſentiant, & videantur ſibi a facie Dei projecti; expergiſcuntur autem, quando gratiæ divinæ radiis denuo colluſtrantur, novaque ſolatii & auxilii perfunduntur luce. Vt ille ex his omnibus prodeat verborum ſenſus: ego vero, licet ab hoſtibus impiis, qui rebus tamen utuntur ſecundis, contemtim habitus, & tantum non oppreſſus, juſtus tamen coram hominibus, atque innocens in hac cauſa, vultum tuum gratioſum, ſuper me denuo exſplendeſcentem intuebor, & hic quidem interno cordis ſolatio & gaudio, externaque ope vultus tui recreabor, demum vero in perfecta & numeris omnibus abſoluta beatitudine Spirituum perfectorum (Hebr. XII, 23.) a facie ad faciem te videbo, quum poſt conſummatum mortis ſomnum, in læta juſtorum reſurrectione evigilavero ad imaginem tuam, pleniſſime in me reſtaurandam. Vnde apparet, nullum ſignificationi Eleemoſynarum in hoc dicto ſupereſſe locum.

§. XVII. *Alius locus* Pſalm. CXII, 9.

Feliciori profecto ingenio, hanc Judæorum ſententiam tuetur e Chriſtianis Vir laude noſtra major, CAMP. VITRINGA, qui partim argumenta Biblica Judæorum maxime ſpecioſa, ſua facit, partim nova addit, *Tract. de Synagog. Veter. L. III. P. I. C.* 12. *p.* 739 *ſqq.* Non abſque omni ratione profert verſum nonum Pſal. CXII. Ex quo id ſaltem probare ſatagit, quod צדקתו *juſtitia ejus,* ſcil. pii, qui *diſpergit, dat pauperibus,* hoc loco ſumatur pro actu illo, quo quis pauperibus opitulatur. Nihil enim evidentius

eſſe

esse pronunciat, quam actum illum dispergendi (liberaliter erogandi egenis etiam ignotis) & pauperibus dandi, hic vocari justitiam, quæ in perpetuum dicatur permansura, h. e. cujus actionis piæ fructus in omnem æternitatem sit duraturus. Sed paulo curatius in hanc evidentiam inquirere licebit. Ita concludit Vir doctissimus: quoniam vocabulum צדקה immediate sequitur actum pauperibus dandi, duobus vocabulis synonymis jam expressum; ergo hoc ipsum vocabulum צדקה denotat hoc loco hunc actum dispergendi & pauperibus dandi. Ne probabilem quidem, multo minus evidentem video hujus argumenti nexum. Ex contextu quidem sensus vocum eruendus est, sed hic ipse ex utraque parte contrariatur potius, quam favet VITRINGAE. Præcedunt duo verba נתן & פזר, utrumque denotat actum dandi pauperibus, quamvis etiam hæc duo ne de solo quidem actu dandi pauperibus, aut de largitate in communicandis solis bonis terrestribus cum egenis, sed de omni χαρίσματι, omni studio in proximum collato, accipi posse haud inepte contendat IOH. COCCEIVS *ad h. l.* Quare vero tertium synonymum itidem actum hunc exprimens addatur, non video. Obstat sane suffixum ו, pro quo si esset ה demonstrativum voci צדקה præfixum, tunc paulo firmior esset sententia VITRINGAE. Suffixum autem satis probat significationem generalem; cum ו *ejus* non respiciat actum dispergendi, sed pium ipsum, qui dispergit, eo quidem sensu: dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus, quam hoc ipso dispergendi & dandi actu demonstravit, permanens est in perpetuum. Adeoque distincta satis sunt justitia, sese manifestans hoc vel illo actu, & ipse actus, quo manifestatur justitia. Etsi etiam cum GEIERO, aliisque plurimis Interpretibus, concedamus explicationem צדקה per *beneficentiam*, nihil inde nostræ decederet sententiæ. Non enim omnis beneficentia, aut omnis æquitas, hoc actu dispergendi, & pauperibus dandi, absolvitur. Quanquam etiam nihil prohibet, quo minus hic æque ac vers. 3. illius Psalmi, intelligatur justitia generalis, quatenus in regenitos & renovatos cadit, vel quod idem est, omne bonum opus, collective sumtum, uti vult IVNIVS *ad h. l.* Sunt enim hæ phrases exactissime parallelæ, ut recte inde colligatur, eodem utrobique sensu vocem, phrasinque esse sumendam. Prædicatum עמדת לעד patitur non solum explicationem VITRINGAE, hoc modo: fructus hujus piæ actionis in perpetuum est duraturus; sed & scopus totius psalmi hunc ipsum sensum suadet. Continentur nimirum eo *μακαρισμοὶ* duo, alter vers. 1. *beatus vir timens Dominum*, cujus beatitudinis rationes vers. 2, 3, 4. afferuntur, inter quas illa quoque vers. 3. *justitia ejus permanens est in perpetuum*, alter vers. 5. *beatus misericors*, & hujus beatitudinis iterum adducuntur rationes, versibus sequentibus usque ad finem, quarum illa vers. 9. iterum est: *justitia ejus stabit in perpetuum.* Vtraque ergo hæc justitia habet promissionem remunerationis gratiosæ perpetuæ. Nihil tamen hoc consensu damus sententiæ contrariæ, cum, licet demus, justitiam & benignitatem munifici & pii, stabilem mansuramque post se trahere remunerationem, inde tamen nondum sequatur, voce צדקה Eleemosynas designari: id quod proprie erat demonstrandum.

§. XVIII. *Collatio cum loco Pauli* 2 Corinth. IX, 2.

Et sic quoque Paulus, allegans hunc locum 2 Corinth. IX, 9. a partibus nostris stabit. Verba ita habent: *Καθὼς γέγραπται ἐσκόρπισεν, ἔδωκε τοῖς πένησιν, ἡ δικαιοσύνη αὐτοῦ μένει εἰς τὸν αἰῶνα.* Vbi non nego, IOH. HENR. HEIDEGGER. in *Analysi exegetica ad h. l. pag.* 246. pro VITRINGA pronunciare: *Eleemosyna justitiæ nomine venit, quia justitiæ, charitatis inprimis, fructus est.* Verum hæc nondum evincunt, etiam Paulum h. l. *δικαιοσύνην* Eleemosynarum notione adhibuisse. Cur enim non *ἐλεημοσύνην* potius dixit Apostolus, si illam indigitavit, sed inusitata *δικαιοσύνης* voce expressit? sed nec ista

iſta mens Pauli, circa hanc vocem fuit. Eodem omnino ſcopo hæc verba allegat, quo protulit David. Exhortaturus quippe Corinthios, ad promtam largamque Eleemoſynarum collectionem, inter cetera adhortationis ſuæ argumenta hoc Davidis urget oraculum, quo ſuis perſuadeat, ſeſe juſtitiæ ſuæ, cujus haud exiguum pia illa liberalitas præbeat documentum, fructus conſtantes uberrimosque eſſe percepturos. Clariſſ. HERMAN. REINERS in *Exercitatione de vocum Juſti & Juſtitiæ multiplici ſenſu*, quæ *Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. Faſcicul. III. n.* I. *p.* 385 *ſqq.* legitur, §. 9. *p.* 405. copioſe in hunc locum inquirit, juſtitiamque a Paulo ex Davidis oraculo commemoratam *vel* de omni opere juſto ex verſ. præced. *vel* de juſtitia Chriſti fide apprehenſa, & de jure reſtipulandi promiſſa bona fœderalia, vult exponi. Nos priori explicationi inhærentes, proprietatem vocis δικαιοσύνης urgemus, & in illa acquieſcimus.

§. XIX. *Locus* Dan. IV, 24.

Præcipuum ſententiæ ſuæ robur collocat VITRINGA in Danielis cap. IV, 24. *Quare, rex, conſilium meum tibi placeat, ut peccata tua in juſtitia abrumpas, & iniquitates tuas in miſeratione afflictorum: ſi futura ſit diuturnitas tranquillitati tuæ.* Hic ille Achilles eſt, quo nituntur ac ferociunt Judæi, & qui cum illis eidem patrocinantur opinioni. Hic enim in vocabulo צדקה inveniſſe ſibi videntur, actum pauperibus dandi, immo donum ipſum. Nec nego, in eundem ſenſum verba arripuiſſe LXX, qui vocem juſtitiæ vertunt ἐν ἐλεημοσύναις. Sed exploſit hanc ſententiam omnium noviſſime D. IOH. HENR. MICHAELIS *Annot. uberior. ad Hagiogr. in h. l.* quatuor potiſſimum argumentis. Poſſe quidem, ait, Eleemoſynas vocari צדקה, ſicut & Syris, Arabibus, Chaldæis, atque Rabbinis vocatur, quoniam, ſi per fidem fit, juſtitiæ argumentum & fructus eſt. At vero in quæſtione jam non eſt, quid fieri poſſit, ſed quid factum fere ſit. Et tunc recte huic loco ſignificatum *juſtitiæ* aſſerit, 1) quia is eſt proprius & nativus huic voci, ex ipſa ejus, quam habet, etymologia: 2) fundatus eſt in uſu Biblico, cum e contrario Eleemoſynæ notionem, ſi controverſum hunc, de quo ſermo eſt, locum excipias, nunquam vox iſta in Sacro Codice habeat; quæ ratio tam diu inconcuſſa ſtat, donec probetur contrarium: 3) accommodatior perſonæ, ad quam hic ſermo inſtituitur; quamvis etiam liberalitas maxime erga pauperes regem omnino deceat, tamen apprime juſtitia ei convenit, & quaſi propria virtus eſt: 4) aptius reſpondet antitheto, peccatis, quicquid peccatis contrarium eſt, notatur, nempe juſtitia tum generalis ſive boni & recti ſtudium, tum ſpecialiter dicta, ſeu ea, quæ ſuum cuique tribuit. Liceat addere *quintum* argumentum, æque profligans ſententiam Judaicam, ſi reliquis jungatur. Scilicet duo conjungit Daniel, *juſtitiam*, & *beneficentiam erga pauperes*, uno eodemque verſu: hæc ſi ſumantur ex hypotheſi Judaica, ſenſu plane ſynonyma forent, quæ tamen ſynonymia eſſet omnino otioſa & tavtologica, ſi ne accidentali quidem differat ratione, quales in ſacris literis non ſunt citra neceſſitatem fingendæ. Sed nec locum tuebitur explicatio iſthæc ſynonymica, ſi & rite applicuerimus ea, quæ ſparſim annotavit Celeber. MICHAELIS, & verba ipſa paulo attentius fuerimus contemplati. Probe utique tenendum circa vocem פרק / illam notare *abrumpere*, redimendi autem ſignificatum plane non admittere, licet hunc ipſi tribuant in verſionibus ſuis Interpretes, Vulgatus, Græcus, Arabs, Syrus, idque ex uſu quidem Chaldaico, ſed omnino perperam, quia nusquam in Scriptura Sacra peccata hominis dicuntur redimi. Confirmat eandem obſervationem IAC. GVSSETIVS, concedendo quidem huic voci notionem *redimendi*, uſu Chaldaico, ſed rem redemtam in omnibus a BVXTORFIO in *Lex. Talm. Chald.* allatis exemplis, quibus obtineat ſignificatus redimendi, ſemper perſonam, aut rem, uti loquitur, ſubſtantialem eſſe conſtituendam, nusquam vero peccata, vel debita, vel pœnas, confidenter pro-

pronunciat, atque sic nostrum quoque locum vindicat *Comment. Lingu. Hebr. sub voc.* פרק. Contra vero, *abrumpendi* notio ex locis verbi parallelis constat. Pari enim sensu adhibetur Genes. XXVII, 40 de jugo, quod a cervicibus vi excutitur: Exod. XXXII, 3 de ornamentis aureis, quibus Israelitæ se spoliasse, & quæ ab auribus avulsisse leguntur, ut Aaroni traderent, in vitulum aureum conflanda: Ezech. XIX, 12. de fructibus, qui ab arbore diripiuntur: Zachar. XI, 16. de animalium ungulis, quæ confragosa locorum asperitate abrumpuntur. Hinc collige, id intendere consilium Prophetæ, ut quemadmodum aures ornamento orbatæ, arbor fructibus spoliata, animalia ungulis destituta, collum jugo ereptum, ab illis rebus libera atque immunia deprehenduntur, quæ vel ornatum atque commodum, vel detrimentum sua præsentia attulisse videbantur; ita opus esse Nebucadnezari, ut peccata, quibus hactenus, vel tanquam superbiæ alimentis, vel tanquam voluptatum illecebris, vel tanquam tyrannidis sive incitamento, sive instrumento, plus justo indulserat, quam possit, ocissime a se abrumpat, avellat, & abjiciat, nisi velit, ut jugum, quo aliis hactenus gravis fuerat, proprias illi fauces elidat. Fuerant autem חטאת *peccata*, quæ abrumpenda suadet Daniel, & quibus subordinate addit עויתים *iniquitates*, superbia, tyrannis, injustitia, sævitia, defectus misericordiæ benignitatisque, dum forte enormibus oneravit tributis subditos, afflixit viduas, & paupertatis eorum caussam præbuit, quæ vitia Nebucadnezari vere adhæsisse, tradit FRANZIVS *Tract. de Interpret. Script. Sacr. p.* 529. His ergo justitiam, moderationem, æquitatem, & clementiam erga afflictos & oppressos opponit Propheta, suadetque, ut *peccata justitia abrumpat*, & qui hactenus pudenda morum corruptela, extremam Numinis offensam incurrerat, vitæ in melius mutatione, peccatorum filum abrumpat, & in eam invigilet curam, ut æquitate & justitia præcedentem vim ac tyrannidem, benefactis & liberalitate, avaritiam superiorem ac oppressionem egenorum superet aut penset.

§. XX. *Loci alii citati.*

Sufficere hæc ad evertendam hypothesin Judaicam de origine appellationis Eleemosynarum צדקה prorsus confido. Quæ enim alia ex Proverb. XI, 18. Hos. X, 12. Proverb. XXI, 21. Deut. XXIV, 13. ex Jes. LVIII, 8 &c. a R. ELIA LEVITA, a VITRINGA, & ceteris hypotheseos istius patronis in eundem sensum proferuntur loca, quin & ab ipso GEIERO *in Comment. ad Daniel. IV*, 24. item a BVXTORF. *Lex. Talm. sub voce* צדקה & a GVSSETIO *sub ead. voce* exemplorum vice citantur, ex dictis facile dijudicari possunt. His enim excutiendis, amplius immorari, brevitatis studio prohibemur.

§. XXI. *Locus* Matth. VI, 1. *adjectus.*

VITRINGA, aliis adhuc instructus argumentis, impugnat PRIDEAVXIVM, & cum hic statuisset, appellationem Eleemosynarum צדקה eo demum tempore, quo Talmudici constitutiones suas traderent, obtinuisse, ille tantam huic appellationi assignat antiquitatem, quæ si non coæva ipsi Sacro Codici, certe parum ab illo sit remota. Ego vero quanquam assertionem PRIDEAVXII hanc, absolute quidem defendendam mihi non sumam, id tamen, quod supponit VITRINGA, probare non possum, neque vim argumentorum, quæ profert, sentio. Id quidem, quod intendat defendendo antiquitatem significationis צדקה pro Eleemosynis, facile auguror. Juvare hoc videt ipsa argumenta Biblica, ut si concedatur antiquitas denominationis modo dictæ Sacro Codici coæva, nulla prægnans satis suppetat ratio, cur ipsam in Sacro Codice etiam inveniri, negare quis ausit. In hunc itaque finem urget lectionem variantem, Matth. VI, 1. προσέχετε τὴν ἐλεημοσύνην ὑμῶν μὴ ποιεῖν ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. Vbi in probatissimis

& antiquissimis quibusdam Codicibus pro ἐλεημοσύνην, uti hodie omnes fere editiones, excepto BEZA, habent, esse δικαιοσύνην dudum viri eruditissimi observarunt. Inde infert VITRINGA, jam ætate Christi vocabulum צדקה familiari & frequente sermonis usu receptum fuisse pro Eleemosyna, cum δικαιοσύνην hoc loco pro Eleemosyna positum esse, nemo negare possit. Pariter sollertissimus MILLIVS non dubitat, quin Matthæi צדקה δικαιοσύνην reddiderit Interpres, & ἐλεημοσύνην, e margine Codicis cujusdam in Textum irrepserit. Supponit enim, Matthæum Hebraice scripsisse, unde conversum ab alio sit ejus Evangelium in sermonem Græcum. Sed ut istam quæstionem, ab instituto quippe alienam, nunc procul habeamus, utraque lectio suos nacta est defensores. Δικαιοσύνην, post BEZAM, tuentur VITRINGA *p.* 783 *sqq.* & b. noster GOTTFR. OLEARIVS *Observat. XVIII. in h. l. Matthæi*, §. 1. & 2. Ἐλεημοσύνην LIGHTFOOT. *in Hor. Hebr. & Talm. ad h. l.* ERASM. SCHMIDIVS *Not. in h. l.* ubi BEZAM copiose refutat, & laudatus ante Clar. HERM. REINERS *c. I. §. X. p.* 410. Nec satis causæ est, cur a trita ἐλεημοσύνης lectione recedamus. Legerint duo Codices, a BEZA consulti, alteram vocem, illi nec ætate, nec numero, nec auctoritate reliquos vincunt Codices, æque vetustos, qui consentientem in STEPHANICIS, ALDINIS, ERASMI, & ceteris editionibus lectionem, quam nos tuemur, confirmant. Vt satis temerarie & gratis asseratur a VITRINGA, *quod Codicibus minoris auctoritatis & antiquitatis* hanc vocem, *nunc insertam videamus.* Ipse non diffitetur BEZA, plures vetustos Codices ἐλεημοσύνην legere, & ROB. STEPHANVS, licet in catalogum variantium lectionum δικαιοσύνην intulerit, Textui tamen inserere non fuit ausus. Sed nec contextus aliam, quam ἐλεημοσύνης, hic patitur vocem. Liquido enim de una eademque re, eademque exprimenda voce, prioribus quatuor commatibus præcipit Salvator, circa quam nunc fugienda cavendaque prohibet, nunc observanda jubet. Cum itaque singulis versibus ἐλεημοσύνην nominarit, cur non æque primo? aut num rite se haberet oppositio commatis 1. & 2, nisi utrobique eadem vox legatur, circa quam versatur ἀντίθεσις? Cum ergo & Codicum numero atque consensione, hæc lectio alteram vincat, & a contextu omnino exigatur, & proprietati linguæ Græcæ exactius respondeat, quid demum nos moveat, ut pro altera illa calculum feramus? Non certe Patrum quorundam, ne sibi ipsis quidem hac parte constantium, auctoritas, qui vel corrupto ejusmodi uti potuerunt Codice, vel ex LXX Interpretum Græca translatione, cujus dictioni adsueti erant, promiscue utramque vocem usurpare. Et credendum omnino, sciolum quendam, ex promiscuo δικαιοσύνης & ἐλεημοσύνης in versione Græca usu, ad marginem illam vocem, ceu æquipollentem allevisse, quæ posthæc genuinam & primævam lectionem, librariorum imperitia, in paucis quibusdam Codicibus, loco movit & e Textu ejecit. Quæ cum ita se habeant, ut habere persuasi sumus, istud quidem VITRINGAE argumentum prorsus evanescet.

§. XXII. צדקה *in libri* TOBIAE *versione Hebraica.*

Aliam, sed imbecilliorem longe, rationem depromit VITRINGA ex *versione Hebraica libri* TOBIAE, in qua aliquoties occurrat vocabulum צדקה tam apposite pro Eleemosynis usurpatum, Cap. II, 14. IV, 8, 9, 10, 11. XII, 9. ut nullum ipsi sit dubium, quin in editionibus Chaldaicis priscis, omnino iisdem locis repertum fuerit. TOBIAE autem librum ante ætatem Christi Domini compositum & Chaldaice exaratum censet. Nostrum nunc non est, per singula eundo loca, curatum eorum examen instituere, & dispicere, quo jure, quave injuria, in TOBIA Hebræo, צדקה, Eleemosynæ notionem sustineat: id enim nunc nihil facit ad rem. Sufficit Hebraicam libri versionem, Apostolorum ætate longe sequiorem, & recentiorem omnino esse, ac vulgo creditur, ut nihil ex illa solidi,

solidi, de phraseologias ætate, concludi queat. Ipsum autem VITRINGAE argumentum, ex arena funiculum nectit, merisque innixum conjecturis, prorsus nihil evincit. Quæ enim ista est consequentia: quia vocabulum צדקה tam apposite ad Eleemosynas in recentiore versione Hebraica est accommodatum, colligi datur, idem in Chaldaica editione iisdem in locis comparuisse? Quis argumenti hujus nexus, quæ sequelæ necessitas est? Aeque certe probabile est, extitisse in Chaldaico exemplari חנינה עניין uti Daniel. IV, 24. legitur, quod Hebræus Interpres suo tempore, quo dudum invaluerat usus vocis צדקה pro Eleemosyna, tam apposite, tamque signanter per צדקה vertere potuit, quam si hæc ipsa vox in Chaldaico idiomate fuisset adhibita. Non vero ita, ut in Daniele, sed reapse צדקתה Chaldæum TOBIAM legisse, nunc demonstrandum erat doctiss. adversario, nisi τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν velit videri.

§. XXIII. *An* צדקה *in versione* τῶν ό'?

Verum omnem exceptionem superare pronunciat doctissimus Synagogæ Veteris conditor, quod LXX Interpretes vocabulum צדקה tam in lege Mosaica, quam in ceteris Vet. Test. libris aliquando verterint per ἐλεημοσύνην *misericordiam* a Deo exercendam, immo & per ἐλεημοσύνην, vera notione *eleemosynæ*, quomodo nunc a nobis accipitur, pro dono nimirum in pauperem, ex misericordia, collato. Et hoc sane argumentum omnium maxime stringeret, ac antiquitatem tantam vocis צדקה pro Eleemosynis usurpatæ, quantam illi dat VITRINGA, evinceret, si ultimum assertionis suæ momentum, extra dubitationis aleam posuisset. Demus autem ipsi, versionem illam Alexandrinam, licet diversis temporibus, nec ab uno auctore concinnatam, ante tamen ætatem Christi absolutam fuisse universam: largiamur etiam, τὰς ό. צדקה in codice Hebræo, sæpe reddidisse ἐλεημοσύνην, immo & in illis locis, in quibus aptius δικαίωμα quadrasset, ut Deut. XXIV, 13: fateamur denique, hanc translationem haud raro hebraizare, seu dictione uti ejusmodi, quæ & in structura atque compositione, & in nova vocibus indita significatione, indolem sermonis Hebræi nimium quantum, interdum etiam contra nativum linguæ Græcæ genium, sectatur, uti fusius hæc docuit Præses *Critic. Sacr. Codic. Hebr. P. II. C. II. Sect. I. §. 5. ἐκθ. 3. p. 508.* Ille tamen adhuc me vellicat scrupulus, quod, quæ dicit de vera notione Eleemosynæ, quomodo nunc a nobis accipitur, pro dono scilicet in pauperem, ex misericordia collato, nondum demonstratum dederit. Vnum instar omnium, producit exemplum, ex Daniel. IV, 24. τὰς ἁμαρτίας σοῦ ἐν ἐλεημοσύναις λύτρωσαι, ubi Chaldaicum צדקה ἐλεημοσύναις reddiderunt. Cum autem vocis צדקה sensum, in hoc Danielis loco, paulo ante declaraverimus, eumque non de stipe, pauperibus eroganda, verum de benignitate, clementia, & moderamine imperii ac morum accipiendum, pristinæque arrogantiæ, tyrannidi, ac injustæ oppressioni opponendum esse edocuerimus, satis hinc patet, nihil ad rhombum facere hoc exemplum, quod ἐλεημοσύνην quidem a τοῖς LXX pro צדקה positam, eamque notione misericordiæ & benignitatis (qua sæpe etiam de Deo hoc vocabulum usurpant Alexandrini) hic adhibitam demonstrat, in proprio autem, donorum in pauperes collatorum, sensu usurpatam ab ipsis fuisse, nondum evincit. Ea enim significatione vocem ἐλεημοσύνης Interpretes ibidem pro צדקה posuerunt, quem textus authenticus requirit, cui illi operam navabant, non quem viri docti τῇ ὑποθέσει δουλεύοντες, eidem hodie injungunt.

§. XXIV. *Vocis* צדקה *genuina origo, ex mente* LIGHTFOOTI.

Sed quis in tanta rerum caligine certi aliquid de prima hujus appellationis origine definire præsumat? Accedamus potius ad veram hujus denominationis mere Rabbinicæ, uti jam liquet, rationem, & tunc fortassis, de incunabu-

 lis

lis ejus, hariolari aliquid inde licebit. LIGHTFOOTVS causam, quæ moverit Judæos Talmudistas appellare Eleemosynas צדקה in superstitione eorum quærit, quod passim crediderint, in Eleemosynis vel maxime repositam esse causam suæ justificationis coram Deo: *Hor. Hebr. Talm. ad Matth. VI*, 1. Et *ad Luc. XI*, 41. denuo pronunciat, fontem phraseos esse perversum illud dogma, de merito bonorum operum, cum primis Eleemosynarum, quod testimoniis Talmudicis, de justificatione & expiatione per Eleemosynas, cumulate allatis demonstrat, idque tam alte animis ipsorum inhæsisse docet, ut in ejus gratiam, innumera Script. S. loca, ubi celebrantur laudes & beatitudines justitiæ, ex præjudicata opinione, ad Eleemosynas, illi applicarent.

§. XXV. *ex sententia* VITRINGAE.

Hæc etsi non sine magna veri dicuntur similitudine, multosque in eandem, cum LIGHTFOOTO, sententiam pertraxerunt, VITRINGAE tamen non satisfaciunt, qui propiorem, non ex opinione vulgi petitam, sed ex ipsa vocis צדקה indole, & ex conceptu ejus reali, invenisse sibi visus est. Prolixe in hunc finem *pag.* 789 *seq.* commentatur, vocem צדקה in Script. S. haud raro latius accipi, & *benignitatem* ac *misericordiam* significare, cum stricte alias pro *justitia* ponatur: hinc facile consequi existimat, quod quis μετονυμικῶς partim actum, quo quis stipem erogat pauperi, partim donum ipsum in pauperem collatum, insigniverit titulo צדקה *misericordiæ, liberalitatis*. Huc redeunt, quæ fuse disputat de origine hujus metonymicæ, quam dicit, significationis. Et recte quidem concluditur, quod si צדקה interdum usurpatur pro *misericordia*, pro *liberalitate*, pro *beneficentia*, pro *æquitate*, cur non & metonymice pro *actu* misericordiæ, liberalitatis, æquitatis, beneficentiæ, immo & pro *dono*, quod confertur ex misericordia, adhiberi interdum *potest?* Recte quoque asseritur a IOH. GREGORIO, DRVSIO, PRIDEAVXIO, BVXTORFIO, COCCEIO, quos citat VITRINGA, quod Eleemosyna vocetur *justitia*, quoniam justum est pauperibus dare. Verum ista ex mente quidem tantorum virorum dicuntur e Christianis, non item ex intentione Judæorum, quam ex omnibus allatis ipsorum testimoniis, & effatis evincere nondum potuit VITRINGA.

§. XXVI. *ex nostra sententia.*

Propius itaque ad mentem Judaicam an accedat sententia LIGHTFOOTI, nostrum jam erit disquirere, & probationem, qua eam firmat, sub examen vocare, ut demum veram hujus notionis, quo Rabbinis vocabulum צדקה pro Eleemosyna venit, causam & originem eruamus. Palmarium, quod in aciem producit, argumentum LIGHTFOOTVS, petitum est a superstitiosissimo & corrupto Judæorum dogmate, de merito Eleemosynarum. Et sane rem fere omnem conficit hoc argumentum, maximamque allatæ hypothesi conciliat probabilitatem, modo vis ejus satis explicetur, quam ipse quidem LIGHTFOOTVS non adeo persequitur. Ad duo potissimum momenta redit probatio, quorum prius est: an Judæi in Eleemosynis quæsiverint causam justificationis suæ coram Deo? posterius: an צדקה aliquando a Judæis accepta sit pro causa impetrandæ coram Deo misericordiæ, aut justificationis? quæ si fuerint expedita, nihil planius tunc fluere, quam quod Judæi Eleemosynas vocaverint צדקה tanquam causam justificationis, mihi quidem videtur. Certe, quoad prius membrum probandum, hæc doctrina, quam alte insederit animis eorum, loquuntur, innumera Talmudicorum scriptorum loca, quæ LIGHTFOOTVS *Hor. Hebr. & Talmud. ad Matth. VI*, 1. larga manu suppeditavit, unde transscribere, cum liber in omnium sit manibus, merito supersedemus. Nos, primo, in genere observamus, quod ex R. IOSEPHI ALBO *Ikkarim Orat. IV. C.* 36. constat, Judæos, ut malis operibus pœnam, sic bonis mercedem, apud Deum statuere, temporalem & æternam, sed cum

cum hoc diſcrimine, ut utramque retribuat vel לפי שורת הדין *ex ordine judicii*, vel על צד החסד *pro ratione miſericordiæ*. Quando Deus agit *juxta ordinem judicii*, tum pœna malis operibus debita eſt נצחי *æterna*, merces bonis operibus debita זמני *temporalis*, non æterna: contra vero ea quando Deus agit *pro ratione miſericordiæ ſuæ*, pœnam malis operibus irrogat temporalem & finitam, mercedem bonis retribuit æternam & infinitam. Cum itaque ſolos Judæos Deus citet ad thronum gratiæ, gentes autem omnes, hæreticos, Epicureos, Karræos, & Sadducæos ad thronum judicii, hinc ſoli Judæi, qui Judaicæ fidei fundamentis conſtanter adhæſerint, mercedem Eleemoſynarum quoque æternam referunt, & infinitam, coram throno miſericordiæ, cum Gentilium Eleemoſynis nonniſi temporalis merces conſtet. Quod enim גוים quoque bonorum operum aliquam conſequantur mercedem, in MENASSEH BEN ISRAEL *Conciliator. Quæſt. II. in Devter.* copioſe demonſtrare ſatagit. Jam quod ad Eleemoſynas attinet, iis virtutem juſtificandi & ſalvandi tribuere Judæos, ex *Bava Bathra* liquido conſtat, ubi Eleemoſynam *eripere hominem ex morte & judicio Gehennæ* fol. 10. a. lin. 3. & מצדיקי ex Daniel. XII. *eleemoſynantes*, h. e. eleemoſynas copioſe largientes, *fulſuros ſicut ſtellas in æternum*, fol. 8. lin. 3. eleemoſynam *expiare Iſraelem*, fol. 10. b. lin. 4. & *appropinquare facere redemtionem*, ibid. col. a. lin. 12. tradunt. Sic in *Berachoth* fol. 55. col. 1. (quod teſtimonium etiam apud LIGHTFOOTVM legis) menſa hominis per Eleemoſynam nunc æque expiat, ſicut olim altare per ſacrificia. Et quid dici poſſet in hanc ſententiam clarius, quam quod Tob. XII, 8, 9. legitur: *καλὸν ποιῆσαι ἐλεημοσύνην, ἢ θησαυρίσαι χρυσίον. ἐλεημοσύνη γὰρ ἐκ θανάτου ῥύεται, καὶ αὕτη ἀποκαθαριεῖ πᾶσαν ἁμαρτίαν. οἱ ποιοῦντες ἐλεημοσύνας καὶ δικαιοσύνας πλησθήσονται ζωῆς.* Præterea huc ſpectant precum formulæ pro defunctis ab LIGHTFOOTO in *Erubhim S. Miſcellaneis Cap. XL. Tom. II. Opp. p.* 219 *ſeq.* ex Judæorum Liturgia, Venetiis impreſſa, citatæ, in quibus *Eleemoſynas vovent, quarum efficacia anima defuncti ligetur in faſciculo viventium, cum anima Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Saræ & Rebeccæ, Rachelæ, & Leæ, ceterorumque juſtorum virorum & juſtarum fœminarum, qui verſantur in horto Edenis* &c. His adde, quæ de efficacia & virtute Eleemoſynarum tradit ſollertiſſimus SAMVEL BASNAGE *Hiſtor. Judaicæ Tom. III. Lib. V. Cap. XVI. §.* 12 *ſeq. p.* 772. Derivandam quidem falſam hanc de Eleemoſynis opinionem eſſe ex communi illo & generali, quem de perfecta Legis impletione fovebant, errore, nemini dubium erit. Arrogabant enim ſibi, typho Phariſaico inflati Judæi, perfectam legis Moſaicæ, quoad omnia ejus præcepta, quæ tam affirmativa, quam negativa, ad numerorum 613. aſſurgere credebant, impletionem, eaque mereri ſe remunerationem a Deo, exiſtimabant: quod dogma ipſis jure tribui, ex inſtituto probat GEIERVS diſſert. *de conformitate Judæo-Papiſtica in loco de Lege* §. 1. & HERM. WITSIVS *Præfat. ad* GVIL. CAVE *Antiquitat. Patr. edit. German. p.* 21 *ſeq.* Sed cur ſpeciatim, præ omnibus aliis bonis operibus, tantum ſtatuerint pretium Eleemoſynis, nemo facile dixerit, niſi hæc forte fuerit cauſa, quoniam Eleemoſynam adeo inculcare & toties urgere Deum in lege cernerent Judæi, aut quoniam indefinitam Eleemoſynam haberent pro opere ſupererogationis. Poſterius membrum vero, quod vox צדקה Judæis interdum veniat pro cauſa juſtificatrice, vel ſolus oſtendit locus quem affert itidem LIGHTFOOT. *ex Hieroſ. Talm. Tr. Peah. fol.* 15. 2. *Et erit tibi in juſtitiam.* Et ipſe hoc largitur VITRINGA. Atque adeo relinquitur, quod ante ſuſcepimus demonſtrandum.

§. XXVII. *Vberior declaratio.*

Immo clariſſime mentem ſuam produnt, qua Eleemoſynas appellent צדקה, dum in probanda hac nomenclatura ex Scriptura Sacra talia plerumque in ſuas partes trahunt loca, quibus

צדקה dicitur præmio affici, remunerationem consequi, redimere ex morte & a peccatis, qualia sunt Psalm. CXII, 9. Dan. IV, 24. Prov. XI, 4, 5, 6. & alia, quibus minus recte intellectis, non efferunt, sed inferunt suam de merito Eleemosynæ præconceptam opinionem. Ea itaque ipsis non indulsit, ut Eleemosynas considerarent tanquam speciem misericordiæ, aut beneficæ æquitatis, adeoque etiam tanquam partem justitiæ, ad quam obligati essent, quod vult VITRINGA, sed impulit potius eos, amplius quid, quam obligationem, meritum scilicet respicere, idque hac sua denominatione צדקה insinuare, ejusque porro præsidium in Sacro Codice quærere, id quod ex conditione locorum, ad quæ provocant, satis patet, & idem quoque argumentum intendere LIGHTFOOTVS, verbis a me sub finem §. XXIV. allatis, mihi quidem videtur.

§. XXVIII. *Aetas vocis* צדקה.

Cum itaque ex perverso Judæorum dogmate, usus vocis צדקה pro Eleemosynis, derivandus veniat, hinc ab ætate corruptæ doctrinæ, ad ætatem hujus notionis, aliqualem valere consequentiam, nemo temere in dubium vocaverit, ita quidem, ut crescentibus in dies erroribus, demum hæc quoque denominatio quotidiano usu invalesceret. Non ideo dici poterit, quod statim cum origine corruptelarum in doctrina, orta simul perversa hæc sit appellatio. Certe initia errorum in dogmatibus fidei Judaicæ, nisi altius adhuc ascendere velimus, a tribus istis in vulgus notissimis sectis sunt arcessenda, maxime quidem Pharisæis, quos de justitia & justificatione coram Deo sic statuisse, quod is, qui pleraque, licet non omnia, mandata divina saltem observaverit, nihilominus justus sit apud Deum, adeoque ex merito operum suorum, docet DRVSIVS *de Sectis Judæor. L. II. C.* 14. In cerimoniis imprimis, traditiones superstitione plenas jactabant, iisque nimium tribuebant, teste historia Evangelica, in iis Servatoris optimi concionibus ac disputationibus, quibus hypocrisin ipsorum, nævosque doctrinæ atque cultus perstringebat. Pharisæi ergo ementita sua sanctimonia, ac rigida satis vivendi ratione, communem plebis admirationem sibi conciliabant, ceteras autem sectas, ab ipsis dissentientes auctoritate sua premebant, ita ut non multo post excidium Hierosolymitanum ipsi fere soli rerum potirentur, & Academiarum & Synagogarum Rectores passim Pharisaismo patrocinarentur, majorumque suorum traditiones in dies auctas, & falsa dogmata, hinc ore, hinc scripto, ad posteritatem transmitterent, donec ex illis compilatis, Sæculo a N. C. II medio, Mischna, III, Gemara Hierosolymitana, exeunte V. aut ineunte VI, Babylonica, conflaretur. Ab ipsis itaque traditionibus & commentationibus Rabbinorum, quæ utroque continentur Talmude, arcessenda videtur origo notionis צדקה pro Eleemosynis, cum nullibi in Codice Sacro, quod hactenus evictum dedimus, bene autem in his constitutionibus Talmudicis, vocabulum hoc sensu usurpatum legatur. In hanc itaque sententiam, si explicentur verba PRIDEAVXII supra allata, & per tempus, quo Talmudici constitutiones suas tradiderint, intelligatur tempus, quo quisque Rabbi sua, vel majorum placita auditoribus suis proposuit, & ad posteros transmisit, ante compositum & absolutum Talmud, tunc nobiscum plane consentiet. Quemadmodum nec nobis adversatur, in designanda notionis hujus causa, quam in ignorantia apud Judæos, post excisas Hierosolymas, linguæ Hebrææ ponit, ut cum vocabulo, proprie Eleemosynas significante, destituerentur, aliud, improprio quidem sensu, ad hos usus accommodarent.

§. XXIX. 2) *Necessitas Eleemosynarum.*

Ex his itaque, quæ modo diximus, de necessitate Eleemosynarum, ex Judæorum mente constare affatim poterit. Hanc autem MAIMONIDES in הלכות מתנות עניים *Cap. X.* §. 1. his verbis amplius inculcat: חייבין אנו להזהר במצות

במצות צדקה יותר מכל מצות עשה׃ שהצדקה סימן לצדיק זרע אברהם אבינו שנאמר כי ידעתיו למען אשר יצוה את בניו לעשות צדקה׃ ואין כסא ישראל מתכונן ודת האמת עומדת אלא בצדקה שנאמר בצדקה תכונני׃ ואין ישראל נגאלין אלא בצדקה שנאמר ציון במשפט תפדה ושביה בצדקה׃ *Obligamur nos magis cauti eſſe in obſervando præcepto de Eleemoſyna, quam in obſervandis omnibus aliis præceptis affirmativis: quoniam Eleemoſyna eſt inſigne juſti ſeminis Abrahami, patris noſtri, ſicut dictum eſt* Gen. XVIII, 19. *quoniam cognoſco illum, quod præcepturus ſit filiis ſuis, ut exerceant Eleemoſynas: nec regnum Iſraelis confirmabitur, nec vera religio ſtabilietur, niſi per Eleemoſynas, uti dictum eſt* Jeſ. LIV, 14. *per Eleemoſynam ſtabilieris; nec Iſraelitæ redimendi ſunt e captivitate ſua, niſi per meritum Eleemoſynæ, ſicut dictum eſt* Jeſ. I, 27. *Zion redimetur per juſtitiam, & reduces illius per Eleemoſynam.* Rurſusque *Cap. VII.* §. 1. ita habet: מצות עשה ליתן צדקה לעניי ישראל כפי מה שראוי לפני׃ אם היתה יד הנותן משגת׃ שנאמר תפתח את ידך לו ונאמר והחזקת בו גר ותושב וחי עמך ונאמר וחי אחיך עמך׃ *Præceptum affirmativum eſt, ut dentur Eleemoſynæ pauperibus Iſraelis, juxta quod pauperi conveniens eſt, ſi modo datoris facultates ad hoc ſufficiant: nam dictum eſt* Deuter. XV, 8. *liberaliter aperies ei manum tuam: item dictum eſt* Levit. XXV, 35. *ſuppetias feres ei, licet ſit peregrinus, vel inquilinus, ut vivat tecum: & iterum* Levit. XXV, 36. *ut vivat frater tuus tecum.* Rurſus §. 2. definit, *qui videt pauperem mendicantem, & claudit oculos ſuos contra eum, nec dat ei eleemoſynam, transgreditur præceptum negativum, per id quod legitur* Deut. XV, 7. Immo §. 10. pœnam ſtatuit transgreſſori: *ſi quis ſit, qui non vult dare Eleemoſynas, vel minus dat, quam eum decet, Synedrium coget eum* ומכין אותו מכת מרדות *cædetque eum verberibus rebellionis, donec det, quantum ab eo dandum judicant: occupent etiam bona ejus, eo ipſo inſpiciente, & accipiant ex iis, quantum decet eum dare, pignorentque pro Eleemoſynis, immo licet ſit veſpera Sabbathi.* מכת מרדות autem, *plaga contumaciæ,* ſeu *rebellionis,* quæ opponitur מלקות דאורייתא *verberationi legis* Deut. XXV, 3. inſtitutæ, ex Rabbinorum placitis ortum trahit, nullique vel numero vel modo alligata eſt, ſed pergit, donec cæſus reſipiſcat, unde ſæpe ad mortem usque peragebatur: ut de illa copioſe commentatur PRIDEAVX *Not. ad h. l. p.* 76 *ſqq.*

§. XXX. 3) *Eleemoſynarum Diſtinctio.*

Diſtinguuntur porro Eleemoſynæ apud Judæos haud uno modo. *Primo* enim VITRINGA, ex MAIMONIDIS *cit. Tract. C. I.* §. 7. dona pauperum diſpeſcit in *certa* & ſtatuti juris dona, pauperibus debita, quæ ſub initium tractationis noſtræ ex SELDENO recenſuimus, & in *libera* ſive arbitraria, quorum modus a Deo ipſo determinatus non eſt, ſed cujusque reliquit liberalitati & charitati Deuter. VI, 10, 11. quæque ſunt, de quibus nos hic agimus: *de Synag. c. l. cap. XIII. p.* 807 *ſqq.* de qua diſtributione nihil nunc addo, cum ſupra jam ſit recenſita & expoſita. Curate *porro* diſtinguunt inter חסד ſeu גמילות חסדים *beneficentiam,* & inter צדקה *Eleemoſynas* ſtricte ſic dictas. Quid diſcriminis inter utramque intercedat, poſt MAIMONIDEM in *More Nevoch. Part. III. C. LIII.* NIC. FVLLERVM *Miſcell. Sacr. L. I. cap.* 8. & COCCEIVM *ad Sanhedrin p.* 131. & 158. copioſe & anxie inquirit laudatus toties VITRINGA *cap. XII. pag.* 794 *ſqq.* breviter autem & argute exponit Tract. Talm. *Succa fol.* 49. *col.* 6. בג׳ דברים גדולה גמילות חסדים יותר מן הצדקה שהצדקה בממונו גמילות חסדים בין בממונו בין בגופו צדקה לעניים גמילות חסדים בין לעניים בין לעשירים צדקה לחיים גמילות חסדים בין לחיים בין למתים׃ *Tripliciter beneficentia antecellit Eleemoſynas. Nam Eleemoſynæ tantum fiunt pecunia, & beneficentia quodque officiorum genus complectitur: Eleemoſynæ tantum exercentur erga pauperes, ſed beneficentia tam erga pauperes quam divites: quin & Eleemoſynæ non niſi apud vivos locum habent, at beneficentia tam apud vivos,*

quam

quam mortuos. Audire *demum* etiam juvat ex MAIMONIDE, quomodo gradu differant apud Judæos Eleemoſynæ, quam diſtinctionem ille *Cap. X. §. 7 ſqq.* prolixe exponit. Summus quippe, quo non alius datur ſuperior, 1) eſt, cum quis corroborat manum Iſraelitæ, qui deprimitur, & dat ei donum vel mutuum, vel faciat cum eo commercium, vel adinveniat ei aliquod negotium, ut corroboret manum illius; qui probatur ex Levitic. XXV, 35. Proximus ab hoc gradus eſt, 2) cum quis dat Eleemoſynam pauperibus, ita ut nec cognoſcat ipſe, cui dat, nec pauper, a quo accipit, qualis eſt Eleemoſyna לשכת חשאים שהיתה במקדש quæ datur *in Conclavi ſilentium, quod erat in Templo,* ubi nimirum viri miſericordes ponebant eleemoſynas ſuas cum ſilentio, pauperesque filii proborum nutriebantur iis in ſilentio. Proximus huic gradus erat, 3) cum quis Eleemoſynam immittat לתוך קופה של צדקה in *ciſtam eleemoſynariam.* Proximus ab hoc, 4) cum, qui dat, cognoſcit, cui dat, at pauper non cognoſcit, a quo accipit, qui gradus cum primis obtinet, ſi הממונין הצדקה *Curatores eleemoſynæ* non recte adminiſtrarent provinciam ſuam. Gradus huic proxime inferior 5) eſt, cum cognoſcit pauper, a quo accipit, at qui dat, non novit, cui dat. Proximus ab hoc gradus 6) eſt, cum quis dat pauperi manu ſua, priusquam ille petiit. Proximus ab iſto 7) eſt, cum quis dat pauperi poſtquam petiit: hoc denuo inferior 8) eſt, cum quis dat pauperi minus, quam ei convenit dare, cum vultu benigno. Infimus denique gradus eſt 9) cum quis ei dat cum moleſtia; quanquam huic ultimo Eleemoſynarum generi, vix aliquod ſtatuant pretium.

§. XXXI. 4) *Eleemoſynarum Materia.*

Si de materia diſpiciamus Eleemoſynæ, *partim* de facultatibus quæritur, ex quibus fit largitio, *partim* de eo, qui in elargiendo habetur, modo. Facultates vel legitimæ ſunt, divina benedictione, modoque legitimo acquiſitæ, vel injuſte partæ. De opibus injuſtis largiri pauperibus, tantum abeſt, ut in laude ponant Judæi, ut potius vulgari proverbio ejusmodi Eleemoſynis illudant, dicentes: גיפא בחורים ומפלגא לבישיא *ipſa adulteria comittit pro pomis* (i. e. lucro leviculo) *& dividit illud malis,* h. e. pauperibus & ægrotis, Eleemoſynæ cauſa, ut iis peccata redimat, ut ex *Vajikra Rabba Sect. III. in princ.* & ex *Schemoth Rabba Sect. XXXI. in fine* hoc adagium repetit, & in eos dici, qui de rapto, furto, aut injuſtitia, Eleemoſynas erogant, ut Sacerdotes olim cœcum & claudum Deo offerebant, declarat BUXTORF. *Lexic. Talmud. fol.* 405 *ſqq.* ubi ſimul monet, alios loco גיפא eodem ſenſu legere כיפא quaſi a כאפ. De injuſte partis tamen, diſtributionem inter pauperes injunctam fuiſſe LIGHTFOOTUS *Hor. Hebr. ad Luc. XIX, 8.* docet ex Cod. *Sanhedrin fol.* 25. *col.* 2. quod per iſtam diſtributionem reſtitutio, ſi vero & genuino poſſeſſori fieri illa non poſſet, aliquo modo compenſari crederetur: ut non tam iſthæc Eleemoſyna meritoria, quam ſatisfactio ſit quædam pro injuſto lucro. De juſtis autem legitimisque facultatibus, ex Magiſtrorum ſcito, tenetur quisque erogare egenis כפי השגת ידו *pro ratione facultatum, quas habet:* hanc autem proportionem ita definiunt apud MAIMONID. *C. VII. §. 5.* ſi quis det quintam partem facultatum ſuarum, præceptum de Eleemoſynis præſtat in gradu ſummo: ſi det decimam partem facultatum ſuarum, præceptum præſtat in gradu mediocri: ſi vero minus det, quam decimam partem, tum eſt vir עין רעה *oculi mali,* i. e. avarus. Tritum enim apud Judæos eſt, ut liberalem ac beneficum טוב עין *virum oculi boni* ex Prov. XXII, 9. contra vero avarum aut malevolum רע עין *virum mali oculi* ex Deut. XV, 9. Proverb. XXIII, 6. XXVIII, 22. dicant, qua cum PRIDEAUX *ad cit. loc.* MAIMONIDIS *p.* 76. phraſin Novi Teſtam. confert, indeque vult intelligi, quid ſit ὀφθαλμὸς ἁπλῦς, Matth. VI, 22. Luc. XI, 34. rurſusque ὀφθαλμὸς πονηρὸς, Matth. VI, 23. XX, 15. Marc. VII, 22. Luc. XI, 34. Quin & ulterius ipſorum progrediebatur liberalitas, ut לפי מה העני

שחסר העני *pro ratione illius, quod pauperi deest*, ditioribus injunctum esset ei dare, v. g. si pauper egeat vestimentis, tenentur illi vestire eum; si egeat supellectilibus, comparabant ei; si non habeat uxorem, despondebunt illum uxori, & si sit femina, elocabunt eam viro; insuper, si in more fuisset pauperi, ut antea veheretur equo, & servus curreret coram eo, & jam pauper factus, ab illo splendore sorteque lauta ille exciderit, comparabunt ei equum, quo vehatur, & servum, qui currat coram eo, nam dictum est Deut. XV, 8. *Commodabis ei quantum sufficiat indigentiæ illius, in ea re, qua indiget:* ubi tamen hanc addunt cautelam: *tibi autem mandatum est, tantum illius indigentiæ subvenire, non autem teneris eum locupletare*, ut est apud MAIMONID. *cit. loc.* §. 3.

§. XXXII. 5) *Modus colligendi Eleemosynas.*

Modum etiam conferendi, vel colligendi Eleemosynas, latere nos noluit MAIMONIDES, sed *Cap. IX.* copiose illum exponit. Quamvis enim ex lege sacra primitus obligarentur singuli, egenis, pro horum inopia, & illorum abundantia, Eleemosynam præstare, nihilominus eo tandem res devenit, ut certi Eleemosynarum constituerentur Collectores, גבאי צדקה dicti. Ita nimirum a Chald. גבי *exigere, colligere,* nomen trahebant, licet muneris ipsorum ratio in Eleemosynis non modo exigendis & colligendis, verum etiam rite administrandis & distribuendis, esset sita. Horum originem VITRINGA inde arcessit, quod, cum stata ac ordinaria egestati pauperum levandæ media, Eleemosynæ nimirum quas vocant, debitæ, certæ, statuti juris, legeque ipsa determinatæ, jam præscripta essent, & præstarentur, Israelitæ ad liberalitatis & æquitatis munera extraordinaria, in pauperes simul conferenda, tardiores fuerint, ut necesse esset, per certos viros illa colligere: hinc non existimat, ante μετοικεσίαν Βαβυλῶνος, inter Judæos Eleemosynas ad pauperes sustentandos a statis Collectoribus, certis temporibus, fuisse congestas, sed vel in captivitate, vel post captivitatem, necessitate fuisse adactos ad Eleemosynas liberas illas, & arbitrarias exigendas, quoniam magna tunc pauperum copia laborarint; quæ viri docti conjectura non est contemnenda. Erant autem illi גבאי צדקה seu *Collectores Eleemosynarum* duplicis generis. Alii nimirum colligebant pecuniam singulis vesperis Sabbathi, dabantque singulis pauperibus alimentum, quantum sufficiat pro septem diebus וזו היא הנקרא קופה atque hoc vocatur *Kupha,* seu Eleemosyna Cistæ apud MAIMONID. §. 1. Rursus alii erant גבאין Collectores, qui accipiebant quotidie ab una quaque domo frusta panis, omniaque ciborum genera, vel etiam fructus, vel pecuniam, ab uno quoque, qui sponte dabat, pro eo tempore, & vespere, quod collectum est, inter pauperes distribuebant, dabantque singulis eorum alimentum, quantum sufficiat pro eo die וזהר הנקרא תמחוי *& hoc vocatur Tamchoi, i. e.* Eleemosyna Catini, §. 2. Observat porro §. 3. *Kupham* in quacunque congregatione Israelitica, seu Judæorum, locum habere & obtinere, sed *Tamchoi* non ubivis locorum usu esse receptum. Hic vero insigne sententiarum divortium inter viros doctos deprehendo. LIGHTFOOTUS quippe *ad Matth. VI,* 2. collectionem לקופה *in cistam pauperum* institutam fuisse tradit per duos Parnasim, itidem גבאי צדקה dictos, quibus tertius addebatur, ad ejus distributionem. Contra vero ea, laudatus sæpius VITRINGA *c. XIII. p.* 811. *&* 814. hic in diversum secedit. Velut enim sententiam LIGHTFOOTI *de decem Otiosis Synagogæ*, ut &, quæ de diversis Synagogæ officiis & muniis ille tradiderat, in *Archisynagogo, observationibus novis illustrato*, & Franequeræ A. 1685. edito, correxit, & perstrinxit, sic & eadem occasione, quæ LIGHTFOOTUS de *Gabbaim*, quod iidem fuerint cum *Parnasim*, commentatus fuerat, confutavit. Tantum autem abest, ut ita lectoribus omnibus, primis annis & meditationibus suis satisfaceret, ut acerrimum potius adversarium IACOB. RHENFERDUM provocaret, qui editis II. *de decem otiosis Synagogæ* disputationibus A. 1686. in 4. & LIGHTFOOTUM,

FOOTVM, & æque VITRINGAM ex instituto refelleret. Inde subnata est doctissimo VITRINGAE occasio, ut re paulo altius expensa, exasciatum illud *de Synagoga vetere* opus tribus libris constans A. 1696. luci publicæ exponeret, postquam jam A. 1688. RHENFERDO librum singularem *de decem Viris Otiosis, ad Sacra necessaria veteris Synagogæ curanda deputatis*, ipse reposuisset, cui RHENFERDVS A. sqq. 1689. *Archi-Synagogum Otiosum* ἀυτοκατάκριτον regesserat. Hoc certum, quod in laudato amplissimo de Synagoga Vetere commentario, VITRINGA in quam plurimis momentis mentem, in superioribus scriptis expositam, immutarit, veritati locum dederit, & in aliis RHENFERDO accesserit, in aliis tamen ab eodem adhuc abierit in diversum. In his postremis est, quod *pag.* 814. VITRINGA idoneis sane testimoniis ex MAIMONIDE, & aliis probatum dat, quod hi Collectores, æque ac Collectores Eleemosynæ Catini fuerint homines privati, plane ad Synagogam non pertinentes, in quorum quidem potestate collectio & distributio Eleemosynæ arcæ fuerit, ita tamen, ut nihilominus suprema potestas, & cura Eleemosynarum harum resederit, apud בת דין *Synedrium* cujuscunque loci, non apud Synagogam, nisi quod illud hanc suam etiam auctoritatem, & curam demandare potuerit Doctori summæ auctoritatis, qui sacris Synagogæ præsidebat, Ἀρχισυνάγωγος plerumque dictus, quique hoc ipso in sua persona בית דין repræsentabat. Inde negat etiam, quod dixerat LIGHTFOOTVS, in Synagoga fuisse collectas has ipsas Eleemosynas, sed ostiatim, vespere Sabbathi, ivisse ipsos גבאים, ex testimoniis Talmudicis demonstrat. Demum vero *pag.* 815. largitur, quod si ejusmodi Præfectus non adesset, tum recidisse illam potestatem disponendi de collectis Eleemosynis in פרנסים *Pastores Synagogarum*, qui & alias haud dubie non raro, una cum Præfecto Synagogæ, aut constitutis Eleemosynarum Collectoribus, de illarum usu deliberaverint. Rursus autem RHENFERDVS *Diss. I. de decem Otiosis Synagogæ* §. 76 *sqq.* dudum probaverat גבאי צדקה seu Diaconos Eleemosynarum, neque ex ordine Otiosorum illorum lectos, quod assertum undecim rationibus destruit & refellit, neque eosdem cum פרנסים §. 89 *sqq.* fuisse, licet post multa erudite & subtiliter disputata, §. 102. largiatur, voce פרנסים interdum, licet rarius, illos notari Diaconos, qui cibis colligendis, cibandisque pauperibus erant præfecti, cum גבאים vero haud temere confundendos. Ex quibus apparet, circa Collectores Eleemosynarum tandem sub finem disputationis, satis inter hos duumviros convenisse, utrumque tamen a LIGHTFOOTI traditione paulo discessisse. Colligere inde facile possumus, quæ fuerit קופה / nempe arca portatilis, hoc ipso multum distans a notissimis illis שופרות in templo Hierosolymitano, numero tredecim, positis, quibus non dona pauperum, sed dona Templi inserebantur, quas fuse explicat SELDENVS *Jur. Nat. & Gent. Lib. IV. Cap.* 5. & eleganter delineat, ærique incisas oculis subjicit ADRIANVS RELANDVS *de spoliis templi Hierosolymitani pag.* 126. Demum etiam ad modum pertinet monitum, quo cavent, ne cum ostentatione, sed in occulto potius erogetur. Vnde in *Bava Bathra fol.* 9. *col.* 2. גדול העושה צדקה בסתר יותר ממשה רבינו *qui Eleemosynam in occulto dat, major est ipso Mose, magistro nostro:* rursusque in tract. *Chagiga fol.* 5. *col.* 1. R. IANNAI vidit quendam, nummum pauperi dantem palam, cui dixit: מוטב דלא יהבתליה *præstat non dedisse, quam sic dedisse.* Quæ non inepte conferuntur cum Salvatoris monito Matth. VI, 1.

§. XXXIII. 6) *Objectum Eleemosynarum.*

Ii denique, qui fruebantur Eleemosynis, non eodem omnes censu habebantur ac loco. Distinguebant nimirum Judæi, pauperes suos in עניי עולם *pauperes mundi*, & in עניי העיר *pauperes urbis istius.* Pauperes mundi erant non modo Judæi, sed & Proselyti domicilii, immo etiam Ethnici, advenæ scil. vagabundi, qui in urbem

urbem aliquam venirent, irent, redirentve: atque horum erat Eleemosyna תמחוי scutellæ sive catini; pro pauperibus autem civitatis, erat Eleemosyna arcæ ipso vespere Sabbathi, quo colligebatur, illis pro hebdomada integra distribuenda. Non dissentit hic VITRINGA, quanquam Eleemosynam arcæ iterum duplicem statuat, cum pro pauperibus civitatis ipsius, tum pro pauperibus terræ Canaan, quibus, collectis ex omnibus dispersionis Judaicæ locis, sive ex universa *διασπορᾷ* pecuniis, subinde subveniebatur. Hunc etenim morem, transmittendi Eleemosynas pauperibus in terra Canaan commorantibus, satis antiquum, & statim post Judæorum dispersionem invaluisse, ex HIERONYMO probat, & pro diversitate illas percipientium, duas quoque arcas in Synagoga positas fuisse observat. Ordinem præterea habebant, quo pauperes censerent, unumque alteri anteponerent. Teste siquidem MAIMONID. *cap. VII. §. XIII.* pauper, qui est propinquus, sive sanguine junctus, præferatur omnibus hominibus; pauperes propriæ familiæ præferantur pauperibus propriæ civitatis, & pauperes propriæ civitatis præferantur pauperibus alienæ civitatis, nam dictum est Deut. XV, 11. *liberaliter aperies manum tuam fratri tuo, pauperi tuo, egeno tuo in terra tua:* ubi primum de propinquis, medium de pauperibus familiæ, tertium de concivibus exponunt. Rursus *C. VIII. §. XVII.* ita præcipit MOSES ille AEGYPTIUS: si sint ante oculos multi pauperes, vel multi captivi, & non tantum sit in loculo eleemosynario, quantum vel nutriat, vel vestiat, vel redimat eos omnes, tum præferent Sacerdotem Levitæ, Levitam Israelitæ, Israelitam profano, profanum spurio, & spurium collectitio, & collectitium ei, qui e conjugio ortus est illegitimo, eumque, qui e conjugio ortus est illegitimo, Nethinæo, & Nethinæum Proselyto. Nethinæus enim educatur nobiscum in Sanctuario; Proselytus autem præferendus est servo manumisso, quia ille fuit in numero maledictorum (per Genes. IX, 25. ubi Canaanis posteritati maledictum injungitur). In hos namque novem ordines dispescebant Doctores Mischnici *Cap. IV. Sect. I.* tract. *Ridduschin*, omnes eorum stirpes, qui Babylone ascenderunt, & reduces terram sanctam inhabitarunt, ut essent 1) כהני *Sacerdotes*, 2) לוי *Levitæ*, 3) ישראל *Israelitæ*, 4) חלולי *Profani*, sive ad sacerdotium inepti, 5) גירי *Proselyti*, 6) חרורי *Liberti*, sive servi manumissi, 7) ממזירי *Nothi*, 8) נתיני *Nethinæi*, 9) שתוקי *Spurii*, certæ matris, at patris incerti, 10) אסופי *Collectitii*, qui in plateis expositi inveniuntur, patre matreque incertis oriundi: quod post SELDENUM & alios, PRIDEAUX quoque, ad hunc locum MAIMONIDIS, probe observavit.



II.

יהוה שוכן בערפל

DEVS CALIGINIS INCOLA

EX PHILOLOGIA ET ANTIQVITATE SACRA.

Disputatione publica in Auditorio Paulino

A. D. I. Octobris Anno CIↃIↃCCXXVIII. *propositus*

RESPONDENTE

M. CHRISTIAN. SIGISMVNDO GREEN.

Prooemium.

Quoties pristinum Israeliticæ gentis florem intuemur; quoties innumera, & supra omnem humanæ rationis captum posita, beneficia, quæ Deus eidem exhibuit, curatius consideramus; quoties jura illa, quibus præ ceteris omnibus gavisa est populis, perlustramus: (Conf. HENR. HVLSII *Comment. in Israelis prisci prærogativas ac bona sub V. T.*) toties Divinæ misericordiæ, sanctitatis, sapientiæ, justitiæ, & clementiæ magnitudinem extollendi atque mirandi uberrimam occasionem nanciscimur. Deus quippe omnes gentes posthabuit, solum Judæorum populum in peculium sibi ascivit: Deut. VII, 6. XXVI, 18, 19. Esavum justo prosecutus odio, Jacobum contra paterno amore fuit amplexus: Rom. IX, 13. In gentes iram suam effudit, Psalm. LXXIX, 6. Judæis vero gratiæ & misericordiæ divitias larga manu donavit, ut ad illos *ἡ υἱοθεσία, καὶ ἡ δόξα, καὶ αἱ διαθῆκαι, καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία, καὶ αἱ ἐπαγγελίαι*, Rom. IX, 4. pertinerent. Gentes manu fortissima expulit, malis affecit, & e terra sua ejecit, Psalm. XLIV, 3. sed vitem suam ex Aegypto proficisci fecit, Psalm. XXC, 9. eandemque ibi plantavit.

Horum, aliorumque quam plurimorum, beneficiorum caput, summam, & principium si rimamur, Moses jamdudum in eo, quod Deus inter Israelitas gratiose habitaverit, iisdem singulari modo propinquus fuerit, seque illis mirifice manifestaverit, collocavit. Hic enim vir Dei, ante obitum suum populo Judaico omnia Dei beneficia in memoriam revocaturus, eundemque ad perpetuum veri Dei cultum serio exhortaturus, palmarium inde argumentum, Deut. IV, 7. depromit: כי מי־גוי גדול אשר־לו אלהים קרבים אליו כיהוה אלהינו *Quæ magna enim gens, cui Deus propinquus apud ipsam, sicut Jehovah noster in omnibus.* Quæ enim unquam gens fuit, cui Deus unquam tam propinquus fuerit, quam quidem Israeliticæ? Nulla profecto. Hanc suam præsentiam *voce* variisque apparitionibus inter eam Jehovah declaravit. Locutus is est cum iis פנים בפנים *a facie ad faciem* in monte e medio ignis, Deut. V, 4. Ipse מגיד דברו *annunciat verba sua* Jacobo, statuta & judicia sua Israeli לא־עשה כן לכל־גוי *non facit sic ulli genti.* Psalm. CXLVII, 19, 20. Propinquus fuit, non *immediate* solum, sed etiam *mediate* per Prophetas *πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως*, Hebr. I, 1. ad Judæos loquendo. Respondit ipsis per *sortes*, ut in Achane Jos. VII, 14. in Saule & Jonathane 1 Sam. XIV, 42. in Apostolis Act. I, 26. satis conspicimus. Revelavit se per *Vrim & Thummim* e pectorali Summi Sacerdotis Exod. XXIIX, 30. de quo vide AVG. PFEIFERI *Dub.*

Vex.

Vex. Cent. I. L. C. p. 241. *Cent. II. L. LXXVIII. p.* 380. *Cent. III. L. XXIII. p.* 476. BVXTORF. fil. *Exercit. III. p.* 268 *ſqq.* Apparuit Prophetis ſuis במראה *per viſionem,* בחלום *per ſomnium,* בחידות *per ænigmata,* בתמונה *per figuram,* פה אל פה *per allocutionem oralem,* quarum præcipuas revelationum ſpecies ipſe Deus Num. XII, 6, 7. 8. conſignari voluit. Vide Præſidis noſtri *Introduct. in Lib. Can. V. T. P. III. c. I. p.* 34 *ſq.* item *Crit. S. P. I. c. I. p.* 38 *ſq.* GLASSII *Philol. L. I. tr. IV. ſect. I. Can. I. p. m.* 311.

At vero non tantum voce ſua & verbis, ſed variis ſimul *factis* patratisque miraculis ſuam præſentiam Jehovah manifeſtavit. Si modo eorum, quæ per viam ex Aegypto, per deſerta inviaque loca, patravit, miraculorum recordari licet, tot ac tanta ſe nobis offerunt, ut eorum multitudinem lingua nec eloqui, nec mens eorum magnitudinem ſatis mirari poſſit. Ipſe Davides eadem tanti momenti judicavit, ut integris quibusdam canticis Pſalm. LXXVIII. & CV. eadem prædicaret.

Quo vero eo minus de Divina præſentia dubitarent Iſraelitae, ipſe עמוד ענן *columnam nubis* certiſſimum adeſſentiæ ſuæ gratioſæ ſymbolum conſtituit. *In hac nube* perpetuo habitavit, gentemque ſuam interdiu in itinere anteivit & comitatus eſt Exod. XIII, 21. *E nube* Angelus Domini hoſtes profligavit Exod. XIV, 19 ſeqq. *In nube* cum Moſe ad tentorium collocutus eſt Jehovah Exod. XXXIII, 9. Num. XI, 25. *In nube* deſcendit in montem Sinai Exod. XXIV, 16. XXXIV, 5. *In nube* ſuper arcam fœderis requievit Lev. XVI, 2.

Hæc ipſa cum ערפל *caligo* illa ſit, in qua Sanctiſſimus Deus habitaſſe aliquoties dicatur, nunquam ſine ſancta mente debitaque attentione eandem conſiderare, piaque admiratione celebrare merito tenemur. Nobis certe nunquam non hæc caliginoſa Dei habitatio illis miraculis annumeranda viſa fuit, quæ poſteri & omnes gentes plenis buccis extollere a Davide Pſalm. XCVI, 1, 2. jubentur. Cum itaque indulgentiſſimi parentis noſtri juſſu, hic quoque Lipſiæ, æque ut ante aliquot annos Vitembergæ, in *Diſp. de ὑπογϱαμμῷ Chriſti piis in paſſione relicto ex* 1 *Pet. II,* 21. novum aliquod diligentiæ ſpecimen patronis exhibendum, temporisque, in Academiis impenſi, ratio ſit reddenda, rei dignitate ac utilitate moti, יהוה שוכן בערפל *Deum Caliginis Incolam*, pro ingenii viriumque noſtrarum modulo, conſiderandum nobis ſumemus.

Antequam vero rem ipſam aggrediamur, hunc ipſum *caliginis incolam* ſupplici voce invocamus, ut luce ſua mentem noſtram illuminare, Spiritu ſuo tenebras diſcutere, ſuoque verbo, quod ſemper נר־רגלי ואור לנתיבתי *lucerna pedi & lux ſemitæ* fuit noſtræ, Pſalm. CXIX, 105. nunc quoque in omnem veritatem nos ducere dignetur. Faxit Jehovah, ut in omnibus viis noſtris verbo ejus, *ὡς λύχνῳ φαίνοντι,* 2 Petr. I, 19. attendere, in luce coram Deo ſincere ambulare, omnes errorum tenebras per omnem vitam evitare, *τὰ ἔϱγα τȣ͂ σκότȣς* ſimul deponere, *τὰ ὅπλα τȣ͂ φωτὸς* magis magisque induere, Rom. XIII, 12. omni niſu contendamus, pergamus, allaboremus.

§. I. *Acceſſus ad tractationem.*

Nunc itaque, bono cum Deo, rem ipſam aggreſſuri, & paulo penitius, ea tamen, qua fieri poterit, brevitate, יהוה שוכן בערפל *Deum caliginis incolam* conſideraturi, haud immerito ad ſapientiſſimi Regis, Salomonis, effatum convertimur. Hic enim clariſſimis verbis, coram toto populo Judaico, hæc diſſerit: 1 Reg. VIII, 12. יהוה אמר לשכן בערפל *Jehovah dixit ſe habitaturum eſſe in caligine.*

§. II. *Occaſio verborum* 1 Reg. VIII, 12.

Recordatus erat Deus clementiſſimus ſuæ promiſſionis, & ſuum verbum ſtabiliverat, quod locutus eſt Davidi, de ædificanda nomini Jovæ æde cogitanti: *Tu non ædificabis domum,*

 ſed

sed filius tuus, extiturus e lumbis tuis, ædificabit nomini meo domum 2 Sam. VII, 12, 13. Hic enim Davidis filius, Salomo, divinæ promissionis paternique mandati bene memor, omnes sapientiæ suæ thesauros, omnes divitiarum copias, omnem auri argentique vim non solum augendæ Principum, quos a latere habuit, eminentiæ, aulæ suæ magnificentiæ, & Regii palatii splendori, sed maxime extruendæ & exornandæ, Deo vero dicatæ, ædi summo studio impendere voluit. Quod quidem institutum tanta cum cura executus est, ut *neque magnificentius aliud post se reliquerit monumentum Templo Hierosolymitano, quod & stupenda mole, & incomparabili structura, & immensa auri argentique, quo coruscebat, vi, in orbis miracula, eorumque principem fere locum, meruit referri innumeris doctorum hominum elogiis decantatum*, ut Præses noster loquitur, in *Introduct. ad Libb. Bibl. V. T. P. II. c. IV. p.* 165. qui ibidem excitat IAC. IEHVD. LEONEM *de templo Hierosol.* IOH. LVNDIVM *im Jüd. Heiligth. L. II. f.* 237 *sq.* CASP. CALVOER *in Ritual. Eccl. P. II. cap.* 2. *p.* 27. TH. CRENIVM *Fasc. VI. & VII. opuscul.* quibus adde D. SAM. REYHER *Mathesis Mos. p.* 628. M. MICH. CHRIST. LVDOVICI *de templo Salomonis ad* 1 *Reg. VI*, 1, 2. Hujus ædis fundamenta postquam anno quarto imperii sui 1 Reg. VI, 1. in monte Morijah 2 Chron. III, 1. Salomo jecerat, per integros septem annos extruendum, parandum, ornandum, perficiendum hoc ædificium continuavit, donec anno undecimo imperii sui ultimam adjiceret operi manum, penitus stupendum hoc palatium absolveret, perfectumque relinqueret. Cum itaque nihil restare videretur, quam, ut solenniori ritu domus hæc divino cultui dedicaretur, cives suos hunc in finem Hierosolymam congregavit. Quo vero in hac Templi initiatione ordine omnia agerentur, ante omnia arcam fœderis, adhuc in urbe Davidis in medio tentorii, a Davide ipsi parati, 2 Sam. VI, 12. 1 Paral. XVI, 1. asservatam, in Templum, ejusque Sanctum sanctorum, apportari bene curavit. Ad sedem ergo suam, inter sacrificia, tripudia, sonorasque voces, arca delata, (cujus in deportatione in Templum aut Hierosolymam ex ædibus Obed-Edom Psalmusne XXIV, an XLVII. decantatus fuerit? tangit BVXTORF. *Exercit. de Hist. Arc. Fœd. c. I. p.* 5, 15, 17. IOH. LORINVS in *Comment. in Psalmos Tom. I. f.* 333 *sq.*) ענן מלא את־בית יהוה *nubes domum Domini implevit*, ita, ut Sacerdotes propter nubem stare non possint, כי מלא כבוד יהוה את־בית יהוה quia *gloria Jehovæ* domum impleverat. Orta inde in animis Israelitarum admiratione, stupore, terrore, confusione, omnem ipsis scrupulum eximens Salomo, nec insolens aut inauditum aliquid inter Israelitas esse, ut nubes aliqua inter eos conspiciatur, demonstrat. Deum enim gratiosam præsentiam suam nube declaraturum esse, ex ipsa ejus promissione evincit, quandoquidem dixerit Jehovah לשכן בערפל se *in caligine habitaturum* esse.

§. III. ערפל *nubes est, in qua Deus olim habitavit.*

Hæc itaque verba consideraturi, ante omnia de ערפל nobis dispiciendum est, & expendendum, quæ aut qualis *caligo* hac ipsa voce indicetur. Nos, ut paucis nos expediamus, commodissime ערפל, cujus incola Deus dicitur, *de columna nubis*, qua olim Deus Israelitas ex Aegypto in terram sanctam ducturus, in monte Sinai, super tentorium & operculum arcæ fœderis præsentiam suam demonstravit, explicari posse non sine causa judicamus.

Probatio α) ex aliis locis V. T.

Vrgemus enim, α) hanc vocem ערפל in aliquibus locis V. T. pro illa ipsa *nube* adhiberi. Juvat hic ad solennem illam, e monte Sinai factam, legis promulgationem respexisse. Ibi enim Jehovah in ענן *nube* apparuisse diserte Exod. XIX, 9, 16. asseritur. Hanc autem ענן eandem nubem, qua alias habitavit Deus, non solum *ipsa vox* ענן, de eadem nube ante adhibita, & *Scripturæ Sacræ* *silen-*

silentium, quæ Deum præter illam, quam semper adhibuit nubem, aliam ibidem exhibuisse non commemorat; sed etiam doctissimorum, rei veritatem studiose investigantium, virorum luculenta *testimonia*, a LVNDIO *loc. citat.* *L. I. c. XI. f.* 45. allata, ac aliæ rei *circumstantiæ* clarius evincunt. Cum vero Mosen in eandem nubem intrasse Scriptura Sacra referre velit, his verbis exprimit, Exod. XX, 18. ומשה נגש הערפל אשר שם האלהים *& accessit Moses in caliginem, in qua Deus erat.* Quo eo majorem asserto nostro fidem faciamus, probe notandum est infra Exod. XXIV, 18. Mosen בתוך הענן *in medium nubis* ivisse affirmari. Hinc ערפל eandem ענן *nubem* densam, in qua Deus in montem descendit Exod. XIX, 9, 16. ex qua Mosen vocavit, Exod. XXIV, 16. fuisse, non male colligimus. Accedit, quod ענן cum ערפל Deut. IV, 11. V, 19. a Mose conjungatur, atque adeo unum per alterum egregie explicetur. Nec enim putandum esse judicamus, hic unum alteri opponi, & ערפל ab ענן distingui & separari. neutiquam. Deus enim in utraque legis publicatione in ענן in montem descendit, quæ tamen *nubes* usque adeo densis tenebris obscurata fuit, ut hæc ipsa nubes recte ערפל simul diceretur. Quæ quidem interpretatio eo minus absurda aut nimis longe petita censenda, quandoquidem Davides Psalm. XVIII, 10. nubes, quas Deus inhabitavit, ערפל appellet, de quo loco infra commodior dicendi occasio erit. Optime LVNDIVS rem explicat, qui PHILONEM, nubem hanc candidam & lucidam afferentem, cum BVXTORFIO fil. eandem pro caliginosa & tenebricosa venditante, conciliaturus, utrumque recte simul de eadem nube, diverso tamen respectu, dici posse contendit. Bene thesin suam exemplo a nube, tempore tempestatum tonitruumque orta, illustrat, quæ ex una parte sole illustrata lucida, ex altera vero parte valde obscurata nobis sistitur. Hoc evicto subjicit *loc. cit. lib. I. cap. X. f.* 37. §. 3. *Wenn Gott was sonderliches mit dem Volcke vorgehabt, daß er bey Tage das Feuer in der Wolcken, als seine Herrlichkeit, hat wollen blicken lassen, daß alsdenn die sonst gantz lichte Wolcke gantz dunckel geworden, damit dem Volcke ein Schrecken eingejagt, und die Herrlichkeit des Herrn, das Feuer in der Wolcken, desto eigentlicher und schrecklicher gesehen würde, wie man* Exod. XIX, 16 sq. XX, 21. Deut. IV, 11. V, 22. *siehet; da wird eben von der Wolcke gesagt, daß sie sehr dunckel und schrecklich anzusehen gewesen sey, wie Finsterniß und Dunckel, eben wie er auf die Egypter im rothen Meer donnerte und blitzte*, Exod. XIV, 24. Psalm. LXXVII, 18, 19. *und NB. auf diese dunckle Wolcke siehet Salomo* 1 Reg. VIII, 12. Ex his ergo satis cognoscimus, ערפל commodissime non solum posse, immo vero debere de *nube* illa, in qua Dei gloriam alias habitasse novimus, accipi & explicari.

Probatio β) quod ענן *per* ערפל *explicatur.*

Quæ quidem interpretatio eo propius menti loquentis Salomonis accedere videtur, quandoquidem ex ipsius textus nostri visceribus hoc satis validum depromere possumus argumentum, si attendimus, eundem Salomonem ערפל per ענן ita interpretari, ut hæc vox illius synonymum æstimetur. Nam vers. 10. legitur, quod הענן domum Domini impleverit, hanc cum videret, respondit Rex, hanc Dei ordinariam esse habitationem, quia Deus dixerit, se velle in ערפל habitare. Nunc itaque, si ad divinum illud verbum, quo se in caligine habitaturum esse promiserat, attendimus, non aliam, præter nubem illam, in qua alias habitavit, fuisse edocemur. Dederat Deus Israelitis præsentiæ suæ symbolum, columnam nubis, qua illos ita in terram sanctam duxerat, ut, quoties quiesceret populus, nubes tentorium, quod Moses erigi curaverat, obtegeret Exod. XL, 34. In tentorio arca fœderis asservabatur cum propitiatorio, quod supremi Jehovæ scabellum rectissime nominabatur. Statim enim, cum arcam fieri juberet Deus, promisit, se illic Mosen convenire & cum eo loqui velle ex propitiatorio inter duos Cherubim אשר על־ארון העדת

quod

quod est super arcam testimonii Exod. XXV, 22. Ibi vero fuit in nube, quia Mosi dixerat, Aaroni non omni tempore in Sanctum intra velum intrare licere ante propitiatorium, quod supra arcam, ne moreretur, כי־בענן אראה על־הכפרת *quia in nube apparebo super propitiatorium*, Levit. XVI, 2. Cum vero hujusmodi præsentiæ divinæ, inter Israelitas versantis, evidentissima & continua fuerit velut sedes & thronus arca fœderis, fieri non potuit, quin hæc ipsa nubes, simul cum arca, in Templum migraret, eandem sequeretur, & Templum impleret. In hunc sensum BVXTORFIVS fil. verba vers. 10, 11. trahit, *in Exercit. I. de Arca Fœd. c. X. p.* 109. *sic*, inquiens, *postquam Salomon templum & domicilium Dei stabile ædificasset, & in illud per sacerdotes arcam intulisset, dicitur: nubes replevit domum Domini.* Add. IOH. BENED. CARPZOVII *Diss. de Arca Fœd. p.* 7. & 22. *sq.* Quæ quidem sententia exinde magis corroboratur, quod in eadem nube כבוד יהוה *gloria Jehovæ*, æque ac in nubis columna, Exod. XVI, 10. habitasse dicitur. Consentientem præterea ADRIAN. RELANDVM adducere juvat, hæc loquentem *Antiqu. S. Hebr. P. I. c. V.* §. *XXVII. p.m.* 48: *Supra arcam & alas Cherubinorum erat illustre præsentiæ Divinæ symbolum, columna nubis, quæ absoluto tabernaculo locum illum sanctissimum inhabitavit, Levit. XVI, 2. & ibidem conspicua adhuc fuit tempore Samuelis, Psalm. XCIX, 7. & postea in templo primo, non vero in secundo, quod Arca Fœderis caruit. conf. Ezech. X, 3. XI,* 22. Hanc nubem cum Salomo Templum implevisse videret, hanc esse illam ערפל, quam Deus perpetuam & ordinariam habitationem suam se adhibiturum promiserit, affirmat. Inde clarum & perspicuum omnino esse judicamus, per ערפל columnam illam nubis intelligi debere.

Probatio γ) ex Div. promissione.

Cui corrorandæ sententiæ & illud accedit, quod Salomo ex Divina promissione: יהוה אמר / demonstret, Deum in caligine habitare. Dum vero verba illa, quibus Jehovah, se caliginis incolam exstiturum, promisit, evolvimus, vel ex ante dictis patebit, de nube, olim inter Israelitas conspicua, sermonem esse. Bina potissimum se nobis offerunt loca, quæ divinum verbum, de habitatione ejus in caligine, declarant. Prius assertum Exod. XIX, 9. exhibetur, ubi Iehovah Mosi indicat se בעב הענן *in densitate nubis* descensurum, ac audiente populo cum illo collocuturum esse. Erat illa densa nubes, in qua Deus apparebat in monte Sinai, quæ, ut supra demonstravimus, ערפל appellatur. Posterior locus nobis sistitur, Lev. XVI, 2. quo Deus, se בענן *in nube* super propitiatorio appariturum esse, Mosi dixit. Huc provocat, auctoritate libri *Siphre*, RASCHI *Comment. ad hunc loc.* inquiens: והיכן אמר כי בענן אראה על הכפורת כך שנויה בספרי *sed ubinam dixit* (istud Deus, ad quod h. l. provocat Salomo? Resp. *Lev. XVI,* 2. ubi diserte inquit) *nam in nube appareo super propitiatorium. Ita quidem docetur in Siphre.* Super propitiatorio vero eandem nubem, pro qua nos pugnamus, visam fuisse, in eo ad unum fere omnes antiquitatum gentis Hebrææ investigatores, gravissimis moti causis, consentiunt. Cum itaque Deus se in ענן, Salomo vero eundem in ערפל habitaturum esse, dixerit, hanc caliginem cum illa nube unam eandemque fuisse discimus.

Probatio δ) ex præfixo ה emphatico.

Nec tandem illud prætereundum esse censemus, quod ה emphaticum τῷ ערפל præfixum fuisse, puncta nos edoceant. Hæc enim litera, ה הידיעה *cognitionis seu notitiæ* ה ab Hebræis dicta, rem notatu dignam jamque notam indicare solet. Dum enim ה significatum intendit, & indicat, *hanc ipsam eandemque* caliginem esse, sine dubio ad antecedentem ענן & ad כבוד יהוה quæ Templum implevit, vers. 10, 11. remittimur, & hanc ipsam caliginem, in qua Deus habitare voluit, illam nubem fuisse, quæ pari modo ה illo emphatico vers. 10. notabatur, edocemur.

§. IV.

§. IV. *Incola hujus Caliginis est verus Deus* יהוה

Considerata nunc ערפל, ad habitationis hujus *Incolam* descendendum esse intelligimus. Hic vero est Deus verus, unus in essentia & trinus in personis, quem Salomo nomine tetragrammato יהוה indicavit. *Nomen illud, etiam ex sententia Hebræorum, soli Deo proprium est, & creaturis incommunicabile, unde quidam putant, vocatum esse* שם מובדל *h. e.* שם המפורש nomen separatum, *nulli, nisi Deo, conveniens & attributum: reliqua Dei nomina, ab operibus ejus desumta, communicari aliquando cum creaturis; hoc vero desumtum a Dei essentia, ejusque rationem divine plane exprimens, nulla ratione communicari*, ut BVXTORFIVS, provocans in hunc finem ad MAIMONID. *Doctor. Perplexor. P. I. cap. LXI*, testatur, in *Exerc. de Arc. Fœd. c. I. p. 6.* qui copiose alias de hoc nomine commentatus est, &, quicquid ad illius discussionem facit, solicite congessit, *Dissertat. V.* quæ est *de Nominibus Dei Hebraicis* §. 6-35. Hac itaque voce יהוה ille Deus indicatur, cujus gloria Templum impleverat, 1 Reg. VIII, 11. cujus nomini hoc Templum sacrum erat, qui in eodem habitare volebat, vers. 13. cui preces supplices offerebantur, vers. 22. qui preces vocantium exaudire, vers. 30. iisdemque auxilio adesse volebat, v. 32. qui nec in cælo superiorem, aut in terra inferiorem, alium Deum, aut æqualem agnoscit, vers. 23. & solus est verax & misericors, v. 23. quemque prolixius Salomo *loc. cit.* & 2 Par. V. & VI. describit. Est יהוה *caliginis incola*, qui Israelitas interdiu in nube præcessit, Exod. XIII, 21. ex eadem respexit, & Aegyptiis terrorem incussit, Exod. XIV, 24. juxta cujus sermonem (quem in, per, & ex columna nubis indicarat Exod. XL, 36.) profecti & castrametati sunt Israelitæ, Num. IX, 18. quem Moses, arca proficiscente, alloquitur: קומה יהוה *surgat Jehovah*, Num. X, 35. coll. Psal. CXXXII, 8. Conf. M. VAL. FRIDERICI *Diss. de Columna Ignis ac Nubis c. I. §. 3.*

§. V. *terminative, Messias.*

Licet vero in eo Christianorum & Judæorum Doctores, si non omnes, certe plurimi amice conspirent; magna tamen controversia orta fuit circa motam quæstionem, quæ Deitatis persona *singulariter & terminative* sub hoc symbolo fuerit? Nos, ut aliorum sententiis non immoremur, cum BVXTORFIO *loc. cit. c. XIV. p. 125 sq.* CALVOERIO *in Gloria Mosis Differt. I. c. I. §. 10. p. 24 sq.* FRIDERICI *l. c. cap. I. §. 5.* aliisque innumeris, gloriosum Servatorem nostrum *Jesum Christum*, caliginis hujus incolam fuisse affirmamus. Vrgemus ante omnia cum BVXTORFIO, effatum D. Pauli 1 Cor. X, 2, 4. & v. 9. quo Israelitæ Christum tentasse dicuntur. Respicit Paulus ad res gestas Num. XXI, 4 sq. consignatas. Ibi locuti sunt contra Deum & Mosen, tanquam eos, qui ipsos ex Aegypto eduxerant in desertum, ut ibi morerentur. Hoc refertur *loc. cit.* ad Christum, ex quo patet, Christum illum ipsum fuisse, qui eos ex Aegypto eduxerit, Deus vero, qui id præstiterat, in columna nubis eos eduxit, Exod. XIII, 21. Postea novum inde argumentum depromimus, quod Exod. XIV, 19. Angelus Dei, & Exod. XIII, 21. ipse Deus in nube illos antecessisse dicitur, unde patet, Angelum fuisse illum magnum fœderis Angelum, Malach. III, 1. Angelum faciei Jes. LXIII, 9. immo ipsam faciem Dei, Exod. XXXIII, 14 *sq.* Quid autem opus est prolixiore demonstratione, cum id dudum prolixius & solidius, cum viris ante excitatis, Venerab. SAL. DEYLINGIVS in *Progr. de Angelo Israelitarum per desertum ductore* edit. A. 1722. & in *Observat. S. P. I. obs. XXX. p. 140 sq.* LVNDIVS *loc. cit. L. I. c. X. §. 15. f. 40 sq.* & vel sexcenti alii, (in quibus præ ceteris vide IOH. IAC. CRAMERI *Theologiæ Israelis P. II. Dissertat. I. in Exod. XXIII, 20-23.* & *Dissertat. II. in Exod. XXXIII, 1-6, 12-fin.* & *Cap. XXXIV, 5-10. pag. 247 seq.*) invictis plane rationibus probatum dederint.

§. VI. *Actus & modus inhabitandi* שכן.

Tempori potius inservientes, de *actu & modo inhabitandi* שכן mentem nostram paucis exponamus. Sapienter omnino Salomo quærit: *Numne Deus habitabit super terram? En cœli & cœli cœlorum non comprehendunt Te, Jehovah,* 1 Reg. VIII, 27. Deo nimirum, cum is infinita sua essentia cœlum & terram impleat, Psalm. CXXXIX. non potest *proprie* habitatio quædam certa, definita & limitibus circumscripta assignari. Interim tamen Scriptura Sacra Deum ibi habitasse innuit, ubi peculiari modo præsentiam suam gratiosam miracula patrando, suos defendendo, ex ærumnis eripiendo, solatio erigendo, ad Prophetas, si minus facie ad faciem, ut ad Mosen, aliis tamen modis, πολυμερῶς καὶ πολυτρόπως loquendo, manifestare solet. *Habitare dicitur Deus in excelsis, in Zione & Ecclesia, in contritis cordibus* Psalm. LXVIII, 17. CXXXII, 13, 14. CXXXV, 21. Jesai. LVII, 19. Ezech. XXXVI, 27. Joh. XIV, 23. 2 Cor. VI, 16. *quo præsentis Dei gratiosa manifestatio, actio, defensio, illuminatio, consolatio, salvatio &c. intelligitur. Cum nubes gloriæ repleret templum, dicebat Salomo:* 1 Reg. VIII, 12. *Dominus dixit, se habitare in caligine, h. e. hoc signo testatur, se præsentem esse,* ut præclare GLASSIVS scribit, *in Philolog. S. L. V. Tr. I. c. VII. p.* 1589 *sq.* Sicut ille, qui in domo aliqua habitat, eandem erigit, curat, a ruinis præservat, defendit: ita Deus, cum Israelitas in peculium sibi asciviſſet, eosdem defendebat, gratia sua speciali dignabatur, salvos ubique & incolumes præstabat. Hinc inter eos שכינה *habitationem* suam habere cum ipse promisit, Exod. XXIX, 45. tum opere satis ipse testatum fecit. Quod vero ad hanc שכינה hujusque materiam attinet, multa de eadem Judæorum Doctores rhetoricari solent. Sunt, qui Deum nubem quandam, ad suam gloriam, primo creationis die condidiſſe aſſerunt, hanc tamen turbidam fuiſſe atque craſſam, ut adeo de illa Scriptura S. testetur, tenebras super abyſſi faciem fuiſſe. Post e vestigio eodem die lucem creaſſe, quæ Gloria Dei dicatur. Ambo illa statim facta fuiſſe, ut inservirent ad faciendum diem & noctem, luce quippe apparente factum eſſe diem, stante nube illa densa & tenebricosa circa eam, & lucem abscondente, factam eſſe noctem. Hanc lucem ideo Deum creaſſe, ut usus ejus eſſet in diebus creationis, donec crearentur luminaria, postea vero absconditam fuiſſe & obsignatam lucem illam, ut ea Deus uteretur tempore neceſſitatis erga amicos suos, quia viderit, non decere, ut ea utantur impii. Hanc itaque שכינה causatum illud primo a Deo emanans, eximios illos viros, scil. sapientes Judæorum, vocaſſe ABARBENEL ait. *Ipse vero non vult nubes istas gloriosas & ignes visibiles, in quibus Deus apparuit, fuiſſe illud emanatum a Deo primum, sed aliquid ab eo derivatum & emanans,* ut BVXTORFIVS observavit, *loc. cit. pag.* 114 *sq.* ubi prolixius rem prosequitur. Alii aliter locuti, sibimetipsis misere contradicunt, lepidas fabulas ex ingenio de שכינה cudunt, ut adeo in re seria ludere, &, quid ipsi sæpius voluerint, ignorare videantur. Nec etiam temporis aut instituti nostri ratio permittit, ut in præsentiarum nobili illi controversiæ, inter Cel. HARDTIVM & CALVOERIVM, circa materiam hujus nubis & caliginis, quæ Dei שכינה dicitur, agitatæ, nos immittamus. Vide HARDTII *Ephemerid. Philol. Disc. V. p.* 86 *sq.* it. *Ephemerid. Illustr. p.* 93 *sq.* Hunc refutavit Cel. CALVOER *in Gloria Mosis Differt. I.* cum quo faciunt IOH. IAC. CRAMERVS *in Theol. Israel. P. II. cap. V. §. VII. p.* 60. IOH. MARCKIVS *in Exercit. Bibl. Differt. VIII. §. XV.* CHRIST. MVNDENIVS *in Commentar. de Columna Nubis & Ignis.* Hoc simpliciſſimum eſſe cum BVXTORFIO *loc. citat. de Arc. Fœd. cap. XI. p.* 115. existimamus, ut dicamus, *nubis & ignis illius* שכינה *materiam ex nihilo tum a Deo, pro sua omnipotentia, pro illa hora & ad certum tempus fuiſſe miraculose & extraordinarie creata & producta, &, quam diu ipsi libuit, illis pro signis & symbolis gloriosis gratiosæ suæ præsentiæ uti, conservata, postmodum iterum procul dubio in nihilum redacta: neque necesse*

cesse est, ut ultra hæc de illis inquiramus, quia Scriptura non plus de iis nobis revelavit: Extra hanc sapere velle, est periculosum & temerarium. Nobis sufficit, quod teste Scriptura S. Divina שכינה nubes illa fuerit, quæ Tabernaculum & Templum implevit, postquam Sacerdotes arcam eidem intulerant. Vnde non solum tentorium vel sexcentis in locis κατ' ἐξοχὴν משכן, sed etiam Templum, in monte Morijah hunc in finem extructum esse, ipse Salomo 1 Reg. VIII, 13. 2 Paral. VI, 2. testatur, ut Deus ibi habitet. Ita, observante iterum GLASSIO *loc. cit. p.* 1590. *quando* Exod. XXIX, 45. *dicit Deus* שכנתי בתוך בני ישראל *habitatio in medio filiorum Israel,* Chaldæus *vertit: Et collocabo* שכנתי *præsentiam seu majestatem meam in medio filiorum Israel,* 1 Reg. VIII, 12. *Dominus dixit: se habitare in caligine.* Chald. *Jehovæ bene placitum est collocare* שכנתיה *præsentiam seu majestatis apparitionem in Jerusalem.* Dei quoque שכינה perpetuo in templo Hierosolymitano conspicuam fuisse, quam diu Arca Fœderis ibi habitavit, sublata vero arca, hanc quoque שכינה cessasse, omnes fere Judæi pariter, ac Christiani, uno quasi ore affirmant. Secundum enim templum, auspiciis Zorobabelis, a Judæis, ex captivitate Babylonica reversis, conditum, his quinque, Arca Fœderis, Igne cælesti, Vrim & Thummim, Oleo sacro, & שכינה caruisse, inter omnes constat: vide RELANDI *Antiqu. Hebr. P. I. C. VIII. p.* 70. DRVSII *Observat. Lib. XV. cap. XVI. f.* 1474. Licet vero his destituto templo secundo non exigua pristini splendoris pars decessisse videatur, nihilominus ex vaticinio Haggæi Cap. II, 9. גדול יהיה כבוד הבית הזה האחרון מן הראשון gloria Templi hujus secundi major dicenda erat, quam prioris, si in eodem antitypum hujus שכינה, immo, ipsum hujus Incolam, humana vestitum natura, nempe *Jesum Christum*, apparuisse perpendimus. vid. Ven. D. DEYLINGII *Observat. S. P. III. obs. XXI.* Hic enim fuit vera arca & ἱλαστήριον, Hebr. IV, 16. (iterum DEYLING. *loc. cit. P. II. obs. XLI.* item *P. III. obs. XLVI.*) ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος, non in nubibus, cerimoniis, umbris, velut inter Cherubinos, sed vere, essentialiter & σωματικῶς, Col. II, 9. super hunc Spiritus S. habitavit, Jes. XI, 1. LXI, 1. Hic suam שכינה ita habuit inter homines, ut Johannes de illo prædicet: ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν, Joh. I, 14. In hoc itaque fuit vera σκηνὴ & שכינה, quam illa in priori templo repræsentavit, qua Christus ad templum suum venit, Mal. III, 1. Luc. II, 22. Marc. XIV, 49. & in carne gratiose se manifestavit, 1 Tim. III, 16. Confer. FRISCHMVTHI *disp. de gloria Templi secundi,* GOODWINI *Mos. & Aar. L. II. c. I. §. XXIV.* LYNDII *loc. cit. L. I. c. XIV. §. 7. f. 66 sq.*

§. VII. *Probatio ex* Psalm. XVIII, 10.

Ex his itaque dictis satis clare ac perspicue patere existimamus, Deum caliginis incolam recte salutari. Dixit id non solum Salomo, sed dudum pater ejus, Davides, Divino agitatus veritatis spiritu, testimonio suo comprobavit. Hunc enim amice cum eodem conspirare discimus, dum Psalm. XVIII, 10. evolvimus, & Davidem, hæc de Deo fatentem, percipimus: וערפל תחת רגליו *caligo sub pedibus ejus* fuit. Cum recte omnino BASILIVS de Psalmorum libro dixerit: ἐνταῦθα ἔνι θεολογία τελεία, *hic reconditus est perfectæ Theologiæ thesaurus: Homil. in Psalm. I. Tom. I. p.* 109. quandoquidem *universam omnino doctrinam cælestem tradit, adeo quidem copiose, ut nihil eorum, quæ credenda, facienda, & speranda in toto Codice traduntur, reliquum faciat,* ut graviter admodum Præses noster loquitur, in *Introduct. ad Lib. V. T. P. II. c. III. §. VII. p.* 113; hic quoque Psalmus de Divina majestate, potentia, sapientia, justitia, misericordia, de hominis statu miseriæ & gratiæ, aliisque doctrinæ cælestis capitibus, solidissime nos instruit. In eo nunc est Davides, ut Deo pro exhibitis sibi beneficiis, & ereptione ex omni totius vitæ periculo, gratias decentes agat, & Divinam clementiam pia mente lætoque ore cele-

celebret. Multi quidem, quod non ignoramus, cum AVGVSTINO, hunc Psalmum de Christo, & quidem resurgente, ducti in primis Apostoli ad Christum applicatione, Rom. XV, 9. Hebr. II, 13. interpretari solent. Postquam vero hujus Psalmi titulus & conclusio vers. 51. Davidem de propriis suis calamitatibus locutum esse declarent, & auctor hujus Cantici vers. 22. seqq. studium & progressum pietatis promittat, quae quidem in Christum non quadrant, quippe qui, propter inhaerentem ἀναμαρτησίαν, quotidianis pietatis incrementis opus non habebat, malumus cum aliis hunc Psalmum πρώτως, & secundum sensum literalem, non de Christo, sed de Davide interpretari. De cetero sensu mystico & typice ad Christum hunc Psalmum aliquo modo commode applicari posse, & multa de Christo & Ecclesia, mystico ejus corpore, eodem contineri, non negamus. Certum enim est, Davidem, etiam in calamitatibus, & ex iisdem liberatione, Christi typum praebere. Recte adeo GESNERVS *in Comment. ad Psalmos David. f.* 164. edit. Vitemb. 1609. ad hunc Psalmum scribit: *Davidis res ita comparatae sunt, ut nusquam fere solae, sed semper cum Christi rebus & officio junctae ac permixtae inveniantur, eo, quod Davides Christi typum gerit.* Condidit Davides hoc ἐπινίκιον εὐχαριστικὸν finito cum hostibus proelio, & decurso fere fidei vitaeque stadio, quod historia 2 Sam. XXII. demonstrat: idque hoc ordine, ut primum calamitates, quas expertus est, postea vero Dei auxilium validissimum describeret. Hoc Jehovae auxilium, quo eo magis extolleret, magno verborum pondere, selectisque sermonis emphasibus, יהוה cum caelorum fragore, & tremendo terrae motu, orta tempestate tristissima, auditis tonitrubus, emissoque fulgure, adventantem sistit. Huic gravi, & majestati Divinae convenienti, descriptioni densissimae sub pedibus ejus caliginis vers. 10. mentionem injecit: וערפל תחת רגליו *& caligo sub pedibus ejus* fuit. Ante omnia quaestio movetur: An revera Deus in ejusmodi caligine Davidi, contra hostes pugnaturo, visibili specie adstiterit, hac sua caligine, tanquam praesentiae suae symbolo, terrorem hostibus incusserit, atque hoc modo eosdem in fugam conjecerit? Inter alios praecipue SAL. GESNERVM, ad hanc quaestionem affirmando respondentem, habemus, *loc. cit. f.* 168. *Tametsi*, inquientem, *in historia Davidis non recitatur ejusmodi liberatio, facta per fulmina & tempestates, id tamen non satis est causae, quod id factum esse negare velimus: praesertim cum 2 Sam. XXI. quod immediate hunc Psalmum antecedit, quatuor commemorentur acerrima praelia, cum Philistinis commissa, quae brevissime saltem recitantur, modo & ratione reportatae victoriae non satis expressa. Ac cum ipsa historia commemoret, Davidem jam senio confectum, viribus debilitatis, imparem fuisse insolitae magnitudini & robori gigantum Palaestinorum, dubium non est, quin isti gigantes Raphaitae divina potentia sint contusi.* At vero dubium omnino poterat esse de tempestatibus ortis, emissis fulminibus, & apparitione Dei in caligine, praesentiae suae symbolo, ad supprimendos hostes, si consideretur, nullam hujus miraculi unquam mentionem fieri, nec volam aut vestigium in omnibus Davidis bellorum & victoriarum recensionibus apparere. Cum enim alias, quoties praeter ordinem per miracula hostes fuerunt victi, distincte ac perspicue singula consignari voluerit Deus, credibile vix esse potest, omnia haec, notatu dignissima, silentio fuisse occultata & plane omissa, si re vera ita gesta & peracta essent. Vt adeo satis causae id nobis videatur, quare ita factum esse, si non simpliciter negemus, saltem adhuc dubitemus. Interim tamen non negamus, saepius Davidem a Deo robore fuisse armatum, Deum eidem singulari modo, v. g. 2 Sam. V, 24, 25. &c. gratia sua affuisse, hostes ejus gigantes per Davidem, ejusque debiles & exiguos milites, vicisse, atque hoc ipso magnum & admirandum potentiae suae exemplum Deum dedisse, hoc utique lubentes concedimus. Quod vero Deus tonitrubus Philistaeos, ut olim tempore Samuelis, 1 Sam. VII, 10. vicerit, & immediate in caligine, ut olim contra

Aegy-

Aegyptios, Exod. XIV, 20, 24. pugnaverit, tacente Scriptura S. & nos affirmare religioni ducimus. Senio confectum Davidem cum Philistinis pugnasse verum est: at, quemadmodum Davides, cum נַעַר, adolescens debilis, adhuc esset, Goliathum vicit, 1 Sam. XVII, 33, 49. quid obstat, quo minus eidem Deus mediate per manus suosque milites, nec immediate in caligine adstans, atque fulgura & tonitrua in hostes vibrans, Philistæos subjugaverit? Nihil etiam inde gloriæ & majestati Divinæ decedere metuendum est. Optime locum hujus Psalmi nostrum explicari posse confidimus, si, cum eodem GESNERO, Davidem vers. 10. retro ad historiam liberationis ex Aegypto, Exod. XIV, 24. quo beneficio Ecclesia omnium temporum sese consolari consueverit, respexisse, contendamus. Illud præterea huic observationi adjicere liceat, quod Davides vers. 10. quo Deum caliginis incolam ait, ad Dei super montem Sinai adventum Exod. XIX, XX. remittere nos videatur. Hæc dum meditamur, GEIERVM volventes, nobiscum sentientem legimus atque scribentem in *Comment. ad Ps. Dav. f.* 236. *ad h. l. Iterum* (ut vers. 9.) *alludit* (Davides) *ad descensum illum Dei majestaticum in Sinai*, Exod. XX, 21. Deut. IV, 11. *ubi circa montem, ad medium usque cæli exardescentem, dicuntur fuisse tenebræ, nubes*, וערפל *& caligo.* Nec adeo alienus est ab hac interpretatione ipse GESNERVS, ut potius l. c. scribat: *Simpliciter hic statuimus, Davidem in descriptione tempestatis notare, cælum nubibus subito obductum, Deique præsentiam certissimo argumento ostensam fuisse: qualis erat illa præsentia in monte Sinai*, Exod. XIX. *ubi densissima nubes montem operuit, & Dominus sese in cacumen montis demisit, ad colloquium cum Mose.* Sensus itaque hujus loci huc forte redibit, ut indicet, hostes, cum quibus bella gesserit, terrore fuisse agitatos, æque ut Israelitas ad conspectum caliginis in monte Sinai, Exod. XX, 19. & suppressos, ut Aegyptios Exod. XIV, 20 sq. prope mare rubrum. Immo vero, si quis sensui literali inhærere, atque hæc omnia in bellis Davidicis, *orta caligine*, gesta fuisse, defendere velit, nec adeo absurdam, aut nimis longe petitam, explicationem tueretur, si hæc ad nubem, in qua Deus super arcam habitavit, applicaret. Exinde, quod *caligo sub pedibus* Dei fuisse dicitur, argumentum erui posset. Notum enim est, Arcam Fœderis ideo, quia Deus super eam habitavit, הדום רגלים *scabellum pedum* Dei, 1 Paral. XXVIII, 2. & alias appellari: conf. FLACII *Clavis* in voce: *scabellum.* Caligo itaque, forte ideo sub pedibus Dei fuisse dicitur, quia in scabello pedum se conspiciendam hostibus exhibuerit. Illud etiam huic sententiæ patrocinari videtur, quod vers. 11. רכב על־כרוב *Cherubino insidens* sistatur: Deus enim se præsentem futurum ex arca, superna in nube e medio Cherubinorum, qui in operculo arcæ fuerunt, promisit, Exod. XXV, 22. Lev. XVI, 2. & re ipsa Num. VII, 89. præstitit. Vnde non uno in loco Deus nomen accepit ישב הכרובים *sedentis vel habitantis inter Cherubinos*, ut BVXTORFIVS observavit *Exercit. de Arc. Fœd. p.* 9. 104. conf. *Psalm. XXC,* 2. *XCIX,* 1. 1 *Sam. IV,* 4. &c. add. LVNDIVS *loc. cit. L. I. c. XIII. f.* 58 *sq.* IOH. CHRISTOPH. WICHMANNSHAVSEN *Disput. de operculo Arcæ Fœd. propitiatorio pag.* 27, 33 *sq.* WITSII *Miscell. T. I. L. II. Diss. I. p.* 440. Accedit, quod Israelitæ, bella gerentes, Arcam Fœderis sæpissime castris suis inferre consueverint, &, hac præsente, hostes feliciter vicerint. Ideo arcam hanc ארון עז יי *arcam fortitudinis Domini* 2 Chron. VI, 41. Psalm. LXXVIII, 62. CV, 4. CXXXII, 8. salutari, BVXTORFIVS *loc. cit. p.* 3. non male judicat, quod Deus per eam, fortitudinem & potentiam suam exercuerit in bello. Super hanc arcam, Deum in columna nubis habitasse, ante demonstravimus. Hanc vero nubem, quam præsentiæ suæ symbolum sibi gratiose fecerat, quoties singulare justitiæ, potentiæ & majestatis suæ specimen edere constituerit, mirum in modum caligine fuisse repletam, varia, partim ante excitata, loca demonstrant. Insignem itaque probabilitatis gradum hæc explicatio attingit, si quoque per ca-

liginem ſub pedibus Dei, nubem illam, denſiſſima interdum in prælio *caligine* impletam, Davidem indicare voluiſſe, ſtatuatur. Fieri hoc modo potuit, ut, quoties hoſtes tenebras & caligines nubis, inter Iſraelitarum caſtra apparentis, aſpexerint, excœcati fere, omnique uſu lucis deſtituti, in tenebris erraverint, terrore concitati, Jud. VII, 9 ſq. 2 Reg. VI, 18. capti, &, ſi non occiſi, certe ad perpetuam captivitatem damnati fuerint. Deus non ſolum quoad pedes, ſed quoad totam eſſentiam in *caligine* habitaſſe verſ. 12. nos edocet: ישת חשך סתרו סביבותיו סכתו חשכת־מים עבי שחקים *poſuit tenebras latibulum ſuum, circuitus ſuos tentorium ſuum, tenebræ aquarum nubes cælorum*, ut adeo, quaſi dux exercituum, in medio Iſraeliticorum caſtrorum, in tenebris, tanquam in tentorio ſuo, habitaſſe indicetur. Voce ערפל ejusmodi caliginem indicari, quæ omnem oculorum uſum ambulantibus adimat, & proinde varias miſerias iis efficiat, loca parallela teſtantur. Tenebricoſis ſemper caliginibus maria, propter crebriores exhalationes, tegi, ut quaſi nubes perpetuo iis incubare videatur, & proxime adjacentia loca velare, conſtat: has tenebras Spiritus Sanctus ערפל Job. XXXVIII, 9. appellat. Unde adeo Deus dum res, in reconditis locis geſtas, deſcribere vult, eas in ערפל eſſe dicit, Job. XXII, 13. aut quoties craſſiſſimam, ut ita loquar, gentium ignorantiam innuere vult, ערפל populos tegere Jeſ. LX, 2. ait; aut quoties omnis generis miſerias, ærumnas, pericula, calamitates, quibus homines immorigeros miſere caſtigavit, in compendio exhibere cupit, *diem nubis & caliginis* יום ענן וערפל ſe iis immiſſurum, Joel. II, 2. Zeph. I, 15. lucem in ערפל mutaturum, Jer. XIII, 16. minatur, & tempus ſummæ miſeriæ יום ענן וערפל fuiſſe Ezech. XXXIV, 12. fatetur. Ex his, quæ adduximus, locis, Deum non ſolum ענן & חשך, ſed, quoties ſignificatum intendere vult, ערפל adhibere diſcimus. Quæ quidem ſi ad locum, quem conſideravimus, rite applicentur, non exiguam lucem eidem afferent, & partim tenebras, quæ hoſtes terruerunt, ut liberationis Davidicæ *cauſam*, partim etiam hoſtium, quæ inſecuta eſt, ſtragem & miſerias ineffabiles, ut ejus *effectum*, eo felicius demonſtrabunt.

§. VIII. *Probatio ex* Pſalm. XCVII, 2.

Atque ſic Davidis effato *Deum caliginis incolam*, nos ſatis quidem valide probaſſe confidimus. Reſtat, ut ad aliud, quod ex Pſ. XCVII, 2. nobis ſuppeditatur, argumentum deſcendamus. Hæc vero ibi leguntur: סביביו ענן וערפל *in circuitu ejus nubes & caligo* conſpiciuntur. In eo plurimi conveniunt Interpretum, quod hic Pſalmus vaticinium de Chriſto, & ejus regno, contineat. Quod cum ex aliis argumentis, tum ex Apoſtoli teſtimonio, Hebr. I, 6. probaverunt. Unde CALOVIUS in *Bibl. Illuſtr. Tom. I. f.* 1075. hunc locum ſtrenue contra GROTIUM defendit, & non ſolum applicationem, ſed ſolidam demonſtrationem Deitatis Chriſti ab Apoſtolo ex hoc Pſalmo inſtitui, luculenter docet. Pſaltes thefin ſuam verſ. 2. יהוה מלך *Jehovah regnat*, ita probat, ut ante omnia Regis majeſtatem exponat, ita quidem, ut primum ענן וערפל סביביו *nubem & caliginem circa eum eſſe* ſcribat. His verbis Prophetam ad horrendam illam caliginem, tempore promulgationis Legis in monte Sinai ortam, qua non ſolum ענן Exod. XIX, 16. XXIV, 15, 16. ſed & ערפל Exod. XX, 21. Deut. IV, 11. V, 19. circa Deum fuiſſe confirmatur, reſpexiſſe, cum GESNERO, CALOVIO, plerique exiſtimant. Nec male: quandoquidem Stephanus Actor. VII, 38. Chriſtum, cujus regnum hoc Pſalmo deſcribitur, ibidem, בענן וערפל *in nube & caligine* apparuiſſe, atque legem promulgaſſe, non obſcure indigitavit. Huic tamen explicationi hoc adjiciamus, ut Pſaltem non ad ſolam hanc apparitionem Chriſti, *in nube & caligine* tantum, ſed ad omnes omnino Meſſiæ revelationes, reſpexiſſe contendamus. Fuit ענן סביביו *nubes circa Regem* noſtrum Jeſum Chriſtum in monte, Matth. XVII, 5. Marc. IX, 7. cum aſcenderet in cælos, καὶ νεφέλη ὑπέλαβον αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν, Act. I, 9. in

in nube redibit ad judicium extremum, tunc ὄψονται τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἐρχόμενον ἐπὶ τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ, Matth. XXIV, 30. conf. Dan. VII, 13. Apoc. XIV, 14. Habent cives ejus nubes, quæ justitiæ pluviam emittunt, Jes. XLV, 8. sub quibus aeque, ut olim Israelitæ, Psal. CV, 39. tuto delitescere, Jes. IV, 5. queant. Rex noster præterea ערפל in circuitu habet, qua caligine armatus, ex justo judicio impiis dies ענן וערפל *nubis & obscuritatis*, Joel. II, 2. immittit, ut dies adventus sit ענן וערפל *nubis & caliginis*, Zeph. I, 15. Temperare nobis non possumus, quin GEIERI luculentam explicationem inseramus, *in Comment. ad Psalm. David. ad h. l. f.* 1684. scribentis: *Pertinet & hoc* (nempe ערפל) *ad describendam Dei majestatem plane tremendam, ac impervestigabilem, ita, ut terror & consternatio incutiatur, cuivis appropinquaturo; siquidem, ut lux notitiæ & gaudii, ita caligo horroris ac ignorantiæ ut plurimum solet esse symbolum, unde & dies* ערפל *pro infausto terrificoque solet poni*, Ezech. XXXIV, 12. Joel. II, 2. Zeph. I, 15. *Atque hac de causa etiam descendente Deo in Sinam*, Exod. XIX, 9. XX, 21. XXIV, 16. Deut. IV, 11. Hebr. XII, 18. *circa montem, ad medium usque cæli exardescentem, dicuntur fuisse tenebræ, nubes*, וערפל *& caligo, occultandæ velut majestatis, arcendæque curiositatis causa, ferme sicut Regum Magnatumve conclavia* tapetibus vel aulæis *obduci solent, nec temere cuivis pateat accessus vel introspectio.* Sedet Rex noster in *caligine*, tanquam in tribunali suo, ut ex eo leges civibus ferat, Exod. XIX, XX. ut casus dubios decidat Exod. XVIII, 23. Num. XXVII, 5. Locutus est mysteria, quæ quasi caligine obtecta, non nisi ab Apostolis capiuntur, Matth. XIII, 9. ut hi postea σοφίαν θεοῦ ἐν μυστηρίῳ τὴν ἀποκεκρυμμένην, 1 Cor. II, 7. nobis revelarent, quæ explicatio est HIERONYMI in *Ezech. cap. XL.* *Caligo* fuit circa Christum, qui est Rex a cælesti suo Patre in monte sancto constitutus, Psalm. II, 6. cum, e cruce pendens, intensissimos dolores pateretur, tunc enim σκότος ἐγένετο ἐπὶ πᾶσαν τὴν γῆν, Matth. XXVII, 45. multasque caliginis explicationes exhibet LORINVS *Comment. in Psal. Tom. II. f.* 819. Non sine causa Psaltes ערפל cum ענן conjungere videtur, ut scilicet utroque cives suos, æque ut olim Israelitas, Exod. XIV, 10 - 24. Regem defendere ac tueri declaret.

§. IX. *Conciliatio phraseos:* Deus in Luce habitat.

Ex his itaque, quæ diximus, *Deum Caliginis incolam* esse, satis clare patebit. Huic tamen sententiæ Davides, Psalm. CIV, 2. Paulus, 1 Tim. VI, 16. Johannes, 1 epist. I, 5, 7. contradicere videntur. Illi enim Deum *Lucem esse, in Luce habitare, Luce se vestire*, clare & perspicue affirmant. At vero in salvo res est, & hi amice omnes inter se conspirant, modo ipsam *divinam essentiam*, ab ejusdem visibili, externa, & accessoria habitatione, & *præsentiæ symbolo*, probe distinguamus. Symbolum enim externum præsentiæ divinæ est ערפל *caligo*, ipsa vero essentia Dei, quæ eandem inhabitat, est אור *lux*, non sine pondere & causa ita denominata. Hæc mens fuit LORINO, *loc. cit. Tom. I. f.* 231. dum lucem, in qua Deus habitare dicitur, cum GREGORIO & HIERONYMO, de Deo *secundum se* exponi debere scribit. Solide & nervose GLASSIVS in *Philol. Sacr. L. V. Tr. I. cap. VIII. p.* 1613. loquitur: *Quando Deus Lux dicitur* 1 Joh. I, 5. *majestas, sanctitas, perfectio, & beatitudo ejus notatur, sicut luce cælesti, ad nos transmissa, nihil pulchrius & clarius, nihil purius est, nihil magis lætificat.* Audiamus ABARBENELEM ita disserentem: *Deus Benedictus in Scriptura cognominatur* אור *Lux, sicut dicitur* Psalm. XXXVI, 10. *Quin imo non solum Prophetæ cognominarunt Dei gloriam nomine lucis, sed & sapientes Gentiles tradiderunt, quod sit* אור מוחלט *lux absoluta.* Postquam ad PLATONEM & ABVCHAMADI Librum Luminarium Divinorum, provocaverat, ita pergit: *Ex quibus ipsorum dictis liquet, quod Deus benedictus sit Lux absoluta, & aliis omnibus lucem communicet. Et hæc ipsa etiam est sententia*

Kabba-

Kabbalistarum, qui vocant Deum אור קדמון *Lucem primam, æternam,* אור צח *Lucem purissimam,* אור צחצחות *Lucem splendidissimam, quia visum ipsis fuit, nomen lucis melius exprimere, ejus naturam & essentiam, quam alia nomina,* quæ verba exhibet BVXTORFIVS in *Hist. Arc. Fœd. Cap. XIII. p.* 121 *sq.* Id ipsum SANDAEVS non solum non cognovit, sed etiam ex voce trilitera אור mysterium SS. Trinitatis eruere voluit, in *Theol. Myst. p.* 206. Quare vero Deus *Lux* dicatur, præter alios DORSCHEVS egregie his verbis exponit, in *Pentadec. Diss. prælim. ad* I *Timoth. VI,* 16. §. 30. *p.* 19: *Consideretur porro* 1) *admiranda lucis etiam creatæ excellentia & majestas:* 2) *stupenda ejusdem claritas & puritas, tum ratione subjectorum, quibus inest, tum ratione affectionum, quas edit, tum ratione effectorum, quos producit. Perpendatur* 3) *summa lucis efficacia & fœcunditas:* 4) *mira ejus pulchritudo & venustas, & ineffabilis lucis jucunditas, & delectabilitas, & conferantur cum essentia Divinæ lucis, quæ incomparabiliter, & infinities excellentior, purior, fœcundior, pulchrior, jucundior est, quam omnis creata lux, & aliquatenus caliginosa vestigia inaccessæ illius claritatis, & divinissimæ lucis patebunt.* Quomodo vero Deus dicatur in luce habitare, iterum DORSCHEVS loc. cit. explicat: *Hæc* Lux *est ipse Deus, unde* ἀνθρωποπαθῶς *in ea habitare dicitur Deus. Deus enim proprie domum non habet, in qua habitet, sed est in se ipso.* Nec aliter explicat Johannes, qui, postquam I epist. I. v. 5. dixerat: ὁ Θεὸς Φῶς ἐςι, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ ὀυκ ἔςιν ὀυδεμία: eundem Deum v. 7. ἐν τῷ Φωτὶ esse docet. Hic πατὴρ τῶν Φώτων Jac. I, 17. ab æterno generavit Filium, qui est ἀπαύγασμα τῆς δόξης, Hebr. I, 3. quia est נוהרא מן נוהרא *lumen de lumine, Deus verus de Deo vero,* uti a Syris appellatur, in *Rituali* SEVERI, Alexandrini Patriarchæ, *p.* 61. & alibi, ut legimus apud BVXTORF. *loc. cit. p.* 136. Dicitur autem quam maxime φῶς τὸ ἀληθινὸν Joh. I, 9. propter officium suum, quo fungitur. Conf. GLASSIVS *l. c. p.* 1614 *sq.* CHRIST. MATTHIAE *conciliatio dictorum Script. S. L. III.* §. 82. *p.* 97 *sq.* GEIER. *de omnipræsentia Dei Medit.* 30. *p.* 509 *sq.* POLYC. LYSER. *Harm. Evang. c.* 101. *f.* 1867 *sq.* Auctor libri *Cosri p. II.* §. 1. *p.* 77. *edit. Buxtorf. Basil.* DANNHAVER. *Hodos. pag.* 216, 224. &c. Evictum itaque esse credimus, Deum, pro *varietate respectus,* & Lucis & Caliginis Incolam dici posse.

§. X. *Causæ, quare Deus caliginis incola:* 1) *ejus* Incomprehensibilitas.

Illa divina lux cum tanta luce radiet, ut nec mens ulla ullius hominis perfecte *comprehendere* valeat, maluit inter homines in caligine habitare, ut intelligerent homines, Deum æque minus mente, ac caligines oculis comprehendi posse. Huc respicit haud dubie ABARBENEL apud BVXTORFIVM *loc. cit. p.* 123. hæc loquens: *Quemadmodum lucem solis, propter summum ejus splendorem & claritatem, oculus humanus non potest videre, quamvis causa sit, ut res videantur; &, si homo propius & fixe eum intueri velit, oculi ejus percutiuntur & hebetantur, ut nec illud amplius videre queat, quod alias videre potuit: Sic non potest intellectus humanus* apprehendere *Deum, secundum veritatem suam, &, si terminum suum egrediatur, apprehensio ejus confunditur, aut moritur, ut olim* BEN ASSAI. *NB. Vnde in libris Prophetarum dicitur, quod sit velum separans circa lucem divinam, & quod sit absconditam in nube & caligine, sicut David ait: Nubes & caligo circa eum,* Psalm. XCVII, 2. *item: posuit tenebras latibulum suum,* Psalm. XVIII, 12. *Et hoc ipso sensu dicit* Habacuc cap. III. vers. 4. *splendor illius ut lux Solis* קרנים מידו לו *splendores radii a manu ejus sunt ei, & ibi est absconsio fortitudinis ejus, quia lucem a se habet, non aliunde mutuatam, propter summam tamen ejus claritatem & fulgorem, eam absconditam esse, quia scilicet occultatur, & absconditur ab oculis hominum.*

§. XI.

§. XI. 2) *Ejus* Invisibilitas.

Supra, GEIERVM audivimus observantem, Deum, sicut Reges & Magnates aulæis conclavia obducentes, in caligine habitare, ne temere cuivis pateat accessus aut introspectio. His verbis haud obscure inter causas, propter quas in caligine Deus habitet, ejus essentiæ *invisibilitatem* referendam esse insinuavit. Est enim Deus *ἀόρατος*, 1 Tim. I, 17. qui de se ipso testatur: לא יראני האדם וחי *Nullus homo me videbit, & vivet*, Exod. XXXIII, 20. Bene sentit Auctor *libri Cosri P. IV.* §. *III. pag.* 277 *sq.* dum scribit: *Qui visum habet debilem, non videt, nisi veluti lucem subobscuram & exiguam, qualis est inter duas vesperas; instar vespertilionis, cujus oculi sunt lippi vel suffusione laborant, non videt nisi umbram; qui visu pollet acri & forti, videt quidem solem, sed solem ipsum, pleno fulgore splendentem, nullus oculus intueri potest: si quis id facere pertinacius tentaverit, excæcabitur. Atque hæc propria illa gloria Domini, regnum Domini, & majestas Domini, quæ nomina lex divina usurpat.* Hinc itaque caligine se cinxit. Caligines enim prohibent, quo minus ea, quæ iisdem occultantur, conspici possint. Vnde Spiritus S. res absconditas, & a nemine visas in ערפל jacere, Job. XXII, 13. & *κρυπτὰ τοῦ σκότους* esse, 1 Cor. IV, 5. dicit. Egregie illustrare possumus exemplo Mosis. Si enim ejus facies usque adeo radiavit, ut filii Israelis non potuerint intueri in faciem ejus, 2 Corinth. III, 7. & ideo ipse velo eandem tegere cogeretur, quia timuerunt eum accedere: Exod. XXXIV, 29 sq. multo magis Deus, postquam inter Judæos singulari modo habitare constituerat, in caligine habitare voluit, ut inde colligeremus, neminem ejus essentiam spiritualem oculis corporeis, nisi per miraculum eleventur, videre posse.

§. XII. 3) *Ejus* Majestas.

Merito ad causas excellentiam & *majestatem* Divinam referri arbitramur. Nec vero nego, nec nescio, BVXTORFIVM *loc. cit. cap. XIII. p.* 119. LVNDIVM *loc. cit. L. I. cap. X.* §. 17. *f.* 41. aliosque, gloriam Dei, in qua Deus apparuit, proprie de igne, luce, & fulgore ex eo radiante, accipere, atque hanc maxime gloriosum apparentis illic Dei symbolum fuisse, asserere. Quam tamen observationem, etsi suo loco relinquamus, nihil roboris sententiæ nostræ derogare, judicamus. Quoties enim Deus singulare majestatis suæ specimen edere voluit, in densa caligine apparuit populo suo. Præstat ad solemnem promulgationem legis, e monte Sinai factam, respicere, de qua LVNDIVS hæc observat *loc. cit.* §. 3. *f.* 37: *Da Gott, bey Offenbarung des Gesetzes, seine Herrlichkeit sonderlich majestætisch, und erschrœcklich wolte sehen lassen, da wird sonderlich von der Wolcke gesagt, daß sie sehr dunckel und erschrecklich anzusehen gewesen, wie Finsterniß und Dunckel* &c. Juvat iterum ad GEIERI verba, *loc. cit. f.* 1684. supra excitata, respicere, quæ hæc erant: *Pertinet* ערפל *ad describendam Dei majestatem plane tremendam, ac impervestigabilem, ita, ut terror & consternatio incutiatur cuivis appropinquaturo* &c. Liceat huic VILLALPANDVM addere, hæc scribentem, *in Ezechiel. Tom. II. P. II. cap. XXXIV. f.* 308. *lit. A. Nubem ad* majestatis *gloriam & indicandam præsentem, & ab humanis oculis contegendam, aptissimum fuisse instrumentum censebimus.* Quod quidem argumentum pluribus exemplis & testimoniis illustrare & confirmare facile possemus, si per temporis, in quod incidimus, angustiam liceret.

§. XIII. *Plures causæ recensentur.*

Hæc ipsa vero causa est, quæ nos movet, quare nec aliis causis eruendis aut investigandis nunc insistamus. Sunt, qui Deum ideo in caligine habitasse ajunt, ut mysterium *incarnationis* Jesu Christi indicetur: ut genti Israeliticæ, alias ad *idololatriam* quam maxime proclivi, omnis occasio hujus sceleris præscindatur, quod metuendum omnino erat, si Deus sub

 forma

forma creaturæ apparuisset, quandoquidem illum pro Deo colere, aut simulacrum ejus fingere potuissent: ut *œconomia veteris fœderis* declaretur, quo sub umbris & typis colendus erat Deus: ut pii intelligant, sibi etiam *caligines miseriarum* & tenebras crucis imminere: ut cognoscamus potentiam & sapientiam Dei, secundum quam nos Deus in illa tempora reservat, ut sæpius in *tenebris ambulare* videamur, nec exitum viarum nostrarum videamus, donec tandem hæc ipsa Dei gratia ad felicem finem omnes res nostras dirigat. Has, & hujus generis plures, ab aliis allatas, pias meditationes adjicere possemus, si nostri instituti ratio permitteret.

§. XIV. *An Fenestræ in Sancto Sanctorum fuerint?*

Nos, dum *Deum in caligine* super operculum arcæ *habitasse*, & in primo Templo suam præsentiam declarasse, supra vidimus, in nobilem illam incidimus controversiam: An scilicet Deus etiam hoc modo in caligine habitare voluerit, ut nullæ *fenestræ* in Sancto Sanctorum templi Salomonæi fuerint? Nec desunt, qui cum R. IVD. LEONE, *Lib. II. c.* 23. *p.* 152. *de templo Hierosol.* edit. Saubert. LVNDIO *loc. cit. L. II. c.* 6. *f.* 261. aliisque, fenestras omnino in Sancto Sanctorum fuisse affirmant, nec omnino omni fundamento destitutas rationes allegant. Alii contra, cum VILLALPANDO *in Ezech. T. II. P. II. L. IV. cap. XXXIV. f.* 307 *sq.* RELANDO *Antiqu. Hebr. P. I. c. VII. §. X. p.* 68. fenestras ibi fuisse fortiter negant. Hic RELANDVS ad objectionem, quam etiam LVNDIVS affert, e I Reg. VI, 4. petitam, qua חלונים *fenestras* aedi sacræ fecisse dicitur Salomo, respondet: 1) fecisse quidem Salomonem ædi fenestras, non tamen inde effici, in parietibus Sancti Sanctorum fuisse, potuisse enim in fronte Pronai locari. Addit 2) tres contignationes conclavium, ædem sacram proxime cingentium, his fenestris nimium obesse, de quibus I Reg. VI, 5. & 3) tenebras majestati Numinis, quod se in iis habitaturum dixerat, & œconomiæ illorum temporum optime convenire, provocans ad Exod. XIII, 22. XIV, 19. XIX, 16. I Reg. VIII, 11. atque ita 4) majorem inter templum & tabernaculum convenientiam existere. Nec 5) esse, quod quis in tenebris dicat cultum sacrum peragi non potuisse. Eodem enim modo illum in templo peragi potuisse, ac in tabernaculo, in quo fenestræ nullæ fuerunt. Hæc quidem RELANDVS habet. Dum VILLALPANDVS in eo est, ut pari modo fenestras in Sancto Sanctorum fuisse neget, ante omnia 1) dubium, ex I Reg. VI, 4. depromtum, sibi explodendum sumit, ita quidem, ut hoc loco vocem בית *domus* non totum Templum, sed tantum Atria & Sanctum, & reliquas partes, Sancto Sanctorum contradistinctas, comprehendere contendat. Immo, ex hujus capitis vers. 17. probat thesin suam, ubi domus quadraginta cubitorum fuisse dicitur, domus vero illa, cui quadraginta cubiti fuerunt, non complexa est simul oraculum, seu Sanctum Sanctorum, quia alias sexaginta cubiti vers. 2. fuissent. Vocat etiam in partes suas proxime antecedentem vers. 3. quo Porticus ante domum פני היכל הבית fuisse dicitur, at vero hæc ipsa domus, ante quam Porticus immediate erat, erat Templum, Sancto Sanctorum contradistinctum, atque huic ipsi domui vers. 4. fenestras insertas fuisse dicitur. Vt adeo clare pateat, ex hoc loco fenestras in oraculo probari non potuisse. Hoc evicto, 2) addit, si, quæ de tabulatorum seu exedrarum circa templum altitudine, firmis rationibus & testimoniis Sacræ Scripturæ I Reg. VI, 5. & aliorum confirmata sunt, attentius expendantur, nullum superesse videri fenestris in oraculo locum. *Quod si fenestris eguisset pars illa, quid, quæso, inquit, Architectum coegisset, cubicula illa circa oraculum extruere?* Postea 3) absurda quædam ex affirmantium sententia fluere tacite innuit, dum scribit: *Quid quæso fenestris opus habuisset oraculo? An ut videri possent ex superioribus atriorum cœnaculis, quæ ibi latere oportebat? An ut viderent*

rent

rent introeuntes arcam, Cherubinos, & Dei thronum? An vero ut exteriori pulvere conspergerentur interiora, quæ nulli licebat abstergere? Præterea 4) voluntati & œconomiæ Divinæ magis conforme fuisse censet, si fenestras ibi fuisse negetur. Deum supra propitiatorium *in nube* habitare voluisse & caligine, Lev. XVI, 2. unde certum & exploratum cuilibet esse debere ait, id omne, quod propitiatorio inerat, occultum esse debuisse, & omnibus invisum, ipsi etiam Sacerdoti summo, de cujus ingressu in Sanctum Sanctorum, præter alios ritus, Deus indixit Levit. XVI, 11, 12, 13. ut, assumto thuribulo, & positis super ignem aromatibus, nebula earum & vapor operiat oraculum, quod est supra testimonium, ne moriatur. *Sed, quid, quæso, fumus operiret oraculum, si multiplici fenestrarum lumine illustraretur?* Si quis contra 5) quærat: Quid fumo erat opus, si nullum aliud lumen illustrabat oraculum? Respondet ad hoc dubium, rationem petendo a convenientia templi cum tabernaculo. Ibi enim Levit. XVI. sermo est de tabernaculo, quod, quia perpetuis conglutinatis constabat asseribus, & multiplici operiebatur tegumento, Exod. XXVI, 1, 7, 15 sq.: neque in oraculo neque in anteriori domo Sancti habuit fenestras, & nihilominus fumum offerri Dominus præcepit. Conf. SAM. REYHERI *Mathes. Mosaic. pag.* 641. Atque adeo, ad prioris similitudinem, omnino, & in templo factum fuisse confirmat. Ideo vero summum Sacerdotem cum thuribulo in Sanctum Sanctorum ingressum fuisse putat, non ut fumo impediret, quominus radii solares, per fenestras incidentes, tegenda manifestarent, sed ut impediret, quominus in ipso ingressu, aperiendo vela lumen aliquod incideret, & oraculum illuminaret, quod propter reverentiam & loci sanctitatem, tenebris contegendum erat. Cum enim templi & tabernaculi anterior pars candelabro & septenis lucernis, & copiosiore lumine, in templo simul per fenestras, illustraretur, fere impossibile videbatur, ut, ingrediente Pontifice, ac propterea ostii velum & valvas aperiente, reflexum lumen impediretur, ut pars aliqua lucis interiora non illuminaret, atque adeo interiora aliquis videre posset, haud secus quam irradiante quantumvis citissimo fulgoris lumine aliqua cursim conspiciuntur: huic igitur incommodo prouidere voluisse videtur Dominus, fumi nebula, in ipso introitu, thymiamate exusto procuranda. Tandem 6) sententiæ suæ firmum argumentum ex Ezech. XLI, 17. conciliare allaborat. Ibi enim fenestras in Templo fuisse quidem legitur, sed tantum עד־הבית הפנימי *usque ad domum interiorem* nempe Sanctum Sanctorum. Postquam posuerat, quod ante probavit, *loc. cit. cap. XI. f.* 29. in hac visione Prophetæ templum Salomonis in visione oblatum fuisse, & hic demonstraverat ex Neh. III, 1, 8. Jos. XV, 5, 47. & alias, particulam עד, si ad locum referatur, semper finem aut terminum significare, nec quicquam præterea; infert, hic quoque terminum designari, ultra quem non procedat funiculus, pars aut sors. *Atque hac ratione* inquit, *si Ezechielis verba interpretemur, hic erit sensus: Et fenestræ per totam exteriorem domum extendebantur, & usque ad domum interiorem exclusive*, &c. *ne ulla superesse posset dubitandi ratio, subjungit verbum illud: & forinsecus.* Juvat hic REYHERVM *loc. cit.* in partes nostras vocare, qui, *oraculum*, inquit, *in intimiore templi parte adornatum fuit, adeoque nullis fenestris præditum - - in ipso etiam oraculo nullæ fuerunt lampades, unde Salomo in consecratione hujus templi expresse dicit:* יהוה אמר לשכן בערפל *Dominus dixit in caligine se habitaturum*, 1 Reg. VIII, 12. 2 Paral. VI, 1. Hæc ille. Horum argumenta, si paulo curatius consideramus, parum abest, quin in assensum nos trahant, ut horum negantium opinionem propius, quam affirmantium sententiam, veritati accedere fateamur. Quamvis autem id nobis non sumamus, ut in re tam ardua, dubia & incerta, certi quid nostro asserto sta uere, nostramque sententiam, tanquam certam, apodictice & indubitate veram, aliis obtrudere conemur; si quis enim fortiora nobis proferre

 poterit

poterit argumenta, faciles & pronos nos habebit, in nostra deserenda, & altera recipienda opinione: quamdiu autem hæc VILLALPANDI, KELANDI, aliorumque sententia firmo nitetur fundamento, tam diu inde argumentum pro *Dei habitatione in caligine* petere nobis liceat.

§. XV. *Imitatio Diaboli, caliginosam habitationem affectantis.*

Cum *Diabolum* sæpissime perversum & infelicem Divinorum institutorum imitatorem fuisse inter omnes constet, hic etiam detestandum ejus Deum immitandi, hominesque misere decipiendi, studium satis deprehendimus. Hic enim princeps tenebrarum, postquam Deum, qui lux ipsa est, in caligine habitaturum intellexerat, se pariter *in caligine habitare* hominibus persuasit, atque adeo, ut ab iisdem in tenebris & caligine colatur, impetravit. Ex innumeris testibus, quorum nubem facili negotio excitare possemus, nunc IOH. OLDERMANNVM producemus, *in Diss. de specularibus veterum C. I. §. II. pag.* 4 *sq.* scribentem: *Quædam earum* (nempe ædium, quas gentes, postquam architectura coli cœpit, extruxerunt) *plane clausæ non nisi lucernis illuminabantur; aliæ uno alterove exiguo foramine lumen admittebant. Primi generis fuere Delubra & Adyta Gentilium vetustissima, undique clausa & tecta. Quam ob rem recte in Etymologico Magno* SYLBVRGII *nuncupantur οἶκοι σκοτεινοί. Ad hunc usque diem templa Gentilium pleraque in Sina & regno magni Mogolis pro veteri more fenestris carent. De iis* DAPPERVS: *„Die Pagoden „sind finstere Lœcher, darein kein Licht kœmmt, als „durch die Thüre, sintemahl sie keine Fenster haben.“ Ejusmodi olim fuerunt non pauca Americanorum templa.* Immo vero, ut eo magis in caligine habitaturus malus ille genius videretur, sacra in densis *lucis* & sylvarum tenebris sibi peragenda ordinavit. Quod adeo manifestum est, ut IOH. GOTTLOB NIMPTSCH in disput. *de Sacris Gentium in montibus* sub præsidio FRID. GOTTH. FREYTAG habita, §. *VII. pag.* 9 *sq.* scribere nullus dubitet: *Lucos ab Aegyptiis, Græcis, Romanis, veteribusque Germanis plantatos, & variis ritibus Diis consecratos fuisse, tam notum est, ut rem sine dubio supervacaneam ageret, qui eorum exemplis diutius immoraretur.* Neque adeo nos iisdem diutius immorabimur, quandoquidem hic ante aliquot annos DIETER. DRESLERVS, olim *Aegyptios, Græcos, Romanos*, & *Germanos* in lucis & caligine sylvarum Deos suos coluisse, solide demonstravit, *in Disp. de lucis religioni Gentilium destinatis* Lips. 1720. hab. §. *IV. p.* 7 *sqq.* Huic autem malo ex orco genio non solum in locis caliginosis, sed etiam, tempore tenebrarum, nocturna festa ipsi destinata & celebrata fuisse legimus. Quis est, qui *Aegyptios* pervigilationibus, orationibus & sacrificiis nocturnis integras interdum noctes, præsertim in Mysteriis Isidis, consumsisse, ignoret? uti tradit APVLEIVS *Lib. ult. Milesiar.* item OVIDIVS *L. I. Amor. Eleg.* 8. Nec non *Græci* cum aliis festis, Sacra Eleusinia Cerealia, Cotyttia, Bacchanalia, Panathenæa, Vulcanalia, Promethea, Athenis & alibi nocturno tempore facibus ac tædis accensis, turpissimisque sceleribus peractis, peregerunt. Conf. MEVRSIVM *de Festis Græc. L. VI.* THEOPHRASTVM *de Charact. Ethic. c.* 4. PFEIFER. *Antiqu. Græc. L. I. c.* 43. *p.* 105. Celebrarunt *Romani* in caligine Bacchanalia sua, quæ, etsi primis temporibus quoque diurna fuerint, postea tamen in nocturna mutata esse, ALEXAND. AB ALEXANDRO tradit, *in Genial. Dieb. Lib. VI. c.* 19. add. BLONDI FOROLIVIENSIS *L. II. de Roma triumphante* AELIAN. *V. H. L. III. c.* 41. ROSINI *Antiqu. Rom. L. IV. p.* 416. ut alia copiosius a IOH. GEORG. WEBERO exposita, *in Diss. de Sacris Nocturnis breviter delineatis*, silentio prætereamus. Hæc & alia plura, Diabolum quoque, in caligine habitare voluisse, sufficienter demonstrare judicamus. Quibus & hoc addi meretur, quod Diabolus responsa sua ex occultis & caliginosis tenebris ediderit. Idem in Delphico contigisse quondam oraculo ex STRABONE, scribente *Auctores certi memorant Divinum ipsum domicilium profundam &*

curvam

curvam speluncam esse, non admodum late patentem ore, atque hinc auram reddi sacro afflante Numine, Avus noster GEORG. GREEN quondam observavit, *in Disp. II. de Sibyllis cap. II.* Plura hac de re ANT. VAN DALEN *de oraculis Gentil.* suppeditabit.

§. XVI. *Conclusio.*

Sed pessimum hunc æternæ caliginis incolam mittamus, ad propitium contra *Caliginis Incolam*, Patrem luminis nos convertamus, eidemque pro infinita sua nunc & alias nobis concessa gratia laudes & æternas gratias agamus. Hæc enim ad considerationem *Dei Caliginis Incolæ* in medium attulisse sufficiant. Plura quidem rei dignitatem postulasse non nego, plura tamen afferri temporis angustia, & virium nostrarum imbecillitas denegavit. Nobis interim hic quoque ad augendam Dei nostri clementissimi gloriam & amplificandum ejus honorem aliqua, pro virili, contulisse suffecerit. Huic interim *Caliginis Incolæ* in posterum etiam vias nostras commendamus, studia nostra committimus, & nos totos paternæ ejus curæ tradimus & consecramus.



EPISTOLA PRAESIDIS
DE SCHECHINA
AD
CLARISS. DN. RESPONDENTEM.

Quam proprio Marte elaboratam, cum orbe erudito communicas dissertationem, ex intimis Theologiæ Judaicæ penetralibus haustam, insigni doctrinæ ac ingenii apparatu instruxisti. Præclarum ejus rei documentum præbet, scita illa de *Schechina* tractatio, quam Judæorum implicant ambages, & Christianorum quorundam minus commodæ obscurant explicationes, tu autem nervose & curate delineasti. Non immerito, literaturæ Talmudicæ inter Christianos facile princeps WAGENSEILIVS *ad Sota p.* 83. pronunciat: *quid per* שכינה *Judæi proprie intelligant, explicatu est difficile.* Sunt quidem, qui copiose & exacte satis de illa commentati, totum istud argumentum uberius edisseruerunt, in quibus THEODOR. HACKSPANIVS nostras, *ad Lipmanni Nizzach. c. II. not.* 113 *sqq.* e Reformatis NICOL. FVLLERVS, Anglus, *Miscellan. Sacr. lib. II. cap. IV.* & CAMPEG. VITRINGA *Observ. Sacr. Lib. I. cap. IV.* principatum tenent. Vnde mihi animus nunc non est, actum agere, horumque expilare scrinia: non tamen ab instituto fuerit alienum, rem omnem in compendium mittere, quidque de illa observatum mihi fuit, paucis exponere. Itaque *Schechina* Dei inter homines habitationem designat, sive symbolo aliquo externo conspicuam, sive virtute solum sua & operatione, sese exerentem. Quod perinde fuerit, ac si dixeris, Numen ipsum sanctissimum interdum hoc nomine venire, alias vero symbolum istud, quo præsentem se exhibet Deus. Nec grave est, utriusque fidem facere asserti, quod tamen ordine instituemus inverso. Quando enim Exod. XXV, 8. Deus enunciat: *& faciant mihi Sanctuarium,* ושכנתי בתוכם *& habitabo in medio ipsorum*, vetustissimus interpres Chaldæus ONKELOS, ex gentis suæ disciplina ita vertit: ואשרי שכינתי בתוכם *& collocabo Schechinam meam inter eos.* Pariter, ubi Exod. XIII, 21. in Hebræo est: ויהוה הולך לפניהם *& Dominus incessit ante illos*, Pseudo-IONATHAN habet: ואיקר רשכינתא דיי׳ *& gloriosa Schechina Domini.* Neque frequentius aliud his Pa-

 raphrastis

raphraſtis eſt, quam ut pro: יושב הכרובים *dicere ſoleant:* דשכינתיה שריא בינו כרוביא *cujus Schechina inter Cherubinos habitat*, vel דשכינתיה שריא על מן כרוביא *cujus Schechina ſupra Cherubinos habitat*, 1 Sam. IV, 4. 2 Sam. VI, 2. 2 Reg. XIX, 15. In his, & id genus ſexcentis aliis locis, de ſymbolo intelligo externo, quo præſentiam gratiæ ſuæ Deus manifeſtabat. Sed non cum iis facio, qui integram columnam voce *Schechina* indigitant. Aliud namque eſt vehiculum quaſi ſymboli glorioſi, nubes denſa & opaca, aliud ipſum præſentiæ divinæ documentum, ignis in nube incluſus. Hoc ſymbolo toties Deus eſt uſus, quo præſentiam ſuam demonſtratam daret. Cum Moſen ex rubo ardente vocaret, in igne ſe manifeſtabat Exod, III, 2. Pariter, cum ſenioribus in monte Sina, Exod. XXIV, 10. rurſusque cum Ezechieli, externo ſe veſtitum ſymbolo, conſpiciendum præberet, ignem, ſplendorem ac lucem exhibuit Ezech. I, 4. X, 4. Et quotiescunque *Gloria Domini* apparuiſſe legitur, quod circa promulgationem legis, in conſecratione tabernaculi Moſaici, templorum item Salomonei ac Serubbabelici uſu venit, nunquam ſine igne apparuit Exod. XXIV, 16 ſq. XL, 34. 1 Reg. VIII, 10 ſq. 2 Chron. V, 14. cap. VII, 13. Quo & ignem refero, qui in Apoſtolorum ſive verticibus, ſive linguis coruſcavit, cum Spiritus Dei ipſos ſuo ſe afflare Numine, ſuis inſtruere donis, externo quodam declaratum cuperet elemento Actor. II, 3. Ignis itaque fulgentiſſimi jubar, cum laturus non eſſet oculus humanus, æque ac ad radiantis ſplendorem faciei Moſis hebetabatur, provide illud clementiſſimus Iſraelis ductor & aſſertor, denſa & opaca velavit ac circumdedit nube, ut citra mortalium noxam inter ipſos verſari, & ante ſuum incedere populum poſſet. Vt liquido appareat ex his, quæ dicta ſunt, non univerſam ex nube & igne conflatam columnam, neque nubem ipſam, ſed incluſum eidem ignem, præciſe auguſtum præſentis Numinis ſymbolum præbuiſſe. In quo conſentientes habeo Judæorum Magiſtros. Sapientiſſimus fere illorum, qui primus omnium, SCALIGERO judice, nugari deſiit, MOSES MAIMONIDES diſerte teſtatur, *in More Nebuchim, P. I. cap. 64. per gloriam Domini*, quæ ipſa eſt Schechina, *ſignificari interdum ſplendorem quendam creatum, quem Deus quaſi prodigii, vel miraculi loco, ad magnificentiam ſuam oſtendendam alicubi habitare fecit:* quod ex citatis jam Exod. XXIV, 16. & XL, 35. demonſtrare ſatagit. MAIMONIDIS ſententiam ſub incudem vocans, ABARBENEL *Comment. in Exod. XL, 34. f. 224. col. 1.* ſuo confirmat calculo, inquiens: הנה ביאר שכבוד יי׳ אינו ענן אבל הוא דבר דומה לאש באורו וזוהרו והענן היה סביבו כמו שהעשן הוא תמיד סביב האש וכמו שהלפידים האשיים נראים מתוך העננים היה כבוד יי׳ הדומה לאש בתוך הענן והערפל: *Ecce clarum eſt, Gloriam Domini non fuiſſe nubem, ſed rem igni ſimilem ratione luminis ac ſplendoris ſui. Nubes autem circa eum fuit, velut fumus ſemper eſt circa ignem. Et quemadmodum lampades ignitæ apparent de medio nubium, ita fuit Gloria Domini ſimilis igni, in medio nubis ac caliginis.* Et hactenus quidem de *Schechina*, quando ſymbolum viſibile, gratioſe præſentis τȣ̃ ἀοράτȣ Θεȣ̃, deſignat.

Rurſus autem Deus ipſe eſt שכינה, quando toties ferme pro אלהים vel יהוה, immo pro pronominibus ad Deum referendis, a Targumiſtis vox iſta adhibetur, quoties habitare, aſcendere, deſcendere, tranſire, venire, dicitur, aut aliquid facere corpori proprium, ut naturam corporis, per hanc vocem, a Deo removerent. Ita quando *Schechinam* quieſcere ſuper Prophetas, quin & ſuper homines pios, ad Legem ſcrutandam in unum congregatos affirmant Magiſtri. Prout RIBBI CHELPETHA pronunciavit in *Pirke Abboth cap. III. §. 6.* עשרה שיושבין ועוסקין בתורה שכינה שרויה ביניהם *decem, qui una ſedent & occupati ſunt in Lege, Divinitas quieſcit inter eos:* quod ex Pſalm. LXXXII, 1. evincit; idemque porro, de quinque, ex Amos. IX, 6. de tribus, ex Pſalm. LXXXI, 1. de duobus, ex Mal. III, 16. tandemque

que de uno, studio legis operanti, ex Exod. XX, 24. demonstrare nititur. Eodem sensu Talmudistæ statuunt in Tract. *Pesachim fol.* 56. *col.* I. בקש יעקב לגלות קץ הימים לבניו ונסתלקה ממנו שכינה: *voluit Jacobus* (morti vicinus) *revelare filiis suis, finem dierum* (captivitatis, qua nunc premuntur Judæi) *verum tum recessit ab eo Schechina*, eumque prohibuit, quo minus edisserere hoc mysterium valeret. Huc etiam spectat, quando τὴν שכינה ubique locorum esse tradunt, quod R. HOSCHAIA ex Neh. IX, 6. evincere annisus est: cujus tamen verba, *ex Bava Batra fol.* 25. *col.* I. prolixiora quam quæ commode referri huc possint, integra & cum versione, laudatus ab initio hospes quondam, ac præceptor noster, etiam post fata venerandus, exhibet WAGENSEILIUS. Id enim, nisi de essentia Dei immensa, nullisque locorum spaciis circumscripta, explicare non poteris. Unde recte MAIMONIDES *loco supra cit.* concludit: *nomine gloriæ Dei*, hoc est τῆς שכינה *interdum significari essentiam & veritatem Dei: ut cum Moses Exod. XXXIII*, 18. *ait:* monstra mihi quæso, Gloriam tuam, *qui pro responso audivit* vers. 20. non videbit me homo & vivet: *ex quo apparet, Gloriam, cujus mentionem fecit, nihil aliud esse, quam essentiam Dei, quam honoris causa Gloriam appellavit.* Non me fugit, ABARBENELEM *loc. cit.* in eo Magistrum suum MAIMONIDEM deserere, immo confutare, quod hæc sententia verborum Mosis, tanto Propheta sit indigna, si a Deo precibus impetrare ausus fuisset, verbis istis: *fac, quæso, videam Gloriam tuam*, ut ipsam Dei intueretur essentiam, oculis eam corporeis lustraturus. Modo enim distinxisset ABARBENEL, cum LIPMANNO *in Nizzachon n.* 189. inter שכינה, ipsam Dei essentiam, & inter גילוי השכינה ejusdem per symbolum externum manifestationem, res omnis fuisset in vado. Deum ipsum certe, sive faciem, gloriamque Dei, sed exteriori symbolo vestitam, conspicari cupiebat Moses. Hic omnino planior MAIMONIDAE est explicatio, *cit. loc. lin.* 49 *sqq.* quam ABARBENELIS, qui suam denique expromens mentem, *Schechinam* definit העלול הראשון ממנו יתברך כי הוא התחלת דרכיו וראשית בריותיו *causatum illum primum, ab ipso Deo Bened. productum, quia hic est initium viarum ejus, ac principium creaturarum ejus.* Rursusque, post rejectam MAIMONID. juxta ac R. MOS. NACHMANIDIS sententiam, denuo inculcat *lin.* 53 *sq.* אבל קראו שכינה אותו העלול הנאצל ממנו יתברך ראשונה ולהיותו מכלל הנמצאים וראשית לכלם בקש משה השגתו ונמנעה ממנו בעוד בחיים חייתו כמו שאמר כי לא יראני האדם וחי׳ *Verum Schechinam vocarunt* sapientes nostri majores felicis recordationis, *illum ipsum factum* seu effectum, *emanantem ab ipso Deo Bened. primum. Et quia est ex ordine Entium, reliquorumque omnium principium, ejus Moses quæsivit apprehensionem: quæ denegabatur ipsi, quamdiu adhuc inter vivos ipse viveret: prout dicebat ei Dominus: certe non videbit me ullus homo, dum vivit.* Quæ dubium non est, quin ex vetustissima Judæorum Theologia hauserit ABARBENEL, in qua quæ de Filio Dei, ex Prov. VIII, 22 sqq, recte tradebantur, ipse occæcata & impura mente sua non est assecutus, cum Bileami asina hic elocutus, quæ non intelligebat.

Cum enim Judæi veteres, Christo Servatori, visibiliter in terris versanti suppares, horumque majores, tres in Sacrosancta Deitate ὑποστάσεις diserte agnoverint & venerati sint, quod alias fuse probatur, ultimo demum loco quæritur: Quænam sanctissimæ Trinitatis persona, nomine שכינה ipsis fuerit designata? Vbi quidem, de Filio Dei ὑποστατικῶς id nominis prædicari, nullum relinquunt dubium testimonia illa, quæ Angelum ductorem Israelis per desertum, efferunt voce שכינה. Vnus instar omnium sit mihi testis R. BECHAI, *Comment. in Leg. fol.* 86. *col.* 2. qui in hanc sententiam edisserit: כי השכינה עמהם בכל הגליות ועל זה נאמר ויסע מלאך האלהים שהיתה ישועת היכם על ידו והוא שנאמר עליו כי שמי בקרבו והוא ארון הולי ארץ שהזכיר דוד ואמר מלפני ארון חולי ארץ מלפני אלוה יעקב:

יעקב: *Nam Schechina cum illis, in omnibus exiliis fuit, propterea dicitur de ea: profectus est Angelus Dei* Exod. XIV, 19. *Per quem salus maris ipsis facta est: de eo quoque dicitur: nomen meum est in medio ejus* cap. XXIII, 21. *Is est Dominus tremefaciens terram, de quo David loquitur: coram Domino tremefaciente terram, coram Deo Jacobi*, Psalm. CXIV, 7. Angelum autem illum faciei Domini, qui Israelitas antegressus, ex Aegypto, & per desertum duxit, Filium Dei fuisse, Theologi nostrates passim & ad oculum demonstratum dederunt, e quibus nunc nominasse sufficiat IOH. GERHARDUM *in Exeg. Loc. III. de S. S. Trinitat. myster.* §. 136 *sqq.* Et parum quidem dubii de eo superest. Verum etiam Spiritum S. שכינה appellatum fuisse, R. ELIAS LEVITA haud gravatim largitur, & argumentis confirmat, ita scribitur in *Meturgeman. fol.* 154. *col.* 1. קראו רז״ל לרוח הקדש-שכינה על שם שהוא שכן על הנביאים וכן ותחי רוח יעקוב פירש רש״י שרתה עליו שכינה· *Rabbini f. m. Spiritum S.* Schechinam *vocant, eo quod quiescit super Prophetis. Unde factum, ut quod* in Hebræo Textu Gen. XLV, 27. de Jacobo *dicitur: revixit Spiritus Jacobi*, SAL. IARCHI *interpretatus sit: habitavit super eo Schechina.* Et recte quidem ad illa provocat loca, quæ *Schechinam* super Prophetis quievisse testantur. Nec diffitetur heros, BUXTORFIUS *Lexic. Targum. h. v. p.* 2396. Rabbinos quandoque שכינה & רוח הקדש promiscue usurpare; quod exemplis etiam demonstrat. Quando autem mox subjungit: *alibi* שכינה *&* רוח הקדש *distingui;* ad dubium illud, quod ex eo movet, quod שכינה in quinque illis rebus fuerit, quæ in posteriore templo desiderabantur, quibus tamen רוח הקדש non annumeretur, unde sequatur, רוח הקדש in templo secundo adfuisse, abfuisse autem שכינה, nec adeo unum notare alterum; solide respondet VITRINGA *cit. loc.* §. 4. *pag.* 156 *sq.* qui simul, pro Spiritu S. accipi omnino τὴν שכינה, mascule tuetur. Nec est, quod bene dictis nos adjiciamus. Id unum moneo, quando Judæi *Schechinam* perhibent incubuisse Prophetis, & vaticinandi facultatem impertiisse, Petrum Apostolum signate describere, cujus in divinis Personæ id opus fuerit, testantem, quod ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι ἐλάλησαν οἱ ἅγιοι θεοῦ ἄνθρωποι 2 Ep. I, 22. Non hic me fugit discrimen, quod inter רוח הקדש & inter הנבואה constituunt Magistri, alibi fusius a me expositum, sed nostræ sententiæ id nihil adversatur.

Superest, ut quid *Kabbalistis* notet *Schechina*, quam in *superiorem*, quæ illis בינה vocatur, *prudentia*, & in *inferiorem*, quæ dicitur מלכות *regnum* dispescunt, edisseram: sed vaga illa sunt, ac pro ingenio auctorum incerta, & ab illustri *Kabbalæ Denudatæ* Auctore *hac voc. p.* 711, 715 *sq.* enucleate tradita & congesta, ut his immorari merito supersedeam: maxime cum Epistolæ modum dudum excesserim.

Vela itaque contraho, littusque legens, Deum veneror immortalem, quod tibi quoque, Doctissime ac Pereximie GREENI, magna cum assiduitate sacris literis operam navanti, sua præsto esse שכינה, eaque studia tua juvare, novis indies incrementis augere, & ad istud, quod tenes, doctrinæ culmen provehere dignatus est. Exerit enim in te sese venerandi Avi tui, Parentisque virtus, quorum ut ille in illustri specula positus, aulam Dresdensem ingenti cum laude per plures annos docuit, hic vero divino beneficio adhuc superstes, doctrina, qua pollet eximia, consiliis, vigiliis, laboribusque strenue Ecclesiam juvat, ita tu utriusque vestigia non minori alacritate premis, pluribusque datis speciminibus, quantum orbi erudito virum pollicearis, demonstras. Jamque exemplum coram videre mihi videor illius, quod olim Venusinus Poeta cecinit: *Fortes creantur fortibus, & bonis: Est in juvencis, est in equis patrum Virtus: nec imbellem feroces Progenerant aquilæ columbam:* quoties te, pulcherrimis ausibus ad avitum paternumque decus grassantem, nec lento gradu procedere, sed plenis cursibus festinare, animadverto. Macte virtute ista & con-

contentione animi, quæ ad summa quævis aditum tibi pandit! macte pietate sincera & ἀνυποκρίτῳ, quam non ad pompam & spectaculum, sed ad veritatis divinæ normam, recteque factorum conscientiam exigis atque componis! hanc tibi mentem præpotens servet Numen, tuisque clementissime annuat cœptis, & pro immensa benignitate sua eo te propediem constituat loco, in quo industriæ, doctrinæque in Academiis collectæ, ubertim explicare queas fructus, in Ecclesiæ commodum, tuorum solatium, tuumque ipsius emolumentum. Ita Deus te servet.

III.
יחוף במקום קודש

SIVE

DISCALCEATIO RELIGIOSA
IN LOCO SACRO
AD EXOD. III, 5. ET IOS. V, 15.

Dissertatione Philologica D. II. Jun. CIↃIↃCCXXIX. *eruditorum discussioni proposita.*

RESPONDENTE

M. AVGVSTINO GOTTHELF BARTSCHIO

DOHNA-MISN.

Prooemium.

Tanta eruditæ rituum priscorum indaginis copia est & ubertas, nihil ut in Veterum institutis & moribus adeo videatur abjectum & exile, quod non; rite explicatum, suisque accommodatum locis, aliquam, & sæpe insignem, afferat utilitatem. Quid vilius videri poterat, calceorum vel usu, vel ornatu vel, neglectu, in quo fuse declarando operam ponere, haud aliud fuerit, quam ingenio & otio suo abuti? istud tamen argumentum duumviri, judicio, auctoritate & doctrina præstantes, BENED. BALDVINVS, Ambiensis, *de Calceo antiquo & mystico*, & ANT. BYNAEVS, Belga, *de Calceis Hebræorum*, Lugd. Bat. 4. 1724. post HIERON. SOPRANEM *in Davide, digress. I. de re vestiaria Judæor. cap. VI. pag.* 380 *sqq.* persona sua adeo non censuerunt indignum, ut justis potius commentariis illustrarint. Vicissim ἀνυποδησίαν, sive calcei extractionem, tantum abest, ut neglectim habeamus, ut in doctrinæ apparatu haud postremum illa teneat locum. Vsu nimirum recepta erat I.) in denegata juris Levirorum observantia, ubi divino auspicio & jussu, Deut. XXV, 9, 10. mulier spretæ injuriam formæ ita vindicabat, ut Leviri solveret calceamentum, qui posteritatem fratri, nominisque memoriam excitare recusasset,

fasset, & in eum exspueret, quod extremæ ignominiæ symbolum erat & testificatio: quem ritum copiose tradiderunt Doctores Talmud. *Mass.* יבמות *cap. XII.* MAIMONIDES *P. II.* יד חזקה *Hilcoth* יבום וחליצה *cap. IV.* & R. ISAAC. KARO *in Arba Thurim P. III. cap.* 69. *f.* 40 *sqq.* e Christianis SELDENVS *de uxore Hebræa lib. I. cap. XIV. p.* 96. Hinc inofficiosi ejusmodi fratris ædibus quædam velut infamiæ nota inurebatur, illa ut summo cum opprobrio בית חלוץ הנעל *domus viri, cui calceus extractus fuit,* posthæc audiret. Huic affinis erat II.) usu receptus inter Israelitas, in emtionibus & venditionibus, tradendi & possessionem cedendi modus, ut vir calceum suum solveret, daretque emtori, quo signo rata judicabatur illa juris in alterum translatio, cujus rei exemplum legimus Ruth. IV, 7. quem, a præcedente caute distinxit, & uberius delineavit, ritum, b. D. IOH. BENED. CARPZOVIVS *Coll. Rabbin. in Ruth p.* 191 *sqq.* Porro etiam III.) ad publicam luctus spectabat testificationem, discalceatum foras prodire, ut charorum & necessariorum funera deflentes, velut vestibus ruptis nudum pectus, ita sepositis calceis nudatos pedes ostentarent: quod ex Ezech. XXIV, 17, 23. viri docti demonstrare satagunt. Vid. GEIERVS *de luctu Hebræor. lib. I. cap. XIV.* Vnde quoque inter externa seriæ pœnitentiæ documenta referebatur, nudis pedibus incedere, quod ex Chaldaica paraphrasi 1 Reg. XXI, 27. & ex IOSEPHI testimonio *lib. VIII. Antiqu. cap. VII.* evinci consuevit. Hinc etiam IV.) captivi & victi, vel in exilium migrantes, tam ad inopiam suam, quam ad miseriam & calamitatem demonstrandam, calceis destituti & nudipedes viam carpebant, 2 Samuel. XV, 30. Jes. XX, 2, 3. Denique V.) reverentiæ symbolum erat, divinis omnino auspiciis susceptum, ut in locum sanctum delati, vel ad visibilem Numinis supremi præsentiam, calceos detraherent, nudisque consisterent pedibus. Qui postremus, missis jam superioribus, ritus, nostram nunc exercebit industriam: in quo ita versabimur argumento, ut *Sectione I. Textuali* oracula sacra, quibus ille sua debet incunabula, philologicis observationibus illustremus: *Sectione* autem *II. rituali,* ex antiquitate Hebræa huc arcessamus, quæ ad eundem rite pernoscendum spectare videntur. Faxit Deus feliciter!

SECTIO I. TEXTVALIS.

Illustria duo præsto sunt Scripturæ testimonia, quibus calceorum extractionem, ab ipso imperatam Numine fuisse legimus, alterum, quo Mosi, Exod. III, 5. alterum quo Josuæ c. V, 15. religiosa isthæc injungebatur cerimonia. De utroque seorsim agemus.

Postquam nimirum Moses, *μείζονα πλοῦτον ἡγησάμενος τῶν ἐν Αἰγύπτῳ θησαυρῶν, τὸν ὀνειδισμὸν τοῦ Χριστοῦ,* aulæ regiæ turbis & pompæ se subduxisset, & quadraginta fere annorum moram, in otio & secessu, apud Jethronem socerum suum, sacerdotem Midianis, traxisset, rei pastoritiæ & familiari operam navans, tandem aliquando, non sine provida Numinis directione, cum grege suo ad montem altissimum, Horeb, defertur, ibique vocationem suam, & jussa divina de liberando populo Israelitico capessit. Quod cum mirabili prorsus ac inusitata conjunctum fuit visione. Rubum enim lucidissimis flammis ardere, neque tamen detrimenti quid ex igne capere cernit, hinc spectaculi novitate in admirationem raptus, apud se constituit, propius accedere, & quicquid istius rei esset, coram contemplari. Verum istud a Deo facere prohibitus legitur Exod. III, 4, 5. ubi verba ita habent:

וירא

וַיַּרְא יְהוָה כִּי־סָר לִרְאוֹת *vidit vero Jehova, quod secederet ad videndum*] Verbum רָאָה amplissimam *videndi*, cum compositis, notionem obtinet, & ubi de hominibus usurpatur, partim visionem sensualem, quæ fit oculis corporis, partim mentalem, qualis Prophetis perquam erat familiaris, qui inde quoque רֹאִים *Videntes* audiebant; partim experimentalem notat, quo sensu idem est, ac percipere, frui, experiri. Deo vero, non nisi ἀνθρωποπαθῶς tribuitur, ejusque 1) curatam, fallique nesciam, rerum omnium notitiam, Exod. XXXII, 9. 2) gratiosam approbationem, Gen. I, 4, 10, 12, 18 &c. cap. VII, 1. 3) actuosam providentiam & curam circa homines, vel res creatas Gen. XVI, 13. XXII, 8. 4) favorem ac miserationem, indeque promanantem opem & liberationem Exod. III, 7. Psal. IX, 14. X, 14. &c. & 5) cum affectu opposito, iram & vindictam divinam, designat Ezech. XVI, 50. Hab. III, 6. Hic prima verbi vis locum habet, conjuncta cum quarta, qua interiora mentis verba & animi recessus scrutabatur in Mose, cumque ille apud animum suum dixisset vers. 3. *vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus*, omniscius cordium scrutator, cum perspectissima hæc sibi habuit, juxta Ps. CXXXIX, 2. tum, ut accessus ille cum debita animi reverentia fieret, curavit, & saluberrimo Mosen monito instruxit & præparavit. Vt adeo hæc Dei visio, partim exactam propositi & cogitationum Mosis cognitionem, partim gratiosam, ne irreverenter ac improvide ad hoc mysterium irrueret, sibique sua culpa damnum aliquod arcesseret, curam involvat. Porro, quando in eodem commate recurrit hoc verbum de Mose, secessuro לִרְאוֹת *ad videndum*, hinc ocularem ignis hujus miraculosi lustrationem, hinc curiosam, in modum causasque ejus, inquisitionem involvit, qua inscrutabilia scrutari Moses aggrediebatur. Nomen τετραγράμματον & ἀνεκφώνητον יְהוָה, quod copiosam, & ad rem nostram nihil nunc facientem postulat tractationem, non discutiemus, ad BVXTORFIVM, LVD. CAPPELLVM, b. IOH. BENED. CARPZOVIVM, aliosque complures, qui multo cum eruditionis apparatu, & integris tractationibus, abunde id præstiterunt, remisisse contenti. Velut autem illud Deo vero essentiale, eique cum nulla creatura commune est, quod contra Socinianos, H. GROTIVM, CLERICVM & Reformatos quosdam, dudum solide evictum dederunt Theologi nostrates, ita hoc loco personaliter Filium Dei, Mosi se hoc schemate visibili revelantem, designat. Denique verb. סוּר *recedere, declinare, divertere*, interdum ad animum refertur, eumque, ubi affirmatur, plerumque refractarium & rebellem notat, & paria facit cum cognato verbo סָרַר, proprie autem & primario motum de loco ad locum indicat; & hic quidem, tam de Mosis proposito ac intentione, vers. præc. 3. quam de actu, propioris versus rubum accessus, adhibetur. Si ad terminum a quo referas, Mosen a loco pasturæ suæ, & a grege discedentem, ad rubum ardentem, gradum promovisse innuet: velut R. SAL. IARCHI ad vers. 3. interpretatur: מכאן להתקרב שם *hinc ad propius accedendum illuc:* quanquam usus verbi quoque ferat, ut simpliciter capias, cum versus rubum, mentem gressusque suos intendisse.

וַיִּקְרָא אֵלָיו אֱלֹהִים מִתּוֹךְ הַסְּנֶה *& vocavit eum Deus de medio rubi*] Verbum קָרָא in genere, φωνεῖν, *vocare, clamare* notat, determinate autem, pro ratione circumstantiarum, modum & adjuncta vocationis seu clamoris involvit, atque, ut taceamus reliqua, *partim* clara & sonora voce, præconis ad instar, proclamare, velut vox clamantis in deserto Jes. XL, 3. & cap. LVIII, 1. publica & sonora peccatorum increpatio describitur, *partim* nomine quem compellare, Ruth. I, 20, 21. 1 Sam. III, 4, 6, 8, 10. *partim* imperare, & cum auctoritate aliquid edicere, Esdr. VIII, 21. Jer. XXXVI,

XXXVI, 9. significat. Eaque tria connotata emphasin verbi hoc loco constituunt, ut Deum indicet, & clare ac sonore, & diserto nomine, & cum imperio acclamasse Mosen, eumque vocasse. Socinizat autem hic CLERICVS, quando *Comment. ad h. loc.* clamandi verbo addit: *organo Angeli.* Qui enim apparebat in rubo, idem quoque ex rubo clamabat. Cum ergo יהוה & אלהים apparuisse, a Mose perhibeatur, frustra ministerium Angeli ingeritur. סְנֶה rubus, *dumetum,* ab exoleta Rad. סנה / cujus propago superest apud Arabes سنا *siccitatem, sterilitatem pati*, unde Arabici montis *Sinai* ortum trahit nomen, vel a rubi copia, qua abundat, vel quod lapides in eo inventi, expressam rubi figuram præferrent, adeo quidem, ut etiam in fragmentis lapidum istorum figuræ rubi apparéant, confirmante EPHODAEO, qui testem *αὐτόπτην* se jactat, apud BVXTORF. *in Lex. Hebr. h. v.* Descriptionem Filii Dei Moses ab hoc rubo petit Deuter. XXXIII, 16. ubi שֹׁכְנִי סְנֶה *habitatorem rubi* appellat. Non absurde FRANC. MONCAEIVS *in Histor. apparition. cap. III.* non rubum aliquem unicum & solitarium hic notari perhibet, verum rubetum totum, aut potius fruticetum, rubis, dumis, & id genus stirpibus affinibus, permixtim consertum: quod ex phrasi *de medio rubi* probat, frutice tam gracili nullum, consideratione aliqua dignum quod sit, si solus spectetur, medium habente. De fruticeto itaque condenso aliquo fuerit intelligendum. Vocab. תָּוֶךְ *medium*, sæpe tamen laxiori sensu, *in, intra* notat, nec præcise centrum, seu medium, ab utroque extremo æqualiter distans designat, quin & interdum redundat, vel integro sensu e versione exulare potest, observante SAL. GLASSIO *Philolog. Sacr. L. III. Tr. I. can.* 38. *pag. marg.* 149. Quod hic locum habere censeo. Intra rubum Filius Dei gratiosæ præsentiæ suæ symbolum reddebat conspicuum, adeoque ex rubo, ex hoc symbolo, proclamabat. Simul etiam hoc vocabulum falsitatis arguit ARTAPANVM, qui apud EVSEB. *de Præpar. Evang. lib. IX. c.* 27. hanc apparitionem ita factam fuisse tradit, *ut repente succensus e terra ignis erumperet, qui, tametsi locus, ab omni ligno, aliaque materia igni pascendo apta, vacuus esset, ardere tamen non desineret. Quo prodigio Moses, cum exterritus fugeret, voce divinitus immissa admonitus fuerit, ut in Aegyptum expeditione suscepta, Judæos liberaret* &c. Quæ cum fide historiæ sacræ non uno modo pugnant.

וַיֹּאמֶר מֹשֶׁה מֹשֶׁה *& dixit, Mose, Mose*] Ita nimirum, quid Dominus e rubo proclamaverit, edisseritur. Nomine Mosen compellat, ut attentum & dicto audientem faciat; nomenque repetit, ut sisteret ille gradum, nec pergeret eundo, donec divina excepisset jussa. Ita nimirum fert genius linguæ sanctæ, ut ex Gen. XXII, 11. 1 Sam. III, 10. &c. liquet. CHRISTI. SCHOTANVS *Biblioth. seu Hist. Sac. V. T. Tom. II. p.* 17. de iterata hac Mosis compellatione ita habet: *inclamat eum Deus suo nomine bis: id ut animum perturbatum confirmaret, ut quidam volunt: potius, ut pro imperio, obsequii necessitatem indicaret: & ut ad discendum attentior sit, tanquam ad Dei tribunal citatus.* Nomen autem Mosis, unde dictum sit, & quid notet, nostrum nunc non est persequi, de quo qui plura cupit, adeat ABARBENELEM *in Exod. II,* 10. *fol.* קכ. (quam ejus dissertationem Latine versam exhibet BVXTORF. fil. *Dissertationum ex* ABARBENELE *versarum sexta, pag.* 486.) b. CALOVIVM *Comment. in Gen. Prolegom. p.* 108 *sq.* & *Bibl. Illustr. Tom. I. p.* 208. BEYERVM *additament. ad* SELDENI *de Diis Syris p.* 20 *sq.* HVETIVM *Demonstr. Evang. Propos. IV. c. XIII. §.* 4. *p.* 288. CLERICVM *Comment. in Exod. II,* 10. & *Dissert. de Lingua Hebraica §.* 11.

וַיֹּאמֶר הִנֵּנִי *qui respondit: en adsum!*] est promtitudinis, attentionis & obsequii formula, ut Gen

Gen. XXII, 11. XXXI, 11. Jes. VI, 8. Confer b. GLASS. *Philol. lib. III. Tr. V. can. 15. p. 466 sq.* IOH. TARNOV. *in Cap. LIII. Jesaiæ pag.* 413. Nec abs re addit RIVETUS *in h. l. T. I. Opp. f.* 768. indicari hac responsione animum præsentem & imperterritum. Nam cum stupenda esset visio, e medio ardentis rubi vocem audire, res fuit per se, quæ potuit terrorem incutere. Pauci sane fuerunt inter sanctos, qui audita Dei voce in visione aliqua, perterriti non fuerint. Itaque necessarium fuit, extraordinario modo Mosen fuisse præparatum a Deo, ut in tali occasione, & tali loco non fuerit expavefactus. Confer Dan. X, 9.

Vers. V. וַיֹּאמֶר אַל־תִּקְרַב הֲלֹם *cui dixit* (Dominus:) *ne appropinques huc*] ne propius accedas. קָרַב *appropinquavit, accessit*, accessum tam localem, eumque mox amicum, Num. XXXI, 41. mox hostilem Ps. XXVII, 2. Deut. XX, 10. quam mentalem designat, Zeph. III, 2. hic autem simplicem & intransitivam, propius accedendi, vim habet, quod ex addito adverbio locali הֲלֹם *hic, huc*, intelligitur, ut Ruth. II, 14. גֹּשִׁי הֲלֹם *accede huc*. Nec verba difficultate quadam laborant. De sensu autem quæritur: num absolute hæc appropinquandi prohibitio capienda sit, ne omnino accederet, sed ibi pedem figeret, ubi nunc consistebat: an conditionate, ut arceatur solum ab accessu propiore, donec solvisset calceamenta, quibus depositis integrum sit, propius accedere? RIVETUS absolute intelligendam esse pronunciat denunciationem, ne appropinquaret, nempe propius, quam tum erat. Voluisse enim Deum, ut sisteret gradum, in eo loco, in quo non tam procul esset, quin videre posset vel audire, id enim ipsi necessarium erat: sed nec tam prope etiam, ut videretur velle scrutari curiosius majestatem. In eundem sensum ABEN ESRA exponit: הטעם עמוד במקומך ואל תקרב אל הסנה ששם האש *sensus est: subsiste in loco tuo, nec accede ad rubum, quia ibi ignis est.* CLERICUS inter utramque fluctuat, & in Versione conditionalem expositionem sectatur: *ne huc ita accedas, sed exue e pedibus calceos*, in Commentario absolutam: *ne huc veneris, sta in eo loco, in quo es, & calceos etiam exue, atque a te abjicito.* Nobis adverbium locale additum, rem expedire videtur. הֲלוֹם enim locum præsentem, quem quis tenet, ac pede premit, significat, ab הָלַם *contudit, obtudit*, unde MERCERO dicitur הֲלֹם *quasi ubi consistit pedis percussio.* Istud autem, in sermone apparentis Domini, haud dubie locum rubi, quem symbolum divinæ majestatis collustrabat, non autem locum remotiorem, quem gradu suo tum tenebat Moses, quadam adhuc intercapedine a rubo sejunctus, designat. Ibi ergo locorum, ubi tum gradum fixerat ad vocem Domini Moses, calceos exuere jubetur, quia, quo pergeret propius ad locum apparitionis, eo sanctior sit ipsi censenda regio. Ast sepositis calceis, non in ipsum quidem dumetum se ingerere, a quo flammis & igne prohibebatur, prope tamen rubum venire & consistere par erat, ut coram velut, nec de longinquo, cum Deo colloqui, & singula exacte percipere posset. Non ergo a propiore accessu simpliciter, sed hinc a calceato incessu, hinc a dumeto ipso arcebatur, dum integrum tamen ei esset, haud longe ab illo consistere, & visionem illam cominus conspicari.

שַׁל־נְעָלֶיךָ מֵעַל רַגְלֶיךָ, *exue calceamenta tua de pedibus tuis*] נָשַׁל *exuit, extraxit, decussit, ejecit*, remotionem & avulsionem violentam personæ vel rei, e loco suo notat, adeoque de expulsione gentium e sedibus suis Deut. VII, 1, 22. immo & Judæorum 2 Reg. XVI, 6. de excussione frugum maturarum, v. g. olivarum ab arbore Deut. XXVIII, 40. de excussione ferri a ligno manubrii, in securi Deut. XIX, 5. denique de extractione calcei hoc loc. & Jos. V, 15. usurpatur: nec est, quam

quam hic requiras, peculiaris quædam emphasis. Porro, a נָעַל *clausit, observavit, calceavit*, est nomen נַעַל *calceus*, Plural. נְעָלִים & נְעָלוֹת ut Jos. IX, 5. נְעָלוֹת בָּלוֹת *calcei inveterati* seu detriti. Ab eadem radice quoque מִנְעָל dicitur, & Deut. XXXIII, 25. legitur: בַּרְזֶל וּנְחֹשֶׁת מִנְעָלֶךָ *ferrum & æs, calceus tuus.* Vir multæ lectionis ANTON. BYNAEVS *de calceis Hebr. lib. I. cap. 6. §. 4 sq.* vocem נַעַל primo ac proprie *soleam* notare, ex duplici contendit ratione; 1) ex origine נָעַל, quæ *pessulo*, vel *sera claudere* significet, unde מַנְעַל *sera, pessulus* fit. Idem quoque verbum *vinculo constringere* atque *calceare* notat, quia olim soleæ vinculis circa pedem ligabantur: hinc vocem נַעַל pro solea usurpari, quasi vinculum dicas, quod constringit pedem, ut quod in soleis præcipuum est, pedem vinculis constringere, ipso nomine notarent: 2) ex Interpretum expositione; cum apud IONATHANEM in Legem, & Interpretem Hierosolymitanum, τῷ נעל respondeat voc. סנדל vel סנדלא quam ipsissimum esse Græcorum vocabulum σανδάλιον, & *soleam* designare, ex BVXTORFII *Lex. Talm.* & R. DAV. COHEN DE LARA constet. Vtut vero ad primum Viri docti argumentum regeri possit, idem in calceum quadrare, qui corrigiis ac vinculis suis æque constringitur, ac solea; ad alterum, vocis סנדל notionem, apud Chaldæos & Talmudicos, communem tam sandaliis esse, quam calceis, unde LXX quoque pro voce נַעַל nunc σανδάλιον legunt, nunc ὑπόδημα, promiscuum utriusque usum satis ita prodentes: certe ex usu de vocis genuina notione æstimandum venit, *quem penes arbitrium, est, & vis & norma loquendi.* Vsus vero *calceamenti* notionem, apud Hebræos, voci נַעַל adeo asseruit, ut haud aliam præter hanc norint, qua calceum reddant. Quod enim Jes. III, 18. occurrit voc. עֶכֶס Plur. עֲכָסִים, quod vernacula Bibliorum versio *calceos pretiosos* reddit, ornamenta potius muliebria pedum, seu compedes sunt, ut viri docti in commentariis docuerunt. Si ergo firma sint Viri docti argumenta, quibus adstruere laborat, calceos Hebræorum soleas fuisse, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cum cetera prope nuda & teretibus habenis juncta essent; ista quoque vocis notio hoc ipso erit evicta. Sed de re ipsa in Sect. II. videbimus. Nunc tritæ *calcei* notioni insistamus רֶגֶל a Rad. רָגַל *obtrectavit, calumniatus est*, cum in translata & impropria acceptione varie significet, hic primam & propriam *pedis* notationem retinet, tanquam subjecti, cui calceus ordinarie induitur & adhæret. Particula composita מֵעַל *de-super*, haud obscure calceum insinuat, cum si solea intelligenda foret, quæ infra pedem plantæ ejus supponitur, potius מִתַּחַת רַגְלֶיךָ dicendum fuisset. Compositæ autem particulæ מֵעַל ea vis est, ut & situm calcei ordinarium, quo pedem ambit, & undecunque *superius* tegit, & situs hujus mutationem, calceique extractionem *de* pedibus, involvat.

כִּי הַמָּקוֹם אֲשֶׁר אַתָּה עוֹמֵד עָלָיו אַדְמַת־קֹדֶשׁ הוּא׃ *quia locus ille, cui tu insistis, terra sanctitatis est*] A Rad. קוּם *stare, subsistere*, item *insurgere, exsurgere*, est nomen מָקוֹם *locus*, in quo quid subsistit, *spacium*, quod tenet & occupat persona vel res, ibi locata; quæ communis ac prima vocis significatio huc ita quadrat, ut proximam totam, circa rubum pariter ac circa Mosen, regionem includat. Quod loco Dei, apud Rabbinos sæpius voc. מקום ponatur, quia loca omnia, præsentia, potentia, & providentia sua complectitur, aliunde constat, nec huc pertinet. Partic. עוֹמֵד a Rad. עָמַד *stetit, perstitit, permansit*, primam & propriam retinet significationem, & situm Mosis præsentem describit. Qui, ad rubum progrediens, voceque ex rubo edita, ulterius procedere prohibitus, & miraculo rei attonitus, gradum sistebat, & immotus stabat, ad vocem acclamantem, rubumque ardentem unice intentus. אֲדָמָה *terra, humus,* ab

ab אָדַם *rubuit*, item *nituit*, *pulcher fuit*, unde quoque dictus est אָדָם *homo*, quia ex terra rubicunda primum a Deo formatus est. Quanquam vir πολυμαθέστατος, & Aethiopicæ literaturæ in Germania stator, IOBVS LVDOLFVS in *Hist. Aethiop. lib. I. cap. XV. n.* 16 *sqq.* accitis ex lingua Aethiopica subsidiis, evincere allaboret, neque *terram*, cujus minima sit pars, quæ rubet, neque *hominem*, a rubedine denominari, sed a perfecta & absoluta elegantia, ceu opus creatoris absolutissimum. Quæ Idem *in Commentario in h. loc. no.* 107. *p.* 207 *sq.* copiosius persequitur, & testimonio Talmudico, ex *Baba Mezia* confirmat. Vnde quoque BOCHARTVS Rad. אדם de nitore, splendore, & candore exponit, & verba Thr. IV, 7. אָדְמוּ עֶצֶם מִפְּנִינִים quæ alias verti solent, *rubuerunt ossa præ margaritis*, ita transfert: *lucidiores corpore erant præ margaritis*. Velut autem non negaverim, verbum אדם/ in & cum suis derivatis, notionem pulchritudinis & nitoris habere, quod ex affinibus linguis constat, ita vicissim rubedinis significatio, ex Gen. XXV, 30. Jes. I, 18. &c. in aprico est, ut quæ ex utrisque connotatio in derivatis prævaleat, citra omne dubium nondum satis fuerit demonstratum. אַדְמַת־קֹדֶשׁ autem *Terra Sanctitatis*, in statu constructo ex genio linguæ sacræ eadem vi ac notione dicitur, ac *Terra Sancta*, vel ut Lev. VI, 20. מָקוֹם קָדוֹשׁ *locus Sanctus*. Radix קָדַשׁ & קָדֵשׁ *consecratus fuit*, *sanctus est*, & in Pihel קִדֵּשׁ *sanctificavit, ad usum sacrum præparavit & segregavit*, varia complectitur momenta: sigillatim 1) ab usu communi, & a reliquis sui similibus segregationem, ut de agno paschali, e grege seligendo, de vasis ad usus sacros dicatis, de primogenitis, e reliquorum sui similium censu eximendis, usurpatur: 2) ad usum sacrum ac sublimiorem, mancipationem & destinationem, v. g. in sanctificatione Sabbathi, donariorum & votivorum sacrorum, & cumprimis sacerdotum: 3) peculiarem ad cultum aut servitium Dei præparationem, velut quando populus Exod. XIX, 10. lustrationibus, pœnitentia & abstinentia sanctificari, h. e. ad rite excipiendum Dominum præparari jubetur. Quo referas, quando Joel. II, 15. sanctificari jejunium, h. e. non modo edici & proclamari, sed & populus rite ad illud præparari dicitur. Inde nec eodem ubivis sensu, קָדוֹשׁ *sanctus* & קֹדֶשׁ *sanctitas*, *res consecrata* vel *sancta*, dicitur. Est nimirum sanctitas *alia* inhærens, quæ *vel* absoluta est, & numeris omnibus perfecta, qualis in Deo, vel in suo genere talis, ut angelorum & beatarum mentium, ex creatione, confirmatione, ac dono divino, *vel* inchoata, multumque adhuc imperfecta, quæ hominum piorum est & justificatorum, ut in scholis Theologorum copiosius docetur: *alia* σχετικὴ ac relativa, quo sensu חוֹל *commune* seu *profanum*, & קָדוֹשׁ *sanctum*, sibi mutuo opponuntur, habito nimirum respectu, vel ad separationem e communi grege sui similium, ut populus Israeliticus, sanctus Exod. XIX, 6. Deut. VII, 7. & sanctitas Dei Psal. CXIV, 2. dicitur, quia divino beneficio, a gentibus aliis delectus & separatus, Deoque mancipatus, & ejus cultui dicatus erat, vel ad destinationem ad usus sacros, prout sacerdotes, vasa sanctuarii &c. hoc elogio mactantur; vel denique ab adjuncto, quod ad loca sacra spectat. Nullus quippe locus ex se, & natura sua sanctus est, sed gratiosa Numinis electione, ad cultum destinatione, vel revelatione. Ista vero omnis vel ordinaria est, in iis scilicet locis, quæ ordinario Dei cultui dicata & consecrata erant, quo pacto Deus *Terram Sanctam*, in hereditatem populi peculii, sibique ipsi asseruerat Zach. II, 12. Levit. XXV, 23. *urbem sanctam* in sedem cultus sui delegerat Dan. IX, 24. *montem sanctum* in locum quietis & commorationis suæ destinaverat Psalm. XV, 1. XLIII, 3. XLVIII, 2. Joel. II, 1. Ezech. XX, 40. *Tabernaculum & Templum sanctum* in habitaculum suum & domicilium præparaverat Exod. XXVIII, 29, 35. Lev. XVI, 2, 3.

1 Reg.

1 Reg. VI, 16. VII, 50. &c. unde קֹדֶשׁ קָדָשִׁים *ſanctum ſanctorum* axioma ſuum, nomenque traxit: vel extraordinaria, quando Numen clementiſſimum, ad certum & breve tempus, viſibili quodam præſentiæ & gratiæ ſuæ ſigno vel manifeſtatione, illuſtriorem locum reddidit, qualis Bethelis Gen. XXVIII, 17. montis Horeb h. l. & illius regionis, in qua ante urbem Jericho princeps exercitus Dei Joſuæ apparebat Joſ. V, 15. ſanctitas erat. In ſummam itaque ut contrahamus, quæ dicta ſunt, ſenſus verborum huc redit: hic ipſe, quem pedibus calcas, locus, & circumjecta regio vicina, per illuſtrem hanc & plane ſingularem apparitionem & manifeſtationem divinam, terra ſancta redditur, quæ attentionem mentisque reverentiam, Domino ſeſe revelanti exhibendam, externis quoque venerationis ſignis, manifeſtari cupit. ANDR. MASIUS *ad ſequ. loc. Joſuæ* ita hæc verba ediſſerit, quaſi diceret Dominus: *memineris, te coram Deo ipſo ſtare, iisque, quæ & vides, & porro audies, conſilium voluntatemque ſummi Numinis tibi declarari.*

Alter, quem huc ſpectare diximus, locus eſt Joſ. V, 13 ſqq. Poſtquam enim Joſua, cum univerſo populi exercitu, Jordanem miraculo exſiccatum trajeciſſet, gentem præputiatam ſolenni circumciſionis ritu, Deo initiaſſet, atque nunc in eo eſſet, ut Jerichuntem, urbem Cananææ principem, obſidione cingeret, Filius Dei, in ipſo rerum gerendarum initio, oblata perquam auguſta viſione, ſimul eum & certa fiducia firmare, & ab inſolente arrogantia prohibere, demum & docere volebat, non ſuis viribus, ſuaque prudentia nitendum ei eſſe, ſed Numinis ſolum conſilio, robore ac virtute. Is ergo cum eſſet בִּירִיחוֹ *in Jerichunte*, non certe intra urbem, quæ clauſis portis, cuſtodiisque ac præſidio munita, neminem admittebat, ſed in agro Jerichuntino, æque ut cap. X, 10. hoſtes cecidiſſe legitur Joſuæ בְּגִבְעוֹן *in Gibeone*, h. e. in agro Gibeonitico, & oppugnandæ urbi locum opportunum iviſſet forte ſpeculatum, aut alioqui in agro ſuburbano verſaretur, auguſtæ formæ Heros, ſtrictum manu enſem tenens, videndum ſe ipſi obtulit, & nihil tale cogitanti obviam ſtitit. Inſolito hoc ſpectaculo nihil perterritus, præſentis & infracti animi imperator, audacter ad ipſum pergit, & in hæc verba, quæ aut pugnam, aut amicitiam plane decernant, eum compellat: *num noſter es, an adverſariorum?* Ad quæ armatus populi ſui moderator reſpondet: *non*, vel neuter ſum, quem tu exiſtimas, nec Hebræus, neque Cananæus, immo ne homo quidem, *ſed ut Princeps exercitus Dei huc acceſſi.* Tum religione perculſus Joſua, in terram venerabundus procidit, religioſumque ipſi exhibens honorem, ejus ſibi juſſa humillime expetit, dicens verſ. 14.

מָה אֲדֹנִי מְדַבֵּר אֶל־עַבְדּוֹ *quid* eſt, quod *Dominus meus loquitur ad ſervum ſuum?*] Ab inuſitata Rad. ארן / quæ ex derivato nomine אֶרֶן *baſis, fundamentum*, notaſſe æſtimatur *fulcivit, ſuſtentavit*, eſt אָרוֹן *Dominus*, quaſi ſuſtentator & columen dictus; quod nomen frequentiſſime in Scripturis, cum Deo, tum hominibus, vel honoris cauſa, vel dominii & poſſeſſionis jure, tributum legitur. Evolvantur Lexica & Concordantiæ, quæ conferta manu loca ſubminiſtrant. Hic ergo, ubi Filius Dei Joſuæ ſe patefecerat, & quocum ipſi colloquium ac res eſſet, expoſuerat, ipſe quoque Joſua religioſæ adorationis ritu jam proſecutus eum fuerat, *Domini* compellatio haud dubie, & agnitæ a Joſua divinæ perſonæ majeſtatem, & honorem ſupremo exercitus cæleſtis Duci habitum involvit, humillimæque venerationis ac obſequii ſymbolum præbet. Huic Domino, appoſita perquam σχέσει, ſe ſubmittit, tanquam עַבְדּוֹ *ſervum ejus*. Ab עָבַד *ſervivit, ſervitutem exegit, ſervire fecit*, item *coluit, operatus eſt* &c. deſcendit עֶבֶד *ſervus*, quod ubi de homine prædicatur, ſeu ſervum Dei, ſeu ſervum hominum deſignat, quin & improprie, demiſſio-

nis

nis & humilitatis ſymbolum eſt 1 Reg. XII, 7. Joſua vero Principis exercitus Dei ſervum ſe pronunciat, partim ratione cultus, quem fide, amore & adoratione ei deferat, partim ratione officii, quod bella Domini ſub hoc imperatore ſtrenue gerendo, ſe impigre executurum ſpondebat, partim ratione promtiſſimæ voluntatis, ad parendum divinis juſſis, partim ratione auxilii & adjutorii divini, quod ſervus ipſe a Domino ſuo, in ſubigenda, ſuisque diſtribuenda terra promiſſa, ſe conſecuturum ſperabat. Quando vero interrogat: מָה מְדַבֵּר *quid loquens* eſt, ſeu *quid edicit* Dominus meus? non curioſe rimatur arcana Domini conſilia, nec ad colloquium Meſſiam provocat, ſed informari ſe ac inſtitui cupit, in iis, quæ divinis auſpiciis agere ipſe debeat. דָּבַר enim, & in Piel דִּבֶּר *locutus eſt*, non ſimplicem tantum loquelam, ſed cum variis interdum connotatis, & hic quidem, *cum imperio*, & *pro auctoritate edicere* notat, prout par eſt, Principem exercitus ſupremum imperare. Ita Gen. XII, 4. *migravit Abram* ex patria ſua, כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אֵלָיו יְהוָה *pro eo, ac ipſi præceperat Dominus:* idem c. XVII, 23. poſt acceptum de circumciſione mandatum, mares omnes, qui ipſi erant, eopſe circumcidebat die, כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אִתּוֹ אֱלֹהִים *quemadmodum edixerat ei Deus:* Exod. I, 17. timebant obſtetrices Deum, nec faciebant כַּאֲשֶׁר דִּבֶּר אֲלֵיהֶן מֶלֶךְ מִצְרָיִם *quemadmodum præceperat ipſis rex Aegypti:* cap. XIX, 8. poſtquam Moſes Iſraelitis omnia Dei mandata expoſuiſſet, una omnes voce reſpondebant: כֹּל אֲשֶׁר דִּבֶּר יְהוָה נַעֲשֶׂה *quicquid præcepit Dominus, faciemus*, conf. Lev. X, 5. Numer. V, 4. 1 Sam. XVI, 4. &c. Eodem ſenſu Joſua divina ſibi expetit juſſa, edicat Dominus, quid ſibi obſervandum, agendumve ſit, quo demandata rite defungatur provincia, & voluntatem Dei exequatur. Sibi juſſa capeſſere, & promtiſſimum præſtare obſequium mandatis ejus conſtitutum eſſe, modo ex ipſo intelligat, quid fieri velit. Quo ſenſu alias, 1 Sam. III, 9, 10. *Domini loqui*, & *ſervi audire*, relative opponuntur.

Verſ. XV. וַיֹּאמֶר שַׂר־צְבָא יְהוָה אֶל־יְהוֹשֻׁעַ *Tum reſpondit Princeps exercitus Domini Joſuæ*] Tres ſunt radices cognatæ, ſignificatu convenientes, שׂוּר, שָׂרָה, & שָׂרַר *principatum tenere* vel *gerere*, *de principatu contendere*, unde deſcendit שַׂר *princeps*, qui cum imperio & auctoritate inter ſuos verſatur, & ſupra alios eminet. Hinc & Deo tributum legitur, cumprimis Meſſiæ, qui Dan. VIII, 11. שַׂר־הַצָּבָא הַשָּׁמַיִם *Princeps exercitus cælorum*, & hic, Princeps exercitus Domini, ſalutatur. צָבָא enim *exercitum*, *militiam*, it. *tempus militiæ* notat, & in Plur. צְבָאוֹת nominibus Dei ſæpiſſime jungitur, ipſum vero vocab. ſeorſim ac abſolute poſitum, nomen Dei non conſtituit; quod contra ORIGENEM ac HIERONYMVM, BVXTORFIVS egregie docuit *Diſſertat. V. de Nominib. Dei Hebraic.* §. 56 *ſqq.* Duplex autem cum detur, pro diverſitate Eccleſiæ militantis & triumphantis, exercitus Dei, vel ipſis teſtibus Judæis, qui inter צבאות מעלה *exercitus ſuperiores*, & צבאות מטה *exercitus inferiores*, ſolicite diſtinguunt; nihil obſtat, quo minus de utroque, Chriſto ſubjecto, ejusque ſigna ſequente, intelligamus: ita tamen ut h. l. potiſſimum ad exercitum in terris militantem, & cumprimis ad Eccleſiam Iſraeliticam reſpiciatur. Ita enim Iſraelitæ olim, *exercitus Dei* diſerte appellabantur Exod. XII, 41. & VII, 4. Vnde ANDR. MASIVS ad verſ. præc. commode παραφράζει· *Summus populi Dei Imperator, cujus nutu & moderatione iſtæ, quas tu ducis, copiæ reguntur & gubernantur.* In quo ſanius judicat IOH. CLERICO, qui hic, æque ac Exod. XXXII, 34. & XXXIII, 14. creatum, & inferioris quidem ordinis aut poteſtatis Angelum intelligendum eſſe cenſet, nec videre ſe perhibet, cur Angelo, nomine Dei venienti, adorationis honor exhiberi non potuerit, modo ne quaſi Deus coleretur.

 Vnde

Vnde quoque ab EVSEBIO *Hist. Eccles. Lib. I. cap.* 2. hunc Principem exercitus Dei τὸν Λόγον esse contendente, in diversum discedit. Velut autem Angelum, Israelis ductorem, qui præivit castris, unigenitum Dei Filium, ipsumque τὸν Λόγον esse, data opera & copiose evicit e Reformatis D. IOH. IAC. CRAMERVS *Theologiæ Israelis P. II. Disput. I. in Exod. XXIII,* 20 *sqq. p.* 1 *sq.* & *Disput. IV. in Exod. XXXIII. & XXXIV,* 5 *sq. p.* 247. idque ipsis Judæorum suffragiis ita munivit, ut quid sub veri quadam specie reponi possit, non videam: ita succinctas hujus loci, sed solidas omnino adornavit vindicias b. CALOVIVS *Tom. IV. System. Theol. p.* 128. & 252. eumque divini exercitus Principem, Filium Dei esse demonstravit, Dominum exercituum, quem omnes angeli, ceu Ducem ac Dominum suum venerantur Psal. XCVII, 7. Hebr. I, 7. Perquam autem absurde, ex his ipsis verbis probare satagit MAIMONIDES *in More Nevochim P. II. cap.* 42. istud omne, quod hic de Josua narratur, *in visione prophetiæ ipsi contigisse, quia in fine negotii dicitur, quod fuerit Princeps exercitus Domini.* Hoc sane ipsum est, unde contrarium intelligas. Nemo enim, ex creatorum angelorum ordine ac censu, Princeps dici potest universi exercitus Domini, qui sub nullius, præterquam τῷ Λόγῳ signis militat. Et falsum omnino est, quod ibidem supponit, ac edocere nititur toto isto Cap. MAIMONIDES, quod quando alicui angelus revera apparuisse vel locutus esse dicitur, istud omne de visione prophetiæ intelligendum veniat. Sæpissime namque Angelum fœderis increatum Mal. III, 1. in V. T. apparuisse, nec in phantasia hominum piorum, sed visibili specie ac schemate indutum oculis ipsorum se exhibuisse ac objecisse, ex curata liquet discussione locorum, quæ tales visiones exponunt. Equidem R. LEVI BEN GERSOM *Comment. in h. l.* idem cum MAIMONIDE tenet, istud omne in visione prophetica Josuæ ostensum, non autem revera & actu fuisse gestum, ut hic describitur: sed ex alia longe ratione, quam prolixe huc arcessere & profligare ab instituto nostro est alienum.

Reliqua Textus verba, cum superiori Exodi dicto, ex asse conveniunt, nisi quod illic אדמת־קדש dicitur, hic simpliciter legatur קדש הוא *sanctitas est*, & qui illic omittitur, hic adjiciatur eventus, his verbis:

וַיַּעַשׂ יְהוֹשֻׁעַ כֵּן׃ *fecitque Josua sic*] עָשָׂה amplissimum *faciendi, parandi, acquirendi, curandi, aptandi* &c. notionem habens, exactam hic relationem involvit, ad præcedens Domini mandatum, & Josuæ obsequium, Domini jussis curate ac impigre respondens, designat. Quod confirmatur adverbio comparativo כֵּן addito, quod a Rad. כון *aptare, formare, disponere*, derivatum, quando adverbialiter usurpatur, vel præcedenti particulæ כ, כאשר, כמו &c. προτάσεως, ἀπόδοσιν reddit, *tale, sic, ita, similiter* &c. vel absolute positum, ad universam refertur præcedentem narrationem. Quod hic loci obtinet, ut sensus sit: quæcunque Dominus jusserat, ea promte ac alacriter ita executus est Josua, ut obsequium, quantum quidem humanæ datum est fragilitati, hero suo probaret. Complectitur ergo hæc phrasis: 1) Josuæ ad obsequendum promtissimam voluntatem, qua nihil moratus, quid ogganniret cœca ratio, nec in ritus demandati causas scrupulose inquirens, ad extrahendos calceos, e vestigio se accinxerit: 2) factum ipsum, ad jussum Imperatoris supremi compositum: 3) junctam externæ actioni reverentiam animi, qua religione visionis motus, humillimum Domino præsenti atque conspicuum semet reddenti, cultum exhibuit, 4) seque totum imperio supremi exercitus duci mancipavit, ut quæcunque posthæc expedienda sibi gerendaque forent, non nisi divino nutu, auspiciis ac virtute ageret.

Ita quidem discussis, quæ ad literam Textuum intelligendam faciunt, succedit

SECTIO

SECTIO II. RITVALIS.

§. I. *Moſes & Joſua* calceati, *pro more Judæorum.*

Moſen & Joſuam, ordinarie calceatos inceſſiſſe, ex his locis patet, quibus calceos exuere & deponere, cum nihil tale antea cogitaſſent, nec eum in finem calceos induere potuerint, jubentur. Idque ex recepto apud Judæos more, quibus Græcorum & Romanorum poſthæc reſpondit conſuetudo, ut paſſim in communi vita, calceos induti, egrederentur. Accedit, quod prior in itinere, poſterior præterea in expeditione bellica verſaretur, quæ utraque ratio calceos denuo requirebat. Iter enim facientes, pedes adverſus aſpera viarum calceis muniebant, quod ex Exod. XII, 11. Deut. XXIX, 9. Joſ. IX, 5, 13. patet. Et caſtra ſequentes, ſive expeditionem ſuſcipientes, pedum ſecuritati calceis æque proſpiciebant, ut ex 1 Reg. II, 5. ex Jeſ. V, 27. (ubi exercitus armatus, & calceis inſtructus deſcribitur,) & ex cit. Joſuæ loco, intelligitur. Quod enim Scipioni, Catoni, Germanico, & Phocioni, apud PLVTARCHVM & TACITVM, laudi datum eſt, quod etiam in caſtris, retectis pedibus eſſent, id ad Hebræorum mores nihil facit, & inter ſuos quoque, tanquam inſolitum & ſingulare, fuit obſervatum. Sed & in communi vita, quod dixi, calceorum uſus in populo Dei paſſim obtinuit. Jeſaias enim a Deo jubetur, in ſignum, quod omnes admirentur, & portentum futuræ calamitatis, excalceatus incedere cap. XX, 2. quod neminem in admirationem rapuiſſet, niſi novum & inſolitum fuiſſet, pedibus nudis ambulare. Et Amoſi VI, 8. pauperes pro calceamentis ſuam vendidiſſe libertatem non legerentur, niſi quotidiano in uſu, etiam apud egenos, fuiſſent calceamenta: quo etiam facit Sirac. XLVI, 22. Quin & univerſus ille ritus, Ruth. IV, 7. memoratus & perantiquus, ad confirmationem contractus ſive in redemtione, ſive in permutatione, ut vir extraheret calceum ſuum, daretque alteri, locum habere non potuiſſet, niſi calceis promiſcue ac ordinarie Hebræi fuiſſent uſi.

§. II. *Judæi ſoleis non incedebant; contra* BYNAEVM.

Verum aurem hic vellicat ſupra laudatus doctiſſimus BYNAEVS, inficiatus omnino, calceos geſtaſſe Hebræos, nudas ipſis ſoleas relinquens. Vt fidem ſententiæ conciliet, 1) vocab. Hebræorum נעל urget, quod aptiſſime in ſoleam quadrat, a ligando & vinculis conſtringendo dictum: 2) promiſcuum apud LXX & IOSEPHVM, uſum vocum, τὸ ὑπόδημα & σανδάλιον· 3) morem pervetuſtum, ad menſam accubituris, maxime hoſpitibus, pedes lavare, aut ad hos uſus, aquam præbere Geneſ. XVIII, 4. XIX, 2. Luc. VII, 44. cujus moris origo ex ſoleis Hebræorum ſit arceſſenda. Scilicet, cum ſoleis uterentur priſci Hebræi, quæ plantam pedis ſolummodo tegerent, cum reliqua pars nuda eſſet, & teretibus habenis juncta, fieri vix potuit, quin pulvere atque luto macularentur pedes, quos lavare primum officium fuit. Vt autem ſpecioſe iſta dicantur, tanti tamen non ſunt, ut in aſſenſum nos rapiant. Vocem quippe נעל calceum non minus, quam ſoleam notare poſſe, paulo ante obſervavimus, quod illa, vi etymologiæ ſuæ, non prolixos lororum nodos, teretesque requirat habenas, quas ex hypotheſi toties inculcat BYNAEVS, ſed clauſum quid deſignet, a נָעַל *clauſit*, quocunque inſtrumento, ſeu ſera, ſeu peſſulo, ſeu corrigia. Vnde Jud. III, 23. & 2 Sam. XIII, 18. de clauſis & obſeratis foribus, Cant. IV, 12. de horto clauſo legitur; & מַנְעָל *ſera* eſt, ubi fruſtra lora ſomniaveris & habenas. Calcei ergo cum claudantur corrigia, quæ in proverbium rei viliſſimæ, & exigui admodum pretii, Abrahami jam ætate abierat, Gen. XIV, 23. & poſthæc quoque in uſu erat Jeſ. V, 27. nulla prorſus neceſſitas cogit, quæ ſoleas, earumque lora evincat. Nec

secus se res habet cum vocabulis ὑποδήματος & σανδαλίȣ, quæ promiscue usurpantur, & nunc de soleis, nunc de calceis cavis adhibentur, quod vir doctiss. ipse *eod. cap.* §. 9 *sqq.* propugnat, & lectio tam Novi Fœderis, quam profanorum Scriptorum confirmat. Nec σανδάλιον seu σάνδαλον præcise soleam notat, quod BYNAEVS contendit, sed teste HESYCHIO, calceamentum muliebre, unde apud LVCIANVM Hercules legitur παίεσθαι τῷ σανδαλίῳ ab Omphale: hinc ad virorum quoque habitum translatum est: & ὑπόδημα, licet ab ὑποδέω, *subligo*, *subtus ligo*, derivetur, calceamentum tamen æque ac soleam designat, & ὑποδεῖσθαι paria facit cum Hebræorum verbo נעל, calceare se, seu calceari. Nihil ergo hinc solidi ac firmi elicueris, ad evincendas Hebræorum soleas: maxime cum IOSEPHVS & LXX interpretes, ad quos provocat BYNAEVS, his vocibus eo uterentur sensu, quo passim suo ævo veniebant, ubi calcei cavi jam in usu erant. Vnde si tempus & operam ludere, animus esset, hoc ipsum ex Græcis translatorum vocabulis depromtum argumentum, contra sententiam BYNAEI, eodem vigore intorquere possem, quo ab ipso pro sua hypothesi urgetur. Denique circa rationem tertiam, ex more lavandi pedes, ante epulas, committitur elenchus non causæ ut causæ, si cum philosophis loquamur. Copiose hunc morem persequitur, & exemplis ex omni antiquitate, tam sacra quam profana, illustrat IOH. GVIL. STVCKIVS *Antiquit. Convivial. L. II. cap. XXXIII.* ejus tamen originem ad soleas, ab Hebræis gestari tantum solitas, nullo indicio refert. Sed duplex fuit causa, cur pedes lavarent accubituri, idque humanitatis officium præstarent hospitibus, cumprimis peregre venientibus: altera refectionis, altera munditiei. Cum enim in Asia, totoque Oriente, ex insigni calore pedes dolerent, & æstu inflammarentur iis, qui in aprico incesserant, aut iter fecerant, in refectionis parte habebatur, frigida perluere pedes, itineris labore lassos & calidos, æstumque temperare, ne inter epulandum, dum cibo reficeretur corpus, & salibus ac festivis colloquiis pasceretur animus, dolore vel æstu pedum cruciaretur hospes. Præterea in accumbendi ritu, non abditos sub triclinio pedes habebant, ut nobis moris est, qui ad altiores assidemus mensas, verum expositos, & in propatulo jacentes. Ne ergo vel nauseam moverent cibum capientibus sordidati calcei, vel inquinarent luto aut pulvere adhærente sive accumbentes, sive ministros, exuebant eos ac seponebant, pedibusque nudis, iisque puris ac bene lotis, quin & interdum unguento delibutis, accumbebant: unde in promtu erat peccatrici Luc. VII, 38. Christi pedes, utpote nudos, lacrymis rigare, & crinibus suis abstergere. Quod de Romanis certe, egregie probatum dedit BEN. BALDVINVS *de calceo antiqu. c.* 11. edit. Amstel. A. 1667. *p.* 105 *sqq.* Tantum itaque abest, ut pedilavii ante mensam consuetudo soleas evincat, ut circa utrumque potius calceamenti genus, tam quod plantam tantum, quam quod integrum muniret pedem, locum habuerit.

§. III. *Judæos* calceis *usos esse; probatio.*

Quamvis itaque omnem solearum usum Hebræis veteribus denegare nolimus, præter illas tamen, calceos quoque cavos gestasse, qui pedem superius tegerent, firmiter habemus persuasum. Ea quidem nobis non suppetunt, sive ex nummis, sive ex gemmis, sive ex marmoribus & statuis, antiquitatis subsidia, quæ calcei Hebræi figuram, rationem ac modum, plane edoceant, qualia Græcorum ac Romanorum præsto sunt monumenta, cum tot iteratæ gentis Judaicæ clades, quibus in homines non modo, verum in omnem etiam ipsorum supellectilem, immo & in memoriam sævitum fuit, illa ætatem ferre, & ad nostra perdurare tempora prohibuerint: res ipsa tamen rationibus haud contemnendis demonstrari posse videtur. Quarum *prima* ex pervetusta calceorum ad pedem applicatione depromta est. Verbum

שלף

שָׁלַף enim, *extraxit, detraxit, ſtrinxit*, proprie extractionem e theca cava, ſive receptaculo, quo undique claudebatur & tegebatur, ſignificat. Sic adhibetur de gladio, qui e vagina extrahitur Jud. III, 22. VIII, 10, 20. XX, 2, 15. 1 Sam. XVII, 51. &c. item, de jaculatore ſagittam extrahente e pharetra Job. XX, 25. Hinc חֶרֶב שְׁלוּפָה eſt *gladius evaginatus* ſeu ſtrictus, Num. XXII, 23. Hoc itaque verbum, calceo exuendo appropriatum, extractionem pedis e receptaculo ſuo, quaſi e vagina, hoc eſt, ex calceo, ſuperius ac inferius pedem ambiente & tegente involvit, nec nudas ſoleas, ſed calceos cavos plenosque neceſſario ſupponit, ac requirit, quando Ruth. IV, 7. legitur: *mos autem iſte erat olim in Iſraele, in redemtione, & in permutatione, ad confirmandum omne negotium* שָׁלַף אִישׁ נַעֲלוֹ וְנָתַן לְרֵעֵהוּ *ut extraheret vir calceum ſuum, & daret alteri &c.* id quod eodem verbo cognatus Elimelechi verſ. 8. feciſſe legitur. Fruſtra id applicueris ad ſoleam, cui nec immittitur pes, nec effertur vel extrahitur, ſed quæ ſolutis habenis ultro a planta pedis decidit. Eadem fere vis verbi חָלַץ eſt, quod *extrahere, eruere, exuere,* ſonat, & ſive proprie, ſive figurate pro liberatione ex periculis & ærumnis, accipiatur, extractionem tamen ex eo, quod undique cingebat, innuit, v. g. lapidis ex muro, Levit. XIV, 40, 43. animæ ex mortis faucibus, Pſ. CXVI, 8. Hinc חֲלִיצָה Plur. חֲלִיצוֹת *exuviæ*, 2 Sam. II, 21. Jud. XIV, 19. מַחֲלָצוֹת *veſtes mutatoriæ* Jeſ. III, 22. Zach. III, 4. *Pedem* ergo calceo, ex omni parte ambienti, inſertum & velut incluſum, *extrahere* notat, quando de exuendo calceo Deut. XXV, 9, 10. Jeſ. XX, 2. uſurpatur; quod denuo de ſolea commode vix dicere queas. Quæ facili negotio, uberius declarari & pingi poſſet ratio, niſi ſua ſtatim radiaret luce. *Alteram* Chaldæorum & Rabbinorum ſuppeditat explicatio. Quamvis enim in utroque textu noſtro, Targum vocem סֵין adhibeat, a סין & סֵין vel סאן *lutum, cœnum*, deſcendentem, quæ munimen pedis, quo lutum platearum calcamus, *calceum quemvis* deſignat, nihil tamen Rabbinis frequentius eſt, quam בית הרגלים *domum pedum* pro calceo dicere, quia pes in calceo, velut herus in domo ſua habitat & commoratur, quod in ſoleam nudam plane non quadrat; & Talmudici, ex Chaldæorum dialecto אַפִּנְתָּא h. e. *obſtragulum, ſuperiorem partem calcei*, per Synecdochen partis, pro calceo integro ponunt, quando Cod. *Taanith fol.* 12. *col.* 2. legitur כי מסיימי אפנתא *cum eſſent induti calceis &c.* quod locum habere omnino nequit, niſi ſuperius quoque tectum Hebrææ genti calceum vindices. Chaldæus itaque Paraphraſtes, quando Ruth. IV, 7, 8. pro Hebræo נַעַל habet נַרְתִּיק יַד יַמִּינֵיהּ *vaginam* vel *chirothecam manus ſuæ dexteræ*, manifeſtum quidem in eo committit errorem, quod manum in pedem, calceum in chirothecam, transmutat, cum tamen manui nuſpiam, ſemper autem pedi, quotiescunque occurrit in Scriptura, נַעַל applicari legatur: in eum tamen errorem, ſimilitudine officii & formæ utriusque, inductus videtur, quod qualis eſt נרתיק vagina, vel theca manibus, talem pedibus præſtet calceus, undique ſcilicet pedem ambiens, & ſuperius inferiusque, ut manum chirotheca, tegens & claudens. נרתיק enim, BUXTORFIO *in Lex. Targum.* interprete, eſt *theca, vagina, arca, res qualibet cui aliquid includitur*, calceo cavo, non ſoleæ deſignandæ reſpondens. *Tertio* provocamus ad 1 Reg. II, 5. ubi David indignabundus de Joabo memorat, quod Abnerum filium Ner, & Amaſam filium Jether occiderit, effuderitque ſanguines belli tempore pacis, & poſuerit ſanguines belli in cingulo ſuo, quod circa lumbos ejus, וּבְנַעֲלוֹ אֲשֶׁר בְּרַגְלָיו *& in calceo ſuo, qui in pedibus ejus erat.* Conſperſiſſe vult, ſanguine occiſorum, tam balteum & veſtimenta ſua, quam calceos pedum, & in utrisque cruenta cædis indicia ſecum circumtuliſſe. Pone hic ſoleas, & nihil vel falſum dixerit David, cum ſolearum ultra plantam tanta non promineret crepido, quæ maculas ſanguinis recipere, & cruentas oſtentare poſſet cædis notas: calceum autem cavum diſerte locus evincit, cujus obſtragulum, ſeu par-

partem ſuperiorem, ſanguis occiſorum large perfuderat, iisque maculis ſicarium prodiderat. *Quarto* urgemus Jeſ. XI, 15. ubi Deus pollicetur, ſe ita exſiccaturum Euphratem, וְהִדְרִיךְ בַּנְּעָלִים *ut calcet eum* quilibet *calceis*, h. e. ſimplice & intranſitiva ſignificatione, ut calcari calceis & vado tranſiri poſſit, tanquam vel totus, vel majorem partem exſiccatus. Hujus nec loci eſt, nec inſtituti, ſenſum vaticinii operoſe eruere & tradere, quem qui cupit, adeat Commentatores: nobis nunc ſufficit obſervaſſe, phraſin illam de calceis cavis, non de ſoleis exponi poſſe. Vbi enim exſiccatur flumen, tam grande quidem atque limoſum, quale Euphrates, udum manet ſolum, & paludoſa humus, ut ſoleis tranſiri non poſſit, ſicco pede, bene autem calceis cavis, qui pedem muniunt, ne aquis vel ſordibus inquinetur. Plura, præſertim ex Novo Inſtrumento addere argumenta, ſuperſedemus, cum & hæc æquis lectoribus ſatisfactura cenſeamus, & Chriſti ac Apoſtolorum tempora, a Moſis vel Joſuæ ætate, nimis grandi temporum intercapedine & hiatu disjungantur, ut parum ad rem noſtram, quæ ad ultimam ſpectat antiquitatem, facere videantur.

§. IV. *Diſcalceationis a Deo injunctæ rationes*, ex mente Judæorum.

Homines ergo Hebræi, qui calceorum uſui erant adſueti, quando calceos exuere, & diſcalceati conſiſtere vel incedere jubebantur, peculiarem eamque ſonticam ſubeſſe oportuit cauſam. Quæ quidem in utroque Textu noſtro in ſanctitate loci ponitur, quæ calceorum ſordes reſpuat, nudosque & puros requirat pedes. Quicquid eſt iſtius rei, magni nominis apud Hebræos interpres, DON ISAAC ABARBENEL *Comment. in Exod. fol.* קל. *col.* 4. in meras transmutat allegorias, quaſi Deus demandata calcei extractione; tam Moſen quam Joſuam docere voluerit, fruſtra utrumque eſſe, cum carnalibus ſuis conſiliis & cogitationibus, quas ille de liberanda & educenda ex Aegypto gente ſua, hic de capienda urbe Jerichuntis, virtute humana & naturali modo, ſecum volverent: quin immo exuendas eſſe & deponendas curas iſtas, *quia locus iſte ſanctus*, ſeu *terra ſancta eſt*, h. e. negotium, quod uterque intendat, ענין אלהי ומושגח הוא *eſt opus divinum, & a providentia divina perficiendum.* Iſtud tamen quam coactum, & longe ſit quæſitum, ac ideo a textus hiſtorici ſimplicitate alienum, nemini non patet. Paulo exactius R. BECHAI in ביאור על התורה *fol.* סח *col.* 1. *fin.* & 2. pericopam Exodi exponere geſtiens, triplicem copioſe ediſſerit ſententiam, ita ut juxta ſenſum literalem admoneatur Moſes, de exuendis calceis, propter ſanctimoniam loci, & ne leviter vel arroganter attollat caput ſuum coram majeſtate divina, juxta id, quod infra ipſi dicitur Exod. XXIII, 21. porro, ut ſecundum ſenſum myſticum & ſpiritualem admoneatur, ut exuat & a ſe deponat החומריות *materialia* ſeu *corporalia*, & quicquid ad animalem pertinet hominem, quo capax fiat prophetiæ, & lumen intellectus conſequatur: demum ſecundum ſenſum Cabbaliſticum, ut innuatur, majeſtatem divinam duplici modo revelari, in igne nigro & in igne albo, eo quod complectitur illa tam judicium, quam miſericordiam &c. Præterea hoc pacto Moſi declarari, quod in loco iſto promulganda olim lex ſit, ſcripta igne nigro in ſuperficie alba, unde verba illa אדמת קדש idem velle ac אדמת סמוכה לקדש *terram, quæ propinqua ſit ſanctitati*, eamque eſſe montem Sinai, de quo ſcriptum legitur Pſalm. LXVIII, 18. *Dominus in illis*, (Deus) *Sinai in ſanctuario.* Hæc ille, qui licet in ſenſu literali ſat prope accedat ad ſcopum, in ceteris tamen longius deflectit. Apud R. SALOMONEM, & R. DAVID. KIMCHIUM, quin & in *Jalkut* SCHIMEONI fruſtra requires, quæ ad rem noſtram faciant. PHILO Judæus *περὶ Φυγάδων p.* 370. ab ABARBENELIS commentis haud procul abit, prohibitum Moſis acceſſum interpretatus, ac ſi dixerit Dominus: *μὴ πρόσιθι τοιαύτῃ διασκέψει*, *ne accedas ad talem cogitationem*, ut rerum cauſas, humano intellectu

tellectu eruere & scrutari te posse confidas: περιεργείας γὰρ καὶ φιλοπραγμοσύνης μείζονος ἢ κατ' ἀνθρωπίνην δύναμιν τὸ ἔργον· *nam huic curiositati satagenti humanæ vires non sufficiunt;* porro, locus, in quo stas, sanctus est: ποῖος τόπος; ἢ δῆλον ὅτι ὁ αἰτιολογικὸς, ὃν μόνον ταῖς θείαις ἀνῆψε φύσεσιν, ἄνθρωπον ὀυδένα νομίσας ἱκανὸν εἶναι αἰτιολογίας ἐφάψασθαι κ. τ. λ. *qualis locus? nimirum ad rationes causarum pertinens, qui tantum divinarum naturarum est, quod Deus neminem mortalem dignetur causarum notitia* &c. Pariter IOSEPHUS Ἀρχαιολογ. *Lib. II. cap. XII.* rem gestam omnem eo refert, quasi Deus curiositatem Mosis hoc velut symbolo reprimere, & ne ulterius scrutaretur, prohibere voluerit, novum addens, de loci sanctitate commentum, quod mons ille celsissimus, licet pascuis esset commodissimus, herbis utpote optimis & saluberrimis abundans, inaccessus tamen manserit, nunquam ante depastus, διὰ τὸ δόξαν ἔχειν, ἐνδιατρίβειν αὐτῷ τὸν θεὸν, ὀυ τολμώντων ἐμβατεύειν εἰς αὐτὸ τῶν ποιμένων, *quod vulgo persuasum haberent, Dei Numen ibi habitare, unde religio fuerit pastoribus, in illum ascendere.* Vnde & Deus, τό τε θάρσος αὐτοῦ, τολμήσαντος παρελθεῖν εἰς χωρίον, εἰς ὃ μηδεὶς ἀνθρώπων πρότερον ἀφῖκτο, διὰ τὸ εἶναι θεῖον, ἐσήμαινε, καὶ συνεβούλευεν, τῆς φλογὸς ὡς πορρωτάτω χωρεῖν, καὶ ἀρκεῖσθαι μὲν οἷς ἑώρακεν, ἀγαθὸν ὄντα καὶ μεγάλων ἀνδρῶν ἔκγονον, πολυπραγμονεῖν δὲ μηδὲν τούτοις περισσότερον, *& temeritatem ejus reprehendit, qui non sit veritus, locum sacrum, adeoque hominibus hactenus inaccessum calcare, & consuluit, ut quam longissime a flammis abscederet, & sibimet quidem hac visione satisfaceret, non indignus ea, propter suam ac majorum suorum virtutem, habitus, ceterum ulterius nihil curiose inquireret.* FRANC. MONCAEIVS *loco supra cit.* hanc IOSEPHI, de sanctitate montis, traditionem sub examen vocans, bene observat, *eum propius Ethnicorum sensui & moribus accommodare se* voluisse, *utpote quibus Græce Antiquitatum suarum Libros peculiariter scriberet.* Sic etenim Ethnicos sensisse & locutos fuisse de plerisque suis montibus & lucis: immo & visa sylva aliqua, situ & vetustate paulo horridiore, & præter modum opaca, religione fere tactos fuisse, Dei alicujus domicilium esse, conjecturam hinc ducentes: quod veterum Poetarum testimoniis confirmat, IOSEPHI autem additamentum illud ex ipsis sacris literis refellit.

§. V. *ex* Christianorum Interpretum.

Ita quidem Judæorum Magistri, de discalceatione injuncta, locique sanctitate, & quæ imperii hujus causa sit, commentantur. Christianorum nunc audire juvat sententias, quas in compendium missas, CHRIST. SCHOTANI *loc. cit. p.* 17. verbis exhibemus: *Quod autem calceamenta exuere jubetur, id varie accipiunt Interpretes. Nam primo, inferiores affectus subjici debere rationi. Hos scilicet ad terram & terrestria depressos esse. Secundo, mortua opera deponenda esse, quia calceamenta fiunt e pellibus animalium, quamvis Hebræi Mosis calceamenta, quibus in solitudine utebatur pastor, straminea seu juncea fuisse velint, uti notat* D. RIVETVS. *Tertio, significari vincula cupiditatum terrenarum, quia calceamenta corrigiis vinciuntur. Quarto, argumentorum formulas & syllogismos, quos ratio humana torquet adversus doctrinæ cælestis veritatem. Quinto, quiescendum esse in tractatione rerum cælestium, illique indormiendum. Nam cubitum euntes, calceos deponunt. Sexto, juri suo eum cedere debere, seque totum Deo tradere, qui ad eum accedit: quemadmodum calceum tradebat, qui cognati uxorem & hereditatem cedebat alteri. Septimo, puritatem animi corporisque requiri in eo, qui Deo appropinquat. Nam calceamentis sordes & pulvis inhærescunt. Octavo, quod* THEODORETVS *etiam de quorundam opinione refert,* ἵνα γυμνοῖς τοῖς ποσὶν ἁγιάσῃ τὴν γῆν. *Vltimo, notari, quod in cultu Mosaico & templo nudis pedibus ministrandum esset.* Ipse paulo post mentem suam ita expromit SCHOTANVS, ut Mosen, pedem nudare, & nudo pede terræ insistere, jussum existimet, *ob loci reverentiam*

verentiam & Dei. - - Subjectio simul fuit, & summæ humilitatis demissio: unde se composuit in eum morem, quo solebant sacra facturi. Verum, sacra facientes, ea quidem tempestate calceos deposuisse nudosque incessisse, nunquam probabit SCHOTANUS. ANDR. MASIUS, Josuam calceamentum exuere, nudisque pedibus insistere, jussum tradit, *ut ipsius mens religione percellatur, promoveaturque etiam atque etiam præsentiæ majestatis divinæ opinione, ac proinde attentior sit ad visionem, tanquam rem divinam expendendam cogitatione, & secum diligenter pertractandam, tum verba, sicut Dei oracula, penitus percipienda, & ut verissima certissimaque amplectenda; quæ alioqui vanissimis somniis similia videri, & proinde neglecta excidere facile potuissent.* Ita pariter IACOB. SALIANUS *Annal. V. T. ad A. O. C.* 2543. *n. XXXVIII. T. II. p.* 35. ad attentionem & venerationem Mosis excitandam, id omne accommodat: *monebat ergo*, inquiens, *Dominus Mosen, ne curiose, aut parum religiose, ad divinum miraculum perscrutandum accederet, sed persuasum haberet, arcanum quiddam, ac divinis plenum mysteriis apparari, quæ summam reverentiam ac venerationem exigerent.* Ceteri Pontificii passim, ut ISIDOR. CLARIUS, GUIL. ESTIUS, IOH. MENOCHIUS, IACOB. TIRINUS, mandatum de exuendis calceis ita intelligunt, ut majori veneratione Moses ad illum accederet locum, quem Deus jam sua præsentia sanctificaret: addit quoque TIRINUS, ex *Nazianzeno*, EPIPHANIO, *Nysseno*, PROCOPIO & BERNARDO, moralem aliquam significationem, *eum, qui per orationem, vel contemplationem, vult accedere ad Deum, debere & maxima reverentia id facere, & carnales omnes curas cogitationesque, ac mundi affectus, seponere.* Ab his vero, cur in diversum discedat, idoneam satisque prægnantem se reperisse causam, credit DIDACUS DEL CASTILLO ET ARTIGA, *de ornatu & vestibus Aaronis, in cap. XXVIII. Exod. vers.* 37. *illat.* 261. *p.* 433. *b.* hunc injiciens scrupulum, cur Deus, licet toties posthæc Mosi apparuisset, nunquam tamen, perinde ut hic loci, servo suo præcepisse inveniatur, pedes exuere calceis? Hinc urget: si calceamenta deponere, cultus & religionis exhibeat signum, cur idem Deus, cum e rubo loquitur, cultum ei præcepit, & religionem exegit, quam non postulavit, cum in cacumine montis Sinai Mosi apparere, dignatur? *utrobique idem est Deus: ergo idem cultus & veneratio ei debetur? Quare ergo in rubo, majori cultu venerari, quam in monte, desiderat Deus?* Quod ipse dubium ita solvit: *Quia Deus in medio rubi apparens, divinum verbum intra semper Virginis Mariæ claustra, cujus erat typus, præsignabat. Ut ergo, quanti Dei Filius sacratissimam matrem faceret, ostenderet; majorem cultum in rubo existens exegit, quam in vertice montis, quando legem populo sanciebat: quia rubus typus erat Mariæ, & ubi Maria adhuc figurate est præsens, majori reverentia venerari vult Deus, quam si ea abesset. In montis vertice, quamvis tonitrua, fulgura, & ignis, Dei majestatem tremendam exprimerent; illic tamen Deus erat sine matre. Quid ergo mirum, quod tremendus appareat, & quod ritum deponendi calceos, non intimet in signum venerationis & cultus? at cum in rubo divinitatis fulgeret celsitudo, saltem in typo aderat Maria: merito ergo religiosior cultus, ferventior devotio, & sacratior reverentia exigitur. Quia ubi Verbum matris gaudet consortio, majorem petit reverentiam, etsi in figura, & in umbra mater sit, quam si solus esset.* Hæc Complutensis Doctor Theologus, Chlamyde Malacitana condecoratus; primarius liberalium artium publicus Professor, & S. Theologiæ sæpe publicus Regens: tum in alma Abulensi Ecclesia S. Scripturæ Canonicus Magistralis, sanctæ Inquisitionis fidei Censor: tandem Carthaginensis primo, deinde Truxillensis Ecclesiæ, in partibus Indiarum, Antistes: qui unus inter suos tam fuit oculatus, ut Mosen, ob majorem typi Mariæ reverentiam, calceos exuere jussum perspiceret. Sane, quod alii, per calumniam suæ impingi Ecclesiæ, clamitant Pontificii Doctores, ac si pari, cum Deo, vel religiosiori etiam cultu prosequantur Mariam,

riam, ejus confeſſum hic habemus reum. Nimirum, ubi Deo, vel in figura ſaltem ac in typo, adeſt Maria, ibi *merito religioſior cultus, ferventior devotio, & ſacratior reverentia exigitur*, quam ubi ſolus apparet. Etſi vero me non fugit, eſſe in Patribus, qui rubum ardentem, ceu typum ac figuram, ad incarnationem Chriſti tranſtulerint, quæ tamen inde emergit conſequentia: *ergo Verbum ibi matris gaudet conſortio, & majorem petit reverentiam, quam ſi ſolus eſſet?* Num enim tum adfuit τῷ Λόγῳ mater ejus? Non ſane αὐτοπροσώπως, quia multis demum ſæculis poſt, mundum conſpexit: ſed nec in figura & umbra, quia iſthæc accommodatio typica nullo ſcripturæ teſtimonio, nec divina gaudet auctoritate, ſed privato tantum ac proprio doctorum quorundam veterum ingenio nititur, & eſt ἰδίας ἐπιλύσεως 2 Pet. I, 20. Ergo nec aliter τῷ Λόγῳ in iſta apparitione adfuit mater ejus in typo & figura, niſi in cerebro privatorum doctorum, qui repræſentationem illam typicam excogitarunt. Quid autem fiet de diſcalceatione, Joſuæ iisdem fere verbis demandata, ubi typi Mariæ nulla ſubeſſe potuit ratio? Hanc enim ſub viri armati ſchemate adumbrari, non niſi abſurde dixeris: aſt eandem reverentiæ & cultus teſtificationem exigit ab eo Filius Dei. Hinc ſtudioſo ſilentio hunc locum, ex aſſe parallelum, premit Mariolatra, ne propria cædere cogatur vineta. Huic nihilominus tam lubrico fundamento tanta ſuperſtruitur idololatrici cultus moles, ut Mariam vel ſupra Dei Filium, benedictum in ſæcula, extollant, vel majorem cultui τȣ̃ Λόγȣ reverentiam & religionem addant, ſi vel in umbra Filio ſuo adfuerit Maria, quam ubi ille eſt ſolus. Judicent hinc, quibus Dei honos, & reverentia oraculorum Scripturæ, Jeſ. XLII, 8. XLVIII, 11. Philipp. II, 9, 10, 11. curæ cordique eſt: nos autem in orbitam redeamus.

§. VI. *ex noſtra ſententia.*

Ex variis iſtis, tam Judæorum, quam Chriſtianorum ſententiis liquet, in enucleando diſcalceationis imperatæ ritu, geminam doctores iniiſſe viam, literalem aliam, quæ verbis Textus preſſius inhæret, aliam myſticam, qua, ex demandato actu, intelligendum aliquod ſive myſterium, ſive monitum eſſe, edocerent. Quid autem obſtat, quo minus utramque jungamus, & Moſen æque ac Joſuam, calceos exuere juſſum dicamus, *primo*, ut cum reverentia & animi humilitate, non tanquam ad naturale quoddam ſpectaculum, ſed ut ad Deum, ſibi manifeſtatum & loquentem, accedere diſcerent, locumque propter hanc patefactionem divinam, & quoad illa duraret, ſanctum reputarent, qui externis ſymbolis conſpicuum ac perceptibile redderet Numen, nec mente profana vel oſcitante, ſed animo ad cultum & venerationem Numinis compoſito, velit adiri. Ante nimirum, quam compellaretur ex igne Moſes, nihil ille cogitabat divini, ſed igne elementari forte correptum autumans dumetum, ſuo indulgebat ingenio, cumque miraculi quid ſubeſſe ſuſpicaretur, ſuæ ſolum ſatisfacere curioſitati ſtudebat. Pariter Joſua heroem conſpicatus armatum, ſibique tantum non imminentem, ultra humanam ſortem eum non æſtimabat, ſed intrepide accedens, quærensque, quibus ille partibus ſit addictus, hoſtiumne, an Iſraelitarum? vel dextram jungere, vel manus cum illo conſerere inſtituit. Nunc autem divinitus uterque admonitus, aliam induit mentem, & cogitationibus ad præſens Numen converſis, cum ſancto adſtat horrore, Deum cogitans ignem eſſe conſumentem, quem nemo mortalium prælio vincat; cum humili obſequii promtitudine, vocanti Hero & Imperatori ad nutum ſe ſiſtens paratum; cum religioſa denique attentione, qua juſſa & ſermones Domini recte percipere nitebatur. Hæc prima eſt & ſimpliciſſima ratio, ex hiſtoriæ circumſtantiis, & mandati divini verbis, ultro elucens. *Secundo* docebantur hoc ritu, toti a Deo pendere, nec ſuæ quicquam dare ſapientiæ, fortitudini, aut rerum gerendarum peritiæ, verum ita ſe tradere Domino, ut qui mancipati, non aliud cuperent, inſtituerent,

rent, cogitarent vel agerent, quam quod ex ore Dei haurientes, edocerentur. Hoc ſcite nonnulli eliciunt ex eo, quod, qui olim juri ſuo renunciabant, idque cedebant alteri, perantiquo ritu calcei exuti, alterique traditi, teſtatum facerent, per Ruth. IV, 7. Hoc itaque mandato, tam Moſi, quam Joſuæ, ſignificaſſe Dominum, ut jure ſuo velut cedant, & ſemet ipſos abnegent, totosque divinæ voluntati & vocationi permittant. Satis erudite, ſed vereor, quod æque ſatis tuto. De forenſi enim ritu illo demonſtrari ſolide nequit, vel iſta ætate, ante νομοθεσίαν eum jam obtinuiſſe, vel ſi apud alias forte locum habuerit gentes, Moſi ſic de eo conſtitiſſe, ut hanc Dei mentem ex hoc ſymbolo ſtatim aſſequeretur. Potius ita ſtatuo, cum inſignia prorſus molimina utrique eſſent ſuſcipienda, humanis conſiliis æque ac viribus longe ſuperiora, Deus ſtatim in limine rerum gerendarum, hoc velut ſpecimine, docere ipſos voluiſſe, quomodo obſequii tantum gloriam ſibi relictam cenſere deberent, cum talem ipſis imperaret ritum, cui ante non adſueti, & cujus cauſas vix alias modo perſpicerent, niſi divinam præſentiam & voluntatem. Huic morem gerere ipſos oportebat, ἐδὲν προσανατίθεσθαι σαρκὶ καὶ αἵματι, neque ſcrupuloſius in rationes inquirere; unde cognoſcerent, eadem obſequii & ſubjugandæ rationis promtitudine ac ſinceritate, in tantis negotiis gerendis, quæ mox Deus ipſis demandaturus erat, fore verſandum, ſatis habentibus, ſi de divina conſtaret voluntate & aſſiſtentia, quicquid demum humanæ videretur rationi. Quicquid enim iſtius eſt mandati, non ad præſens modo apparitionis myſterium, ſed & ad inſecuturam ſpectaſſe exiſtimo vocationem & functionem, in qua perpetim primæ iſtius revelationis divinæ, ipſos meminiſſe decebat. Hæc plana ſunt & ſimplicia, quæ facili negotio aſſequi poterant tunc temporis Moſes & Joſua, cum ceteræ diſcalceationis demandatæ rationes, quas comminiſcuntur Interpretes, duumviris iſtis in mentem vix potuerint venire. Qualis eſt, quando v. g. SVIDAS *in voce* ὑπόδημα, ſenſu allegorico notari ait τὸ σαρκικὸν φρόνημα τȢ ἰδίȢ θελήματος, *carnalem ſenſum propriæ voluntatis*, atque in hanc ſententiam textum Exodi illuſtrat: quando BERNHARDVS *Sermon. de Virgine Deipara, in Apoc. XII. ſignum magnum &c. Tom. II. Opp. fol.* 124 *b.* ſenſu ſpirituali ita exponit, qui velit ſacra myſteria rimari, debere prius cunctis ſe terrenarum & carnalium curarum deſideriis exuere: *merito quidem*, inquiens, *admiraris, Moſes ſancte, & curioſius deſideras intueri: verumtamen ſolve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, ſi accedere concupiſcis*: in quam ſententiam alias complures Patrum interpretationes cumulat MART. DEL RIO *Adagial. Sacr. V. T. n. LX. p.* 55.: quando THEODORETVS *Quæſt. 6. in Joſ. Tom. I. Opp. f.* 200. Joſuam hoc mandatum accepiſſe perhibet, ut vera eſſe crederet promiſſa Domini, ſibi facta: *quemadmodum fui cum Moſe, etiam ero tecum*, τȢτȢ χάριν, ὧν ἤκȢσεν ἐκεῖνος, ἀκȢει καὶ Ȣ̔τος, ἵνα θαῤῥαλεώτερος γένηται, ὡς τῆς αὐτῆς ἀξίας τετυχηκώς, *propterea, quæ audierat Moſes, audit & iſte, ut confidentior evadat, velut eandem dignitatem aſſecutus*: demum, quando ex recentioribus, ANDR. RIVETVS *Comment. in Exod. loc. cit.* iſtud omne ex more illuſtrat Veterum, quo mancipia, ſeu ſervi ad herum ſuum accedentes, nudis pedibus incedebant, ut teſtarentur ſubjectionem ſuam, reverentiam & timorem, unde ſit, quod *nudare pedes*, ſignum ſit ſervitutis & reverentiæ; voluiſſe ergo Deum, Moſen ad ſe accedentem, induere animum humilem, & ad omnia Domini vocantis mandata paratum: & quæ aliæ id genus ſunt explicationes, ſatis ingenii, at veritatis parum complexæ.

§. VII. *Diſcalceatio Sacerdotum Hebræorum in Templo.*

In ceteris diſcalceationis hujus, a Deo injunctæ, cauſis, hanc etiam vult eſſe THEODORETVS, ut in ritum perennem cultus Levitici & in exemplum abiret futurorum Sacerdotum.

Ita

Ita nimirum ille *quæst. VII. in Exod. T. I. Opp. f.* 79. *προπαιδεύεται, πῶς χρὴ, τοὺς ἱερέας ἐν τῇ σκηνῇ λειτουργεῖν· γυμνοῖς γὰρ κἀκεῖνοι ποσὶ τὰς λειτουργίας ἐπετέλουν, καὶ τὰς θυσίας· prædocetur* hoc mandato divino, *qua ratione oporteat Sacerdotes in tabernaculo deservire. Nudis enim pedibus illi ministeria divina peragebant, & sacrificia.* Inde quæstio emergit ardua & anceps: an pedibus nudis, ministerio sacro, in tabernaculo & templo functi fuerint Sacerdotes, nec ne? Quam citra hæsitationem affirmat TIRINUS, quando *Comment. in Exod. c. l. hinc verisimiliter,* inquit, *mos ille ad Judæos, aliasque gentes emanavit, pedes excalceandi in ingressu Templi. Quod de Sacerdotibus Judæorum certo constat, ex cap. XXX. & XL. Exodi.* Idem confidenter ex TIRINO exscribit DIDACUS DEL CASTILLO *loc. cit. p.* 473. *n.* 4. Ex recentioribus Papistarum doctoribus idem, sed ampliori cum eruditionis apparatu, confirmat BERNH. LAMY *lib. VII. de templo Hierosolym. Sect. III. p.* 1119. Et Hebræorum quidem Magistri omnino tuentur, Sacerdotes nudis pedibus super pavimento stetisse, & sacris operatos fuisse, adeo quidem, ut si quis inter ministrandum, vel super vestem aliquam, aut aliud instrumentum, quod casu ibi jacebat, aut super bestiam, aut super agnum, immo vel super pedes socii, forte constitisset, totum sacrificium eapropter illegitimum censeretur. Hinc cum eveniret, ut viscerum doloribus, ex algore pedum, crebro laborarent Sacerdotes, peculiarem habebant ממונה על החולים *Præfectum ægrotorum,* seu Medicum, qui valetudinis ipsorum ageret curam. Testimonia ex Talmudis Cod. *Sebhachim,* & MAIMONIDE, in asserti utriusque fidem, protulit miræ vir industriæ IOH. BRAUNIUS *de vestitu Sacerd. Hebr. lib. I. cap. III.* §. 3. *pag.* 44 *sqq.* quæ huc transscribere merito supersedemus. Idemque e Reformatis tenent, quotquot Judæorum hic sectantur auctoritatem, laudatus BRAUNIUS, BYNAEUS *de calc. Hebr. Lib. II. cap.* 3. §. 2 *sqq. p.* 171. MELCH. LEYDEKKERUS *de republ. Hebræor. Lib. X. cap. III.* §. *IV. pag.* 591. *a.* & alii.

Nec contemnendis plane utuntur rationibus, calceos Sacerdotibus denegantes, ita ut in eorum sententiam pedibus ire, nec nos defugiamus. I.) enim, ubi vestes Sacerdotum Hebræorum memorantur in scripturis, Exod. XXVIII. & XXXIX. altum de calceis est silentium. Non me præterit, in rebus facti & historicis, a silentio Scripturæ firma non duci argumenta. At secus se habet, in præceptis & mandatis divinis, ubi præcise verbo Domini inhærendum, neque quicquam illi vel addendum est, vel detrahendum Deut. IV, 2. quod circa universum cultus Levitici apparatum, adeoque & circa vestitum Sacerdotum, locum habere nullus dubito, per Exod. XXXIX, 43. Si enim calceatos Deus voluisset Sacerdotes, pedum munimenta, æque ac feminalia, commemorasset. Nec tacuisset illa Moses, ad icona seu typum, in monte sibi visum, componere singula jussus Exod. XXV, 40. si tale quid monstratum sibi meminisset. Hinc, juxta Hebræorum disciplinam, יותר בגדים *redundans vestibus* fuerit Sacerdos, irritumque reddiderit ministerium suum, si calceis indutus, præter legis præscriptum, illud obiisset. II.) pedilavium Sacerdotibus imperatum, idem evincere videtur. Eum enim in finem mare æneum in atrio sanctuarii repositum Exod. XXX, 19, 20. memoratur, *ut Aaron & filii ejus manus suas ac pedes suos lavent, quando ingressuri sunt tabernaculum conventus, ne moriantur: vel quando accessuri sunt ad altare administrandum, ut offerant thymiama Domino.* Si calceati incessissent, nec opus pedilavio, nec metus fuisset, ne inquinarent Sanctum. Suffecisset enim, mundos habuisse pedes, cum tegumentis eos munirent, & calceos probe abstersisse, aut bene perpurgatos servasse. Nudi quippe pedes, non calcei lavantur aquis. Verum, quia mactantes victimas, facile conspergebantur pedes sanguine, aut in atrio discursitantes, nudis pedibus sordes colligebant, lege Deus cavit, ne *ἀνίπτοις χερσὶ καὶ ποσὶ* ad se appropinquarent. Velut itaque nudos lavabant pedes, non tectos, manibusque nudis peragebant ministerium sacrum, sic *ἀνυ-*

πόδητοι

πόδητοι quoque obambulabant in tabernaculo & templo. Quod ex eo quoque firmatur, quod Talmudici Cod. *Middoth cap. I.* §. 6. peculiare memorant Conclave in templo, בית המוקד *Focarium* dictum, quo Sacerdotes, contra frigus hybernum, nudos solabantur pedes. *Ab ardendo nomen habet hæc structura*, doctissimus ad h. l. glossatur CONSTANTINUS L'EMPEREUR *p.* 22. שמרורות דולקים בה תמיד *quod ibi perpetuo lignorum strues arderet: idque in usum Sacerdotum, quo paratum semper haberent ignem, quandoquidem discalceatis pedibus in loco sancto versari tenebantur.* Accedit III.) constans totius antiquitatis Judaicæ suffragium, quæ uno ore *ἀνυποδησίαν* Sacerdotum in templo affirmat, & in rebus & quæstionibus ritualibus, non est omnino nihili. Testimonia vide a BRAUNIO & BYNAEO collecta, suisque digesta locis. Derivant autem hunc ritum ex utroque Textu nostro: non quasi Deus mandato, de exuendis calceis, Mosi & Josuæ dato, idem Sacerdotum institutum sanxerit, quæ THEODORETI mens fuit, sed argumento מקל וחומר *a minori ad majus* ducto, inde elicientes. Si enim ista loca, in quibus stabant Moses & Josua, sancta fuerunt, ob præsentiam Dei, ad breve saltem tempus, & uno vel altero solum documento manifestatam, quid non de tabernaculo & templo dicendum, ubi Deus sedem velut suam & domicilium fixerat, & gratiosam præsentiam ac majestatem suam augustiori longe modo manifestaverat? Jussus ergo Moses calceos extrahere, ob loci sanctitatem, in eandem humilitatis ac reverentiæ significationem facile pertraxit Sacerdotes. Vide Gemaram Babylon. *Beracoth cap. IX. fol.* 62. *b.* Hinc in antiquissimo commentario שמות רבה seu *glossa magna in Exod. sub fin. Par.* 2. regula generalis hinc struitur כל מקום שהשכינה נגלית אסור בנעילת הסנדל *omnis locus, in quo divina majestas se patefecit, prohibet usum sandalii* vel calcei, idque quia Mosi & Josuæ dictum est של נעלך / & additur: וכן הכהנים לא שמשו במקדש אלא יחפים *& sic sacerdotes non ministrant in templo, nisi discalceati.* Atque ista quidem sufficere posse arbitror, ad evincendum *ἀνυποδησίας* sacerdotalis in templo ritum, cum quæ a BRAUNIO §. *XI. p.* 60. additur ratio: discalceatum incedere apud Hebræos, signum fuisse humilitatis & abjectissimi animi coram Deo, unde totus populus discalceatus comparebat coram Domino, diebus jejunii, cumprimis magno illo Expiationum Festo, יומא sive יום הכפורים dicto: non tam ab eruditione, quam a pondere, & concludendi nervo destituatur, & vix in topicis locum habere possit argumentis. Pari enim valore hinc confeceris, vestitu etiam sordido, cilicio & sacco Sacerdotibus fuisse utendum, quia is pœnitentium & humilium coram Deo habitus erat: cum tamen ministros suos, maxime Pontificem, splendide ornatos cuperet Deus.

Discalceatio Judæorum omnium in Atriis.

Verum non est, ut his diutius immoremur. Istud tamen silentio prætermittendum non est, Talmudistas ulterius progressos, nefas pronunciasse, si quis unquam, quisquis ille fuerit, munito pede pavimentum premeret Atriorum. Scita eorum in Cod. *Beracoth* & *Jevammoth* leguntur, citata BRAUNIO §. 4. *pag.* 47. quæ in compendium ita misit MAIMONIDES: לא יכנס אדם להר הבית במקלו או במנעל שברגליו או באפנרתו ובמעות הצרורין לו בסדינו *Nemo in montem templi veniat cum baculo, aut calceamentis pedum, neque cum mantica, aut pecuniis linteo involutis;* Hilcoth בית הבכירה *cap.* 7.

§. VIII. *A* GUSSETII *objectionibus vindicata.*

Ast hic interpellat IACOB. GUSSETIUS, haud obscurum inter Philologos nomen, *Commentar. Lingu. Hebraic. voc.* שלל *pag.* 861. *C.* discalceationem sive Sacerdotibus, sive Israelitis ceteris, in Templo observatam fuisse negans. Rationes quidem pro calceorum usu nullas plane allegat, satis habens, eorum destruxisse

ſtruxiſſe argumenta, qui ἀνυποδησίαν tuentur. Hinc α) eam ex textibus noſtris perperam colligi tradit ideo, quod hic ea locorum ſanctitas deſignetur, qua *Filius Dei Deus ibi præſentiam perſonæ ſuæ ſiſtebat, ut cum ſervo ſuo ore ad os loqueretur. Tale quid*, pergit, *non convenit tabernaculo vel templo, ejusve atriis, ubi mera umbra & typus erat prærogativa præ aliis locis. Quare inepte Rabbini, eorumque nimis creduli lectores, hinc deducunt, pedes nudandos fuiſſe in templo, tum a Sacerdote, tum a Laico.* Qui vero minus conveniret tabernaculo, ubi pariter Filius Dei, Deus, præſentiam perſonæ ſuæ ſiſtebat, ut cum ſervo ſuo, ore ad os loqueretur? Num latere potuit GVSSETIVM, quod toties ῥητῶς aſſeritur, ut ex Lev. I, 1. Num. I, 1. XII, 5. XIV, 10. Deut. XXXI, 15. &c. patet? Et annon ordinarie in tabernaculo ſua edebat oracula Dominus ex propitiatorio, tanquam e ſolio majeſtatis ſuæ? Annon ſiſtebat in templo Salomonis præſentiam ſuam, cum impleret gloria Domini univerſam ædem? 1 Reg. VIII, 10. 11. Quin amplior tabernaculi & templi ſanctitas, præ ſanctitate locorum, ubi Deus ſemel tantum apparuit, facile intelligitur ex eo, quod utrumque templum, tam portatile, quam fixum, memoriæ nominis ſui conſecraſſet, ubi deſcenſurum ad populum, eique benedictionem largiturum, pollicitus fuerat Exod. XX, 24. ubi ſedem velut fixerat, ut habitaret, ubi conſtans & perpetuum ſuper propitiatorio ſymbolum præſentiæ ſuæ exhibebat, ubi non uni Moſi vel Joſuæ, ſed acceſſuris omnibus præſentem ſe ſiſtebat. Vnde quoque utrumque, operoſo & ſolenni ritu, inaugurari & conſecrari voluit, quæ omnia, de illis apparitionum ſingularium locis, fruſtra affirmaveris. Ad alterum illud, ex ſilentio Scripturæ, argumentum β) regerit: *at primo, nihil ergo ad Laicos hoc ſpectat.* Nec ſane de Iſraelitis, ſed de Sacerdotibus & Levitis ſermo eſt, quando diſcalceatio ex hoc ſilentio demonſtratur. *Deinde ad rem quod attinet, ſi calceos non requiſivit*, ait, *etiam non vetuit: liberi manent igitur, ut iis qui vellet, uteretur aut abſtineret. Porro ſupponendum eſt, calceatos fuiſſe alibi Sacerdotes: nam Iſraelitæ vulgo calceati erant. Jam vero id Deus non prohibet in ſacris, relinquit ergo eis calceos ſuos. Silentium enim eſt pro conſenſu, & nihil mutat in ſtatu rerum.* Enimvero, quis nervus argumenti hujus, a ſilentio legis petiti, & quæ vis concludendi ſit, ſupra docuimus §. præced.: unde liquet, Deum non liberum reliquiſſe calceorum uſum Sacerdotibus, quibus exacte præſcripſerat, qualia veſtimenta induere, & quibus carere deberent, cum miniſterio fungerentur ſacro, quando calceos ſiluit. Pluribus enim veſtibus, aut aliis Sacerdotes, in officii ſui partibus obeundis, non utebantur, quam Deus juſſerat. Omnino autem inepta eſt illa GVSSETII illatio, a veſtitu Sacerdotum communi ad ſacrum inſtituta. MAIMONIDES enim *Hilcoth* כלי המקדש *cap. X.* Sacerdotes extra miniſterium, veſtitos inceſſiſſe innuit כזרים *inſtar Laicorum.* Diſcrimen itaque inter veſtes Sacerdotum ſacras & vulgares didiciſſe poterat ex laudati BRAVNII *Lib. II. de veſt. Sacerdot. Hebr. cap. XXV.* ubi vir doctiſſimus, ſtatim §. 1. *p.* 842. infit: *Ad miniſterium tantum in templo ſoli Sacerdotes veſtibus ſacris utebantur, non alibi, nec alio tempore. Domi forisque, in Synedrio, in conſiliis, & ubique locorum extra templum, incedebant veſtibus vulgaribus, cum Summus tum reliqui Pontifices, unusquisque pro lubitu ſuo & pro opibus, ut a reliquis hominibus diſcerni neutiquam potuerint. Inde factum eſt, ut etiam Paulus Apoſtolus, Pontificem Maximum non noverit Act. cap. XXIII. quod ex veſtibus, a reliquis judicibus, diſcerni non potuerit. Idem etiam innuitur Ezech. XLII,* 14. *& XLIV,* 17, 18, 19. *ubi expreſſe mandatur, ut Sacerdotes finito miniſterio, cum vellent exire ad populum, veſtes ibi relinquerent, & vulgaribus veſtirentur.* Quod, nonnullis interjectis, ex IOSEPHO etiam demonſtrat, Sacerdotes τὴν ἱερὰν ἐσθῆτα ſolum adhibuiſſe in liturgia ſeu miniſterio ſacro, extra vero illud ἐσθῆσεσιν ἰδιωτικαῖς, *veſtibus plebejis* uſos fuiſſe, perhibente. Hinc etiam veſtes ſacras in templo aſſervatas fuiſſe, *cap. XXIV.* §. 10

§. 10 *sqq.* BRAVNIVS copiose edisserit, & *vestiarium templi* §. 13. *pag.* 837. describit. Quæ haud parum impingere GVSSETIVM edocent, quando Sacerdotes calceatos fuisse perhibet in templo, quod ita incederent, in vita communi & extra templum. Denique, quod argutatur ille, silentium non esse pro consensu, in rebus præcepti, ex eo liquet, quod præceptis nihil addendum, nihil detrahendum, toties diserte inculcat scriptura. Tandem etiam γ) traditionem Rabbinorum, de morbis viscerum, quos ex pavimenti frigore sibi sæpius contraxerint nudipedes Sacerdotes, falsitatis postulare nullus erubescit. *Id enim, quod Oseas cap. VI, 6. ait, Deum velle misericordiam, & non sacrificium, semper verum fuit: &, ut ex eo Christus Matth. XII, 7. potuit probare jus, vellendi spicas ab esuriente, die Sabbathi, eadem facilitate inde colligimus, licuisse necessaria ad sanitatem vestimenta sumere. Heic, sodes, hyemis rigores cogita.* Bella profecto ratio, facta historica eludendi, si legalia iis opponas dicta Scripturæ. Hoc argumento pariter negaveris, Davidem, urgente fame ac inopia, panes propositionis, lege sibi interdictos, poposcisse & manducasse, quod tamen historicus sacer 1 Sam. XXI, 6. & Christus ipse, testantur, quia scilicet contra legem. At enim vero plura sunt, quæ hic castigari merentur. Factum enim discipulorum, spicas vellentium & comedentium, extraordinarium erat & singulare, quod Christus excusat: quid vero hoc, ad ordinarium & solennem vel calceorum usum, vel ἀνυποδησίας ritum in templo? Nec omnino ex oraculo Prophetico Oseæ, Salvator, jus evellendi spicas ab esuriente, demonstrat, sed discipulorum fami consulentium factum quidem, alio extraordinario ejusmodi exemplo, quod de Davide modo allegavimus, excusat ac tuetur, & utroque docet, necessitatem ad legem non adstringi: verba Prophetæ autem procacitati Pharisæorum, in condemnandis insontibus discipulis, opponit, ut loci docet inspectio. Fidem præterea Mischnicarum traditionum, ex templi adhuc stantis ætate ac disciplina promanantium, simplice ac mera negatione evertere, nunquam valebit GVSSETIVS, utut Gemaricos Doctores, ætate multo sequiores, fabulas aniles adspersisse complures non negaverim. His vero accensendam esse traditionem illam, de Sacerdotum morbis, & constituto illis Medico, quam Mischna Cod. שקלים cap. V. ad nos propagavit, rationibus validis adstruxisse oportebat GVSSETIVM, si fidem ille, negans factum, impetrare cupiat, contra Judæorum Magistros, id affirmantes. Et omnino misericordiæ opus erat, juxta Os. VI, 6. Medicum præficere Sacerdotibus, qui valetudinis ipsorum curam ageret, cum gravi perquam ministerio illi defungerentur. Porro, contra hyemis rigores paratum erat remedium, בית המוקד, cujus paulo ante mentionem fecimus. Sed ista sufficiant, cum quæ sit ratiocinationis GVSSETIANAE imbecillitas, satis sit in aprico. Quas denique ineptias prodidit PLVTARCHVS *lib. IV. Symposiakῶν*, habitum Summi Pontificis apud Hebræos ad modum sacrificulorum Bacchi componens, eique *κοθόρνους, crepidas, seu cothurnos* tribuens, dudum a BRAVNIO *lib. I. cap. III.* §. 4. & 13. *p.* 67. & a BYNAEO *lib. II. cap. III.* §. 6. *p.* 178. copiose fuit monitum & profligatum, ut in iis repetendis non censeam opus esse prolixitate.

§. IX. *Κακοζηλία Gentilium, Hæreticorum, Pontificiorum.*

Superest, ut de *κακοζηλία*, cum Gentilium, tum religiosorum in Papatu, aliorumque, qui de Ecclesia censeri voluerunt, pauca subjiciamus. Jam inter Pythagoræ symbola, apud IAMBLICHVM *de vita Pythag. symb.* 3. locum habet illud: *ἀνυπόδητος θύε, καὶ προσκύνει, discalceatus sacrifica & adora.* Virgines Vestales Romæ nudis pedibus sacrificasse, ex FLORI *lib. I. cap.* 13. intelligitur: quod & matronas Romanas, ad ædem Vestæ tendentes observasse, OVIDIVS *lib. IV. Fastor.* testatur. Dianæ porro sacra nudis pedibus peracta, memorat SOLINVS *Polyhistor. cap. XVII.* Idem a Græcis sæpius factum,

factum, ex CALLIMACHO *hym. in Cererem VI*, 125. & VALERIO FLACCO *lib. II.* discimus. Cumprimis spectant huc *Nudipedalia* Sacra, festum apud Græcos, Romanos & Barbaros receptum, quo ad obtinendam a Numinibus opem, nudis pedibus incedere oportebat. Quod TERTULLIANUS *Apologet. cap. LX.* Gentilibus ita exprobrat: *Denique, cum ab imbribus æstiva biberna suspendunt, & annus in cura est, quidam quotidie pasti, statimque pransuri, balneis & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilicia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denunciatis.* Quorum quidem multiplicem ac varium usum, BALDUINUS *de calceo ant. cap. XXIII. p.* 224. copiose edisserit, originem autem a Judæis arcessendam esse negat SAM. PITISCUS *Lex. Antiquit. Roman. h. v. T. II. p.* 282. Sic hodienum apud Turcas crimen esse, morte piandum, si quis calceato pede intraverit Moscheas, GEORG. DOUSA *Itin. Constantinop. p.* 36. aliique itinerariorum scriptores referunt. Pariter Brachmanes, apud Indos, *Pagoda*, i. e. templa aut delubra Deorum suorum, nisi detractis calceis, non ingredi, ob sanctitatem, testis est ROGERIUS *lib. II. de Braminum ritibus & religione cap.* 10.

Ecclesiam turbasse olim Hæreticos, mordicus huic superstitioni adhærentes, perhibet AUGUSTINUS *de hæres. ad QuodvultDeum, Tom. VI. Opp. f.* 27. *n.* 68. *Est alia hæresis, nudis pedibus semper ambulantium, eo quod Dominus dixerit ad Moysen vel ad Josue: solve calciamentum de pedibus tuis. Et quod Propheta Jesaias nudis pedibus jussus fuerit ambulare. Inde ergo hæresis est, quia non propter corporis afflictionem sic ambulant, sed quia testimonia taliter intelligunt.* Qui forte iidem cum illis sunt hæreticis, quos PHILASTRIUS *Hæres. LXXX.* in eandem prorsus sententiam describit & allegat. Sic etiam de Aegyptiis Monachis refert CASSIANUS *lib. de hab. Monach. cap.* 40. hoc factum Mosis in exemplar, sancte sibi imitandum, delegisse. Idem legatus Christianorum Aethiopum, apud DAMIANUM A GOES, de patriis moribus testatur: *Nobis non datur potestas adeundi templum, nisi nudis pedibus, neque nobis licet in ipso ridere, loqui, obambulare, quia templa similia sunt monti Sinai, ubi Dominus dixit Moysi: solve calceamentum.*

Denique huc referenda est Monachorum in Papatu superstitio, qui nudis pedibus fastum calcantes, altero fastu turgent, & opinione meriti singularis, Deum sibi debitorem imaginantur. In quos decantatum illud dudum cusum fuit epigramma: *Cordula nodosa, pes nudus, cappa dolosa, Hæc tria nudipedes ducunt ad tartara fratres.* Quos ex merito, hoc nomine perstringit RIVETUS *in cit. loc. Exod. T. I. Opp. f.* 769. Attamen HIERON. SOPRANES *in Davide digress. I. cap. V. §.* 3. *sub fin. p.* 380. hanc suorum superstitionem probat, quod nudis pedibus, religionis causa, veri Dei cultores incedant in publicis supplicationibus, & exemplo illustrat *S. Caroli Borromæi*, qui, cum pestis Mediolani grassaretur, indicta sæpe publica supplicatione, nudis ipse pedibus incedebat, & alii plures ad pastoris exemplum. Verum probe observavit, & ex domesticis Pontificiorum testimoniis evicit insignis Theologus, NICOL. HUNNIUS *Apostas. Eccles. Rom.* §. 342. *n.* I. *p.* 349. rursusque §. 349. *p.* 356. & §. 736. *p.* 735. ex more Ethnico, pessimoque veterum hæreticorum exemplo arcessivisse, & in sua transtulisse sacra Papistas, ut partim ad averruncanda pericula & mala, partim in deletionem peccatorum, & acquisitionem sanctitatis, nudis pedibus incedentis.

§. X. *contra* CLERICUM *asserta.*

Restat, ut ad extremum tueamur, quod diximus, ex κακοζηλία exemplorum sacrorum, quæ tractavimus, hoc institutum promanasse ad Gentiles. Dudum hoc observavit IUSTINUS MARTYR, qui *in Apolog. II. circa fin. p.* 95. τὸ ὑπολύεσθαι, inquit, ἐπιβαίνοντας τοῖς ἱεροῖς, καὶ τοῖς αὐτοῖς τοὺς θρησκεύοντας κελεύεσθαι ὑπὸ τῶν ἱερατευόντων, ἐκ τῶν συμβάντων Μωσεῖ, τῷ εἰρημένῳ

μένῳ προφήτῃ μαθόντες οἱ Δαίμονες ἐμιμήσαντο, quod fana eorum ingredientes calceos deponunt, & cultores eorundem idem facere, sacerdotes jubent, per imitationem ejus, quod Mosi Prophetæ, quem diximus, acciderat, instituerunt dæmones. Indigne hoc dictum fert, & improbat vir celeberr. IOH. CLERICVS *Comment. in loc. cit. Exod. p.* 24. Mosenque more Aegyptio calceos exuisse, persuasum nobis cupit. *Huic ergo mori*, ait, *non a Mose instituto, sed dudum recepto, sese hic adtemperavit Deus, quod & sæpius alias fecit. Ac sane, ut Mosi, Aegyptiis moribus adsueto, reverentia major injiceretur, maxima signa externa reverentiæ huic loco exhibere eum oportuit.* Rursusque, paucis interjectis, pergit: *nec mihi credibile fit, Deum, qui est, ut loquitur Christus, spiritus, corporeos ejusmodi ritus unquam non modo instituturum, sed ne probaturum quidem institutos fuisse, nisi infirmitati hominum se accommodare voluisset, & erga eos more humano agere. Certe ubi primum magis sapere homines cœperunt, temporibus Messiæ, eos omnes abrogarit.* Ista quidem ex MARSHAMI & SPENCERI hypothesi, alias quoque viro docto adamatæ, propullulasse palam est, quam data opera complures confutarunt. Nos satis habemus observasse, 1) nullam hic locum habere potuisse *συγκατάβασιν*, ubi non Mosis ingenio vel consuetudini adtemperat se Deus, sed novam ei cerimoniam imperat. Nec enim Moses more Aegyptiaco calceos ultro extrahit, sed nihil tale cogitans aut molitus, extrahere a Deo jubetur. Nimis perspicue ex verbis ipsis elucet, mandatum Dei eadem complecti, non nudum assensum, vel accommodationem Numinis ad institutum quoddam humanum. Expendatur saltem utriusque loci colloquium, & sole clarius elucescet, quod diximus. Gratis præterea 2) asseritur, dudum receptum fuisse hunc morem. Quin immo a moribus ac institutis Aegyptiorum alienum id erat, discalceatum venerari Deos. Sacerdotes enim apud Aegyptios *ὑποδήματα βύβλινα, calceos papyraceos* gestasse, testatur HERODOTVS *lib. II. cap. VII.* Phœnicum autem mystas, lineos habuisse, ex HERODIANI *lib. V. cap. XIII.* constat. Rursus APPIANVS *de bello civili lib. V.* diserte affirmat, Alexandrinis sacerdotibus *ὑπόδημα λευκὸν, calceos albos fuisse, καὶ λαλοῦσι Φαικάσιον, quos Phæcasia appellant:* de quibus uberius commentatum lege BALDVINVM *de calceo ant. cap. XIV. pag.* 188 *sqq.* Vt frustra sit, qui discalceationis religiosæ ritum ab Aegyptiis arcessit. Denique 3) corporeos ejusmodi ritus instituisse Deum, non ut infirmitati hominum se accommodaret, verum ut sub externa ejusmodi *παιδαγωγία* spiritualium mysteriorum typos ac umbras exhiberet, Epistola ad Hebræos ad oculum demonstrat. Eosque temporibus Messiæ non ideo abrogavit, quia tum primum magis sapere homines in spiritualibus & divinis cœperunt, sed quia corpore & substantia exhibita, vel adveniente, par erat, cessare umbram Col. II, 17. Hebr. X, 1. Vt taceam 4) non ritum perennem ac duraturum, hoc præcepto Mosi vel Josuæ dato, Deum sancire, vel apud hos homines dudum receptum, ratihabere tamen & adoptare voluisse, verum pro præsentis tantummodo temporis ratione utrique injungere, quid facto sit opus. Nos autem gradum hic sistimus, gratias Deo laudesque decernentes perennes!



IV. DIS-

IV.

DISSERTATIO
DE SYNAGOGA CVM HONORE SEPVLTA*.

Prooemium, *de nomine* Synagogæ, *& ratione instituti.*

Varium ac amplum *Synagogæ* nomen, postquam a civilibus ad cœtus ſacros, e foro caſtrisve ad Eccleſiam translatum eſt, magnum ex frequenti in divinis literis uſu, hauſit ſplendorem. Non enim Græcis tantum LXX Interpretibus admodum exiſtimatum fuit conveniens, quo, præter profanos, ſacros inprimis & ad religionem ſpectantes, denotarent conventus; uti ex Lev. IV, 13. VIII, 4. Num. XX, 10. &c. videre eſt: ſed auguſtiſſimo quoque Novi Inſtrumenti Auctori non indignum fuit viſum, quod in Canonicæ auctoritatis faſtigium, crebra Chriſti & Apoſtolorum uſurpatione, eveheretur. Atque tum quidem primo in nativa ſignificatione ſua ſanctam deſignat & ad cultum Numinis convocatam concionem, Actor. XIII, 43. Mox ad locum relatum, templa notat & fana, quibus tum ſacris operabantur, tum literas tradebant Hebræorum Magiſtri. Vid. Matth. IV, 23. VI, 25. Act. VI, 9. XIII, 42. XVIII, 7. &c. Qua quidem ratione ſi accipiatur Synagoga, hanc admittere diſtinctionem bene multis creditur, quod alia ſuperior כנישתא עילייתא vel *εὐκτήριον* ſalutata, precibus maxime & ſacris obeundis fuerit dicata: inferior altera בית המדרש vel *ἀκροατήριον* dicta, humanitati ac philoſophiæ domicilium præbuerit, ut ex Maſſ. Schabbas fol. 3. col. 1. Hieroſol. probat SAVBERTVS *in Palæſtra Th. Philol. p.*378. In ſuſpenſo hic hæret LIGHTFOOTVS, *loco mox citando*, annon ſuperior Synagoga pro Synedrio ſit habenda? nemini tamen, quantum memini, nec ipſe ſibi, perſuadere id potuit. In eo autem non conſtare ſibi videtur HOTTINGER. *in Enn.* quando *cap. V. Comp. Theol. Jud. ſect.* 2. in Synagoga dicit & preces & præconium verbi & catechizationem & *συζητήσεις* amicas inſtitui conſueviſſe ab eruditis, quibus promiſcue aditus patuerit: ſtatim vero *Sect.* 3. Synagogis proxime conjunctas fuiſſe docet Phrontiſteria publica, Scholas & Academias; ubi enim diebus ſive feſtis, ſive profeſtis, ſacra in Synagogis peracta fuerint, ad Scholas properatum fuiſſe. Verum enim vero grande hic ſententiarum divortium deprehendo, quod vel doctiſſimos viros in transverſum egit, ut alii quandam inter hæc duo differentiam agnoverint; utramque alii pro eodem venditaverint loco. Cum enim *προσευχῶν* diſtincta a Synagogis ſubinde tam in Scriptura, Act. XVI, 13. 16. quam PHILONE & IOSEPHO mentio fiat; non defuerunt, qui illas ſacris peragendis, has vero addi-

* Propter argumenti affinitatem, bene cupientis ſuaſu Amici, ſubnectere adhuc liceat diſſertationem, in Academia Altorfina a me conſcriptam, & ſub moderamine conſummati Theologi, & præceptoris mei venerandi, CHRISTOPHORI SONNTAGII, publice pro roſtris, d. 22 Febr. A. CIƆIƆCCII. diſcuſſam & defenſam, *de Synagoga cum honore ſepulta.* Hanc ſi refingere, limare, & ubi opus erat, locupletare, ut animus erat, inſtituiſſem, verendum erat, ne alius plane, ac diverſus ab hoc, prodiret labor. Talem ergo exhibeo, qualis primo lucem adſpexit, Lectorem Benevolum, qua par eſt humanitate, rogans, ut juvenilem lucubrationem pro ætatis ratione æſtimet, æqui bonique conſulat, & conatui faveat, ſi minus reſpondeat expectationi.

addiſcendis bonis literis deſtinatas fuiſſe autumarent. Ita IOH. DRVSIVS exiſtimat *Annot. in loc. cit. Act.* & *Præteritor. lib. V. p.* 183. & DAN. HEINSIVS *Exerc. Sacr. p.* 305. Contra vero, cum communis utrique deſcriptio, idemque ut plurimum aſſignetur uſus, ſecus viſum fuit viris laudem ultra invidiamque poſitis, HVG. GROTIO *Annot. in cit. loc. Act. & ad Matth. IV,* 33. & HERM. CONRINGIO *Antiqu. Acad. p.* 124. ut & τῷ πάνυ BVXTORFIO, ut ex deſcriptione Synagogæ in *Lex. Talmud. fol.* 1055. apparet. Hac alii diſſenſione moti, ancipites hærent, & cum in re ambigua non habeant, quo ſe vertant, ἐπέχειν malunt, quam alterutri ſententiæ nomen dare; quod facit magnus VALESIVS *Annot. Euſeb. pag.* 27. & IOS. SCALIGER *in Fragmentis operi de Emend. Temp. annexis p.* 25. quanquam poſterior in priorem propenſior ſententiam videatur. Scripturas ſi conſulimus, parum certe diſcriminis inter utramque obſervamus; ſiquidem & in Proſeuchis & in Synagogis tam oraſſe, Matth. VI, 5. quam ad inſtitutionem in divina humanaque ſapientia confluxiſſe homines, Matth. IV, 23. Luc. IV, 16 ſqq. Act. XVI, 13, 14. evincunt. Verum inter hæc ſumma eruditi orbis nomina, ob ingenii pariter tenuitatem ac ætatis verecundiam *non noſtrum, tantas componere lites.* Ceterum peculiari diſſertatione hanc quæſtionem excuſſit, & a negantium partibus haud infeliciter ſtetit BALTH. STOLBERG. *de Proſeuchis Judæor.* Vitemb. 1687. Quæ vero alias circa Synagogam notari merentur, in compendio exhibet LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. IV,* 23. *pag.* 247. Non autem ædem tantum Synagogam nuncuparunt veteres, ſed ad totam ſimul Judaicam Eccleſiam, a Novi Teſt. populo eam diſcernentes, id nominis tranſtulerunt. Quam in ſententiam ita HIERONYMVS: *Salvator noſter,* inquit, *Sororis ejus* (ſcil. Eccleſiæ) *eſt filius; id eſt, Synagogæ. Duæ quippe Sorores ſunt, Eccleſia & Synagoga. Salvator ergo, ut diximus, filius Synagogæ ſororis, vir eccleſiæ, ſponſus eccleſiæ, fratruelis eſt ſponſæ ſuæ: Homil. II. Origen. in Cantic.* Hanc itaque cum ſuſtinet ſignificationem, totam exterioris cultus faciem exprimit, & ſub matronæ habitu ac forma, ad Scripturæ genium & phraſin, ſiſtitur; ita tamen, ut pro diverſitatis ſuæ ratione, variam quaſi experta fortunam, mox deſponſata Deo, mox repudiata; jam decumbens, jam plane mortua, tumuloque audiat condenda. Sic ſcilicet, dum ab adulterinis idololatriæ ſe continens complexibus, puram verbi doctrinam & illibatos ſervabat cultus, virginis legitur appellatione a Deo cohoneſtata Jeſ. XXXVII, 22. XLVII, 1. Jerem. XVIII, 13. Amos V, 2. Quin immo ea plane dignatione ac loco illam habuit benigniſſimum Numen, ut Chriſti, cujus tot in ſacrificiis typos & umbras exhibebat, ſanguine mundatam connubiali ſibi fœdere jungeret, Oſ. II, 19. & ſponſæ titulo inſigniret, Jeſ. LXI, 10. LXII, 5. Vid. Cant. Canticor. & Pſalm. XLV. per tot. ejusque ſe profiteretur maritum Jeſ. LIV, 5. Oſ. II, 7, 16. Sed enim, ubi a marito nefarie diſcedens, hinc impia & ſcelerata vita, hinc idololatria & hæreſi, tanquam graviſſimo ſe adulterii crimine contaminaret, & adultera & repudiata, juſtoque Dei judicio rejecta Ezech. XVI, 15 ſq. 32 ſq. 38. immo συναγωγὴ τοῦ Σατανᾶ Apoc. II, 9. appellatur. Egregie declarat iſta HIERONYMVS *Epiſt. ad Ruffin. Quod autem,* inquiens, *adulteræ & meretrices Synagoga & Eccleſia dicantur in Scripturis, nulla dubitatio eſt, & hoc prima fronte videtur eſſe blaſphemum. Ceterum ſi recurramus ad Prophetas, Oſee ſcilicet, qui accepit uxorem fornicariam, & generat filios fornicationis, & deinde adulteram; & ad Ezechielem, qui Hieruſalem, quaſi meretricem, arguit, quod ſecuta ſit amatores ſuos, & divaricaverit omni transeunti pedes, lupanarque in loco celebri extruxerit: animadvertemus, Chriſtum ideo veniſſe, ut meretrices donaret matrimonio, & de duobus gregibus unum ovile faceret, medioque pariete deſtructo, in easdem caulas oves prius morbidas congregaret.* Et rurſus *Comment. in Jeſ. L,* 1. ubi Prophetæ verba commoda periphraſi illuſtrans, Deum ad Judæorum populum ita loquentem inducit: *Putatisne mea duritia matrem*

matrem vestram, terrenam Hierusalem esse projectam, & quod ego mentis rigore dederim ei libellum repudii, & non potius, quod verum est, intelligitis, illam suo a me vitio recessisse? - - Vnde adulteram matrem vestram ultra tenere non potui: sed volentem abire permisi. Præter hæc vero alia se adhuc ratio offert, cui suum acceptum ferre repudium tenetur. Licet enim nulla matrimoniales tabulas transgressione violasset; umbris tamen ac figuris involuta, ad ea saltem tempora pertingebat, quibus clara exhibiti corporis species obscuras typorum nebulas solveret, & imaginum tolleret usum, quarum ipsa jam præsto esset substantia, juxta Hebr. VIII, 5, 6, 13. X, 1. Col. II, 17. Hinc adeo factum est, ut, adveniente in carne Christo, aboleretur Synagoga, destrueretur tabernaculum, ac medium discinderetur velum. Vnde istæ prognatæ formulæ sunt, quibus diem obiisse, bustoque concredendam Synagogam sancti Patres dicebant. Huc spectant, quæ AVGVSTINVS habet *Epist. XIX. ad* HIERON. *cap.* 2. *p.* 74. ubi inter alia: *Jam enim*, inquit, *cum venisset fides, quæ prius illis observationibus* (Legum puta Cerimonialium) *prænunciata, post mortem & resurrectionem Domini revelata est, amiserant tanquam vitam officii sui.* Et ista TERTVLLIANI *l. III. contra Marcion. cap.* 23: *Vbi tunc filia Sion derelinquenda, quæ nulla hodie est? Vbi civitates exurendæ, quæ jam in tumulis?* Ne vero contumeliose eadem post fata quasi haberetur, sed & ab hæreticorum prohiberetur calumniis, & in honore ejus esset memoria; efferri quidem, sed honorifice & religiose sub Novi Test. auspicia debuisse docent. Ita quippe pergit cit. loc. AVGVSTINVS: *Veruntamen, sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erant quodammodo ad sepulturam; nec simulate, sed religiose: non autem deserenda continuo, vel inimicorum obtrectationibus, tanquam canum morsibus projicienda. Proinde nunc, quisquis Christianorum, quamvis sit ex Judæis, similiter ea celebrare voluerit, tanquam sopitos cineres eruens, non erit pius deductor, vel bajulus corporis; sed impius sepulturæ violator.* Et paulo post *eod. cap. pag.* 76. cum illa dixisset, quæ significationis gratia præcepta sunt, ut circumcisio & cetera, revelatione gratiæ latius innotescente necesse fuisse aboleri, eo quod justificare neminem potuerint; subjungit: *Non tamen ideo fuerant, tanquam diabolica gentium sacrilegia fugienda; etiam, cum ipsa gratia jam cœperat revelari, quæ umbris talibus fuerat prænunciata: sed permittenda paulum, eis maxime, qui ex illo populo, cui data sunt, venerant. Postea vero, tanquam* cum honore sepulta sunt, *a Christianis omnibus irreparabiliter deserenda.* Vnde phrasin mutuatus Cardinalis BONA: *In Christiana Ecclesia sensim magis magisque separationem a Judæis factam fuisse*, pronunciat, *donec Synagoga honorifice sepulta fuerit. Rer. Liturg. lib. I. cap.* 20. Quibus pie admodum ac erudite docetur, quis Synagogæ primis N. T. temporibus usus, quæ moderatio Christianorum fuerit, qua & infirmiorum vitare offensionem, & calumnias maleferiatorum hominum retundere allaborarint. Hanc itaque liberam & a necessitatis opinione remotam cerimoniarum legis Leviticæ usurpationem, quam *honestæ sepulturæ* nomine appellat AVGVSTINVS, paulo altius repetere & sub examen vocare hac dissertatione constituimus: non quod id nostris tribuamus viribus, ut tanto nos labori pares existimemus; sed ut pietatem iis probemus, quorum nobis auctoritate standum, & animo linguaque faventibus conatum. Omnem vero totius operis ἐϱγασίαν ita partiemur, ut *Sectione Priore*, *honorificam* quarundam cerimoniarum Synagogicarum, per adventum Christi abrogatarum, v. g. Circumcisionis, Nasiræatus, Sabbathi, Paschatos *usurpationem: Sectione Posteriore honorificam* aliarum quoque cerimoniarum, v. g. abstinentiæ a suffocato & sanguine, periocharum Biblicarum prælectionis, oblationum, jejunii, ædificationis templorum, encæniorum &c. in Apostolico aliisque factam conciliis *sanctionem, liberam retentionem* & quoddammodo adhuc *superstitem imi-*

 tationem

tationem expendamus. Divinum autem ſupplices veneramur Numen, ut orſis tantum operis ſucceſſus proſperos quam clementiſſime concedat.

SECTIO I.

DE LIBERA CERIMONIARVM QVARVNDAM IVDAICARVM, PER ADVENTVM CHRISTI ABROGATARVM, v. c. CIRCVMCISIONIS, NASIRAEATVS, SABBATHI ET PASCHATOS VSVRPATIONE.

§. I. *Libera cerimon. Jud. uſurpatio tempore N. T.*

Inter alia, quæ Novum a Vet. T. diſtinguunt, diverſitatis momenta, haud poſtremum occupat locum, quod adumbrativam cerimoniarum Leviticarum obſervationem Chriſtus, infirma illa mundi elementa morte ſua abolens, ſuſtulit, & tanquam melioris teſtamenti mediator, præſtantioris cultus ipſe & miniſter extitit & auctor. Hebr. VII, 22. VIII, 5, 6. Hinc adeo, quanta cum religione ſectari eas antea, ceu neceſſarias & adhibere conveniebat; tanto poſtea ſtudio fugiendæ erant, utpote non inutiles modo, ſed illicitæ omnino & plane mortiferæ: maxime ſi cum opinione meriti conjungerentur. Graviter proinde eo nomine intonat Apoſtolus Col. II, 20 ſq. *ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mundi, quid quaſi viventes in mundo dogmata facitis? Ne tangas, neque guſtes, neque contrectes, quæ ſunt omnia in corruptionem abuſu juxta mandata & doctrinas hominum.* Conf. Gal. IV, 9. Cujus veſtigiis inſiſtens AVGVSTINVS, HIERONYMO ὁμόψηφος, aperte profitetur: *Proinde ſicut tu e contrario loqueris & licet reclamante, ſicut ſcribis, mundo libera voce pronuncias: cerimonias Judæorum & pernicioſas eſſe & mortiferas Chriſtianis; & quicunque eas obſervaverit, ſive ex Judæis, ſive ex gentibus, eum in barathrum Diaboli devolutum: Ita ego hanc vocem tuam omnino confirmo, & addo: Quicunque eas obſervaverit, ſive ex Judæis, ſive ex gentibus, non ſolum veraciter, verum etiam ſimulate, eum in barathrum Diaboli devolutum.* Epiſt. ad HIERON. *ſupra cit.* Nihilo tamen ſecius primis N. T. temporibus, quibus adhucdum nec ſcandalum ex iis naſcebatur infirmis, nec perverſa hæreticorum vafrities libertate Chriſtiana in velamen nequitiæ abutebatur, ſub adiaphorias ſpecie libere easdem adhibebant doctores, vel certe tolerabant. Cum enim Apoſtoli id ſibi datum negotii ſcirent, ut plantata a Chriſto Eccleſiæ pomœria firmarent, ampliusque protraherent; divino hanc libertatem conſilio ſunt tutati, ut partim omnem cultus Levitici ceſſaſſe neceſſitatem pariter ac uſum, paſſim inculcarent, partim ubi e re Eccleſiæ eſſe videbatur, libere eundem in ceterorum ædificationem uſurparent. Non quaſi minus recte in hoc doctrinæ capite ſibi conſtarent, & aliud ſcriptis ederent, oreque proferrent, aliud in praxi ſervarent: ſed ut *proximo placentes in bonum, in ædificationem* Rom. XV, 2. infirmitati neophytorum ex Iſraele, quibus offendiculum ex omnimodo ejus neglectu vel etiam contemtu non poterat non oboriri, ſe accommodarent; bene gnari, *omnia ſibi licere, ſed non prodeſſe omnia,* & poteſtatem quidem nactos ſe eſſe a Domino, verum εἰς οἰκοδομὴν, καὶ οὐκ εἰς καθαίρεσιν. 2 Cor. XIII, 10. Vnde Paulus, quando de adiaphororum uſu loquitur, ſuo hanc συγκατάβασιν exemplo confirmat: *Quamvis liber ſim ab omnibus, omnibus me ipſum ſervum feci, ut plures lucrifaciam. Vnde factus ſum Judæis, quaſi Judæus, ut Judæos lucrifacerem: Iis, qui ſub lege ſunt, quaſi ſub lege eſſem &c. Iis, qui exleges ſunt, exlex &c. Factus ſum infirmis, quaſi infirmus,*

mus, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus factus ſum omnia, ut omnino aliquos ſalvos facerem. 1 Cor. IX, 19 - 22. Præclara ejus rei teſtimonia Acta exhibent Apoſtolica, quorum aliqua paulo curatius expendere, præſentis ratio fert inſtituti: ita tamen, ne brevitatis, quos conſtituimus, limites excedantur.

§. II. (α) *Circumciſio.*

Primo quidem loco memoranda nobis venit *Circumciſio*, quam præclaris de benedicto ſemine promiſſionibus munitam, Deus cum Abrahamo fœdus pangens, ipſi poſteriſque demandavit. Gen. XVII, 1-14. Nihil hic moramur IVLIANVM, qui apud CYRILLVM *T. VI. p.* 354. Ἀβραὰμ, Ἰσαὰκ, Ἰακὼβ, ὄντες χαλδαῖοι, γένους ἱεροῦ καὶ θεουργικοῦ τὴν περιτομὴν ἔμαθον, Αἰγυπτίοις ἐπιξενωθέντες, Patriarchas inter Aegyptios verſatos circumcidendi ritum ab iisdem didiciſſe tradit. Nec a IOH. SPENCERO *lib. I. de Legib. Hebr.* aut MARSHAMO, Equite Anglo, *in Canone Chronico*, idem nobis perſuaderi patimur; refutato hoc nomine utroque a SAM. BASNAGIO *in Exercitat. Hiſtorico-Critic. ad* BARONII *Annales*, quas *Acta Erudit.* recenſent *A.* 1692. *menſ. Apr. p.* 155 *ſq.* Clarior nobis divina inſtitutio eſt, quam ut ritus hujus originem profanam aut gentilem ſuſpicemur. Hæc enim, præterquam *quod ſigillum eſſet juſtitiæ fidei* Rom. IV, 11. & Judæos, qui propterea peculiariter appellantur circumciſio, a gentibus, quæ præputium dicuntur, Rom. III, 30. diſtingueret: efficax inprimis medium erat atque organum receptionis in fœdus Dei, regenerationis atque ſalutis; nec adeo ordinarie, citra æternæ beatitudinis diſpendium, juxta illud: *incircumciſus excinditor*, Gen. XVII, 14. a quoquam temere negligenda. Quæ enim BELLARMINVS contra circumciſionis efficaciam deblaterat, operoſe confutata & exploſa vide a b. GERHARDO *Locor. Theol. XXI.* §. 65 *ſqq.* At vero, poſtquam N. T. auſpicia nova ſibi poſcerent gratiæ ſigilla, & baptiſmus, ceu περιτομὴ Χριστοῦ ἀχειροποίητος in circumciſionis vicem locumque ſuccederet Col. II, 11. antiquata utique illa & abrogata eſt, cum *ubi præterierunt vetera, omnia facta ſunt nova*, 2 Cor. V, 17. Hinc eſt, quod Paulus ad Galatas: *Ecce ego*, inquit, *dico vobis, quod ſi circumcidamini, Chriſtus vobis nihil profuturus ſit*, cap. V, 2. &c. Vana proinde minusque tuta eſſe refugia, quo Judæi ceterique, circumciſionis perpetuitatem aſſerentes, ſe recipiunt, GERHARDVS edocet *Loc. Theol. XXII.* §. 21. *p.* 528. & PFEIFER. *Dub. vex. p.* 718. Rectius omnino ſaniusque, uti de Sacramentis in genere, ſic præcipue de Circumciſione, poſtquam de ejusdem ſub V. T. neceſſitate loquutus fuiſſet, ediſſerit AVGVSTINVS *Epiſt. CCIII. ad Maximin. Donatiſtam p.* 870. *Hoc Sacramentum ipſe Dominus, quamvis evacuaverit crucifixus; tamen natus accepit. Non enim ſignacula illa damnata ſunt; ſed ſuccedentibus opportunioribus deceſſerunt. Nam ſicut circumciſionem abſtulit Domini primus adventus: ſic baptiſmum auferet ſecundus adventus.*

§. III. *Diverſa circumciſionis Judæor. ratio, tempore diverſo.*

Quanquam autem hac ratione *lex Moſis jam mortua erat, & cerimonialium, quæ typum Chriſti gerebant, vis adventante corpore deſierat: nondum tamen erat mortifera; adeoque obſervari a Judæis poterat, modo non ſub opinione neceſſitatis urgeretur*, inquit nervoſe CALOV. *Bibl. Illuſtrat. ad Act. XXI,* 19. Triplicem ergo pro temporum diverſitate rationem obtinet circumciſio; utpote quæ ſub V. T. *neceſſaria;* in Novo exortis Pſeudapoſtolis, uti & hodie, *noxia;* ſub initium autem Nov. Teſtam. inter *adiaphora* relata, ad tempus libere retinebatur; ita tamen, ut *circumciſio nihil eſſet, & præputium nihil eſſet, ſed obſervatio mandatorum Dei* 1 Corinth. VII, 19. Non ergo mirum, Paulum, cum Lyſtram & Derben delatus, Timotheum Græco ſatum patre offendiſſet, Chriſtianorumque cœtui adſcriptum, itineris comitem dele-

delegisset, ad se receptum circumcidisse: additur enim ratio, διὰ τοὺς Ἰουδαίους τοὺς ὄντας ἐν τοῖς τόποις ἐκείνοις Act. XVI, 3. ne scilicet Judæi, in quorum conversione utilem ipsius operam Paulus sibi pollicebatur, consuetudine commercioque ejus abstinerent, quem noverant incircumcisum. Hinc Apostolus, ne a consueto Judæis more, cum scandalo certissime juxta vers. 3. orituro desciscerent, hunc Synagogæ habuit honorem, ut ad evitandam infirmorum offensionem, in usum ac ædificationem Ecclesiæ, libere & sine ulla necessitatis opinione vel specie Timotheum circumcideret. Idque pie sane atque circumspecte: non tamen ea propter majore statim in his rebus dijudicandis lumine perfusus, quam ceteri Apostoli; quo nomine merito CALOVIO vapulat GROTIVS: cum licet Petrus non recto hic pede incesserit, quando conversatione cum Ethnicis in Judæorum gratiam abstinuit Gal. II, 11. talis tamen in conversatione error lumini Apostolico in rebus fidei & dogmatibus circa adiaphora nihil derogaret; uti ex Apostolorum θεοφορίᾳ 2 Petr. I, 21. Matth. X, 19. Joh. XIV, 13. & Concilio Apostolico Act. XV. patet. Idem tamen Paulus haud ita multo post, cum falsi ingressi erant fratres, κατασκοπῆσαι Christianam libertatem, & servituti legum cerimonialium liberam Christi gentem καταδουλώσασθαι; dum Titi necessariam proclamarent circumcisionem: ne ad momentum cessit τῇ ὑποταγῇ, ac si ipsis subjectus, ad illorum præscriptum necessario in re indifferente agere teneretur. Circumcisione igitur Titum, in confessionis, doctrinæ & hæreticæ contradictionis casu, voluit carere, ἵνα ἡ ἀλήθεια τοῦ εὐαγγελίου διαμείνῃ apud Galatas, quam ipse causam subnectit Gal. II, 5. coll. 3, 4. aperte testatus, ea si quis mente sub necessitate suscipiat circumcisionem, totius legis eum obligatione obstrictum teneri, cap. V, 3. Nec enim tum de adiaphoro tam res agebatur, quam de articulo fidei, Christiana libertate nimirum, quam contra adversariorum machinationes & cuniculos fartam tectam Apostolus servabat. Vide BALDVINI *Commentar. in Galat. II. pag.* 779. & 785.

§. IV. *Circumcisio apud alias gentes.*

Demum vero, quando adhuc hodie frequens circumcisionis apud Aethiopes Abyssinos usus est, non adeo cum vitio conjunctus is ipsis videtur, quin civilem saltem ac mere politicam obtineat rationem, inter sacros ritus omnino non amplius referendus. Sequiorem ergo ipsi, Apostolicæ in hoc capite doctrinæ tenacissimi, suspicionem deprecantur, interprete CLAVDIO Rege Aethiopiæ, qui in *Confessione fidei*, ex versione viri illustris & in Aethiopica literatura principis IOBI LVDOLFI ita habet: *Quod vero attinet rationem circumcisionis; non utique circumcidimus sicut Judæi; quia nos scimus verba doctrinæ Pauli, fontis sapientiæ, qui dicit: & circumcidi non prodest, & non circumcidi non juvat; sed potius nova creatio, quæ est fides in Dominum nostrum Jesum Christum. - - Verum Circumcisio est apud nos secundum consuetudinem regionis, sicut incisio faciei in Aethiopia & Nubia, & sicut perforatio auris apud Indos. Id autem, quod facimus, non (fit) ad observandas leges Mosaicas; sed tantum propter morem humanum.* Quibus & hæc addit argumenta LVDOLF. *in Annot.* 10. *ad h. l.: quod perficiatur privatim a muliercula, arbitris remotis. Quid, quod etiam fœmellis aliquid, quod superfluum naturæ putant, abscindatur; unde pateat, morem magis profanum, quam religiosum esse.* More itaque patrio illam adhibent, citra ullam necessitatis ad salutem opinionem; verum ut antiquissimum ritum, quem longe ante N. T. tempora, & ante quam ad Ecclesiæ gremium (opera, quod ferunt, Matthæi & Matthiæ Apostolorum, nec non Eunuchi Candaces) accederent, proculdubio e Mosaicis scriptis, licet non immediate, haustum receperunt. Sequor hic auctoritatem Veterum: οὕτω δὴ, inquit hanc in rem ARTABANVS apud EVSEBIVM *in Præpar. Evang. lib. IX, c.* 27. τοὺς Αἰθίοπας, καίπερ ὄντως πολεμίους, στέρξαι τὸν

Μωϋσῆν,

Μωϋσῆν, ὥστε καὶ τὴν περιτομὴν τῶν αἰδοίων παρ' ἐκείνου μαθεῖν· οὐ μόνον δὲ τούτους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱερεῖς ἅπαντας. Cui adstipulatur EPIPHANIUS contra *Ebionem* disputans, *Hæresi XXX*, *num.* 33. τί δὲ καυχᾶται Ἐβίων περιτομὴν, ὁπότε καὶ οἱ εἰδωλολάτραι καὶ μιαρεῖς τῶν Αἰγυπτίων περιτομὴν ἔχουσιν; quibus cum adjunxisset gentes adhuc alias, subjicit: τούτων δὲ οἱ πλείους οὐ διὰ νόμον τοῦτο ποιοῦσιν, ἀλλὰ ἀλόγῳ τινὶ συνηθείᾳ, *quorum plurimi non per legem hoc* (circumcidendi nempe institutum) *observant, sed irrationabili quadam consuetudine.* Idem HERODOTUS testatur *in Euterpe*, & alii. Horum mihi potior fides est, quam ut a MICRAELIO me dimoveri patiar, quando *Syntagm. Hist. Eccles. lib. III. Sect. II. p.* 641. *more Judaico infantes eos circumcidere* affirmans, superstitiosam modernorum Judæorum opinionem ipsis affricat; maxime cum paulo ante *Christianam quidem religionem, sed Judaicis cerimoniis corruptam, Æthiopes superiores, Abyssinos dictos, profiteri* tradat. Æquius utique de illis rectiusque judicat IOH. BVNO *in Annot. ad* CLVVERI *Introd. Geograph. l. VI. cap.* 9. *p.*584. ubi eundem circumcisionis ritum recensens, *utrumque testamentum*, inquit, *sic conjungunt Abyssini, ut nonnullos ritus Judæorum retineant, una cum ritibus Christianorum;* quanquam pro sacro & religioso hunc ipsis morem haberi, minus accurate statuisse idem videatur. Sed & in eandem sententiam pedibus quasi ivit HILDEBRANDVS *in Ritual. Baptismi p.* 62. dum non ex necessitate quidem Abyssinos, hoc tamen fine adhibere circumcisionem in utroque sexu affirmat, *quod hac velint innuere, se Abrahæ filios per fidem Christi factos.* Nec mirum, cum eidem magnus etiam VOSSIVS patrocinetur, qui DAMIANVM A GOEZ secutus, eadem plane tradit *Disp. XVII. de Baptism. Thes.* 19. *p.* 215. adjiciens illos hac nota a nationibus incredulis velle discerni. Frustra certe; quod & Colchis ea ac Ægyptiis, teste HERODOTO *in Euterp.* & ORIGENE *lib. V. contr. Celsum*, & Troglodytis, ut AGATHARCHIDES affirmat *lib. V. cap.* 3. *in Biblioth.* PHOTII *num.* 250. sit communis. Conf. DIODORVS SICVLVS *lib. III. cap. III.*

§. V. (β) *Nasiræatus.*

Synagogæ, dum in vivis esset, pars haud postrema erat, quæ votis Deo factis absolvebatur; sponte quidem ac ultro susceptis, at juxta divinæ legis præscriptum ac normam exsolvendis. *Nasiræatus* ab abstinentia audiebat, quod a vino omnique sicera abstinere, comam alere, & ab impuro contactu sedulo sibi cavere, eo qui se Domino h. e. לעבודת השם uti ABEN ESRA exponit, ad cultum Numinis eo expeditius obeundum obstrinxerant, tenebantur. Conf. Num. VI, per tot. Neque tamen unius generis hujusmodi erant devoti: aliis, qui *Nasiræi sæculi* vel *perpetui* dicebantur, ab utero per omne vitæ spacium religione hac obstrictis, qualis Simson Jud. XIII, 5. XVI, 17. & Samuel 1 Sam. I, 11. commemoratur; quibus in N. T. Joh. Baptista Luc. I, 15. æque ac ejusdem in V. typus Elias propter 2 Reg. I, 8. 1 Reg. XIX, 19. ex mente GROTII *Not. ad Matth. III,* 3. accensendus; aliis ad certum saltem temporis, ut plurimum 30 dierum, tractum se obligantibus, qui *temporarii* vel *Nasiræi dierum* appellabantur. Conf. MAIMON. *par.* 3. *in* הלכות נזרות & LVNDIVS *in den Jüdischen Heiligthüm. Lib. III. cap.* 53. Non vero solam hoc votum continentiam spectabat Judæorum; sed ulterius porrigens ad Christum sese referebat, utpote qui sacrosanctus, a peccatoribus & omni immunditie segregatus, Dan. IX, 24. Deo Patri consecratus ac redemtioni generis humani destinatus Ps. XL, 7 seqq. corporis sui victima purificationem nostram explevit. Eph. V, 2. Hebr. IX, 26. Inde non immerito huc trahunt Ναζωραίου denominationem Matth. II, 23. Patres æque ac recentiores Theologi, magno numero allegati CALOVIO *Bibl. Illustr. ad h. l.* quantumvis in Syriaca paraphrasi vox ܢܨܪܝܐ non per ז Zain, ut Jud. XIII, 5. verum per ܨ zode scribatur: nec inconcinne τίτλον crucis Christi huc

huc accommodet ERASM. SCHMID. *Annot. ad Joh. XIX*, 19. *Quamvis* enim *Christus non præstiterit votum illud, quod Nasiræi præstare solebant,* Numer. VI, 2. *fuit tamen verus Nasiræus, videlicet sanctus, innocens, immaculatus, & a peccatoribus separatus* Hebr. VII, 26. ut bene monet GERHARD. *Comment. in Matth. p.* 318. Equidem contrarium hic sustinet LUNDIUS *c. l. p.* 696. dum omnes Christum Nasiræatus leges observasse contendit, diluere conatus, quæ in contrarium urgeri poterant, argumenta; meris tamen ipse conjecturis nixus.

§. VI. *Libera εὐχῆς μεγάλης usurpatio.*

Satis hinc clarum est, hanc quoque exhibita specie cessasse umbram, nec ad N. T. observationem pertinere, ad quæ per τὰς ἀβαςάκτους Veteris leges homines adstringebantur. Ne qua tamen contemtus suspicio in zelum veterum ac religionem caderet, sed cum honore & hic componeretur ritus, Paulus libere eodem traditur defunctus Act. XXI, 24, 26. Is, cum hominem sola in Christum fide coram Deo justificari, nihil vero quicquam in negotio salutis ab operibus juvari doceret; legem itaque moralem, tantum ut viva demonstretur fides, servandam, cerimonialem autem nullius amplius necessitatis, liberæ saltem observationis esse contenderet: infirmioribus suspicio, malevolis vero & traductoribus calumniæ inde nascebatur occasio, quasi improbata tota lege Mosaica, gentilismum quendam & Epicuream peccandi licentiam introductam vellet. Ita sane, postquam Hierosolymas venisset, referebant fratres: *Informati sunt de te (Judæi) quod apostasiam a Mose doceas eos, qui per gentes sunt, omnes Judæos: dicens, eos non debere circumcidere filios suos, μηδὲ τοῖς ἔθεσι περιπατεῖν, neque secundum receptos mores incedere,* Act. XXI, 21. Has ergo ut effugeret calumnias, & neutiquam hostili in patrios se ritus animo ferri, tot conversorum Judæorum millibus, qui omnes ζηλωταὶ τοῦ νόμου erant, v. 20 ostenderet; Jacobus & omnes Presbyteri suasores erant, ut necessariæ defensionis causa non equidem judaizaret, & gentes ἰουδαΐζειν cogeret (quod acriter ipse in Petro taxaverat Gal. II, 14.) sed ἀδιαφόρως ea faceret, quæ alium, quam qualis falso delatus apud ipsos fuisset, demonstrarent. Dicto itaque audiens Paulus *assumsit viros* (illos quatuor devotos v. 23 seq.) *insequentique die cum illis mundatus intravit in templum, denuncians impletionem dierum mundationis, usque quo adferenda esset pro unoquoque illorum oblatio* v. 26. Diversus equidem hic abit CAIETANUS & PETITUS, uterque Paulum ipsum votum concepisse negans, cum sumtus tantum in reliquos quatuor viros Nasiræos impendisse dicendus sit. Siquidem ex PETITI observatione *Lib. I. Var. Lect. c.* 3. alii, qui voto non tenebantur, si nomen suum apud Sacerdotes professi, Nasiræis quibusdam requisitos ad sacrificia purificationis & tonsuram capitis sumtus suppeditarent, hunc inde fructum caperent, ut & ipsi hoc pacto per impensarum in sanctos erogationem sanctificarentur. Sed graviter confutat eos CALOV. *l. c. p.* 930. seniorum consilium, facti ipsius descriptionem & scopum Apostoli urgens, quæ omnia a voto Paulum excludi non patiuntur. Addit porro & istud CALOVIUS, quod Act. XVIII, 18. legatur hoc votum Paulus fecisse. Ubi tamen ingens constituta ipsi adversaria est cum eruditis. Ipso enim non diffitente CALOVIO, voti expletio non alibi locorum, quam in templo adeoque Hierosolymis, ex lege temporaria & consuetudine Judæorum peragi poterat, ut adeo rasuram, si ex voto fuerit, Paulinam Cenchreæ suscipere, fas minime fuisset. Utut quidem facile hoc dari queat GROTIO, etiam pro Nasiræatu (verum non *Pauli*, sed *Aquilæ*) h. l. intelligendo pugnanti, εὐχὴν nonnunquam κατ' ἐξοχὴν *Nasiræatum* denotare, qui ideo a PHILONE *Lib. de victimis p.* 864 *seq.* & in aliis locis, μεγάλη εὐχὴ vocatur: non tamen generalem ea significationem, qua quodvis etiam profanum & civile votum notat, ea propter exuisse, nec in alio, quam Nasiræatus significatu, occurrere credenda.

da. Quod vero eos, qui extra Judæam agebant, præcepta hæc talia non obligaſſe dicit, id a ſcopo ac mente Apoſtoli alienum eſt, quippe qui id dabat operam, ut legis ſe obſervantiſſimum ipſo facto doceret. Et ſi non obſervavit leges, cur caput raſit? Si vero ex lege voti raſit, cur in loco incongruo, nec Hieroſolymis, quo jubebant leges? Hæ certe rationes tantum habere ponderis magnis viris viſæ ſunt, ut non ſacrum hoc Naſiræatus, ſed civile quoddam aliud Act. XVIII, 18 intelligi votum exiſtiment; quos inter nomen ſuum profitetur doctiſſimus SALMASIVS, eumque ſequutus LVNDIVS, ſuperiori § citatus. Media has inter b. GEIERI ſententia eſt, qua votum omne ſive ſacrum, ſive civile h. l. abeſſe cenſens, SAM. PETITI explicationem approbat, quod Apoſtolus, *quia hactenus Corinthi comam aluerat pro Corinthiorum more, nunc vero Hieroſolymam profecturus, eandem depoſuerit, caputque ſtrictim ad Judæorum conſuetudinem totonderit, ſiquidem ſibi cum Judæis nunc rem fore non poterat dubitare.* Vide *de luctu Hebræor. cap. VIII. §. 4. p.* 201. Sed ut e diverticulo in orbitam nos recipiamus, Paulum purificationem & προσφορὰν tam probaſſe in aliis, quod impenſarum erogatione oſtendit, quam ipſum adhibuiſſe, ex hactenus dictis apparet; quod varium inde in Eccleſiam emolumentum redundare videret. Nam & pudorem incutiebat adverſariis, & confirmabat infirmos, & legitimum adiaphororum docebat uſum. Indifferens enim eo tempore hoc votum cum annexis erat, quia cum Templi demum excidio evanuit ſacrificiorum inter Chriſtianos ex Judæis uſus: immo per ſæcula aliquot nonnulli ex Chriſtianis talibus, maxime Naſiræi, tam ritualia, quam reliqua Judaica, quantum extra templum fieri potuit, diligenter obſervarunt, uti CALOV. *ad Act. XXI,* 19 demonſtrat. Sacrificiorum quidem & oblationum ſolennem per Meſſiam ejusque mortem ſublationem prædicit Daniel cap. IX, 27, non tamen ſimultaneam, ſed ſucceſſivam & definito tempore futuram. Nam *cum morte Chriſti non extemplo deſierunt ſacrificia quoad externum actum materialem, licet deſierint quoad jus, quoad uſum præfigurandi, & quoad fructum antehac a ſacrificiis manantem,* ut nervoſe & accurate loquitur *in Comm. in h. l.* GEIERVS.

§. VII. (γ) *Sabbathum.*

Ad hæc ſpontanea, ſtata quoque ſacra, quam maxime ad Synagogam pertinent, quæ ſacratos dies atque tempora comprehendunt. Familiam quaſi ducit *Sabbathum,* eo circumſpectiori cum cura a Judæis celebratum, quo ſeveriori Dei mandato obſervationi ipſorum ac memoriæ in præcepto tertio fuit demandatum. Quod antequam expendamus, præmittenda inprimis eſt iſta conſideratio, quæ cerimoniale ejus a morali diſtinguit, & ſingulatim declarat, in quantum ad Synagogam (in præſenti, qua mortua ac ſepulta dicitur, ſignificatione acceptam) referenda, atque in quantum ceu moralis legis præceptum omnes obligat, & tam late patet, quam ipſe ſe decalogus extendit. Hanc autem b. Avi malumus, quam noſtris exponere verbis; qui *Iſagog. in LL. Symbol. Catech. Min. ſect. II. m. 2. p. 969 ſeqq.* ita habet: יוֹם הַשַּׁבָּת *conſideratur dupliciter: formaliter & materialiter; formaliter eſt dies ultima in hebdomade ſeu ſeptimana, incipiens a veſpera & durans usque ad alteram veſperam; materialiter vero eſt certus dies, cultui divino & exercitiis religionis publicis ſolenniter deſtinatus. Priori modo cerimoniale quid eſt, & ad ſolum V. T. pertinuit; poſteriori vero modo morale quid, ſiquidem hæc voluntas Dei eſt, ut in ſingulis hebdomadibus aliquis dies cultui publico & exercitio verbi deſtinetur, ut* b. BALDVINVS *in Caſibus Conſc. l. 2. c. 13. caſ. 2. p. 475. etiam id declarat.* His gemella ſunt, quæ paulo ante *ad Art. VII. Abuſ. A. C. m. 2. p. 751.* inculcaverat, quæ brevitatis ſtudio adſcribere ſuperſedemus. Conferri huc etiam poteſt IOH. AD. OSIANDER *in Obſervat. ad* GROTII *de Jure B. & P. lib. 1. cap. 1. ad th. 17. obſ. 4. p.* 302. ubi perſpicue demonſtrat, quæ tertii in decalogo præcepti cerimonialia, quæ moralia ſint, refutatis contrariarum ſenten-

ſententiarum argumentis. Sufficiat nobis annotaſſe, quod, cum ſapientiſſimus legislator aliquem hebdomadis diem cultui ſuo poſceret, ſeptimum præ ceteris Judaicæ Eccleſiæ definire placuerit: partim quidem, ut illuſtrem illam a creationis opere quietem divinam (Gen. II, 3) hic dies in memoriam vocaret Exod. XX, 11. partim vero, ut monumentum eſſet liberationis ex domo ſervitutis Ægypti, & *ὁρμητήριον* ad debitas ſupremo Numini pro conceſſa requie agendas grates Deut. V, 14 ſeqq. partim, ut ſimul futuræ per Chriſtum, ex Satanæ tyrannide & laboribus peccati, ereptionis, typum gereret, & redemtionis Sabbathum, a Chriſto in ſepulchro agendum, præfiguraret; quo haud obſcure dicta reſpiciunt Exod. XXXI, 13. Ezech. XX, 12. Non itaque mirum, tam rigidam circa hoc præceptum Judæorum diſciplinam fuiſſe, ut in ejus transgreſſores ſeveriſſima lapidationis pœna animadverterent; quod infelici exemplo ille lignorum bajulus expertus eſt Lev. XXIV, 10 ſeq. Hæc autem, quibus modis contracta fuerit profanatio, quidque licuerit Sabbatho peragere, quidve minus, in compendio docet BVXTORF. *Lex. Talm. voc.* שְׁבוּת *fol.* 2323. & fuſius declarat LVNDIVS *Jüdiſch. Heiligth. lib. V. cap. VI. per tot.* Rationem vero, cur Sabbathi violatio pœna capitis luenda fuerit, GROTIVS reddit *l. II. de Jure B. & P. cap. XX.* §. 45. 2. At enim vero, poſtquam Dominus Sabbathi in carne adventaſſet, iſtam ad diem ſeptimum reſtrictionem, una cum reliquis ejus cerimonialibus typicisque ſignificationibus (hactenus nempe recenſitis; alias enim adhuc qua materiale ſuum Sabbathum æternæ beatorum in cœlo quietis, ubi *Sabbathum erit ex Sabbatho Eſ. LXVI,* 23. & *Sabbathiſmus populo Dei relictus Hebr. IV,* 6, 9. typum ac figuram gerit) ſuſtulit, & ſuo ſuorumque docuit exemplo, remiſiſſe jam rigorem, & ad materiale potius Sabbathi in poſterum reſpiciendum, quam ut de formali ejusdem ſpecifico, ſeu *κατ᾽ εἶδος* tali, adeo ſollicita cura habeatur. Quare, cum mox ipſe Matth. XII, 10. mox diſcipuli l. c. v. 2. a Phariſæis violati Sabbathi rei peragerentur, cauſam graviter dicebat Salvator, genuinam divini cultus rationem ex Hoſ. VI, 6 demonſtrans. Ut enim loco ſe adſtringi Novi T. non patitur libertas Joh. IV, 20, 23. ita nec tempore certo, ſub neceſſitatis quadam, ad ſalutem facientis, lege circumſcribitur: ſed Eccleſiaſticæ relictum hoc eſt poteſtati, diem, qui viſus fuerit, ſacris dicare. Ὀρθοδοξοτάτως ergo auguſta Aug. Confeſſio *Art. VII. Abuſ. p.* 42. ejusque *Apolog. p.* 152. diei Dominicæ determinationem ad ordinationes & conſtitutiones Eccleſiæ refert; ſedulo cavens, ne Synagoga veluti poſtliminio reducatur, aut neceſſarii ad ſalutem cultus ejusmodi habeantur. Clariſſima enim Apoſtoli ſententia eſt, Col. II, 16. *Nemo vos judicet in cibo aut potu, aut reſpectu Feſti, aut Novilunii, ἢ Σαββάτων, aut Sabbathorum; quæ ſunt umbra rerum futurarum; at corpus eſt Chriſti.* Merito proinde hæreſeos notam incurrerunt Novatianorum aliqui, quod Presbyterum quendam, a quo etiam Sabbatianorum ipſis appellatio hæſit, Sabbatium *κατὰ τοὺς Ἰουδαίους σαββατίζοντα* ſequuti fuerant, de quibus, ſi ad ſanam mentem redeant, quo pacto recipiendi ſint, *Canon* ſciſcit *VII. Concil. Conſtantinop.* Rectius omnino orthodoxa Eccleſia adiaphoriam hanc agnovit, & relicto ſeptimo, ad diem primum tranſtulit Sabbathici munia cultus; ſive ex divina inſtitutione, quod DANNHAVER. contendit *Diſp. VIII. Decalog.* §. 7. ſive Apoſtolorum auctoritate, ut judicat BALDVIN. *lib. II. Caſ. Conſc. c.* 13. *Caſ.* 2. *p.* 433 ſeqq. certe tamen eatenus Chriſtiana libertate; ut licet actu primus hic dies poſt ſui determinationem *mutatus* deinceps non legatur, *mutabilis* tamen in ſe ſit, nec indifferentiam ſuam amittat. Conf. adhuc CARPZOVII *Iſagog. l. c.* & *p.* 320. Cauſas vero, cur in locum Sabbathi ſucceſſerit dies primus, IVSTINVS MARTYR exponit *Apol. II.* *ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε· Καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος Σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη.* Fuſius easdem explicatas lege a GERHARDO *Locor. Theolog. XV.* §. 141.

§. VIII.

§. VIII. *Sabbathum quando abrogatum?*

Nec tamen adeo e vestigio aut in solidum abrogatum hoc fuit cerimoniale, quin per sat longum temporis spacium liber ejusdem in N. T. obtinuerit usus. Hoc Acta testantur Apostolica, quæ Paulum narrant, postquam cum itineris comitibus Perge digressus Antiochiam Pisidiæ advenisset, suum Sabbatho honorem habuisse, & Synagogam ingressum lectioni legis & Prophetarum reverenter auscultasse; mox & rogatum ab Ἀρχισυναγώγοις, de Evangelio felici admodum eventu verba fecisse cap. XIII, 13 seqq. Pari quoque veneratione Sabbathum Philippis prosequutus cum suis fuisse legitur cap. XVI, 13. Tum quidem, ut commodam Evangelii de Christo prædicandi occasionem nancisceretur, implicatosque cerimoniis suis Judæos ab earum necessitate revocaret: tum ut non omnimodo hostem se temporariæ legis esse, externa hac professione ostensum daret, & quomodo honorifice pariter ac libere divina cerimoniarum præcepta tractari debeant, facto doceret. Hujus deinde imitata exemplum primitiva fidelium N. T. Ecclesia utrumque sacrum habuisse diem, & μίαν (h. e. πρώτην coll. Luc. XXIV, 1. cum Marc. XVI, 9.) τῶν σαββάτων Act. XX, 7. seu κυριακὴν ἡμέραν, diem Dominicam Apoc. I, 10. & ἡμέραν τῶν σαββάτων, seu Judæorum Sabbathum, communi creditur consensu. Non quidem consueto aliis pro hac sententia argumento nitimur, e *Constitutionibus Apostolicis* desumto, quarum *Lib. VIII, c.* 33. & *VII, c.* 24. præcipitur, ut servi σάββατον καὶ κυριακὴν σχολάζωσιν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας. Dubia nobis admodum & incerta earum est auctoritas, cum centonem rerum atque rituum ab ætate Apostolica & gravitate remotorum complectantur, docente GERHARDO *Conf. Cathol. lib. I. part. II. cap. VII.* nec abnuentibus Pontificiorum doctioribus, e quibus Card. BONAM allegasse sufficiat, qui *Lib. I. Rer. Liturg. c. 8. n.* 4. ante Constantinum M. sub Ethnicis Imperatoribus collectas eas arbitratur. Graviora adsunt nomina, quibus peculiaris Sabbathi Judaici, a primis Christianis celebrati, cultus evincitur. Solide multumque in hoc argumento versatus est LVDOLFVS, qui *Histor. Æthiop. L. III. cap. I. n. 9.* multa hanc in rem testimonia producit, & *Commentar. ad Hist. h. l. p.* 275. ad GABR. ALBASPINAEVM nos remittit, qui *Observat. de veter. Eccles. ritibus Lib. I, c.* 13. longe plurium suffragia addit: quibus, uti fidem denegare, protervia, ita quicquam addere, audaciæ esset. Quæ enim ex *Canon. XXIX. Concil. Laodic.* qui Sabbatho ἰουδαΐζειν prohibet, in contrarium urgentur, discussa omnia *cit. Comment. p.* 276. videbis. Docet porro eruditissimus Vir, hunc hodienum morem Habessinis solennem esse, primæ Ecclesiæ consuetudini acceptum ferentibus, quod & Dominicam & Sabbathi diem cultu sacro insumant: licet certis invicem modis utriusque feriatio discriminetur. Falsum enim esse, quod de prohibitione ullius, vel minimi etiam operis, in Sabbatho peragendi, TZAGA-ZAABI *Confessio fidei* affirmat, Idem c. l. p. 3. demonstrat. Porro etiam integram pro feriatione Sabbathi Epistolam adducit Anonymi cujusdam Jacobitæ ad Regem *Susneum p.* 493 *seqq.* Istud tamen in præsenti annotare liceat, cum c. l. p. 276. a GREGORIO suo hoc modo probatum fuisse Sabbathi cultum memorat; *quia Apostoli non revera illud abrogaverint; non enim sequi, diem Dominicam Apostoli instituerunt, ergo Sabbathum abrogaverunt:* minus accurate hæc ab Æthiope fuisse asserta, siquidem non de priori adeo clara in scriptis Apostolicis mentio habeatur, quam de posteriori, ut ex Col. II, 16. Gal. IV, 10. patet; adeoque Sabbathi abrogatio evidentiora in Scripturis argumenta, quam diei Dominicæ constitutio agnoscat.

§. IX. (δ) *Pascha.*

Præter Sabbathum non exiguam Synagogæ dignitatem Festorum conciliabat celebratio, ad divinorum oraculorum præscriptum instituta. Primas *Pascha* tenet, ea nocte ejusque in noctis

μνημόσυνον celebratum, qua Ægyptiis ferali, de inimicis vindictam, quietem a laboribus, a servitute liberationem, ab imminenti interitu ereptionem ac salutem, toti Judæorum genti Angelus attulit ultor. Id quod venerabili insuper Paschalis agni Sacramento ornatum, uti, quibus peractum modis fuerit, exponere præsentis non est loci; a Mose plus satis Exod. XII. Deut. XVI. Mosisque sequutis normam GERHARDO *L L. Th. XXII. cap. IV.* & DANNHAVERO *Mysteriosoph. Sect. II. §. 22 seqq.* explicatum: sic id inprimis paulo curatius est expendendum, quam venturi corporis gesserit imaginem, & quomodo ad illam, nullis hominum vel Angelorum satis deprædicandam linguis, humani generis redemtionem respexerit, quæ immaculati illius, in nostramque salutem immolati Agni sanguine, ad mortalium expiationem æque, ac profligationem hostium, in tempore est peracta. Hebr. X, 1. 1 Cor. V, 7. Exod. XII, 46. coll. cum Joh. XIX, 36. 1 Petr. I, 19. Hic finis erat, hic scopus, ad quem præter sacramentalem fœderis confirmationem, actualemque per esum agni gratiæ & justificationis collationem, tam recordatio liberationis Ægyptiacæ, innoxiique per Israëlitas exterminatoris Angeli transitus, quam omnis gratiarum actio, totaque festivitas est referenda. Non enim habemus, cur viri cetera doctissimi & in Hebraica antiquitate haud mediocriter versati IOHANNIS SPENCERI, Angli, adstipulemur sententiæ, qua plerasque legis, Paschatis præcipue, cerimonias velut rerum cælestium σκιαγραφίας a Deo institutas esse negat, affirmantium sententiam *non validiore argumento, quam conjectura tenuique similitudine niti*, pronuncians, *cum in Christi vita vel morte nihil fuerit, quod in agno assato depingi vel adumbrari potuerit: Lib. II. de legibus Hebræorum cap. IV. Sect. I. p. 235.* Hæc namque, uti allegatis Scripturæ dictis e diametro repugnant; sic falsum SPENCERI principium, quod de toto V. T. cultu fovit, spirant: primariam nempe legum rituumque Mosaicorum rationem, pertinaciam Judæorum fuisse, moribus receptis nimium adhærentium, quos non salubrius ab idololatria Deus revocare potuisset, quam ista συγκαταβάσει, qua ritus ethnicos, magnam partem ab Ægyptiis desumtos, sed paululum repurgatos, indulgeret; ut vero typi rerum spiritualium essent, hunc secundarium saltem & accidentalem, nec adeo omnibus communem fuisse finem. Quod ejus πρῶτον ψεῦδος nihil miramur plurimorum nec incelebrium virorum studia adversus ipsum concitasse; quos inter nominandus inprimis HERMANNVS WITSIVS *in Miscellan. sacris* passim, & IOHANN. MEYER. Theologus & Professor Geldrozutphaniensis in diatribe *de origine & caussis festorum Judaicorum*, ubi ex instituto contra SPENCERVM agit; nec non CHRIST. WORMIVS *l. 1. de corruptis antiquitatum Hebræarum apud* TACITVM & MARTIALEM *vestigiis;* IOHANNES item VAN DER WAEYEN *in variis sacris p. 248 seqq.* & SALOMO A TIL, V. D. Minister & Scholæ Dordracenæ Professor, *in atrio gentium omnibus infidelibus aperto*, ubi *p. 108 seqq.* primum istud principium SPENCERI refellit, & divinam legis Mosaicæ cerimonialis originem prolixe propugnat. E nostratibus sua contra ipsum tela emiserunt præ ceteris b. CARPZOV. *ad Schikardi* מ״ט *p. 44 seqq.* & D. CHRISTFRIED WAECHTLER. qui aliquot Epistolis sparsim editis, varia SPENCERI argumenta excussit & profligavit, de quibus summatim videri possunt *Acta Erudit. Lips. A. 1693.* passim. Sed hæc obiter; in viam redeundum. Fuit autem eadem & hujus, quæ reliquarum cerimoniarum conditio, ut Synagogæ veluti propria esset adstricta, qua sublata ipsius quoque usurpatio cessaret. Ut enim cetera, quæ ex supra citatis Scripturæ locis peti possunt testimonia, taceam, evidenti inprimis argumento divina hanc abrogationem providentia demonstravit, cum ipsum hoc Paschatis festum in excidii Judæorum verteret occasionem, qua gens tota intra unius urbis mœnia conclusa, pars fame pestique consumta, pars in mutuas effusa cædes, pars hostium præda, in ipsis Templi juxta ac Reipublicæ ruinis,

ruinis, deleretur. Hæsit tamen in Christi gente festi hujus religio; ut, licet nulla prorsus ratione id necessarium statuerent Christiani, cum honore tamen sepeliendum existimarent. Hinc tum salvis adhuc Judæorum rebus, tum post totius Reipublicæ interitum, eodem cum Judæis tempore Pascha, ad Evangelii doctrinam relatum, celebrabant; uti haud obscura ejus rei vestigia in sacris pariter ac ecclesiasticis scriptis conspiciuntur. Exemplo rursus Paulus est, acerrimus ille quidem Christianæ libertatis vindex, sedulus tamen & ipse priscorum rituum observator. Hunc Acta tradunt c. XVIII, 21. tanta hoc festum veneratione prosequutum fuisse, ut illius gratia Epheso solveret, & rogantibus ut maneret, id denegare, reditum pollicitus, quam Hierosolymis abesse mallet. Δεῖ με πάντως, inquit, *oportet me omnino festum venturum agere Hierosolymis*, ne scilicet scandalo Judæis, remoræ esset Evangelio. Ceterum per ἑορτὴν h. l. synecdochice & κατ' ἐξοχὴν Pascha designari, tam parallelia docet ex Matth. XXVI, 5. Marc. XV, 6. Luc. II, 42. Joh. V, 1. (ubi Pascha intelligendum IRENAEVS demonstrat *lib. II. c.* 39.) 1 Cor. V, 8. (ubi ad ἑορτάζειν simpliciter & sine restrictione positum, ζύμης παλαιᾶς averruncatio, & usurpatio ἀζύμων requiritur): quam collatio hujus loci cum Act. XX, 6. ubi, cum præter spem ac expectationem Paulus, excitato Ephesi a Demetrio tumultu cap. XIX, 21, 23 seqq. iter suum prosequi non posset, tantam nexuisse moram dicitur, ut post azymorum demum dies Philippis enavigare ei liceret; quod indicio est, proxime imminuisse azymorum festum, cum per Macedoniam ad sanctam tenderet urbem.

§. X. *De Paschate, varii generis observationes.*

Eo vero minus hæc in dubium vocamus, quo frequentius eundem primitivæ etiam Ecclesiæ, Apostolorum haud dubie exemplum imitatæ, morem solennem referunt auctores. Non sane temere aut falso *Apologia A. C. de Eccles. p.* 154. *Apostoli*, inquit, *jusserant Ecclesias servare Pascha, cum fratribus conversis ex Judaismo.* Ubi non diffiteor, esse, quæ effatum hoc reddere possint dubium, non exigua momenta, quæ eo valuerunt, ut eruditissimis etiam viris contrarium persuaderent. Certe DIONYSIVM PETAVIVM *l. II. de doctrina temporum cap.* 57. permoverunt, ut IOSEPHVM SCALIGERVM, virum in tantum æstimandum, in quantum ingenii acumen & doctrina intelligi potest, acriter perstringeret, quod is tum Apostolos, tum qui eos centum annis postea secuti sunt, Pascha semper Judaice, h. e. eodem cum Judæis die celebrasse, ex EVSEBIO & NICEPHORO CALLISTO affirmarit *de emendat. temp. l. II. p.* 250. edit. Genev. 1629. Sane si ætatem, quam jactant, Canones ferrent & Constitutiones Apostolorum, victas Apologia dare manus, herbamque porrigere cogeretur. Illi enim *Can. VII. Clericum, Pascha ante vernum æquinoctium celebrantem deponere jubent*, quo juxta BALSAMONEM οἱ θεῖοι Ἀπόστολοι συνεορτάζειν ἡμᾶς μετὰ Ἰουδαίων οὐ θέλουσιν; hæ vero *lib. V, cap.* 16. affirmant, quod Christiani μηκέτι παρατηρούμενοι μετὰ Ἰουδαίων ἑορτάζειν, *non amplius festum cum Judæis agere deprehendantur.* Sed quid de sanctionum harum ætate ac auctore sentiendum, sat omnibus constat, suspectam esse admodum, nec tantam, quæ primis Ecclesiæ scriptoribus conferri, nedum anteponi queat. Quid? quod & Apologia constitutionem quandam Apostolicam, pro se facientem, ex EPIPHANIO allegat *Hær. XXX. par.* 10. quæ plane in diversum a priori discedit? Quam cum contra Audianos explicat EPIPHANIVS, pacis & concordiæ studio statuisse, ait, Apostolos, ut quamdiu οἱ ἐμπερίτομοι Christiani Hierosolymis præsiderent, ab iis ceteri ne dissentirent. Aut igitur pugnantia invicem, & adversis quasi frontibus concurrentia constituerunt Apostoli, aut allegatarum Constitutionum altera nomen suum non tuetur. Firmior omnino Nicænorum Patrum fides est, qui in *epistola Synodica ad Ecclesiam Alexandrinam & Ægypti* &c. hanc circa Pascha initam in Concilio concordiam

 testantur,

testantur, *ut omnes per Orientem fratres* τοὺς μετὰ Ἰουδαίων τὸ πρότερον ποιοῦντας, *qui Judæorum consuetudinem ante in eo festo servando imitati fuerint*, συμφώνως Ῥωμαίοις *jam Romanos se sequuturos promiserint*, apud SOCRATEM *Hist. Eccl. lib. I. c.* 6. Accedit etiam EVTYCHII (quod LVDOLF. *loc. supra cit.* hanc in rem allegat), Patriarchæ Alexandrini, testimonium, qui *in Annalibus suis p.* 365. & 449. *Christiani*, inquit, *cum esset Pascha Judæorum, celebrabant & ipsi Pascha.* Et unde tandem orta sub finem Sæculi II. tanta fuissent circa Paschatis celebrationem dissidia, Orientis inter & Occidentis Ecclesias, nisi Asiaticæ XIV. una cum Judæis egissent, inde a Johanne & Philippo Apostolis hunc morem arcessentes; cum Occidentales a Petro & Paulo traditum sibi Pascha non σταυρώσιμον, sed ἀναστάσιμον dicerent, non alio, quam Dominico XIV. lunam subsequente obeundum? Grave utique hinc schisma, idque primum in Ecclesia N. T. ortum, accedente inprimis impotente Victoris zelo, quod EVSEBIVS *H. E. l. V. c.* 24. SOCRATES *l. V. H. E. c.* 22. & SOZOMENVS *lib. VII. c.* 19. recensent. Quod num sponte ac ultro, Orientalibus causam suam deserentibus, mitigatum fuerit, ut NICEPHORVS, sublestæ alias fidei scriptor, affirmare videtur *lib. IV. c.* 39. num vero, quod majorem veritatis speciem habet, in Nicæno demum Concilio compositum sit, salva Apologiæ sententia in medio relinquimus. Dubium tamen non est, quin causæ superfuerint sat graves, notabilisque, quantum ad hoc attinet, Ecclesiarum dissensio, quæ & ipsas, ut emendationem peterent, & Nicænos Patres ad sepulturam ritus antehac libere usurpati, permovit: ut præter allegatum SOCRATEM, EVSEBIVS *de vita Constant. M. lib. III. cap.* 16 *seqq.* & THEODORETVS *lib. I. c. X.* testantur. Non multo vero tempore post, idem Synodi Nicænæ decretum suffragio suo confirmavit, & sub excommunicationis pœna servandum voluit *Concilium Antiochenum* sub Constantio, Constantini M. filio, coactum *Can. I.* qui legi meretur una cum *Annotationibus* viri clarissimi BEVEREGII *in h. l. & in Can. VII. Apost. p.* 29. & 188 *seq.* Cum enim Audæani, vel, ut EPIPHANIVS effert, Audiani, qui alias a dogmate etiam Anthropomorphitæ audiunt, haud longe post Nicænam Synodum deliria sua spargerent, & inter alia cum Judæis etiam Pascha agere vellent: τουτέστιν ᾧ καιρῷ οἱ Ἰουδαῖοι ποιοῦσι παρ' αὐτοῖς ἄζυμα, τότε αὐτοὶ φιλονεικοῦσι τὸ πάσχα ἄγειν, ut explicat EPIPHANIVS *hær. LXX. num. IX*; e re Ecclesiæ fore putavit Synodus, ut obviam iis iretur, Nicænaque roboraretur auctoritas, & pœna contra transgressorum temeritatem muniretur. Fluxit autem ab errore hæreseos nomen, quo Τεσσαρεσκαιδεκατῖται, *Quartodecimani* appellati sunt: contra quos nominatim, nisi abjurata hæresi in communionem ne recipiantur, *Concilium Laodicenum canonem* sancit *VII.* ad quem conf. ARISTENVS & EPIPHANIVS *hær. L. par. I. & l. c.* Quin & porro eadem Laodicena Synodus, quam BEVEREGIVS *in Not.* sub Valentiniano & Valente Impp. anno CCCLXV. habitam suspicatur potius, quam pro certo affirmat, paria Nicænis decrevit, dum, quæ a Judæis vel hæreticis mittuntur, festiva accipere & συνεορτάζειν αὐτοῖς, *festum agere cum eis, Can. XXXVII.* & παρὰ τῶν Ἰουδαίων ἄζυμα λαμβάνειν, *vel eorum impietatibus communicare, Can. XXXVIII.* vetat. Synagogæ ergo, quoad hanc partem, funus Provinciales Occidentis Synodi Sæc. II. pararunt, extulit Oecumenica I. Nicæna, cippo veluti ac marmore honoravit tum Antiochena, tum quæ Laodiceæ habebatur. Neque tamen hoc pacto omnes adeo sopitæ sunt hæ lites, ne recrudescerent subinde & revocarentur. Vt jam prætereæm errorem, quem a quibusdam Occidentalibus Episcopis circa diem celebrationis commissum, divinoque correctum miraculo, ex MARIANO SCOTO, & SIGEBERTO, fide narrat dubia BVCHOLZERVS *in Chronol. ad Annum Ch.* 417. certum est, sub Justin. imperio Sæc. VI. dissensionem inter Hispanicas & Gallicanas enatam esse Ecclesias; quod illæ XII. Kal. Aprilis, hæ vero XIV. Kal. Maji Pascha celebrandum putarent; teste BARONIO *Tom. VII. ad An.*

An. DLXXX, num. 12. Tum & in Anglia ſæculo ſequenti Anglos inter & Scotos hæ exarſerunt rixæ: Scotis die Dominica, quæ a XIII. Luna usque ad XX. prima occurreret, Paſcha ſuum agentibus; Anglis vero cum Catholicis ceteris diem Dominicam, quæ a XIV. Luna usque ad XX. prima obveniret, ei feſtivitati dicantibus: quas ex Anglorum tandem ſententia Synodus aliqua diremit, referente KORTHOLT. *H. E. Sæc. VII. Sect. II. cap.* 2. *p.* 271. Sed his de Paſchate, ne juſto ſimus prolixiores, addere plura non licet. Simul hæc quoque circa uſurpationem cerimoniarum liberam ſufficiant; non quod non plura in ſacris exempla occurrant, cum vel de Pentecoſte ampliſſimus pateret campus, in quem noſtra excurrere poſſet diſſertatio; ſed quod primas ſaltem lineas ducere, & intra cancellos diſputationis nos continere, conſtitutum fuerit.

SECTIO II.

DE HONORIFICA ALIARVM CERIMONIARVM IVDAICARVM, V. G. ABSTINENTIAE A SVFFOCATO ET SANGVINE, PERIOCHARVM BIBLICARVM PRAELECTIONIS, OBLATIONVM, IEIVNII, AEDIFICATIONIS TEMPLORVM, ENCAENIORVM, ETC. IN APOSTOLICO CONCILIO, ALIBIQVE, FACTA SANCTIONE, LIBERA RETENTIONE, ET QVODAMMODO ADHVC SVPERSTITE IMITATIONE.

§. I. *Synagogæ Jud. cerimoniæ quædam, ſanctionibus Conciliorum retentæ.*

Demortuæ cum Synagogæ ducendum eſſet funus, non privato tantum conſilio Apoſtoli, eorumque legentes veſtigia Eccleſiæ quædam, honorifico velut comitatu illud proſequutæ, liberaque cerimoniarum uſurpatione divinam earundem originem ſunt veneratæ; ſed etiam publico totius Eccleſiæ conſenſu hic ipſi honos habitus eſt, ut ſubinde per pias Conciliorum ſanctiones, qua certas obſervationes, in uſum revocaretur, & pro re nata temporumque ratione aliquam obligationis ſpeciem nanciſceretur; in quantum ejusmodi Conciliorum decretis obedientia eſſet præſtanda. Quanquam enim circa Concilia in Pontificiorum caſtra nulli transeamus, nec in Canonicæ ac infallibilis auctoritatis faſtigium ea elevemus, multo minus a Romani Pontificis confirmatione hanc obtinere *αὐθεντίαν*, dicamus: *non* tamen *vilipendimus auctoritatem eorum*, *nec Eccleſiaſtica judicia ſubterfugimus*, (ut immerentibus id nobis imputat BELLARMINVS *in Præf. Lib. de Concil.*) ſed *Conciliorum in Eccleſia Dei ſaluberrimam auctoritatem eſſe* cum AVGVSTINO *Epiſt. CXVIII.* profitemur. Non unam tamen omnium indolem eſſe, ſed aliter de prima illa N. T. Synodo Act. XV. delineata, aliter de reliquis inſequentibus ſtatuendum judicamus. *Iſtam* cum viri *θεόπνευστοι* conſtituerent, quibus *τὸ πῶς καὶ τί* Spiritus Sanctus immediate ingerebat Matth. X, 18. quique vere de decreto ſuo affirmare poterant: *viſum eſt Spiritui S. & nobis* verſ. 28. ab omni prorſus errore ac labe aliena; judiciariam omnino paremque Scripturæ auctoritatem obtinebat. *Hæ* vero ad ſacrarum literarum normam unice revocandæ ſunt & examinandæ, quibus ſi conveniant, conſcientias eorum, quorum in gratiam ſunt coactæ, obſtringunt; ſecus vero obligatione carent. Propterea hanc quoque nobis ordinis legem in hac Sectione ponemus, ut Apoſtolicum iſtud primumque Concilium fundamenti loco habeamus, ad cujus exemplum

uti

uti orthodoxa reliqua composita omnia fuerunt, componi certe debuerunt; sic ex eodem ceu fonte promanarunt, quæ in reliquis in Synagogæ honorem fuerunt sancita. De cetero vero omnes, cum Pontificiis, GROTIO, aliisque circa appellationem, aliaque hujus Concilii momenta intercedentes nobis controversias procul habebimus; utpote ab instituto nostro alienas, & a Theologis gravissimis, DANNHAVERO & SCHELGWIGIO integris tractatibus, DORSCHEO peculiari diatribe contra GROTIVM, & MOEBIO disputatione *de sanguinis esu*, ut & a GERHARDO *Conf. Cathol. L. I. part. II. cap. X. fol.* 485 *sq.* solide discussas: ea saltem in medium prolaturi, quæ in rem nostram faciunt, & hujus inprimis loci sunt & argumenti.

§. II. *Abstinentia ab Idolothytis.*

Ansam Concilio, Cerinthi (juxta EPIPHANIVM *hæres. XXVIII.*) & ceterorum in Antiochena Ecclesia turbatorum, præbebat perversitas, qui cum Christo nomen dedissent, & Evangelii se jactarent præcones, Synagogam restitutam volebant, circumcisionem, reliquasque, quæ ex ea pendebant, cerimonias, ac legis opera, ad salutem necessaria esse, contendentes. His cum contrarium Paulus & Barnabas sustinerent, & sola nos fide justificari sine legis operibus dicerent, συζήτησις haud exigua inde est orta, non nisi publico totius Ecclesiæ judicio componenda. Hæc itaque, convocato Hierosolymis Concilio, in quæstionem controversam inquirit: quæ uti non de cerimoniali solum, sed & morali lege agitabatur, an ejus impletio ad justificationem & salutem necessaria sit? (uti contra secus sentientes prolixe probant Theologi supra citati, & CALOV. *Bibl. Illustr. ad Gal. II,* 2.) ita, qua utrumque etiam membrum, fuit definita, & generatim quidem sancitum, *nullum imponi debere legis onus;* speciatim autem qua moralem legem *scortatio* (non exclusis tamen reliquis præceptis) interdicta; qua cerimonialem vero, *idolothyta, sanguis, & suffocatum* prohibita fuerunt vers. 28, 29. Quia enim occasio a cerimoniis erat enata, eæque ad praxin pietatis recte instituendam, vitandumque scandalum potissimum facere videbantur; idcirco operosior aliquanto circa cerimonialia decisio requirebatur. Primo itaque ab *idolothytis* abstinendum censent. Τὰ εἰδωλόθυτα autem, quæ Jacobus paulo ante sententiam dicens, τὰ ἀλισγήματα τῶν εἰδώλων, *contaminationes simulacrorum* vocarat, notant *cibos ex carnibus, quæ* εἰδώλοις ἐθύοντο, *& postea ad convivia adhibebantur:* uti paucis, sed accurate, describit ERASMVS SCHMIDIVS *Not. ad* 1 *Corinth. VIII, v.* 1. Cum enim ex Judaismo conversi Christiani, ἐν τῇ διασπορᾷ Jac. I, 1. 1 Petr. I, 1. gentibus permisti habitarent, & hæ de immolatis in Deorum sacrificia carnibus, quas omnem ex idololatriæ suæ lege non comburebant, convivia pararent, docentibus HOMERO *Odyss.* Γ. *p. m.* 90. *vers.* 36. & *p.* 98. *vers.* 19 *sqq.* & DIONE CHRYSOSTOMO *Orat. III. de regn.* (edit. *Morelli p.* 52): usu sæpe veniebat, ut ad ea Christianos, tanquam vicinos, sæpe etiam affines & consanguineos, invitarent. Ad hæc ergo accedere quidam non dubitabant, existimantes cum Apostolo, *Idolum nihil esse in mundo*, 1 Cor. VIII, 4. quidam religioni ducebant, veriti, ne si de Gentilium comederent sacrificiis, in partem ipsorum idololatriæ venirent, ac *in Diabolorum se inferrent consortium*, quod Paulus prohibet 1 Cor. X, 20 sq. adeoque in moralem simul & cerimonialem per Exod. XXXIV, 15. Num. XXV, 1, 2, 3. impingerent legem. Hos itaque, qui dubii hærebant, Concilium confirmat, & ab ejusmodi conviviis abesse Christianos jubet: non quasi directe hoc legi morali contra veniret, utpote quæ de idolothytis vitandis speciatim nihil sanxit; aut quod, si extra casum confessionis ac scandali fieret, idololatriæ id esset affine, quod Apostolus 1 Cor. VIII, 4, 8. & cap. X, 25 sqq. diserte negat; sed quia dubia quicquam conscientia facere, & scandalum aliis præbere, aut Gentilium applaudere superstitioni, nefas ducebat. Vnde non male ORIGENES *contra* CELSVM

lib.

lib. VIII. abstineri ab immolatitiis dicit, non simpliciter, quod res illæ malæ sint factæ; sed ob justas causas. Quas causas expositurus CLEMENS ALEXANDR. in hanc sententiam verba facit: Ἀφεκτέον τούτων (τῶν εἰδωλοθύτων) οὐ δεδιότας. οὐ γὰρ ἐστί τις ἐν αὐτοῖς δύναμις· διὰ δὲ τὴν βδελυρίαν, οἷς ἐπικατωνόμασται μυσαττομένους· καὶ προσέτι διὰ τὴν ὀλισθηρῶς τὰ πολλὰ ὑπολαμβανόντων ὑδαρότητα, οἷς ἡ συνείδησις ἀσθενοῦσα μολύνεται. *Ab his abstinendum est, (non quod pertimescamus: (non est enim in eis aliqua potentia) sed propter nostram conscientiam, quæ sancta est, & propter dæmonum odium, quibus illa sunt dicata, aversemur: & præterea propter eorum, qui multa procliviter discernunt, ac verentur imbecillitatem, quibus infirma polluitur conscientia. Pædagog. lib. II. cap.* 2. *pag.*143. edit. Colon. 1688. Has CLEMENS ex doctrina Veterum rationes affert Synodalis hujus de Idolothythis decreti, quod suis subinde inculcavit Apostolus 1 Cor. X, 14, 20, 21, 28. quodque tam rigidæ erat observationis, ut martyrium subirent potius, quam, persecutorum Ecclesiæ voluntati morem gerentes, idolothytis vescerentur. Ita Valeriam, de immolatitiis manducare recusantem, quia Christiana esset, nec sibi omnino licere testaretur, mactatam refert GROTIVS ex *Martyrologio quodam.* Et IVLIANVS apostata, ut ægre faceret Christianis, cibos omnes in foro venales polluit sacrificiis, quæ Diis immolata erant, ut sic Christiani cogerentur immolatitiis vesci, nisi fame perire vellent. Quæ dum THEODORETVS refert, subjungit: *Quæ cum viderent Christiani, etsi non poterant non gemere, lamentari, & scelera illa impense detestari; tamen eisdem vescuntur, legi Apostolicæ obsecuti, ita jubenti: Quicquid in macello venditur, comedite &c. Lib. III. H. E. cap.* 14. Exempla complura & sententias Veterum satis severas collegit VOETIVS *Part. IV. Disp. Sel. p.* 249. Quin & tyrannorum aliqui eo progressi sunt crudelitatis, ut talibus vesci carnibus, vinumque ex libationibus haurire nolentes vi adigerent, in terramque prostratis & in illorum ora hamis insertis vinum infunderent, & injicerent carnes, teste BALSAMONE *Schol. ad Canon. XIV.* PETRI, *Archiepiscopi Alexandrini:* quorum in solatium, ut sine mora in Ecclesiam reciperentur, si tyrannorum de manibus elapsi ad suos redierint, *Canon* sanxit *III. Concilii Ancyr.* & *citat. Canon* PETRI æque, ac *Can. I. Epist.* GREGORII THAVMATVRGI *Archiepiscopi Neocæsar.* ad quem legi merentur, quæ haud contemnenda notavit BALSAMON, prolixiora tamen, quam quæ huc commode transferri possint. Contra vero illi, *qui temere & data opera cibis, idolorum cultibus immolatis, gustu illicitæ præsumtionis utebantur, ab Ecclesiæ cœtibus* ex constitutione *Can. XIX. Concilii Aurelian. II. arcebantur.* At postquam sequenti tempore liberiorem Ecclesia spirare auram inciperet, nec tam frequens amplius cum Gentilibus commercium Christianis intercederet, cessante legis usu, ipsa antiquata est & cessavit.

§. III. *Abstinentia ab esu sanguinis.*

Gravior aliquanto & intricatior ad nostra usque tempora *de esu sanguinis* controversia est agitata. Cum enim & hujus abstinentiam sententia Apostolica injungat Christianis, crucem fixit eruditis, utrum in honorem Synagogæ tantum (ad quam sanguinis prohibitio per Lev. III, 17. Deut. XII, 23. haud dubie referenda) & ad vitandam infirmiorum offensionem fuerit sancita; an ideo, quod ex primæva naturæ lege & famosis Noachidarum præceptis perpetuam ea obtineret obligationem? Vetus enim, & bene nota inter Judæos fabula est, de septem Noachidarum præceptis; quorum sex, Adamo a Deo promulgata, & in reparatione generis humani septimo, quod Noacho ac posteris dabatur, aucta, omnes obstringunt mortales ab Adamo vel Noacho oriundos, adeoque & ipsis, si sub jugum redigantur Judæorum, Ethnicis sub mortis pœna imponenda, ut ex MAIMONIDE recenset & explicat SCHICKARDVS *in* משׁפט *Cap. V. Theor.* 17. *p.*333. latiusque *Comment. in hunc loc.*

CARPZOVIVS deducit; omnium vero amplissime declarat SELDENVS in eruditissimis suis *de Jure Nat. & Gent. juxta disciplinam Hebraeorum* libris. Hæc ergo fundamentum præbere Synodali huic decreto visa sunt iis, qui obligationis perpetuitatem, diversis licet ex principiis, nec eodem fine, propugnant. Hos inter nomen suum profitetur CLAVD. SALMASIVS *libr. de fœnore Trapezitico p.* 438. HVGO GROTIVS *Annotat. in cap. IX. Genes.* & SCHICKARDVS *loc. cit. ut & in Bechinath Happeruschim p.* 84. Sed & THOMAS BARTHOLINVS, Medicus Hafniensis, peculiari disquisitione ejusdem patrocinium suscepit; adversarium nactus Theologum, æque Hafniens. D. IOH. WANDALINVM, qui disputatione *de sanguinis & suffocatorum esu inter Christianos haud illicito* BARTHOLINI argumentis ex asse satisfecit. His vel inter primos etiam annumerandus est STEPH. CVRCELLAEVS, celebre illud inter Remonstrantes nomen, qui singulari *Diatriba, de esu sanguinis inter Christianos*, quæ *Tomo Opp. p.* 943. comparet, sanguinis esum distincte *prima a mundi creatione usque ad diluvium; secundo a diluvio usque ad legem Mosis; tertio a lege usque ad Christum; quarto denique a Christo usque ad finem mundi* illicitum fuisse, probare satagit; refutatus tamen & ipse a Theologo Calviniano, IOHAN. HENRIC. HEIDEGGERO, tractatu *de libertate Christianorum a lege cibaria veteri* A. 1662. in lucem emisso. Jam vero quod ad ipsam attinet quæstionem, longe nobis firmior eorum videtur sententia, qui temporariam hujus interdicti obligationem defendunt. Largimur quidem, Noachum ac posteros speciatim sanguine a Deo fuisse prohibitos, Gen. IX, 4. Quis autem ideo neget, legem hanc cerimonialis fuisse partem; & ad solam pertinuisse Synagogam? Num forte proxima a diluvio tempora legis moralis promulgationi propria, ab omnibus vero cerimonialibus adhucdum libera fuerunt & immunia? Prius uti Paulus negat Rom. II, 14, 15. quando moralem per inscriptionem in corda humana promulgatam dicit; Ita posterius Moses refellit, dum etiam ante hoc datum præceptum, immo longe ante inundationem, Synagogam sensim auspicia cepisse, introductis sacrificiis docet Gen. IV, 3, 4. VIII, 20. Frustra namque EPISCOPIVS *l. I. Inst. Theol. de relig. natural. c. II.* sine ullo præcepto divino, rationis rectæ solius instinctu, antediluvianos sacrificiorum ritum suscepisse contendit; refutatus hoc nomine & castigatus a CALOVIO *Cons. Armin. c.* 8. §. 6. *p.* 181. cum septem ad manus sint argumenta, quibus divinum de sacrificando Patriarchis mandatum fuisse datum, solide demonstratum dedit GERHARD. *Loc. Th. XVI.* §. 14. At enim vero ad sacrificiorum observationem, sanguinis quoque abstinentiam referendam esse, ex Lev. XVII, 11. patet, ubi Jehova: *Ego destinavi vobis sanguinem in altari ad expiationem faciendam pro animabus vestris. Quia enim sanguis in altari ad expiationem destinatus est peculiariter, hinc eo respectu omnis sanguis ab esu humano interclusus est, quamdiu illa destinatio durat. Durat autem tantum ad Messiæ usque αἱματεκχυσίαν*, Hebr. IX, 21. uti infert b. DORSCHEVS. Quod luculentissime, ne ullus dubitationi locus relinquatur, Levit. III, 17. confirmatur, ubi abstinentia a sanguine & ab adipe conjungitur, & utraque statutum æternum vocatur, sed NB. *in generationibus vestris* (Judæorum tantum) & *in omnibus habitationibus vestris*. Non ergo aliam aut diversam a sacrificiis obligationem hæc a sanguine abstinentia obtinet, sed temporariam & cerimonialem. Deinde vero, quando ad TERTVLLIANI auctoritatem, aut LEONIS Imperat. *Novellam*, οἱ ἐξ ἐναντίας provocant, parum in his fulcris causæ suæ præsidii eos reperire, supra laudatus DORSCHEVS ad oculum demonstravit. Nec est, quod ex facilitate hujus abstinentiæ universalem ejus obligationem evincere conentur. Complures enim aliæ quoque Synagogæ cerimoniæ, v. g. abstinentia ab adipe, non adeo magna difficultate laborant; nec tamen hodie obstringunt. Nec ad postremum, quando hæc abstinentia cum πορνείᾳ conjungitur, ejusdem statim utumque præceptum generis est

est & naturæ. Non enim in vitio ponebatur Ethnicis scortatio, sed ex ipsorum judicio res erat indifferens & libera; quin immo honori ducebant, si qua multos haberet amatores. Cum ergo idem cum paganis jugum trahere interdicendum esset Christianis; scortatio quoque, ceu Gentilium quoddam adiaphorum, reliquis vere indifferentibus conjungitur, ut utrumque vitetur. His inductus rationibus, ipse non dubitavit SPENCERVS, ad temporaria hoc etiam Apostolicum præcepta referre, *peculiari in Act. XV, 20. dissertatione*, subjuncta *lib. II. de legib. Hebræor.* qua tum illam de Noachidarum præceptis, tum eorum improbat opinionem, qui datum id decretum arbitrabantur zelo, quo Mosaica omnia Judæi prosequebantur, hisque adeo quatuor ad lucrifaciendos Judæos interdictum Gentilibus fuisse censent, donec parta per Christum a legis jugo libertas clarius innotesceret. Vnde non ab omni ipse abest errore, dum, ne suæ desit causæ, sed susceptæ semel hypothesi etiam hic inserviat, non aliam ob causam quatuor hæc prohibita in decreto Apostolico fuisse tradit, quam quod idololatriæ causæ, comites ac signa essent, locumque præcipuum in gentium ritibus & institutis obtinerent, a quibus proinde ex gentilismo ad Christum conversis abstinendum omnino fuerit. Ita dum *θέσιν φυλάττειν* vir doctissimus allaborat, non potest veritatem sæpissime non insuper habere. Nobis firmum itaque ratumque est, iis, quæ temporariam saltem, & ad Judæorum rempublicam restrictam habent obligationem, præceptis, hoc etiam de sanguinis prohibito esu esse accensendum. Stamus sententia *Aug. Conf.* quæ *peccare negat, qui* nunc præceptum istud *non observant, quia ne ipsi quidem Apostoli voluerunt onerare conscientias tali servitute, sed ad tempus prohibuerunt propter scandalum. Art. VII. Abus. p.* 43. Dudum enim ista præcepti hujus cerimonialis observatio, his Synodi temporibus, per N. Test. unicum Christi sacrificium erat sublata; quam dum revocarent Apostoli, & Christianis denuo injungerent, non sane id agebant, ut legis cerimonialis, cujus vis jam evanuerat, nec ad Christianam Rempubl. unquam pertinuerat, quandam velut perpetuitatem assererent aut conciliarent: sed ut concordiam inter Judæos, sanguinem valde abhorrentes, & Christianos eo magis firmarent, nec hi, satis alias jam illis invisi, jure tales esse viderentur; tum etiam, ut Judæorum neophytorum subveniretur infirmitati, qui remota scandali occasione frequentiores pariter ac lubentiores ad veram Christi fidem convertebantur; denique, ut eo evidentius a Gentilium moribus atque institutis Christiani distinguerentur. Sanguinem enim Gentiles ingurgitare consuevisse, ex TERTVLLIANO, *in Apolog.* probat sæpe laudatus DORSCHEVS *loc. cit.* ubi ad *Pentadecad. suæ Disp. Th. X. th.* 25. *p.* 287. simul remittit. Accessit & ista ratio haud postrema, quam e visceribus Textus eruit GERHARDVS: *quia scilicet jam olim legibus cerimonialibus assueverant* (Christiani) *& quia singulis Sabbathis lex Mosaica in ipsorum Synagogis adhuc legebatur.* Mirari tamen subit non immerito, diutius hunc morem viguisse, quam Apostolica sanctio, quæ ad ea saltem respexit tempora, quibus Judaica duratura erat Respubl. primo intenderat. Sic enim *Canone LXIII. Apostol.* Clericum deponi, Laicum segregari legimus, si *φάγῃ κρέα ἐν αἵματι ψυχῆς αὐτοῦ ἢ θηριάλωτον, ἢ θνησιμαῖον, comederit carnes in sanguine animæ suæ, vel quod a feris captum, vel morticinum fuerit.* Quem licet canonem facile demus una cum ceteris per sæculum & amplius ab Apostolorum ætate abesse: negari tamen nequit, esse *antiquum scriptum, & continere aliqua non inutilia de antiqua forma gubernationis Ecclesiæ;* quod magni nostri CHEMNITII de Canonibus Apostolicis judicium est, *in oration. de lectione Patrum, præmissa L. Theol. pag.* 1. Immerito enim novitatem illis objicere virum clarissimum, DALLAEVM *lib. III. de Pseudepigraph. Apost.* solide & prolixe docuit peritissimus antiquitatis Ecclesiasticæ scrutator BEVEREGIVS *in Præfat. Annot. in Can. Apost.* ubi ex Synodis ante Nicænam habitis, quarum acta afflictissimorum tem-

temporum injuria & turbis perierunt, eos profluxisse, & a diverso auctore, sæculo circiter tertio, collectos fuisse, demonstrat. Hinc non indigni visi sunt, quos confirmaret *Concil. Oecum. VI. seu Trullanum Can. II.* Morem ergo veterum, sententiamque circa sanguinem etiam hic allegatus Canon docebit; quem speciatim repetit *Concil. Trull. Can. LXVII.* & suis quoque temporibus vult observatum. Quorsum referendus etiam est *Canon II. Concil. Gangreni*, quem a GROTII detorsionibus liberavit DORSCHEVS. Certe inter tentamenta persecutorum, Christianis, ut a religione descifcerent, adhibita, botulos cruore distentos memorat TERTVLLIANVS *in Apologet. adverf. Gentes fol.* 10, 11. & MINVCIVS FELIX *in Octavio fol.* 21. *Nobis homicidium*, inquit, *nec videre fas, nec audire; tantumque ab humano sanguine cavemus, ut nec edulium, pecorum in cibis sanguinem, noverimus.* Ac plena Patrum scripta sunt observati sequioribus etiam temporibus hujus præcepti; quorum testimonia cum magno numero, ut alios præteream, congessit nunquam satis laudatus BEVEREGIVS *Annot. ad Can. LXIII. Apost.* nec non ELMENHORSTIVS *Comm. ad* MINVCII *Octavium fol.* 53 *sqq.* & ipse CVRCELLAEVS, *loc. cit. cap. XIII. pag.* 974. religioni nobis ducimus illorum scrinia expilare.

§. IV. *Abstinentia a suffocato.*

Eadem vero, quæ sanguinis, etiam τȣ̃ πνικτȣ̃ seu *suffocati* ratio est. Vocis quidem hujus lectionem nequicquam sollicitat CVRCELLAEVS *Diatr. de esu sangu. cap. XI. Tom. Opp. p.* 969 *sq.* ex quibusdam Patrum locis, in quibus repetito hoc Apostolorum decreto nulla specialis suffocati, sub sanguine nimirum ab iis comprehensi, mentio facta est, sententiæ patrocinium quærens. Verum demus, quibusdam antiquis Codicibus hanc contigisse corruptelam; unde de omnibus id probabit? Aut annon Patrum potius lectio, infinitis alias corruptelis obnoxia, in dubium vocanda, quam Scripturæ, cujus ut vel unus apex pereat, impossibile æterna veritas pronunciat Matth. V, 18? Sed causæ inserviendum erat CVRCELLAEO, qui quia suffocati abstinentiam ad moralem vel naturalem legem commode referre, vel totum Christianum orbem, qui impune suffocatis vescitur, eapropter damnare non poterat, in accusationem vertitur Scripturæ, & Textum corruptum proclamat; nihil veritus severam Christi comminationem, in dementes aliquid Scripturæ libro emissam Apoc. XXII, 19. cum nec ipse tamen, in sua N. T. editione vel expungere hanc vocem ausus sit, vel in subjectis Textui Variantibus Lectionibus ullum aliter legentem Codicem producere potuerit. Nec Oxoniensis editio, quæ ex Theatro Scheldoniano A. 1675. prodiit, & quotquot unquam reperiri poterant, lectionum variationes ex plus centum MSS. Codd. congessit, in alio quoquam, præter exemplar Cantabrigiense quoddam, quod BEZAE fuerat, omissam hanc vocem deprehendit. Retinemus ergo, ceu divinam & θεόπνευςον, consuetam πνικτȣ̃ lectionem, eamque hoc modo declaramus: Erat Græcis, Gentiliumque aliis hoc in more positum, ut carnes in deliciis haberent, in quibus data opera asservatus erat in enecatione sanguis, ut ita cum eo sanguine, intus retento, coquerentur. Hoc ergo cum præcepto de abstinendo a sanguine e diametro esset adversum, eidem & alias, & h. l. ab Apostolis conjungitur. Longo deinceps post hæc intervallo *Concilium Aurelianense II.* idem revocavit, eosque, *qui bestiarum morsibus extincto, vel quolibet morbo aut casu suffocato vescuntur, ab Ecclesiæ cœtibus arcuit Can. XX.* Quod superest, observandum etiam, quando posterioribus sæculis idem Apostolicum decretum & observatum & confirmatum legitur, non tam eo id factum fuisse consilio, ut Synagogæ honos haberetur, quippe quæ dudum sepulta erat atque mortifera; quam ut hanc veluti partem confessionis externæ de sua religione ac fide tuerentur; nec vel tyrannorum minis cederent, vel adversariorum technis ac fraudibus circumveniri se paterentur.

§. V.

§. V. *Textus Biblici Prælectio.*

Atque ea quidem sunt, quæ in honorem Synagogæ Apostolicum Concilium sanxit. Præter hæc vero & alia occurrunt quamplura, in insequentium Sæculorum Synodis definita, vel etiam continuo nec interrupto usu ad nostra usque tempora transmissa, quæ suum Synagogæ si non ortum debent, locum tamen etiam in ea tenuerunt. Quæ tamen non ob legis cerimonialis, ad quam quondam pertinebant, auctoritatem; sed prorsus libere & concordi Ecclesiæ suffragio, citra ullam infirmorum fratrum offensionem, fuerunt recepta; quod ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, immo nonnulla ad uberiorem quoque οἰκοδομὴν facerent, & divino cultui, uti quondam dicata, sic maxime consentanea essent. Huc pertinet *Textus Biblici Prælectio* in conventibus sacris. Judæis enim solemne fuisse, ut, cum sacris operarentur, singulis Sabbathis certa ex sacro Codice pericopa publice prælegeretur, Petrus docet Act. XV, 21. ubi *Mosen* affirmat *ex generationibus antiquis per urbes habere, qui prædicent illum, dum in Synagogis per omne Sabbathum legatur;* & exempla commonstrant Nehem. VIII, 5 seqq. Luc. IV, 16 seqq. Actor. XIII, 15 &c. commemorata. Hinc illæ פרשיות seu Sectiones Legis, & הפטרות seu Lectiones Propheticæ enatæ sunt, quibus definita Prælectionum harum pensa continebantur. De quibus ne plura dicamus, remittimus lectorem ad LIGHTFOOTVM *Hor. Hebr. ad Luc. IV. p. 760 seqq.* qui de modo, persona & circumstantiis legendi reliquis accurate differit; & ad PFEIFFERI *Critic. S. cap. 1. §. 12 seqq. & 18.* qui in compendium misit, quæ circa enumeratas sectiones notam merentur. Hunc deinceps ritum in Ecclesiam manasse, testis est TERTVLLIANVS, qui *Apol. adverf. gentes cap. 39. Cogimur,* scribit, *ad divinarum literarum commemorationem, si quid præsentium temporum qualitas aut præmonere cogit, aut recognoscere; certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam præceptorum inculcationibus densamus.* Et primo quidem Veteris tantum Testamenti prælectiones consuetas, post vero his etiam Textum Novi Testamenti adjectum fuisse, ex *Concil. Laodiceno* intelligitur, quippe quod *Can. XVI.* εὐαγγέλια (vel secundum ARISTENVM: εὐαγγέλιον καὶ Ἀπόστολον, adeoque totum N. T.) μετὰ ἑτέρων γραφῶν ἀναγινώσκεσθαι in Sabbatho decernit. BALSAMON quidem & ZONARAS ἑτέρας istas γραφὰς de solis precibus interpretantur, adjicientes, nec Evangelium, nec aliam ullam Scripturam in Ecclesia die Sabbathi legi consuevisse, antequam constitutio ecclesiasticarum cantionum esset completa: sed minus accurate hoc eos asserere, sæpe laudatus LVDOLFVS ostendit *Comm. in H. Æthiop. l. III. cap. I. p. 275.* cum id sibi velit Canon, *Paraschas legis Mosaicæ & Haphtharas tantum more Judaico antea lectas fuisse; omissis lectionibus Evangelicis: Voluisse ergo Patres Laodicenos, ut etiam legatur Novum Testamentum.* De die Dominica dubium non est, quin lecta fuerint utriusque Instrumenti monumenta, cum testem ejus rei omni exceptione habeamus majorem, IVSTINVM MARTYREM, qui *Apolog. II.* in memorabilissimo illo, quo plurimos primitivæ Ecclesiæ ritus conjunctim recenset, loco, inter alia etiam hæc habet: Καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ, πάντων, κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων, ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν Ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ; ubi exertis verbis tam Apostolorum, quam Prophetarum lectionem memorat. Post hanc vero, cum προεστὼς *Præses* orationem quandam sacram ad populum habuerit, tum demum meminit precum; ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν, *deinde,* finito scilicet sermone sacro, *una omnes consurgimus & preces fundimus.* Unde simul etiam constat, longe ante Laodicenam Synodum, jam Sæc. II. Apostolica scripta æque ac Prophetica in Ecclesia publice prælegi consuevisse. Quem ritum adeo tenaciter sacra servavit disci-

plina, ut nec hodienum conventus ullus habeatur ſacer & publicus, in quo non tempori locoque conveniens aliquis Scripturæ textus legatur.

§. VI. *Oblationes ad Altare.*

Divina cum cautum eſſet lege, *ne quis coram Domino compareret*, Exod. XXIII, 15. XXXIV, 20. moris erat, ut præter ſacrificia igne abſumenda, מנחות ſeu ſacrificia cibaria, vel donaria de terræ frugibus, oleo inprimis & farre, ad altare offerentur, quibus gratum pro victu & ſuſtentatione vitæ animum erga Deum teſtarentur: de quibus conf. Lev. II. XXXIII, 16. Num. XV, 19. & paſſim; quo etiam Chriſtus reſpicit, quando Matth. V, 23. muneris ad altare oblati mentionem facit. Sed eundem quoque ritum Chriſtianis etiam communem fuiſſe, fida tradit antiquitas. Hi enim, Apoſtolici præcepti memores 1 Cor. XVI, 2, ſingulis Dominicis templum ingreſſi, oblationes ſeu ſacrificia ferebant, teſte IVSTINO MARTYRE *loco ſupra alleg.* ubi preces Sacræ Cœnæ adminiſtrationem inſecutam enarrat, & mox ſubjungit: Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται, δίδωσι· καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ Προεστῶτι ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ αἰτίαν ὀρφάνοις καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι, κηδεμὼν γίνεται. Idem TERTVLLIANVS confirmat *Apolog. cap.* 39. Immo in vitio ponebatur, ſi quis ἀσύμβολος ad Sacram Synaxin accederet, & de aliena oblatione communicaret. Hinc AVGVSTINVS *Serm.* 215. *de Tempore: Oblationes*, inquit, *quæ in altaribus conſecrentur, afferte; erubeſcere debet homo idoneus, ſi de aliena oblatione communicat.* Et CYPRIANVS, opulentas quidem viduas, ſed tenaces & conferre recuſantes, increpans: *Locuples & dives es*, ait, *& Dominicum celebrare te credis, quæ Corbonam omnino non reſpicis, quæ in Dominicum ſine ſacrificio venis, quæ partem de ſacrificio, quod pauper obtulit, ſumis. Lib. de Opere & Eleemoſ. p.* 155. Ab his diſtinguebantur aliæ, quæ licet ad altare offerrentur, ſacrificii tamen appellatione non gaudebant. Hoc diſcrimen *Canon III. Apoſt.* oſtendit, dum cavet, ne quis præter panem & vinum purum, ceu παρὰ τὴν τοῦ Κυρίου διάταξιν τὴν ἐπὶ τῇ θυσίᾳ, aliud quid aræ inferat: novæ autem ſpicæ & maturæ uvæ ad aram quidem Sacerdoti portentur, verum οὐχ ὡς θυσία, ἀλλ' ὡς ἀπαρχὴ καρπῶν νέων, ut Scholiaſtes in HARMENOPVLI *Epitom. can. ſect.* 2. *tit.* 2. gloſſatur. Sic etiam incenſum & oleum ad altare tempore ſanctæ oblationis ferebantur, verum οὐ χάριν θυσίας, ut reſtringit BALSAMON, ἀλλ' εἰς φωταγωγίαν τοῦ ναοῦ, καὶ εὐχαριστίαν τοῦ ἀληθινοῦ φωτὸς καὶ Θεοῦ. Omnes tandem fructus alterius primitiæ non ſuper altare, ſed in domum Epiſcopi aut Presbyteri, mittebantur, ſecundum *Can. ſeq. IV.* Hoc nempe tempore nulla adhucdum ſtipendia miniſtris Eccleſiæ conſtituta erant, ſed ex ejusmodi oblationibus, ut & ex primitiis, ab auditorum ſingulis, allatis, magna cum frugalitate alebantur, 1 Cor. IX, 13. Unde πᾶσαν ἀπαρχὴν ad Epiſcopum ferre, & Presbyteros, & Diaconos, εἰς διατροφὴν αὐτῶν, præcipit *Conſtit. Apoſtol. l. VIII. cap.* 30. idemque ſibi ſalarium eſſe HIERONYMVS affirmat *Ep. II. Si autem ego Domini pars ſum, & funiculus hereditatis ejus, quaſi Levita & Sacerdos vivo de Decimis; & altari ſerviens, altaris oblatione ſuſtentor, habens victum & veſtitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar.* Easdem vero adhuc hodie oblationes in uſu eſſe Abyſſinis, Cel. LVDOLFVS ex *Liturgia Æthiopica* demonſtrat *Comm. ad l.* 3. *p.* 379. ubi *thus* recenſet, *& panem euchariſticum, & vinum & oleum; & balſamum, & vela, & libros lecturæ, & inſtrumenta ſanctuarii, ut Chriſtus Deus noſter illis retribuat in Hieroſolyma cœleſti.* Sed nec Romana Eccleſia exoleſcere hunc ritum ſivit; tantis tamen conſpurcatum vitiis, ut defectionem ejus ad Judaiſmum ex eo per teſtimonia DVRANDI, & MARTINI

NI DE ROA probet NIC. HVNNIVS *in Rom. Eccleſ. Apoſtaſia* §. 599. *p.* 472. Ceterum hic obiter notamus, *oblationem*, ſtilo Veterum ipſam *S. Synaxin* ſæpe deſignare. Ita namque Can. XLIX. Laodicen. & Conc. Trullani Can. LII. in quadrageſima, exceptis Sabbatho & Dominica, nec non Annunciationis Feſto, ἄρτον προσφέρειν prohibetur: contra ἡ τῶν πρηγιασμένων ἱερὰ λειτουργία perfici præcipitur. Tantum ſcilicet his inclinatis temporibus a piſcatoria primæ Eccleſiæ ſimplicitate Orientalis maxime Eccleſia receſſerat, ut jejunii tempore conſecrare ſacra Cœnæ ſymbola religioni duceret, ideoque die Sabbathi aut Dominica tantum conſecraret, quantum celebrationi euchariſtiæ per totam hebdomadem ſufficere putabat. Unde *præſanctificatorum miniſterium erat S. Cœna, ex pane, uti jam aliquot diebus ante conſecrato, ſic repetitæ benedictionis non indigo, inſtituta;* uti MICHAELIS Patriarchæ Conſtantinop. verbis LEO ALLATIVS apud BEVEREGIVM *l. c. p.* 156. fuſius exponit. Panem itaque offerre, eſt S. Cœnam conſecrare & celebrare. Non tamen propterea habent, quod in hac appellatione ſibi plaudant Pontificii, loca illa Patrum & Conciliorum, quæ S. Cœnam ſacrificium, victimam, oblationem &c. vocant, pro ſe allegantes: quia uti in reliquis locis, ita in præſentibus Canon. ad ſacrificium laudis reſpexerunt Patres: quo etiam ratio BALSAMONIS Canoni Trullano ſubjuncta alludit: Τὸ δὲ προσάγειν τῷ Θεῷ θυσίαν, πανηγυρίζειν ἐστί· Τὸ δὲ πανηγυρίζειν οὐδέν τι ἄλλο ἐστὶν, ἢ χαρμονή. Multum circa hanc denominationem occupata fuit Apolog. A. C. *de vocab. Miſſæ p.* 272. & b. GERHARDVS *Conf. Cathol. lib. II. Part. II. Art. XV. p.* 1210. ubi decem vocabuli hujus, S. Euchariſtiæ accommodati, reſpectus orthodoxos exponit.

§. VII. *Jejunium.*

Circa *Jejunium* licet multa ſuppeditet antiquitas, quæ non inutiliter DALLAEVS *de Jejun.* congeſſit, & GERHARDVS *T. I. Diſp. Acad. p.* 1065. aliique: ea tamen hic potiſſimum ſub cenſuram vocanda, quæ ad Synagogæ faciunt ſepulturam. Ante vero, quam ad ſanctiones Conciliorum progrediamur, diſtinguimus inter Jejunii ſubſtantiam κατ᾽ εἶδος ſpectatam, ejusque accidentia; rem & rei modum. Illa uti divino in S. literis mandato gaudet Joel. I, 14. II, 12. probatisque nititur exemplis, ut Ninivitarum, Jon. III, 4. Davidis 2 Sam. I, 12. XII, 16. Joſaphati 1 Paralipom. XX, 30. Danielis cap. IX, 3: ſic tanquam externum exercitium & bonum aliquod opus, non quidem meritorium gratiæ, aut ſatisfactorium pro pœna temporali, (quod Papiſtæ mallent apud BELLARM. *lib. IV. de Pœnit. cap. IV.*) ſed pædagogicum ad veram pietatem, coërcitivum carnis & teſtificatorium pœnitentiæ externum, Pſ. CII, 5. ad moralem legem, in qua directe & per ſe non præcipitur, ſaltem reducendum, liberæque & non inutilis eſſe obſervationis, ſtatuendum. Modus autem ejus atque accidentia libera ſunt & indifferentia, & ſicubi determinata deprehenduntur, ad Synagogam referenda; uti Levit. XVI, 29. ſtatum & anniverſarium in die expiationis Jejunium Judæorum genti demandatur. Confer Auguſt. Conf. *Art. V. Abuſ. de diſcrimine cibor. p.* 31. Hoc ſibi vult AVGVSTINVS, quando *Epiſt.* 86. *ad Caſulanum* ita ſcribit: *Ego in Evangelicis & Apoſtolicis literis video, præceptum eſſe Jejunium; quibus autem diebus non oporteat jejunare, & quibus oporteat, præcepto Domini vel Apoſtolorum non invenio definitum.* Et SOCRATES, poſtquam Eccleſiarum circa jejunium quadrageſimale diverſitatem expoſuiſſet, ſubjungit: *Quoniam nemo de ea* (ſc. jejunandi ratione) *præceptum literarum monumentis proditum poteſt oſtendere, perſpicuum eſt, Apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cujusque menti & arbitrio permiſiſſe, ut quisque nec metu, nec neceſſitate inductus, quod bonum ſit, ageret; Lib. V. H. E. c.* 21. Hinc ergo intelligitur, quo pacto ſervatum in Eccleſia Jejunium ad Synagogam debeat referri; quatenus vel expreſſa

pressa in cerimoniali lege restrictio, vel introducta Judæorum consuetudo, certum tempus, locum, modumve determinavit. Ita huc pertinet, quando omnibus licet aliis, Sabbatho tamen, aut diebus festis jejunium non indixerunt. Sic enim habet MAIMONIDES cap. I. Halachoth Taanijoth §.6: אין גוזרין תעניות על הציבור לא בשבתות ולא בימים טובים וכו׳ *Non decernunt jejunium publicum diebus Sabbathi, nec diebus festis* &c. & §.7: וכן אין גוזרין תענית בתחלה בראשי חדשים או בחנוכה ופורים או בחולו של מועד: *Atque sic jejunium quoque non decernunt in noviluniis, nec in dedicatione, nec festo Purim, nec in die profesto solennitatis.* Idem ex aliis locis probat & confirmat, exceptumque docet pro insomnio jejunium Sabbatho etiam licitum, cum alias Sabbatho jejunare nefas esset, LIGHTFOOT. *Hor. Hebr. ad Matth. IX,* 14. *p.*318. & *Matth. XII,* 1. *p.*340. Idem vero diu in Ecclesia Orientali obtinuit, ut Sabbatho & Dominica a jejunio abstinerent. Unde *Canon Apost. LXIX. Clericum die Dominico aut Sabbatho jejunantem, deponere, Laicum segregare* jubet; *uno tamen Sabbatho,* quod Pascha proxime antecedit, & quo Christus in sepulchro quievit, *excepto,* utpote quod jejunio dicatum fuit. Hunc Canonem stricte observari voluit *Concil. IV. generale Constantinop.* quod *Can. LV.* eum *in Romanorum etiam Ecclesia inconcusse vires habere* decernit. Ita *Sabbathum nunquam nisi in Pascha jejunandum,* ait etiam TERTVLLIANVS *de jejuniis:* & *privilegium donatum Sabbatho a primordio mundi dicit veniam jejunandi. Adverf. Marcion. lib. IV.* Hunc si quis aspernabatur morem, Christicida habebatur. Ita namque *in Epistola ad Philippenses,* IGNATIO *adscripta:* Εἴ τις κυριακὴν ἢ σάββατον νηστεύει (πλὴν ἑνὸς σαββάτου τοῦ πάσχα) οὗτος χριστοκτόνος ἐστίν. Imperite hic BALSAMON rationem Canonis redditurus: Τὸ σάββατον, inquit, οὐ νηστεύομεν, ἵνα μὴ δόξωμεν ἰουδαΐζοντες. Judæos enim pariter a jejuniis Sabbatho abstinuisse, MAIMONIDES modo docuit. Non ergo per hunc ritum separare se a Judæis primi Christiani potuerunt, quem ab illis desumserant. Felicius rationem inquisivisse videtur omni laude major BEVEREGIVS *Not. ad h. l.* qui ex EPIPHANIO *Hær.* 42. *par.*3. observat, propter Marcionistarum, aliorumque tunc temporis exortas hæreses, institutum videri, utpote qui Sabbatho jejunium propterea sanxerunt, ne Deo a Judæis culto, qui eo die requievit, honorem exhibere, vel ritibus illius uti viderentur. Certe postquam hæc deleta hæresis esset, Sabbatho jejunare Occidentales præsertim Ecclesiæ non incongruum judicarunt. Sic SOCRATES *c. l.* sua jam tempestate *Romæ omni Sabbatho jejunare* populum scribit. Et *Concilio Elibertino* anno Dom. CCCV. habito, *errorem placuit corrigi, ut omni Sabbathi die jejuniorum superpositionem celebremus. Can. XXVI.* Ubi additio FRANCISCI SYLVANI apud CARANZAM *in Summa Concil. p.* 46. observat, solere jam olim Sabbatho jejunari in Ecclesia Romana, quam Hispania, ubi Concilium istud celebrabatur, imitata sit. Paria sancit *Concil. Agathense c.* 8. apud CARANZAM *p.* 234. *Placuit etiam ut omnes Ecclesiæ filii (exceptis diebus Dominicis) in quadragesima etiam, in die Sabbathi, sacerdotali oratione & discretionis communione jejunent.* Quod deinceps jejunium in meram superstitionem degeneravit, ut, quomodo hodie Romana Ecclesia istud observat, discrimine ciborum, continuatione ad vesperam, jejunio quadragesimali & jejunio quatuor temporum, plane eam judaizare solide ostenderit NICOLAVS HVNNIVS *Apostas. Rom. Eccles.* §. 600 *seqq.* qui paulo ante etiam §. 171 - 177, prolixe ostenderat, quibus alias etiam incommodis & absurdis prematur.

§. VIII. *Augusta Templi structura.*

Summa Synagogæ dignitas maximam partem ex augusta *Templi structura,* quæ ipsos Christi discipulos in admirationem rapuit, Marc. XIII, 1. pendebat; quæ ne in Templi destructione uno velut ictu collapsa intercideret, sed in honore ampli-

amplius esset, libera apud Christianos sacrarum ædium imitatio effecit. Recte enim Cardinalis BONA *Rer. Liturg. lib. I. cap.* 20. §. 4. scribit: *Christianorum templa sic olim erant disposita, ut veteris templi Hierosolymitani, quantum fieri poterat, similitudinem quandam præ se ferrent, & ad illius formam proxime accederent.* Hæc autem Hierosolymitani templi erat structura, ut tribus potissimum partibus, juxta sententiam R. IOSEPHI KIMCHII ex allegatione Filii *Comm. in Jer. VII*, 4. absolveretur. Prima אולם *Vestibulum* erat, varia Atria, חול *profanum* seu *Gentium*, חיל antemurale עזרה auxilii Mulierum scilicet, Israelitarum & Sacerdotum complectens. Media, in quam Propylæum ferebat, היכל / seu ipsa *Ædes* vel Sanctum vocabatur, per 40. in longitudine, & 20. cubitos in latitudine se diffundens, ac solis patens Sacerdotibus, sacrificiis reliquisque muniis suis intentis. Postrema, דביר *Adytum* vel Sanctum Sanctorum dicta, arcam fœderis, urnam Mannæ, virgam Aaronis, lenticulam olei unctionis, & arcam cum aureis Philistæorum munusculis continebat, nec mortalium ullum nisi Summum Pontificem, una quotannis vice, intra se admittebat. De quibus singulis distincte egit PFEIFER. in tractatu de locis sacris, inserto *Dub. vexat. p.* 410 *sqq.* ubi, qui ex instituto & fusius in partes has inquisiverunt, complures & gravissimos allegavit auctores. Sed pari etiam apparatu & eadem ratione exstructa prima Christianorum templa fuisse, prolixe declarat, & omnes speciatim partes persequitur eruditissimus BEVEREGIVS *Annotat. ad Can. Concil. Nicæni XI. p.* 71 *sqq.* Vt enim SIMEON Thessalonicensis *de templo* habet: ὁ θεῖος ἅπας ναὸς τριαδικῶς θεωρεῖται· τοῖς πρὸ τοῦ ναοῦ φημι, καὶ τῷ ναῷ, καὶ τῷ βήματι. Prima ergo ab ingressu pars Νάρθηξ vel Πρόναος dicebatur, quæ Προπύλαιον proxime excipiens, præter κολυμβήθραν seu effossum lacum, in quo convertendi salutari fonte tingebantur, varias pœnitentium stationes comprehendebat: nominatim τῶν κατηχουμένων, seu eorum, qui nondum baptizati concionibus sacris instituebantur; τῶν χειμαζομένων, h. e. juxta ARISTENVM *Schol. ad Can. XVII. Syn. Ancyr.* ὑπὸ πνεύματος πονηροῦ κατεχομένων, qui a Spiritu maligno vexabantur, (quæ tamen explicatio minus probatur BALSAMONI & ZONARAE), leprosorum etiam & ἀλογευσαμένων, seu eorum, qui ratione carentia animalia inierant, & ob crimina atrociora excommunicatorum *per alleg. Canon.* τῶν ἀκρωμένων etiam, quibus auscultationi orationis interesse, minime vero precum & S. Communionis participes esse licebat. Hanc media excipiebat, Ναός vocata, quæ στάσιν τῶν ὑποπιπτόντων seu pœnitentium prostratorum, de quibus legi meretur SOZOMENVS *lib. VII. H. E. cap.* 16. & συνισταμένων seu consistentium, quibus, quum Catechumeni & ceteri publica Diaconi voce exire jubebantur, cum fidelibus persistere licebat, quanquam a Sacramento adhuc arcerentur; & πιστῶν seu fidelium, continebat, qui baptizati nulloque externo contaminati flagitio, sacris omnibus participabant. Tertia demum βῆμα tribunal, suggestum; item θυσιαστήριον altare, a potiore sui parte, & ἱερατεῖον vel τὰ ἄδυτα, sacrarium & adytum dicta, solis patebat Clericis, & cum dona sua ad sacram mensam ferrent, Laicis etiam; & τὴν ἁγίαν τράπεζαν, venerandis mysteriis dicatam; θρόνον seu sedem Episcopi; & σύνθρονον seu Sacerdotum subsellia conspicienda præbebat. Vbi tamen prætereundum non est, quod observat LVDOLFVS *Commentar. lib. III*, 49. *pag.* 367. *accipienda* scilicet hæc esse *de Basilicis & Cathedralibus Ecclesiis, quæ Episcopos atque Presbyteros suos habebant. Minores enim Synagogis Judæorum similes erant, quarum medio verum* βῆμα, *id est, excelsior locus instar suggesti visitur, quo per gradus ascenditur, idque Habessini & Coptitæ Hebraico vocabulo* היכל *Heikel adhuc vocant, atque in eo sacram cœnam celebrant, & ad fores stantibus ministrant.* Vnde simul clarum est, non ante quartum a nato Christo sæculo imitationem fuisse susceptam, cum priorum temporum diritate tenuiores Christiano-

rum res fuerint, quam ut amplas ejusmodi ædes exstruere, vel exstructis tranquille uti potuerint. Inde tum saltem ad Synagogarum morem ἐπισυναγωγὰς habuerunt, de quibus vide Vener. BVCHER *in den Hauptgründen des Fanaticismi cap. III.* §. 3 *sq. p.* 80 *sq.*

§. IX. *Encænia.*

Nec vero templorum tantum structuram mutuo quasi a Judæis sumserunt Christiani; sed *Dedicationes* quoque eorum & *Encænia*, haud infimam Synagogæ partem, sunt imitati. Cum enim ad apicem deducta ædificia futuris initianda essent usibus, certis id ritibus ac solenni more peragebatur: eratque hæc חנוכה seu inauguratio tum privatis, Deut. XX, 5. tum publicis maxime ædificiis; iisque partim profanis, ut regiæ Davidis Psalm. XXX, 1. & murorum Hierosolymæ Nehem. XII, 27. partim sacris, communis, quæ Domino consecrata, per has cerimonias a civilibus usibus separabantur, & publicis destinabantur sacris. Sic Dei jussu tabernaculum dedicatum legitur Exod. XL, 34. muneribusque & sacrificiis Principum inauguratum. Num. VII. Templi autem Hierosolymitani ter facta solennis consecratio describitur 1 Reg. VIII, 63. Esr. VI, 16. 1 Macc. IV, 52. & 2 Macc. X. quibus quarta accessit, anno VII. ante natum Christum, ab Herode, post amplificatum a se magnificentiusque reparatum templum secundum, adornata, & anniversario ritu repetita, ut ex Joh. X, 21. apparet. Conf. Vener. Dn. Præsidis *Titulos Psalmor. Diatr. ad Fest. Circumcis. pag.* 178. ubi Psalm. XXX. an in publicam domus sanctuarii, an sedis regiæ dedicationem compositus sit, solide discussit. Horum itaque ad exemplum, Christiani etiam, quum a vehementissimis persecutionibus paulatim se recepissent, & sub Constantino Magno inprimis, glorioso pietatis vindice, clarior Ecclesiæ lux affulsisset, templa, quæ erexerant, Deo consecrare æquum judicarunt. Ipse Imperator, cum amplissimam Hierosolymis ædem exstruxisset, magna cum solennitate ingentique Episcoporum confluxu, eandem inaugurasse, amplisque ornasse muneribus & Salvatori dicasse, memoratur ab EVSEBIO *lib. IV. de vita Const. cap.* 43 *seqq.* & ATHANASIO *Apolog. ad Constant.* Alia ejusdem templorum Encænia & Oratoriorum dedicationes idem recenset EVSEBIVS *lib. X. H. E. cap.* 3. Hunc sequuti Episcopi, templa quisque sua initiarunt; quod vel GREGORII NAZIANZENI *oratio in novam Dominic.* Encæniorum gratia habita, & quinque ejusdem argumenti inter *sermones de tempore* AVGVSTINI demonstrant; allatisque veterum exemplis juxta ac auctoritatibus ex instituto probat DIETERICVS *Conc. III. Encæn. Vol. sonderbare Predigten pag.* 143 *seqq.* Hinc etiam in Synodis aliqua consecrationum harum facta fuit mentio; velut *Concilium Oecumen. VII. Canone VII.* irritas pronunciat templorum inaugurationes ἐκτὸς ἁγίων λειψάνων μαρτύρων, *absque sanctis reliquiis Martyrum* peractas, & denuo repeti cum reliquiis ejusmodi & consuetis precationum formulis jubet; eum quoque, qui prius illegitime consecraverat, ὡς παραβεβηκότα τὰς ἐκκλησιαστικὰς παραδόσεις, deponit. Tantum enim jam desciverat a simplicitate prisca istorum temporum Ecclesia, ut, dum Synodum VII. Constantinopoli habitam An. DCCLIV. (quæ omnes absolute imagines privatim publiceque condemnaverat & ejecerat) hæc ceu vera Septima Oecumen. Anno DCCLXXXVII. primum Constantinopoli cœpta, dein Nicæam translata, corrigere allaboraret, vitium in contrarium curreret, explosisque prioris Concilii decretis imaginum cultum stabiliret; explosa rursus ipsa & exsibilata in Concilio Francofurt. An. DCCXCIV. Mansisse interim ad hunc usque diem in Græca Ecclesia illibatum Canonis hujus valorem BEVEREGIVS *ad hunc loc.* ex *Euchologio* ostendit. E Judaicæ quidem Ecclesiæ sacris dedicandi hunc

hunc manaſſe ritum, *Jus Canonicum* docet *de Conſecrat. diſt.* 1. *cap.* 17. Et POLYDOR. VERGILIVS *lib. VI. cap. VIII. pag.* 513. *Felix III,* inquit, *inſtituit, ut a ſolis Epiſcopis dedicarentur templa, eſſetque ille dies feſtus anniverſarius. Et illud ex imitatione Hebræorum, qui, ut ſupra ex teſtimonio* IOSEPHI *oſtendimus, eum quoque feſtum diem agebant.* Et primis quidem ſæculis ſatis pietati conformiter; at poſtquam AntiChriſtus in templo Dei ſedem fixit, ſacraque omnia idololatria & ἐθελοθρησκείαις contaminavit; mirum non eſt, hunc etiam ritum in theatricum plane ſpectaculum, vanasque & ſuperſtitioſas cerimonias degeneraſſe; cujus modernam inter Pontificios rationem expoſuit DVRAND. *lib. I. Rational. divin. offic. cap.* 6. *n.* 2, 3. approbavit & defendit BELLARMINVS, *lib. III. de cultu Sanctor. cap. IV. & lib. I. de beat. Sanctor. cap.* 20. exagitavit GERHARDVS, *Loc. Theolog. XXIX.* §. 435. & §. 479. & ad probandam Romanæ Eccleſiæ apoſtaſiam perquam commode adhibuit NICOL. HVNNIVS *de Apoſt. Rom. Eccleſ.* §. 585. & §. 591. Paucis & iſtud hic adjiciendum, Deum infidelium ac hujus ſæculi, qui verum ſupremi Numinis cultum a ſuis ſibi ferme ubique deferri voluit, eundem Ethnicis ritum perſuaſiſſe, ut omnis ædes ſacra a magiſtratu, præeunte Pontifice, dedicaretur. *Hinc fana nominata, quod Pontifices in ſacrando fati ſunt finem,* VARRO inquit, *lib. V. de ling. Latin.* Vid. LIVIVS *lib.* 34. *cap.* 52. ubi Junonis Soſpitæ in foro olitorio, Fauni item & Fortunæ Primigeniæ in colle Quirinali uno anno dedicatas ædes recenſet. Modum autem & ſolennem dedicationis formulam BRISSONIVS exhibet, *de Formul. lib.* 1. *pag.* 114 *ſqq.* Videat hic iterum SPENCERVS, quomodo dictis ſuis fidem conciliet, quando *illud e tonſtrina dictum: Diabolus eſt Dei ſimia; vanum & a vero alienum* appellat, Ethnicosque e ſacris Judæorum deſumtos ritus eſſe, prolixe negat *de Vrim & Thummim cap. IV. Sect.* 13. *pag.* 226. cum vel per memoratas dedicationes, ut innumera alia taceam, confutari queat.

§. X. *Ritus alii, ex Synagoga ortum ducentes.*

Reſtant adhuc varia, pari deducenda filo, niſi brevitatis legem nobis poſuiſſemus. Χειροθεσίαν enim, quam noſtræ hodienum Eccleſiæ in Ordinatione, Baptiſmo & Abſolutione privata ſervant, Synagogæ ſuos debuiſſe natales, evinci facile poſſet: ſed ſufficiant, quæ de hoc ritu collegit BEVEREG. *ad Can. LXVIII. Apoſt. & Can. X. Nicæn.* GERHARD. *Locor. Theolog. XXVI.* §. 159. & *Loc. XXIII.* §. 267. SCHERZER. *Syſtemat. Theol. Loc. XXV.* §. 14. Sic & Inſtrumenta Muſica e Judaica Eccleſia ortum ducunt; ſed & de his videantur PFEIFERVS *Dub. Vex. Pſalm. IV. pag.* 559. Venerab. Præſes *Titul. Pſalmor. ad Domin. XII. Trinitat. pag.* 591 *ſeqq.* & *Diatr. ſeqq. pag.* 604. item *ad Domin. II. Epiphan. pag.* 214. GEIERVS *Commentar. in Pſalmos paſſim.* DIETERICVS *Conc. VII. Encæn. pag.* 253 *ſeqq.* Quibus addi poteſt VOSSIVS *de IV. artib. popular. cap.* 4. *pag.* 36 *ſeqq.* Sic etiam, ut Vnctionem, Confeſſionem & alia prætercam; inſtituenda fuiſſet Legis Forenſis ad Moralem reductio, præſtita jam a GERHARDO *Locor. Theolog. XVI.* §. 30 *ſqq.* FRIEDLIEB. *Medull. Theolog. fol.* 175. SCHERZER. *Syſtemat. Loc. IX.* §. *ult.* Inquirendum etiam in ſententiam doctiſſimi LIGHTFOOTI fuiſſet, qua Baptiſmum, Johannis demum tempore innotuiſſe negat, *cum plurimis annorum retro centuriis & notus, & frequentiſſimo apud Judæos uſu receptus fuerit Baptiſmus, in ipſiſſimum eundem, quo nunc apud Chriſtianos obtinet, finem nempe, ut per eum admitterentur Proſelyti in Eccleſiam*; idque late poſtmodum deducit, & e veteribus Hebræorum monumentis probare ſatagit *Hor. Hebraic. ad Matth. III, 6. pag.* 218 *ſeqq.* Oſtendendum quoque, quo pacto ceri-

moniæ Leviticæ, utpote ad primam Decalogi tabulam reducibiles, ſpecialem legi morali explicationem ac determinationem temporariam addiderint, ſuamque ex illa originem habuerint. Tandem etiam circa famoſam illam diſpiciendum fuiſſet controverſiam: Num ſepulta Synagoga reducenda iterum & ſuſcitanda unquam ſit? quod Judæi ſperant, & Chiliaſtæ veteres exiſtimant, modernique recoquunt, refutati ab *Auguſt. Confeſſion. Art. XVII.* Venerab. Domin. Præſide, *Animadverſ. in Fanatic.* §. 79 *ſeqq.* GERHARDO *in Diſputat. II. & III. de novis Fanaticis Part. II. Diſputat. Theolog. pag. m.* 1010 *ſeqq. &* 1034. DIETERICO *de Fanaticiſmo Chiliaſtarum*, adjecta *Myſteriolog. pag.* 456 *ſeqq.* CARPZOVIO *Commentar. ad* SCHICKARDI מ״ה *cap. I. Theor. I. pag.* 30. aliisque. Nos, colophonem diſſertationi huic imponentes humillimas Supremo Numini gratias decernimus; ab æquo autem & benevolo lectore erratorum veniam de facili nobis pollicemur.

S. D. G.



INDEX I.



INDEX I.

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE.

Signum (†), *refertur ad* GOODWINVM. *Signum* (*), *indicat locum data opera illustratum.*

XIV,

INDEX II. VOCVM HEBRAICARVM.

רוס,

INDEX III. VOCVM GRAECARVM.

E. Ἐ-

Τύμπα-

INDEX IV. RERVM ET PERSONARVM.

Adul-

B.

Cœna-

D.

Daricus,

E.

F.

perint

K.

M.

N.

O.

S.

Sabba-

Moria

Thori

IMPRIMEBAT VLRIC. CHRISTIAN. SAALBACHIVS.



ERRATA IN GOODWINO

Pag. 2. *b.* §. VI. lin. 12. pro *vit.* l. *cit.* P. 6. *b.* §. V. lin. 11. l. *homicidium*, adde. *F. rapinam, & G.* membri §. VI. lin. 18. l. *Iſſure*, pro *Pereh*, l. *Perek.* P. 7. *b.* § 8. pro *vit.* l. *cit.* P. 11. *b.* §. 18. lin. 9. l. *fuit.* P. 17. *a.* §. 15. lin. 5. pro *conſenuerunt.* l. *cenſuerunt.* P. 51. *a.* §. 7. lin. 7. pro *tertia* lege *ſexta.* P. 60. *b.* §. 6. lin. 2. l. *Differentiæ.* P. 63. *b.* §. 2 lin. 8. pro *tantum* l. *magnam.* P. 64. *a.* §. 4. lin. 9. pro בעצמות l. בפני עצמה P. 66. *a.* §. 14. lin. 10. pro *cap. in* l. *cap. 5. in: b.* §. 16. lin. 11. l. *de ferm. cap.* 8. P. 67. *b.* §. 20. lin. ult. l. *Korban Peſach*, absque punct. P. 73. *a.* §. 11. lin. 4. l. *exordiendi.* P. 76. *a.* §. 17. lin. 13. l. *mutatione, lege apud.* P. 77. *b.* §. 28. lin. 10. pro *Jud* l. *Jad.* P. 97. *b.* §. 7. lin. 3. pro עוּר lege עוֹר P. 102. *a.* §. 15. l. 9. pro שנעל lege שבעל P. 110. *a.* §. 2. lin. 11. l. *compotatione.* P. 116. *a.* §. 9. lin. 4. l. *in cœnaculo.* P. 121. *a.* §. 7. lin. 4. l. *dixiſſent.* P. 131. *a.* §. 13. lin. 11. pro לחובה l. לחופה P. 146. *a.* §. 7. lin. 6. pro ראמות l. ר׳ אמות P. 154. *a.* §. 6. lin. 10. l. *Cabatbitæ* §. 7. lin. 11. l. *Beth habbechirah.* P. 155. *b.* §. 13. lin. 7. l. *Cabathitæ*

ERRATA IN NOTIS

Pag. 21. *b.* lin. 27. l. Menaſſe. P. 23. *b.* lin. 13. l. *principes, aut.* P. 38. *a.* lin. 39. l. *authenticæ.* P. 42. lin. penult. pro נצסון lege נצטון P. 43. *b.* lin. 23. dele comma poſt *Maimonid.* & lin. 22. comma pone poſt *Kotſenſi.* P. 51. *a.* lin. 7. pro הנו lege תנו lin. 22. l. *proſelyto.* P. 56. *b.* lin. 15. l. *ita unctus.* P. 65. *b.* lin. 20. l. at. P. 72. *b.* lin. 18. pro *cui* l. *corpori.* P. 83. *a.* lin. 35. l. *Sancti.* P. 91. *a.* lin. 33. l. *incipiebat.* P. 104. *b.* lin. 37. l. *promiſcuæ.* P. 115. *b.* lin. 23. pro *ad* l. *at.* P. 125. *a.* lin. 24. l. קְרוּיִים lin. 25. pro הנכוים l. הנכיאים P. 138. *a.* ad §. 1. p. 18. lin. 5. pro *niſi* l. *absque.* P. 147. *b.* lin. 2. pro רגלהים l. רגלֵיהם P. 152. *b.* lin. 8 pro *vita* l. *vite.* P. 154. *a.* lin. 11. l. *enim.* P. 160. *a.* lin. 2. pro קרבנותיו l. קרנוֹתיו P. 170. *a.* lin. 27. poſt *fuiſſe* adde *obſervat: b.* lin. 36. poſt *coactus*, adde *eſt.* P. 171. *b.* lin. 5. l. *affirmantibus.* P. 183. *b.* lin. 13. pro ימישמתון l. ומיש מתוך P. 184. *a.* lin. penult. pro המקואות l. המקראות P. 195. *b.* lin. 25. l. *mentem.* P. 198. *a.* l. 2. pro תהיח l. תהיה P. 202. *a.* lin. 30. pro חוספות l. תוספות P. 212. *b.* lin. 29. pro טיבים l. טובים P. 217. *a.* lin. 16. l. *illatis.* P. 233. *a.* lin. 2. pro רכר l. דבר P. 241. *b.* lin. 7. l. *Gaulonitis.* P. 252. *a.* lin. 14. l. *prope.* P. 254. *b.* lin. 8. l. *qua.* P. 262. *a.* lin. 9. n. (12.) pro קשני l. רק שני P. 275. *a.* lin. 15. l. ונתתה *b.* lin. 16. pro *quidam* l. *quidem.* P. 281. *a.* lin. 5. l. *inboneſtis.* P. 294. *b.* lin. 21. pro *atriiis* l. *atrii.* P. 300. *b.* lin. 2. l. *pede.* lin. 17. l. *moneamus.* P. 315. *b.* lin. 1. l. מדרשות P. 318. *b.* lin. 40. l. הנשיא P. 322. *b.* lin. 31. l. *præcipere non.* P. 324. *a.* not. (19.) lin. 23. poſt *dies ejus*, adde *amputatum, amputabuntur dies ejus.* P. 326. *b.* ad Cap. III. lin. 10. l. הצאן P. 330. *a.* lin. 18. l. שערים P. 341. ad §. VI. p. cit. lin. 15. loco האמת אתר l. אם האמת אתו P. 342. *b.* lin. 18. l. *induitione.* P. 367. *a.* lin. 5. l. *pedum.* P. 374. *a.* ad §. XXI. lin. 5. l. *Librum.* P. 378. *b.* lin. 9. dele *eodem.* P. 384. *a.* ad §. 1. lin. 5 pro *Jor.* l. *Ar.* P. 389. *a.* ad §. X. lin. 23. pro אליצא l. אל יצא lin. 28. pro ומד ברי l. ומדברי P. 391. *a.* lin. 4. pro טובים l. וטובים P. 409. *a.* ad §. XXIII. lin. 8. pro בגוֹן l. בַּגַן P. 413. *a.* ad §. IV. lin. 4. l. *Nevochim.* P. 416. *b.* lin. 22. pro הושיעח l. הושיעה P. 420. ad §. VIII. lin. 6 pro מתיר גמן l. המתורגמן P. 426. *b.* ad §. VI. lin. 17. l. *ſalva.* P. 465. *b.* §. XVI. lin. 14. pro התחילו l. חתחילו P. 471. *a.* lin. 2. ad §. III. pro חנן l. חנך. P. 480. *a.* lin. 26. l. *objectionum.* P. 489. *a.* ad §. XVIII. lin. 8. l. משכנותיו P. 491. *b.* ad §. XXVII. lin. 15. l. *Aegyptius.* P. 498. *a.* lin. 6. l. *placaretur.* P. 500. Cap. IV. *a.* lin. 22. pro בך l. בן. P. 513. *a.* lin. 37. l. *ſplendorem.* 38. l. *majeſtatem.* P. 516. *a.* ad §. III. lin. 9. pro נבהן l. נבחן lin. 11. l. בנותיהן. P. 519. *a.* not. (4) l. רמון. P. 525. *b.* ad §. XIV. lin. 7. l. ܣܒܠ & סנן ܒܢܐ בנא P. 538. *b.* lin. 13. l. *eum.* P. 553. *b.* lin. penult. pro *Tom.* l. *Num.* P. 556. *a.* ad §. II. lin. 12. l. *Epicureum.* P. 557. *b.* lin. 34. l. *conſecratur.* P. 562. *a.* ad §. XV. lin. 3. l. *jaciebant.* P. 587. *a.* ad §. IV. lin. 17. l. *Manlius.* P. 592. *a.* lin. 21. l. *tantam.* P. 609. lin. 21. l. *ZEHIRA.* P. 613. *b.* lin. 19. pro *at* l. *ac.* P. 615. *b.* ad §. VII. lin. 28. pro ירדין l. ירדך. P. 617. *b.* ad §. XII. lin. 29. pro *Gad* l. *Jad.* P. 639. *b.* ad Cap. IV. lin. 8. l. *ſponſæ.* P. 640. *a.* lin. 14. pro *genitalibus* l. *gentilibus.* ad §. II. lin. 8. 9. *Zophnath. b.* lin. 33. l. *baptizabantur.* P. 645. *b.* lin. 26. l. *pleni.* P. 664. *b.* ad §. X. lin. 13. l. *Haphtaras.* P. 670. *a.* lin. 11. pro *quod* l. *quid.* P. 680. *a.* lin. 2. l. *ſtatuunt.* lin. 3. pro *cui* l. *quibus.* P. 700. *a.* lin. 16. *b. faviſſe.* lin. 17. l. *auſum fuiſſe.* P. 713. *a.* lin. 7. l. להבדיל בין. P. 718. *a.* lin. 20. pro *& lacu* l. *ex lacu. b.* lin. 8. pro *putris* l. *puteis.* P. 732. *b.* lin. 11. pro צא ינה l. צאינה וראינה §. XIV. lin. 10. l. גאולה P. 733. *a.* lin. 19. pro אב יר l. אביר. P. 736. *a.* §. XIX. lin. 21. pro *fere* l. *vere.* P. 739. *a.* §. XXIII. lin. 18. pro ὅ l. ὁ. P. 741, *a.* lin. 20. dele *in* lin. 21. ſupple *in Conciliator. b.* lin. 17. l. *numerum.* P. 744. *b.* lin. 36. pro רע l. רֵע. P. 747. *b.* lin. 17. l. *Kidduſchin.* P. 748. *b.* lin. 18. l. מגיר